

ST. IGNATIUS COLLEGE  
Chicago

262.01 Bon  
No. 8749 13Y

ST. IGNATIUS  
HIGH SCHOOL LIBRARY  
1076 W. ROOSEVELT ROAD


H  
260  
Bo  
V. 6

8749

The Faculty Library  
St. Ignatius High School  
Chicago, Illinois

### Date Loaned

Demco 292-5



# **SUMMA AUREA**

**DE LAUDIBUS**

**BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE,**

**DEI GENITRICIS SINE LABE CONCEPTÆ.**

ST. IGNATIUS  
HIGH SCHOOL LIBRARY  
1076 W. ROOSEVELT ROAD

1800' below

1800' above

# SUMMA AUREA

DE LAUDIBUS

## BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE,

DEI GENITRICIS SINE LABE CONCEPTÆ,

OMNIA QUÆ DE GLORIOSISSIMA VIRGINE MARIA DEIPARA SCRIPTA PRAECLARIORA REPERIUNTUR IN  
SACRIS BIBLIS, OPERIBUS SANCTORUM PATRUM, DECRETIS CONCILIORUM, CONSTITUTIONIBUS  
ROMANORUM PONTIFICUM ET LIBRIS CELEBERRIMORUM DOCTORUM, HISTORICA  
METHODO ET ORDINE TEMPORUM DIGESTA, COMPLECTENS;

NECNON

MONUMENTA HAGIOGRAPHICA, LITURGICA, THEOLOGICA, ASCETICA, ENCOMIASTICA, PARÆNETICA, ETC.,  
QUIBUS ADSTRUITUR, ILLUSTRATUR, VINDICATUR DOGMA CATHOLICUM DE PRÆROGATIVIS,  
VIRTUTIBUS, CULTU, INTERCESSIONE ET LAUDIBUS SANCTISSIME VIRGINIS DEIPARÆ.

HOC OPUS VERE AUREUM

CUNCTIS B. MARIAE PIIS CULTORIBUS, DIVINI VERBI PRAECONIBUS, ANIMARUM PASTORIBUS,  
THEOLOGIS, SACRAE SCRIPTURAEE INTERPRETIBUS, CATECHISTIS, ETC., ETC.,  
PERUTILE, IMO NECESSARIUM,

DEDICAVIT

EMINENTISSIMO S. R. E. CARDINALI F.-N. MORLOT,  
PARISIENSI ARCHIEPISCOPO,

COLLEGIT, DISTINCTE ET ORDINATE DISPOSUIT, RECENSUIT, DISSERTATIONIBUS  
AC NOTIS LOCUPLETAVIT, ATQUE IN V PARTES DISTRIBUIT

JOANNES JACOBUS BOURASSE,  
CANONICUS ECCLESIAE METROPOLITANÆ TURONENSIS.

*Hecce opus, quod sub titulo : LIBER MARIAE ET FILIORUM EJUS annuntiaverat,  
nunc propriis sumptibus edit J.-P. MIGNE,*

BIBLIOTHECA CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITOR.

TOMUS SEXTUS.

VENEUNT 12 VOLUMINA 80 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, OLIM PROPE PORTAM LUTETIAE PARISIORUM VULGO D'ENFER  
NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE, NUNC VERO INTRA MOenia PARISINA.

# ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOCCE VOLUMINE SEXTO *SUMMÆ AUREÆ* CONTINENTUR.

---

## *SUMMA AUREA DE LAUDIBUS B. VIRGINIS MARIAE.*

TESTIMONIA MARIANA SS. PATRUM, ordine temporum digesta. (*Continuatio.*)

Collegit, et ordinate disposuit J.-J. BOURASSÉ.

col. 9-1502

(*Exhibitentur in hoc volumine Testimonia ex sexaginta quinque SS. Patribus Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ, a sancto Germano, Patriarcha CP. (sæc. vii), usque ad S. Laurentium Justinianum (sæc. xiv.)*)

Index alphabeticus SS. Patrum.	1503
Index in Testimonia Mariana.	1503
Index Rerum.	1527

---

# THEOLOGIA MARIANA.

## TESTIMONIA MARIANA SS. PATRUM

### ORDINE TEMPORUM DIGESTA.

(CONTINUATIO.)

#### S. GERMANUS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS.

##### I.

*Sancti Patris nostri Germani, archiepiscopi CP., in  
Ingressum sanctissimæ Deiparæ sermo.*

I. Cunctæ quidem, quotiescumque celebrantur, sacrosanctæ solemnitates eos qui ad sacra conve-nerint, e thesauris (cœlestibus) ac fontibus a Deo fluentibus spirituali perfundunt voluptate. Verum quæ modo præconiis celebranda est, pro principe loco, quem tenet, splendidior illucescit, et majori præ ceteris oblectatione animos exhilarat, quanto scilicet super omnes attollitur atque omnibus Dei filia principatur. Anniversaria enim recurrit sanctissima ejus convivalis lætitia; cuius epuli quisquis particeps esse velit, omni nequitia purus sit oportet. Si itaque vobis placet, alaci animo, mente purissima, et intentissimis stolis amicti me sequi-mihi. Pergamus simul ad exoptatissimos flores ex ipsomet Dei Matris prato decerpentes. Odoremus ejus pulchritudinem instar rosæ e folliculis plenam odoramentorum erumpentem, quemadmodum in Canticis Salomon egregie cecinit, inquiens: « Quæ est ista quæ ascendit e deserto, sicut virgula sumi sufflata myrrha et thure, ex omnibus pulveribus unguentarii <sup>1</sup>? — Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano <sup>2</sup>. » Alacriter igitur simul abeamus, adhortantes invicem ad Dei Genitricis solemnitatem omnibus communiter utilem ac salutarem agen-dam; et penetralia sacra introspicientes, intueamur pueram ad secundum velum contendentem; intueamur, inquam, Mariam integrissimam Virginem et Dei Matrem, quæ infundat finem imposuit

sterilitati, ac legalis litteræ umbram gratia sui partus abegit.

II. Hodie enim trimula legali dedicanda templo ea progreditur, quæ sola impollutum augustissimumque Pontificis ac sacerdotum omnium Principis Domini templum fuit, quæque fulgore suo splendoreque divinitus micante circumfusam litteræ caliginem disjecit. Hodie redditur sacerdoti infans, quæ solum illum magnum Pontificem Deum, infantem propter nos secundum carnem factum, quadraginta dies natum oblatura est, ulnis suis præter omne hominum cogitatum amplectens eum, qui nulibi contineri potest. Hodie novissimus æque ac purissimus, et nulla sorde inquinatus codex, non hominis manu conscribendus, sed spiritu inaurandus, benedictionibus secundum legem consecratur, et ceu donum in gratiarum actiones offertur. Hodie deterso infunditatis opprobrio, Joachim palam per vias prolem suam ostendens maxime gloriabundus prodit, et legalium observationum studiosum denuo se cultorem probat. Hodie Anna diuturnam sterilitatem felici partu compensans, immenso gaudio gestiens, eamque pectori apprimens, quæ cœlis latior apparuit, finibus terræ se fructu potitam esse annuntiat. Hodie patefacta divini templi porta obsignatam illam et ad orientem versam Emmanuelis <sup>3</sup> portam ingredientem excipiit. Hodie sacra templi mensa participatione et amplexu dulcissimo divinæ illius mensæ, quæ cœlestem atque animas nutrientem fert panem, ad in-cruenta sacrificia gradum movens, incipit splen-

<sup>1</sup> Cant. iii, 6. <sup>2</sup> Cant. iv, 8. <sup>3</sup> Ezech. xliv, 1-3.

descere. Hodie in propitiatorio ea reponitur, quæ sola mortalibus, inundatione peccatorum in transversum actis, novum Deoque simillimum, et emundandi virtute præditum, et haudquaquam manibus hominum constructum, propitiatorium evasit. Hodie (puella) illa, quæ Sancti sanctorum domicilium futura est, innocentia ac simplici ætate per sanctificationem Spiritus præcellentius consecrata, prorsus mirabiliter super gloriam Cherubinorum elevata, in Sanctis sanctorum sanctissime et gloriose collocatur.

III. Hodie ad promendas laudes Maria nos provocat; cuius encomia ut in immensum quispam congerat, nedum metam queat attingere, ne a longe quidem ad verum accessurus est; quippe cuius pulchritudo et sermonem omnem et omnem cogitationem infinito intervallo prætergreditur. Nam gutta illa cœlestis, quæ ab ea manavit, ad instar immensi pelagi magnalia ipsius esse palam fecit. Quocirca hujus quidem gratia et incomprehensibilis propter ipsarum infinitatem factæ sunt ejus dignitæ, nec deliciæ, quæ ab ipsa profluant, exhaustiri ullo modo possunt. Prorsus enim in cæteris omnibus satiari contingit: in hujus vero laudibus et canticis nusquam præ suavitate epulum satietatem parit. Hinc et indeficientia sunt quæ ab ipsa proficiscuntur laudandi argumenta; et quoniam uberrimus fons est, neque hauriendo imminuitur, sed quo plus inde hauritur, centies aut millies magis redundat; ideo fieri non potest ut hauriendo finis aliquis fiat. Nam in effusissima liberalitate sua mysterium supra modum exuberat, et exuberantia sua mentes, nedum corporibus immersas, incorpororum quoque supergreditur. Tanta est beatissima illa ac purissima puerilla!

IV. Et hanc quidem sui ipsius parentes, tertio jam expleto anno Deo offerunt. Ternarius porro numerus quam eximius, quam ingenti honore dignus, et prorsus ad quamlibet demum veritatem confirmandam efficax! Tres David sumpsit lapi des<sup>3</sup>, ut funda scelestum Goliath prosterneret. Ter apparatu per circuitum instructo Elias Thesbes ad credendum disponit<sup>4</sup>, ubi cœlestis ignis in aqua ardantis, flamma superveniat. Totidem diebus Jonas visceribus natantis monstri perlatus<sup>5</sup>, Dei, qui magnum cetos direxit, symbolum gerit. Hoc numero erant pueri, qui fornacis ignem calcantes, ac cœlesti rore recreati, alacriter obambulabant<sup>6</sup>. Tertia decem annorum periodo exacta, Dominus meus Jesus a transgressionis sorde me eluit; et similiter per tres annos circumveundo, omnem morbum atque omnem sanat languorem<sup>7</sup>. Tribus autem discipulis gloriae suæ in monte manifestationem arecano mysterio exhibitus ascendi<sup>8</sup>. Tertia quoque recurrente die animas, in inferorum tenebris a sæculo detentas, liberat. Quid

plura? Vide, quæso, ternarium numerum et in summo rerum omnium apice. Nam causa rerum omnium, et mysteriorum omnium fons, Divinitas videlicet, tribus sanctificationibus<sup>9</sup>, in tribus characteribus seu tribus hypostasis (quandoquidem idem prorsus de tribus personis propter omnitudinem substantiæ unitatem profiteri necesse est) tanquam perfecto numero in unitate confusionis et mistionis expertise, celebrari voluit, neque defectu ac subtractione dehonoranda, neque rursus ultra hunc numerum excurrendo in pluribus singenda principiis, ut inquit divinarum rerum peritissimus et egregius theologus Gregorius<sup>10</sup>.

Quandoquidem igitur ipsius sanctissimæ ac semiperpetuae Trinitatis altera persona (Filius) cum Patris beneplacito, tum propria electione, et sanctissimi Spiritus obumbratione in pueræ hujus Virginis Matris utero includi festinabat: idecirco congruum sane erat ipsam quoque hoc (mystici) numeri decole glorificatam honorificentissime dedicari; triennis propterea, certa ac definita ratione hæc omnia disponente ejusdem Conditore pariter ac Filio, in templum adducitur.

V. Cum itaque ablactata fuisset hæc vita nostræ altrix, parentes ejus id, quod accedente vero præstiterant, perficiunt. Cum enim (inquit) circum circa e vicinia virgines congregassent, efficerunt ut hæc quidem, sumptis facibus, præirent, ipsa vero omnium postrema subsequeretur; quo scilicet fæcularum ardenti fulgoribus oblectata, incederet haud retrospiciens.

Illa vero sterilis olim et infecunda Anna, omnia sua Deo committens, magna voce palam exclamabat: Adeste, inquiens, congaudete mihi majorem in modum, quæcumque et quicunque mihi parienti affuistis; jam enim viscerum meorum fructum ceu donum, divino fulgens splendore et sanctificatum, Domino consecro. Adeste, o chori principes, et jucunde exsultantes, simul cum canentium cœtu ac pueris tympana pulsantibus, novum modo canticum, non quidem præente Maria sorore Moysis, sed duce filia ex me genita, modulantes præcinite.

Vos etiam, quotquot estis et propinqui et extranei, adeste mihi felicem nactæ prolem: dumque in gratiarum actionem, summo pietatis studio, partus mei fructum sacro templo reddo, attollite vocem, divinitus inspirata carmina cantantes. Huc age, et prophetarum divinitus actorum cœtus, et chorum electum splendidis laudibus per Dei Spiritum infusis instrumentes, hymnum instaurate. Ubi enim sermo propheticæ vocis personans aures pulsat, ibi omnis adversantium maledicentia enervata concidit.

VI. Verum tu maxime huc ades, o David, pueræ simul et Dei progenitor, ac lyricam suavissime citharam pulsans, juvendiorem ore tuo divinitus in-

<sup>3</sup> I Reg. xvii, 40. <sup>4</sup> III Reg. xviii, 34. <sup>5</sup> Jonæ II, 1. <sup>6</sup> Dan. iii, 23, 24. <sup>7</sup> Lue. iii, 21-25; Mat. ii, 14, 23. <sup>8</sup> Matth. xvii, 17. <sup>9</sup> Isa. vi, 3. <sup>10</sup> Orat. 2, al. 1, § 57.

spirato fidibus spiritus ede sonum, discretissime juvencularum comitantium chorum describens, quomodo adjucentur Regi virgines post eam, proximae ejus adducentur<sup>11</sup>. » Ecce enim juvencularum agmen choreas in plateis agit, et filia Regis, filia nempe mea, quam ipse metu filiam (tuam) vocabas, prorsus regio honore in sacram ædem, in templum sanctum cum lætitia et exultatione, vaticinium tuum impletura, ducitur. Dixisti enim : « Omnis gloria filiae regis ab intus in simbriis aureis<sup>12</sup> intemerata et immaenlata virginitate circumamicta, et incomparabilis pulchritudinis varietate resplendens. Age, effare tu quoque, Davidis proles, inquiens : « Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol<sup>13</sup>? — « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, et quam suavis<sup>14</sup>, quæ sole circumamicta eris, novumque sub sole spectaculum adduces!

Adesum, Ezechiel altiloquus, vivisci Spiritus a Deo datum volumen tenens, atque illius portæ laudes enarra, quæ ad orientem respicit, quæque, ob-signata manens, transitum Deo præbet. Tum si quis alius e primariis sacri et electi ordinis, seu etiam reliquis omnis videntium chorus, vocem lati extollite, accedentem vaticiniorum vestrorum exitum intuentes. Quid vero? Num vos, o primi parentes, qui a maledictione jam solvendi estis, et antiquam illam deliciarum sedem, e qua expulsi fuistis, recuperaturi estis, nunquid congruis encomiis summisque laudibus salutis auctricem non celebrabitis? an vero ad vos maxime non spectat vocem efferre, et me vobiscum, et una cum nobis omnibus universas creaturas gaudio exultare?

VII. His animi affectibus, uti par erat, venerabilis Anna, scinet rei quæ gerebatur accomodans, dum simul cum dulcissimo conjugi filiam a se genitam deducunt, tenellis virginibus cum face comitantibus, jam ad templi limina pertingunt. Tum portæ, ut spiritualem Emmanuelis Dei portam excipient, panduntur, et pressum Mariæ vestigiis limen sanctificatur. Ac templum lampadarum quidem luce coruscat; sed multo magis unius hujus lampadis fulgorantibus radiis resplendet, ejusque decor, ipsa ingrediente, ampliori venustate nitescit. Purpurascunt cornuum altaris stolæ e purpureo ac virginali ejus amictu. Gaudet Zacharias excipiendæ Dei Genitricis honore dignatus: lætatur Joachim, qui oblationem reddendo jam suum vaticinia exitum nancisci invicte testatur. Gaudio gestit Anna in suæ prolis consecratione: tripudiant protoparentes, latam in se damnationis sententiam effugientes: jucundantur prophetæ, et una cum ipsis omnis ordo gratia exornatus lætissime exsultat.

VIII. In hunc itaque modum inducitur Dei filia, et ad cornua altaris inter parentes bene ei adprecaturos, et sacerdotem, benedictione ipsam confir-

maturum, consistit. Rursus autem ad sacerdotem parentes: Suspicere (inquit) eam, quæ ignem cœlestem atque incomprehensibilem susceptura est: suspicere eam, quæ Filii ac Verbi Patris atque unius Dei futura est receptaculum: accipe eam, quæ infecunditatis nostræ opprobrium ac sterilitatem abs-tulit; induc ad altare eam, quæ in antiquam paradisi sedem nos est introductura: tene eam, quæ partu suo vim mortis, unde nobis terror incumbens, et inferni tyrannidem debellabit: complectere eam, quæ naturam nostram in Edem exspoliatam conteget: prehende illius manus, quæ fasciis astringet eum qui manum nostram intemperante et audacem insolentissime porrectam cohibebit: Deo illam consecra, cui nos toti iniunimus, et in qua spes nostræ divinitus sunt reposuisse.

Intuere, Domine, intuere: accipe quam dedisti, quam ipse largitus es excipe: suscipe quam nobis ad sterilitatem nostram solvendam tribuisti, legis quoque sterilitatem per eamdem ablaturus, per quam et nos e diuturna et gravissima ærumpna liberasti: suscipe istam, quæ feliciter res nostras disponit: suscipe quam ipse elegisti, quam praestitisti, quam sanctificasti: habe tibi firmatam in te, et odore tuo attractam; quam, tanquam lumen e spinis, e nobis indignis elegisti, hanc, hilari animo tibi oblatam, ulnis tuis complectere. En tibi eam dono offerimus, ac nosmetipos tibi committimus.

IX. Hæc concors iustorum vox; hie concentus conjugum Deo amabilium; hæc Dei progenitorum concinne parata oblatio. Zacharias itaque, excepta puella, primum quidem parentes, ut par est credere, sic affatur: O salutis nostræ auctores, quo vos nomine appellem? Quales vos dixerim? Obtupesco, cernens qualen fructum obtuleritis. Ejusmodi enim est, qui utique Deum ad inhabitandum in se puritate sua alliciat. Nulla sane, quæ ejusmodi pulchritudine fulgeat, inventa unquam est, aut invenietur. Vos instar duplicitis e paradiso egredientis fluminis<sup>15</sup> apparuistis, lampadem ferentes auro ac lapide pretioso pretiosorem; quæ pulchritudine immaculata virginitatis suæ, et exhilarantibus fulgoribus suis universam terram illuminat. Vos ceu duo fulgentissima sidera, firmamento quodammodo inserta, contemplamur; utrique enim calliginosæ litteræ et late inter procellas legis obscuram umbram hilari luce dispellitis, et sapienter ad hanc novam novi luminis gratiam credentes in Christum inoffenso pede deducitis. Vos intuemur tamquam splendidissima corona spiritualis templi novi testamenti, utpote qui in gremio vestro sanctificatum illud ac Deo dicatum sacræ victimæ rationabilissimum altare continetis. Vos (si quidem fieri possit ut non meritis inferiora dicam) in educanda puella assidui, Cherubim apparuistis,

<sup>11</sup> Psal. XLIV, 45. <sup>12</sup> ibid. 14. <sup>13</sup> Cant. vi, 9. <sup>14</sup> Cant. vii, 3. <sup>15</sup> Gen. ii, 11, 12.

mystica prorsus obumbratione propitiatorium Pontificis, omnium Salvatoris, circumtegentes. Vos præ auro illo, quod ad circumvestiendam aream olim fabrefactum est, vos, inquam, visi estis circumoperientes spiritualem divinamque novi testamenti aream, eum continentem qui nobis in cruce veniam subscrispit. Gaudium vestrum, gaudium est universæ terræ : gloria vestra sit omnium communis lætitia. Vos beati, quibus datum fuit ut talis filii parentes essetis! Vos benedicti, qui hujusmodi benedictum donum Domino attulistis! Beata ubera quibus nutrita ipsa fuit, et venter quo portata est!

X. Huc jam adsis tu quoque, puerula cœlis sublimior. Accede, quæ infans cerneris, sed Dei officina dignosceris. Accede, et sanctuarii limina tu potius sanctifica : non enim, ut uno verbo jam dicam, te perpurgans altare sanctificat, imo vero a te uberrime sanctificatur.

Age jam, penetralia sacra et tremendum conclave intropisce, quæ cimelium futura es immensum et imperscrutabile. Ingredere ad altaris atrium, quæ portas mortis confringis. Aspice intra velum, quæ fulgore tuo eos illuminas, qui obnubilante oculos gustu excœcati sunt. Præbe manus mihi, te ut infantem ducenti ; sed simul sustine manum meam, qui senio confectus sum, atque in mandati transgressionem rerum terrenarum studium pronus fui, ac me ad vitam adducito. Ecce enim te cœu baculum senectutis, et naturæ, propter lapsum elongantis, fulcimentum habeo. Ecce te fore præsidium eorum video qui in mortem prolapsi sunt. Adoratura veni prope altaris mensam, quandoquidem rationabilissimam et impollutam mensam te evasuram per plura symbola jam præsignificatum est. Totum perambula altaris circuitum, utpote quæ thymiamatis odorem efflas, et quolibet suaveolentior unguento odorantibus facta, per os diviniloqui et superno spiritu acti prophetæ apte thuribulum nuncupata fuisti. Ascende super ædis sacræ gradum, ascende, cui filiae Jerusalem, venustate pulchritudinis tuæ oblectatæ, laudes cum gaudio texunt, quamque reges terræ beatam prædicant : que sacra basis agnita es, et præcelso patriarchæ Jacob fuisti jucundissime ostensa cœu scala a Deo firmata. Sede, Domina; decet enim, regina cum sis et præ omnibus regibus terræ gloriosa, sublimi adeo loco sedere. Tibi, quæ Cherubico longe nobilior es thronus, sacrosancta ad inhabitandum sedes debetur. En tibi pro merito, tanquam universorum Reginæ, primam offero sedem. Et tu itaque erige in præcepis provulitos. Nunc autem propterea tibi cum David acclamo : « Audi, filia, et vide, et inclina aures tuam, et obliscere populum tuum, et dominum patris tui, et concupisces Rex pulchritudinem tuam »<sup>25</sup>.

XI. Et hæc quidem senex; quanquam longe his plura encomia mente volvebat. Parentes interim

recesserunt; puella vero, Deo consecrata, (ibidem) remansit. Et quoad victum ipsi suppeditandum, angelii ei cum timore deserviebant, et (sic) ab incorporeis spiritibus esca delata, sive corporea hæc fuerit sive incorporea, (puella) alebatur. Ita initatio saera divinitus perfecta est : sic infans crescebat et confirmabatur; maledictionis autem, qua in Edem perculti fueramus, vis omnis elidebatur.

XII. Agite ergo, quotquot adestis Deo dilecti, voce unanimi, pro virili, quantum videlicet per ritudem nostram ac prope dixerim infantilem intelligentiam licet, ad Virginem illud inclamemus Ave; non quasi hac ratione pro dignitate festivitatem ejus celebrare possimus, sed ut saltem aliquod insuritati nostræ solatium, quantum possunus, aferamus; quandoquidem Deo quoque, quidquid pro viribus fiat, gratum accidit. Cæterum superat ipsa sane omnem mentis captum, quæ sola virgo simul et mater agnita est. Et causa in promptu est. Quæ enim alia virgo enixa est, aut enixa integrum servavit virginitatem, nisi tu sola, quæ prorsus integra Deum incarnatum nobis genuisti, puella beatissima?

XIII. Ave igitur, quæ, dum gloriose et non manufacto indumento ornata, hodie in Sancta sanctorum ingredieris, nos, qui ob mortiferum animisque exitiale cibum denudati fueramus, purpurea veste, videlicet circumjecto divinitus remissionis pallio, superinduisti, remissionis, inquam, peccatorum, quæ nobis in cœno jacentibus a Deo donata est, o Dei sponsa.

Ave, quæ hodierna die in ipso exordio splendidissimæ et summe venerandæ Præsentationis tuæ universum ad te congregas prophetarum cœtum, qui propterea musicis quodammodo organis et cymbalis bene sonantibus hymnum propheticum concinunt, et alacriter exultantes choreas ducunt.

XIV. Ave, quæ gressum tuorum concinnitate, serpentem truculentum mihi ad transgressionem ducem, vaserrimum et scelestissimum diabolum, conculeasti; corruptam vero naturam quæ ad labendum prona cernebatur, tecum per viam velut manu prehendens, ad cœlestes et sanctum non nescens tabernaculum rursus adduxisti.

Ave, quæ fulgentibus Præsentationis tuæ facibus splendorem late diffundens, diem lætitiae et exultationis iis attulisti qui in umbra mortis et extremo languore detinebantur, pollicita insuper, caliginem penitus disjiciendam fore, Deo per te efficiente, o quolibet miraculo major Maria.

Ave, lucida nubes, quæ spiritualem divinum rorem nobis superinstillas, quæque per hodiernum tuum in Sancta sanctorum ingressum, sedentibus in umbra mortis splendidissimum solem oriri fecisti : fons divinitus scaturiens, e quo divinæ sapientiae fluvii, purissimis ac limpidissimis orthodoxæ undis defluentes, hæreseon agmen dispellunt.

<sup>25</sup> Psal. XLIV, 11, 12.

XV. Ave, amoenissimus et rationalis Dei paradi-  
sus, benevolentissima et omnipotenti ejusdem  
dextera hodie ad orientem <sup>27</sup> plantatus, et ipsi  
suaveolens lilyum, et rosam immarecessibilem ger-  
minans in eorum medelam, qui pestiferam animæ-  
que exitialem amaritudinem mortis ad occiden-  
tem ebiberant; paradisus, in quo ad veritatis agnitionem  
lignum vivisicum efflorescit, e quo qui gu-  
staverint, immortalitatem consequuntur.

Ave, sacrosante ædificatum, et immaculatum,  
purissimumque Dei, summi Regis, palatum, ejus-  
dem (Dei Regis) magnificentia circumornatum,  
omnesque hospitio recipiens ac mysticis reficiens  
deliciis; quod nunc in aula Domini, in sancto  
nempe illius templo, fundaris; in quo non manu-  
factus, et vario decore nitens, situs est spiritualis  
sponsi thalamus; in quo Verbum, errantem (hu-  
manam stirpem) revocare volens, carnem sibi de-  
sponsavit, ut eos qui voluntate propria extores  
facti fuerant, (Patri) reconciliaret.

XVI. Ave, nova Sion, et divina Jerusalem, et ma-  
gna Regis Dei civitas, in cuius domibus Deus ipse  
cognoscitur <sup>28</sup>, et per quam medius pertransit,  
intactam te servans, commovens gentes, et incli-  
nans reges ad adorandam gloriam tuam, et uni-  
versum mundum compellans ad celebrandam cum  
exsultatione Præsentationis tuæ festivitatem; quæ  
vere auriforme et resplendens, et septies decorum et  
septem luminibus ardens es candelabrum, ab inoc-  
cidua luce lucem recipiens, innocentiae autem oleo  
enutritum, atque illis qui in tenebris ex peccato-  
rum caligine cæcutiunt, lucis ortum certo spondens.

Ave, Dei mons præpinguis <sup>29</sup> et umbrosus: in  
quo enutritus rationalis Agnus peccata atque infir-  
mitates nostras portavit; mons e quo devolutus  
ille, nulla manu præcisus, lapis <sup>30</sup>, contrivit aras  
idolorum, et factus est in caput anguli, mirabilis  
in oculis nostris <sup>31</sup>.

XVII. Ave, sanctus Dei thronus, divinum dona-  
rium, domus gloriæ, perpurpleum ornamentum,  
et cimelium electum, et totius orbis propitiatorium,  
et columque Dei gloriam enarrans <sup>32</sup>. Oriens ju-  
bar præbens non occiduum; cuius et egressio a  
summo coelo, et a cuius calore, id est providentia  
gubernante, et nemo unquam absconditur <sup>33</sup>.

Ave, quæ nativitate tua solvisti sterilitatis vin-  
cula, et infecunditatis opprobrium dispulisti, ma-  
ledictionem legalem demersisti in profundum, et  
gratiae benedictionem progerminasti, tuoque in San-  
cta sanctorum ingressu cum parentum votum imple-  
visti, tum remissionis a nobis obtinenda jecisti fun-  
damenta, et lætitiae cumulum addidisti, utpote gratiae  
primordia adducens.

XVIII. Ave, Maria, gratia plena, sanctis sanctior,  
et cœlis excelsior, et Cherubim gloriosior, et Sera-

phim honorabilior, et super omnem creaturam ve-  
nerabilior. Ave, columba, quæ gloriose ac splendi-  
do tuo (in templum) ingressu, nobis et fructum  
fers olivæ, et servatorem a spirituali diluvio, ac  
portum salutis annuntias, cuius et pennæ deargentatae  
et posteriora dorsi in paleo auri <sup>34</sup>, sanctissimi  
et illuminantis Spiritus fulgore irradiantur. Ave,  
urna ex puro auro conflatæ, et snavissimam anima-  
rum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet, qui  
manna est, continens.

XIX. Sed, o purissima et omni laude et obsequio  
dignissima, ac Deo dicatum donarium, omni crea-  
tarum conditioni præcellens, terra non secta, inara-  
tus ager, vitis floridissima, poculum maxime exhibila-  
rans, fons aquas effundens, Virgo generans et Ma-  
ter viri nescia, innocentiae thesaurus absconditus,  
et sanctimoniae decus; acceptissimis tuis ac ma-  
terna auctoritate validis precibus ad Dominum ac  
Deum omnium conditorem, Filium tuum, ex te sine  
patre genitum, ecclesiastici ordinis gubernacula  
fac dirigas, et ad portum tranquillum, a fluctibus  
scilicet hæreseon scandalorumque securum, perdu-  
cas. Sacerdotes justitia, et probatæ, immaculatæ ac  
sinceræ fidei exsultatione splendidissime induito <sup>35</sup>.  
Orthodoxis imperatoribus, qui præ omni purpure  
aut auri splendore, et præ margaritis ac lapidibus  
pretiosis, te nacti sunt diadema et indumentum ac  
firmissimum regni sui ornamentum, in tranquillo  
ac prospero statu sceptra dirige. Malefidas natio-  
nes barbaras, in te ac Deum ex te genitum blas-  
phemantes, eorum pedibus sternens subjicio.  
Exercitui, qui tuis semper innititur auxiliis, tem-  
pore belli adjutrix esto; subjectumque populum,  
ut secundum Dei præceptum in suavi obedientiæ  
obsequio perseveret, confirmato. Tuam hanc civi-  
tatem, quæ te tanquam turrim ac fundamentum  
habet, victoriae triumphis coronato, et fortitudine  
circumcingens custodito, Dei habitationem, templi  
decorem semper conservato; laudatores tuos ab  
omni discrimine et animi angore exime: capti-  
vis redēptionem tribuito: peregrinis, tecto et quovis  
præsidio destitutis, solamen te exhibe. Universo  
mundo auxiliatricem manum tuam porrige, ut in  
lætitia et exsultatione solemnitates tuas simul cum  
ista, quam modo celebramus, festivitate splendi-  
dissimo exitu transigamus, in Christo Jesu uni-  
versorum Rege ac vero Deo nostro, cui gloria et  
fortitudo, una cum sancto vitæque principio Patre et  
coeterno et consubstantiali et conregnante Spiritu,  
nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

## II.

*Sancti Patris nostri Germani, archiepiscopi Con-  
stantinopolitanæ, Encomium in sanctam Deipar-  
am: quando triennis præsentata est in templo, ac  
in Sancta sanctorum a suis parentibus illata.*

Ecce alias quoque celebris conventus, ac Matris

<sup>27</sup> Gen. ii, 8 sec. LXX. <sup>28</sup> Psal. xlvi, 3, 4. <sup>29</sup> ibid. 17. <sup>30</sup> Dan. ii, 34. <sup>31</sup> Psal. cxvii, 22, 23.  
<sup>29</sup> Psal. xviii, 1. <sup>32</sup> ibid. 6, 7. <sup>33</sup> Psal. lxvii, 15. <sup>34</sup> Psal. cxxxi, 9.

Domini lœta festivitas; ecce irreprehensæ sponsæ processio; ecce quo primuni Regna deducitur comitatu; ecce signum certissimum futuræ ipsius gloriæ; ecce clarissima divinæ gratiæ ipsam obumbratæ primordia; ecce eminentis ejus puritatis splendidissimum specimen. Ubi enim non sœpe, sed semel duntaxat quot annis sacerdos ingrediens, mysticum cultum exhibebat: illie ea, in saeculis gratiæ penetralibus assidue versatura, offeratur. Quis tale quid unquam cognovit? Quis vidit, vel audivit, nostra, majorumve ætate, feminam, in interioribus sanctorum Sanctis oblataam esse; ac quibus vix accessus viris concessus esset, iis illam habitare, ac enutrir? Nonne manifestum hoc argumentum, rerum maximarum, novarumque postea in ipsa designandarum? Nonne apertissimum signum? Nonne indicium sese ultro prodens?

Ostendant nobis qui contra ipsam lingas suas movent, videntque tanquam non videntes, ubi tale quid unquam viderint? Nimirum, puellam ex voto, eamque tricennem intra tertium templi velum, tanquam donum, omni reprehensione vacans, oblataam, illie assidue habitaturam; quamque divites plebis deprecentur, ac virgines solemnè pompa deducant; quam cum facibus ardentibus præmittant, sacerdotesque ac prophetæ supinis manibus suscipiant? Quomodo ergo noluerint intelligere? Quomodo videntes prima, postremis fidem non habuere? Quomodo, cum nova hæc miraque antea iam in ea conspexissent, iis quæ postea successerunt contradixere? Neque enim nequidquam aut fortuito prima hæc ei acciderunt, sed omnia velut exordium posteriorum fuerunt. Alioqui dicant nobis, qui apud se frustra sapientes sunt, quam obrem, etsi etiam aliae pepererunt steriles, nullius tamen puella in Sanctis sanctorum fuerit unquam oblata, atque a prophetis suscepta? Non qui hæc talia ac tanta in ipsa tunc contemplabantur, merito dicere potuerunt, quod postea alii ejusdem cum ipsis sententiæ, de filio illius protulere: «Quis putas puer iste erit?» Plane.

Sed illi quidem alienam opinionem secuti, perditionis semitam insistant, atque in barathrum quod ipsi sibi effoderunt, incident: nos autem peculiaris Dei populus, sacerdotes pariter atque principes, sæculares ac monachi, servi ac liberi, opifices ac agricultæ, plantarum satores ac pescatores, juvenes ac senes, viri ac mulieres, venite; alacriter ad Deiparam accedamus, inque ea designata provide divina sacramenta inspectemus: quomodo, inquam, sacratissima Virgo a suis hodie parentibus per sacerdotes in templo præsentetur, quomodo animatum Domini templum, in templo inanimi collocetur, quomodo propheta suis ipse manibus eam suscipiat, ac sacris penetralibus inferat, nihil indignatus, neque ejus parentibus dicens nolle se totius hanc rem novitatis præstare, ac

puellam in Sancta sanctorum introducere, ut in illis assidue commoretur, atque inhabitet, ubi ipse semel tantum in anno jussus esset intrare. Nihil, inquam, tale propheta locutus est; sed velut prævidens quod futurum erat, quippe qui propheta esset: omnino exspectans eam, præstolansque, sicut post eum, Symeon ejusdem Filium, tota eam suscepit alacritate.

Tum amplexatus, in hæc forte verba matrem alloquitur, in manibus puellam tenens: Unde tibi genus, o mulier? Qui mores tui, quisve scopus hujus tui facti? cumque simile exemplum, quod sequi possis, non habeas, quomodo ipsa sola, primaque novum hoc ac inauditum facinus aggressa es? Tunc puellam in sacra penetralia, eorum communicaturam religionem inferas? Quid spectas? Quid animo propositum est? eloquere. Ego, inquit Anna prophetæ (illa nomen a gratia habens), sacerdotali prosapia orta sum, ex tribu Aaronitica, prophetica stirpe atque regia. Nam Davidis ac Salomonis, reliquorumque deinceps ramus exsiste: sed et cognata sum Elisabeth conjugis tuæ. Postquam autem deinde, ex Dominicæ præscripto legis, viro conjuncta fuisse, inventa sum sterilis, mansique multum tempus sine prole. Nullum itaque calamitatis meæ remedium inveniens, ad solum rerum omnium potentem, quique rebus etiam difficillimis, viam nobis rationemque ostendit, Denim confugi: atque os meum enixe ad eum aperiens, cum gemitu cordis ac lacrymis clamavi, in hæc verba dicens: «O Domine, Domine, qui mœstas ac dolore oppressas animas celerrime exaudis, cur me a majorum meorum natura discrepare voluisti? Cur me parabolam fabulamque in familia mea posuisti, ac commotionem capit is in tribu mea? Cur me tuorum prophetarum execrationibus obnoxiam ostendisti, dando uterum sterilem, acarentia ubera? Cur mea velut sterilis munera non accepta fecisti? Cur me notis subsannationem, subditisque derisum, ac probrum vicinis fieri reliquisti? Respice, Domine: exaudi, Domine: miserere, Sancte. Fac me similem volatilibus cœli, bestiis terræ, piscibus maris: nam et illa gignendi vim habent coram te, o Domine. Ne, Altissime, brutis ipsis animantibus deterior appareat, quam creasti ad imaginem tuam, ac similitudinem?»

Hæc dicens, ac iis similia, adjeci: «Tibi, Domine, gratitudinis ergo omnino donum voveo oblaturam, quam mihi dederis prolem, ut maneat in sanctuario tuo, tanquam sacrum donarium, munusque pretiosissimum, abs te mihi, perfectorum datore liberalissimo donorum, concessum.»

Hæc ego in horto meo sub dio oculis in cœlum defixa, manibus autem pectus tundens, ad Deum, qui in cœlis est, clamabam. Condux autem meus, solus omnino in monte agens, ac quadraginta ieiunans dies, similia Deum comprecabatur: atque

<sup>25</sup> Luc. 1, 66. Id in Joannem dictum. <sup>26</sup> Anne oratio ex Jacobi Apocrypho.

ita tandem clemens Dominus, ac ad miserandum promptus, amborum inflexus precibus, angelum suum misit, qui nobis hujuscemodi filiae concepcionem annuntiaret. Statim ergo, jubente Deo, natura fetus suscepit: neque enim ante gratiam divinam ausa erat suscipere. Verum cum illa prior ingressa esset, matrix hactenus clausa portas suas aperuit, susceptumque a Deo pignus apud se retinuit, donec, ejusdem voluntate, quod conceptum erat in lucem prodiit.

Idcirco igitur, ablactata jam puella, « Vota mea reddo Deo, quae distinxerunt labia mea; osque meum locutum est in tribulatione mea<sup>37</sup>. » Propter ea etiam virginum agmen cum facibus coegi, sacerdotes convocavi; congregavi cognatos, in haec verba universos alloquens: Congratulamini mihi omnes, quia hodie mater pariter, offerensque effecta sui; non ut terreno regi filiam offeram (nec enim deceat), sed ut Regi celesti, tanquam ejus munus ac donarium sistam. Jam ergo accipe, propheta, Dei mihi munere concessam filiam, atque inducens, planta in monte sanctificationis<sup>38</sup>, in praeparato habitaculo Dei<sup>39</sup>; nihil anxie inquirens, donec ei, qui illam huc vocavit, visum fuerit finem accipere quae ad ipsam spectant.

His Zacharias sermonibus auditis, statim Annae respondit: Benedicta radix tua, summe veneranda; glorus uter tuus, viro amata; prægloriosa tua oblatio, Deo dilecta. Tum puellam summo gudio tenens, in Sancta eam sanctorum alacriter infert, haec fortean ad ipsam dicens: Ades dum, meæ plenitudo prophetiæ; huc ades, Domini ordinationum perfectio, ades, obsignatio ejus testamenti; ades, ipsius consiliorum finis; ades, declaratio ejus sacramentorum; ades, universorum speculum prophetarum; ades, collectio male dissidentium; ades, conjunctrix olim dissidentium; ades, firmamentum in terram nutantium; ades, instauratio jam veteratorum; ades, splendor in tenebris jacentium; ades, novum maxime ac divinum donarium; ades, Domina terrigenarum omnium; ingredere in Domini tui gloriam; hactenus quidem in eam quae in terris est, ac calcari potest; paulo autem post, in supernam illam, ac hominibus inaccessam.

Atque ita merito sacerdos puellam allocutus, eam intus depositus loco congruo, ac quo præfinitum erat. At illa exultans, gestiensque, tanquam in thalamo, ita in templo Dei gradiebatur: triennis quidem, ut ætatem species; ut autem gratiam, summe perfecta ac consummata, tanquam universorum Deo ac moderatori præscita, prædestinataque, atque electa.

Mansit autem in Sanctorum penitissimis penitentialibus, ambrosiis dapibus ab angelo nutrita, ac sacro potata nectare, ad alteram usque ætatem;

tumque Dei nutu, ac consilio sacerdotum datur sors super eam, Josephque vir justus sorte victor exit, ac sacram hanc Virginem divina dispensatione a Dei templo, ipsiusque sacerdotibus accipit ad serpentem illum malorum auctorem decipendun; ne tanquam puellam adhuc integrum eam adoriretur, sed tanquam desponsatam præteriret. Fuit igitur castissima Virgo in domo Joseph fabri, summo illi universorum fabro ac conditori Deo servata, quousque sacramentum illud divinum, ante sæcula omnia absconditum, in ea perficeretur, atque ex illa Deus mortalibus similis efficeretur. Cæterum id alterius operis ac temporis est ad hoc opportuni: nobis autem nunc sermo ad id quod propositum est revertatur, diemque solemnis hujus deductionis in præsentiarum prosequamur.

Abi igitur, Deipara Domina, abi in tuam hæreditatem; incede in atrii Domini exultans ac gaudens; alta illic, ac virens, sancti in te Spiritus quotidie adventum exspectans, ac Altissimi obumbrantem virtutem, tuique Filii conceptionem, uti tibi Gabriel acclamaturus est: atque iis qui tuam celebrant festivitatem, tuum impende auxilium, ac protectionem, tutamenque: tuis semper intercessionibus, ab omni eos libera necessitate ac periculis; gravibusque morbis, ac omnis generis calamitatibus, futuraque justa tui Filii comminatione. Colloca vero ut Domini mater in voluptatis loco, ubi lumen ac pax, summaque desiderabilium impertitio: « Fiantque muta labia dolosa, quæ loquuntur adversum te justam, iniquitatem in superbia, et contemptu<sup>40</sup>: » ad nihilum redigatur eorum imago in tua civitate<sup>41</sup>: confundantur, et deficiant, pereantque, ac sciant quia nomen tibi Domina<sup>42</sup>. Tu enim sola Dei Genitrix, altissima super omnem terram: nos vero te, divina Sponsa, sicut benedicimus, desiderioque honoramus, ac timore adoramus, semper te exaltantes, ac veneratione beatam prædicantes. Beatus quippe revera e viris pater tuus, et beata ex mulieribus mater tua, beata domus tua, beati noti tui, beati qui te viderunt, beati qui tua usi sunt consuetudine, beati qui tibi ministrarunt; beata loca quæ calcasti; beatum templum in quo oblata fuisti; beatus Zacharias, qui te ulnis exceptit; beatus Joseph, qui te sibi despondit; beatus lectus tuus, beatum sepulcrum tuum! Tu enim summus honor es, sunnum præmium, ac summa celsitudo.

Sed, o Domina, sola tu mecum ex Deo solatium: divinus ros in me existentis æstus: exarescentis cordis mei divinitus affluentis guttae, tenebricosæ animæ meæ splendidissima lampas, itineris mei deductio, meæ debilitatis virtus, nuditatis meæ vestimentum, mendicitatis meæ divitiae, insanabilium vulnerum meorum medicina, lacrymarum

<sup>37</sup> Psal. LXV, 14. <sup>38</sup> Psal. LXXVII, 54. <sup>39</sup> Psal. XXXII, 14. <sup>40</sup> Psal. XXX, 19. <sup>41</sup> Psal. LXXXII, 20.  
<sup>42</sup> Psal. LXXXII, 18, 19.

mearum extinctio, gemituum meorum cessatio, calamitatum depulsio, dolorum levatio, vinculum solutio, meæ spes salutis, exaudi preces meas; miserere meorum gemituum, ac suscipe lamenta mea. Misericordia mei; meis tu inclinata lacrymis, misericordiae in me visceribus, tanquam benigni Dei, ac clementis parens inflectere. Aspice, atque annue supplicationi meæ; imple animæ meæ sitibundum desiderium; meque meæ cognatæ atque conservæ in mansuetorum terra, in tabernaculis justorum in sanctorum regione coniunge: tuque universorum patrocinium, gaudiumque, ac leta jucunditas, dignare, quæso, simul me cum ea lætari, in gaudio illo vere ineffabili, nati ex te Dei ac Regis, thalamoque ejus incorrupto, ac deliciis perpetuis, nullaque satietate oblectantibus; inque ipsius regno occasum nesciente, ac interminabili. Ita Domina mea, ita meum refugium; vita ac auxilium meum, armatura ac gloriatio, spes mea, ac robur meum. Da mihi una cum illa perfrui inenarrabilibus ac incomprehensis Filii tui donis in cœlesti illa mansione. Habes enim, novi, parem cum voluntate facultatem tanquam Altissimi parens: quam etiam ob reni audeo atque confido. Ne ergo mea frauder exspectatione, purissima Domina: sed ejus compos efficiar, o Dei Sponsa, quæ altiori supra rationem ratione, universorum exspectationem pèperisti, Dominum nostrum Iesum Christum, verum illum Deum ac Dominum: quem decet omnis gloria, honor, adoratio, cum aeterno Patre, ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

## III.

*Eiusdem in sanctissimæ Dei Genitricis Annuntiationem.*

Venerandæ hujus regalisque collectæ, lucidam ac prægloriosam memoriam, populi, tribus, ac lingue, omnisque hominum status ac dignitas, neconon festi amans conserta multitudine collectus amplissimus hic cœtus, ac peculiaris populus, exultabundo nunc animo spiritualiter celebremus: augustaque, ac plena majestate cantica, ortæ Davidico stemmate Reginæ, omni diligentia contexamus, ac vernam solemnitatem solemnitatem, festamque maxime lucem spei nostræ, in insigni die solemnitatis nostræ, constituamus. Vere namque hodie spiritales Virtutes de cœlo prospexerunt, ac nobiscum terrigenis..... in qua animata honorabilisque, ac regia civitas, munita semper honestatur.

Ave, gratia plena, urna manna habens tota aurea, tabernaculumque purpuræ revera opere, quod novus ille Beseleel, auro intextum variumque effixit. Ave, gratia plena, undique rutilans nubes Dei baula, fonsque perennis universis aquas ef-

fluens. Ave, gratia plena, thronus ille excelsus et elevatus universorum Creatoris ac Redemptoris, manusque omnibus complectentis atque soventis, tum quæ in cœlo, tum quæ in terra. Ave, gratia plena, aëmatum templum magnificæ gloriæ ejus, qui nostræ salutis causa homo factus est, ac induit carnem. Ave, gratia plena vitam ferens, eumque alens, qui alit: ac ei lac potum præbens, qui olim e petra mellis fontes eduxit. Ave, gratia plena, mons Dei, mons pinguis, mons umbrose, mons non caepe: mons in oculis omnium posite. Ave, gratia plena, exsultatio animæ, mundique universi summe decora veneratio: omnium peccatorum mediatrix vere bona. Ave, gratia plena, afflitorum janua, teque sincero corde Dei Genitricem consitentium protectio tremenda. Ave, gratia plena, quæ benignum Domini num, inque humanum propensiorem genus, pro humani generis communi salute pèperisti. Ave, gratia plena, Christianorum omnium mirabile, ac quod facile afficiatur refugium, omnique magnifica specie sublimius spectaculum. Verum hæc quidem nos exilissimi, ex Scriptura divinitus inspirata edociti, indignis labiis ad cœlestem Spousam, Reginamque, ac Dei Genitricem sumus prolocuti: nunc autem, desideratissimi, superest ut ad diuinam archangeli Gabrielis salutationem veniamus, ac audiamus quid omni carentem reprehensione adiens, faustæ afferret annuntiationis.

*Angelus.* Audi, gloriosa: arcenos Altissimi sermones percipe: « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum<sup>43</sup>. » Te jam, ut advenientem suscipias, accinge; veni enim ut tibi annuntiarem quæ sunt abscondita ante mundi constitutionem.

*Deipara.* Abi ab urbe ac patria mea; o homo, abi, citoque meum domicilium relinque. Procul a meis vestibus aufuge, qui mihi loqueris, nolique eusmodi nuntium meæ perfere humilitati.

*Angelus.* Antiquum consilium implere volens, ac hominis errore decepti misereri, qui clemens ac misericors est, clementi bonitate fieri homo dignatus est. Quid ergo jam tu, gratia plena, meam non recipis salutationem?

*Deipara.* Video tuam, adolescens, omnium colorum gratiis speciosæ formæ tuæ venustam speciem, ac figuræ radiantem aspectum: audioque ex te sermones quos nunquam audivi; subitque suspicio, ut ne ad decipiendum advenieris.

*Angelus.* Scias palam, animoque persuasum habeas me magis te obstupuisse, eum tuam diuinæ effusam gratiis pulchritudinem spectarem: ac te jam videns, mei Domini gloriam mihi video aspectare.

*Deipara.* Linguam, quam non neveram, audivi: vidi faciem, quam nunquam videram; cur ergo tota prorsus contremiscens non obstupescam; quæ

<sup>43</sup> LUC. 1, 31.

nimirum justum habeam sponsum , nec omnino cum extraneo sermones miscere consueverim?

*Angelus.* Suscipe nuntii gaudium dignum auditu , ac tibi congruentissimam laudationem : qui enim ex te nasciturus est, Filius Altissimi vocabitur <sup>44</sup> : tuusque idem sanctificate Filius, exsuperanti bonitatem portabitur.

*Deipara.* Tineo tremoque tuos ejusmodi sermones; ac existimo venisse ut me tanquam Eram aliam decipias. At ego nihil Evæ illi similis sum. Cur vero etiam pueram salutas , quam nunquam videris?

*Angelus.* Evangelizo tibi gaudii nuntium ; evangelizo partum cogitat majorem ; evangelizo excelsi Regis inenarrabilem adventum. Forte vero etiam, quam purpuram tenes , regiam præsignat dignitatem.

*Deipara.* Ex quo mihi hæc annuntias , nec annuntiare desiris , dicam tibi jam , non habere me fidem ejusmodi tuo nuntio. Venisti enim ut virginale meum decus extingueres , meoque sponso molestiam faceres.

*Angelus.* Zacharias propheta , ac tuæ cognata Elisabeth charissimus conjux , certam te a tua reddet incredulitate. Ad eam ergo vade, ut ex illo neveris quæ illi accidere.

*Deipara.* Par summe ingenuum, ac reprehensio ne carens, Joachim et Anna parentes mei existunt: qui ergo eorum ego germen, culpæ maculam asciscam? Quis videat, ac certam faciat fidem, nihil Mariam lascive egisse?

*Angelus.* Cum mei sermones suo tempore consummati fuerint, tunc mysterii incomprehensibilis virtutem intelliges: tunc meorum verborum eventum scies.

*Deipara.* Quæ ex domo et familia David genus ducam, quomodo horrendis ejusmodi, ac cœlestibus sacramentis inservire habeam? ac quomodo Jesum illum sanctum, qui sedet super Cherubim, suscipere valeam?

*Angelus.* Thronus Dei bajulus, regalisque cœlestis Regis sella appellaberis; quod Regina ac Domina, regisque terreni filia, regiaque specie, ac maiestate prædicta sis.

*Deipara.* Qua ego ratione thronus efficiar Altissimi, tu mihi expone , qui me alloqueris , quo modo intrectabile illud sole splendidius lumen , caro lutea contrectatura sit. Quæ , adolescens , nuntia prædictas, impossibilia existunt.

*Angelus.* Quorsum, quamobremque, ac qua gratia, meo tandiu nuntio incredula fuisti, o gloria? ac quandiu non morem geres angelo ad te de cœlo missio? Nec enim ego sum qui Eram decepi.

*Deipara.* Vidi tuam multa specie venustam faciem; verba tua, multa plena admiratione,

audiui, qualia nemo audivit unquam: quocirca non possum nuntium ejusmodi suscipere.

*Angelus.* Quanquam te mea percellit forma; novi tamen fore, ut verba oris mei , tibi gaudii causa futura sint: teque deinceps beatam dicent cœlum et terra.

*Deipara.* Quomodo sciā consummāda esse quæ mihi dicis, quæ sim virgo nesciens thalamum, ac carnalis voluptatis dedecore caream? Sum namque ancilla Domini, qui creavit me.

*Angelus.* Dicam tibi aperte, fore ut etiam Elizabeth cognata tua per hoc tempus filium pariat in senectute sua: multique gaudeant, ac admirentur in ejus nativitate: vocabitur enim nomen ejus Joaines.

*Deipara.* Acceptis a me muneribus, discede a me, qui me alloqueris: sive namque angelus es, sive homo, haud revera scio. Habitu angelum video, aspectuque hominem considero.

*Angelus.* Nunquid vero cum in Sanctis sanctorum esses, non vidisti me, o benedicta? Plane vidisti, exque ignea mea manu cibum accepisti. Ego enim sum Gabriel, qui semper assisto in conspectu gloriæ Dei.

*Deipara.* Sponsus habeo castum, sanctumque, ac justum, fabrilem doctum artem: eumque timeo, ut ne tecum, qui extraneus sis, inveniat miscentem sermones, atque id maxime sine arbitris.

*Angelus.* Nunc cœpi dicere: Plenus sum æternorum verborum; dicam deinceps: Dominus ex te nasciturus est, Rex ille regum, et regnabitque super domum Jacob, et regni ejus non erit finis <sup>45</sup>.

*Deipara.* Nunc anima mea turbata est, nec scio quid terribilem hanc reputem visionem. Puto enim vera fore tua verba; ac Joseph me traditum in eorum manus, qui hæc judicant.

*Angelus.* Novum videtur, ac stupore dignum, o gloria, quod me adhuc, a tantis celsitudibus ad te nuntium, habeas suspectum; me enim magis, ut Dei futuram Matrem te revereri oportet, regiamque tuam horrere ac stupere dignitatem.

*Deipara.* Sunt ergo nova, ac plena stupore, quæ nuntias: adventusque tuus, sermones tuos prodit ac mores. Venisti enim in meas ædicas, ac adiisti, cum nihil præmonuisses: ut ancillam forte reputans, non ut dominam.

*Angelus.* Tota prorsus munda, omniq[ue] carens reprehensione, miror ut tandem meis verbis incredula sis, o gratia plena. En Rex gloriæ, ut puto, adhuc loquente me, in te regina inhabitatavit.

*Deipara.* Qui viri experti virginem salutas,

<sup>44</sup> Luc. i, 55. <sup>45</sup> ibid. 32.

taliaque verba innuptæ puellæ ingeris, omnino nō sti quid res habeat: quando nimurum, ac unde, et c̄ quomodo mihi jam erit istud, quoniam virum non cognosco<sup>46</sup>?

*Angelus.* Et Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum<sup>47</sup>.

*Deipara.* Venisti de cœlo sacramentum allaturus multis dubiis implicatum, ac Spiritus sancti mihi pollicens adventum: c̄nī vero non magis huic tuæ r̄c̄væ annuntiationi fidem abnegem; cedo tu, qui me alloqueris?

*Angelus.* Abjice, Virgo, mentem incredulam; jam enim, ut puto, consummati sunt sermones mei, tuusque uterus tumorem portat; ac nisi per te steterit, c̄ non erit impossibile apud Deum omne verbum<sup>48</sup>.

*Deipara.* Germen sum Davidica radice ortum, timeoque ne quomodo mihi quoque alieni cubilis inexspectatum superveniat opprobrium: meque jam sacerdotis sancta lamina prodat.

*Angelus.* Salvatorem Dominum enixura es, ac unum Trinitatis vivificæ; erisque mundo gaudii causa ineffabilis; qualis utique, nullus angelus vel homo auctor unquam fuit: et erit nomen tuum Benedictum.

*Deipara.* Dic, quæso, juvenis, quomodo Salvatorem, ut dicis, enixura sim. Plane in stuporem vertunt, intellectrices pariter angelicas virtutes, archangelorumque, ac multis oculis præditorum flammeos ordinum principatus, quæ fausta annuntias.

*Angelus.* Oblectamentum, ac plane dulcedo sunt, quæ loqueris, o gloria: quamobrem etiam tibi dicam: nou ex voluntate carnis, sed ex voluntate divina, ac adventu Spiritus sancti erit tuus partus.

*Deipara.* Quis Josephum certiore faciet, non ex viri me voluntate, sed ex Spiritus sancti illapsu concepisse? siquidem a sæculo inauditus est, virginem innuptam peperisse.

*Angelus.* Sub tuæ misericordiæ viscera humanum omnium confugiet genus; luteaque omnis lingua beatam te dicet; ac nomen tuum in omni generatione et generatione celebrabitur; quod per te Dominus, lumen illud mundi, sit nasciturus.

*Deipara.* Qualis ego ac quanta exsisto; cumque ex terra ortum habeam, quomodo fiet ut universum humanum genus ad me confugiat? ac quomodo Christum mundi lumen ulnis complectar? quomodo autem Sol ille occasum nesciens, ab spiritali Luna portandus est?

*Angelus.* Serenum lætumque assume vultum, o gloria; fies namque cœlum, ac templum Dei capax, tabernaculumque Dei animatum, septem firma-

mentis capacius pariter, sublimiusque ac mirabilis.

*Deipara.* Horreo novi mei partus inusitatæ encænia: timeo autem etiam Josephum, nec scio quid jam mihi eveniet. Operæ ergo mihi pretium est, ut in domum Zachariæ ad cognatam meam vadam.

*Angelus.* Christianorum omnium officieris commune propitiatorium: ideoque rursum congruentib⁹ acclamo vocem: « Gratia plena: Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui<sup>49</sup>. »

*Deipara.* Quæ regiam feram speciem, fuerimque nutrita in meæ regia Bethleem, ac in Sanctis a puerò sine crimine, honesteque vixerim, simque hactenus virgo, quomodo mater audiam me filii?

*Angelus.* Scrutatus diligenter Altissimus mundum universum, nec similem tui matrem inveniens, omnino ut voluit, ut beneplacitum fuit, ex te sanctificata, pro illo sno in humanum genus propensiore affectu, homo fiet.

*Deipara.* Psallens Dominum laudabo, c̄ eo quod respexerit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim amido beatam me dicent omnes generationes<sup>50</sup>: populusque nationum jugiter laudabit me.

*Angelus.* O Virgo, cœlestis causa gaudii: delectabile admirandumque domicilium, ac mundi universi propitiatorium; sola vere in mulieribus benedicta, ad mysticum jam secretioremque Christi adventum præparare.

*Deipara.* O juvenis, cœlestis paronymphe gaudii; qui ex incorporeis ac beatis spiritibus venisti, ac cum luto fabularis; quandiu te feram?<sup>51</sup> quandiu vero non hos sermones desines loqui? « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum<sup>52</sup>. »

Atque hæc quidem omni digna laude, ac beata Virgo, seu his quoque mystica magis atque congrua disserebat. Verum, si libet, desideratissimi, etiam audiamus quid ad eam Joseph ille justus loqueretur.

*Joseph.* Immaculatam accepi te e domo Domini, teque virginem impollutam domi reliqui: quid hoc ergo quod nunc video, matrem inexspectato, non virginem? dic, Maria; mihi cito quid res habeat, edicito.

*Deipara.* Immaculatam, ut ais, me domi reliquisti; rursumque, puto, impollutam me invenisti: quippe quæ ab infantia oderim tunicam carnis sordibus inquinatam, ac in qua vestigium ullum turpis libidinis sit.

*Joseph.* Time, Maria, tribunal judicis, severum, inquam, illud concilium, Judæorum nimurum Synagogæ, quod decipi nequit, judicium, milique palam edicito; ne me celaveris quæ sunt evenitura.

<sup>46</sup> Luc. 1, 34. <sup>47</sup> ibid. 35. <sup>48</sup> ibid. 36. <sup>49</sup> ibid. 28. <sup>50</sup> ibid. 48. <sup>51</sup> ibid. 38.

*Deipara.* Tribunal ac judicium incomparabile futuri ævi, o Joseph, time, ubi ipsi quoque trement angeli, qui nunquam peccavere : de terreno autem rege ac tribunali nulla tibi sit ratio.

*Joseph.* Scriptum est in lege Moysi hoc modo : « Si quis invenerit virginem, et vim faciens concubuerit cum illa, dabit homo ille patri puellæ quinquaginta didrachmata <sup>82</sup>. » Quid ergo ad hæc facies ?

*Deipara.* Scriptum est in prophetis : « Dabitur signatus liber viro scienti litteras, et dicet : Non possum illum legere <sup>83</sup> : » certe enim, ut puto, propheta hæc de te dicta fuit.

*Joseph.* Prode, Maria, mædomus insidiatorem produc in medium eum, qui stuprum fecit, ut fabrili gladio ejus auferam caput, eo quod ille meos probro afficerit canos, sitque futurum, ut me deinceps duodecim tribus Israel subsannent.

*Deipara.* Justus es, ac sine crimine, ac verisimile puto, ut Deus meus tibi revelet quæ mihi eventura sunt, ipsumque in somnis ostendat, quem insidiatorem dicas. Ego enim non consuevi ad illius celsitatem provehi.

*Joseph.* Citius excede domo, atque ad novum amatorem abi. Amodo non alam : non comedes mensæ meæ panem, eo quod tristitiam probrumque, loco gaudii, canis meis intuleris.

*Deipara.* Modicum, o Josephi, exspecta, nec me occule a domo tua anandaveris ; eo quod non moris sit peregre diversari, nec sciam neque ad dexteram, neque ad sinistram : « nec plane noverim quo jam eam, aut ad quem confugiem.

*Joseph.* Quæ vitæ ac mortis media posita sis, mihi, Maria, edictio quid res habeat. Quisnam ille sit, qui me est deprædatus. Declara milii eum, qui tecum est congressus. Expone cujusnam ille exsistat dignitatis : dic qua sit ortus civitate, ut eo me conferens, hominem ad nihilum redigam.

*Deipara.* Vivit Dominus, quia munda sum, et virum non cognosco : qui enim nihil apparui, angelus Domini, ut quidem arbitror, hominis habitu fuit : ac reverenter modesteque velut ab spatio aliquo exsurgens, stansque, sic meam submissæ allocutus est humilitatem.

*Joseph.* Veniet super te, quin et super me sene violatarum nuptiarum crimen, inexspectataque spretio ab iis qui hæc judicant : ambosque deinceps coarguet, tametsi nolimus, redargutionis aqua.

*Deipara.* Audisti etiam Elisabeth Zachariæ conjugem, ac cognatam meam, circiter tempus hoc, præter spem prophetam concepisse, ac Praecursorem. Nisi enim esset propheta, haudquaquam exultando, Dominum in me absconditum adoraret.

*Joseph.* Miror de te, ac venementer stupeo; scieque late nomen tuum filiis Israel celebratum esse : ac Adonai Dominus ad nihilum me rediget, quod a Spiritu sancto, exque sacro domicilio ad custodiam te accipiens, virginem non servaverim.

*Deipara.* Tribulationis me dies comprehendit, exque suspicione mihi est impactum crimen, urgetque sponsi inquisitio, ac accusat, quam prolem in utero gesto ; quique angelus mihi dixit : Ave, forte absconditus es ; nec jam scio quid cogitem.

*Joseph.* Vidi tuum uteri prius sanctificati partum, totusque omnino contremui. Nam, rogo, quo te loca occultabo, ac ubi te prodam ? quave ratione Lundæorum concilium latere quibo ? Abi ergo a domo mea; cito abi.

*Deipara.* Ecce pellis me, Joseph, a tua domo, nec seio jam quo pergam. Revertar in domum sacri sanctuarii, an ad parentes redeam ? At qua facie in eos aspiciam ?

*Joseph.* Quanquam taceam ego tuum peccatum, at lapides clamabunt : Sanctaque sanctorum exerta contestabuntur voce, quod te ad custodiam a delecto ejus accepereim sacerdote, nec virginem tamea servaverim.

*Deipara.* Occultabo me deinceps in una aliqua spelunca mee Bethleem, ac exspectabo legitimum mei partus tempus, sciamque quisnam ex me nasciturus sit. Fore cuius spero ut Dominus respiciat humilitatem meam.

*Joseph.* Dic mihi palam, quisnam ille peregrinus ac viator fuerit, qui in domum nihil indicando advenit, velut quis explorator, præsertim me absente, ac cum intra muros urbis Nazareth non essem.

*Deipara.* Curi hydriam accepissem ut iremi ad fontem haurire aquam ad potum, ingressa est vox silentio in aures meas dicens : « Ave, gratia plena : Dominus tecum <sup>84</sup>. »

*Joseph.* Num vero ex auditu concepisti ? A sæculo non est auditum, ut virgo viri expers ex sola verborum voce aliquando conceperit : nec patres nostri nobis annuntiarunt, ejusmodi aliquid factum esse in diebus antiquis.

*Deipara.* Nunquid non scriptum est in prophetis : « Quia virgo concipiet in utero, et pariet nobis puerum <sup>85</sup> ? » Num potes dicere prophetas esse mentitos ? jam falleris, o Joseph, nimisque insanis.

*Joseph.* Nunc, Maria, dicam, Evæ te vestigia matris tuæ fuisse secutam. Verum illa quidem paradisi domicilio pulsa fuit, quod susurranti aures aperiuisset : tu autem a domo mea tanquam rea exturbaberis.

*Deipara.* Nunc tanquam alienigena quidam, ac

accusator congressus increpasti ; non quasi reginam aliqueris : clamque e civitate in civitatem persequeris : quid vero deinceps excusaus respondeam ?

*Joseph.* Novitate turbabit partus, ut quidem puto, nedam me, sed et angelos, et homines, nec ii habebunt fidem. Quis unquam audivit virginem puerum peperisse, maxime nulla viri consuetudine ?

*Deipara.* Turbabunt te, scio, verba haec novitate, mentemque tuam mystici partus mirabile sacramentum in stuporem vertet : hanc tamen ego illatæ mihi calamitatis causa sui, quippe quæ ab infantia Domino Creatori meo servire consuevi.

*Joseph.* Nonne tibi dixi, ut mihi eum ostenderes qui domini meæ est insidiatus, teque ipse liberarem ab hoc crimen ? Nonne dixi, ut cito ad amatorem tuum abiex ? Quid ergo deinceps spe præsumis ?

*Deipara.* Non novi liquido quibus ille moretur locis. Nam et ego revera ipsam invenire vellem : gratiis omnibus temperatam libens ejus aspicere pulchritudinem, ac sermones cum eo miscerem ; quippe cum mihi ille Ave dixerit, agamque modo in tristitia.

*Joseph.* Quomodo non inhorrescam, ac facie confundar, quod te virginem e domo Domini accipiens, non te servaverim ? Quomodo autem deinceps offeram Deo meo, ac legalem pro more implebo constitutionem ?

*Deipara.* Crede Dei prophetis ; nec te adeo abundantiori consumas tristitia. Invenies enim haec in eis scripta : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel. »

*Joseph.* Sacerdotalis virga, ut a domo orationis te assumerem ad custodiam, mihi persuasit : teque postea domi bene prorsus compositam, totaque honestate reliqui : quidni ergo, Maria, donèc mea absentia operaque complerentur, exspectasti ?

*Deipara.* Vivit Dominus, alieni sordes tori, ac carnalis labem desiderii ignoro : nisi quod iterum tenens purpuram, angelicam vocem audivi mihi dicentem : « Ne timeas, Maria : invenisti enim gratiam apud Deum ».

*Joseph.* Semel adhuc in domo mea sustine modicum, eo quod professionis tempus Augusti Cæsaris nunc imperantis advenit. Nam et ego, ut meam tu conjugem profitearis vereor, propter Davidicam maxime cognitionem.

*Deipara.* Conservabo ergo sermones tuos in corde meo, adhucque modicum sustinebo in domo tua ; ac exspectabo tempus professionis ac partus diem, donec tributa penderimus Augusto Cæsari; Angusto, inquam, Romani nunc imperii habendas moderanti.

*Joseph.* Forte angelus erat, qui mihi apparuit in

sommis, ac mihi dixit : « Josephi fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Iesum ».

*Deipara.* Forsan, domine mi, ille erat, qui mihi acclamavit, Ave. Ceterum quod superest, speluncam parva, ac quære obstetricem Hebream de gente nostra, servabitque illa mysterium, ac pro more mibi ministrabit.

*Joseph.* Plane is qui mihi apparet, tum locum, tum speluncam subindicabit : tu vero, Maria, pannos præpara. Sive autem propheta, sive rex existat, qui est nasciturus, hoc vero scimus, quia « Nazareus vocabitur ».

*Deipara.* Existimo fore ut rex appelletur, is qui est nasciturus ; scriptum enim est prophetis : « Gande vehementer, filia Sion : prædicta, filia Jerusalem : ecce rex tunc venit tibi justus et salvans ».

*Joseph.* Qui in somnis mihi respondit, ipse nobis posthæc eventura declarabit. Porro etiam Herodem timeo, ne quo forte nuntiante, natum apud nos filium inquirat.

*Deipara.* Apparebit signum in cœlo ; nam scriptum est in prophetis : « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel, et percutiet duces Moab ».

*Joseph.* Falsa heri suspicione deceptus, speciei tui ac pulchritudini impegni crimen ; nunc autem de alto certior effectus excusabo pariter, ac reverenter adorabo tuam magnificientiam, tuumque nomen benedicam. (Desunt aliqua.)

#### IV.

*Sancti Patris nostri Germani archiepiscopi Constantiopolitanus, in omni veneratione prosequendam sanctæ Dei Genitricis Dormitionem, sermo I.*

Qui debitor est, continuis canticis beneficium celebrat. Salvandus cliens, sui salvatoris præsidium non nescit. Qui minus habet, quam ut dignas re ipsa vices referre possit, verborum saltem officio protectorem demererit probat. Quamobrem ipse quoque, o Deipara, quæ supra rationem ac cogitatum, rerum prodigio novarum mirabilia adepta sis, adeo laudare. Tibi utique assumpta fiducia, tuæ illius vocis in exultatione submitto verba. Respic in humilitatem servi tui ; exalta os humili ; desiderioque sitientem laudare te, beata imple honorum tuorum adiectione, ut tuo auxilio animum dirigente, non confundar, o Domina, magnificare te. Tu enim merito dixisti fore ut te omnes hominum ætates beatam dicant : te, inquam, quam nemo condigne magnificare possit ; quæ semper angustam ac præcipitem laudatorum tuorum animi paupertatem,

commiserationis affectu prosepararis. Quid primum dicam; quidve secundo loco enarrandum remittam? Tuæne in carne cum hominibus conversationis laudes celebrem; an migrationis in spiritu qua somno vivis excessisti,<sup>61</sup> gloriam, plausu excipiam? Sunt ambo hæc tremenda: horrendum utrumlibet. Verum sermo quidem enarrandis ceu transitu triumphis tuis positus erit; processu autem hodierni argumenti, præclaræ tuæ ac gloriæ, o Deipara, migrationis canticum inchoaverit. A terrenis migrantem, liquet ascendisse cœlestia; cœterum neque olim eras cœlestium expers, neque migrans excessisti a terrenis, quando etiam sublimiores cœlestibus ordinibus sedes petisti, terrenisque creaturis altior apparuisti. Plane enim, o Deipara, cum cœlos decorasti, tum terram immensum illustrasti. Cœlos quidem, quia mox ut humanum genus fuit conditum, jussi sunt angeli ut eorum vitæ tutores agerent, atque prefecti; quo essent ductores, gubernarentque, atque in immobili fidei in Deum proposito custodirent. Nam, inquit, « Constituit terminos gentium, secundum numerum angelorum Dei<sup>62</sup>. » Et: « Immittet, inquit, angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripet eos<sup>63</sup>. » Cum autem miseri homines, errori tunc ac idolorum cultui vitam agerent, ac victimarum nidore contaminarent aerem, etiam angeli ab humana se spennentes abjunixerunt consuetudine; suumque Deus ab illis vicissim abstulit Spiritum sanctum. At ubi ipsa novissimis temporibus, Verbum illud Dei et Patris, « quod erat in principio<sup>64</sup>, » peperisti; ab eo statim partu, etiam angelorum exercitus e cœlis aspicerunt, laudum canticos celebrantes ex te natum Deum; adjectamque in altissimis gloriam clamantes<sup>65</sup>, pacem in terram advenisse vociferati sunt; ut non amplius nomineatur iniunctitia medii parietis angelos inter ac hominimes, cœlumque et terram: sed consona vitae ratio, unaque mutuo respondens ab angelis ac hominibus glorificatio, uni trinoque ab utrisque Deo offeratur. Sed et Pater, unigeniti Filii sui, corporali ex te sine patre conceptui testimonium perhibens, in ipsum clamat: « Ego hodie genui te<sup>66</sup>. » Rursumque: « Ex utero ante luciferum genui te<sup>67</sup>. » O verba plena theologia! Si quidem enim priusquam ex te matre Virgine nascetur, unigenitus ex Deo Filius erat, quomodo Pater ad eum ait: « Ego hodie genui te? » Utique liquet vocem *hodie*, non divinitatis Unigeniti recentem significare existentiam, sed ejus ad homines astruere corporalem præsentiam ac adventum. Cæterum illud, *genui te*, divinam in Patre Spiritus sancti rationem principii ac coagendi vim substantiale ostendit. Quia enim Spiritus sanctus non est alienus a Patre, ille autem ex Patris beneplacito ac missione, in te habitavit Virgine et Matre, ejus sibi Pater vindicat actionem, ac suam facit. Quamobrem Filii sui cor-

poralem ex te processionem novam molitus Pater cum Spiritu sancto: « Ego hodie, inquit Filio, genui te. » Illud quoque: « Ex utero ante luciferum genui te, » eamdem ingerit fidem, ac veritatem; hoc est: significat cum sæculis anteriorem deitatis in Unigenito certam exploratamque cum Patre coæternam substantiam; tum ejus in carne in finem temporum, ex te semper Virgine, naturalem illam veramque, non apparentia consistentem, humanationem. Quippe uterum lucifero antiquorem nominavit Scriptura, processionem, qua Sol ille sæculis antiquior, idemque terrenus, natus est; quo ostendat, ante creatum omne, vel quod oculis subiectum est, vel quod spiritale oculis non subest, Unigenitum ex Patre sine principio, tanquam Lumen de Lumine, natum esse: ac rursum uteri nomine, tuum designavit ventrem, ut et carnalem ex te Unigeniti adventum significaret. Nam ea vox, *ante luciferum*, noctem illam indicat, antequam diluculum esset. Recte vero diem, *luciferum* vocat; quia enim intempestæ noctis silentio, iis qui sedebant in tenebris, lumen peperisti, *ante luciferum*, ac præmatutinam horam tui partus dixit. « Pastores enim, inquit, erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis. » Ejusmodi est, o Deipara, quæ per te gloria cœlestibus accessit. Si quidem enim iam accesserat, haudquaquam angelii, quod olim glorificatum esset, « Gloria in altissimis » cantico celebrarent, cum ineffabilis tui puerperii tempus advenisset. Quam vero etiam terrenorum genus illustratum est? Homo etenim per tuam immaculatam carnem cœli civis evasit, ac pastores coniunxi sunt angelis. Angelii quidem [inferius se ad nati infantis humilitatem inclinarunt; homines vero], ad supernam Dei, ac glorificatam subiecti sunt dignitatem: hoc est, æternam Patris ad Filium, ac ante sæcula consubstantialitatem, quæ est nativitate, non creatione, sapienter didicimus.

Ex quo igitur, sanctissima Dei Mater, cœlum, atque adeo terra, per te decorem habuerunt, qui fieri potuit, ut migrando, tua homines inspectione orbatos deserentes? Enim veroabsit ut ita sentiamus. Quemadmodum enim mundo hoc agens, haudquaquam hospes eras cœlestis convictus, ita neque postquam migrasti, ab hominum in spiritu conversatione alienata es: quando etiam tuo illo amplissimo sinu gestando Deo, altissimi Dei capax cœlum effecta es; spiritualisque nihilominus ei terra fuisti appellata, ob obsequium carnis ei subministratæ. Atque adeo faciliter suadens conjectura, cum Deo prorsus contubernalem fuisse, dum in mundo versareris, tuncque ab humanis translata, eos nunquam deseruisse qui in mundo essent. Instamus nihilominus, verbisque importuni sumus, qui fideli te mente venerari consuevimus: quamobrem non et ipsi id tantum boni consecuti

<sup>61</sup> Deut. xxxii, 8. <sup>62</sup> Psal. xxxiii, 8. <sup>63</sup> Joan. i.

<sup>64</sup> Luc. ii, 14. <sup>65</sup> Psal. ii, 7. <sup>66</sup> Psal. cix, 3.

sumus, ut tua in corpore frui mereremur consuetudine? Idcirco etiam magis ter beatissimos eos praedicamus, qui tui accolatus spectaculo delectati sunt, ut qui te, Matrem Vitæ, communem secum vitam duecentem habuerunt. Cæterum, velut etiamnum corporaliter inter nos, atque in humanis agens ambules, sic tua quotidie visione, animorum nostrorum oculos delectas et afficias.

Etenim qua ratione cum antiquioris ætatis hominibus in carne conversabar, ea quoque nobiscum spiritu habitas; tuaque illa, qua nos foves, nulla protectio, tuæ nobiscum consuetudinis index est: tuamque universi audimus vocem; universorumque vox, auditus tui aures pulsat: quique a te pro tua in nos protectione cognoscamur, tuam semper auxiliatriecm aguoscimus protectionem: nihil enim illa, animam inter ac corpus divisio, tuam, ac servorum tuorum dignationem prohibere possit. Haud quippe dimisisti, quibus fuisti saluti; haud abs te congregatos dereliquisti: nam spiritus tuus semper vivit, nec caro corruptionem sepulcri sustinuit. Omnes visitas, tuaque, Dei Mater, inspectio in omnes existit: adeoque, quanquam tenentur oculi nostri ne te videamus, o sanctissima, lubens tamen in medio omnium habitas, teque ipsam, dignis te diversimode manifestas. Nihil enim caro, tui spiritus virtuti ac efficacie officit; quippe tuus ille spiritus ubi vult spirat, qui nimirum mundus sit ac vacans materia; incorruptus ac incontaminatus, sanctique Spiritus sodalis, ac Unigeniti Deitati delectus, spiritus. Tu juxta quod scriptum est, « Speciosa es<sup>68</sup>; » tuumque illud corpus virginalē, totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium; ut ideo quoque a resolutione in pulvrem deinceps sit liberum: quod quidem ceu humanum, ad summam incorruptionis vitam sit immutatum; sitque nihilominus ipsum incolumem ac prægloriosum; consummatæ vitæ, ac insoporabile: quatenus impossibile erat, ut mortuorum sepulcro clausum teneretur, quod vas Dei suscep̄tivum esset, ac sanctissimæ Unigeniti Deitatis animatum templum. Idcirco vero te, Deipara, nobiscum credimus obambulare.

Vere etenim, vere, etiam iterum grati animi dicam exultatione: quanquam ab humanis migrasti, haud tamen a Christianorum gente recessisti. Non es elongata a mundo hoc exolescente, paris tu incorruptionis vita; sed iis, qui invocant te, propior accedis; inveniris ab iis, qui te fideliter exquirunt: quæ plane, Spiritus vitæ jugiter spirantis, ac corporis a fluxione liberi, ac incorruptibilis, exhibitionem haud obscuram habent. Nam quomodo carnis te dissolutio in cineres, ac pulverem potuisse redigere, quæ humanum genus a mortis corruptione, per Nati ex te assumptam carnem, liberasses? Migrasti ergo ab humanis, ut horrendæ incarnationis, solida veritate, nulla ap-

parentia constans, confirmatum patesceret sacramentum; ut, inquam, tuo illo a temporaneis, ac sæculo discessu, qui ex te natus est Deus, perfectus nihilominus ex vera Matre crederetur processisse Filius, quæ nimirum necessitatum naturæ legibus subjaceret, divinæ jussionis definitione, ipsoque ad mundi vitam concesso tempore sollicitante: cuius corpus, ut unius haberet reliquarum mulierum, eoque communis hominum mortis occursum vitare nequivisses: quo etiam modo Filius tuus, ac Deus universorum, ob nostrum, ut ita dicam, universi generis mortuum hominem, similem et ipse carne, « gustavit mortem<sup>69</sup>; » mirabilia plane operatus, cum in suo ipsis ac vivifico sepulcro, tum in tuo dormitionis vitam suscipiente monumento: ut ea, amborum quidem corpora veritate susceperint, haudquaquam vero corruptionem induxerint. Neque enim fieri poterat, ut quæ Dei capax vasculum esses, emortnum corpus corrupte dñflueres pulvere. Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio, ac vita sæculis antiquior; utique par quoque erat, ut Vitæ Mater, Vitæ pariter contubernialis fieret; dormitionemque somni instar susciperet; ac migrationem, haud secus atque experefactionem, ceu Vitæ Parens, subiret. Ut enim chara proles propriam querit ac desiderat parentem, atque parens vicissim cum prole amat versari, ita et te, quæ prolis amantibus in Filium tuum ac Deum visceribus prædicta esses, congruum erat redire ad Filium; parque vicissim erat, ut pro ea, qua Deus ad Matrem haberet amoris affectione, suam sibi contubernalem, consuetudine donans, adjungeret. Sic porro rebus caducis emortua, ad immortales æternorum demigrasti mansiones, ubi Deus inhabitat; cum quo pariter ipsa agens, Dei Genitrix, ab ejus conversatione non discedis. Quippe ei, o Deipara, corporalis domus, qua quiesceret, es effecta; ipseque vicissim, o laudatissima, domus requietionis migranti efficitur: « Hæc enim, inquit, requies mea in sæculum sæculi<sup>70</sup>; » hoc est, caro, quam is ex te, o Deipara, induit; qua induitus, nedum præsentí sæculo apparuisse creditus est, sed et est futurum, ut eadem ipsa, veniens judicare vivos et mortuos indutus appareat. Ergo te, ut quæ æterna ei requies esses, a corruptione liberam, ad se assumpsit; suis te, ut ita dicam, et astutis et visceribus volens propius affixam: idcirco quidquid ab eo quæreris, id ille, filiorum lugenti sortem, tribuit; ac si quid petis ab eo, divina implet virtute: qui est benedictus in sæcula. Amen.

## V.

*Ejusdem in beatam sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparae semperque Virginis Mariæ Dormitionem sermo II.*

Cessent indocti vesanique hæreticorum sermo-

<sup>68</sup> Cant. ii, 15. <sup>69</sup> Hebr. ii, 9. <sup>70</sup> Psal. cxxxi, 14

nes. Iniqua eorum labia obturentur. « Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te, » o Deipara; « et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui pro debito, « diligunt<sup>71</sup>, » magnificare nomen tuum : « Os enim Christianorum « meditabitur justitiam tuam, » ac virginitatem; « tota die laudem<sup>72</sup> » sanctitudinis partus tui. « Viderint pauperes<sup>73</sup>, » per te, « divitias bonitatis divinae<sup>74</sup>. » Viderunt, atque dixerunt : « Misericordia Domini plena est terra<sup>75</sup>. » Peccatores, per te « Deum exquisierunt, et salvi facti sunt<sup>76</sup>; » dixerunt et ipsi : « Nisi quia Dominus, » carnem de Virgine sumens, « adjuvisset nos; paulo minus habitassent, » in demortuorum omnia devorante inferno, occidentes « animæ nostræ<sup>77</sup>. » Potens igitur ad salutem auxilium tuum, o Deipara, nec alterius cuiusquam apud Deum commendationem requiriens. Tu enim revera, veræ es Vitæ parens : tu fermentum reformationis Adæ : tu opprobrium priorum Eve liberatio. Illa pulveris mater, tu Luminis. Illius vulva, corruptio; tuus ute-rus, a corruptione immunitas. Illa mortis demoratio et sedes; tu, a morte translatio. Illa palpebrarum in terram demissio, tu insomnis vigilantium gloria. Proles illius, dolor; tuus Filius, omnigenum gaudium. Illa ut terra, in terram cessit; tu, et nobis peperisti Vitam, et ad vitam rediisti, vitamque, post etiam mortem, hominibus conciliare potuisti. « Tuæ magnitudinis non est finis<sup>78</sup>. » Te cogitandi, nulla satietas; nec tui illius vitali somno transitus velut subrepens sensus, ac se in hominum insinuans animos, damnum afferat : nam et tutela tua immortalis est; et intercessio, vita; et protectio perpetua. Nisi enim tu præires, nemo spiritualis evaderet; nemo in Spiritu Deum adoraret<sup>79</sup>. Tunc enim spiritualis factus est homo, cum tu, Deipara, Spiritus sancti habitaculum effecta es : nemo Dei cognitione repletus est nisi per te, o sanctissima. Nemo salvus nisi per te, o Deipara; nemo periculorum expers nisi per te, Virgo parens; nemo redemptus, nisi per te, Dei Mater; nemo donum per misericordiam consecutus, nisi per te, o digna quæ Deum caperes. Quis enim tantopere peccatores defendit? Quis adeo nihil emendatis sponsonem prætendens patrocinatur? Quivis enim eorum, qui etiam auxilio esse possent, parabolicæ sicut<sup>80</sup> excidium in nobis metuens, supplicationem Deo pro nobis offerre detrectabat; ut ne inutili promissione, lata sententia, non admittenda sponsio videretur. Tu autem, quæ materna in Deum auctoritate polleas, etiam iis qui enorimenter peccant, eximiā remissionis gratiam concilias. Non enim potes non exaudiri, cum Deus, ut veræ ac intemeratae Matri suæ, quod

omnia, et per omnia, et in omnibus, morem gerat. Hinc merito, afflitus quisque ad te confugit; infirmus tibi adhæret; bello petitus te hostibus opponit. Tu, « Indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos<sup>81</sup>, » transfers; justasque minas, ac condignæ sententiam condemnationis, quæ Filii tui nomine appellatum populum, impensis diligas, avertis. Hinc et populus tuus Christianus, perpendens rerum suarum statum, fidenter tibi suas ad Deum, perferrandas preces committit. Indubius fore sperat, ut exoret ac flectat, o sanctissima, ob factum olim periculum, et multitudinem tuorum in nos beneficiorum; quodque sæpius supplicando, ut benigne annueris, adigat. Quapropter, quis non beatam te deprædicet? Spectaculum, angelorum intelligentia majus; omni præstantem miraculo, summeque novam hominum felicitatem; Christianorum gentis susceptionem; peccatorum frequens asylum; quæ per horas singulas Christianorum ore verseris? Simul atque enim tremore correptus fuerit Christianus aliquis, aut pedem ad lapideum offendit, illico tui nominis præsidium invocat. Quare ut quis nulla requie, te laudibus celebret, non existimat se celebrare; qui magis insatiabili affectu celebrare incipiat. Nemo enim satis pro dignitate celebrare possit. Qui te semper magnificare desiderat, jugi tua glorificatione, debitum in te suum apud se repetit. Cum enim multorum debitor nihil possit rependere, accumulat gratiarum actionem, quemadmodum ipsa tutelam et protectionem accumulas. Quia eniō illa donum est optimum quod finem non habeat, jugi sufficientem beneficio, velut a principio, gratiarum actione demeretur. Quis enim te admirationi nou habeat, spem immutabilem, protectionem immobilem, statum perfugium, semper vigilem depreciationm, perennem salutem, auxilium stabile, patrociniūm inconcussum, murum inexpugnabilem, thesaurum voluptatum, hortum irreprehensibilem, arcem tutam, vallum undique munitum, validam auxilii turrim, portum tempestate jactatorum, malaciam perturbatorum, peccatorum vadēm, desperatorum adductionem, exsulum revocationem, pulsorum, postliminio reversionem, alienatorum conciliationem, damnatorum commendationem, male-dictorum benedictionem, rorem squalantis animæ, stillam irriguumque confectæ ac tabescantis herbae? Per te enim, inquit Scriptura, « ossa nostra sicut herba germinabunt<sup>82</sup>; » Agnij et Pastoris parentem, omniumque bonorum palanconcliatricem. Tua omnia admiranda sunt, « vera, justificata in idipsum, omniaque desiderabilia, ac dulciora super mel et favum. » Nam et servi tui ea desideramus; in illis desiderandis, ex

<sup>71</sup> Psal. xxxix, 17. <sup>72</sup> Psal. xxxiv, 28. <sup>73</sup> Psal. lxviii, 35. <sup>74</sup> Rom. ii, 4. <sup>75</sup> Psal. xxxii, 5. <sup>76</sup> Psal. xxviii, 3. <sup>77</sup> Psal. xciii, 17. <sup>78</sup> Psal. cxliv, 3. <sup>79</sup> Joan. iv, 24. <sup>80</sup> Luc. xii, 6 seqq. <sup>81</sup> Psal. lxxvii, 49. <sup>82</sup> Isa. lxvi, 14.

te, retributio multa<sup>83</sup>. » — « Quis tuas misericordias intelligit<sup>84</sup>. » Enimvero, sat tibi ad laudem, o admirabilis, quod non possimus dignis encumiis res tuas celebrare. Magnam a Deo, ad triumphum celsitudinem adepta es, quod tua ex carne, populum ei Christianum comparaveris; quodque id quod similis tecum esset naturae, divinæ ejus expressæque imaginis conforme reddideris. Quare, « benedictum nomen tuum in sæcula<sup>85</sup>. » Vincit solem lux tua; superat creata omnia, tuus honor et dignitas; præ angelis major excellentia tua. « Tu cœlo excelsior<sup>86</sup>; » sed et cœlo cœlorum expansior, septimoque cœlo, quod ceu ex Scriptura, sanctus quidam astruit. O cœlum supra octavum, et si quod ulterius octavo cœlum, dici potest! Benedicta tu in generationibus generatum: sed et in te, benedictionem consecutæ sunt omnes tribus terra<sup>87</sup>; nullus enim locus est, ubi non honori habearis. Neque ulla tribus est, ex qua Deo, per te, fructus non germinaverint: ut et gentes, quæ te usi sæculi non cognoverunt, ipsæ etiam tempore placito beatam te, Dei Genitrix Virgo, sint prædicaturæ. Tuo enim Filio veniente, judicare orbem terrarum in justitia<sup>88</sup>, videbunt et plangent<sup>89</sup>, qui te Deiparam, confiteri credentes noluerunt: tumque demum perspicient quanto se thesauro perverso sane consilio defraudarunt.

Nobis itaque Christianis, teque Deiparam Christiana fide venerantibus, stabilis tutelæ tuae misericordiam exhibe. Etenim Dormitionem tuam, o Deipara, jure vitam arbitramur; teque spirituali quadam ratione nobis contubernalem credimus. Cumque adeo ingruerit calamitas, tuum querentes præsidium, liberamur: rursum vero fausta, gaudique oboriente die, eam ipsa concilias: ac postquam in omnibus nostri sollicita es, nobiscum te agere persuasum habemus. Quemadmodum enim sisticulos ad fontem properat, sic et fidelis omnis anima, tota æstuans accurrit, tuo implenda auxilio. Ac iterum, quemadmodum anhelitu haustrus aer animali hominibus olfactum afflat: ita et te, orthodoxi omnis Christiani status, ac spiratio, ore profert ac enuntiat. Nec enim tantum ab aeris haurimus oblectatione, quantum a tui nominis haurimus protectione: adeo ut in Christo, ac te impleatur quod scriptum est: « Respiratorium nostrarum es tu; in tegumento tuo et umbra vivemus<sup>90</sup>. » Quodnam enim aliud hominum genus a Christianis, id tantum obtinuit gloriae? tam illustri fuit existimatione? Angeli cœlestibus glorientur habitaculis, nos, incessu sanctorum templorum tuorum, feriis delectamur. Ut enim illud quondam Salomonis templum, cœlum in terris adumbrarit; quam nos potiori jure, cum

ipsa effecta fueris vivum Christi templum, ecclesiæ tuas et tenpla, velut terrestres cœlos sumus elaturi? Stellarum claræ faces loquuntur in firmamento cœli: corporicque tuarum, o Deipara, imaginum ducti colores, tuorum nobis donorum largitionem ceu stellanti fulgore coruscant. Sol et luna unius axem circuli illuminant; at domus omnis, et civitas, regioque, tuum, ex tui Nati Lumine, splendet lumen. Quapropter beatus homo, etsi peccator, quod tuam adeptus per naturam cognitionem, etiam divinæ, per te, nature participis inventus sit: « Beatus» revera, et bene illi fuit; imo, « et erit bene<sup>91</sup>; » non enim desicies iis qui usque ad finem auxilium tuum obtainere meruerint. Fcessat in te mors, o Deipara, quod vitam mortalibus produxeris. Fcessat in te sepulcrum, quando inexplicabilis sublimitatis divinum facta es fundamentum. Fcessat pulvis; nova quippe informatio es, quod iis, qui in limo lutu corrupti essent, Domina facta sis. Te igitur, una nobiscum versari certa confitemur fide. Nisi enim nostra in eo esset posita consolatio, desiceret prætui desiderio spiritus noster. Quomodo autem juxta Scripturam<sup>92</sup>, fide intelligimus aptatos cœlos; ita et te, etiam a migratione corporis, accedentem nobis comitem, velut oculis contueri credimus. Non enim tantum dolet anima, cum a corpore avelitur, quantus dolor est te privari, o immaculatissima. Hinc, juxta Scripturam: « Etsi corpus tuum dormit, cor tamen tuum vigilat<sup>93</sup>; » et quanquam inevitabilem humanæ conditionis mortis necessitatem subiisti, non tanien dormitabit, autve dormiet, nos custodiens oculus tuus.

Non enim testibus caret tuus transitus; nec dormitio tua falsi quidquam habet. Enarrat cœlum gloriam eorum, quæ in te tunc concurrerunt; terra, eorum representat veritatem; nubes, honorem quem famulatu exhibuerunt, clamant. Denique angeli, quod id temporis satellitum stiparet, annuntiant: ut nimurum apostoli ad te Hierosolymam convenerint, quemadmodum etiam Habacuc propheta, hora una, in nube raptus, surripiente angelica dextera, ex partibus Orines, Judea-que, Babylone Persidis, ad lacum Danielis presto fuit<sup>94</sup>. Enimvero, ut gutta una nihil mari adjicit, neque pauperis crumena, divitis thesaurum evanescat; ita nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extulerit. Habes plane, ipsa a te propriam laudem, quod Deipara effecta sis. Non enim quia hoc tantum, exponente Scriptura, « auribus nostris audivimus; » neque iterum « quia patres nostri, » hoc « nobis » verissima narratione « annuntiaverunt<sup>95</sup>, » Deiparæ appellationem sortita es; sed quia ipsum opus quod es operata in nobis, proprie et vere, nihilque gratificante lingua, et

<sup>83</sup> Psal. xviii, 10 12. <sup>84</sup> Psal. cvi, 45. <sup>85</sup> Psal. lxxi, 17. <sup>86</sup> Job. xi, 8. <sup>87</sup> Basil. Hexaem. hom. 5. <sup>88</sup> Psal. xcvi, 9. <sup>89</sup> Zach. xii, 10. <sup>90</sup> Thren. iv, 20. <sup>91</sup> Psal. cxxvii, 2. <sup>92</sup> Hebr. ii, 2. <sup>93</sup> Cant. v, 2. <sup>94</sup> Dan. xiv, 32 seqq. <sup>95</sup> Psal. xlvi, 2.

orthodoxe, Dei, te, Matrem, ab ipsis rebus confirmat. Ideoque par erat, ut ne revera, corpus illud tuum quod vitam suscepisset, mortifera corruptione involveretur: ac vero, ut et sepulcrum, velut hominis propriam massam susciperet; utque te, vitæ consummatione, a tua ipsa vita migrante ad cœlestia; monumentum quidem tua carne ostenderetur vacuum; tuus vero spiritus inveniretur ab humana conversatione inseparabilis; invisibili ejus virtute, qui ex te Virgine natus est Christus Deus noster; cui gloria in sæcula. Amen.

## VI.

*Sancti Germani archiepiscopi Constantinopolitani,  
Laudatio in sanctam ac venerabilem Dormitionem  
prægloriosæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semper  
virginis Mariæ.*

Præclara « fama » ac « bona, » sicut scriptum est, « impinguat ossa <sup>⁹⁶</sup>. » Quainobrem etiam instituta de corporali Vitæ parentis semperque Virginis Mariæ Dormitione narratio (quippe quæ divinus odor ac fragrantia sit sanetissimæ carnis Christi) eos sanctificat, qui ipsam sanctificant. Immutata enim quandoque ex Dei misericordia apud inferos humana ossa, immaculatum sanctæ Dei Genitricis corpus plane impinguavit, cum ea ex corruptione induruissent: quippe quæ Nati ex ea resurrectione, exspectata incorruptione mollita sunt super oleum <sup>⁹⁷</sup>. Enimvero nos quoque paucis, ejus perpetua digni memoria Transitus memoriam recolamus. Vere namque etiam lætitia, ejusmodi narrationis auditio est.

Cum Christo Deo nostro constitutum esset, ut quæ vitæ parens existisset, Matrem suam transferret, per angelum rursus ei familiarem in procinctu esse ejus Dormitionis tempus prænuntiat; ne sicut in reliquis mortalibus, mors repente ingrueat, ipsi quoque vivis excessuræ aliquam turhationem afferret. Ne igitur etiam illa improvise sæculo migrans, naturali carnis proprietate turbaretur, ut quæ suum ipsa excessum non prænoverisset, Dei scilicet qui universorum creator est, parens mittitur ad eam angelus, qui ex Christi persona verbis istiusmodi ejus præmuniret animum, ac fiduciam augeret.

Tempus est, ait Dominus, ut te Matrem meam assumam. Quemadmodum igitur terram, et qui in terra sunt, gaudio replevisti, gratia plena, sic et cœlestia rursum lætica. Patris mei mansiones exhibila: sanctorum item Spiritus recrea. Videntes enim illi tuam ad me celebri cultu ac stipantibus angelis translationem, certa ducuntur fide sibiique persuadent fore, ut per te eorum quoque portio in

mea inhabitet luce. Veni igitur cum exultatione. Ave et nunc et gande, uti et pridem <sup>⁹⁸</sup>: habes enim in omnibus, ejus, quod est esse plenam gratiæ, nominis dignitatem. Ut cum me essem conceptura, gaudii nuntium accepisti: gaudie et modo, quæ a me assumenda invitaris. Ne te turbaverit, quod mundum relinquas, qui corruptitur cum desideriis suis. Ejus transmittis corruptionem; nam neque eos qui in mundo sunt, tua destitutos ope dimissa es: sed sicut ego, cum de mundo non sim, eos qui in mundo sunt propitiis intueor oculis, ac providentia guberno; sic nec tua a mundo usque ad consummationem auferenda protectio est.

Non franget te neglecta carnis cura: ad vivaciorum vitam reverteris, ad gaudii requiem, ad tranquillissimam summamque pacem, ad vitam nullis curis anxiā, ad delicias omni labore carentes, ad perennitatem quietissimam, ad jucunditatem immortalē, ad lucem occasus nesciam, ad diem vesperæ non obscurandum, ad meipsum, hujuscē rerum universitatis tuumque Conditorem. Nam ubi sum ego, illic vita æterna, incomparabile gaudium, habitatio non exæqua, nulli obnoxia interitioni civitas. Ubi igitur ego sum, debes et ipsa esse, inseparabilis mater, in Filio indivulso. Ubi Deus, omnis bonitas est, omnis oblectatio, omnis jucunditas. Nemo qui viderit meam claritatem, ab ea abscedere in annum induxit. Nemo ingressus in meam requiem, quæ sunt mundi perituri denuo requisivit. Ex Petro secessare, parne mundi comparatio ac montis Thaborii, tum cum ibi constitutus ad breve momentum meæ spectator claritatis fuit.

Dum in mundo corruptibili vitam ageres, meam tibi in visione exhibebam potentiam; emigranti e vita, ipse me tibi facie ad faciem ostendam. Nihil gravate terræ cedito, quæ sunt ejus propria. Tuum corpus meum est: quodque in manu mea sunt omnes fines terræ <sup>⁹⁹</sup>, nemo quidquam rapiet de manu mea. Tuum mihi corpus concredito; nam et ego divinitatem tuo utero deposito tradidi. Videbit Patris gloriam divina anima tua: videbit unigeniti Filii ejus claritatem intemeratum corpus tuum: videbit sanctissimi Spiritus majestatem impollutus spiritus tuus.

Nihil in te mors gloriabitur, ut quæ Vitam utero gestaveris. Vas meum effecta est: haud illud lethalis casus contritio confringet: haud caliginis obtenebratio in obscurum trahet. Veni ad Natum tuum propensa animi voluntate: Filii debito lætisicare gestio: materni uteri hospitii commodati præmia reddere: quod lac præbueris, mercedem dare: quod educaveris, vicem rependere: ratam visceribus tuis fidem facere. Quæ me, Mater, Filium unigenitum nacta sis, mecum potius commorari velis; sat enim novi ad alterum te filium non amore distrahi. Ego te virginem matrem effeci. Ego te quoque lætantem super Filio matrem con-

<sup>⁹⁶</sup> Prov. xv, 30. <sup>⁹⁷</sup> Psal. liv, 22. <sup>⁹⁸</sup> Luc. i, 28.

<sup>⁹⁹</sup> Psal. xciv, 4.

stituam<sup>1</sup>. Mundum tibi debitorem præstabo, et emigrantis nomen tuum majori gloria collustrabo. Ego te mundi murum exædificabo, eorum pontem, qui fluctibus jactantur, eorum qui manu ducuntur baculum, peccatorum advocatam, scalam denique quæ provehere in cœlum mortales sufficiat.

Veni cum lætitia. Aperi paradisum, quem cognata tua Eva, ejusdemque consors generis oclusit. Intra in gaudium Filii tui. Dimitte terrenam Jerusalem: ad cœlestem excurre civitatem; quippe cum brevi post terrenæ Jerusalem « Pianctus magnus futurus sit, uti scriptum est, sicut planctus malogranati qđ succiditur in agro<sup>2</sup>. » Decumbe, atque id ad speciem tantum, in Gethsemane monumenti loco: haud in longum tempus in eo te orbam traham. Veniam ad te mox ac justis persolutis in monumento deposita fueris, non qui a te de novo concipiendus sim, qua ratione in te semel habitavi, sed qui potius contubernalem mihi futuram sim assumpturus. Pone fidenter corpus tuum in loco Gethsemane, qua ratione ego ante passionem humano more in oratione eo ipso loco prostravi mei corporis genua. Sicut igitur ego, ubi tunc genua flexisse, ad viviscam ac sponte assumptam exiæ crucis mortem, sic tu quoque post depositum corpusculum, ad vitam confestim traduceris.

En mei quoque ad te veniunt discipuli, quorum manibus honorifice ac reverenter tuum curabitur funus, qui scilicet spiritales meæ filii sunt lucis. Iis, ut tu ipsa testis es, adoptionis gratiam imparativi. Ac sane iis justa solventibus, hæc me tibi solvere existima, atque meis ipsius manibus tibi parentare. Nam neque decet ut his tibi officiis ulli alii defungantur, præterquam apostoli mei, in quibus etiam habitat Spiritus sanctus, qui et meam personam explebunt, o intemeratissima, in honore tuarum exequiarum.

His Dei Mater nuntiis acceptis, gavisa est gandio magno, spreta penitus temporanea mortalium vita. Accensis itaque in omni domus ambitu magnis facibus, convocat amicas sanguinisque necessitudine conjunctas atque vicinas: domum everrit, velut in virginis thalamo, lectulum floribus sternit, quem videlicet hactenus per singulas noctes, desiderio in Christum ac Filium suum, copiosis lacrymarum rivis inter fundendas preces inundaverat. « In lectulo enim meo, ait Scriptura, quæsivi quem dilexit anima mea<sup>3</sup>. » Alacri animo præparat, quæ ad excessum funusque essent opportuna. Vulgat se migraturam, manifestat quæ ab angelo fuerant denuntiata: ostendit et quod bravium illi dederat. Illud porro, ranius palmæ erat, victoriæ signum adversus mortem, immarcescibilisque vitæ præfiguratio; ad certam illi faciendam fidem, quæ humanis migratura esset, majore vi corruptionem

expugnaturam esse, perinde ac Natus ejus Christus inferni victor extiterat. Hujusmodi palmae illud bravium, in quo et religiosi Hebræorum pueri, accedenti Christo ad passionem, tanquam qui mortis victor futurus esset ac triumphator, laudis specie ac præconii vibrantes præluserunt, clamantes: « Hosanna in altissimis<sup>4</sup>; » hoc est, Salva, quæso, qui es in altissimis. Vox enim illa apud Hebræos, si interpreteris, hoc sonat, *Salva, quæso*. Quemadmodum igitur dum sic exciperetur, palmarum rami illi triumphalem Christi mortem figura præsignabant; sic et contraditum Deiparæ bravium palmæque spatula, futuræ de corruptione mortis victoriæ certum pignus erat.

« Flebant, quæ accersitæ mulieres fuerant: ingebant qui ad eam convenerant, atque lacrymarum imbre, flumina, ut sic loquar, in domo duebant. Ne et pupillos relinqueret, votis obsecrabant. Ad quos illa: Filii mei ac Dei voluntas in me fiat. « Hic enim Deus meus, et glorificabo eum: Deus Patris mei, et exaltabo eum<sup>5</sup>. » Filius est ex me carnis ratione natus; Paterque, et Conditor, ac Deus suæ ipse parentis est. Si igitur vos, cum ex mortalibus filiis, sordidaque copula parentes sitis, ab eis separari ne ad momentum quidem sustinetis: qui fiat ut ego Deum Filium nacta, et quæ ad eum indivisa prætendam viscera, idcirco quia nulla viri opera incorrupta ac illibata eum virginitate enixa sum, non præ'vobis majori subacta sum amoris illecebra? Vos enim mutuo, alternisque proventibus, liberoruni solamini jacturam: at ego, quæ et Denum Christum atque nunc unigenitum habere dignata sum, quomodo non lubenti animo gaudens que ad eum proficiscar, qui et ipse semper vivat, ac vitam cunctis præbeat?

Inter quæ verba, en tibi repente vehementis tonitruis sonitus, nubisque sedentis turbo irrumpens, ex qua velut guttarum roris ocelli, Christi discipuli deplentes, conseruo unanimiter agmine Virginis tecto astitere. Quam ut conspexere officiosissime venerati sunt: doctique ex illa adventus causam, ejuscemodi eum verbis allocuti sunt: Ea quidem ratione, quod te in mundi hujus incolatu habentes, ac velut ipsum Christum contueremur cernentes, haud exiguum ærumnarum levamen, o Dei Mater, nacti eramus, tuæ causa migrationis quiritantes dolensus. Quod vero tum divina auctoritate, tum carnali in Matrem necessitudine, ut ad Deum proficiscaris evocata es, gaudemus et gratulamur, ejus nomine, quod in te decenter impletur, commodumque eventurum est. Nam et nos in te abunde vitæ æternæ altum pignus accepimus, atque ad Deum mediaticem humanis emigrantem nanciscimur. Nec enimvero decebat ut Dei Mater in medio generationis prævae atque perversæ vitam ageret, sed ut ad cœlestia tabernacula ad sedes immortales transiret.

<sup>1</sup> Psal. cxii, 9. <sup>2</sup> Zach. xii, 11. <sup>3</sup> Cant. iii, 1

<sup>4</sup> Matth. xxi, 9. <sup>5</sup> Exod. xv, 2.

Interea vero inconsolabilibus flebant lacrymis. ad quos illa : Gaudete, Filii mei spiritales filii. Memento illius verborum <sup>6</sup>, quomodo in passione commune mundi gaudium haud in luctum vertendum præceperit. Et me itaque hodie ad eum commigrante, ne gaudium meum luctuosum reddideritis : sed meum corpusculum, ita ut ipsa illud in lecto composuero, omnes efferte. Mihi enim video ipsis Filii mei manibus exsequiarum more tumulo componi atque efferti, cui a vobis ejus discipulis justa, fide solvantur.

Interim advenit et Paulus apostolus, ut quem procul terris dissitum, evangelicæ prædicationis functio detineret. Pulsanti vero januam domus gratanter aperit præpositus Joannes apostolus <sup>7</sup>, qui et Virginem tanquam matrem virgo ipse ab ipso Christo in sua accepérat. Viso Paulo apostoli animis recreati, in suppedaneo scabello reverenter prima illum sede collocarunt. Suscipe illum Virgo hilari vultu. Paulus, ad ejus se pedes jactat ; ac, ubi didicisset quamobrem et ipse venisset, ingenti ac lugubri gemitu expeditum os suum et doctrinæ assuetum aperiens, magnifice Virginem encomio celebrat : ex cuius elogio hæc pauca sunt :

Ayesis, Mater vitæ, meaque prædicationis existimatio. Salvesis, meæ oblectationis ac solatii consecutio. Quanquam enim Christum in carne non vidi, qui te in corpore videam, quæ corpus incorporeo induendum ministraveris, sic animo afficiebar ac oblectabar, ac si Christum viderem. Meum itaque in Christum desiderium, vultus tui aspectu occupata delibatione explebam. Hactenus ego te in gentibus Christum carne peperisse prædicabam, deinceps jam etiam te ad ipsum commigrasse docebo : quo exploratum gentibus fiat ipsorum salutem in tua confirmatam esse intercessione, ut et ipsae immobili apud Deum defensione gaudeant.

Interim vero etiam multis aliis laudum præconiis, quantum nosse licuit, Pauli ore Dei Genitrici oblatis, supremum cunctis Virgo vale dicit: tum grabato, quod instraverat, decunbit ; atque, ut libuit, intemerato corpusculo suo composito, velut in somuo spiritum dimittit. Quinimo, ut verius loquar, a carne in vigilia ac expurgisca separatur, liberam a corruptione sui portionem reliquam (corpusculum scilicet) præstans. Cum itaque publica voce sua illa Christo ac Deo, suoque corporis ratione Filio omnis labis purum spiritum suum commendasset, hortatur Petrus summa arce collegam suum Paulum, ut super Virginis corpusculo consuetam precationem fundat. Renuit Paulus rem Petrum decere oicens, qui sit pastorum summus ac princeps. Insistit Petrus, se Paulo demittens, ea scilicet ratione, quod is fungenda prædicatione plurimum laborasset. Nihil quidquam prorsus acquiescit Paulus, Christi in Petro promotionem inviolabili ratam firmitate servans. Petrus

itaque precationem fundit : apostoli reliqui sublati in humeros feretro, Virginis corpus cum canticis et lumiibus, honesto cultu ac reverentia ad monumentum pompa efferunt.

Confluxerat multitudo, quæ et numerum excederet, ad ejus honestandas exsequias, quæ vita parens extitisset. Stupebant sic repente humanis excessisse. Vehementius admirabantur etiam apostolos, iis ex locis quibus dispersi erant, per aera delatos venisse. Ubique enim Hierosolymis fama perulgatum erat, tonantem ac turbini similem nubem, pluviae instar ac roris venti sibilantis, momento citius, in Virginis eos domo perstillasce. Fugax porro tum etiam ex incredulis Hebreis vanusque (sunt enim vanitas vanitatum <sup>8</sup>, ut qui semper scandalo sint, nec contentius commentari ac nugas dare unquam desinant) extensis sceleratis manibus suis : « In eorum enim manibus, inquit, semper iniquitas <sup>9</sup> » leculi ferculum quatit intemeratae corpus iucessere ausus, nec Altissimi carneum solium solo allidere veritus. Isque adeo confestim manuum execratione multatur, exemplum ac tremor nunquam non in Christum procacibus Judæis factus. Jam tumulo prope inferendum sacram cadaver erat. Haud vero ausi apostoli (qua reverentia ac religiosiore metu tenebantur) Virginis corpus attingere. Ac quidem discipuli, quo præcellenti honore habebant, quodque castissimæ corpus Dei vas esse non ignorabant, omni laude dignam formidinem, ne illius sibi contactum indulgerent, præferebant. Qui autem ex plebe fideles erant, etiam feralium aliquid, quo sibi sanctificationem conciliarent, diripere anxiis animis expectebant. Nemo tamen in eam manus misit, cum severiori exemplo puniti Hebræi petulantiam vel maxime ob oculos haberent. Communi vero apostolorum sententia, Petrus et Paulus hinc inde ex grabato, laxo tractu demissum pendensque linteum suscipientes, sanctum cadaver tumulo inferunt. Cum nempe sacri pignoris onus linteo incumberet, nec sua ipsi manu contingerent, clarissimi supra que modum religiosi apostoli, quo in Deum amore ferebantur, ipsius tunc palam timorem prodentes, viri scilicet ad humilitatem sublimes, ac cœlestes colles ; ministri honore impensi, ac Christi magnifice dilectione strenui ; qui Matris interventu Filium, inque Filii gratiam Matrem eximio cultu atque honore prosecuti sint : qui propter Deum incarnatum, sincero tunc affectu, Matri quæ carnem ministravit, obsequii vicem dependerent. E quorum manibus, cunctis spectantibus, intemeratum Virginis corpus abreptum fuit. Ac quidem, quisnam rapuerit, vidit nemo : Deus quippe is erat ; oculis inaspectabilis ; linteum vero in nube levi, in ea quæ carnali ratione nubes levis propheticò prodita oraculo est <sup>10</sup>, apostolorum tum manibus leviter in auras sublatum apparuit.

<sup>6</sup> Luc. xxiii, 28. <sup>7</sup> Joan. xix, 27. <sup>8</sup> Eccle. 1, 2.

<sup>9</sup> Psal. xxv, 2. <sup>10</sup> Isa. xix, 1.

Agnovere discipuli Christi ad Matrem angelis stipantibus adventum; indeque eam quoque translatam sibi certo statuentes, Deo gloriam dederunt in laude vocis suæ; talia propemodum etiam ad populum orantes: Viri Israelitæ, id nunc cunctis vobis de Maria, quæ Christi carne mater exstitit, notum effectum est; cum nempe una nobis vobisque deducentibus, ad monumentum hoc extineta venisset, nostris e manibus assumptam fuisse. Nemo igitur se in hac parte ad fidem difficilem præbeat. Nemo nobis, velut in Christi corpore, in ejus quoque cadavere crimen imponat: sed, si contingat rem audiri a præside, vestrisque pontificibus, veritatem, non mendacium cura eximite. Estote testes eorum quæ vidistis. Estote vos quoque novi quidam carnales angeli, in monumento hodie deambulantes. Vestrae et ipsi linguae in veritate alas accommodate. Dicite et vos: Ecce locus ubi Virgo sepulta fuerat, at translata est, vitæ parens, Maria. Ecce et linteum absque illa quæ illo fuerat involuta, eam quærens quam astrinxerat; et cui velut inanimi, sepulcrale linteum fuerat, huic nunc tanquam animatæ atque viventi substerni amat. Estote vos quoque ejus, quæ translata est, mulieres unguenta ferentes. Currite, annuntiate translationem ejus ex tumulo, quod vitam tantisper suscepserat.

Tu quoque beatum prædium Gethsemane, proximamque Josephi horto gloriari consecutum. Illuc Petrus ac Joannes cum cursu advolassent, inventis haintaminibus et sudario, Christum resurrexisse crediderunt<sup>11</sup>: in te vero Gethsemane cuneti, tum nos scilicet Salvatoris discipuli, tum qui ad Mariæ semper Virginis exsequias has confluxerat populus, sepultam in monumento positam atque translatam conspeximus. Extra enim omnem controversiam, eam necdum ostium monumenti fuisset lapide ocluſum, subtracta oculis est; ne absque signaculis ac custodibus deposita, furti columnæ perviam incredulî occasionem præberet. At ubi laudibus celebrata, fusa tumulo est, monumentum quoque vacuum reliquit, ac paradisum propria implevit gloria; cœlestis scilicet vitæ requiem adepta, ac deliciarum quæ sunt cum Deo contubernialis effecta. Tanta aliaque de te, Deipara, Apostolorum præconia.

Sed cum mihi quoque, intemeratissima Virgo, sufficiat, sermonum a me tibi oblitorum temeritas (desicit enim sæculum, si qui velint res tuas laudare), in his cantico finem imponam. Memento servorum tuorum Christianorum. Cunctorum commendata preces, universorum statue spes, fidem confirmata, Ecclesiæ ad unitatem coge, imperium tropalis auge, exercitui auxiliare, mundum pace compone, cunctosque a periculis et temptationibus liberans, unicuique a damnationis reatu solutam præstari exora retributionis diem. Ad quem enim

alium ibimus? Verba vitæ æternæ habes<sup>12</sup>, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es quæ feceris semper, nec unquam cesses facere, nobiscum magnalia. Et sanctum est nomen tuum, quod ab angelis et hominibus, in omnes generationes generationum beatum prædictatur, et modo, et usque in sæculum sæculorum. Amen.

## VII.

*Sancti Patris nostri Germani, archiepiscopi Constantinopolitani, oratio in Encænia venerandæ ædis sanctissimæ Dominae nostræ Dei Genitricis, inque sanctas fascias Domini nostri Jesu Christi.*

« Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei<sup>13</sup>, » divinus nobis in Spiritu succinit David; vere versus clarissime, de qua dicta sunt gloriosa, nimirum civitatem magni Regis apertissime vocans, citraque omnem dubitationem, eam quæ vere electa est, enctisque eminet; non altius fastigatis ædibus, non tumulis surrgentibus; sed quæ divinarum excellentiumque virtutum magnificentia, ac præstanti puritate, castissima ac immaculatissima Dei Genitrix Maria longe præcellit. In quâ, qui est vere Rex regum et Dominus dominantium, habitavit; vel potius, in quo omnis plenitudo divinitatis habitatculum corporaliter<sup>14</sup> habuit.

Hæc vere gloriosa civitas; hæc spiritalis Sion. Hanc, puto, divinitus David corde præsago, alte prædicavit. Sin autem etiam quispiam ejus sacram ædem, civitatem gloriosam vocaverit, nihil veritatis honestique metas excesserit. Si enim ii quorū nomina in terra celebrata sunt, appellationis memoriam in longos annos conservant; aliorumque nihilominus, quorum nomina in labiis ferre nefas, tituli, delubra ac simulacula usque in hodiernum diem, etsi nomine tantum vocisque sono, at protracta tamen sunt, velutque ipsi forent superstites, simpliciorum auribus perstreput; quid de gloriosa omniq[ue] lande dignissima, intemeratissima illa ac immaculatissima puella Virgine, quispiam dixerit? Siquidem enim hæc animata Christi Regis civitas exstitit, merito etiam ejus sanctissima ædes, cujus et hodie Encænia celebramus, gloriosa civitas estque pariter ac nuncupatur. Nempe civitas, non terreno ac mortali regi subjectos ascribens cives; sed cœlesti, qui ipsum sequentes transmittit in vitam æternam, regnoque suo impertit.

Encænia vero, seu templi dedicationem, venerandi charique auditores, cum auditis, ne recens exstructis ædificiis, ac modo compactis ædibus Encæniorum nomen contineri putetis; sed quæ in spiritu renovatio est, hanc vero istud velle, qua

<sup>11</sup> Joan. xx, 5. <sup>12</sup> Joan. vi, 68. <sup>13</sup> Psal. LXXXVI, 5. <sup>14</sup> Coloss. ii, 9.

homo noster interior, veteri ac lacero peccati exutus habitu, novumque pietate constantem induitus, in novitate vitae suas ipse rationes instituit ac vivit. His et intemeratissima delectatur; quibus nimis rur, virtutibus pieque ac religiose institutis vitae rationibus novi incidentes, sic et castae castis caste Encæniis gaudio fruamur, ac velut ad ipsam coram, cunctosque videntem accessuri, sic ejus venerandam adituri ædem, encta componamus, atque omnia in melius mutemus; actionem scilicet et rationem et contemplationem. Nihil eorum quæ nostra sunt, existat die indignum; non pedis incessus, non risus dentium (nt aiunt), non vestis ornatus tendat ad indecorum. Quid dico? Ipsos quoque componamus animi cogitatus. His vero etiam omnibus misericordia præeat, qua Deus colitur, ut animo ac corpore novi, intemeratissimæ Dei Matris secundum carnem Encæniorum diem, nove celebremus.

Una enim cum illa, etiam venerandæ ac pretiosæ ejus zonæ depositio atque adoratio (pariterque ipsius Filii intemeratissimarum ac venerabilissimarum illarum fasciarum) splendescit. Zonæ, inquam, illius, quæ sanctissimum illud corpus astringebat, inque utero latenter Deum circumringebat. Zonæ illius, quæ eleganter atque lepide Dei arcum perornabat. Zonæ illius, quæ sæpe intemeratas intemeratissimæ lactis stillas hauriebat. Nemoque aliquis eorum quibus proclivis vituperandi animus absurdum ducat, quod velut animata ista alloquimur, faustisque omnibus prosequentes laudamus.

Si enim vas, quod unguentum ad breve tempus continuuit, vel eo effuso, diu odorem servat; quid dixerit quispiam de ea zona, quæ vere ineffusum illud ac divinum unguentum (purissimum, inquam, ac immaculatissimum Dei Genitricis corpus) diu involvit ac complexa est? Num in ævum curacionum fragrantiam servabit, eosque qui fide ac amore accidunt, suavitatem complebit? Fragrantiam scilicet non ejusmodi quæ effeminet ac reproba sit, sed quæ divina omniue veneratione prosequenda; quæ denique morbos animi ac corporis acerrima vi profliget atque depellat. Ac, siquidem vas inanime, ut diximus, hoc comparatum habet, ut ejus unguenti quod continuuit qualitate imbuatur, quid de illa dicemus quæ animato Dei Verbi habitaculo adhæsit? Non accurremus? non procidemus? non emundationem animi et corporis ex ea consequi omnino flagitabimus? Quid vero? non et tanquam viventem alloquemur, laudisque cantica offeremus? Id certe faciamus.

O zona, quæ vitae fontem cinxisti, atque iis qui te colunt vitam æternam præbes! O zona, quæ eorum qui ad te accurrunt quæ lumbis inest libidine exstinguis, iisque fortitudinem ac robur ad præstandas virtutes atque optima gerenda tribuis! O zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem contrahis atque astringis, hostesque nostros tunc visi-

biles, tum qui oculorum aciem fugiunt, impedis! Sed quid mihi accidit, ut dum castissimæ compunctus desiderio sermonis impetu feror, fasciarum oblitus sim? At neque mirum; dum enim laudatur Mater, Matris amans Filius propense letatur ac jucundatur. Sed et legi naturæ cedentes, quanquam res naturam excedunt, Matri primum honorem persolvimus. Neque prorsus, qui omni prorsus bonitate superior sit, Dominus repudiabit. Tanquam enim qui vere ex ea homo procedere voluerit, ac ejus Filius audire, ipse totus misericordie visceribus affluens, quod audacie videatur (quippe humana præsumptum consuetudine) non ingratum habebit. Verum cum fasciarum meminerim, rursus ad eam quæ peperit provehor. Haec enim castis suis manibus illas consecit. Haec infantili more, qui magnus Dominus es, maternis manibus in eis involvit. Haec illis astrictum in sinu gestans lactabat, ipsum nimis rur qui omni naturæ spiritum dat ac escam.

At, o fasciæ, quæ liberatorem Dominum involvistis, ac nostrorum catenas delictorum dissolvestis! O fasciæ, quæ fortem Dominum constrinxistis, nostrique generis imbecillitatem roborastis! O fasciæ, quæ fideles quidem muniatis tutoque undique præsidio servetis; adversarios vero vinciat ac profigetis!

Sed o fasciæ et zona veneranda; sanctimoniam mihi, roburque et propitiationem atque salutem tribuite; mihi pariter ac iis qui venerandum hoc templum adeunt, ac adoratione funguntur! O veneranda zona, quæ tuam undique civitatem ambis ac foves, atque a grassantium Barbarorum tutam insidiis prætas! O zona pretiosa quæ Deum Verbum in utero infantem involvisti, indeque quam nobis impertis, eurationum benedictionem afflatum hausisti! O clara zona, quæ incorruptæ Dei Matris castissimo corpori castissime adhæsist, indeque corrogata incorruptione, nulla vitii labe aut corruptione, ad nostram usque ætatem, ut vera quædam traditione ad nos perlatum venit, consistis!

Enimvero quid etiam inconcessa tentamus, et carceres transilire contendimus, dum haec orando pro dignitate dilaudare studemus ac celebrare, quod et angelis impossibile est. Cæterum pretiosa, omni pretio ac existimatione majoris Dei Matris zona, constringe lumbos nostros, veritate, justitia, mansuetudine. Fac æternæ atque beatæ vitae hæredes, fragilemque ac mortalem nostram hanc vitam, ab hostiū invisibilium visibiliumque insidiis tutam præsta. Fidem custodi in pace inconcessam. Tuam hæreditatem, tuum populum, o intemeratissima intemeratissimæ zona, rectos in fide, ea quæ divinis rationibus instituitur vita incolumes, ab omni quavis illæsos injuria, conserva. Te robur adjutoriumque habeamus, murum ac vallum, portum ac salutare perfugium.

Tu vero, o castissima, optimaque ac misericordissima Domina, Christianorum solatium, paratis-

simum peccatorum refugium, ne tua nos opitulatione destitutos reliqueris. Si enim abs te relict fuerimus, quo<sup>m</sup> vero etiam confugiemus? Quid autem etiam nobis siet, o sanctissima Dei Genitrix, quæ Christianorum spiritus ac fatus exsistis? Quemadmodum enim corpus nostrum hoc certum vitalis actus indicium habet, quod spiritum ducat; sic et tuum sanctissimum nomen indesinenter in servorum tuorum ore in omni occasione et loco et tempore versans prolatumque, vita et jucunditatis et auxilii non solum indicium est, sed causa efficitur. Protegas nos tuæ bonitatis alis: tuis nobis intercessionibus esto præsidium; præbens vitam æternam, quæ Christianorum spes quæ non confundit, exsistis. Nos enim qui divinorum ergo operum morumque pauperes simus, dum per te nobis exhibitas benignitatis divitias cernimus, propense dicamus: « Misericordia Domini plena est terra<sup>18</sup>. » Nos, in multitudine peccatorum a Deo extores, per te Deum quæsivimus; inventoque, salvi facti sumus. Igitur potens ad salutem præstandam auxilium tuum, o Dei Genitrix, ac ejusmodi, ut nullum alium intercessorem necessarium habeat ad Deum. Id quoque nos cum perspectum habeamus, sed et periculo ipso inde didicerimus, quod sæpius pertentes, te ferventissimam nostram opitulationem nacti, petitionum abunde præstationem accipimus, nunc quoque, populus tuus, tua hæreditas, grex tuus, de Filii tui honestatus appellatione, ad te confugimus. Plane enim, nullus tuæ magnificentiae finis; insatiabilis opitulatio tua. Nullus munerum tuorum numerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctissima, salutem consequitur. Nullus nisi per te, o immaculatissima, qui a malis liberetur. Nullus nisi per te, o castissima, cui donum indulgeatur. Nullus nisi per te, o honoratissima, cui gratia munus misericordia præstetur. Quamobrem, quis te beatam nos prædicabit? quis non laudabit? quis non magnificabit, quanquam non pro dignitate, summa tamen alacritate animique contentione: te, inquam, gloriosam; te beatificandam; te, qui ab ipso Filio tuo ac Deo magnalia nacta sis, ut magna et admiranda: quamobrem te laudant omnes generationes.

Quis sicut tu, secundum unum Filium tuum, humani generis curam gerit? Quis ita in nostris ærumnis nos defendit? Quis tam celeriter præveniens a temptationibus ingruentibus nos eruit? Quis pro peccatoribus supplicando sic et tu, enititur? Quis sic expromittens pro eis excusat, quorum nulla spes emendationis? Quæ enim materna polleas fiducia ac potestate, erga Filium tuum, peccatis prædamnatos, ac qui nec in cœlum sursum suspicere audeamus, supplicationibus tuis ac intercessionibus servas, ac ab æterno suppicio liberas. Quamobrem is qui affligitur, ad te confugit. Qui alienus injuria lœditur, ad te accurrit. Qui

malis tenetur ac implicatur, tuam opem invocat. Omnia tua, Dei Genitrix, incredibilia miraque sunt; cuncta naturam excedunt, cuncta rationem et potentiam. Quocirea etiam protectio tua, intelligentiæ vim omnem superat. Qui enim repulsi, fugati, hostium loco habiti erant, partu tuo reconciliasti ac necessitudine junxisti filiosque ac hæredes fecisti. Tu, quotidie peccatis gurgite naufragis adjutrices manus porrigens, a fluctibus extrahis. Tu, nequissimi hostis adversus servos tuos invasiones, sola tui nominis invocatione sanctissima depellens ac fugans, tutos atque incolumes reddis. Tu, eos qui te invocant, ex omni necessitate, ex omnis generis temptationibus, o immaculatissima, mature ipsa præveniens, liberas. Quamobrem ad templum tuum sedulitate animi accurrimus; in quo cum stamus. in ipso nos cœlo stare credimus. In eo tuis impensi landibus, cum angelis nos choros ducere existimamus. Eequodnam enim genus hominum, talem claritatem, talem defensionem, tale patrocinium nactum est, præter unum Christianorum? quis sive intentos in venerandam tuam zonam, o Dei Genitrix, ferens oculos non statim jucunditate repletur? quis fervore animi illi procidens, non impetrato quod cominodum petebat, inanis exivit? quis figuram tuam contutus, non subito ærunnae omnis oblitus est? Sed et ii qui ad venerandum tuum templum in quo pretiosam tuam zonam, Filiique tui ac Dei nostri fascias, quorum et hodie depositionem celebramus, condi voluistī, conveniunt, quanto gaudio, quanta letitia ac jucunditate fruantur, nullis exponi verbis possit.

At, o urna, ex qua manna refrigerii, malorum nos ardoribus exusti, ehibimus! O mensa, per quam qui fame tabescemus, pane vitae supra modum repleti sumus! O candelabrum, cuius fulgoribus, qui in tenebris sedebamus, ingenti luce perfusi sumus! Habes ex Deo quod sit ex dignitate ac addececat, laudis præconium: at neque indignum nostrum ac impar (nostro tamen desiderio amoreque oblatum) repuleris. Ne quam depangunt ora polluta laudem, o laudatissima, quæ ipsa benevolentia animo offeratur, rejecris. Ne indignæ linguae sermonem supplicem abomineris, sed vicissim amorem commetiens, a Deo glorificata peccatorum nobis indulgentiam, æternæ vite delicias, atque ab omni labore liberationem, præbe. Respic de sancto habitaculo tuo, hanc te circumstantis fidelissimi populi coronam, quæ te Dominam et patronam herisque sortita sit; quæ ad tuas ex animo laudes celebrandas convenit, o Dei Genitrix, divinaque tua inspectione visitans, ab omni ærumnâ ac clade erue; ab omnis generis morbis, omnis generis labore, omnis generis injuria, præsta incolumem; omni gaudio, omni sanitatem, omni gratia adimple; inque Filii tui clementissimi Domini nostri adventu, quando omnes Judicii astabimus,

<sup>18</sup> Psal. xxxii, 5.

potenti manu tua (ut quæ materna fiducia polleas et potestate) ab aeterno eductos igne, fac, queso, æterna nos bona consequi : gratia et benignitate

nati ex te Domini nostri Jesu Christi; eni gloria et imperium, nunc, et in secula sæculorum. Amen.

## VENERABILIS BEDA.

I. — *Joseph vir, id est minister, Mariæ. — Cur Christus elegit virginem despontam? — Nullum de Joseph genuit infantem Maria, virgo perpetua.*

*Jacob autem genuit Joseph.* Interrogari solet quomodo Matthæus Joseph Jacob patrem habere dixerit, Lucas vero Heli narraverit. Sed respondendum est quod isti Jacob et Heli fratres erant, habentes diversis temporibus, ex diverso venientes genere, qui avi Joseph esse videntur, ex una eademque uxore Esai nomine : Mathan, qui per Salomonem genus ducit, filium habuit Jacob; et Mathat, qui per Nathan genus ducit, ex eadem tribu, sed non eodem genere, eo defuncto, filium accepit Heli : et sic Jacob et Heli diverso genere patrum fratres sunt uterini, quorum alter, id est Jacob, defuncti fratri Heli accipiens uxorem, genuit Joseph secundum naturam suam; secundum vero præceptum legis, fratris filium.

*Virum Mariæ.* Id est, ministrum Mariæ : non tibi subeat nuptiarum æstimatio, sed quod in Scripturis sponsæ vocentur uxores memento.

*De qua natus Jesus Christus.* Pulchre posuit non de quibus, sed de qua, id est, sola virgine, sine virili semine. Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim : nam prima tessaresce decadis incipiens ab Abraham in David, terminatur secundum David, id est, juxta David a Salomone inchoans, in Jechoniam priorem, hoc est patrem, qui Joachim apud Hebreos vocatur, desinit. Tertia a secundo Jechonia, id est, filio Joachim, qui Hebraice Jochin dicitur, initium sumens, usque ad Christum pertingit, ut ipse Christus consumetur: iste vero numerus quaterdenarius ter positus, triplicem Israeliticæ populi historice demonstrat distinctionem, quarum prima sub patriarchis et sacerdotibus et judicibus fuit ante reges; secunda sub regibus, et prophetis, et sacerdotibus; tertia sub ducibus, et prophetis, et sacerdotibus post reges. Nam mystice decem ad Decalogum, quatuor ad Evangelia, tria ad Trinitatis fidem respiciunt: quia per concordiam legis et Evangelii fides sanctæ Trinitatis prædicantur: quadrigenarius vero numerus typum præsentis sæculi tenere videtur, dum anni quadriparititis vicibus currunt, et mundus quatuor partibus terminatur; quemadmodum denarius numerus quater ducens, efficit quadragesima, et bene binarius numerus additus est, quia duo Testamenta significat, per quæ Christus universam regit Ecclesiam: et quid sibi in bono placeat, quid in pravo displiceat, patefecit; seu duo præcepta charitatis numerus ipse demonstrat, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Potest etiam aliter quadrigenarius numerus intelligi: septies seni quadragesima duo faciunt; et quemadmodum Israeli-

ties populus de Ægyptiaca servitute liberatus, septies sena, id est quadragesima duo arctissimæ viæ in deserto metatus est estra; sed accepto duce Jesu, aperto mox Jordane promissas sedes victimis hostibus adit: sic Dominus Jesus quadragesima secunda generatione, et quo mundus credente Abramum excitatis tenebras discussit, in carne veniens ad participantem nobiscum mortalitatem descendit. Et per tot viros quasi ejusdem numeri mansiones ad intelligibilem Jordanem, id est, virginem Mariam sancti Spiritus gurgite plenam, duce Jesu Christo ventum sit: qui quasi hamus positus, tortuosum draconem adnecatum occidit. Matthæus ab Abraham incipiens usque ad Joseph descendendo, genealogiam Christi exposuit. Lucas vero a Christo incipiens, usque ad ipsum Dominum ascendendo, septuaginta septem generationes enumeravit. In descensione humilitas Christi designatur, qui, juxta Apostolum, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip. ii, 7*): in ascensione exaltatio nostra designatur, quia ad hoc humiliatus est Christus, ut nos exaltaret. Porro numerus ille mysticus prorsus omnium remissionem significat peccatorum; unde in Evangelio dicitur: *Non dico tibi usque septies, et reliqua* (*Matth. viii, 22*).

*Christi autem generatio sic erat.* Superius jam nominatis progenitoribus, si istam sententiam ad priora vis addere; si vero ad sequentia, demonstrat quod isto modo incipiebat fieri.

*Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph.* Interrogari solet quare Christus ex virgine, et tamen desponsata, nasci voluisse. Sed respondendum est quod quatuor causis hoc ita gestum esse credimus: ut Maria in Ægypto fugiens, solarium ministerii haberet a Joseph, et ne quasi adultera lapidaretur, et Christus quasi fornicationis filius despiceretur, et ut genus Christi per Joseph ostenderet.

*Qui fuit propinquus Mariæ.* Quia non erat consuetudo historicis mulieres in genealogia numerare, et ut diabolum lateret nativitas ejus, æstimantem Christum de Joseph semine natum; aliter enim in eum manus extendere non auderet.

*Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* A Joseph in utero eam habere dicit inventam; et licet quasi specialiter dicat *de Spiritu sancto*, tamen credere debemus quod hominem Jesum non solus Spiritus sanctus, sed tota Trinitas in utero Virginis formavit. Ideo namque specialiter quasi *de Spiritu sancto* dicit, quia illum Deus Trinitas formavit in Virgine; qui adventu suo donum Spiritus sancti in se creditibus large ministrevit.

*Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

Ea quippe justitia ut misericorditer propinquæ

censuleret justus erat, de qua Scriptura dixit: *Misericordiam volo et non sacrificium* (*Matth. xii, 7*); non ea qua Scribæ et Pharisæi elati, justos se quasi æmulatores legis æstimabant, cum crudeliter proximorum sanguinem effunderent, propter transgressio-  
nem legis, quam nequaquam ipsi observabant.

*Ipse autem salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Illum, de quo dictum est in Evangelio, popu-  
lum sine dubio: *Quotquot autem receperunt eum, et reliqua* (*Joan. xi, 12*): non illum, de quo dictum est: *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan. i, 11*).

*Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Non, ut quidam male æstimant, Maria post Christum alios filios de Joseph peperit, qui fratre-sunt Domini dicti; sed *donec hoc loco pro infinito tempore ponitur*, sicut in Psalmis dictum est: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (*Psalm. cix, 1*). Et notandum quod omnes unigeniti primogeniti dici possunt. Porro omnes primogeniti non possunt, emm eos alii sequuntur; et recte primogenitus dictus est, quia in multis fratribus primus devicta morte surrexit, eisque resurgendi pre-  
bebat exemplum. (*In Matth. Evang. Expos. lib. i, cap. 4.*

II. — *Joseph integrissimæ virginitatis Mariæ custos et testis.* — *Maria hebraice interpretatur « Stella maris, » Syriace « Domina. » — Mariæ verecun-  
dia ab omnibus imitanda mulieribus. — *Maria vere Dei Genitrix, seu Theotocos.* — *Mariæ humilitas.* — *Salutat Elisabeth.* — *Canticum « Magnificat. »**

*In mense sexto, missus est angelus Gabriel a Deo, in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Idcirco angeli privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque etenim in illa sancta civitate, quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perfecit, idcirco propria nomina sortiuntur, nec eorum personæ sine nominibus seiri non possint: sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Ad Mariam ergo virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo uocatioatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aeras potestates humiliis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur, *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psalm. xxiii*). Et rursum, *Dominus virtutum ipse est rex gloriae* (*Ibid.*). Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in prælio, contra potestates aeras ad bella veniebat. Mensem autem sextum, Martium intellige, cuius vicesimo et quinto die Dominus noster et conceptus traditur et passus, sicut et vice-  
sim quinto die mensis Decembris natus. Quod vel hoc hodie (ut nonnulli arbitrantur) æquinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri credamus, convenit utique cum lucis incremento concipi, vel nasci eum qui illuminat omnem hominem venientem in mundum. At si quis ante dominicæ nativitatis et

conceptionis tempus lucem vel crescere, vel tenebras superare convicerit, dicimus et nos quia et Joannes tunc ante faciem adventus ejus regnum eolorum evangelizabat, et nunc quoque prædictoribus imperatur: *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psalm. lxvii*). Cur autem Joannes circa æquinoctium autumnale conceptus, circa solstitium æstivum sit natus, docet ipse qui vel ex sua, vel ex Veteris Testamenti (ut multi autuunt) persona loquitur; *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan. iii*).

*Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.* Multas ob causas Salvator non de simplici virgine, sed de sponsa voluit nasci. Primo videlicet, ut per generationem Joseph, cuius Maria cognata erat, Mariæ quoque nosceretur origo. Neque enim moris est Scripturæ feminarum genealogiam texere. Nam et de utroque potest intelligi quod dicitur de domo David. Deinde, ne velut adultera lapidaretur a Judeis, malens aliquos de suo ortu, quam de pudore dubitare parentis. Simul et virginibus impudicis occasionem tollens, ne matrem quoque Salvatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, ut in Ægyptum fugiens et inde rediens haberet solarium viri, qui integerrime virginitatis custos pariter ac testis existeret. Quarto, ne partus ejus diabolo pateret; qui si eum de virgine natum cognosceret, forsitan quasi cæteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. Maria autem Hebraice stella maris, Syriace vero domina vocatur; et merito, quia et totius mundi Dominum, et lucem sacculis meruit generare perennem.

*Et ingressus angelus ad eam, dixit, Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Bene gratia plena vocatur, quæ nimis gratiam quam nulla alia meruerat, assequitur, ut ipsum videlicet gratiæ concipiatur et generetur auctorem.

*Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris initari. Sola in penetralibus quam nemo virorum videret, solus angelus reperit, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degeneri depravaretur affectu, ab angelo salutatur. Disce, virgo, verborum vitare lasciam. Maria etiam salutationem angeli verebatur. *Erat tamen cogitans, inquit, qualis esset hæc salutatio.* Et ideo cum verecundia, quia pavebat. Cum prudenter, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta.

*Et ait angelus ei, Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Quan salutatione insolita, ut poëtæ ei soli servabatur, viderat turbatam, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat jubet. Et quia gratia plena vocaverat, eamdem gratiam et astruit plenius, et uberior explicat, dicens:

*Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Jesus salvator, sive salutaris interpretatur. Cujus sacramentum nominis alloquens Joseph angelus exposuit: Ipse enim, inquiens, salvum faciet populum suum a peccato eorum. Non ait, populi Israel, sed populum suum, hoc est in unitatem fidei ex praepotio et circumcisione vocatum, quibus ex diversa parte congregatis fieret unus pastor et unum ovile.*

*Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Dicunt est et de Joanne quod erit magnus, sed ille quasi homo magnus, hic quasi Deus magnus. Ille enim magnus coram Domino, hic autem erit magnus, inquit, et Filius altissimi vocabitur. Idem ergo filius Altissimi qui in utero virginali conceptus et natus est. Idem homo in tempore, creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantum dicere ex virgine natum, et hunc a Verbo Dei non in unitatem personæ, sed in societatem inseparabilem esse receptum. Alioquin non unum Christum, verum Deum et hominem, sed duos (quod dici nefas est) asserere, ac per hoc non Trinitatem, sed quaternitatem prædicare convincitur. Catholica autem fides sicut unum quenlibet hominem carnem et animam, ita hominem et Verbum, unum Christum rectissime confitetur, juxta quod et angeli verba significant, quæ dandam illi sedem David patris ejus asseruerant. Qui enim eundem ipsum patrem haberet David, quem Filium Altissimi vocari pronuntiat, in duabus utique naturis unam Christi personam demonstrat. Accepit autem sedem David, ut nimirum gentem, cui David quondam et filii ejus temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipse perpetuum vocaret ad regnum, quod eis paratum est ab origine mundi.*

*Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Et Isaías ait: Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solum David, et super regnum ejus, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia (Isa. ix). Non dixit in acquisitione gloriae gazarumque terrenorum, non in victoria gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum, sed in judicio et justitia. Per hæc enim regnum Christi, et in singulis quibusque fidelibus, et in universa per orbem multiplicatur pariter et confirmatur Ecclesia. Domum namque Jacob totam Ecclesiam dicit, quæ vel de bona radice nata, vel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta olivam. Quam post triumphum passionis alloquens Salvator ait: Qui timet Dominum, laudate eum; universum semen Jacob, magnificate eum (Psal. xxi). Non autem ideo futuri temporis verbis magnus exstiturus Jesus Altissimi vocandus, seeptrum David accepturus, et in domo Jacob regnaturus asseritur, quia juxta quod haeretici sapiunt atque a veritate desipiunt, Christus ante Mariam non fuerit, sed quod homo assumptus in Deum,*

clarificatus est ea claritate quam Verbum Dei habuit priusquam mundus esset apud Patrem, hoc est ut idem Filii nomen eamdem Christi personam, homo cum Deo plenus gratia et veritate sortiretur:

*Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo sit istud quoniam virum non cognosco? Propositum suæ mentis reverenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ quia prima seminarum tantæ se virtuti mancipare curavit, jure singulari præ ceteris feminis beatitate meruit excellere. Quomodo, inquit, sit istud? Non ait: Unde hoc sciam, sed, Quomodo sit, inquit, quoniam virum non cognosco. Ordinem videlicet obsequiū cui subdatur inquirens, non autem signum cui credat flagitans. Neque enim decebat electam generando Deo virginem dubiani dif- fidentia sed prudentia cautam existere, quia nec facile poterat homo nosse mysterium quod in Deo manebat a sæculis absconditum. Quia ergo legerat, Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, sed quonodo id fieri posset non legerat, merito credula iis quæ legerat, sc̄iscitatur ab angelo quod in propheta nou invenit (Isa. vii).*

*Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non virili, inquit, quod non cognoscis, semine, sed Spiritus sancti quo impleris, opere concipies. Erit in te conceptio, libido non erit. Concupiscentiae non erit æstus, ubi umbram faciet Spiritus sanctus. Verum in eo quod ait, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, potest etiam incarnati Salvatoris utraque natura designari. Umbra quippe a lumine solet et corpore formari. Et eai obumbratur, lumine quidem vel calore solis quantum sufficit reficitur, sed ipse solis ardor, ne ferri nequeat, interposita vel nube- cula levi, vel quolibet alio corpore temperatur. Beatæ itaque Virgini, quia quasi pura homo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter capere nequivat, virtus Altissimi obumbravit, id est, incorpore lux divinitatis corpus in ea suscepit humanitatis. De qua pulchre propheta: Ecce Dominus, inquit, ascendit super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (Isa. xix), quod est dicere: Ecce Verbum Dei Patri coæternum, humanumque de lumine ante sæcula natum, carnem in fine sæculorum atque animam nullo peccati pondere gravatam suscipiet, et de utero virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, (Psal. xviii) procedet in mundum.*

*Ideoque, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe et si sancti efficiemur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur. Ut merito cum Propheta gementes singuli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (Psal. i.). Ille autem solus veraciter sanctus est qui, ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vincere, ex commissione carnis copulæ conceptus non est. Sanctum (inquit) vocabitur Filius Dei. Quid hic dicas, Nesto-*

riane, qui beatam Mariam Dei negans esse genitricem, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quae Deum edidit, quomodo Θεοτόκος, id est, Dei genitrix non esse potest?

*¶ Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Ne virgo se parere posse diffidat, accipit exemplum sterilis anus pariturae, ut discat omnia Deo possibilia, etiam quæ naturæ ordine videntur esse contraria. Si quem vero movet quomodo beatæ Mariae cognatam dicat Elisabeth, cum hæc de domo David, illa de siliabus Aaron originem duxerit, animadvertis proavos earum liberis invicem nuptum traditis utramque tribum potuisse conjungere. Cui si hæc expositio forte non sufficerit contentiosius insistenti, quasi hoc contra interdictum legis fieri nequiverit, legat Exodum, ubi scriptum est: Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, et Abiud, et Eleazar, et Ithamar (Exod. vi). Videatque ante edictum legis, superna provisione sacerdotalem, regali junctam jam fuisse progeniem. Ut videbilet Dominus Jesus Christus, qui secundum carnem verus Rex et sacerdos erit futurus, ipsam quoque carnem de utraque, David scilicet et Aaron stirpe susciperet. Unde et in hac utraque tribu chrisina per legem mysticum celebraatur, Christi nimirum nominis pariter et generationis prænuntium. Et ipse David dominum Dei ingrediens, panem sanctum et gladium quasi rex et sacerdos accepit. Illum, videlicet, de suo semine venturum præfigurans, qui et pro nostra libertate regis jure pugnaret, et pro nostra absolutione paneum suæ carnis offerret.*

*Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini. Fiat mihi secundum verbum tuum. Quanta cum devotione humilitas, quæ et angeli promissum optat impleri, et seipsam quæ mater eligitur ancillam nuncupat? apertissime insinuans quam nil sibi meriti vindicet, in eo quod Domini jussis obsecundet. Fiat (inquit), sine viri semine conceptus in virgine, nascatur de Spiritu sancto integra carne sanctum, quod nascetur de femina matre sine homine patre, vocetur Dei Filius.*

*Et discessit ab illa angelus. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Accepto virginis consensu, mox angelus cœlestia repetit, illa petit montana. Festinat invisere Elisabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo, sed ut leta pro voto, religiosa pro officio. Typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima quæ verbum Dei mente conceperit virtutum statim celsa cæcumua gressu concendat amoris, quatenus civitatem Juda, id est, confessionis et laudis, arcem penetrare, et usque ad perfectionem fidei, spes et charitatis, quasi tribus in ea mensibus valeat commorari.*

*Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Disce, virgo humilitatem, Marie, ut et corpore casta et pectore possis esse devota. Visitat junior seniorem, salutat virgo uxorem. Decet enim ut quo castior virgo, eo sit humilior, et senioribus deferens, habitum castitatis præconio commendet humilitatis. Alter: Maria ad Elisabeth, Dominus venit ad Joannem, hæc ut Spiritu sancto repleatur, illius ut baptisma consecretur. Majorumque humiliatio minorum est utique exaltatio. Denique sequitur:*

*Et factum est ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exsultavit ratione mysterii. Illa Mariae, iste Domini sensit adventum. Iste gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium materni adorantur profectibus, dupliceque miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, et repleta mater est. Non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem.*

*Et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Notandum quod præmissa de Christo prophetia non rerum tantum miraculis, sed et verborum proprietate compleetur. Iste est enim fructus, qui David patriarchæ sub jurejurando promittitur: De fructu ventris tui ponam super sedem meam (Psal. cxxxi). Similique intuendum quod eadem voce Maria ab Elisabeth quæ a Gabriele benedicitur, quatenus et angelis et hominibus veneranda, et cunctis merito feminis præferenda monstretur.*

*Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Non quasi nescia perquirit quod nimirum sancti Spiritus esse cognoscit, se videlicet a matre Domini ad pignoris sui profectum salutari, sed, miraculi novitate perculta, non hoc sui meriti, sed naueris fatetur esse divini.*

*Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gudio infans in utero meo. Erubescet Elisabeth onus parientis, quandiu nesciebat mysterium religionis. Sed quæ occultabat se quia conceperat filium, jactare se cœpit quia generabat prophetam. Et quæ ante erubescet benedicit, et quæ dubitat ante firmatur. Ecce enim (inquit) ut vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exsultavit gudio infans in utero meo. Itaque magna voce clamavit, ubi Domini sensit adventum, quia religiosum credidit partum. Nulla enim causa erat pudoris, ubi prophete ortus datae, non affectatae fidem generationis ascisceret.*

*Et beata quæ credidit, quoniam perficiuntur ea quæ dicta sunt ei a Domino. Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam. Beata (inquit) quæ credidit. Et vere beata, quæ sacerdote præstantior. Cum sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus, redem*

parus mundum, operationem suam inchoavit a matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Pariterque notandum quanta Elisabeth animum gratia, Maria intrante, ditavit, quem simul de præterito, præsenti, atque futuro, per prophetæ spiritum illustravit. Dicens euini, *Beata quæ credidisti*, aperte indicat quia verba angeli quæ dicta ad Mariam fuerant per spiritum agnovit. Atque subjungens: *Perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi a Domino*, quæ etiam eam in futuro sequerentur prævidit. Matrem vero Domini sui nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portare intellexit.

*Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Tanto (inquit) me Dominus tamque inaudito munere sublimavit, quod non ulla linguae officio explicari, sed ipso vix intium pectoris affectu valeat comprehendendi, et ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus cuius non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratianter impendo, quia et ejusdem Jesu, id est salutaris, spiritus meus, aeterna divinitate laetatur, cuius mea caro temporali conceptione fatur. Cui simile est illud Psalmistæ: Anima autem mea exsultabit in Domino, et deliciabitur super salutari ejus (Psal. xxxiv).* Et ipse enim patrem Filiumque pari venerabatur amore.

*Quia respexit humilitatem ancillæ sue. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Cujus humilitas respicitur, recte beata ab omnibus cognominanda gratulatur, sicut e contrario cuius superbia despectu condemnatur, Evæ, id est, vœ, sive calamitatis nomine, multata tabescit. Decebat enim ut sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intravit, ita denuo per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.*

*Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Ad initium earminis respicit, ubi dictum est: Magnificat anima mea Dominum. Solet quippe anima illa cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconis magnificare, et ad consortes ejusdem voti ac propositi potest cohortando dicere: Magnificate Dominum mecum, et exsultemus nomen ejus invicem (Psal. xxxiii). Nam qui Dominum quem cognovit, quantum in se est, magnificare et nomen ejus sanctificare contemserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum autem nomen ejus vocatur, quia singularis enlime potenti transcendent omnem creaturam, atque ab universis quæ fecit longe segregatur. Quod Græca locutione melius intelligitur, in qua ipsum verbum quod dicitur ἄγιον, quasi extra terram esse significat. Cujus etiam nos imitatione pro modulo nostro segregari præcipimus ab omnibus qui non sunt sancti, nec Deo dedicati. Diceente Domino: Sancti estote, quia et ego sanctus sum (Levit. xi). Quicunque enim se conseruaverit, merito extra terram et extra mundum videbitur. Potest enim et ipse dicere, super terram*

ambulantes conversationem in cœlis habemus.

*Et misericordia ejus in progenie et progenies timenteribus eum. A specialibus se donis ad generalia Dei judicia convertens, totius humani generis statum describit, et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filii Adæ per liberum arbitrium, quid filii Dei sint per gratiam, alternis versibus explicat. Non ergo, inquit, soli nihili fecit magna qui potens est, sed et in omni gente et progenie qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.*

*Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. In brachio suo, in ipso Dei Filio significant. Non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis heredit, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operatis, sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum. Cur euim homo brachium ut aliquid operetur extendit, nisi quia continuo sit quod dixerit? Si autem tanta potestate prævaleret ut sine ulla motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset. Cum ergo audivimus brachium Dei Patris esse Deum filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis, sed quantum illo donante possumus Dei virtutem et sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia.*

*Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et dicites dimisit inanes. Quod dixit in brachio suo, et quod promisit in progenies et progenies, his quoque ἀπὸ τοῦ πονοῦ per singula commata est adnectendum versiculis, quia videlicet per omnes sæculi generationes et perire superbi, et humiles exaltari, pia justaque divinæ potentiae dispensatione non cessant.*

*Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ. Pulchre puerum Domini appellat Israel, qui ab eo sit ad salvandum susceptus, obedientem videlicet et humilem, iuxta quod Osee dicit: *Quia puer Israel, et dilei eum (Ose. xi).* Nam qui contemnit humiliari, non potest utique salvari, nec dicere cum Propheta: *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ (Psal. lvi).* Quicunque autem humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum (Matth. xviii).*

*Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham et semi ejus in sæcula. Semen Abrahæ, non carnale, sed spirituale significat, id est, non ejus tantum carue progenitos, sed sive in circumcisione, seu in præputio fidei illius vestigia secutos. Nam et in præputio positus ipse creditit, reputatumque est ei ad justitiam. Atque ejusdem fidei signaculum circumcisionem accepit, ut sic utriusque populi pater fieret per fidem, iuxta quod Apostolus ad Romanos plenissime dissernit. Adventus ergo Salvatoris Abrahæ est et semi ejus in sæcula promissus, hoc est filii promissionis quibus dicitur: *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem heredes (Galat. iii).* Bene autem vel Domini vel Joannis*

exortum matres prophetando præveniunt, ut sicut peccatum a mulieribus cœpit, ita etiam bona a mulieribus incipiant, et quæ per unius deceptionem periit, duabus certatim præconantibus mundo vita reddatur.

*Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. Tandiu mansit Maria, donec Elisabeth partus tempore completo præcursoris Domini sui, propter quam maxime venerat, nativitatem videret. Dictum est autem supra, quod omnis anima casta quæ spiritale verbi desiderium conceperit, alta mox necesse sit exercitiū cœlestis juga subeat, et quasi trium mensium dies ibidem demorata, quousque perfecta principalium virtutum luce radietur, perseverare non desiitat. Quos nimirum perfectissimi fulgoris menses describens Apostolus ait: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem his est charitas (I Cor. xiii). (In Luc. Evang. lib. I, cap. 1.)*

III. — *Fratres Domini, non tibi Joseph aut Mariæ, sed cognati ipsorum intelligendi sunt.*

*Et egressus inde abiit in patriam suam, et sequebantur illum discipuli sui; et facto Sabbatho cœpit in synagoga docere. Et multi audientes admirabantur in doctrina ejus dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi, et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur? Patriam ejus Nazareth dicit, in qua erat nutritus. Sed quanta Nazarenorum cœxitas, qui eum quem in verbis factisque ipsius, si mens non levis fuisset, Christum cognoscere poterant, ob solam generis notitiam contemnunt. Sapientiam autem ad doctrinam, virtutem referunt ad sanitates et miracula, quæ faciebat. Quæ solerti ac pulchra distantia commemorat Apostolus dicens: Iudæi signa petunt, et Græci sapientiam querunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis vero vocatis Iudæis et Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. i). In qua nimirum sententia virtutem ad signa retulit propter Iudæos, sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est gentes.*

*Nonne iste est faber filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Iuda, et Simonis? Nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabuntur in illo. Scandalum et error Iudaeorum, salus nostra est, et haereticorum condemnatio. In tantum enim cernebant hominem Jesum Christum, ut hunc fabrum, et, juxta alium evangelistam, fabri clamarent filium; fratres quoque et sorores ejus secum esse testarentur. Qui tamen non liberi Joseph aut Mariæ, juxta haereticos, putandi sunt, sed potius, juxta morem sacrae Scripturæ, cognati ipsorum sunt intelligendi, quo modo Abraham et Lot fratres appellantur, cum esset Lot filius fratris Abram. Et multa habes hujusmodi.*

*Non autem sine certi provisione sacramenti Dominus in carne apparet, faber et fabri filius aesti-*

*mari ac dici voluit: quin potius etiam per hoc se ejus ante sæcula Filium esse docuit, qui Fabricator omnium in principio creavit cœlum et terram (Joan. i). Nam etsi humana non sunt comparanda divinis, typus tamen integer est, quia pater Christi igni operatur et Spiritu. Unde et de ipso tanquam de fabri filio præcursor suis ait: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (Matth. iii). Qui in domo magna hujus mundi diversi generis vasa fabricat, immo vasa iræ sui spiritus igne molliendo, in misericordiæ vasa commutat: sed hujus sacramenti Iudei ignari, divinæ virtutis opera prosapia carinalis contemplatione despiciunt. (In Marc. Evang. lib. III, cap. 6.)*

IV. — *Intemerata Virgo Maria. — Dei Genitrix Maria alios post Christum non peperit filios, fuit autem virgo perpetua castitate memorabilis.*

*Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam, civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Divinitus constat esse procuratum, ut ad suam quisque civitatem pergens ibi censum profiteretur, quatennus hoc edicto generali parentes nostri Salvatoris de Nazareth in Bethlehem venire contingeret, siveque ad compleunda vaticinia prophetarum ultra civitas incarnationis ejus insigniretur arecanis; una, videlicet, conceptionis, altera nativitatis honore præfulgens. Testatur namque Isaías propheta, quod Redemptorem nostrum in Nazareth concipi oportet, cum dicit: Egredietur virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet (Isa. xi). Interpretatur autem Nazaræus flos sive mundus. Quo vocabulo incarnatus pro nobis Dei Filius recte potuit cognominari, quia et ipse mundum vitiis omnibus naturam suscepit hominis, et in se credentibus cunctis fons spiritualium fructuum origoque processit, quibus recte ac beate vivendi et monstravit exempla, et dona concessit. Egressa est ergo virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascensit, quia intemerata Virgo Maria de stirpe David orta est, de cuius carne Dominus in civitate Nazareth veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit. Quod vero in Bethlehem esset nasciturus, hoc quoque propheticis designatur oraculis, cum dicitur: Et tu, Bethlehem Ephrata, nequaquam parvula es in millibus Iuda; ex te enim egredietur qui sit Dominator in Israel (M.ch. v; Matth. ii). Qui bene in Bethlenem natus esse dicitur, non solum propter judicium regii stemmatis, quia David inde fuit, sed et propter nomen ipsius, quia Bethlehem *domus panis* interpretatur. Ipse namque ait: Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit (Joan. vi). Quia ergo propterea de cœlo ad terram descendit, ut nobis vite cœlestis alimoniam donaret, nosque æternæ dulcedinis innuere satiaret, merito locus in quo nascitur *domus panis* vocatur. Est et alia ratio supernæ dispositio- nis, qua Dominus noster non in ea quia conceptus erat civitate, sed in alia nasceretur, ut, videlicet,*

ex hoc inimicos insidiantes facilius nativitatis ejus conscripsi vel ministri devitarent. Prævidebat quippe quod eum mox natum Herodes persecui atque ad mortem querere inciperet; et propterea sic nativitatis ejus mysterium voluit in civitate David peragi, ut parentes ejus non ibi domum, non possessionem haberent, sed tantummodo tempore nativitatis ipsius illo novitii adventarent, hospites manerent, statimque, completa eadem nativitate, ac declaratis signis cœlestibus quæ ei testimonium dare [Al. om. dare] decebat [Al., dicebant], in Ægyptum cum ipso secederent. Sic etenim factum est, ut non solum eum dum quereret Herodes, minime reperiret, sed nec ullam cognatos ejus vexandi occasionem haberet, cuius parentes qui essent explorare non poterat. Nec prætereunda silentio maxima Conditoris et Redemptoris nostri dignatio, qui non solum incarnari pro nobis, sed et eo tempore voluit incarnari, quo mox natus professione censns ascriberetur. Induit enim carnem, ut nos virtute spiritus indueret; descendit de cœlo ad terras, ut nos de terris elevaret ad cœlum: solvit tributum Cesari, ut nobis perpetua libertatis gratiam donaret; servivit Dei Filius in homine regi, qui divinæ servitutis ignorabat obsequium, ut nobis per hoc etiam humilitatis formam tribueret, insinuans, videlicet, quantum per charitatem servire debeamus invicem, cum ipse non despiceret ei qui veræ charitatis erat nescius impendere servitum. Ubi hoc quoniam suo præmonstravit exemplo, quod postmodum principis apostolorum erat verbo docturno: *Subdit, inquit, estote omni creaturæ humanæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis (Rom. xiii; I Petr. iii).*

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum. Primogenitum vocat Dominum, non quia credendum sit beatam Dei Genitricem alios post eum peperisse filios, quam perpetua castitate una cum viro suo Joseph constat esse memorabilem, sed ob id eum recte primogenitum appellat, quia, sicut Joannes ait: *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* In quibus filiis ipse jure primatum tenet, qui et antequam nasceretur in carne Dei Filius, absque initio natus extiterat. Descendit autem ad terras, factus est nostræ particeps naturæ, largitus est nobis suæ participium gratiæ, ut, sicut Apostolus ait, *sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom. viii).* (Ex homil. in Galli cantu 30, int. homil. subdit.)

#### V. — HOMILIA IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIAE.

**LUCÆ I.** *In illo tempore missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria, etc.*

Exordium nostræ redēptionis, fratres charissimi, hodierna nobis sancti Evangelii lectio commendat, quæ angelum a Deo de cœlis missum narrat ad Virginem, ut novam in carne nativitatem Filii

Dei prædicaret, per quam nos, abjecta vetustate noxia, renovari atque inter Filios Dei computari possimus. Ut ergo ad promissæ salutis mereamur dona pertingere, primordia ejus intenta curemus aure percipere.

*Missus est, inquit, angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Aptum profecto humanæ restanrationis principiū, ut angelus a Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbie decipiendam; imo ipse in serpente diabolus veniebat, qui gemis humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per feminam, apte reddit et vita per feminam. Illa a diabolo seducta per serpentem, viro gustum necis obtulit; hec a Deo edocta per angelum, mundo auctorem salutis edidit.

*Missus est ergo angelus Gabriel a Deo.* Raro autem legimus quia apparentes hominibus angeli designantur ex nomine. Verum quotiescumque fit, ideo utique fit ut etiam nomine ipso quod ministraturi veniant, insinuent. Gabriel namque *fortitudo Dei* dicitur. Et merito tali nomine præfulget, quia nascituro in carne Deo testimonium perhibet. De quo Propheta in Psalmo: *Dominus, inquit, fortis et potens, Dominus potens in prælio (Psal. xxiv).* Illo nimis prælio, quo potestates aereas debellare, et ab earum tyrannde mundum veniebat eripere.

*Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.* Quod dicitur de domo David, non tantum ad Joseph, sed etiam pertinet ad Mariam. Legis namque erat præceptum ut de sua quisque tribu ac familia duceret uxorem, Apostolo quoque attestaute, qui, ad Timotheum scribens, ait: *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum (II Tim. ii).* Ideo enim veraciter ex semine David ortus est Christus, quia incorrupta ejus genitrix veram de stirpe David originem duxit. Cur autem Dominus non de simplici virgine, sed de desponsata viro concipi et nasci volebat, plurimæ a patribus rationabiles causæ proferuntur, e quibus permaxima est, ne velut stupraria damnaretur, si virum nou habens filium procrearet: deinde ut in his etiam quæ domestica cura naturaliter exigebat, puerpera solatio sustentaretur virili. Oportebat ergo beatam Mariam habere virum, qui et testis integratatis ejus certissimus, et nati ex ea Domini ac Salvatoris nostri esset nutritius fidelissimus: quique et pro eo parvulo, secundum legem, hostias ad templum deferret, et eum, instantे persecutionis articulo, in Ægyptum cum matre ferret ac referret, aliaque illi perplura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret. Nec minitum obfuit si quis illum ad tempus ejus filium creditit, cum prædicantibus Apostolis post ascensionem ejus cunctis palam credentibus, quod de virgine natus esset, patuerit. Nec prætereundum

Quod beata Dei Genitrix meritis præcipuis etiam nomine testimonium reddidit. Interpretatur enim *stella maris*. Et ipsa quasi sidus eximium inter fluctus seculi labentis gratia privilegii specialis refulsiit.

*Et ingressus autem angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ salutatio quantum humana consuetudine inaudita, tantum est beatæ Mariæ dignitati congrua. Vere etenim gratia erat plena, cui divino munere collatum est, ut prima inter feminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Unde jure angelico aspectu simul et affatu meruit perfrui, quæ angelicam studebat vitam imitari. Vere gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia et veritas facta est, Iesum Christum generare donatum est. Et ideo vere Dominus cum illa erat, quam et prius novæ castitatis amore a terrenis ad cœlestia desideranda sustulit, et postmodum, mediante humana natura, omni plenitudine divinitatis consecravit. Vere quoque benedicta inter mulieres, quæ sine exemplo muliebris conditionis cum decore virginitatis gavisa est honore parentis, quodque virginem matrem decebat, Deum filium procreavit. Quæ postquam more humanae fragilitatis, et visione angelica, et insolita est salutatione turbata, mox idem angelus eam repetito sermone ne timeat bortatur : quodque maxime timorem pellere consuevit, quasi bene cognitam ac domesticam proprio eam nomine vocat, et quare gratia plenam diceret, diligenter edocet.*

*Ne timeas, inquit, Maria, invenisti eum gratiam apud Deum. Ecce concupies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Iesum : hic erit magnus, ei Filius Altissimi vocabitur. Notandus solerter ordo verborum, et tanto arctius est cordi inserendus, quanto manifeste patet quia in his tota redemptionis nostræ summa consistit. Nam manifestissime Dominum Jesum, id est, Salvatorem nostrum, et verum Dei Patris, et verum hominis matris Filium prædicat.*

*Ecce, inquit, concupies in utero, et paries Filium. Agnosce verum hunc hominem, veram de carne virginis assumpsisse substantiam carnis.*

*Hic erit magius, et Filius Altissimi vocabitur. Confite etiā Deum verum deo vero, et aeterno Patri filium semper esse coeternum. Quod autem futuro tempore dicitur, hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, nemo ita intelligendum putet quod Dominus Christus ante partum virginis non fuerit, sed ita hoc potius dictum intelligamus, quia potentiam divinæ majestatis quam Dei Filius aeternaliter habuit, hanc idem homo natus ex tempore accepit, ut una in duabus naturis persona esset mediatoris ac Redemptoris nostri.*

*Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Sedem David regnum dicit Israelitæ plebis, quod suo tempore David, jubente pariter et juvante Domino, fideli devotione gubernavit. Dedit ergo Dominus Redemptori nostro sedem David patris ejus, quando hunc de genere David incarnari disposuit, ut populum quem David temporali rexit imperio, ipse gratia spirituali ad aeternum proveheret regnum de quo Apostolus*

ait : *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* (*Coloss. i*). Hinc est quod idem populus divino admonitus instinctu, cum passorus ille Hierosolymam properaret, in ejus laudem gaudens decantabat : *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel* (*Joan. xi*). Et juxta alium evangelistam : *Benedictum quod venit regnum patris nostri David* (*Marc. xi*). Aderat enim tempus quo redempti per ejus sanguinem mundi rex agnoscetur, non solum dominus David, sed et totius Ecclesiae, immo omnium conditor et rector saeculorum. Unde recte angelus, postquam dixit, *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, continuo subjunxit, Et regnabit in domo Jacob in aeternum*. Domum namque Jacob Ecclesiam dicit universam, quæ per fidem et confessionem Christi ad patriarcharum pertinet sortem, sive in iis qui de patriarcharum stirpe carnis originem duxerunt, seu in illis qui de aliis nationibus carnaliter editi, spirituali lavacro sunt in Christo renati. In qua videlicet domo regnabit in aeternum, et regni ejus non erit finis. Regnat quippe in ea in praesenti vita, cum electorum corda per fidem et dilectionem suam inhabitans regit, atque ad percipienda supernæ retributionis dona continua protectione gubernat. Regnat in futuro, cum eosdem, finito statu temporalis exsilio, ad habitationem patriæ cœlestis introducit : in qua praesenti ejus visione semper admoniti nihil aliud agere quam ejus vacare laudibus gaudent.

*Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Quomodo, inquit, fieri potest, ut concepiam pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitam consummare disposui ? Non autem quasi incredula verbis angeli, quomodo haec impleri valeant, inquirit, sed certa quia oportebat impleri quod et tunc ab angelo audiebat, et prius a propheta dictum legerat, quo id ordine implementum sit, interrogat : quia videlicet propheta qui hoc futurum prædictit, quomodo fieri posset non dixit, sed angelo dicendum reservavit.*

*Respondens ergo angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nasceret ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Supervenientis in virginem spiritus Sanctus duobus modis, in ea divinæ suæ potentiae efficaciam ostendit : quia et mentem illius adeo, quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitorum sorde castificavit, ut cœlesti digna esset partu ; et in utero illius sanctum ac venerabile Redemptoris nostri corpus sola sui operatione creavit : id est, nullo interveniente virili attactu, carnem de carne virginis sacrosanctam intemerata formavit. Quem enī prius aperte Spiritum sanctum dixit, hunc ipsum denuo virtutem Altissimi nominavit : juxta hoc quod Dominus, cum ejusdem Spiritus adventum discipulis promitteret, ait : *Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quo adusque induamini virtute ex alto* (*Luc. xxiv*). Obumbravit autem beatæ Dei genitrici virtus Altissimi : quia Spiritus sanctus eorū illius cum implevit, ab omni æstu con-*

cupiscentiae carnalis temperavit, emundavit a desideriis temporalibus, ac donis cœlestibus mentem simul illius consecravit, et corpus. *Ideoque et quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: quia quod de sanctificatione Spiritus concipies, sanctum erit quod gignitur. Congruit conceptioni nativitas, ut quæ contra humanæ conditionis morem virgo concipis, supra humanæ consuetudinis modum Dei Filium generes. Omnes quippe homines in iniquitate concipiuntur, et in delictis nascimur: quotquot autem donante Deo ad vitam præordinati sumus æternam, ex aqua et spiritu sancto renascimur. Solus vero Redemptor noster pro nobis incarnari dignatus, mox sanctus natus est: quia sine iniquitate conceptus est. Possumus sane in eo quod dicitur, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, altius quiddam de sacramento Dominicæ incarnationis intelligere. Obumbrari enim nobis dicimus cum, servente meridiano sole, vel arboreum medium, vel aliud quolibet umbraculi genus inter nos et solem opponimus, quo ardorem ejus vel lucem nobis tolerabiliorem reddamus. Redemptor ergo noster non immerito solis luce vel ardore designatur, qui nos veritatis scientia illustrat et amore inflamat; unde ipse per prophetam dicit: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiae* (*Malach. iv*). Cujus scilicet solis radios beata Virgo suscepit, quando Dominum concepit. Sed idem sol, id est, divinitas Redemptoris nostri, tegumine se humanæ naturæ quasi umbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viscera ferre sufficerent: sive virtus Altissimi obumbravit ei, dum divina Christi potentia et eam præsentialiter implevit, et ut capi ab illa posset substantia se nostræ fragilitatis obnubilavit.

*Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Non quasi incredulam exemplis hortatur ad fidem, sed ut bene jam credenti quæ audierat, ampliora supernæ dispensationis miracula replicat, ut quæ Dominum virgo erat paritura, præcursorem quoque Domini de anu ac diu sterili parente cognosceret esse nasciturum. Nec mirandum juxta historiam, quod Elizabeth cognata dicatur Mariæ, cum superius haec de domo David, illa de filiabus Aaron orta esse narratur. Legimus namque quod ipse Aaron de tribu Juda, de qua David ortus est, uxorem accepit, videlicet Elizabeth filiam Amminadab, sororem Naason, qui fuit dux tribus Juda in deserto, cum egrerentur ex Ægypto. Kursusque reguantibus David posteris legimus, quod Iuda pontifex maximus uxorem habuerit de tribu regali, hoc est, Josabeth, filiam regis Joram. Ipse est Iuda, cuius filium Zachariam virum sive sanctissimum lapidaverunt inter templum et altare, sicut etiam ipse Dominus beatorum martyrum mentionem faciens in Evangelio testatur. Unde tribus utraque, hoc est, regia et sacerdotalis, cognatione semper adinvicem probatur esse conjuncta. Potuit

autem hujusmodi conjunctio etiam recentiori tempore fieri, datis nuptiis feminis de tribu in tribum, ut manifeste beatam Dei genitricem, que de tribu regia descendit, cum tribu sacerdotali cognationem generis habuisse constaret, quod ministerii cœlestibus aptissime congruit. Oportebat namque ut apparet in mundo mediator Dei et hominum de utraque tribu carnis originem haberet, quia nimirum ipse in humanitate assumpta ultraquam habiturus erat personam, sacerdotis scilicet et regis. Si quidem de regia ejus potestate, qua electis suis regnum perenne tribuit, et præsens sancti Evangelii lectio tesatur: quia regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Porro de pontificali ejus dignitate, in qua pro nostra redemptione hostiam suæ carnis offerre dignatus est, testatur Prophetæ, qui ait: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal. cx*). Accepta autem tanta gratia, videamus beata Maria in quanta humilitatis arce persistat.

*Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Magnam quippe humilitatis constantiam tenet, quæ se ancillam sui conditoris dum mater eligitur, appellat. Beata in mulieribus angelico oraculo prædicatur, incognita adhuc cæteris mortaliibus arcana nostræ redēptionis edocentur: nec stolidam de singularitate meriti excellentioris singulatim extollit, sed potius suæ conditionis ac divinæ dignationis in omnibus memor, famularum se Christi consortio humiliiter adjungit, famulatum Christo devota quod jubetur, impendit. Fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum, fiat ut Spiritus sanctus adveniens me cœlestibus dignam mysteriis reddat, fiat ut in meo utero Filius Dei humanæ substantię habitum induat, atque ad redēptionem mundi tanquam sponsus suo procedat de thalamo. Cujus vocem menteisque nos, fratres charissimi, pro modulo nostro sequentes, fanulos esse nos Christi in cunctis actibus nostris motibusque recolamus, ejus semper obsequiis omnia corporis nostri membra manciperemus, ad ejus implendam voluntatem totum mentis nostræ dirigamus intuitum: sive percepitis ejus muneribus gratias recte vivendo reddamus, ut ad majora percipienda digni existere mereamur. Precedemus seduli cum beata Dei genitrice ut fiat nobis secundum verbum ejus, illud videlicet verbum, quo rationem suæ incarnationis ipse exponens, dicit: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non perireat, sed habeat vitam æternam* (*Ioan. iii*). Nee dubitandum quin nos de profundis ad se clamantes citius exaudire dignabitur, propter quos needum se cognoscentes, ipse ad profundam hanc vallem lacrymarum descendere dignatus est Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæculorum. Amen.

## VI. — HOMILIA IN FESTO VISITATIONIS B. MARIE.

*LUCÆ 1. In illo tempore, exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, et intravit in domum Zacharie, et salutavit Elisabeth, etc.*

Lectio quam audivimus sancti Evangelii, et redēptionis nostre nobis semper veneranda primordia prædicat, et salutaria semper imitandæ humilitatis remēdia commendat. Nam quia peste superbiae attactum genus humanum perierat, decebat ut mendicamentum humilitatis quo sanaretur, prima mox incipientis salutis tempora prætenderent. Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuit [Al., fuerat] ut in indicium vitæ revertentis mulieres se devotæ humilitatis invicem ac pietatis prævenirent obsequiis. Prior ergo nobis beata Dei genitrix ad sublimitatem patriæ cœlestis iter ostendit humilitatis, non minus religionis, quam castitatis exemplo venerabilis. Siquidem gloria virginis et intemerati corporis qualis sit vita superne civitatis, ad quam suspiramus, insinuat, ubi neque nubent neque unbentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlis, ac virtutem mentis eximiam, qua ad hanc pertingere debeamus, indicat. Namque sicut præcedente sancti Evangelii lectione cognovimus, postquam angelica visione et allocutione meruit sublimari, postquam se cœlesti onustandam partu didicit, nequaquam se de donis cœlestibus quasi a se haec essent extulit: sed ut magis magisque donis esset apta divinis, in custodia humilitatis gressum mentis fixit, ita evangelizanti sibi archangelo respondens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ut vero ex hodierna lectione audivimus, eamdem, quam angelo exhibuerat humilitatem, hominibus quoque curavit exhibere, et quod majoris est virtutis, hoc etiam minoribus. Quis enim nesciat virginem Deo consecratam, muliere Deo dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet matrem regis æterni jure matri militis præferendam? Attamen ipsa, memor Scripturæ præcipientis, *Quanto magnus es, te in omnibus humilia* (Eccli, iii): mox, ut angelus qui loquebatur ei ad cœlestia rediit, surgit ac montana condescendit, gestansque in utero Deum servorum Dei habitacula petit, ac requirit alloquia. Et apte post visionem angelii in montana subiit, quæ, gustata suavitate supernorum civium, humilitatis gressibus ad virtutum alta se transtulit. Intrat ergo domum Zachariae atque Elizabeth, quam servum ac præcursorem Domini paritaram noverat, salutat, non quasi dubia de oraculo quod accepérat, sed ut congratulatura de dono, quod conservam accepisse didicerat: non ut verbum angelii mulieris attestatio probaret, sed ut mulieri proiecta cœstatis virgo juvencula ministerium sedula impenderet.

*Ut autem salutationem Mariæ Elizabeth audivit, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elizabeth.* Aperiente os ad salutandum beatam Mariam, repleta est mox Spiritu sancto Elizabeth, repletus est et Joannes: atque uno eodemque Spi-

ritu ambo edocti, illa salutantem quæ esset agnōvit, et ut matrem Domini sui debita cum benedictione venerata est, ille ipsum Dominum esse qui in utero virginis portaretur intellexit: et quia lingua needam valuit, animo exsultante salutavit, officiumque suæ præcursōris quam devote, quam libenter juvenis esset impleturus, et antequam nasceretur adveniente Domino quibus valebat indicis intimavit. Aderat namque tempus quo impleretur angeli sermo quem dixerat: *Quia Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ* (Luc. 1).

*Repleta est ergo Spiritu sancto Elizabeth, et exclamavit voce magna.* Recte voce magna, quia magna Dei dona cognovit; recte voce magna, quia illum quem ubique præsentem noverat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna etenim voce non tam clamosa quam devota intelligendum est. Neque enim modicæ vocis devotione Dominum laudare valebat, quæ Spiritu sancto plena flagrabat: quæ et illum in utero gestabat, quo in natu mulierum major nemo esset [Ed. Basil., est]: et eum advenisse gaudebat, qui conceptus ex carne matris virginis filius Altissimi vocaretur, et esset.

*Exclamavit autem, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Non solum benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas majori benedictione specialiter insignis. Benedictus fructus ventris tui. Nec ipse generali sanctorum more benedictus, sed sicut Apostolus ait: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (Rom. ix). De hujus ortu fructus Psalmista mystico sermone testatur, dicens: *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (Psal. lxxxiv). Dedit quippe Dominus benignitatem, quia genus humanum a reatu prævaricationis per unigenitum suum liberare disposuit: dedit benignitatem, qui ejus ingressui virginis uteri templum Spiritus sancti gratia consecravit. Et terra nostra dedit fructum suum, quia eadem virgo quæ de terra corpus habuerat, Filium genuit divinitate quidem Deo Patri coæqualem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. De hoc et Isaías humanæ redēptionis tempus intuens, ait: *In illa die erit germen Domini in magnificētia et gloria, et fructus terræ sublimis* (Isa. iv). Germen namque Domini fuit in magnificētia et gloria, cum semipernus Dei Filius in carne temporaliter apparet, magnitudine virtutum cœlestium mundo clarus effulsi. Fructus quoque terræ sublimis effectus est, quando carnem quam de nostra natura Deus mortalem suscepérat, virtute resurrectionis immortalem jam redditam ad cœlos sublevavit. Recte ergo dicitur, *Benedicta tu* [Ed. Bas. om. tu] in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Benedicta est enim incomparabiliter, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et coronam integratatis servavit. Benedicta tu inter mulieres, per cujus partum virginem a natu mulierum maledictio primæ matris exclusa est. Benedictus fructus ventris illius, per quem et sequen-

incorrupcionis, et superne hereditatis, quam perdimus in Adam fructum recepimus. Et vere ac singulariter benedictus, qui non nostro more postquam natus est, gratiam a Domino benedictionis perceperit, sed ipse ad salvandum mundum benedictus qui [Ed. Bas. om. qui] venit in nomine Domini.

*Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? O quanta in prophetissae mente humilitas, quam versus sermo Domini quem dixit: Super quem requiescat Spiritus mens, nisi super humilem et quietum et trementem verba mea? (Isa. LXVI.) Matrem quidem Domini, quae ad se venerat, mox ut vidi, esse cognovit: sed nihil in se talis meriti reperiens quo digna fieret a tanta hospite visitari, Unde hoc mihi, inquit, ut mater Domini mei veniat ad me? quia nimis ipse Spiritus, qui ei prophetae donum contulit, minus pariter humilitatis praestitit. Propheticis repleta spiritu genitricem ad se adventasse Salvatoris intellexit, sed humilitatis spiritu circumspeta minus dignam se ejus adventu deprehendit.*

*Ecce enim ut facta est vox salvationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Intellexit Elizabeth, eodem quo impleta erat Spiritu revelante, quid illa exsultatio sni significasset infantis, hoc est illius venisse matrem cuius ipse præcursor ac demonstrator es-set futurus. Et quam miranda, quam cœta sancti Spiritus operatio! Nulla quippe in discendo mora est, ubi Spiritus sanctus doctor adest. In uno eodemque momento cum voce salutantis gaudium nascitur infantis, quia dum vox ad aures pervenit corporales, virtus spiritualis cor intravit audientis, nec solum genitricem, sed et sobolem amore Domini advenientis accedit. Unde mox eadem præcursoris Domini genitrix ea quæ in occulto cognoverat, his qui simul aderant et audiebant palam evangelizare curavit. Nam subdit:*

*Et beata quæ creditit, quoniam perficiuntur in ea, quæ dicta sunt ei a Domino. Nam et hoc quoque per Spiritum didicit Elizabeth, quæ angelus ad Mariam verba protulerit, quod illa mox evangelizanti crediderit, quod haec, divina operante potentia, absque illa essent dubietate complenda. Mirumque in modum idem Spiritus eam cum replevit, præsentium simul præteriorum et futurorum scientia instruxit. De præsentibus namque se edocere monstravit, cum beatam Mariam matrem Domini sui vocans, quia Redemptorem humani generis in utero gestaret, indicavit. Unde etiam fructum ventris ejus singulariter benedictum esse professa est. Præteriorum se notitiam accepisse signavit, quæ et verba angelii ad Mariam, et consensum Marœ credentis sibi innovuisse prodidit. Sed et futurorum scientiam sibi non negatae intimavit, cum perficienda a Domino, quæ ei dicta essent aperuit. Quis antem, fratres mei, dicere, quis estimare sufficiat, quæ tunc gratia spiritus Dei genitricem repleverit, cum tanta in matre præcursoris lux doni cœlestis emicuit? Verum audiamus verba quæ dixit, si forte ex his valeamus ab quantum digne scire quid intus habuerit. Audita*

ergo responsione Elizabeth, qua eam beatam inter mulieres prædicavit, matrem Domini sui cognominavit, fide fortè landavit, ad cuius ingressum se ipsam cum filio Spiritu sancto repletam esse signavit, non amplius tacere potuit dona quæ percepérat, sed quæ semper animo gerebat, ubi aptum tempus inventit, etiam devota oris professione patefecit. Namque ut virginalem decebat pudorem, acceptum divinitos [Ms., divinitatis] oraculum aliquandiu silentio tegebat, arcum mysterii cœlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum, exspectabat reverenter donec ipse donorum distributör quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti revelasset, quandocumque vellet, ostenderet. At postquam eadem quæ sibi erant charismata præstata per alios Spiritu revelante esse patefacta cernebat, mox ipsa etiam thesaarum cœli quem in corde servabat, aperuit. Ait ergo:

*Magnificat anima mea Dominum, Et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Quibus profecto verbis primo dona sibi specialiter concessa confitetur, deinde generalia Dei beneficia quibus generi humano in æternum consilere non debet, enumerat. Ejus autem anima Domini magnificat, qui omnes interioris hominis sui affectus divinis laudibus ac servitius mancipat, qui observantia præceptorum Dei semper ejus potentiam majestatis se cogitare demonstrat. Ejus spiritus in Deo salutari suo exsultat, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla adversitas frangit, sed sola illius a quo salus speratur æterna, sui conditoris, memoria delectat. Quæ cum omnibus perfectis verba recte convenient, maxime tamen ea beatam Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti privilegio singularis spirituali ipsius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ jure in Jeso, id est, in salutari suo speciali præ cœteris sanctis gaudio potuit exsultare, quia quem perpetuum salutis auctorem noverat, hunc ipsum temporali ortu de carne sua nasciturum esse sciebat, quatenus in una eademque persona veraciter snus et filius esset et Dominus. Quæ sequentibus quoque verbis, quæm vilia de se ipsa senserit edocet, et quod omne quidquid honi meriti habuit, hoc superna gratia largiente percepit, dicens :*

*Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Humilem quippe Christi ancillam suo iudicio se finisse demonstrat, sed respectu se gratiae cœlestis repente sublimatam promittat, atque in tantum glorificatam, ut sua beatitudine præcipua merito cœnotarum gentium voce miretur. Addidit etiam adhuc divinæ pietatis munera, quæ mirabiliter accepit, digna gratiarum actione collaudans.*

*Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Nil igitur suis meritis tribuit, quæ totam magnitudinem ad illius donum referit, qui essentialiter potens et magnus existens, fideles snos de parvis atque infirmis fortes facere consuevit, et magnos. Bene autem addidit, Et sanctum nomen ejus, ut ad-*

monebat audientes, imo omnes ad quos ejus verba pervenirent, instrueret ad fidem, et invocationem ejusdem nominis advolare, quatenus et ipsi sanctitatis externe ac salutis verae possent esse participes, juxta illud propheticum: *Et erit: omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (Joel. ii).* Ipsum enim est nomen, de quo supra ait, *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Unde adhuc apertius addit:*

*Et misericordia ejus a progenies in progenies, timenteribus eum.* Progenies autem et progenies vel utriusque populi, Iudei videlicet et gentilis, appellat, vel certe omnium per orbem nationum, quas in Christo credituras esse praevidebat: quia, sicut Petrus ait, *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi (Act. x).* Concinit autem his beatæ Marie verbis ipsius Domini sermo, quo non tantum matrem, quæ se corporaliter meruit generare, sed et omnes qui sua precepta servarent, pronuntiavit esse beatos. Cum enim docente illo populum quodam loco, et miracula faciente, omnes sapientiam ejus ac virtutes mirarentur, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ susisti (Luc. xi).* At ille testimonium veritatis prolatum libenter accipiens, continuo respondit: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, ut ipsa quoque mulier, imo universi qui audiebant, se beatos fore considerent, si divinis vellent obtemperare mandatis.* Ac si aperte dicat: Quamvis singulare privilegium beatitudinis habeat, quæ Filium Dei incarnatum vi go in utero gestare, parere, ac nutritre digna exstitit, præcipuum tamen in eadem vita perpetuae beatitudinis locum et ipsi sunt habitori qui ejus fidem ac dilectionem casto in corde concipiunt, qui sedula in mente præceptorum ejus memoriam portant, qui hanc et in mente proximorum solerti exhortatione nutritre satagunt. Verum quia venerabilis Dei genitrix misericordiam ejus omnibus per orbem qui eum timerent adsuturam esse per docuit, restat ut etiam superbi et contemnentes monita veritatis, quid mereantur, insinuet.

*Fecit, inquit, potentium in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* In brachio suo, in ditione propriæ virtutis significat. Non enim alieno ad operandum indiget auxilio, cui, sicut scriptum est, subest omni voluerit posse. Quod ad distinctionem nostræ bonæ operationis dicit, qui non in nostræ juribus libertatis, sed in Deo facimus virtutem, et sicut alias scriptum est: *Et brachium eorum non salvabit eos, sed dextra tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui (Psalm. xlviij).* Dispersit autem superbos mente cordis sui, quia initium omnis peccati superbia, ob cuius meritum Dominus genus humanum a stabili habitatione patriæ cœlestis ejiciens, in hujus peregrinationem exsiliī longe lateque dispergit: sed et his qui in peccatis perdurare non timent, gravioram futuræ dispersionis vindictam reservavit.

*Deposuit potentes de sede.* Eosdem potentes appellat quos ante dixerat superbos. Qui ideo nimirum

superbi vocantur, quia supra mensuram se sine conditionis extollunt; potentes autem, non quia vere potentes sunt, sed quia confidentes in virtute sua, conditoris adjutorum querere detrectant. Illi autem vere potentes sunt qui dicere cum Apostolo norunt: *Omnia possumus in eo qui nos confortat (Philip. iv).* De qualibus scriptum est: *Deus potentes non abicit, cum et ipse sit potens (Job. xxxvi).* Deposuit ergo potentes de sede, et exaltavit humiles, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Quanvis etiam ita recte possit intelligi, quod nonnumquam illi ipsi, qui merito sue elationis a Domino fuerant dejecti, denuo miserante illo ad humiliatis gratiam redeant, siveque merito devotæ humiliatis erigantur ad gloriam. Denique Samus ad superbiam de sede doctrinæ legalis depositus est, sed mox ob humiliatis subjectionem ad evangelizandam Christi fidem levatus.

*Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Qui aeterna perfecte nunc esuriunt, atque ad hæc appetenda infatigabili operum jostorum instantia certare non desistunt, satiabuntur utique cum sui Redemptoris gloria, quam desiderabant, apparuerit. At quicunque cœlestibus divitiis terrenas præponere gaudent, hi nimiri tempore ultimæ discretionis inanes totius beatitudinis dimittuntur a Domino, ideoque cum diabolo perennis miseræ poena plectuntur. Quod etiam in hac vita ex parte non minima videamus impleri, ut et humiles videlicet superbae honestatis almoniis repleantur, virtutumque cœlestium largitate ditescant: et qui vel de terrenis divitiis gloriantes superbunt, vel de opibus se bonorum operum quasi hæc per se habeant, extollant, intus a lumine veritatis inanescunt. Singulis autem his versiculis, quos de diverso superbiorum atque humilium statu beata Maria protulit, adjungendum est quod premisit, *A progenie in progenies, quia nimirum per omne labentis saeculi tempus Creator justus ac misericors et superbis resistere, et humiliis dare gratiam consuevit.* Unde bene post generalem divinæ pietatis et justitiae commemorationem, ad specialem novæ incarnationis dispensationem, qua mundum redimere dignatus est, confessionis suæ verba convertit, dicens:

*Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ.* Israel quippe vir videns Deum interpretatur. Quo nomine omnis redemptorum hominum cœlos designatur, propter quos ut Deum videre valeant, ipse Deus homo visibilis inter homines apparuit. Qui suscepit Israel quasi medeus ægrum quem curaret, quasi rex populum, quem ab hostium incursione defenderet, imo hoste prostrato liberum redderet, ac secum perpetuo regnare donaret. Et bene addidit, *Puerum suum, videlicet humilem obedientemque significans, quia non nisi per virtutem humiliatis quis ad sortem potest redemptionis attingere.* Unde et Dominus ait: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (Matthew. xviii).* Bene quoque subjunxit, *Memorari misericordiæ suæ, quia quod Deus hominem ut redimeret, assumpsit,*

non humanæ meritum conditionis, sed divinæ donum pietatis exsistit. Quid enim post culpam prævaricationis, nisi justam Conditoris iram meruiimus? Unde restat ut quotquot ad salutem vitamque recuperemus æternam, non hoc nobis, sed ejus gratia tribuamus, cui dictum est: *In ira misericordiae memor eris* (*Habac. iii*).

*Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.* Patrum memoriam faciens beata Maria, recte Abraham nominatum exprimit, quia etsi multi Patres ac sancti dominice incarnationi testimonium mystice protulerunt, ipsi tamen primo manifeste sunt ejusdem incarnationis, ac nostræ redemptionis arcana prædicta: ipsi specialiter dictum est: *Atque in te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Gen. xi*). Quod ad Dominum Salvatorem pertinere nullus fidelium dubitat, qui ad dandam nobis benedictionem perpetuam, de stirpe Abrahæ ad nos venire dignatus est. Semen autem Abrahæ non illos tantum electos, qui ex Abrahæ progenie sunt corporaliter editi, verum etiam nos qui de gentibus ad Christum congregati, illis fidei societate patribus copulamur, a quibus prosapie carnis origine longe segregamur. Et nos enim semini ac fili sumus Abrahæ, cum sacramentis nostri Redemptoris, qui de genere Abrahæ carnem assumpsit, renascimur. Nos sumus filii Abrahæ, cum illum videre solerti intentione quærimus cuius diem ipse Abraham exsultavit ut videret, et vidit et gavisus est. Hinc autem Apostolus fit: *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem heredes.* Recte autem in conclusione subiungitur, *In sæcula, quia nimirum præfata promissio supernæ hereditatis nullo unquam sine claudetur.* Nam et usque in fine sæculi hujus non deerunt, qui in Christum credendo semen siant Abrahæ, et futuræ beatitudinis eidem semini manebit gloria perennis. Unde nos necesse est, fratres charissimi, quibus æterna merces a Domino promittitur, indefesso nisu mentis pro ejus perceptione lactari. Oportet enim ut pro obtainendo bono, quod sine fine cupimus habere, sine ulla intermissione donec accipiamus, certare curemus. Verba igitur evangelicae lectionis frequenti meditatione revolvamus, exempla beatæ Dei genitricis Mariæ semper animo retineamus, ut et in conspectu Dei humiles inventi, et proximis quoque honore debito submissi mereamur una cum ipsa perpetuo sublimiori. Studeamus sollicite ne nos laudantium indebit favor extollat, cum illam videamus inter verba veræ laudationis inconcussam humilitatis tenuisse constantiam. Si immoderatus temporalium reruni nos appetitus delecat, reminiscamur quia judex noster divites dimittit inaequas: si temporalis affl. cito forte menteum conturbat, recognoscimus quia et humiles exaltat. Nunquam de impetranda admissorum venia desperemus, quia misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Nulli inter mala quæ fecit gravior imponendi culpa surripiat, quia Deus superbis resistit, eosque a beatorum sorte seccernens, per varia pœnaru[m] loca

pro peccatorum varietate dispergit. Fit autem, iargiente Domino, ut si beatæ Mariæ semper actus et dicta recolamus, semper in nobis et observantia castitatis et virtutis opera perseverent. Nam et optimus ac saluberrimus in sancta Ecclesia mos inolevit, ut hymnus ipsius quotidie cum psalmodia vespertinae huius ab omniibus canatur, quatenus ex hoc animos fidelium et frequentior dominicæ incarnationis memoria ad affectum devotionis accendat, et recognoscimus exempla genitricis illius in virtutum soliditate confirmat. Et hoc opportune ad vesperas fieri complacuit, ut videlicet fatigata per diem et distenta diversis cogitationibus mens nostra, incubente tempore quietis, ad uniuersum se suæ considerationis diligenter; jamque salubriter admonita quidquid superfluum vel nocivum diurna negatione contraxisse, totum hoc nocturnis precibus denuo ac lacrymis ex tempore mundaret. Verum nos quia in longum duximus sermonem, jam conversi ad Dominum clementiam ipsius postulemus, ut et memoriam beatæ Mariæ congruis veneremur officiis, et ad celebranda dominicæ nativitatis solemnia purioribus animis vivere mereamur, adjuvante ipso ad facienda opera spiritualia, et ad percipienda dona cœlestia desiderium nostrum, qui pro nobis incarnari, atque inter homines vivendi formam dare voluit unigenitum suum Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### VII. — HOMILIA IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

MATTII. 1. *In illo tempore cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Nativitatem Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, quia æternus ante sæcula Dei Filius hominis ex tempore filius apparuit, Matthæus evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate, describit, qui cum patrum generationes ab Abraham usque ad Josephi virum Marie perduxisset, omnesque communia humanæ creationis ordine genitos simul et generantes ostendisset, mox de ipso locuturus, quantum ejus generatio a ceteris distaret aperuit; quia videlicet ceteri per conjunctionem maris et feminæ solitam, ipse autem per virginem, ut pote Dei Filius nascetur in mundum. Et quidem decebat omnimodis, ut cum Deus homo propter homines fieri vellet, non alia quam virginem matre naceretur; cum virginem generare centigeret, non alium quam qui Deus esset Filium procrearet.

*Cum esset, inquit, desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quo haec ordine, vel qua in civitate sit celebrata conceptio, Lucas evangelista sufficienter exponit; quod quia vestrae sanctitati constat esse notissimum, dicendum paucis de his quæ Matthæus scribit, notandumque in primis in eo verbo quod ait: *Antequam convenienter,* verbo convenienti non ipsum concubitum, sed noptiarum quæ precedere solent tempus insinuat, quando ea quæ prius

sponsata fuerat, esse conjux incipit. Ergo *antequam convenienter* dicit, *antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent*, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Si quidem memorato ordine postea convernerunt, quando Joseph ad praeceptum angeli accepit conjugem suam, sed non concubebant, quia sequitur, *Et non cognoscebat eam. Inventa est autem in utero novens a nullo alio quam Joseph, qui licentia maritali futuræ uxoris pene omnia uoverat, ideoque tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur :*

*Joseph autem vir ejus cum esset vir justus, et nolle tam traducere, voluit occidente dimittere eam. Videns Joseph sponsam concepisse suam, quam bene noverat a nullo viro fuisse attractam, cum esset justus et juste omnia vellet agere, optimum duxit ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem, sed mutato occulte nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere patre: ut erat: nam et in Isaia legerat virginem de domo David conceptoram et paritaram Dominum, de qua etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideo non discredebat in ea prophetiam hanc finisse complendam; sed si eam occulte dimitteret, neque acciperet conjugem, et illa sponsa pareret, nimirum perpauci essent qui eam virginem et non potius antiuarent esse mereetricem. Unde consilium Joseph repente consilio meliore mintatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam, ipse eam, celebrato nuptiarum convivio, conjugem acciperet, sed castam perpetuo custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum sue generationis ignorare, quam suæ castitatem infamare genitricis. Nam sequitur :*

*Hac autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Quibus profecto verbis modus conceptionis simul et dignitas partus edocetur: quia videlicet de Spiritu sancto concepit, et paritura sit Christum; quem etsi aperta voce angelus Christum non appellat, in eo tamen quod etymologiam nominis Jesu exponens, ipsius salutis ostendit auctorem populique Salvatorem, cum populum ejus nuncupat, manifesta ratione quia sit Christus significat, ut per hoc et quæ nescierat diseat Joseph, et a contactu Dei genitricis funditus mentem amoveat. Quam tamen dispensatione justæ uecessitatis accipere jubetur solo de nomine conjugem, ne videlicet quasi adultera lapidaretur a Judæis, et ut in Aegyptum fugiens haberet solatium masculi, qui familiari cura, et tutor semineæ fragilitatis, et testis esset ejus perpetuæ virginitatis. Produnt catholici expositores et alias causas quare Dei genitricem Joseph accipere debuerit conjugem, quas in suis qui vult inveniet locis. Adhibet autem evangelista parui virginali etiam propheticæ sermonis exemplum, ut tantæ miraculum majestatis co-*

*certius crederetur, quo hoc non solum ipse factum prædicaret, sed etiam a propheta prædictum recollet. Nam et huic evangelistæ, id est Matthæo moris est omnia quæ narrat etiam propheticis affirmare testimoniis: s ipsis namque Evangelium suum ob eorum vel maxime causam qui ex Judæis crediderant, nec tamen a legis cæremouisi, quamvis renati in Christo, valebant evelli; et propterea satagebat eos a carnali legis et prophetarum sensu ad spiritualem, qui de Christo est, erigere, quatenus sacramenta fidei Christianæ tanto securius perciperent, quando hæc non alia esse quam quæ prophetæ prædixerant agnoscerent. Ecce virgo, inquit, in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus (Isa. viii). Nomen Salvatoris, quod nobiscum Deus a propheta vocatur, utramque naturam unius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est, ipse in plenitudine temporum Emmanuel, id est nobiscum Deus, in utero matris factus est, quia nostræ fragilitatem naturæ in unitatem suæ personæ suscipere dignatus est, quando Verbum caro factum est et habitavit in nobis: mirum videbit in modum incipiens esse quod nos sumus, et non desinens esse quod erat, sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse nouo perderet.*

*Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam. Accepit eam ad nomen conjugis ob causas quas prædiximus, et non cognoscebat eam ad opus conjugale ob areaña quæ didicerat. Quod si quis huic nostræ expositioni obsistere, et contendere voluerit beatam Dei genitricem nunquam a Joseph celebratis nuptiis in nomine conjugis assumptam, exponat ipse melius hunc sancti Evangelii locum, pariterque ostendat licitum fuisse apud Judæos ut sponsæ suæ quiske carnali copula misceretur, et sano ejus intellectui libenter cedimus: tantum ne erga matrem Domini quidquam gestum, quod publica opinio possit infamare, credamus. Quod vero additur, Donec peperit filium suum primogenitum, nemo ita intelligentum potest quasi post natum filium eam cognoverit, ut quidam perverse opinantur. Scire enim debet vestra fraternitas, quia fuere haeretici qui propter hoc quod dictum est, Non cognoscebat eam donec peperit filium, crederent Mariam post natum Domini cognitam esse a Joseph, et inde ortos eos quos fratres Domini Scriptura appellat, assumentes et hoc in adjutorium sui erroris, quod primogenitus nuncupatur Dominus. Avertat Deus haue blasphemiam a fide omnium nostrum, donetque nobis catholica pietate intelligere parentes nostri Salvatoris intemerata semper fuisse virginitate præclaros, et non filios, sed cognatos eorum fratres Domini consueto Scripturarum more nuncupari, sed ob id evangelistam an post natum ei filium eam cognoverit dicere non curasse, quia nulli hoc ambigendum putaverit. Et revera nulli ambigendum est quod justi conjuges, quibus in virginitatis castimonia perma-*

nentibus Dei Filium nasci singulari gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis jura temerare, et templum Dei sacrosanctum suæ semine corruptionis attaminare potuerint. Notandum quoque est quod primogeniti non juxta hæreticorum opinionem soli sint quos fratres sequuntur alii, sed juxta auctoritatem Scripturarum omnes qui primi vulvam aperiunt, sive fratres eos aliqui, seu nulli sequantur. Attamen Dominus speciali ratione potest primogenitus dictus intelligi, juxta hoc quod in Apocalypsi dicit de illo Joannes : *qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terre (Apoc. 1).* Et apostolus Paulus : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom. viii).* Primogenitus quippe mortuorum vocatur, quia post multos licet fratres incarnatus, primus omnium surrexit a mortuis, et viam de morte creditibus vita cœlestis aperuit. Primogenitus est in multis fratribus, quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quorum recte primogenitus appellatur, quia canes adoptionis filios, etiam illos qui incarnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, dignitate prægreditur. Si quidem illi possunt cum Joanne veracissime testari, quia qui post nos venit, ante nos factus est, id est, post nos quidem in mundo genitus, sed merito virtutis et regni primogenitus omnium nostrum jure vocatus. Qui et in ipsa divina nativitate non inconvenienter potest primogenitus dici, quia priusquam creaturam faciendo gigneret aliquam, coæternum sibi Pater æternus genuit Filium; priusquam verbo veritatis adoptionis sibi filios redimendo gigneret aliquos, coæternum sibi Pater æternus genuit Verbum : unde ipsum Verbum, ipse Dei Filius, videlicet virtus et sapientia loquitur : *Ego ex ore Altissimi prodi, primogenita ante omnes creaturam (Ecl. xxiv).* Peperit ergo Maria Filium suum primogenitum, id est, suæ substantiæ filium; peperit eum qui et ante omnem creaturam Deus de Deo natus erat, et in ea qua creatus est humanitate omnem merito creaturam præbat.

*Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum.* Jesus Hebraice, Latine Salutaris sive Salvator dicitur; cuius vocationem nominis prophetis liquet esse certissimam, unde sunt illa magno visionis ejus desiderio cantata : *Animæ autem mea exsultabit in Domino, et d'lectabitur in salutari ejus (Psal. xxxv).* *Defecit in Salutari tuo anima mea. Ego autem in Domino gloriabor (Psal. cxviii).* *Gaudabo in Deo Jesu meo (Abac. iii).* Et maxime illud : *Deus in nomine tuo salvum me fac (Psal. lxx), ac si diceret : Nominis tui gloriam qui Salvator vocaris, in me salvando clarifi a.* Jesus ergo nomen est filii qui ex virgine natus est, angelo exponente, significans quod ipse salvet populum a peccatis eorum. Qui autem salvat a peccatis idem utique a corruptionibus mentis et corporis, quæ ob peccata contigerunt, salvabit. Christus vero vocabulum est sacerdotalis vel regiæ dignitatis. Nam et sacerdotes ac reges in lege a charismate, id

est unctione olei sancti appellabantur Christi, significantes eum qui verus rex et pontifex ap. arenas in mundo unctus est oleo latitiae præ participibus suis. A qua unctione, id est charismate, ipse Christus; et ejusdem unctionis, id est gratiæ spiritualis participes sunt Christiani vocati. Qui per id quod Salvator est, nos salvare a peccatis; per id quod pontifex est, nos reconciliare Deo Patri; per id quod rex est, regnum nobis Patris sui dare dignetur æternum Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VIII. — HOMILIA IN PURIFICATIONE BEATAE MARIE.  
Luc. ii. *In illo tempore, postquam invicti sunt dies purgationis Marie secundum legem Moysi, tulerunt Iesum, etc.*

Solemnitatem nobis hodiernæ celebritatis, quam quadragesimo dominicæ nativitatis die debitis venerantur officiis, maxime ejusdem Domini Salvatoris nostri, sium et intemeratae genitricis ejus humilitate dedicatum sacra Evangelii lectio designat, exponeus eos qui legi nihil debuerant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis. Sieut enim modo cum Evangelium legeretur, audivimus, *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus (videlicet matris illius) secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sistarent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Præcepit namque lex ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et in die octavo circumcidet puerum [Al., infantulum], nomenque aptaret: deinde etiam alios trigesima tres dies ab ingressu templi ac viri toro abstineret, donec quadragesimo nativitatis die filium cum hostiis ad templum Domini deferret: primogenitum autem omnis masculini sexus sanctum Domino vocabari, atque ideo munda quæque offerri Deo, immunda autem mundis mutantari, vel occidi, et [Al. add. omne] primogenitum hominis quinque siclis argenti debere redimi. Si autem feminam peperisset mulier, immunda fieri jussa est quatuordecim diebus, et sexaginta sex aliis diebus a templi ingressu suspendi, donec octagesimo nativitatis die, quæ dies purgationis ejus vocabatur, illa se suamque sobolem hostiis sanctificatura veniret, ac sic demum ad torum viri libera redire debet. Intueamur, fratres charissimi, diligentius verba legis quæ proposuimus, et videbimus apertissime quam beatissima Dei genitrix, et perpetua virgo Maria, simul cum Filio quem genuit, ab omni fuerit legis subjectione liberrima. Cum enim dicat lex, mulierem quæ suscepto semine peperisset, immundam decerni, et per longa tempora simul cum prole quam genuisset oblatis victimis debere mundari, patet profecto quia illam quæ sine virilis susceptione seminis virgo peperit, una cum Filio qui natus est ei, neque immundam describat, neque per hostias salutares doceat esse mundandam. Sed sicut Dominus ac Salvator noster, qui divinitatis legem dedit, apparet in honore, fieri voluit sub lege, ut eos qui sub lege*

erant, redimeret, ut adoptionem filiorum recipere-  
mus; ita etiam beata Genitrix illius, quæ singulari  
privilegio supra legem fuit, pro ostendendo tamen  
humilitatis exemplo, legalibus subdi non refutit in-  
stitutis: *juxta illud viri sapientis: Quanto magnus  
es, tanto humilia te in omnibus (Eccl. iii).*

*Et ut darent, inquit, hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, Par turturum, aut duos pullos columbarum. Hostia haec pauperum erat. Praecepit quippe Dominus in lege ut qui posset, agnum pro filio vel filia, simul et turturem sive columbam offerret; qui vero non sufficeret ad offerendum agnum, duos jam tortures, vel duos columbae pullos offerret. Ergo Dominus nostræ per omnia memori salutis, non solum homo fieri, cum Deus esset, sed etiam cum dives esset, pauper fieri dignatus est pro nobis, ut nos sua paupertate, simul et humanitate divitiam, et divinitatis suæ donaret esse particeps. Sed libet paulisper intueri cur hæc maxime volueret in hostiam Domini jubentor offerri. Nam et Abraham patriarcha tanto ante legem tempore has in holocaustum Domino legitor obtulisse, et in plenisque legis cærenoniis, qui mundandis esse, per has jubebatur mundari. Columba ergo simplicitatem, turtur in hac castitatem; quia et columba simplicitatis, et castitatis amator est turtur, ita ut si conjungem casu perdiditerit, non alias ultra querere curet. Unde in laudibus Ecclesiæ loquitur Dominus: *Pulchra sunt genæ tuae, sicut turturis (Cant. i).* Et iterum: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Genas quippe ut [Al. om. u.] initaris habet, qui ab omni impudicitiae peste castum se custodit et immunem; oculos habet columbarum, qui nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore contuetur. Sed utraque avis memorata, quia gemutum pro canto edere solet, sanctorum in hoc sæculo designat ploratum, de quo Dominus memorat, dicens: *Amen, amen, dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. xvi).* Et rursus: *Beati lugentes [Al., qui lugent], quoniam ipsi consolabuntur (Matth. v).* Merito ergo turtur et columba Domino offeruntur in hostiam: quia nimilum simplex et pudica fidelium conversatio gratum est illi sacrificium justitiae: quia qui laborat in gemitu suo, qui lacrymis stratum solum singulas per noctes abluit, acceptissimum [Al. add. prorsus] Deo victimam mactat. Cum vero utraque avis ista propter consuetudinem gemendi presentes sanctorum luctus et desideria superna designet, hoc tamen differunt quod turtur solivagus, columba autem gregatim gemere consuevit; et ob id ista secretas orationum lacrymas, illa publicos Ecclesiæ conventus insinuat. Bene autem puer Jesus primo circumciditur, ac sic interpositis diebus Hierosolymam cum hostia defertur, quia et ipse jam juvenis prius omnem carnis corruptionem moriendo aut resurgendo calcavit, ac deinde interpositis diebus cum ipsa carne jam immortali, quam pro nostra salute*

hostiam Deo fecerat, ad gaudia supernæ civitatis ascendit. Et minusquam nostrum prorsus aqua baptismi a peccatis omnibus, quasi vera circumcisione purgatur, ac sic proficiente gratia novæ lucis, ad altare sanctum salutari hostia Dominici corporis et sanguinis consecrandus ingreditur. Nam et ipsa singulariter simplex et casta no tri Salvatoris humanitas, quæ oblata est Deo Patri pro nobis, non incongrue per immolationem columbae sive turturis potest figuraliter exprimi. Sed et omnis in fine mundi Ecclesia primo communis resurrectione cunctam terrena labem mortalitatis et corruptionis exuet, ac deinceps in regnum cœlestis Hierusalem bonorum victimis operum Domino commendata transferetur. Quod autem Simeon et Anna, proiectæ videlicet etatis vir et femina, devotis confessionum officiis Dominum, quem corpore parvum vident, sed magnum divinitate intelligunt, excipiunt, illam profecto populi Judeorum synagogam figurate denuntiant, quæ longa incarnationis ejus exspectatione fatigata, promptissime [Al., promptis] illum mox, ut advenit, et piarum nbris actionum, et fidei non sicut vocibus exaltare ac magnificare studuit, acclamans illi et dicens: *Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator [Al., salutaris] meus, et te sustinui tota die (Psalm. xxiv).* Sed et hoc dicendum quia merito interque sexus ei gloriosus occurrit, qui intrinsecus redemptor apparebat. Magno sane meritum, fratres mei, audienda sunt verba quibus idem Simeon de Domino prophetans matrem ejus allocutus:

*Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reverteretur ex multis cordibus cogitationes. Desideranter namque multum anditur, quod positus dicitur Dominus in resurrectionem multorum, quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viviscuntur; quia et ipse dicit: *Ego sum resurrectione et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vel: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in eternum (Joan. xi).* Sed non minus terribiliter sonat quod præmittitur, *Ecce positus est hic in ruinam.* Infelix namque satis est, qui agnita resurrectionis gloria deterius cadit, qui visa luce veritatis gravioribus peccatorum nebulis obcecatur. Unde cunctum nobis summopere est ut recta quæ cognovimus, operando semper exercere meminerimus, ne de nobis dieatur illud apostoli Petri: *Quia melius erat eis viam veritatis non agnoscere, quam post agnationem retrorsum converti ab eo quod traditum est illis sancto mandato.**

*Et in signum, inquit, cui contradicetur. Signo Domini crucis multi saepè Judæorum exterius, multi contradixerunt gentilium; multi, quod est gravius, falsi fratres hoc interius professionis superficie sequuntur, sed se [Al. om. se] veritate pravae actionis nimium persecuntur, dicentes se nosse Deum, facitis autem negantes.*

*Ettuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladium appellat effectum [Al., effectum] Dominicæ Passionis et mortis in cruce, qui Mariæ animam pertransivit : quia non sine acerbo dolore potuit crucifixum morientemque videre, quem licet resurrectum a morte quasi Deum nullatenus ambigebat, tamen quasi sua e carne procreatam mori pavida dolebat.

*Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ante incarnationem Dominicam velatae erant cogitationes multorum, nec late patebat quis aeternoru[m] amore flagraret, quis coelestibus bonis temporalia mente preferret : sed nato cœli rege in terra confestim pius quisque gaudebat, Herodes autem turbatus est, et onnis Hierosolyma cum illo. Prædicante et miracula faciente, omnes turbæ et timebant, et glorificabant Deum Israel : Pharisei autem et Seribæ dicta ac facta ejus salutaria rabido ore carpebant. Passo in cruce impii lætitia stulta, pii tristitia justa replebantur ; sed resurgente a mortuis, et ascendentे in cœlum horum lætitia mœrore, illorum est mœstitia gaudio mutata perenni : sicut juxta prophetiam beati Simeonis apparente in carne Domino, revelatae sunt ex multis cordibus cogitationes. Non haec autem disparium revelatio cogitationum tunc solum acta in Iudea, sed nunc etiam [Al., et non etiam nunc] apud nos credenda est actitari. Et nunc enim Domino apparente revelantur ex multis cordibus cogitationes, cum lecto vel prædictato verbo salutis, alii audientium libenter ausultant, gaudentes perficere actu quæ auditu didicerint ; alii, fastidientes quæ audiunt, non haec agendo patrare, sed his potius insultando nituntur contraire. Unde oportet, fratres, ut quoties verbum doctrinæ coelestis aliquid contrarium a duris [Al., nostris] auditoribus pati senserimus, imitemur tristitiam cordis eorum qui passim in carne Dei verbum digno dolore compassionis tenebant : quoties vero idem verbum in auditorum fideliom mente per dilectionem resurgere, atque ad gloriam conditoris nostri per bona opera proficere viderimus, gandeamus cum eis qui Christum resurrexisse a mortuis atque ad cœlos ascendere votis aspexere felicibus. Sane quoniam castas, simplices et gemebundas aves Domino offerri consuevisse cognovimus, quibus nostra sobrietas, simplicitas et compunctionis cordis auctori nostro semper offerenda signat [Al., signatur], oportet intueri diligentius : quia non frustra duo tortures, aut duo pulli columbae, et unus ex his pro peccato, alter in holocaustum offerri debere præcipitur. Duo sunt namque genera compunctionis, quibus semetipsos Domino fideles in ara cordis immolant : quia nimis dum suorum recolit, pro his perpeti supplicia aeterna pertimescit, quod est unum torturam sive pulum columbae pro peccatis offerre ; at dum longa mœris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione venie securitas nascitur, et in

amorem coelestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno, quod est de altero torture sive pullo columbing holocaustum facere : holocaustum namque totum incensum dicitur. Et holocaustum se ipse Dominus facit qui, spretis omnibus terrenis, solo supernæ beatitudinis desiderio æstuat, solam hanc per lutum ac lacrymas querere dulce habet. Contemplatur etenim mens, qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spiritum, quæ majestas aeternæ visionis Dei, et amplius plangit, quia a [Al. om. a] bonis perennibus deest, quam flebat prius, cum mala aeterna metuebat. Utramque antea nostræ compunctionis hostiam gratanter accipere dignetur, qui et pro peccato lugentibus atque afflictis clementer errata dimittit : et pro ingressu vita coelestis tota mentis intentione ferventes aeternæ suæ visionis luce resicit Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IX. — HOMILIA IN COMMEMORATIONE B. VIRGINIS MARIE. DE EVANGELIO : « EX TOLLENS VOCEM QUÆDAM MULIER. »

LUG. XI. *Factum est autem cum haec diceret, extollens vocem quedam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit et ubera quæ susisti, etc.*

Magnæ devotionis et fidei haec mulier ostenditur, quæ Seribis et Pharisæis Dominum tentantibus et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia constitetur, ut et præsentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum persfidiam. Nam sicut tunc Iudei sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant, sic haeretici postea negando Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute nascituro ex humanis membris unigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eam portasset, ubera quæ lactassent, beatificantur. Quia enim consequentia ejus lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus ? Cum ex unius ejusdemque fontis origine secundum physicos uterque liquor emanare probetur. Nisi forte putanda est virgo sementiana suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio suggestere potuisse, incarnando autem quasi majori et innisitato miraculo minime potuisse. Sed huic opinioni obstat Apostolus dicens, quia *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (Galat. iv). Neque enim audiendi sunt, qui legendum putant, natum ex muliere, factum sub lege, sed *factum ex muliere*, quia conceptus in utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne. Alioquin nec vere Filius ho-

minis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Entychen dictis extollamus vocem cum Ecclesia catholica, cuius haec mulier typum gessit, extollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Vere enim beata Paens, quæ, sicut quidam ait (Sedulius), enixa est puerpera Regem,

*Qui coolum terramque tenet per saecula, ejus  
Nunquam, et aeterno complectens omnia gyro,  
Imperium sine fine manet; quæ ventre beato  
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,  
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

*At ille dixit : Quinimo, beati qui audirent verbum Dei, et custodiunt illud.* Pulchre Salvator attestatio mulieris annuit, nos eam tantummodo, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos. Quia et eadem Dei genitrix et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra est facta temporalis; sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna. Quia sententia sapientes Iudeorum clam percutit, qui verbum Dei non audire et custodiare, sed negare et blasphemare quererant. Unde et recte dicitur : *Beati qui audirent verbum Dei, et custodiunt illud;* quia non auditores legis, juxta Jacobi apostoli sententiam, justificabuntur apud Deum, sed factores legis (*Jac. i.*), de quo et Psalmista ait : *Beati qui custodiunt iudicium et faciunt justitias in omni tempore* (*Psal. cxv.*); quia illis merces in gloria retribuetur sempiterna; ubi contemplantes faciem Dei, laudes ei in perpetuum cantabunt; qui in Trinitate et unitate perfecta regnat et permanet Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. (*Hom. 58, int. subdit.*)

#### X. — HOMILIA DE SANCTA MARIA VIRGINE.

Hodie, fratres charissimi, celebрамus festivitatem sanctæ Mariæ Dei Genitricis, quæ hodie translata est in cœlum de mundo, ut pro nobis oret Filium, quia mundus deletus esset, nisi per precies sanctæ Mariæ sustineatur. Quia legimus, postquam cœlos ascendit ipsa, assidue stat coram Deo, orationem pro peccatis nostris effundens, et justos retinet ne cadant, peccatores confortat ne pereant; diligit virgines, si in vera virginitate consistant; custodit viduas, si permaneant in vera viduitate. Legionis quid fecit erga clericum quemdam, qui fuit Romæ de nobili genere ortus: pater et mater, frater et soror occiderant; solus superstes, multis habebat honores, multis possessiones, capellamque vicinam domini sue in honore beatae Mariæ consecratam, in qua quotidie omnes Horas sanctæ Mariæ decantabat. Parentes autem ejus cooperunt eum omnes stringere, ut duceret uxorem, sed noluit per longum tempus, et cum consistenter stringendo, voluntati eorum concessit. Desponsaverunt autem ei

conjugem de melioribus Romæ. Factum est cum dies nuptiarum esset constitutus, venerunt parentes ejus cum honore, et celebrabant nuptias cum lætitia, sic ut nus est. Illis vero ascendentibus equos, recordatus clericus quod beata Maria nunquam dereliquerat eum, ascendit et ipse eum aliis, ut cum honore adduceret uxorem; cum redisset, cantabant cytharalis et citharis, et ceteris instrumentis. Et clericus recordans quod adhuc non cantaverat Nonam de sancta Maria, ait militibus : Præparate mensas, et ea quæ præparanda sunt secundum ordinem nuptiarum, et ego vadam ad ecclesiam cantare Nonam de sancta Maria, et postea revertar ad vos. At illi cœperunt tristari dieentes : Sic faciunt alii qui conjugem ducunt, vadunt cantare Matutinas? Postquam ille aperuit ostium ecclesiae, vidit eam plenam lumine et ardore et beatam Mariam sedentem ante altare. Et terrore percussus, cœcidit in terram quasi mortuus; ipsa autem veniens, temuit manum ejus, et ait : Noli timere, ego sum amica tua, quam semper dilexisti et in mente habuisti, nunc autem me dereliquisti et aliam acceperisti, quare hoc fecisti? Nonne sum amica tua? Nonne sum satis pulchra? An quæris aliam, quæ habet majorē pulchritudinem quam ego? Et ille nimis timens, respondit : Quæ es, Domina mea? non te cognosco, sed te video pulchram et tam honestam, ut non habeatur talis in cœlo; nam odor a te progrediens replet me, quo me credo esse in paradi-o. Respondit Maria : Ego sum beata Maria, Mater Christi; tu vero mihi hactenus servisti; sed cur, me derelicta, aliam desponsasti? Noli me derelinquere propter mulierem mortalem et parvo tempore durabilem. Hoc dicto, evanuit ab oculis ejus. Ipse vero postquam Nonam dixit, redit ad palatium in quo milites cum exspectabant, et constringebant eum dicere, quare tantam moram fecisset; quibus ille ait : Quicunque de parentibus meis meam ducat uxorem, quia amplius non habeo aliam, nisi beatam Mariam, cui die ac nocte servire desidero. Sponsa haec audiens, tristis et dolens ad dominum patris rediit. Clericus vero accessit ad beatum Zephirum papam qui eo tempore erat, quærens consilium quid facere deberet; qui præcepit ei ut omnia quæ haberet donaret ecclesie in qua visionem viderat, et fieret ibi monachus, et serviret ibi Deo et beatæ Mariæ omnibus diebus vita suæ, quæ eum de laqueo diaboli liberavit. Nunc autem, fratres, serviamus se per tali regnum, quæ non dñe inquit spirantes in se. Cum diligat Jesus orationes sanctorum, et exaudiat, multo magis Matrem suam exaudiat pro peccatoribus exoriantem; et ipse in cruce expansus commendavit eam beato Joanni evangelistæ, ut eam custodiret die ac nocte, quandoiu esset in hoc saeculo. Et beatus Joannes implevit quod sibi commendatum fuit. Cum appropinquassent dies et tempus, in quo Dominus eam voluit de hec saeculo tollere, ut semper vicina ante faciem suam orare pro peccatoribus, vocavit eam dicens : Veni ad me,

dilecta mea, Sponsa mea, Mater mea, tempus est ut exalte te super omnes angelos et archangelos, et ceteras virtutes quae sunt in celo, et sis in conpectu meo semper: die Dominica portabo te in celum. At illa venit statim, nuntians Joanni, quae ei Dominus dixerat. Tunc beatus Joannes ait: Oremus pariter ut Dominus noster, Filius tuus, transmittat nobis omnes apostolos, ut serviant tibi. Illis vero orantibus, omnes apostoli in qualicunque loco orabant, rapti et adducti fuerunt ante ostium ubi erat beata Maria, et steterunt cum ea usquequo Filius ejus assumpsit eam in celum, ubi nunc stat in conspectu ejus, non cessans pro peccatoribus exorare. Toto igitur affectu confugiamus ad eam, ut per suas orationes ducat nos ad illa gaudia ubi ipsa manet cum Filio sine fine. (Homil. 60, l. c.)

#### XI. — HOMILIA DE NATIVITATE DOMINI.

B. Virgo Maria integratem virginalem servavit.  
— Virgo fuit ante partum, in partu et post partum.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, etc. Benignitas Domini nostri apparuit, cum mundum per assumptam humanitatem redimere venit, quod factum est ad similitudinem roris vel pluviae, quia sicut lana recipit rorem vel pluviam, et emitit sine corruptione sui, ita et Virgo Maria recepit Christum in se, et emisit integritate virginitatis servata. Unde dictum est: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stilla stillavit super terram.* Et alibi: *Aperiatur terra, id est, Virgo Maria, et germinet Salvatorem, id est, Dominum nostrum Jesum*

Christum. Virgo fuit ante partum et in partu, et post partum, ad similitudinem bonae terrae, quae emitit spicam ex se. In spica sunt quatuor: palea, culmus, arista et granum, quae in Christo bene demonstrantur. Palea fuit in Christo passibilitas, id est, ejus mortalitas; culmus est integritas humanæ carnis; arista ejus sanctissima anima. Granum dicitur esse puritas divinitatis; et sicut ex grano efficitur bonus exterior, ita ex divinitate Christus homo spiritualis reficitur. Cujus Christi Nativitas hodie, fratres charissimi, celebratur, ut per ejus mystrium et diguam ejus participationem a potestate diaboli liberemur. Sed notandum est quod tres Missæ hodie celebrantur, prima in nocte, secunda in crepusculo, tertia in clara die. Iste tres Missæ celebrantur propter tria tempora quae fuerunt in hoc saeculo: primum tempus ante legem, secundum sub lege, tertium gratiae. Prima Missa cantatur pro illis in obscura nocte, qui fuerunt in primo tempore in omni obscuritate saeculi sine cognitione Dei; secunda cantatur in crepusculo pro illis qui fuerunt in secundo tempore, qui per legem datum et prophetas habuerunt Dei cognitionem, sed non plenariam; tertia cantatur in clara die pro illis qui sunt in novo tempore, quibus plenaria cognitio Dei facta est. Vel tres Missæ celebrantur propter tres virtutes, scilicet, spem, fidem, charitatem. Sed ut digne hanc festivitatem celebrare possimus, ille nobis suam gratiam praestare dignetur, qui cum Patre et Filio regnat per omnia saecula saeculorum. Amen. (Homil. 95, l. c.)

### JOANNES EUBOEENSIS.

#### SERMO IN CONCEPTIONEM SANCTÆ DEIPARÆ.

*Benedic, Pater.*

I. Paulus, magnus ille apostolus, magnorum ille arcana divinorum interpres, sollicitam salutis nostræ curam gerens, nos et edocendo, et arguendo, et increpando, et obsecrando excitat ut in omnibus gratias agamus, et sine intermissione orationi iustemus<sup>a</sup>. Et hoc quidem in omnium prorsus est potestate. At vero mysteria illa adeo supra modum sublimia nemo vel a longe attingere dignus censeri potest, qui interioris hominis intuitum purificatum non habeat, sed hujusmodi exsistat, qualis et ego miser (deprehendor) peccatorum meorum funibus constrictus: cui propterea illud unum reliquum sit, ut quotidie iniuriam meam annuntiem, et de peccato meo cogitem<sup>b</sup>. Verum cum ne hinc quidem desiderium et affectus impellat, inde vero retrahat timor, atque ad silentium mea me indignitas compellat, ac peccata mea sicut onus grave gravata sint super me<sup>c</sup>: jam et plane nescio quid faciam. Reime suscipere in animum inducam, indignus cum sim? Quid dicam? memetipsum redarguan, deplorabo miseriam meam, atque omni laude dignissimæ, sanete Virginis Marie, quæ Deum exceptit, Deum-

que peperit, laudes e corde erumpentes cohibebo?

II. Verum tu ipsa mihi opitulare, o Dei Mater, ut Christi Dei nostri abs te geniti benigna voluntas fiat; ut ne mens mea, tanquam hominis indigni, suis maneat involuta tenebris; sed potius dum scribendo manum admoveo, mihi adesto, eadem illa suggestus sensa, que dum scribendo intentus non sum, inter cogitandum de encomiis tuis, menti meae sese offerunt. Multoties enim dum igniloqui illius ac magniloquentis Isaiae verba recolo, propter indignitatem meam me totum animo commoveri ad lacrymas usque sentio. Si enim vir ille divinus hujusmodi visione dignatus, usque adeo semetipsum humiliavit, quid tandem ego faciam, qui etiam vita ipsa sum plane indignus? Inquit enim: *Factum est in anno quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus gloria ejus<sup>d</sup>.* Seraphim stabant in circuitu ejus<sup>e</sup>. Et audiuit vocem ter illud acclamantem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.* Et dixit Isaias<sup>f</sup>: *Heu me miserum!* consternatus enim sum, quoniam homo cum sim, et labia cum habeam polluta, in medio populi polluta.

<sup>a</sup> 1 Thess. v, 17, 18. <sup>b</sup> Psal. xxxvii, 19. sec. LXX. <sup>c</sup> Vulg.: *Vix nahi quoniam tacui!*

<sup>d</sup> Ibid. 5. <sup>e</sup> Isa. vi, 1 seqq. <sup>f</sup> Ibid. 6,

*tabia habentis ego habito; et Regem exercitum vidi oculis meis. Et missus est ad me unus de Seraphim, et habebat in manu sua carbonem accensum, quem si recipe sumpserat ex altari, et tetigit os meum et dixit: Ecce hoc tetigit tabia tua, et auferet iniquitates tuas, et peccata tua penitus purgabit.*

Jam vero si magnus hic Dei propheta dolet adeo miseriam suam; quid mihi faciendum putem, qui os et labia et cor et omnes sensus habeo immundos, nisi dexteram ipsa mihi porrugas, o plane immaculata? Saltem, siquidem celebrandis pro dignitate tuis laudibus plane impar exsisto, preces tibi ad Deum nostrum ex te incarnatum pro mea temeritate offero (etsi enim omnes digni haberiqueant, ego tamen indignus reperior), vi veluti attractus ac desiderio exardescens, ut vel de misericordiis electorum particeps esse queam. Potest enim vel ipsarum micarum copia quispiam exsaturari.

III. Ecce nunc decet illa beati Pauli verba usurpare, ac dicere: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis h.* Ecce Judas, qui Josephi miseratus est, misericordiam reportat. Ecce Iacobii filius Ruben, id est e Ruben prognatus, moleste affligit prognatum ex Juda. Ecce donum Caini nequaquam acceptum. Ecce et justus Abel in donis suis a Deo testimonium accipit; et ecce Davidis petitio ac desiderium impletum est. Inquit enim: *Aufer a me opprobrium et contemptum i.* Ecce ab Joachimo et Anna precatio ascendit, et a Deo omnipotente descendit miseratione.

IV. Ecce nova ab ipso Conditore preparatur arca, quae infinito intervallo Noeticam, atque etiam Mosaicam antecellit: illa siquidem continendis legis tabulis (exstructa fuit), haec vero Deo excipiendo (aedificatur). Ecce navis, quae maria percurrit, ac pereunte mereis fructum requirit. Joachim vero et Anna fructum querunt humanæ formæ, et ecce suscipiunt concham quæ sine semine cœlestem illam ac pretiosissimam margaritam, Christum nempe Deum nostrum, est editura. Ecce Joachim et Anna, ille quidem in monte jejunaus, haec vero in horto multa prece Deum exorans, obtinenter receptaculum illius qui montes constituit, et plantis hortum exornavit. Ecce in horto de horto illo antiquo hominibus reddendo letum nuntium (exauditur). Ecce luctus in gaudium conversus est, et lamentatio in exsultationem. Ecce gemitus et lacrymæ temporariae, gaudium vero, quod verbis enarrari non possit, in sæcula permansirum. Ecce opprobrium (sterilitatis) sublatum; ecce dominum quod auferri non potest, Deo oblatum, et in utero contingens Deum, qui circumscribi non potest. Ecce et Isaías ligneam serram, et Jeremias cisternam cœnosam, et Daniel leones, magnasque illas tribulationes oblivioni tradiderunt ac pro nihilo habent, animo recolentes sua ipsorum preconia veracissima eventu

fuisse comprobata. De beata etenim Anna ipse quoque Isaías clamat: *Lætare, sterilis quæ non paris i.*

Ecce et Aaronis virga, quæ floruit, in arca unde quaque auro circumiecta reponitur. Et ecce alia virga floret, non incisa neque humano sermone effabilis. Et nemo hominum eam gestare in viam potest; ipsa vero eum gestavit, qui portat omnia, qui extendit cœlum sicut pellem k, cuius manus ariam formaverunt l.

V. O rem plane admirandam! Judas ille, qui olim Josephum e morte eripuit, et patrem fratresque e diris famis angustiis liberavit, hic contumeliis afficitur! At fratrum invidia Josephum in regem promovit; atque semen Judæ a Rubenis semine invidiōse pressum ac probris afflictum, Virginem regiam ac Regem æternum protulit.

Quid est quod indiguaris, o Ruben? contra stilulos calcitras. Num tibi per prophetam Dens protulit vatciniū verbum? Nonne soli Judæ dixit: *Celebra, o Juda, festivitatem tuas: ascendit enim, qui in faciem tuam afflat m?* Quis est hic, o propheta? Omnia, inquit, rerum Opifex, qui inspiravit Adamo spiritum vitæ n; qui in discipulos atque apostolos suos insufflavit, et dixit: *Accipite Spiritum sanctum o.*

VI. Sed ad propositum revertamur. In historijs duodecimi tribuum Israelis hæc referuntur: *Erat Joachimus valde dives, ac dona sua dupla offerebat, secum ipse inquiens: Quod in oblato substantia mea superabundat, erit omni populo, et quod est pro debiti mei solutione, erit Domino Deo in meam expiationem.* Instabat autem dies solemnis; et filii Israelis dona sua afferebant. At vero Ruben, olviam ipsi se sistens, inquit: *Non licet tibi munus tuum afferre ante alios, cum semen in Israel non suscitaveris.*

Quo probro Joachimus graviter contristatus est. Vides tristitiam secundum Deum, quæ, prout beatus Paulus docuit p, adducit vitam æternam. O incomparabilem Davidis filii mansuetudinem! O viri admirabilis non fucatam innocentiam! O justæ radicis mentem divino Spiritu actam! Quanquam divitiis et nobilitate insignis et regio genere esset, non tamen cogitavit de ultione, non intulit contumelias: non accurrit ad forum judiciale, non impetratus est: non minatus est plagas. Non objicit illud, Ego ex tribu benedicta ortum duco, tu vero ex impuro patre, qui Israelis patris nostri lectum contaminavit. Poterat sane hæc omnia Rubeni opponere; sed haudquaque cum eo verbis conflictatus justus ille expedito propere gressu sese duodecim tribubus Israelis adjunxit. Et cum non invenisset id quod querebat ad levamentum mœroris, in montem se recipit. Quid autem justus? Omnino Davidis carmen resumit, et inquit: *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuisse utique; et*

<sup>s</sup> II Cor. vi, 2. <sup>i</sup> Psal. cxviii, 22. <sup>j</sup> Is. liv, 1. <sup>k</sup> sal. cii, 5. <sup>l</sup> Psal. xciv, 5. <sup>m</sup> Nahum. i, 15.

<sup>n</sup> Gen. iii, 7. <sup>o</sup> Joan. xx, 22. <sup>p</sup> II Cor. vii, 10.

*si superbe mihi is insultasset, qui me odio prosequitur, ab ejus conspectu me subduxisset. Domine Deus, ne avertas faciem tuam a lacrymis meis <sup>a</sup>. Ita enim fere secum ratiocinabatur: Si ego solus in universo Israele liberorum expers sum, et (omnium) opprobrium effectus, satins mihi est mori fame ac siti confectum, quam ut alius Semei me ceu alterum Davidem contumeliosis verbis opprimat.*

VII. Quid tam immanni ira commoveris, o Ruben primogenite et acerbe? Quid tu benedictionis exors adversus eum insurges, qui benedictionem consecutus est? Quid tu, panper, regem judicas et condemnas? Nonne moriens Jacob utriusque pater tuam quidem amentiam redarguit, Judæ autem bene precatus est? Ecce enim morti proximus ita locutus est <sup>r</sup>: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuae in dorso inimicorum tuorum: et adorabunt te filii patris tui. Catus leonis Juda; ex germine, filii mihi, ascendisti. Reclinis accubasti ut leo, et ut catus leonæ; quis suscitabit eum?* Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donec venerit cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium. Alligans ad ritum asinam suam, et ad helicem pulum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uxæ pallium suum. Lætificantes sunt oculi ejus præ vino, et candidi dentes ejus quasi luce.

Antea porro exprobationes in Ruben protulerat. Inquit enim: *Ruben primogenitus mens, et principium filiorum meorum, perricax nimis quam ut ferri possit, pervicax et procax. Fecisti contumeliam sicut aqua ex alveo suo diffluens, non ebullias; ascendisti enim cubile patris tui, tunc maculasti stratum in quod ascendisti <sup>s</sup>.*

Ecce igitur ipse Jacob in benedictione filiorum suorum vaticinatur, immortale regnum ex Juda oriturum. Tu vero justum e templo abigis? O vere Rubenitica stoltitia atque invidia dignum facinus!

VIII. Cum igitur justus Joachim duodecim tribus Israelis perlustrasset, et qui liberorum expers esset, a ium reperisset neminem; dolore oppressus in montem se recipiens, sinceras ibi preces ad Deum fundit. Anna interim domi sese continebat; atque ambo, seorsim quisque, precibus insistunt, snumque ipsorum patrem Davidem imitantes, et ipsi inclamantes illud Psalmorum usurpant oraculum, quod inquit: *In tribulatione dilatasti me, miserere mei, et exaudi orationem meam <sup>t</sup>.*

Anna deinde cum animadverteret mariti emmicationem, cœpit questu tranquillo lamentari, et secundum ipsa fari dicens: Quonam secessit vir meus charissimus? aut quæ hujusmodi mora? quantum video, haudquaquam boni ominis. Num adhuc ille perlustrat filios Israel, querens utrum nos soli fructu caruerimus? Evidem cum hæc versaretur, æquanimis ipse erat ac festivus, neque immodecæ se tradebat tristitia. Nam cæterum potens est Deus,

qui Saræ proœcta jam ultra tempus ætate dedit Isaacum, et Rebecæ Jacobum, et Raeheli Josephum, et Annæ conjungi Eleaneæ prophetam Samuellem, et conjugi Manue Samsonem illum Nazarenum; Deus, inquam, qui hos respexit exaudivitque, potens est nostra quoqæ postulata facere: verum quam acerbus me manet dolor, si cæternum non modo prole caream, sed et virum amiserim? Si germen mihi aliquod afforet, non adeo forte de stirpe dolendum mihi esset; verum si præsentem nunc eum habereo, qui mihi ab ipsa juventute dilectus fuit, jam neque de sobole spem plane abjecterem. Hœ! quid faciam, domine mi, quem ex affectu in conjugem mihi delegeram? Ubi enim nunc es? an forte te lugabo ut mortuum? Verum non vidi sepulcrum tuum. Saltem te exspectem, tanquam peregre in longinquam regionem profectum? At nemo est, qui ad me renuntiet, quod dominum meum uspiam viderit. Hœ! quis erit qui mihi narret ubinam sit conjux et convictor meus? ubi Abrahami nepos et æmulator? ubi Isaaci contubernialis? ubi Israelis vaticinio prædictus? ubi radix Jesse? ubi progenies David.

Hæc porro evenerunt anno a mundi exordiis quinquies millesimo quadringentesimo octogesimo tertio et in septuagesima quinta generatione, ut Ieslaus errandi scriptor testator Lucas, qui seriem (generationum) inverso ordine ad Deum usque inchoat a Josepho.

IX. Quoniam igitur Sol iustitiae oriturus erat ex Jada, propheta a longe ad ipsum clamat: *Celebra, o Juda, festivitates tuas <sup>u</sup>; ascendit enim, qui in faciem tuam aflat <sup>v</sup>.* Quis est hic, o propheta? Dic nobis. Qui inclinavit cœlos et descendit <sup>x</sup>, ipse est, inquit, qui inhabitat in cœlis; qui cum Patre in cœlo est, et in terra clauditur in utero; qui Cherubim tremendus, et hominibus est mitis; qui descendit ad inferorum portas, et eum, qui fuerat aliquando fortis, vineulis astrinxit <sup>y</sup>; qui mortis imperium dissolvit; pastor bonus, qui oves suas ab inferis eduxit, et ante eas vadens, unamquamque nominatim vocat <sup>z</sup>. Qui descendit, inquit Apostolus, ipse est et qui ascendit <sup>a</sup>.

X. Quænam vero, o propheta, sunt festivitates quas clamas Judæ agendas? Hoc deinde videns declarat: Non legales, inquit, festivitates Judæ celebrabit mihi, non eas quæ in Sabbatorum, et novi mensis religionibus peraguntur, et in solemnitate tubarum. Etenim *Tempus faciendi Domino*, ut dissipet legem tuam. Cum itaque gratia advenerit, decem solemnitates insignes agendas esse dico.

Prima omnium insignium solemnitatum ea est in qua Joachimus et Anna faustum generationis plane immaculatæ et Genitricis Dei Mariæ nuntium acepserunt. Tum augustissima ejusdem Mariæ nativitas; illæ conceptio, hic nativitas. Alia deinde solemnitas

<sup>a</sup> Psal. LIV, 13. <sup>r</sup> Gen. XLIX, 8 seqq. sec. LXX. <sup>s</sup> ibid. 5. <sup>t</sup> Psal. IV, 1, 2. <sup>u</sup> Nahum. I, 15. <sup>v</sup> ibid. II, 1. <sup>x</sup> Psal. XVII, 40. <sup>y</sup> Luc. XI, 21, 22. <sup>z</sup> Joan. X, 5, 4. <sup>a</sup> Ephes. IV, 10.

veneratione cultuque dignissima, in qua Gabriel p̄dibus materiae expertibus terram calcans, illud *Are* Virginis pronuntiavit. Postea salutaris illa munifico universo Regis omnium Christi Dei nostri ex Virgine nativitas. Deinde et ascensio in templum, et in duas Simeonis exceptio. Ac rursus lucifera apparitio, et rursus in monte Thabor transfiguratio; et vivifica Passio, Pascha immortalis resurrectionis. Et rursus in cœlos ascensio, et ad dexteram Patris in carne sessio. Tandem extremus, magnusque dies festus, in quo sanctissimus Spiritus in sauctos discipulos et apostolos Domini nostri Iesu Christi descendit. *Age, o Juda, solemnitates tuas.* Ista igitur solemnitates sunt, quas celebrandas a Juda propheta indicit.

XI. Praestitutis autem temporibus adventantibus, justitiam omnem jam oportebat impleri. Unde cum Joachimus in monte preces funderet, Anna vero intra domesticos parietes lugeret, hæc domo egressa in hortum suum se contulit, quo tam gravis mœoris levamen aliquod hauriret. Et ecce angelus Domini astitit, ipsi dicens : *Anna, Anna, exaudiuit Dominus deprecationem tuam, et concipes, et paries, et celebrabitur semen tuum in universa terra.* Ne tristeris, o Anna ; fructus tuus simem imponeat earna delori, quæ in angustiis pariunt. Ipsa enim est, quam prophetæ omnes salutem per ipsam exspectantes prænuntiarunt. O vos beatos, Joachim et Anna ! Verum beatior sane est quæ a vobis progignitur ! Sic ad eos angelus :

*Age, o Juda, solemnitates tuas* <sup>b</sup>, non in Veteri Testamento, sed in Novo. Hoc igitur principium est Novi Testamenti; principium est novæ arcæ ad Deum excipiendum in Annæ utero exstructæ quæ est ex radice Judæ, Jesse et Davidis. Inquit enim propheta : *Et suscitabo tabernaculum Davidis, quod cecidit, et reædificabo ruinas ejus* <sup>c</sup>. Ecce erigitur tabernaculum David in conceptione et procreatione filiæ ejus. Ipsa est enim de qua primus omnium Jacob vaticinans Judæ benedixit, ita inquiens : *Juda, taudabunt te fratres tui!*

Vere vos beati, Joachime et Anna. Vos enim ex Juda, Jesse, et Davide, hæc autem ex vobis, et ex ipsa legis dator, et Dominus prophetarum, atque extremis temporibus perfector legis Christus Dominus.

XII. Hæc angelus ad benedictos illos conjuges Joachimum et Annam; atque ulterius adjicit : Bono animo estote, gaudeite et exsultate. Instat enim tempus a propheta annuntiatum, quo ex Bethlehem et terra Juda Rex magnus est oriturus, et non modo populum Israelis, sed et gentes reget universas.

Vere beati ac ter beati, Joachime et Anna; at nullies beatior Davidis progenies ac filia, quæ e femore atque utero vestro progreditur. Vos enim terra estis, ipsa vero cœlum; vos terreni, ipse

ipsam vero (evadunt) celestes. Vere vos beati, quoniam Rex ille gloriæ, quem Moyses videre non potuit, filiæ vestræ pulchritudinem concupivit <sup>d</sup>.

Vos beati, Joachime et Anna, quia rationalem paradisum genuistis. Ipsa enim non ab hominibus modo, verum etiam ab angelis, ab archangelis, a Cherubim atque a Seraphim beatissima prædicatur, quippe quæ impollutis suis visceribus creaturarum omnium et paradisi Auctorem gestavit.

XIII. Et ecce ut Anna ab angelo audivit prorsus immaculatam puellam se conceptoram ac paritaram esse, gaudio gestire coepit. Nondum autem is aderat, quem exspectabat, dilectus neque conjux.

Cum itaque iustus quoque Joachimus latum accepisset nuntium futuri de lumbis suis conceptus, letitiae apparatus in duplum ac triplum instituit adornare, ac decuplo gaudio et exsultatione efferebatur. Cumque, ut consueverat, jam plene dona et sacrificia obtulisset, sterilis concepit; et exspectabant ambo fructum generationis, qualis nempe foret proles nascitura.

Porro iustaente jam tempore augustissime nativitatis plane immaculatae puellæ ac Genitricis Dei, propheticum impletum est oraculum, quod locutus est Isaías : *Lætare, sterilis, quæ non paris* <sup>e</sup>. Lætata est enim et exsultavit maxime beata Anna; et dixit obstetrici : Quid peperi? et respondit obstetrix : Filiam. Et subdidit Anna : Afferam illam donum Domino Deo.

XIV. En palam igitur sacrificium Triadi offerentes Mariam, Annam et Joachimum. Cum enim edita in lucem suisset puella, atque ætate progereretur, obtulerunt eam non quidem bimulam, nec item quatram, sed trimulam tanquam indivisæ Trinitatis sponsam, et thalamum immaculatum. Communi præterea voto ipsum adduxerunt, tanquam quæ utrumque futura erat, ac primo quidem donum ob'ata Deo est, deinde vero et (tanquam) templum et thronus. Propheticò igitur spiritu Virginem in templo Domini obtulerunt.

O rem plane miram ! In templum lapidibus exædificatum affertur animatum templum et thronus Cherubicus. Et sane jam a multis ante generacionibus David de ipsa palam vaticinatus est <sup>f</sup> : Audi, inquit, *Dei filia, et ride, et inclina aurem tuam, et obliscere populum tuum, et domum patris tui*; et concupiscet rex pulchritudinem tuam <sup>g</sup>. Et rursus : *Adducentur regi virgines post eam* <sup>g</sup>. Quomodo adducentur? in lætitia scilicet et exsultatione <sup>h</sup>. Qualis et quanta hæc est, o Prophetæ ! Quoniam nequaquam decebat ut in templum regis sola sine comitatu regina adduceretur; jam et hic comitatus diu ante per Spiritum sanctum prænumitatus est ! Et rursus : *Proxiæ ejus afferentur tibi* <sup>i</sup>. Cum sancta igitur Virgine aliæ quoque virgines adductæ; atque, ut manifestum est, et ipsæ

<sup>b</sup> Nahum 1, 15. <sup>c</sup> Amos ix, 11. <sup>d</sup> Psal. XLIV, 11, 12. <sup>e</sup> Ibid. 15. <sup>h</sup> Ibid. 16. <sup>i</sup> Ibid. 15.

<sup>g</sup> Isa. LXIV 1, sec. LXX. <sup>f</sup> Psal. XLIV, 11.

sanctificationis participes fuerunt. Equis enim eorum qui sunt in comitatu regis vel reginæ, munera ab ipsis præmiaque non referat?

Cæterum et aliae sunt virgines, de quibus ne sermonem longius protraham, pauca tantum attingam. Ilæ sunt quæ virginitatem tanquam regiam thesaurum cum servaverint, sollicitam sui curam nunquam nou adhibent, ut quinque fatuis nequaquam similes efficiantur, sed jugiter vigilis domum regiam custodian, et unico suo ipsarum sposo placeant. Ita enim ipse præcepit, inquiens: *Nemo potest duobus dominis servire*<sup>1</sup>. Et multæ quidem facto martyrio ad beatum exitum pervenerunt. Aliae autem per sanctas exercitationes et carnis tentationes coronatae fuerunt, ac porro coronantur.

XV. Quare et in alio loco filias Judæ exultare dicit; de sanctissima igitur Matre Domini nostri Jesu Christi hoc etiam dictum est, quia ipsa nempe ad Sancta sanctorum itura erat filiabus Judæa stipata. Nondum enim mulieres viderant puellulan in templo suis enutritam, atque adeo cum nova ac preter opinionem res perageretur, filiæ Judæa secundum prophetæ vocem exultaverunt, cum Mariam puellulan sanctissimam veluti immaculatam columbam, ad Sancta sanctorum euitem intuerentur, et parentes ejus Joachimum et Annam ineffabili gaudio ipsam pro munere offerentes, et præter omnium expectationem summum sacerdotem os aperientem, atque ei bene precantem, reliquos autem sacerdotes altisona voce cum senioribus et universo populo clamantes et dicentes: *Fiat, fiat, amen, fiat!* Dux itaque hæc ita, ut dixi, peragerentur, Judææ filiæ secundum prophetæ oraculum exultaverunt, utique triumphales hymnos concipientes: *Exultate et gaudio jubilate, Judææ filiæ, neque vos solum, sed universæ patriæ gentium.* Nata est enim Maria, nec amplius pudore Eva suffunditur. Maria ad templum adducitur, et nova puella novum templum, templum scilicet Dei capax consurgit; neque vero proles ista Davidica constituetur tantummodo Dei templum, sed et thronus Cherubicus: Judæorum autem templum destruetur; quemadmodum revera et in Evangelio Dominus pronuntiat: *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur*<sup>k</sup>. Semper enim et ubique idem mulierum genus: sive futura portendat, sive regem laudibus efferat, sive contra vituperet, et contumeliose excipiat; nihil cum iis, utpote infirmioris pavidique sexus, expostules. Ecce enim mili virgines, quæ Saulis tempore, regis iram nihil veritæ, clamant<sup>l</sup> de ipso Saule in millibus, de Davide autem in decem milibus.

XVI. Vere *lætatus est mons Sion, et exultaverunt filiæ Judææ*<sup>m</sup>. Quando, inquis? Hoc ipso tempore,

quando Dei Templum oblatum Deo est in templo; quando immaculata puellula inaudito exemplo in Sancta sanctorum propero pergens gradu contendit, ut inibi sedem desigat. Tunc virgines lætitia gestientes simul cum angelis spiritale agebant triplum. Quomodo? prorsus in *lætitia et exultatione* in templum Regis adducendæ. Quo, et quorum, et ad quem? Videlicet ad immaculatam, ad Virginem Mariam. Ipsa enim magis Regis est templum. Et quoniam virgines, utpote impollutas, ad sni deus et gloriam ipsa regina in templum Regis erat adductura; propterea clamabat Propheta inquiens: *Adducetur virgines post eam*<sup>n</sup>. Tunc adductæ sunt; sed et aliae rursus virgines adducendæ erant, cum ex ipsa *Sponsus processisset* in gloria sua.

Videte, videte, o Rubenis posteri et filii ejus: Josephus quidem, quem vos per invidiam in Ægypto vendidistis, regnum opportune nactus, non modo acceptæ patrum vestrorum iunprobitate injuriae memoriam delevit, sed præterea fame consumptos aluit; at Sol justitiae ortus ex Juda, Rex aterius, *Deus glorificatus in consilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt*; *ipse Dominus, fortis et potens, Dominus potens in prælio*<sup>p</sup>, ipse rerum opifex e terra vetustate corrupta novum cœlum ac thronum ineonbstibilem creavit, ac limuu iuveteratum in thalamum cœlestem communitavit. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra; cantate Domino, benedicte nomini ejus*<sup>q</sup>; quia virgo puella ad templum adducitur, ut in ipsa sit inhabitet qui templum sanctificat, neque tamen in ea inhabitans uterum ejusdem conburat. Sed quemadmodum tempore Moysis rubrum igne irroravit, sic etiam tabernaculum in hac Deus desigens, salutem mundo afferet,

XVII. Hæ sunt laudes, hæc exultantium filiarum Judææ sunt cantica. *Cantate, et exultate, et psallite*<sup>r</sup>. Ecce enim devictus est diabolus, qui naturam nostram tyrannide sua premebat. Ecce solium Cherubico mirabilius in terra paratur (virgo) de qua scriptum est: *Deus in medio ejus, et non communicebitur.* Ipsa enim solium, et sedes, et donicilium Emmanuelis et summi regis Christi.

Ecce sine manibus hominum construitur palatium cœlestis Regis, et hoc palatium in Edeu ad orientem portam habet, et nemo per eam portam ingredietur, nisi solus Dominus Deus; et erit porta clausa. Palatium prorsus admirandum, adeo ut ipsæ quoque cœlorum Virtutes illud demirentur. Atque omnem sane cogitationem opus superexcedit. Palatium enim istud sine ullius humani architecti opera exedificatum, cœlis sublimius, et creatura omni latius ostensi est, et nemo in ipso præterquam architectus ille, et opifex et cœlestium rerum omnium ac terrestrium Creator habitabit. Equis tandem iste

<sup>i</sup> Matth. vi, 24. <sup>k</sup> ibid. xxiv, 2. <sup>l</sup> I Reg. xviii, 7. <sup>m</sup> Psal. xlvi, 42. <sup>n</sup> ibid. xliv, 18.

<sup>o</sup> ibid. lxxxviii, 8. <sup>p</sup> ibid. xxiii, 8. <sup>q</sup> ibid. xcvi, 1, 2. <sup>r</sup> ibid. xcvi, 5.

est, quod solus condiderit, et solus inhabaverit? Nunquam auditum hoc est, quod porta mirabilis illius domus nemini alii unquam aperietur. Quis iste est rex? non habet exercitum, et exercitus duces? non habet satellites, qui cum timore et tremore astantes officium explet? non habet regios praefectos? habet sane, omnis quippe creatura ipsius est: *Millia millium astant ei in celis, et decies centena millia ipsi ministrant<sup>s</sup>.*

XVIII. Haec ita se habent quoad modum quo Dei genitrix Maria in Sanctis sanctorum conversabatur, et quo omni justitia (ceterarum creaturarum) sublimior ostensa est.

O Judaeorum duritiem! O eorumdem amentiam! Sed o haereticorum quoque blasphemiam! O ipsorum quoque corda obsecata! Quippe qui contentionem et emulationem impingentes, tanquam testa in lebetem, nihil distant a Judaeorum pervicacia. Ipsi enim colliduntur, et ipsi conteruntur. An non erant ex illis prophetae? Etiam nunc consitentur (Judaei), prophetas ex ipsorum ortos propagine fuisse; at oraculis eorum cedere abominant increduli. Quandonam igitur per omnium generationum decursum viderunt puerulam in Sanctis sanctorem inmutram? vel rursus, ubinam viderunt virginem post partum? Nonne, cum Dominus declaratus est summus sacerdos, propriis manibus ex ipsis quidam scribentes confessi sunt sanctam Mariam fuisse virginem? Cum enim quidam ex ipsis Dominum decernerent summum sacerdotem (ut impleretur sermo qui scriptus est: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* <sup>t</sup>, propterea quod ipse proficiebat sapientia coram Deo et hominitus <sup>u</sup>), et Maria sancta Dei Mater erat ex stirpe regia et sacerdotali, proinde secundum morem ipsis faciebant. Proinde astantibus sacerdotibus interrogaverunt patrem et matrem, et scripsierunt eorum nomina in censu sacerdotio; et interrogarunt sanctam Dei Matrem dicentes: Estne filius tuus Jesus? Maria vero respondit: Utique. Ipsi autem addiderunt: Ecquisnam est pater ejus? Respondit purissima: In terra quidem non habet patrem; ego ipsum genui ut novit ipse. Deus enim est pater ejus. Illi vero dixerunt: Scribeamusne in elenco codicis, quod ipse sit filius Dei? Atque ipsa reposuit: (Sie) scribite. Et sic retulerunt in codicem: Jesus filius Dei et filius Mariæ, suffragio e celis lato, sacerdotio fungetur in aeternum. Et sicut superiorius declaratum est, implementum accepit Scriptura inquiens: *Tu (es) sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* <sup>v</sup>. Et sicut cum Dominus rediisset e desertu, venit in Nazareth, ubi fuerat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae prophetae, et ut revolvit librum, invenit

*locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* <sup>w</sup>, et cetera.

Hic itaque liber apud ipsos asservatur usque ad hodiernam diem; et in secundo ejus adventu, idem liber legetur ad Judaeorum confusione. Etenim neque prophetis ipsi crediderunt, neque ipsum Dominum audierunt; verum ex ipsis Scripturis sacerdotum suorum manu exaratis convincentur. Ipsi enim perpetuo et decipientes et decepti, veritatem quidem proclamant esse errorem; errorem autem (quasi veritatem) amplectuntur, cum quo etiam in supplicium sempiternum abiibunt. Ad eos namque dixit Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recipitis me; si vero aliis venerit in nomine suo, illum recipietis* <sup>x</sup>.

XIX. Sed repones mihi, o Judaei: Quomodo homo est filius Dei, et Deus? Audi. Quandoquidem Deus hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam, hunc diabolus fraude subvertens morti subjecit. Propterea primo quidem (Deus) misit prophetas, qui adventum suum prænuntiarent. Ubi autem venit plenitudo temporum, misit unigenitum ac dilectum Filium suum, qui carnem Adami induit, ut eum qui per voluntatem carnis in tyrannidem suam redegerat naturam, per carnem everteret, et diabolum hominis interfectorum interficeret.

Quemadmodum enim rex postquam in regionem quampiam vel urbem expeditionem jussit, si quidem illi qui missi sunt, hostem debellare non potuerint, tunc ipse habitu incolentium illam regionem assumpto, ad hostem delendum proficietur, hostis vero dum huic quoque se prævalitrum præsidit, in fortiorem incurrens, ipse capitur: sic prouersus ei accidit, qui cervicem erexerat, seque in medio celo solium sum locare, atque super mundanam, ut putabat, conditionem sublimari gloriabatur. Sic enim hic e celo (dein) lapsus ut fulgur, <sup>y</sup> impudens (tunc) aiebat: Si hoc obtinero, similis ero Altissimo <sup>z</sup>. Quippe tanquam potens, ut sibi videbatur, se extulit jactabundus. Salvator itaque ut emortuas redderet exitiales ejus fraudes, ipsiusunque velut esca alliceret, tanquam draconem sanguinis appetentem divino hamo captum perimit. Ita Dei consilium machinamenta illius tanquam telam araneæ dissipavit.

Hujus sane artes cum bene perspectas haberet David, nunquam cessabat interdiu noctuque exorare, quasi gerens personam omnium, preces supplicationesque ad Deum intendens, ac dicens: *Domine, inclina celos tuos et descendere* <sup>a</sup>. Et rursus: *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos* <sup>b</sup>. Et rursus: *Domine, opera manuum tuarum ne despicias* <sup>c</sup>.

XX. Suo igitur consilio, quod in saeculum permanet, et cogitationibus cordis sui que in genera-

<sup>s</sup> Dan. vii, 10. <sup>t</sup> Lue. ii, 52. <sup>u</sup> Psal. cix, 4. <sup>v</sup> Lue. iv, 16, 17. <sup>w</sup> Joan. v, 45. <sup>x</sup> Lue. x, 18. <sup>z</sup> Isa. xiv, 14. <sup>a</sup> Psal. cxliii, 5. <sup>b</sup> ibid. lxxxix, 3.

<sup>c</sup> ibid. cxxxvii, 8.

*tionem et generationem perseverant* <sup>d</sup>, nequaquam (Deus) oblitus est pauperum suorum, sed recordatus est miserationum suarum, et misericordie suarum, quae a saeculo est <sup>e</sup>, et elegit tribum Iudea <sup>f</sup>, ut erigeret solim Davidis servi sui. Etenim vel antequam lex daretur atque prophetæ prædicarentur, Judas ex crudeli morte Josephum liberavit, et benefacti sui immensam hanc retributionem reportavit, ut ex semine ejus Joachimus et Anna, plantati in domo Domini, in atriis Dei <sup>g</sup>, omni laude dignissimam et sanctam Matrem cœlum emitterent. Exsultate igitur, Joachime et Anna, et confitemini memorie sanctitatis ejus <sup>h</sup>.

Audivit enim et lætata est Sion, et exsultaverunt filie Iudeæ <sup>i</sup>, propterea quod Judas undecim tribubus prævaluit, et nemo e reliquis fratribus benedictus est quemadmodum hic, qui nostram salutem germinavit. Et sane reliquorum appellations transierunt in Iudam; neque ab alia tribu nomen habent vel Rubenitæ, vel Benjamitæ, vel Issacharitæ, vel Zabulonitæ, nec secundum aliam tribum competantur, sed appellantur Iudei. O pessimum genus! o progeniem pravam atque perversam! o stupiditatem, et corda velamine obvolvata! Omnia tribuum ipsorum nomina in Judam desierunt (omnes enim appellantur Iudei), et tamen in Dominum e Juda exortum non crediderunt. Quin et ipse Salvator testimoniò suo sermonem confirmat, dicens: *Quia salus ex Iudeis est* <sup>j</sup>, quæ salus ego ipse sum, qui loquor tecum <sup>k</sup>, prout dixit Dominus ad mulierem Samaritanam.

XXI. Cæterum jam tempus est inchoandæ lætitiae, et congratulandi justis omnibus ab Adamo usque ad Zachariam, quem inter templum et altare occiderunt <sup>l</sup>.

Exulta itaque, o Adam, propter Mariam Dei matrem. Quoniam per mulierem a serpente deceptus fuisti, et per mulierem serpentem conculeabis. Venit enim tempus ut sagittæ potentis acutæ <sup>m</sup> ex eadem illa natura proveniant, unde inimicus nocendi sumpsit instrumenta. Lignum etenim et mulier origo fuerunt in paradiſo tui exsilii; nunc autem lignum et mulier tibi sunt restitutio. Mulier quidem manu Dei ædificata te decepit; at mulier e lumbis Joachim et Annæ utero progenita, sine semine gignet mortis victoria, debellatoremque illius qui nos captivos abduxit. Et lignum quidem bonum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile nobis mortem attulit; lignum autem aridum et infrustrum tum draconem perimet, tum terrigenis universis æternam vitam conciliabit.

Tu quoque mater matrum, Eva, gaudie; quoniam filii tui non amplius ad corruptionem na-

scientur, sed incorruptione potentur. Vos etiam, Abel et Seth, in cantica erumpite, quoniam Altissimus tabernaculum suum præparat, et venit ad benedicendum terræ, enī maledixerat. Et tu, Noe, hilaritatem explica, quoniam adest Dominus: congrega dispersos filios tuos, ut eum adorant, qui vos in diluvio servavit. Deus enim, ultiorum Dominus <sup>n</sup>, Adamum indutus, in terras advenit, ut Adamum ipsum renovet, viuetosque omnes ex inferis educat. Abraham, et Isaac et Jacob eum legislatore Moyse atque prophetis omnibus, utriusque exsultate, libros vestros evolvite, quoniam adest jam exspectatio vestra.

Hæ sunt exsultationes filiarum Iudeæ, quoniam justi Joachim et Anna plane immaculatam Dei matrem in Sancta sanctorum detulerunt. *Lætatus est enim mons Sion, et exsultaverunt filie Iudeæ propter iudicia tua, Domine* <sup>o</sup>. Virgines enim, quæ simul post sanctam Virginem Mariam Dei matrem incedebant, nihil, quod inclamarent, habebant aut alienum aut indecorum, sed spiritualia duntaxat ac Deo placentia, quæ Spiritus sanctus in ea hora (ipsis) donabat. Ecquid enim aliis vocibus opus iis erat quam ut ratione prorsus convenienti Reginam collaudarent, et Regi sacerdotum ex ipsa sine semine nascituru triumphales hymnos alta clamantes voce canerent, prout *Spiritus sanctus dabat eloqui illis* <sup>p</sup>?

XXII. Et nos igitur, dilectissimi, mente volentes illud prophetæ oraculum, quo inquit: *Age, o Juda, solemnitates tuas, ascendit enim qui afflat in faciem tuam, te e tribulatione eripiens* <sup>q</sup>, omnes spiritali lætitia gestientes Dei Genitricis Mariae sacra solemnia celebremus. Ipsa enim ex Juda est, et Dominus ex ea secundum carnem.

Quocirca inter divinos solemniesque dies, Deiparæ quoque, quæ spes est omnium nostrum, merito festa celebranda sunt. Ideoque extra decem solemnitatum numerum, vivificam quoque illius dormitionem celebramus. Quod quidem venerande illius dormitionis festum agimus et nos post ascensum Domini nostri Jesu Christi in celum et descensum sanctissimi et vivificantis Spiritus in beatos apostolos, quod postremum magnumque festum appellatur, tanquam quod fuerit bonitatis Domini et divinæ dispensationis omnisque justitiae complementum.

Quas vero superius commemoravimus, celebrites agimus secundum Veteris et Novi Testamenti Decalogum. Tres enim sunt Decalogorum series, quas a sanctissima, consubstantiali, vivificante atque adoranda Trinitate electi sumus.

<sup>d</sup> Psal. xxxii, 11. <sup>e</sup> Psal. xxiv, 6. <sup>f</sup> Psal. lxxvii, 68. <sup>g</sup> Psal. xcii, 14. <sup>h</sup> Psal. xxix, 5. <sup>i</sup> Psal. xcvi, 8, sec. LXX. <sup>j</sup> Joan. iv, 22. <sup>k</sup> ibid. 26. <sup>l</sup> Matth. xxiii, 33. <sup>m</sup> Psal. cxix, 4. <sup>n</sup> Psal. xlvi, 12. <sup>o</sup> Psal. xciii, 1. <sup>p</sup> Act. ii, 4. <sup>q</sup> Nahum. i, 13; ii, 1.

Prima continetur in lege, *Diliges Dominum Deum tuum*, et cætera. Et in Novo deinde Testamento *beatitudines*, et ipsæ sunt decem, similiter et *Pater noster* decem complectitur sermones. Has itaque decem solemnitates festiva cum lætitia agimus.

XIII. Ac primam quidem, licet ea non ab omnibus agnoscatur, in qua beati Joachimus et Anna generationis Mariæ semper Virginis ac Dei Matris nuntium accepérunt, die nono mensis Decembriis celebramus.

Atque attente adverte, dilectissime, non præter fidem esse, ac inane, quod apud nos scripto traditur. Si enim ecclesiarum dedications merito celebrantur, quanto magis citra ullam comparata

tionis rationem debemus cum studio, et pietate, ac Dei timore hanc peragere soleūni atem? in qua nou ex lapidibus jacta sunt fundamenta, neque manibus hominum Dei templum exædificatum est: videlicet in utero concepta est Deipara ac sancta Maria, sed Dei Patris beneplacito, et cooperatione sanctissimi ac vivificantis Spiritus, Christus Dei Filius, qui lapis est angularis, ipse eam ædificavit, et ipse in ea iuhabavit, ut legem ac prophetas, cum ad salvandos nos veniret, impleret. Ipsi gloria et honor et adoratio una cum aeterno Patre, et cum sanctissimo ac vivificanti Spiritu nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

### SANCTUS JOANNES DAMASCENUS.

#### I.

**In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.**

**SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI JOANNIS DAMASCENI SERMO  
IN ANGELI ANNUNTIATIONEM INCARNATIONIS CHRISTI  
AD ILLIBATAM DOMINAM NOSTRAM MARIAM.**

Jam tempus est, fratres dilectissimi, nt hac Davidica voce exclamemus: *Quam magnifica sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti*<sup>7</sup>. Etenim præsens solemnitas festivitatum nostrarum initium est, et nostrarum solemnitatum caput: unde orta est salus nostra, ac lex nostra initium habuit. Nos enim eramus prius avitæ ac primigenie rebellionis rei, et adjecto illi insuper gravissimorum peccatorum reatu, facti eramus tenebrarum incolæ ac regionum mortis, nec ullus ex prophetis a Deo missis, et sanctis justis, lumine nos illuminare poterat, redimendo a peccatis et nequitia prævaricationum nostrarum. Quamobrem creator ipse redemptor evasit, nosque sui ad nos accessus lumine illustravit, quenadmodum propheta ait: *Populus qui sedebat in tenebris vidi lucem magnum*<sup>8</sup>: nobisque commissa sunt secreta adventus ejus, cum ipse Gabrielem angelum misit annuntiatum miracula incarnationis sue. Hodierna dies solemnitatum nostrarum est origo, et salutis nostræ initium. Hodie Filius Dei, qui temporibus anterior est, nunc temporis hominis Filius fit. Hodie initium est renovationis humanæ naturæ. Hodie fæta est abolitio peccati primigenii. Hodie sanctificata est nostra natura, Creatoris in ipsa inhabitacione. Hodie digna evasit ut archangelis dominaretur. Hodie completum est tempus de quo prophetarum oracula personuerunt. Hodie tempus completum est, quod sanctorum et electorum mentes desiderabant. Hodie Adam Creatori suo de progenie sua templum ædificavit, in quo tectus habitaret, et quod redimeret: Mariam virginem pretiosam, benedictam, sanctam, puriorum naturæ Adamicæ partem, et humanæ stirpis reginam: puram, qua nulla usquam corpore purior inveniatur in omni genere humano: san-

ctam, qua nulla inter creaturas futura est intellectuales quoad animam sanctior: gloriam Israëlitæ gentis, ac stirpis Davidicæ human: de qua avus ipsius David exclamat, propheticam vocem attollendo: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliuiscere populum tuum, et domum patris tui: et concupisces Rex speciem tuam*<sup>9</sup>. Hæc illa est, cuius puritatis pulchritudinem concupivit Rex cœlestis, misitque ad eam ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione lætitiae compellaret, certioreme que faceret, esse se a Creatore electam, dicendo: *Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*<sup>10</sup>. Et quomodo benedicta non esset, et gratia plena, cum qua creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex ea templum quo opem generi ipsius afferret? Hodie qui format res omnes visibles et invisibles, effluxit sibi imaginem humanam. Hodie qui producit omnes creaturas spirituales et materiales, produxit sibi carnis figuram. O misericordiae Creatoris abyssum, et excellentiam descensus ejus! Etenim cum ipse plasma suum liberare vellet, semet exinanivit, et accepit formam servi, similitudine inventus ut homo<sup>11</sup>. O beneficiorum magnitudinem, quæ nemini pervestigabilis est! Nos enim rebelles in eum fuimus: ipse vero curam nostri suscepit. O bonorum istorum abundantiam, quorum pretium æstimari non potest! Nos equidem maxima peccata commisimus: ipse vero nos liberalitate sua ab eis redemit. Ipse sibi onus imposuit quod nos ferre oportebat, emitque nos sanguine crucis sue, ac liberavit a vinculo servitutis. Gloria sit magnitudini majestatis ejus, ejus non est finis.

Quando angelum vidi Maria, turbata est ob sermonem ejus, secumque cogitare cepit, undenam esset ista salutatio. Angelus vero dixit ei: *Ne timeas, Maria: nacta es gratiam Dei. Ecce concipes in utero, et paries filium: et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus*

<sup>7</sup> Psal. ciii, 24. <sup>8</sup> Isa. ix, 1. <sup>9</sup> Psal. xliv, 11, 12. <sup>10</sup> Lue. ii, 28. <sup>11</sup> Philipp. ii, 5-8.

*non erit unis. Et ait Maria : Quomodo verum esse compieriam quod hoc mihi futurum sit, quando virum non cognosco? Angelus respondit, et dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoae sanctum in te genitum vocabimur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis : quia difficile non est apud Deum omne verbum. Et dixit Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc recessit angelus ab ea<sup>12</sup>. Profecto gloria hæc et illustris inter mulieres, gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsa sumeret compingeretque ex sancto ejus sanguine : ut ei non fuerit in anterioribus puritate similis, nec futurus in posterioribus pari sanctitate præditus. Nestorium itaque recordem et amentem pudeat. Nam sanctum quod ex perpetua virginie Maria natum est, Filius Dei appellandum erat, descendente in eam Spiritu sancto, eique Altissimi obumbrante virtute. Atque clare etiam angelus trinitatis sancte nominationem expressit, dum Spiritum sanctum, Altissimumque virtutem, et sanctum ex ea genitum. Quin etiam manifesto indicavit substantiæ Deitatis sanctissimæ unitatem, voluntatisque simplicitatem. Non enim persona Patris, ac persona Spiritus sancti corpus assumpserunt. Incarnatio æterni Filii facta est voluntate Patris, atque opera Spiritus sancti.*

Laudetur initium benignitatis illius quæ comprehendi nequit. Certe nobis angelus sospitionem protulit, cum ejus nobis intellectum fixit, dicendo : Nulla res apud Deum difficilis est : ipsaque Maria, cum eximiæ sanctitatis esset, excellentiam nobis monstravit humilitatis suæ, angelum excipiendo, eique fidem integrum posito timore adhibendo. In ea itaque completum fuit prophete dictum : *Sed quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad modestum, placidumque, ac reverentem sermonem meum<sup>13</sup>?*

Jam certiores facti sumus, fratres, novimusque colatum nobis hac die nobilissima dierum beneficium ; in ea, inquam, solemnitate, quæ cæterarum est solemnitatum princeps. Gloriam itaque prædicemus illius glorificatione spirituali, enique laudemus, collata nobis ab eo munera perpetuis preconiis celebrantes, et gratias agentes ea gratiarum actione quam bona opera comitentur, offeramus ei sacrificia honorum operum integra et absque vitio. Unusquisque quod valet, et quod vires ipsius assequuntur, offerat. Ac Deus quidem hoc jussit : *Non apparebis in conspectu meo vacuus<sup>14</sup>.* Ipse autem summe laudabilis, qui omnium est bonorum causa, varias etiam donorum species suscepit, cum ipse omnia gratiarum genera impertiatur ; lætaturque ob propensum offerentis animum. Quamobrem omnes simul accurramus, senes et adolescentes, ætate graves et juniores, omne agmen et genus prævenientes ad hono-

randum dominam nostram ac nostræ naturæ regnum, laudibus prædicantes puritatis ejus decorum, perpetuam ejus virginitatem reverentes : altitudinem denique sanctitatis ejus honorantes, dicamus : O gloria filiarum, matrum deus ! o genitricem viro incognitam ! o virginem filio gravidam ! O miraculum, quo missi a Deo prophetæ perculsi sunt, et cuius gloria angelos sanctos superat ! Propitias servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant, deprecationibus. Intercede pro nobis apud Filium tuum Deumque tuum, uti peccata nostra condonet, infirmitati nostræ opituletur, liberet a Pharaone spirituali, sicut liberavit Isrælitas a gurgite, transire nos faciat hujus mundi mare fluctibus furens, ventis abundans, requiem nobis præstet ab opere laterum et inti intellectualis, nosque tandem liberet ab crudelibus alienigenis, qui graves adversum nos inimicitias exercent, ut peccata et impietates ipsorum agamus. O tu Maria, cuius non repellitur intercessio, nec recusatur oratio, que simplici divinitati proxima es, propius ad Trinitatem sanctam accedens, quæ altitudine cherubicis turmis sublimior es, et seraphicis agminibus excelsior : per te quandiu in hoc pereunte mundo manebimus, auxilium ad bona opera facienda consequamur, liberemurque ab actibus sceleratis, et post nostrum inde transitum, ad Deum excelsum sempiteruumque perveniamus, ad voluptatem regui cœlorum, et commemorationem regionis vivorum, perennem vitam agentes, quam purgatae mentes desiderant, per Jesum Christum, qui causa est opulentia nostræ, quoniam ipse nobis aannuntiavit, cum nos salvos fecit ; ipsi glorificatio et sanctitas, cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

## II. — Joannis monachi et presbyteri Sermo in Annuntiationem sanctissimæ Domine nostre Dei Genitricis.

Nunc Regiæ regale et eximiæ novum festum ac celebritas supra aureos solis radios effusit. Nunc catholica et apostolica Ecclesia mirum in modum gestiens decorum ostentat suum. Nunc qui spectaculis gaudent, ac dies festos colunt, solemnitatæ solemnitatum agentes, frequentissimo populo conveniunt. Nunc cœlestia, terrestria, et inferna, et quæcumque in eis condita sunt, lætentur. Nunc illa prædicetur, quæ omni ratione est prædicanda, cen quæ nullis noui fanstis acclamationibus celebrari debat. Nunc Virgo extollatur, quæ exaltata a Deo est, cæterisque prælata, ac divino oraculo dignata. Nunc ea laudetur, quæ multiplici tum nomine, tum lumine insignis est, ac super omnes res creatas sublimissima. Nunc beata dicatur Dei arca, quæ Deum versantem securum, et in se manentem habnit, orbique toti venerabilis est. Hodie si quidem in universo orbe gaudio et exultationi vere indulgetur. Nunc

<sup>12</sup> Luc. i, 29-38. <sup>13</sup> Isa. lxvi, 2. <sup>14</sup> Exod. xxviii, 20.

eorum qui dies festos amant, conventus voces edant. Nunc populi omnes cum Davide regiae ex Davide proguata jucundam : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, Regis magni*<sup>18</sup>. Hodie prophetarum liber, qui exaratus a Deo est, aperiatur, deque perpetua ea puella, perpetua, inquam, virgine Maria recitetur. Hodie Iudeæ civitates exsultent ob animatum hanc civitatem. Hodie Gabriel festivissimæ hujus celebritatis chororum princeps, Reginæ sursunt acclamat, et dicit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum*<sup>19</sup>. Hodie nos etiam qui luteæ lingue sumus, clamemus, et glorioſissimæ ac luciferæ Dei Salvatorisque nostri Iesu Christi matri verba quædam gratiosa dicamus, vocibus istis jucunde gratulantes, *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*.

Ave, gratia plena, quæ ex omnibus generationibus, tribubus, populis, gentibus et linguis electa es. Ave, plena gratia, quæ ante sæcula creatori ac regi sæculorum fuisti destinata. Avesis, in qua Vetus Novumque Testamentum transactum fuit. Avesis, flos deiſerorum Patrum et patriarcharum multiplici flore constans. Avesis, prænuntiatum nomen a prophetis, qui a sæculo exsisterunt. Avesis, Adami orbis parentis atque a Deo formati soboles. Avesis, Evæ filia, moderatricis illius, ac mulierum primæ. Avesis, animata theca et arca, illam referens quam Noe struxit<sup>20</sup>. Avesis, quæ de Abraham gentium patris semore secundum promissionem Dei revera nata es. Avesis, scala ad cœlum pertingens, quam magnus inter patriarchas Jacob olim vidit<sup>21</sup>. Avesis flammans rubus, quam celebratissimus Moyses in monte Sina aliquando conspergit<sup>22</sup>. Avesis, sanctitate verōdans virga Aaronis, inter sacerdotes vere spectatissimi<sup>23</sup>. Avesis, tabernaculum novum purpura varium, quod variorum intextor Beseleel novo opere elaboravit<sup>24</sup>. Avesis, oraculum aureum, ex lapidibus et auro textum. Avesis, propitiatorium, duobus Seraphim obumbratum. Avesis, sacerdotale ephod summi sacerdotis stola. Avesis, aureum suffumentorum altare<sup>25</sup> . . . . . laudabant voce magna angeli mei. Avesis, in qui propter uos carne habitans fuit, qui in Isaia ait : *Ego primus, et ego posthac*<sup>26</sup>.

Avesis, o plena supplex, quæ carne complexa es, quem nihil usquam ullatenus complectitur. Avesis, supplex Deigera, et omni auditione longe superior auditio. Ave, idecirco ave, quia filium peperisti, quem Jacob inuuit dicens : *Catalus leonis Iuda, ex germine, fili mi, ascendisti*<sup>27</sup>. Ave, quia filium peperisti, de quo Dei progenitor David ait : *Quia vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ*<sup>28</sup>. Ave, quia peperisti filium, cui millia millionum angelorum adiungunt, ut fert Daniel<sup>29</sup>. Ave, quia peperisti filium,

quem canit, laudat, et benedic cœlestium ac terrestrium universa creatura. Ave, quia filium peperisti, quem multis oculis prædicta Cherubim Deum, et senis alis instrueta Seraphim Dominum prædiuent<sup>30</sup>. Ave, quia filium peperisti in nominatissima civitate David. Ave, quia filium peperisti, antiquioreum sæculis ac recentem, ex fontibus Israel oriundam. Ave, quod infantem genueris infantium formarem, quique universa continet. Ave, quod infantem genueris, virtutis et gloriæ Patris consortem<sup>31</sup>. Ave, quod infantem genueris, quadragesimo primo, ut admirabilis Lucas refert<sup>32</sup>, imperii Augusti Cæsaris anno. Ave, quod genueris infantem, cujus causa angeli quoniamplurimi ad terram devenerunt. Ave, quod infantem genueris, cujus causa pastores, dum nocte gregem in agris excubantes custodirent, admiratione perculti sunt<sup>33</sup>. Ave, quod genueris infantem, cujus causa concinebant angeli : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus bonæ voluntatis*<sup>34</sup>. Ave, quod genueris infantem, cujus causa sonitus et strepitus auditur. Ave, quod genueris infantem cujus causa Herodes animo æstuans perturbatur<sup>35</sup>. Ave, quod infantem genueris, cujus causa cognata tua Elisabeth domo sua exsulat. Ave, quod genueris infantem, cujus causa Zacharias exilius sacerdos in medio templo necatur. Ave, quod genueris infantem, cuius causa Bethlehem militum manus perseruatur<sup>36</sup>. Ave, quod genueris infantem, propter quem armati gladiis carnifices mittuntur. Ave, quod genueris infantem, cujus causa geniti nuper, vixque vocem imitantes infantes membrorum conscientur. Ave, quod infantem genueris, cujus causa Rachel lacrymarum fluvios fundens, tristissimum carmen edit<sup>37</sup>. Ave, quod infantem genueris, qui octava die de legis Mosaica prescripto circumcisus fuit<sup>38</sup>. Ave, quod infantem genueris, qui, cum legem in tabulis lapideis insculpsisset, factus est sub lege, ac legem implet. Ave, quod infantem genueris, quem quadraginta diebus completis in Salomonis templo obtulisti<sup>39</sup>. Ave, quod infantem genueris, quem recens editum canitie spectabilis sacerdos Simeon conspiciens, hinc dimitti studebat. Ave, quæ genueris infantem, qui a prophetissa ac vidua Anna coram omni populo Dominus proclamatus est.

Ave, gratia plena; ave, per quam nobis innotuit, qui ante omnes colles genitus est, Deus, inquam, universorum potestatem habens. Ave, per quam nobis qui mundo sublimior est, innotuit, quique mundum ornatum vaenum ornavit, et creaturam inconditam creavit. Ave, per quam innotuit, qui priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis, ex ingenito Patre genitus est<sup>40</sup>. Ave per quam apparuit, qui cœlum uti pellem extendit, et aridam super aquas abyssi stabilivit. Ave, per quam nobis iuno-

<sup>18</sup> Psal. LXXXVI, 5. <sup>19</sup> Lue. 1, 28. <sup>20</sup> Gen. viii, 15. <sup>21</sup> Exod. xxxvii, 12. <sup>22</sup> Gen. xxviii, 12. <sup>23</sup> Exod. iii, 2. <sup>24</sup> Num. xvii, 8. <sup>25</sup> Psal. XLIV, 6. <sup>26</sup> Gen. XLIX, 9. <sup>27</sup> Psal. LXXIII, 45. <sup>28</sup> Dan. vii, 10. <sup>29</sup> Iea. vi, 3. <sup>30</sup> Joan. 1, 14. <sup>31</sup> Memoriæ lapsus : nihil ejusmodi Lucas habet. <sup>32</sup> Luc. ii, 8-13. <sup>33</sup> ibid. 14. <sup>34</sup> Matth. ii, 5. <sup>35</sup> ibid. 16. <sup>36</sup> Jerem. XXXI, 15. <sup>37</sup> Luc. ii, 21. <sup>38</sup> ibid. 22. <sup>39</sup> Prov. VIII, 25.

tuit, qui altissimum prorsus, quod mundum continet, admirandumque spectaculum praebet, mare arena frenat. Ave, per quam nobis ianouit, qui intaminatis, nec manu factis manibus Adam hominum primum formavit. Ave, per quam nobis apparuit qui Abrahamo ait : *Nisi benedicens benedicante, et multiplicans multiplicabo te*<sup>37</sup>. Ave, per quam nobis innotuit qui populum Israel ex Aegypti servitute olim liberavit, et Pharaonem regem interfecit in mari. Ave, per quam nobis innotuit, qui per singulas etates conspicuum sese præhuit Patribus et prophetis, et omnibus illis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Ave, per quam nobis innotuit, qui per viscera misericordie hominis causa factus est homo. Ave, per quam nobis innotuit, qui solus inter sanctos sanctus est, solusque inter gloriosos gloriosus, ac solus altissimus super omnem terram. Ave, per quam nobis innotuit qui solus a perpessionibus immunis est, solusque patientium socius, solus minime mendax, solus denique ex solo unigenitus Dei Filius ac Deus. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam nobis ille generatur cuius propria generatio est, nascitur, cuius propria nativitas est, et perfectus augetur. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam incorporalis corporatur, et initium habet qui sine initio est, et continetur, qui contineri nequit. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam vita donatur, qui ipsa vita est; quantitate crescit, qui quantitate caret; incarnatur, qui sine carne est. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam creatur, qui creatus non est, egenus fit, qui locuples est, et altissimus puer fit. Salvesis, Domina Dei Genitrix, per quam tractatur qui tractari nequit; prehenditur, qui tangi non potest; gestatur qui cuncta gestat. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam lacte nutritur, qui universa procurat, alit, et administrat Dens. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam Dei Filius et Verbum, filius hominis inexplicabili bonæ voluntatis propensione apparuit. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam qui sine matre est, sine patre existit, et novus constatur Melchisedech<sup>38</sup>. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam transiit speciosus forma præ filiis hominum<sup>39</sup>.

Salvesis, sola Mater Dei, quæ a summo cœlo usque ad summum ejus<sup>40</sup>, tanquam Genitrix, quemadmodum et David loquitur, occursum protectionis et auxilii habes. Salvesis sola Dei Mater, cœlestium, et terrestrium, et infernorum magnificum atque illustrissimum decus. Salvesis, sola Dei Mater, quæ radio omni lucidior es, et omni puritate purior. Salvesis, sola Dei Mater, quæ omni re venerabilior es, omnique auditione præstantior auditio. Salvesis, sola Mater Dei, quæ suavitate omni suavior es, omni re nobili nobilior, et omnibus divitiis affluente locupletior. Salvesis, sola Mater Dei, solum illud nomen Christianæ creaturæ vere prorsus peregrium cunctisque amatissimum. Salvesis, Dei Mater, quæ in

sæcula adoranda es, quæ in sæcula es prædicanda, laudandaque per interminata sæcula. Salvesis, sola Dei Mater, quæ in omnes generationes generatum ab angelis et hominibus una voce cum reverentia magnificaris.

Salvesis, sola inter reginas regina, quæ regum quidem filia es, universorum autem Regis Mater, ac religiosorum regum et imperatorum robur. Salvesis, sola inter reginas regina, vestitu deaurato circumdata, ac varietate, veluti psalmorum cantor David exclamavit<sup>41</sup>. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quæ primæ parentis Evae lapsum restaurasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quæ humillimum humi jacentium mulierum genus exaltasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, splendida atque mirabilis, quæ sola Christum Deum simul et hominem sine viri opera concepisti, et sine dolora peperisti. Salvesis, sola vere inter mulieres benedicta et gloriosa, quæ unam e sanctissima, ternoque fulgore radianti Trinitate, nihil te flamma lœdente, conceptum genuisti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quæ sola cum sine constructione complexa es, quem mundus capere nequit. Salvesis, sponsa sola a spuso libera, quæ in sponsali Cantorum libro jam olim relata es. Salvesis, sola inter virgines Virgo, quæ ante partum, et in partu, et post partum, virgo permansisti. Salvesis, e portis sola porta clausa, et sola e civitatibus civitas turribus munita.

Ave, vere gratia plena, ave, quoniam Angelis tu sanctior es, et Archangelis præstantior. Ave, gratia plena, quoniam Thronis es admirabilior, Dominatibus dominantior, et majoris quam Virtutes virtutis. Ave, gratia plena, quæ Principatibus superior es, et Potestatibus sublimior. Ave, gratia plena, quia speciosior es Cherubim, et augustior Seraphim. Ave, gratia plena, quæ cœlis excelsior es, et sole quem conspicimus purior. Ave, gratia plena, quia omnibus quæ ab ortu solis sunt, nobilior es, et regali potestate majori polles super omnia mortalis naturæ regna. Ave, gratia plena, quoniam longe tu melior es, quam illa vere bona amplaque terra melle et lacte manans. Ave, gratia plena, quia super nivem alba facta es, et super mel dulcis. Ave, gratia plena, quoniam super lilia fragrans fuisti, et super rosas rubicunda, ac super varie decorum ver efflornisti. Ave, gratia plena, quoniam super Jerusalem speciosa facta es, et super Salomonis templum magnificata. Ave igitur, ave, et ieronum dico, ave, gratia plena, quoniam plenum cœlum est, et terra magnitudinis tux.

Ave, per quam nos humiles et abjecti secundam Christi, salutarique lumine præditam generationem ea qua par est religione adoramus. Ave, per quam nos mundi effectricem, vitæ originem, ac semper

<sup>37</sup> Gen. xxi, 16. <sup>38</sup> Hebr. vii, 5. <sup>39</sup> Psal. xliv, 5. <sup>40</sup> Psal. xviii, 7. <sup>41</sup> Psal. xliv, 10.

regnantem Trinitatem cognovimus. Ave, per quam nos Christianus populus, Filii tui ac Dei nomine donati sumus. Ave, per quam inter unius, sanctæ, catholicae, atque apostolicæ Ecclesiae cives descripti sumus. Ave, per quam nos multipliciter adorandum et saluberrimam crneem adoramus. Ave, per quam nos fidem qua salvantur animæ, ac lucis forma præditam tenemus. Ave, per quam nos puram ac tremendam carnem, ad tremendam admodum mensam accedere audentes, participamus. Ave, per quam nos verum et immortalem panem gustamus. Ave, per quam nos e Januis inferni ad caelos eveniti sumus. Ave, per quam nos a maledictione redempti sumus et inexplicabili lætitia dignati sumus. Ave, per quam nos imaginum picturas quæ Christum repræsentant, colendæque adeo ac venerandæ sunt, adoramus. Ave, per quam nos gentilium ex auro fabricata, dæmonumque formis prædicta simulacra conculcamus. Ave, per quam nos prisco illi, superboque adversario resistimus.

Ave, per quam Romanum imperium tranquillitate potitur. Ave, per quam regibus ut regent datum est, et exercituum duces ducatum obtinent. Ave, per quam Victoria in acie adversus alienigenas, extraneaque linguae nationes refertur. Ave, per quam exteræ gentes veluti folia cadunt, et impii tanquam venti nemine perseguente exagitantur. Ave, per quam qui armis pugnant clypeosque gestant, franguntur, quiqne ferro proteguntur ante prædium consternantur. Ave, per quam ambidextri sagittarii repereuntur, et sanciantur gentes quæ bella volunt. Ave, per quam barbarus et macellarius canis Ismael gladio occiditur. Ave, per quam fideles, qui in manicis ferreis misere captivi detinentur, e media armatorum manu evadunt. Ave, per quam mundus omnis protegitur, et in perpetuum conservatur. Ave, per quem bonum omne in caelo et in terra oppigneratum nobis fuit. Ave, per quam benedictio nobis fidelibus securivit, quandoquidem nos populus tuus sumus, quamlibet peccatorum catenis et nexibus implicemur. Ave, per quam benedicitur infirmorum, tum masculorum fœnea substantia, tum imbecillis sexus mulierum erratica atque instabilis natura. Ave, per quam impii pietatem amplexi, pie colunt et adorant venerabilissimum partum tuum. Ave, per quam amici amantes Christi amatores sunt, et argenti amantes amatores hominum, atque pauperum amatores divitiarum studiosi. Ave ergo, gratia plena, quia multi multas pecunias floccifecerunt, ut te solam lucrarentur. Ave, quoniam multi multoties religiosorum imperatorum aurum propter te utilutum habuerunt, et argentum uti cinerem. Ave, quoniam complures Christi amantium reginarum fulgentes gemmis coronas, auroque intextas purpuras propter te araneæ tela viiores aestimaverunt. Ave, quoniam multi nobiles Indieos pelliculosque uti crystallum lapides tui gratia aspernati sunt.

Ave, quod multæ, ut sic dicam, ex ipsis etiam illustribus mulieribus, tui causa nihil duxerunt, quæcumque ex byssso, coecino, purpura et serice contexta, admiratione digna videbantur. Ave, quoniam multæ quoque mulierum adulterarum gemmis ornatas inaures, armillasque foliis exiliores propter te censuerunt. Ave, quod multi sæpenumero clarorum illustrumque virorum, quin etiam divitium, millia auri et argenti tanquam quisquilia et stereora habuerunt. Ave, quoniam propter te juniorum etiam complures juvencularum, albicanes, auroque fulgentes stolas abjecerunt. Ave, quoniam multæ tandem mulierum, quæ auro ornabantur, nigras lanceasque vestes gestare tua causa destinaverunt.

Ave, gratia plena, quoniam refugium facta es nobis, et pro nobis, qui sumus ex luto procreati, interpellatricem agis apud Filium, Denique tuum, ac Deum nostrum. Ave, gratia plena, ave, omnium simul finium terræ communis salus, omniumque Christianorum Christianum præsidium. Ave, gratia plena, ave, quæ sola illis auxilio ades, qui auxilio carent, solaque maxima virtus es illis, qui nullis viribus valent. Ave, gratia plena, ave, sola humilium celsitudo, et inopum sola recuperatio, solaque orphantorum mater, pauperumque ac viduarum. Ave, gratia plena, ave, sola fatiscentium refocillatio, solumque tegmine carentium tegmen. Ave, gratia plena, ave, sola captivorum redemptio, solaque exsultantium pulsorumque revocatio. Ave, gratia plena, ave, sola agrotantium visitatio, solaque infirmorum curatio, et eorum qui a dæmons vexantur, salus. Ave, gratia plena, ave, sola navigantium gubernatio, solaque eorum qui noctu iter agunt, viæ comes, et sodalis. Ave, gratia plena, ave, quia nostrum omnium oculi in te quæ sola pura es, spem collocat, et te semper contuentur. Ave, gratia plena, ave, quæ nobis semper humilibus præsidio es, nosque ab omni ira justa et comminatione eximis. Ave, gratia plena, ave, quæ semper custodis et lustrando foves egenum genus nostrum a temptationibus, periculis, variisque calamitatibus. Ave, gratia plena, ave, quoniam nullus præter Deum tale tantumque nomen sortitus est, aut talis unquam gloriæ compos fuit. Ave, quæ vere super omnes benedicta es, ave, propter quam hodie, supra quam ferat mundus, excellentiorem mundo diem celebramus. Ave, quæ vere es super omnes benedicta; ave, propter quam hodie solemnitatem solemnitatum, et celebritatem celebratum populo omni coacto agimus. Ave, quæ vere es super omnes benedicta; ave, propter quam nos in sacratissimis tuis basilicis congregamur, ut te alta voce collaudemus. Ave, quæ vere es super omnes benedicta; ave, propter quam hodie apum more una intus collecti hymnorum cantum multiplicamus, ut nobis tu defensionem. Ave, gratia plena, ave, propter quam nos lumina gestantes, te splendide in Ecclesia extollimus. Ave, quæ vere es super omnes bene-

dicia; ave, propter quam nos hodie Davidis cum Davide, et angeli cum angelo oraculis prælusimus. Ave, ave, quæ vere es super omnes benedicta, ave, propter quam nos hodie captivi laudatores quadruplicem hanc salutatoriarn compellationum pentadæm conteximus. Cæteram, optima Domina, misericordiam extendas tuam in eos qui te noverunt: ac respice in servos tuos, et in opera tua, et enctos dirige in viam pacis: quoniam omnium oculi in te sperant, teque sequestra, reconciliatiōnem cum Filio Deoque tuo ac Deo nostro nacti sumus: cui gloria, cui imperium, cui robur cum ipsius experie principii et ejusdem naturæ Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in infinita sæculorum. Amen.

III. — *Joannis humilis Damasceni monachi et presbyteri Sermo in sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Natalitum diem.*

1. Adeste omnes gentes, omne nomen genitum, lingua omnis, et ætas omnis, omnisque dignitas; orbis universi latitiae natalem diem gaudiis celebremus. Si enim gentiles dæmonum per contentias fabulas clanculum animis illudentium, ac veritatem obscurantum, regum iteri natalitios dies omni honoris genere prosequebantur, ac pro sua quisque facultate oblatis munieribus litabant, cum alioqui humanam illi vitam infestarent: quanto nos potiori jure Dei Genitricis natalem opere pretium est honorare, per quam universum mortalium genus redintegratum est; per quam primigenia matris Evæ luctus in gaudium est commutatus? Illa namque divinæ sententiae decreto audivit: *In mæroribus paries*<sup>42</sup>: haec, *Ave, gratia plena*<sup>43</sup>. Illa, *Ad virum erit conversio tua*<sup>44</sup>: *huc, Dominus tecum*. Quidnam igitur Verbi Matri nisi verbum ei sermonem offeramus? omnis creatura una festive oblectetur, ac sacratissimum sacræ Annæ laude puerperum. Illa quippe mundo bonorum peperit thesaurum, quem vis nulla auferre possit. Per cum siquidem Creator naturam universam media humanitate in melius commutavit. Cum enim homo media inter mentem et materiam sede constitutus, rerum omnium conditum, tum visibilium, tum invisibilium, nodus vineolumque sit, profecto rerum artifex Deus Verbum humanæ naturæ copulatum, ejus beneficio creature universæ unitum fuit. Quapropter humanæ sterilitatis depulsionem cærebrenus, qua bonorum impedimentum solutum est.

2. Ecur vero Virgo mater orta est ex sterili? Plane quia oportebat, ut ad id quod solum sub sole novum futurum erat, ac prodigiorum caput, via per prodigia sternetur, paulatimque ab humilioribus ad sublimiora progressio fieret. Cæterum alia quoque altior diviniorque ratio a me asserri potest. Natura enim gratiæ cedit, statque tremula, pergere

non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiæ germe antevertere non ausa est: sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet. Nasci siquidem primogenitam oportebat, ex qua nasciturus esset omnis creaturæ primogenitus, in quo omnia constant<sup>45</sup>. O par beatum Joachim et Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimi Creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatore digna erat. O lumbos Joachim beatissimos, ex quibus mundissimum semen jactum est! o præclarum Annæ vulvam, in qua tacitis acrementis ex ea auctus atque formatus fuit fetus sanctissimus! o uterum, in quo animatum cœlum, cœlorum latitudine latius conceptum fuit! o aream, quæ vivifici frumenti acervum protulit, juxta ac Christus ipse pronuntiavit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*<sup>46</sup>. O ubera, ejus lactantia nutricem, a quo mundus alitur! o miraculorum miracula, et rerum admirabilium res maximæ mirabiles! Æquum quippe erat, ut ad ineffabilem Dei incarnationem, qua se ille ad nos inclinavit, iter per miracula muniretur. Verum quomodo ultra progrediar? Mens extra se rapitur, meque metus et cupiditas inter se partuntur. Cor palpitat, et lingua impeditur, voluptatem ferre nequo: miraculis vincor, divino extinctu lymphatum me affectus reddit. Vincat vero cupiditas, cedat metus, canat Spiritus cithara: *Lætentur cœli, et exultet terra*<sup>47</sup>.

3. Hodie sterilitatis portæ aperiuntur, divinaque porta virginalis procedit, ex qua et per quam qui est super omnia Dens<sup>48</sup>, in orbem terræ corporali modo est ingressurus, ut Pauli arcanorum auditoris verba usurpem. Hodie virga de radice Jesse orta est<sup>49</sup>, ex qua mundo flos divine subsistens ascendet. Hodie in terra ex terrena natura cœlum ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat, et in altum extulerat. Ac sane cœlum istud illo longe divinius est, ac stupendum magis. Nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse justitiae sol oriturus est. Duæ naturæ, surant licet Acephali; una persona, quamlibet rumpantur Nestoriani. Æternum enim illud lumen quod ex aeterno lumine antiquiore sœculis existentiam habet; lumen, inquam, illud materia vacans et incorporeum, ex ipsa corporatur, et tanquam sponsus de thalamo procedit<sup>50</sup>, qui cum Deus sit, subinde factus terrigena, exsultabit ut gigas ad naturæ nostræ currēdā viam<sup>51</sup>, per cruciatū ad mortem contendens: ut fortē alliget, ipsiusque vasa, humanum utique genus diripiāt<sup>52</sup>, et oīem errantem ad cœlestem terram reducat<sup>53</sup>. Hodie ille fabri Filius, rerum omnium artifex, Verbum illius qui per ipsum omnia condidit, forte illud Dei altis-

<sup>42</sup> Gen. iii, 16. <sup>43</sup> Lyc. i, 28. <sup>44</sup> Gen. iii, 16. <sup>45</sup> Coloss. i, 15-17. <sup>46</sup> Joan. xii, 24. <sup>47</sup> Psal. xcvi, 11. <sup>48</sup> Rom. ix, 5. <sup>49</sup> Isa. xi, 1. <sup>50</sup> Psal. xviii, 6. <sup>51</sup> ibid. <sup>52</sup> Matth. xii, 29. <sup>53</sup> Luc. xv, 4 seq.

simi brachium, obtusam naturæ asciam Spiritu sancto eum digito suo exacuens, animatum sibi ipse scalam fabricavit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad cœlum usque porrigitur<sup>54</sup>, cui Deus innitatur: eujus Jacob figuram vidit; per quam Deus nihil mutatus descendens, seu potius se indulgenter inclinans, in terra visus est, et cum hominibus conversatus est<sup>55</sup>. Hæc enim descensus ille significat, inclinationis demissionem, in terris conversationem, concessam iis qui in terra agunt, ipsius cognitionem. Spiritualis scala, hoc est virgo, in terra firmata est; ut quæ ex terra ortum habeat; caput vero ad cœlum usque pertineat. Omnis namque mulieris caput est vir<sup>56</sup>: hujus autem, cum virum non habeat, Deus et Pater caput fuit, qui Spiritus sancti opera conjugii veluti fœdus paciens, tanquam divinum quoddam semen, Filium suum ac Verbum, omnipotentem illam virtutem emisit. Benigna quippe voluntate Patris, non ex naturali congressu, sed ex Spiritu sancto et ex Maria Virgine supra naturæ leges, nulla mutatione Verbum caro factum est, et habitavit in nobis<sup>57</sup>. Dei siquidem cum hominibus conjunctio per spiritum efficitur. Qui potest capere, capiat<sup>58</sup>. Qui habet aures audiendi, audiat<sup>59</sup>. A rebus corporalibus abscedamus. Passionis exsors divinum nūmen, o homines; qui nulla perpessione suapte natura prius genuit, nulla quoque perpessione eundem ipsum postea Filium genuit, certa dispensationis ratione. Cujus testis est Dei parens David, ubi ait: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te<sup>60</sup>. Illud namque, hodie, in ea nativitate quæ sæculis est anterior, locum non habet: quippe quæ sine tempore est.

4. Hodie porta illa ad orientem posita, exstructa est, per quam Christus ingredietur et egredietur<sup>61</sup>: et erit clausa porta, in qua Christus ostium ovium<sup>62</sup>, ejus nomen Oriens<sup>63</sup>: per quem accessum ad Patrem luminis principium habuimus. Hodie perflarunt auræ totius orbis gaudii prænuntiæ. Lætentur cœli desuper, terraque infra exsultet, mundi mare commoveatur. In hoc enim concha gignitur, quæ cœlitus ex divino fulgetro in utero habebit, parietque pretiosissimam margaritam Christum: ex qua Rex gloriae carnis purpura vestitus, ad captivos veniens, demissionem prædicabit. Exsultet natura: agna enim in lucem editur, ex qua Pastor ovem induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit. Chreas agat virginitas, quoniam, ut loquitur Isaias<sup>64</sup>, nata virgo est, quæ habebit in utero, parietque filium, ejus nomen vocabunt Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus. Nobiscum Deus, agnoscite Nestoriani, ac tandem cedite; quia nobiscum Deus. Non angelus, non legatus, sed ipse Dominus venit, et salvabit nos<sup>65</sup>. Benedictus,

qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis<sup>66</sup>. Constituamus diem solem nem pro Dei Genitricis nativitate. Lætare, Anna sterilis, quæ non paris: erume et clama, quæ non parturis<sup>67</sup>. Exulta, Joachim, quoniam ex filia tua puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus magni consilii, salutis universi mundi, Angelus, Deus fortis<sup>68</sup>. Nestorius erubescat, et ori manum imponat. Puer iste Deus est: qui ergo pueroram Dei Genitricem negas? Si quis sanctam Virginem Dei Genitricem non confitetur, alienus est a Deitate<sup>69</sup>. Non meum hoc dictum est, etsi meus est sermo: hanc enim divinissimam hereditatem a Theologo patre Gregorio accepi.

5. O beatum par Joachim et Anna, immaculatissimum prorsus! Ex fructu ventris vestri cognoscimini, velut alicubi Dominus ait: Ex fructibus eorum cognoscetis eos<sup>70</sup>. Ut Deo gratum erat, atque ea dignum quæ ex vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Casta enim et sancta conversatione vestra virginitatis monile protulistis, eam, quæ ante partum virgo foret, atque in partu virgo, nec non virgo post partum; illam, inquam, juæ sola semper, tum mente, tum animo, tum etiam corpore virginitatem cultura esset. Par siquidem erat, ut germinans illuc ex castitate virginitas, solum illum unigenitum lumen corporali ratione produceret, ejus benigna voluntate, qui incorporali modo ipsum genuisset; lumen utique non quod gignit, sed quod semper gignitur, ac cui gigni personalis sola proprietas est. O quot puella hæc miraculorum, et qualium foederum officina, facta est! sterilitatis germen, virginitas parvus, Deitatis humanitatisque mistio, passionis et impassibilitatis, vitæ et mortis, ut in omnibus quod deterius erat, a potiori vinceretur. Haec omnia salutis meæ causa, Domine, gesta sunt. Tantus enim erga me amor fuit, ut non per angelos ullamve rem creatam salutem meam patraveris, sed uji primam efficieniem, sic et instaurationem per te feceris. Proinde tripudio, gloriabundus efficer, voluptate exsilio, ad prodigiorum souteni revertor, fluentisque gaudii ingurgitatus, etharam Spiritus iterum pulsus, divinumque Natalitionum hymnum cano.

6. O castissimum rationalium torturum par Joachim et Anna! Vos castitatem, quam naturæ lex præscribit, conservantes, ea que naturam superant, divinitus estis consequi: mundo quippe Dei matrem viri nesciam peperistis. Vos pie et sancte in humana natura vitam agentes, filiam angelis superiorem, nuncque angelorum Dominam, edidistis. O speciosissima dulcissimaque puella! o lillum inter spinas, ex generosissima et maxime regia radice Davidica progenitum! Per te regnum sacerdotio locupletatum est. Per te legis

<sup>54</sup> Gen. xxviii, 12. <sup>55</sup> Baruch. iii, 36. <sup>56</sup> Ephes. v, 23. <sup>57</sup> Joan. i, 14. <sup>58</sup> Matth. x, 42. <sup>59</sup> Luc. viii, 8. <sup>60</sup> Psal. ii, 7. <sup>61</sup> Ezech. xliv, 2-4. <sup>62</sup> Joan. x, 9. <sup>63</sup> Zachar. vi, 12. <sup>64</sup> Isa. vii, 14. <sup>65</sup> Isa. lxiii, 9. <sup>66</sup> Psal. cxvii, 26. <sup>67</sup> Isa. liv, 1. <sup>68</sup> Isa. ix, 6. <sup>69</sup> Greg. epist. 4 Ad Cled. <sup>70</sup> Matth. vii, 16.

facta translatio est, patefactusque spiritus, qui sub lege delitescebat, translata nimirum ex Levitica tribu ad Davidicam sacerdotali dignitate. O rosa, quæ ex spinis, Judæis scilicet, orta es divinoque odore cuncta perfudisti! O filia Adami et Dei mater! Beati lumbi et venter, ex quibus prodiisti. Beatae ulnæ, quæ te gestaverunt: labia item, quibus castis osculis frui concessa est, parentum nempe duntaxat tuorum, ut in omnibus semper virginitatem coleres. Hodie mundi salus inchoata est. Jubilate Deo, omnis terra, cantate, exultate et psallite. Exaltate vocem vestram, exalitate, nolite timere. Nobis enim in sancta Probatica, seu pecuaria domonata est Dei mater, ex qua Agnus Dei qui tollit peccatum mundi, nasci voluit. Salite, montes, rationales naturæ, quæ ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. Mons quippe Dei clarissimus partu editur, qui collem omnem, ac montem, angelorum scilicet et hominum sublimitatem, superat et transcendit: ex quo nulla manus opera corpore tenuis excindì voluit lapis angularis Christus, una illa subsistens persona, quæ res prorsus discrepantes, divinam pariter humanamque natu ram copulavit, angelos item et homines, gentiles et carnalem Israelem in unum spiritualem Israelem. Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Currus Dei decem millibus multiplex, divinæ gratiæ copia exuberant; Cherubim, inquam, et Seraphim. Vertex Sina sanctior, quam non fumus, non caligo, non procolla, non terrorem incutens ignis tegit: sed sanctissimi Spiritus vis illuminatrix. Nam illic quidem Dei Verbum tabulis lapideis Spiritu veluti digito legem insculpsit: in hac autem ex Spiritu sancto, ejusque sanguinibus, idem ipsum Verbum est incarnatum, seque ipsum nostræ naturæ efficacissimum ad salutem remedium præbuit. Illic manna: in hac qui dulcem saporem mannæ indiderat. Cedat celebratissimum illud tabernaculum quod Moyses ex pretiosa omnigena que materia in deserto paravit; quin et isto prius illud Abrahæ tabernaculum, vivo ac rationali Dei tabernaculo. Hoc enim non actionis divinæ conce ptaculum fuit, sed substantiali modo, Filii Dei quæ personæ. Agnoscat arca undique auro contexta, quam nihil habeat, quod cum hac comparari possit, urnaque illa aurea manna ferens, candelabrum, mensa, veteraque omnia. Illa enim, quod ejus figuræ essent, honorem habuerunt, tanquam veri exemplaris adumbrationes.

7. Hodie tomum novum opifex omnium condidit Deus Verbum, quem ex corde Pater eructavit<sup>71</sup>; Spiritu, qui Dei lingua est tanquam calamo conscriptum<sup>72</sup>: qui quidem homini scienti litteras traditus, nequaquam ab eo lectus fuit. Neque enim Joseph Mariam agnovit, autem mysterii hujus potentiam. O Joachim et Annæ sacratissima si

lia, quæ principatibus et potestatibus, igneisque maligni telis latuisti: quæ in Spiritu thalamo versata es, et sine macula custodita, ut sponsa Dei, naturaque Dei mater essem. O sacratissima filia, quæ in maternis ulnis cerneris, apostaticisque virtutibus formidabilis es! O sacratissima filia, quæ matris uberibus lactaris, atque ab angelis undique cingeris! O chara Deo filia, parentum decus, quam, ut abs te vere dictum est, generationes omnes beatam dicunt! O digna Deo filia, humanae venustas naturæ, primigenæ parentis Eva emendatio! Tu namque partu, quæ eccliserat, erecta es. O sacrosancta filia, seminarum gloria! Quamvis enim prima Eva prævaricationis rea extiterit, ac per eam mors, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret; ingressa sit: attamen Maria divinæ obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit. O filia semper virgo, cui nulla ad concipiendum necessaria viri opera est! Quem enim utero gestasti, hic sempiternum Patrem habet. O filia terrena, quæ Dei genitricibus ulnis Creatorem gerebas! certabant inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriaretur. Sed eorum contentionem superavit præfinitum Dei consilium, a quo sæcula facta sunt, ac postrema prima evaserunt, quibus tua fauste nativitas obtigit. Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti. Nam ex te sola summus ille opifex partum assumpsit, massæ nostræ primitias. Garo ejus ex tuis sanguinibus concreta fuit. Quin Dens ex tuis manillis lac suxit, tuaque labia Dei labis cohererunt. O miracula mentis captum et sermonem excedentia! Dignitatem tuam præ cognoscens universorum Dens, te proinde dilexit, dilectamque predestinavit, atque extremis temporibus produxit, ac Deiparam matrem, suique Filii ac Verbi nutritiam fecit.

8. Sane quidem contraria contrariorum esse aiunt medicamenta: at non item ex contrariis contraria oriri. Quanquam alioqui unaquæque res per contraria id quod esse nata est, contextit ex abundantia ejus quod esse nata est. Velut enim peccatum mortem mili per bonum operans, supra modum peccans ostenditur: sic bonorum auctor per contraria, id quod suapte natura est, nobis efficit. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia<sup>73</sup>. Nam si primam cum Deo societatem conservassissemus, præstantiorem et admirabiliorē nequaquam nacti essemus. Nunc autem, per peccatum quidem a priori consortio pulsi sumus, cum id quod acceperamus servare neglexerimus: Dei vero clementia misericordiam consecuti assumptique sumus, ut ea societas ab omni tuta periculo sit. Potest enim is qui assumpsit, præstare, ut indi vulta sit conjunctio. Quia enim universa terra fornicando fornicata erat, ac Domini populus fornicationis spiritu abactus, a Domino Deo suo, a

<sup>71</sup> Psal. XLIV, 2. <sup>72</sup> ibid. <sup>73</sup> Rom. v, 20.

quo in manu potenti et brachio excelso acquisitus erat, atque in signis et portentis de domo servitutis Pharaonis eductus, per mare Rubrum traductus erat, et tum interdiu in nube, tum nocte tota in illuminatione ignis deductus, aberraverat. Et cor ipsorum in Aegyptum se converterat<sup>74</sup>: ita ut Domini populus, non populus Domini factus esset; et qui misericordiam consecutus, misericordiam non consecutus; quique dilectus, non dilectus<sup>75</sup>. Eam ob causam Virgo nunc antiquae majorum suorum scortationis adversaria nascitur, ipsique Deo sponsa jungitur, ac Dei misericordiam parit, ut efficiatur Dei populus, qui ante non populus; et qui non consecutus misericordiam, misericordiam consecutus; quique non dilectus, dilectus. Ex ea quippe nascitur Filius Dei dilectissimus, in quo Pater bene sibi complacuit.

9. Vitis uberrima ex Anna pullulavit, uaque suavissima effluit, potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. Joachim et Anna ad justitiam sibi ipsi seminarunt, ac vitae fructum mesuerunt. Scientiae lumen sibi illuminarunt, ac Dominum exquisierunt, venitque illis germen justitiae<sup>76</sup>. Audaciā sumat terra, ac filii Sion. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum: sterilis protulit fructum suum. Joachim et Anna uti montes spirituales dulcedinem stillaverunt. Lætare, beata Anna, quod feminam pepereris. Haec enim semina Dei mater futura est, porta lucis, fons vitae, et seminarum crimen abolebit. Hujus feminæ vultum deprecabuntur omnes divites plebis<sup>77</sup>. Feminam hanc reges gentium muneribus oblatis adorabunt<sup>78</sup>. Hanc feminam Deo universorum Regi offeres, virtutum, tanquam simbris aureis, circumamictam elegantia, sanctique Spiritus gratia coronatam, cuius gloria ab intus<sup>79</sup>. Omnis quippe feminæ gloria vir est, a foris veniens: at Dei Genitricis gloria ab intus est, ventris utique fructus. O desiderabilissima semina, ac terque beata! Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. O semina regis David filia, Deique omnium Regis Mater! O divinum vivumque simulacrum, cuius conditor Deus pulchritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam; cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est, et amore dignum, intentam; iram autem erga peccatum duntaxat ejusque parentem. Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa; quippe quæ non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti; ut orbis universi saluti obsequaris; Deique antiquum consilium, nimurum incarnationis Verbi ac nostre deificationis, per te impleatur. Appetitus tuus divinis sermonibus nutritur, hisque pinguesces tanquam oliva fructifera in domo Dei;

tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum Spiritus<sup>80</sup>; tanquam vitæ lignum quod fructu vite dedit præfinito suo tempore; Deum scilicet incarnatum, aeternam universorum vitam. Cogitatum omnem alumnū habens et animæ proficuum, ac supervacaneum omnem et animis exitiosum prius reprobans, quani eum degustes. Oculi semper ad Dominum, perenne et inaccessum lumen intuentes. Aures, ut divinum sermonem audiant, ac Spiritus cithara oblectentur, per quam Verbum ut carnem assumeret, ingressum est. Nares, ungues torum sponsi odore delimitantur; qui quidem divinum unguentum est, sponte effusum suamque humanitatem perungens; *Unguentum enim effusum nomen tuum*, inquit Scriptura<sup>81</sup>. Labia Dominum laudantia, ipsiusque labiis adhaerentia. Lingua et fauces Dei verba discernentes, divinaque suavitate ad satietatem usque perfruentes. Cor purum et labis expers, Deum videns omni labie carentem, ejusque cupiditate flagrans. Venter ejus domicilium, quem nullus locus capit. Lactis ubera, quæ Deum aluerunt, nempe puellum Jesum. Dei porta, perpetua virginitate nitens. Manus Deum gestantes ac genua, thronus Cherubim sublimior; quorum ope remissæ manus, et dissoluta genna convalnere. Pedes, Dei lege velut lucerna deducti, ac post eum irretorto cursu properantes, donec amatum ad amantem traxerunt. Tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei vivi, quam lætificant fluminis impetus; sancti, inquam, Spiritus gratiarum fluctus. Tota pulchra, tota Deo propinqua: haec enim Cherubim superans, et super Seraphim erecta, proxima Deo exstitit.

40. O miraculum omnibus miraculis excellenter! Mulier sublimior Seraphim effecta est, quia Deus visus est angelis paulominus minoratus<sup>82</sup>. Si leat sapientissimus Salomon, nihilque jam sub celo novum esse insicitur<sup>83</sup>. O Virgo divinis gratiis affluens, templum Dei sanctum, quod spiritualis Salomon, ille princeps pacis abs se constructum inhabitavit: templum, inquam, non auro et inanimis lapidibus decoratum, sed auri loco Spiritu fulgens; pro lapidibus pretiosis, pulcherrimam margaritam habens Christum, Deitatis illum carbunculum, quem ut labia nostra tangat supplex precare, ut sic purgati ipsum cum Patre et sancto Spiritu laudemus, clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth*<sup>84</sup>, una Deitatis in tribus personis natura. *Sanctus Deus* et Pater, qui in te et ex te mysterium perfici voluit, quod ante saecula præfinitum erat. *Sanctus fortis*, Dei Filius ac Deus, unigenitus, qui et primogenitam hodie ex sterili produxit, ut unigenitus ipse ex Patre, et primogenitus omnis creaturæ, unigenitus nasceretur ex te Virgine matre, primogenitus in multis fratribus simili nobis, ratione carnis et sanguinis, quæ ex te assumpsit,

<sup>74</sup> Psal. LXXVII, 12-72. <sup>75</sup> Rom. ix, 4 seqq. <sup>76</sup> Isa. LXI, 11. <sup>77</sup> Psal. XLIV, 15. <sup>78</sup> Psal. LXVII, 50. <sup>79</sup> Psal. XLIV, 14. <sup>80</sup> Psal. I, 5. <sup>81</sup> Cant. I, 2. <sup>82</sup> Heb. II, 9. <sup>83</sup> Eccl. I, 10. <sup>84</sup> Isa. vi, 6.

particeps factus. Atqui te non ex solo Genitore, aut ex sola produxit Matre, ut soli Unigenito unigeniti proprietas modis omnibus absoluta servaretur. Solus enim ipse unigenitus est ex solo Patre, et solus ex sola Matre. *Sanctus immortalis*, sanctissimus Spiritu, qui divinitatis sue rore te conservavit, ne ab igne divino absumpta fueris. Nam et hoc quoque Moysis ille rubus praesignabat.

11. Salvesis, probatica, Dei Matris sacratissimum delubrum. Salvesis, probatica, avitum reginæ domicilium. Salvesis, probatica Joachim, pecorum quondam caula, nunc autem rationalis Christi ovulis Ecclesia cœlum representans; que olim quidem quotannis semel Angelum Dei excipiebas turbantem aquam, unumque valetudini restituentem, nunc autem coelestium virtutum copiosissimum agmen habens Dei Genitricem laudantium nobiscum; illam miraculorum abyssum, mendi universi curationis fontem, que non angelum ministrum suscepit, sed magni consilii angelum, qui sicut pluvia in vellus sine strepitu descendit, totamque naturam laborantem et ad interitum vergentem, ad firmam sanitatem vitamque senii expertem, instauravit: per quem paralyticus qui in te jacebat, tanquam cervus exsiliit. Salvesis, veneranda probatica, incrementum gratia tua sumat. Salvesis, Maria, Annæ dulcissima puella: nam me rursum ad te amor pertrahit. Quoniam modo incessum tuum gravitate plenum describam? quomodo amictum? quomodo venustatem oris? senilem illam in juvenili corpore prudentiam? honestus vestitus fuit, mollitatem et luxum omnem fugiens. Gressus gravis, nec praeceps, nihil fractum ac molle habens. Mores severi, et hilaritate temperati, per quos nullus ad te viris accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato angeli alloquio incidisti. Parentibus morigeræ et obsequens eras. Animus humilis in sublimissimis contemplationibus. Sermo jucundus, ex leni anima progredivs. Quid demum aliud quam Deo dignum donicilium? Merito te beatam prædicant omnes generationes, ut eximium humani generis decus. Tu sacerdotum gloria, Christianorum spes, virginitatis uberrima planta. Per te enim virginitatis honestas sese latissime effudit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Qui te Dei Genitricem confitentur, hi benedicti sunt: qui inficiantur, maledicti.

12. O sacrum par Joachim et Anna, natalitiam hanc orationem a me accipite! O Joachim et Annæ filia et domina, orationem suscipe servi peccatoris, qui te tamen ardenter amat colitque, teque solam gaudii spem habet, et vita præsidem, nec non apud Filium pacatricem, ac certam salutis arrham. Peccatorum sarcinam discute, menti tenebras offendentem nebulam, terrenamque crassitatem dissipa, tentationes comprime, vitam meam fanste gubernata, ut ad coelestem beatitudinem per te ducar, pacemque

mundo concilia. Universis hujus civitatis orthodoxis, absolutam numeris suis letitiam sempiternamque salutem presta, tuorum per centum, universique coetus Ecclesie precibus. Fiat, fiat. *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus Christus Dei Filius.* Ipsi gloria cum Patre et Spiritu sancto in infinita saecula saeculorum. Amen.

IV. — *Ejusdem Sermo alter in eamdem sanctissimæ Domini nostre Deiparae Natalem diem.*

1. Splendide hodie diem festum agit condita natura, dum novum cœlum, Virginem accipit. Puella in terris nata est, Regis cœlorum animatus thalamus. Juvencula solis radios fulgoribus obscurans, infans ex sterili effusit, sacratissimum virginitatis sacrarium. Quis ad celebritatem non conveniet? quis solemnia atque Virgini chara dona deferet? Munus pulcherrimum iis qui virginitatem colunt, integritas incorrupta, nuptis castitas; divitibus erogatio; pauperibus gratiarum actio; his qui præsunt, mansuetudo; regibus justitia; sacerdotibus sanctitas; cunctis denique recta in omnibus institutio. Quia vero ejusmodi munera sunt, eoque splendor enitescit, agite, gestiamus, et gratiarum actionis cantica depremamus, cum Davide: *Exultemus Domino, jubilemus Deo Salvatori nostro*<sup>85</sup>. Omnium Conditori templum quo excipiatur, exstructum est: quia Verbo rerum opifici hospitii domus est parata; Soli justitiae expansa lucis nubes; immortalis Sponso divini decoris thalamus erectus; ei qui cœlum nubibus operit, divinitus texti amictus tela consurgit: ei qui tempestatibus tempestates annosque commisces, nuptiale conclave editum.

2. Chorus, juvenculæ, ducite: Virginis namque dies est natalis. Salite, matres: matris enim fructus Virgo est. Bono animo, steriles, estote, in eam intuentes, quæ, cum prius sterilis esset, divinam posthac prolem enixa est. At neque puellæ choro desint, diem ejus natalitium celebrantes, quæ sola puellarum apex et regina exsistit: *Clangite tuba super montes; sonate super excelsa; prædicate in Jerusalem*<sup>86</sup>, quod quidem per Osee hic nobis etiam præcipitur. David Deiparens, gaude animo; Isaia prophetarum primus, exhilarare; alter quidem, quod tuis ex lumbis, uti joratum erat<sup>87</sup>, regua procedat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positurum promiserat: alter vero, quod finea habeat vaticinium illud tuum: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ascendet*<sup>88</sup>. Virga Virgo est, ex qua integro decore muliebri, floridus perennisque flos Christus assurget.

3. Quid enimvero hinc illive gaudendum definitio, nec voce omnia complectente exsultationem indicio? *Lætetur cœlum desuper, et nubes pluant justitiam: pullulat terra, et germinet misericordiam, et justitia orietur simul*<sup>89</sup>. Quid ita? quia Deo Jacob taber-

<sup>85</sup> Psal. xliiv, 1. <sup>86</sup> Osee v, 8. <sup>87</sup> Psal. cxxxi, 11.

<sup>88</sup> Isa. i, 11. <sup>89</sup> Isa. xlv, 1.

naeum manifestatum est : quia locis sanctus sanctissimo Verbo ostensus est. Clamat patriarcharum amplissimus Jacob : *Quam terribilis est locus iste ! non est hic, nisi domus Dei, hucque porta cœli*<sup>90</sup>. O inestabiles auditiones ! o insolitos eveniens ! Quæ nova haec narratio ? Quia stuporem ingenerens, et sermonis vim fugiens isthæ parabola ? Cum cœlum cœli, uti Scriptura prodit<sup>91</sup>, hanc tibi sufficiant, quænam tibi sufficiens naturalis habitatio fuerit ? *Annon cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus*<sup>92</sup>. Et ubinam rerum, tali ac tanto, quicunque omnem comprehensionem exsuperat (non enim quod infinitum est, in quantitate hæret) locis qui compleatatur, occurrat : *Cœlum mihi, ait, sedes est, et terra scabellum pedum meorum*<sup>93</sup>. Quanam vero ei qui interrogat, dominus exstrinxit, quisve locus inveniatur, in quo requiescat ? At vero inventus exhibitusque est ? Quia vero ratione, quove modo ? hoc namque est quod nunc queritur. Tantisper exspecta, dilecte, et ejus quod optas, solutionem accipies.

4. Cum homo per immensam Dei bonitatem in rerum naturam edendus esset, in primis cœlum extenditur, substernitur terra, suis mare terminis clauditur, ceteraque omnia, quibus utraque complenda essent, in universi ornatu una prædicta sunt. Tum postremum homo, regio culta in paradyso velut in virtutis schola ponitur : ac nisi violasset præceptum, a vitali illo loco nunquam exsulasset : cuncte expers indumenti esset, nisi divinis consiliis obstitisset, handquaquam in multis variisque affectionibus obnoxiam mutacionem cecidisset, ut Dei monarchæ loco plura numina coleret. Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis, miserante Deo, ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet, penitusque aboleretur, cœlum aliud novum, terramque ac mare fabricat, in quibus propensiōri consilio humanum genus reformaturn ipse eaperetur, qui eapi nusquam potest. Isthæ porro est beata multiplicitate celebranda Virgo. O rem miram ! Cœlum quidem est, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris Solem justitie proferat : terra vero, ceu quæ ex intemperatis lumbis vitæ spicam edat : mare tandem, utpote quæ ex icti sui sinu spiritalem margaritam prodit. Nunc itaque nova ejus qui eapi nequit, creatura eluxit : universorum Regis regalis aula parata est, ejus qui incomprehensibilis est, ratione utens diversorum instructum. Quam mundus iste magnificus est ! quam stopenda creatio, quæ virtutum arboribus venustatem habet, castitatis odore fragrat, sensorum splendoribus elaret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur ; digna denique prorsus est, in qua Deus ad homines veniens inhabet ! Quinimo, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis. Tum enim, cum

*creata sunt sidera, laudaverunt me vix magna angeli mei*<sup>94</sup>, et prædicaverunt. Nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo. Quod ita esse ex patientissimo Job noveris. Nam cœlum quidem minime mundum esse ait, nee stellas in conspectu ejus reprehensione vacare<sup>95</sup>. Haec vero quid purius sit ? quid irreprehensibilis ? quippe quam Dens supremum ac purissimum lumen sic amaverit, ut illapsu Spiritus sancti substantialiter cum ea eommittus sit, ex ipsa perfectus homo, nihil demutato aut confuso eorum quæ propria sunt statu, prodiens. Rem plane mirabilem ! Qui humanissimus est, ancillam suam in parentem sibi adsciscere non erubuit. O indulgentiae demissionem ! Qui eximie bonus est, proprii segmenti proles audire non renuit, amore captus illius quæ creatis omnibus speciosior est ; illam amplexus, quæ cœlestibus virtutibus dignitate paret. De hac itaque summe admirabilis Zacharias ait : *Gande et lætare, filia Sion, quia ecce venio, et habitaro in medio tui, dicit Dominus*<sup>96</sup>. Sed et beatissimus Joel de eadem, ut quidem existimo, ita proponendum noscitur clamare : *Confide, terra, gaude et lætare, quia magnificavit Dominus ut faceret tibi*<sup>97</sup>. Terra namque est, in qua sacratissimus Moyses umbraticæ legis calceamentum solvere ob gratiæ eumunitationem iussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a Spiritu canitur, qui fundat terram super stabilitatem suam<sup>98</sup>. Terra est, quæ non semine suscepto eum protulit, qui omnibus escaem prebet. Terra est, in qua nulla peccati enata spina ; secus vero per cuius germen illud potius evulsum est. Terra est, non ut prior maledicta, ac cuius fructus spinis ac tribulis horrescant ; sed super quam benedictio Domini fuit, et enjus fructus ventris benedictus, ut saero dictum est oraculo<sup>99</sup>.

5. Hæc cum ita se habeant, age, jam videamus ex quo genere semper virens virginitatis ramus recta venerit ; quis genitor, quæve genitrix illius extiterit. Joachim scilicet et Anna, illustre celebratissimumque Verbi par, conjugiis omnibus divinior compages. Cujus enim ramus omnia exsuperat, cur radix cum eo non maxime congruat ? Atqui probis radicibus planta sic magnifica et eximia, interim fructu carebat. Limpidissimus fons, sed qui nullum fluentum emittebat. Deprecanda calamitas ; graves direque circumstantiae. Quid igitur ? *Clamaverunt justi, et Dominus exaudiuit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos*<sup>1</sup> : qualia quidem longe antea David divinissimo afflatu significaverat. *Clamaverunt justi*, inquit. Universi generis humani personam par istud meo sensu reservebat. Quocirca universum genus humanum Deo cognitione destitutum cernebat : mundum ob insidelitatem viduum ; cum Psalmista teste : *Omnes delinavérunt, simul inutiles facti sunt*<sup>2</sup>. Molesta inor-

<sup>90</sup> Gen. xxviii, 17. <sup>91</sup> Ill Reg. iii, 27. <sup>92</sup> Jerem. xxii, 24. <sup>93</sup> Isa. lxvi, 2. <sup>94</sup> Job xxxviii, 7. <sup>95</sup> Job xxv, 4. <sup>96</sup> Zach. ii, 10. <sup>97</sup> Joel ii, 21. <sup>98</sup> Exod. iii, 5. <sup>99</sup> Luc. i, 28. <sup>1</sup> Psal. xxii, 8. <sup>2</sup> Psal. xlvi, 5.

dinatio, mœstæ sterilitatis dispendia erant. *Clamaverunt justi.* Ubinam? in proprio horto. Quapropter, cum ex paradiſo tristis peccati noxa exiſſet, ibi omnium primæ matri universorum Deus dixit: *Multiplicabo dolores tuos et gemitum tuum.* In doloribus partus, et ad virum tuum conversio tua<sup>3</sup>. Quid clamaverunt? uteri fructum, id est uberem Dei notitiam postulantes. Adonai Domine Elio Sabaoth, sterilitatis probrum non ignoras, quanto moerori subjaceant, qui fructus sunt expertes, nosti. Si respiciens respexeris in humilitatem servorum tuorum, dederisque servis tuis prolem, dono eam coram te donabimus. Exaudivit itaque eos Dominus, qui velox sit ad miserandum, et tardus ad iram, donans eam quæ proprie Mariæ nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Matris medicamentum filia effecta est: divinæ reformationis nova conspersio, sanctissimæ generis primitæ: rami divino ore prolati radix: primi parentis exultatio, O beneficium! o munificentiam! Nunquid non sol splendidiores nunc radios ejaculatur, qui gaudii exsuperantiam velut persentiscat? Annon natura omnis quodam modo superbit ac gloriatur, libertatem a corruptela sperans in illius nativitate, quæ sine labe mundi liberatorem est patitura. Sed et quæ sequuntur, inspice. Libens, velim audias, dilectissime, nec te perscrutari pīgeat. *Mulge,* inquit Scriptura<sup>4</sup>, *lac, et erit butyrum.* Consentaneus justorum precationis locus. In horto preces fundentes, hortum priore longe feliciorēm gennarunt. Illic susurro serpens Evans facili strue seduxit. Hic Gabriel archangelus Mariam lēto sermone conveniens, turbavit quidem, sed non decepit. Illic serpens auditus tristem mortem importavit: hic angeli suada sempiternæ jucunditatis vitam hominum generi vicissim invexit. Illic doloris plena sententia, et quæ ex prævaricatione paritura est: hic Spiritus sancti adventus, gaudio eam complens, quæ ex prophetæ orāculo partus dolores effugit. O rerum commutatiōem! o novitatem eorum quæ modo geruntur! *Vetera transierunt* (quod hic quoque dicatur), et ecce facta sunt omnia nova<sup>5</sup>. Dominus initium, secundum exquisitissimam ejus considerationem, Deique ad homines adventus inchoatio, præsentis diei solemnitas præfulget.

6. Habes, charissime, rei de qua quærebatur, solutionem. Jam promissi debitum recepisti. Adessum, tu quoque cum Isaia Isaiae voces proloquere: *Domine Deus meus, glorificabo te: laudabo nomen tuum, quoniam fecisti res mirandas, consilium antiquum, verum*<sup>6</sup>. Nec multo post in Sancta quoque sanctorum introeuntem beatam visurus es, ceu jam sanctissimo Numini consecratam: tum deinde cum utero concipientem, qui comprehendendi non potest. O prodigium! In exigua corporis mole illum habere, qui pugillo cuncta continet. Qui vero, o Christi

hostis (ut paucis alio digrediar), non circumscriptus est<sup>7</sup>? Quod etsi, inquit, nobis similis, at superior tamē exstitit. Quid vero refert? Non enim penes formam humanam discrimen ac varietas est, sed penes naturam divinam. Scilicet, maternis umeribus humano more lactabatur; at, divino vitam matri præbebat. Nostri more articulata voce loquebatur: supra nos vero divina potestate mandabat, unde miracula patrarentur. Terrenis pedibus nostro modo ambulabat; quod autem maris dorsum calcaret, hoc supra nostram conditionem erat. Nostri instar carne crucifigebatur: at superiori nobis potentia adversas potestates in cruce affigebat. Ex his, alia ad natūram certis terminis definitam pertinet, utpote nobis similem: alia ad incircumscriptam quæ nobis superior est. Ita nempe ut neutra alterius naturales proprietates substantiali congressu vitiet, sed intra suos quæque terminos consistat. Tu vero, hoc carves, ne circumscribas, sive in imagine repræsentes (haec enim idem sunt) tum Acephalorum errore naturas confundis, tum dispensationem cum Manichæis amoliris. Levior tua dementia foret, si Judæos sectareris, quam dum Christiani nomine insignitus in Christum invehieris. Ille namque Deum corpus assumpsisse nequam admittens, dum nec pictura repræsentandum putat, sibi ipse consentanea facit. Tu vero qui illud concedas, cum pictura exprimere nolis, tibi ipse dissentaneus, vel ab ipsomet Judæo deridendus es: quanquam nondum contumeliam dico. Et haec quidem ad illos dicta sint, quando non ad disceptuenda dogmata, sed ad celebritatem agendam convenimus. Nos porro paucis Virgine salutata, et ex iis potissimum quibus eam divinæ Litteræ cohonestant, sermonem, etsi non dignæ satig, absolvamus.

7. Ave, Maria, quasi μητέρα, infinita, ob infinitam laudationum copiam. Quamvis innunera quis de te dixerit, nunquam tamē argumenti dignitatem assecutas erit. Ave, Domina, quæ materna auctoritate, universorum Domini dominatum naeta sis: cui si quis cuneta ancillari dicat, non longe a meta abierit. Ave, myrrha marina, quæ in salso hujus vitæ fluxu carnem peccato emortuam gestas, in qua dulcedo, et penitus desiderium est, qui dicit in Canticis: *Messui myrrham cum aromatibus meis*<sup>8</sup>. Ave, rubus, igni complicatum miraculum, ipsa peccata inaccessa (nam et arbustum istud tangi nequit) et cuius divino parti cœlum terrigenis accessum redditum sit<sup>9</sup>. Ave, arca, structum a Deo teletum<sup>10</sup>, novi mundi conditoris receptaculum; ex qua Christus novus Noe<sup>11</sup> mundum supremam incorruptione replens procedit. Ave, virga, divinæ plantationis ramus<sup>12</sup>, sola inter omnes virgines puerpera, quæ, nullo semine suscepto, universorum Deum et hierarcham Filium, uti florem emisisti.

<sup>3</sup> Gen. iii, 16. <sup>4</sup> Prov. xxx, 33. <sup>5</sup> II Cor. v, 17. <sup>6</sup> Isa. xxv, 1. <sup>7</sup> Ille contra Copronymum. <sup>8</sup> Cantic. v, 1. <sup>9</sup> Exod. iii, 2. <sup>10</sup> Exod. xxv, 10. <sup>11</sup> Gen. vi, 9. <sup>12</sup> Isa. xi, 1.

Ave, urna, ex auro conflatum vas, ab omni vase secretum, et quo mundus universus impensus sibi manna accipit<sup>13</sup>, vita scilicet panem igne Deitatis coctum. Ave, tabernaculum quod fixit Deus<sup>14</sup>, conditus polus, ipsis cœli axibus præstantior; ex qua Deus, sua ipse persona cum hominibus est conversatus, et ex qua æterna mundo propitiatio advenit. Ave, thuribulum, vas mente aureum<sup>15</sup>, divinum intus carbonem ferens, et qua fragrans odor Spiritus, corruptelæ putorem mundo exsusflavit. Ave: mensa, mistum divinitus appositum; omnibus virtutum bonis afflans participatio, ei qui in Canticis dicit, *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam misto vacuus*<sup>16</sup>. Ave, templum, purissime fabricata domus Domini, de qua David ait: *Sanctum est templum tuum, mirabile in justitia*<sup>17</sup>; ex qua sibi Christus corporis templum exstruens, templo Dei vivi mortales effecit. Ave, lustratio, divinis lymphis scaturiens fons, omni plena sanctimonia, ex qua Sanctus sanctorum<sup>18</sup>, scelere mundum expurgans, exivit. Ave, Domini locus, Dei gressu calcata terra, quæ illum complexa es, qui omni, quatenus est Deus, loco eximitur: ex qua ille qui simplex erat, existit compositus; temporalis, qui sempiternus; circumscriptus, qui incircumspectus. Ave, Dei dominus, divinis splendoribus effulgens, cuius castimoniae superliminare evelli nequit: dominus gloriae Domini plena, præque ignitis Seraphim spiritu lucentior<sup>19</sup>. Ave, porta ad orientem spectans<sup>20</sup>, ex qua vita oriens mortis occasum hominibus imminuit: rubus Deo permeabilis, et claves Deitatis ferens. Ave, cœlum, loco mundum ambiente nobilius habitaclum, virtutum fulgoribus uti stellis coruscans: ex quo justitiae Sol ortus est, salutis quæ nunquam occidat, diem hominibus condens. Ave, thronus in sublime elatus in gloria, animata sedes, Dei in se sessionem designans, ac intelligentibus ipsis virtutibus potio rem requiem Deo præstans. Ave, Chernbum, mens igne rutilans, quæ divinis sensis tanquam oculis plena es, ac multiplici luce gratiam evibas: cuius munere lumen ad homines transmittitur, quod nescit occasum. Ave, Mater, sola virum non experta, sola inter matres illibata, et quæ matribus conveniunt, more virginum nacta, portentum portentorum maxime novum. Ave, Virgo prolem enixa, sola inter virgines puerpera, inter matres insignia virginum gestans, prodigium præ exteris suspendum. Ave, signabulum regium, universorum Regem qui substantiam ex te sumpsit, corpusculo materno simili exprimens: Si quidem comparatum est, ut talis fœtus sit, qualis et parens. Ave, liber signatus<sup>21</sup>, libidinosa omni cogitatione innoxius, ex qua divinitus insculptæ legis arbiter, ab ipso solo, qua virginem decet ratione, percurritur. Ave, tomus novi mysterii<sup>22</sup>,

<sup>13</sup> Exod. xvi, 35. <sup>14</sup> Exod. xxvi, 1 seqq. <sup>15</sup> Exod. xxv, 29. <sup>16</sup> Cant. vii, 2. <sup>17</sup> Psal. LXIV, 5. <sup>18</sup> Exod. xxv, 8. <sup>19</sup> Isa. vi, 2-4. <sup>20</sup> Ezech. XLIV, 2. <sup>21</sup> Isa. XXIX, 11. <sup>22</sup> Isa. VIII, 1. <sup>23</sup> Cant. IV, 12. <sup>24</sup> Cant. II, 5. <sup>25</sup> Cant. II, 1. <sup>26</sup> Isa. XI, 2. <sup>27</sup> Cant. I, 11. <sup>28</sup> Ibid. 12. <sup>29</sup> Cant. IV, 13. <sup>30</sup> Ibid. <sup>31</sup> Cant. IV, 9. <sup>32</sup> Ibid. 7. <sup>33</sup> Cant. I, 2.

Dominum; que fragrania Spiritus repleta es, de qua admirantis voce clamatam: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, tanquam virgula sumi suffita?*<sup>34</sup> Ave, aurum purum, que igne Spiritus in vitæ hujus conflatorio probata es, nec malitia usquam ruga deformis: ex quo auro, tum candelabrum, tum mensa, tum reliqua omnia legis ritu aurea, allegoriae non ambigua significatione de te aureis multis que nominibus celebri accipiuntur. Ave, ligamen non putrescens, que corruptionis peccati vermem non adinisti: ex qua spirituale altare, non ex lignis imputribilibus, sed ex intemperato utero exstratum fuit Deo. Ave, purpura regia, quæ ex virginali tuo sanguine purpuream vestem texuisti, dicenti in Canticis: *Plexus capitï tui ut purpura: rex vincit in trans cursibus. Quam pulchra, et quam suavis!*<sup>35</sup> Ave, byssus retorta, alta sensorum animo circumvolvens, nec contrariis illecebris cedens: *Quomodo enim, inquit, hoc mihi accidet, quoniam virum non cognosco?*<sup>36</sup> Ex qua summi supernarum Virtutum antistitis purpura auroque internistum humerale contextum est. Ave, hyacinthus, flammæ coloris virginitatis vellus, ex quo mystice corporis amictus Deo conditus fuit. Ave, nubes levis, terrenum et grave pondus, leve quodammodo aeris instar tabernaculum habens, ac velut in altari panem vitæ operiens, cui Isaias Dominum insedisse vaticinatus est.<sup>37</sup> Ave, intemerata, intactum virginitatis monile, quæ immaculatum Verbum peperisti, ex qua virginitas mundum compendio brevians eluxit. Ave, pura, quæ sola mundum cor habere gloriari possis: mons vere Deo gratus; ex qua novus Israel vetere præstantius diurniusque sanctificatur. Ave, rei connubialis nescia, nulla viri opera, nuptiale puerperium edens, matrisque in morem in prolixi alimentum lactis fontes ferens; unde lac virginali ei qui cuncta nutrit, elicetur. Ave, impolluta, sola Deo in qua habitaret pervia, Deique dignationem a tuo partu habens: unde cunctis etiam cœli Potestatis venerabilis es. Ave, vellus Gedeonis, victoriæ symbolum,<sup>38</sup> ex qua figurate Rex immortalis defluxit, qui conceptis verbis ait: *Confidite, ego vici mundum!*<sup>39</sup> Ave, Dei locus, qui utero ipsum es complexa, qui in omnibus absqne eo quod continueatur, exsistit: in enjus pugillo omnia sunt, cum ipse tuis in manibus est: quod nec si verbis exprimatur, intelligi, nec, si intelligatur, conjici satis potest. Salve, Dei Mater, sola Filii sui ancilla, atque ambo natura: postquam nulla virgo mater exstat, beata virginitate ad pristinam in paradiiso incorruptionem reversa. Ave, Dei susceptrix, luminosum divinæ infinitatis elementum, enjus pedali utero comprehensus infinitus est, quique omnium in se fines continet. Ave, proprie et vere Deipara, tremenda hominibus cum Deo copula, per quam conjuncta terrenis cœlestia, et humana Deo, viceissimum homini dependens divina. Ave, nuptialis

thalamus, præclaris virginita is dotibus exstructus illi qui in Canticis dicit: *Introivi in hortum meum, soror mea spousa!*<sup>40</sup> De enjus enim carne commercio illa subnecit: *Egressimini, et videte regem Salomonem in corona, quo coronavit eum mater sua, in die dispensationis ejus, et in die latitiae cordis ejus!*<sup>41</sup> Ave, agna, si conjugalis congressus spectetur, infecunda; sin divina conceptio, puerpera: ex qua ille Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi,<sup>42</sup> advenit. Ave, lucis nebula, in hac vitæ solitudine novum Israel intercessione sua obumbrans,<sup>43</sup> ex qua gratia audita decreta, et de qua justitiae sol ortus est, cuncta incorruptionis radiis collustrans. Salve, candelabrum, aureum firmumque virginitatis vas, cuius ellychnium gratia Spiritus,<sup>44</sup> oleumque, sanctum illud corpus, quod ex illibata carne tua assumptum fuit; ex quibus Christus, lumen nesciens occasum: quæ nimis sedentibus in tenebris et umbra mortis sempiternam vitam accendisti. Ave, Maria, gratia plena,<sup>45</sup> res gaudio omni gratiosior, et nomen: ex qua gaudium immortale Christus, inflictæ Adamo tristitiae medicina, in mundum venit. Ave, paradise, prædium Eden: beatius, ubi virtutis planta omnis germinavit, et in quo arbor vite enituit; cuius commercio ad vitam pristinam redimus, terga dante flamineo gladio, ut scriptum est. Ave, civitas Regis magni, ut Davidis verba usurpem<sup>46</sup> resonantia, in qua cœlorum aperta regia, inque cives inscripti terrigenæ gaudio gestiunt; cuius eximiae faustaque omnibus, tum linguis, tum mentibus narrationes sunt, in Christo Jesu, qui per te milii factus est propitius, pro quibus miser ego, inopsque sermonis, inumeras laudes tuas celebrando deliqui. Ipsum enim decet omnis gloria, honor et adoratio eum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæculorum: Amen.

V. — *Humilis et exigui monachi et presbyteri Joaninis Damasceni Eucolium in Dormitionem celebratissimæ gloriissimæque ac benedictæ Dominae Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ.*

1. *Memoria justorum cum laudibus agitur, inquit sapientissimus Salomon:*<sup>47</sup> ut enim ait Deiparens David, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus!*<sup>48</sup> Si igitur justorum omnium memoria eum laude recolitur, equisnam est qui justitiae fonte et sanctitatis thesauro laudem non exhibeat? non ut gloria eam augeat, sed ut sempiternam ipse sibi gloriam conciliet. Neque enim a nobis gloria augeri indiget gloriae Domini tabernaculum; Dei, inquam, illa civitas, de qua gloria dicta sunt, velut divinus David eam affat: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei!*<sup>49</sup> Eequam enim aliam invisibilis et incircumscripti, omniaque pugillo continentis Dei civitatem intelligemus, nisi eam quæ vere, et supra quam natura atque essentia ferat, Dei Verbum ac Deum substantia omni super-

<sup>34</sup> Cant. iii, 6. <sup>35</sup> Cant. vii, 5, 6. <sup>36</sup> Lue. i, 34. <sup>37</sup> Iso. xix, 4. <sup>38</sup> Judic. vi, 59. <sup>39</sup> Joan. xvi, 35. <sup>40</sup> Cant. v, 1. <sup>41</sup> Cant. iii, 11. <sup>42</sup> Joan. i, 29. <sup>43</sup> Exod. viii, 21. <sup>44</sup> Exod. xxv, 31. <sup>45</sup> Lue. i, 34. <sup>46</sup> Psal. xlviii, 5. <sup>47</sup> Prov. xvii, 7. <sup>48</sup> Psal. cxv, 15. <sup>49</sup> Psal. lxxxvi, 5.

riorem nulla circumscriptio complexa est; de qua proinde ab ipsomet Domino gloria dicta sunt? quid enim ad gloriam illustrius, quam Dei consilium, antiquum illud et verum exceperis<sup>50</sup>.

2. Hanc non hominum lingua, non angelorum mundo sublimiorum mens, sat dignis laudibus efferre possit, per quam datum nobis est Domini gloriam perspicue conteneri? Quid ergo? an quia eam prodignitate laudare non possumus, metu compressi conticesemus? Minime prorsus. An vero transulatorio, ut dicitur, gressu pergemus, nostrorumque limitum ignari, excuso timoris freno, nullo pudore ea tractabimus, quae attingi nefas est? Nequaquam. Quin potius temperata metu cupiditate, contextaque una ex utroque corolla, cum sacra reverentia, tremebunda uanu, ardente animo, viles ingenii nostri primitias Reginæ matri de universa natura bene merita, grata mente debitum veluti quoddam persolveremus. Enim vero memoria proditum est<sup>51</sup>, rusticos quosdam terræ glebas vertentes, cum transirent aliquando regem purpura ornatum, ac diademate fulgentem, infinitaque satellitum manu unidine cinctum, conspexissent, nec quidquam susperget quod principi dono darent, unum ex ipsis aquam nihil cunctatum hausisse (in propinquuo enim uberrime fluebat) laticesque imperatori dono obtulisse. Regi poscenti quid hoc sibi vellet, fidenter ad hunc modum respondisse: Hoc quod mihi praestò erat tuli; nihil melius me facturum ratus, ne animi promptitudo egestate mea occultaretur. Nam tu quidem, cum rebus nostris non opus habeas, nihil a nobis exposcis, nisi benevolum ac promptum animum. Hoc nobis, tum debiti persolutio est, tum laudis argumentum. Siquidem saepe fit, ut eos qui se gratos praebent, gloria comittetur. Quocirea regem admiratione commotum, hujus quidem sapientiam laudasse, quin et promptum animi studium approbasse, eique complura beneficia liberalissime rependisse. Si igitur superbus ille tyrannus benevolentiam munificentia potiorem habuit, annon haec vere bona Domina, ejusque Mater, qui solus est bonus, cuius infinita indulgentia est, quique minuta duo amplissimis etiam muneribus prelulit, nostrum multo magis propositionem comprobabit, nullam facultatis rationem habens? Ita certe comprobabit, debitumque officium exhibentes excipiet, nobisque bona reponet omni comparatione majora. Quoniam igitur orationem habere omnino necesse est, ut hoc quoque munere debito defungamur, ad eam modo sermonem convertamus.

3. Quo tandem te, o Dominu, nomine compellimus? quibus te verbis alloquemur? quibus laudibus sacrum tuum ac præclarum caput ornabimus? te, inquam, bonorum largitricem, divitiarum donatricem, humani generis ornamentum, omnisque creature deus, per quam illa vere beata effecta est. quem enim prius minime capiebat,

hunc per te postmodum cepit: in quem intueri non poterat, revelata facie per te contemplatur<sup>52</sup>. Aperi, o Dei Verbum, tardum istud os nostrum. Da in apertione labiorum nostrorum concessionam suavissimamque orationem. Gratiam nobis Spiritus infia, per quam facundi sunt pisatores, et litterarum expertes sapientium hominis conditione præstantiorem loquuntur: ut nos etiam qui hebetioris lingue sumus, charissimæ tue Matri præcellentias exigne saltem et obscure prædicare possimus. Haec enim, cum ab antiquiori ævo, præsinito consilio, ac benigna Dei Patrisque voluntate, qui te extra tempus, sine fluxu et perpessione genuit, electa eset, et propitiationem, salutemque et justitiam ac redemptionem, vitam de vita, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, extremis temporibus ex se incarnatum peperit: cuius partus novus et inusitatus fuit, generatio natura et cogitatione præstantior, mundoque salutaris, obitus denique præclarus et sacer, omnique commendatione dignus. Hanc quidem Pater prædestinavit, prophetæ vero per Spiritum prænuntiaverunt: Spiritus autem vis sanctificans, superveniens expurgavit sanctamque reddidit, et veluti prærigavit. Tunc itaque tu, qui Patris terminus ac Verbum es, nihil circumscriptus in ea demoratus es, ut extremam naturæ nostræ vilitatem ad infinitam incomprehensæ Deitatis tuæ celstitudinem revocares: cuius quidem primitias ex purissimis et illibatis immaculatisque prorsus sanguinibus sanctæ Virginis suscipiens, carni anima rationali et intelligente animatam tibi ipse condidisti, ei ut in temetipso subsisteret, tribuenus. Ad hunc modum factus homo es, ut tamen perfectus Deus, ejusdemque ac tuus Pater substantia esse minime desieris; sed pro summa bonitate tua imbecillitatem nostram assumpseris, ex qua Christus unus, unus Filius, unus ipse Deus et homo prodieris, simulque perfectus Deus, et perfectus homo; totus Deus, et totus homo; una nimirum persona ex duabus perfectis naturis, Deitate scilicet, et humanitate, inque duabus perfectis naturis, in Deitate, inquam, et humanitate: non nudus Dens, nec purus homo; verum unus Dei Filius ac Deus carne indutus; Deus idem ac simul homo, non confusionem subiens, nec divisionem passus; duarum disparis substancialiæ in una persona sine confusione ulla ac divisione conjunctarum naturales in seipso proprietates ferens: creatum nempe et increatum, mortale et immortale, circumscriptum et circumscriptio expers: divinam item voluntatem, et humanam voluntatem: divinam actionem, atque humanam etiam actionem; duas quoque liberi arbitrii facultates, divinam et humanam; divina rursum miracula, et humanas affectiones, naturales tamen et inculpatas. Totum quippe primum Adam, quales erat antequam a mandato desiceret, a peccato liberum, per viscera

<sup>50</sup> Isa. xxv, 4. <sup>51</sup> Artaxerxes Persarum rex. Idem testatur Aelianus in Hist. var. <sup>52</sup> II Cor. viii, 18.

misericordia, Domine, suscepisti : corpus videlicet, a: imam, n entem, et naturales harum proprietates (nam quod revera assumptum non est, id minime curatum fuit). Atque ita Dei et hominum mediator factus, inimicitias solvisti, eosque qui a Patre defecerant, ad ipsum revocans; quod erraverat, reduxisti; quod tenebris obsitum erat, illuminasti; quod contritum, instaurasti; quod corruptae obnoxium, incorruptioni restituisti : creaturam ab erratico multorum nunquam cultu liberasti : homines Dei filios effecisti : contemptos et infames, divinae gloriae tue consortes reddidisti : eum qui ad inferas terrae partes damnatus erat super omnem principatum et potestatem provexisti : et qui ita multatus erat, ut in terram revertetur, et infernum incoleret, in teipso regio in throno collocasti <sup>53</sup>. Quænam igitur immensorum honorum istorum quæ captiū omnem et comprehensionem superant, officina fuit? annou perpetua Virgo, quæ te in lucem edidit?

4. Videtis, Deo dilecti Patres ac fratres, hujusce diei gratiam. Videtis quam sublimis ac veneranda illa sit, cuius nunc laudes celebrantur. Annon tremenda ejus mysteria? Annon admirationis plena? Beati qui vident, quantum maxime decet. Beati qui intelligendi sensum sunt consecuti. Quales lucis fulgetræ præsentem noctem illustrant! Qualia angelorum satellitia matris illius ex quo vita orta est, obitum cobonestant! Qualia apostolorum Deo afflante proloquia, corporis hujus, quod Deum suscepit, funus exornant! Quomodo Dei Verbum, quod pro sua miseratione illius effici filius dignatum est, Dominicis manibus suis sanctissimæ huic divinissimæque, utpote matri, ministrans, sacrosanctam suscepit animam. O probum leglatorem! Qui legi subjectus non est, legem implet quam ipse tulit. Siquidem ipse legem tulit, ut filii debitum officium parentibus tribuant. *Honora, inquit, patrem tuum et matrem tuam* <sup>54</sup>. Hoc autem verum esse, cuivis perspicuum est, qui vel tantillum in divinis Scripturae oraculis eruditus sit. Nam si, ut Litteræ divinae ferunt, *Justorum animæ in manu Dei sunt* <sup>55</sup>; annon ipsa magis in Filii Deique sui manus animam commendavit? Verus hic sermo est, ac sublimior, quam ut quis ei possit adversari. Verum si placet, quænam ipsa, et unde, et quo pacto mundo huic concessa sit, munus omnium Dei præstantissimum simul et charissimum: quæ item ipsi in hoc sæculo vitæ ratio fuerit, et quorum mysterium particeps fieri merita sit, pro virili nostra consideremus. Si enim gentiles, eos qui e vita discessissent funebribus orationibus exornantes, id omne quod ad alliciendos auditorum animos accommodatum esse cernerent, omni studio conferebant, tum ut ejus quem landabant suis numeris absolutum euconium esset, tum ut reliquos ad virtutem excitarent et hortarentur (sic ta-

men ut plenaria fabulis sexcentisque figmentis sermonem texerent, cum ii quos prædicabant nihil ex propriis quo laudem mererentur, haberent), cur nos, si ea quæ verissima et omni digna veneracione sunt, quæque benedictionem omnem et salutem omnibus attulerunt, alto, ut dicitur, silentio obtempererimus, non ingentem nostri risum excitemus, inquit eamidem, in quam is qui talentum abscondit <sup>56</sup> pœnam incidamus? Quocirca initium dicendi faciamus, ita tamen ut brevitati studeamus, ne auribus oratio evadat inimica, non secus ac corporibus modum excedens cibus.

5. Joachim et Anna parentes ejus fuerunt. Ac Joachim quidem velut quispiam ovium pastor, cogitationes non minus quam pecora pascebatur, ad arbitrium illas duens. Cum enim sub Domino Deo ovis iustar pasceretur, nullis eorum quæ optima sunt, carebat. Optima autem nemo me potest dicere, quæ plerisque accepta sunt, et quibus avidiornu hominum semper animus inflat, quæ neque durabilia suapte natura sunt, nec meliorem eum a quo habentur, præstare norunt (hujus nimirum sæculi voluptates, quæ vim firmam et stabilem habere nequeunt, sed mox effundunt, et eadem fere hora dilabuntur), tametsi horum copia abundet? Absit hoc: non nostrum est his percelli, neque pars ista est timentium Dominum. Verum ea deum bona sunt, quæ vere ab hominibus sana mente præditis expetuntur et adamantur, quæ in æternum manent, quibus tum Deus oblectetur, tum maturus ipsorum possessoribus fructus producatur: virtutes, inquam, quæ fructum in tempore suo, id est in futuro ævo vitam æternam iis daturæ sunt, qui digne eas excollerint, et pro suis viribus labores in eas contulerint. Labor quippe præcedit, atque æterna felicitas insequitur. Joachim suas intus cogitationes pascebatur, in loco pascuae <sup>57</sup>, hoc est, in sacrorum cloquiorum contemplatione commorans, et super aquam refectionis <sup>58</sup> divinae gratie se net oblectatus: sic nimirum ut a malis rebus eas avocaret, et per justitiae somitas deduceret. Anna vero, cuius nomen gratiam sonat, non minus morum, quam matrimonii jugo copulata cum illo erat: quæ tamen cum omni virtutum genere floraret, mystica quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur. Nimirum sterilis vere gratia erat, que in hominum animis fructum edere non posset. Siquidem omnes declinaverant, simul inutiles facti erant: non erat intelligens, aut requirens Deum <sup>59</sup>. Tum bonus Deus manus suæ figmentum respiciens et miseratus, cum illud tandem facere salvum vellet, gratia, hoc est Annae, sterilitatem solvit; quæ filiam parit, qualis nec ante fuit, nec posthac futura est. Atqui sterilitatis depulsio, hoc apertissime indicabat fore ut honorum sterilitas, qua mundus laborabat, submoveretur, et truncus aridus copioso areauæ beatitudinis fructu donaretur.

<sup>53</sup> Greg. Naz. epist. II Ad Cled. <sup>54</sup> Exod. xx, 12. <sup>55</sup> ibid. 3. <sup>56</sup> Psal. xiii, 2.

<sup>57</sup> Sap. iii, 1. <sup>58</sup> Matth. xxv, 25. <sup>59</sup> Psal. xxii, 2.

6. Eam ob rem Dei Genitrix ex promissione prodit. Angelus enim nascituræ conceptionem parentibus ejus nuntiat. Quippe convenientebat ut hac etiam re nulli cederet, nec posteriores partes ferret, quæ solum vereque perfectum Deum secundum carnem erat paritura. Tum in sacrosancto Dei templo offeratur et consecratur: in quo ita degit, ut præstaurioris ac purioris præ ceteris viæ specimen ederet, a virorum et mulierum male feriatarum commercio remota. Sed cum ad ætatis florem pervenisset, prohibente lege ne intra templi septa deinceps ageret, sponso, seu virginitatis enstodi, a sacerdotum choro traditur, qui legem inviolatam ad senectutem usque perinde ac quivis alii servaverat. Apud hunc itaque saera hæc, et prorsus intaminata puella commorabatur, domi se continens, nihilque eorum quæ ante fores suas gererentur, cognitum habens.

7. Cum autem, ut divinus Apostolus ait<sup>31</sup>, venit plenitudo temporis, ad hanc vere Dei filiam angelus Gabriel a Deo missus est, quam hisce verbis est allocutus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*<sup>32</sup>. Praeclera sane angeli ad eam quæ angelis præstabat, allocutio. Gaudium enim orbis totius afferit. Ista vero ob sermonem ejus turbata est, ut quæ cum viris colloqui minime consueverat, cum virginitatem sedulo servare instituisset. *Cogitabat autem qualis esset ista salutatio*<sup>33</sup>. Tum angelus ad eam: *Ne timeas, ait, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum*<sup>34</sup>. Plane gratiam invenit, quæ gratia digna erat. Gratiam invenit, quæ gratiæ labores excoluerat, copiosamque segetem collegerat. Gratiam inventit, quæ gratiæ semina progeavit, et plenissimam gratiæ messem retulit. Gratiæ abyssum invenit, quæ duplicitis virginitatis navem servaverat incolument. Maria enim non minus animum quam corpus virginem custodierat: unde etiam constabat corpori virginitas. *Et paries, inquit, filium, et vocabis nomen ejus Jesum* (Jesus autem *Salvatorē* sonat). *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*<sup>35</sup>. Quid ad hæc veræ sapientie thesaurus? Eam quidem primam parentem non imitatur: sed incantam potius ejus simplicitatem emendat, seque naturæ patrocinio munit, sic angeli verbis reponens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Impossibilia narras, inquit. Nam sermo tuus naturæ leges frangit, quas summus opifex sancit. Secunda Eva dici non patior, nec Conditoris mei voluntatem pessimum dare. Quod si Deo adversa non loqueris, conceptionis modum expone, dubitationem meam solve. Ad quam veritatis angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nasceretur sanctum, vocabitur Filius Dei*<sup>37</sup>. Quod nunc agitur, nature legibus non subest. Naturæ siquidem artifex et Dominus arbitratu suo immutat naturæ leges. Hæc itaque nomē illud, quod omni desiderio et

honore semper colebat, saera quadam reverentia audiens, obedientiæ vocem timore atque gaudio plenam emisit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum*<sup>38</sup>.

8. *O altitudo avitiarum sapiencie et scientie Dei* (ut ego quoque Apostoli vocem nunc temporis usurpabo)! *o quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et impervestigabiles viae ejus*<sup>39</sup>! o immeusam bonitatem! o charitatem, quæ nulla ratione queat indagari! Is qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt<sup>40</sup>: qui cœlum et terram implet<sup>41</sup>; cuius cœtum sedes est, et terra scabellum pedum ejus<sup>42</sup>, ex ancillæ sue utero amplissimum sibi domicilium fecit, mysteriumque novorum omnium novissimum et insolitum in ea gessit. Nam qui Deus erat, homo fit, ac eximio modo partus tempore nascitur, vulvam ita aperiens, ut virginis claustra minime labefactet: ulnisque terrenis gloriæ splendor, paternæ substantie character, qui omnia virtutis suæ verbo portat, infantis more gestatur. O divina plane miracula! o mysteria natura et cogitatione superiora! o Virginis prærogativas humana conditione majores! Quodcumq; ingens hoc est, o sacra mater et virgo, circa te mysterium: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui*<sup>43</sup>. Beata es in generationibus generationum, solaque digna, quæ beata prædiceris. Ecce enim te beatam dicunt omnes generationes<sup>44</sup>. Viderunt te filiae Jerusalem<sup>45</sup>, Ecclesiæ, inquam, beatamque prædicaverunt reginæ, hoc est justorum animæ, teque in æternum laudabunt. Tu enim es solium illud regium, cui angeli asternunt, suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu spiritualis es Edem, antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam communorabatur, in te autem Dominus qui de cœlo descendit. Te olim arca figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit, ejusque fluctus sedavist. Te rubis delineavit, tabulae a Deo exaratae expresserunt, legis arca prænuntiavit, urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaronis quæ floruit, aperite præsignarunt. Nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus et Verbum, suavissimi illud et ecclæste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen<sup>46</sup>, lumen illud sempiternum et inaccessum, vitæ painis cœlestis<sup>47</sup>, nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Quid? annon te fornax illa præmonstravit, eujus ignis roridus simul ac flammens erat, quæ divini ignis in te habitantis figuram præferebat? Quin Abraham tabernaculum te manifestissime significabat. Deo quippe Verbo, in utero tuo velut in tabernaculo degenti, humana natura suhcinericum panem, sei primicias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas, panemque factas, in divina ejus per-

<sup>31</sup> Galat. iv, 4. <sup>32</sup> Lue. i, 2. <sup>33</sup> ibid. 29. <sup>34</sup> ibid. 50. <sup>35</sup> ibid. 31; Matth. i, 21. <sup>36</sup> Lue. i, 34. <sup>37</sup> ibid. 35. <sup>38</sup> ibid. 38. <sup>39</sup> Rom. x, 33, 54. <sup>40</sup> Rom. iv, 17. <sup>41</sup> Jerem. xxiii, 24. <sup>42</sup> Isa. LXVI, 1. <sup>43</sup> Lue. i, 28, 42. <sup>44</sup> Lue. i, 48. <sup>45</sup> Cant. vi, 8. <sup>46</sup> Philipp. ii, 9. <sup>47</sup> Joan. vi, 48.

sona subsistentes, et ad veram corporis anima rationali et intelligente instructi existentiam venientes. Parum absuit, quin me Jacob scala præteriret<sup>48</sup>. Quid enim? annon cuivis perspicuum est te ea præsignata figuratamque esse? ut enim ille per extremas scalæ partes cœlum cum terra copulatum, et angelos per eam descendentes et ascendentess, quin etiam illum qui vere fortis insuperabilisque est, typice secum luctautem vidit: sic tu quoque mediaticis munus obiens, effectaque Dei ad nos descendenteris scala, ut debilem nostram natum assumeret, sibique copularet et uniret, adeoque hominem mentem videntem Deum redderet, ea quæ diremptha erant, collegisti. Quocirca angeli ad eam descenderunt, uti Domino ac Deo inservirent: homines autem angelicum vitæ genus amplectentes, in cœlum evehuntur.

9. Quo loco præconia prophetarum ponam? annon ad te referenda, siquidem ea vera esse ostendere velimus? Quodnam est Dominicum illud vellus<sup>49</sup>, in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coæternus est, ejusque regni consors, pluviae instar descendit? annon tu perspicie? Quænam item ea Virgo, quam Isaia<sup>50</sup> proido Spiritu in utero habituram, Deumque qui nobiscum foret, seu qui, cum factus esset homo, simul maneret Dens, paritum prædixit? Quid mons ille Danielis<sup>51</sup>, ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? Nonne ipsa es, quæ nullo semine suscepto peperisti, ac rursus virgo permanisti. Veniat divinissimus Ezechiel<sup>52</sup>, clausamque portam ostendat, Domino perviam, nec tamen aperi tam, quemadmodum propheticō instinctu prænuntiavit. Dicta sua eventu comprobata monstrat. Te dubio procul ostendet, per quam transiens, qui super omnia Deus est, assumpta carne, virginitatis portam nequaquam aperuit. Signaculum quippe in æternum perseverat. Quocirca te prophetæ prædicant: tibi ministrant angeli, inserviunt apostoli, virgo ille ac theologus, perpetuæ virginis Deique genitrici. Hodie enim te ad Filium tuum emigrantem satellitio suo fovebant angeli, justorum animæ, patriarcharumque et prophetarum: stipabant apostoli atque afflitorum a Deo Patrum infinita multitudine, ab ipsis orbis finibus divino Filii tui jussu velut in nube, in divinam hanc et sacram Jerusalem congregati, tibique Dominici corporis, quod vitæ initium attulit fonti, sacros sanctos hymnos divinissime canebant.

10. O quomodo vitæ fons ad vitam media morte trahitur! O quomodo, quæ pariendo naturæ leges excesserat, nunc ejus legibus cedit, et corpus immaculatum morti subjicitur<sup>53</sup>? Oportet enim hoc mortali posito, induere incorruptionem<sup>54</sup>, quandoquidem naturæ Dominus mortis periculum facere non recusavit. Carne etenim moritur, et morte

mortem tollit; corruptione incorruptionem donat: necem denique suam resurrectionis fontem facit. O quomodo sacrosanctam illam animam e tabernaculo, quod Deum suscepere emigrantem, rerum omnium Conditor suis manibus excepit: legitime eam honorans, quam, etsi natura erat ancilla, pro imprevestigabili suæ benignitatis abyso æqua dispensatione matrem suam effecit, cum revera incarnationis esset, ac non nudam humanitatis speciem objecisset! Videbant enim ut, par est credere, angelorum classes, quæ tuum e vita discessum exspectabant. O præclarissimum excessum, qui tibi hoc præstat ut ad Deum migres! Nam si cum omnibus quoque Deo afflatis hominibus hoc Dei munere concessum sit (nec enim quin concessum sit, dubitamus); at infinitum Dei servorum ac matris discrimen est. Ecquo igitur nomine, quod in te peractum est mysterium, appellabimus? an mortem? At quamvis sacratissima et felix anima tua, ut fert naturæ sors, a beatissimo et immaculato corpore tuo disjungatur, ac corpus legitimæ sepulturæ mandetur, non tamen in morte perseverat, nec corruptione dissolvitur. Nam cujus in partu virginitas incolumis mansit, eadem e vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed in melius diviniusque tabernaculum mutantum sit, quod nou jam morte interrumpatur, sed in infinita sæculorum sæcula perduret. Quemadmodum enim sol iste splendidissima perennique luce præditus, tametsi, cum a lunari tantisper corpore obtigerit, modo quodam desicere, et caligine obrui, et fulgorem cum tenebris mutare videatur, non tamen luce sua destituitur, verum sui luminis fontem perpetuo scaturientem habet, quinimo ipse luminis fons est indeficiens, velut ab ejus conditore Deo constitutum fuit: sic tu quoque fons veri lumen, et inexhaustus ipsismet vitæ thesaurus, uberrimaque benedictionis scaturigo, quæ cuncta nobis bona conciliasti et attulisti, etsi ad tempus aliquod corporeo modo morte obtegeris; attamen immensi luminis, immortalisque vitæ, ac verae felicitatis puros et inexhaustos latices, gratiarum flumina, sanacionum fontes, perenneque benedictionem fundis. Tu enim es sicut malus in lignis silvæ; et fructus tuus dulcis gutturi fidelium<sup>55</sup>. Quamobrem sacrum transitum tuum minime mortem appellabimus, sed somnum et migrationem, vel, ut apriori voce utar, præsentiam ad Deum: excedens enim e corpore, præsens existis ad potiora<sup>56</sup>.

11. Te cum angelis archangeli transvixerunt: ascensum tuum impuri spiritus exhoruerunt. Tuo transitu aer benedicatur, ætheri sanctitas conciliatur. Animam tuam cœlum gaudens excipit, tibi cum sacris canticis, et letæ solemnitatis ritu, cœlestes Virtutes obviam prodeunt, his similibus vocibus utentes: Quæ est ista quæ ascendit dealbata,

<sup>48</sup> Gen. xxviii, 12 seqq. <sup>49</sup> Psal. lxxi, 6. <sup>50</sup> Isa. vii, 14. <sup>51</sup> Dan. ii, 54. <sup>52</sup> Ezech. xliv, 1. <sup>53</sup> Dionys. cap. 3 *De div. nom.* <sup>54</sup> I Cor. xv, 55. <sup>55</sup> Cant. ii, 7. <sup>56</sup> II Cor. v, 8.

exoriens ut aurora, pulchra ut luna, electa ut sol<sup>67</sup>. Quam pulchra, quam suavis facta es! tu flos campi, uti lily in medio spinarum<sup>68</sup>: propter ea adolescentiae dilexerunt te: in odorem unguentorum tuorum eucurrerunt<sup>69</sup>. Introduxit te rex in cubiculum suum, ubi te stipant Potestates, Principatus benedicunt, Throni concelebrant, Cherubim gaudentes obstupescunt, laudant Seraphim, ut quæ Domini natura veraque dispensatione mater extiteris. Non enim ad modum Eliæ velut in cœlum ascendisti. Non uti Paulus ad tertium usque cœlum subiecta es<sup>70</sup>; verum usque ad regium Filii tui thronum pervenisti, perspicie eum ac læte contuens, et cum magna et inexplicabili libertate astans, angelis, et mundo sublimioribus Virtutibus universis, omni sermone major lætitia es, patriarchis semipiterna oblectatio, justis gaudium ineffabile, perennis prophetis exultatio, mundo benedictio, rebus omnibus sanetimonia, laborantibus requies, lugentibus consolatio, ægrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia, blandum iis qui in mœrore sunt, levamen, omnibus exorantibus promptum subsidium.

12. O miraculum vere natura præstantius! o res stuporis plena! Mors quæ odio et execrationi elīn erat, nunc commendatur, et beata prædicatur. Quæ quondam luctum et mœrorem, lacrymasque et tristitiam afferebat, nunc causa evadit gandii et lætæ celebritatis. Quid, quod omnibus Dei servis, quorum mors beata dicitur, ab ipso sine id compareatur, ut in tuto habeant quod Deo grati sint, coequo mors illorum fausta et felix habeatur? Mors enim eos consummatos ac beatos facit, hoc ipsis afferens ut virtus ipsorum nulli jam mutationi obnoxia sit, secundum illud oraculum: *Ante mortem ne beatifices quemquam*<sup>71</sup>: quod tamen in te non usurpabimus. Tua quippe erat beatitudo, non a morte obtigit, nec tibi tuus hinc transitus perfectionem conciliavit, nec demum migratio tua securitatem. Omnium enim bonorum initium, mediumque et finis, securitas etiam et vera confirmatio, in illa seminis experie conceptione, in illa divina inhabitacione, in illo sine labe partu constituit: ac proinde vere prorsus dixisti fore ut te non a morte, sed ab ipsa conceptione generationes omnes beatam prædicarent. Quocirca non te mors beatam fecit, sed ipsa mortem hilarem reddidisti; ut que mœstitudinem ejus sustuleris, ipsamque gaudium esse præstiteris. Quamobrem sacrum et intaminatum corpus tuum piæ sepulturæ tradebatur, angelis partim præcurrentibus, partim circumdantibus, partimque sequentibus, nullum denique obsequii genus prætermittentibus, quod Domini ipsorum parenti adhiberi par esset: apostolis item et universo Ecclesiæ cœtu divinos hymnos, et ad Spiritus lyram pulsatos alta voce canentibus: *Replebimur in bonis domus tuæ*:

*sancutum est templum tuum, mirabile in aquitate*<sup>62</sup>. *Ac rursus: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*<sup>63</sup>. *Mons Dei, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*<sup>64</sup>. *Te apostolorum agmen, veram Domini Dei arcam, uti quandam sacerdotes typicam illam, humeris tollentes, et in sepulcro condentes, per ipsum velut per Jordanem alterum, ad veram promissionis terram, hoc est ad supernam Jerusalem, omnium fidelium matrem, cuius artifex et conditor Deus, transmiserunt. Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit*<sup>65</sup>. *Non est relictum in terra immaculatuni omnisque labis expers corpus tuum: sed in regias cœlorum sedes, regina in hera, domina, veraque Dei Genitrix, translata es.*

13. O quomodo eam suscepit cœlum, quæ cœlos amplitudine sua superavit! quo rursus modo tumulus eam cepit, quæ Dei conceptaculum fuit? ita certe cepit, ac tenuit. Non enim corporeæ molis ratione locus amplior cœlo exstitit (quonam pacto enim corpus, quod tribus cubitis constat, et quotidie extenuatur cum cœli latitudine et longitudine comparari queat? verum per gratiam potius, celsitudinis et profunditatis modum excessit. Nihil quippe est quod cum Deo comparetur. O sacrum, augustumque et adorandum monumentum, quod etiamnum angeli, timore et reverentia assistentes venerantur, horrent dæmones, homines cum fide adeunt, honorantes, adorantes, oculis et labris, servidoque animo exosculantes, ubertim denique bonorum copiam haurientes! Quemadmodum enim si quis ingentis pretii unguentum vestibus aut loco alicui imponat, rursusque auferat, suavitatis reliquæ etiam ablato unguento restant: ita quoque divinum tuum et sanctum, et omnis prorsus maculæ expers, divinaque fragrantia refertum corpus, copiosa illa gratiæ scatebra, cum in sepulcro esset collocatum, moxque ad præstantiorem ac sublimiorem regionem abreptum, nequaquam seculerum honore vacuum reliquit; sed divinum odorem et gratiam impertivit, effecitque ut sanitum honorumque fons esset illis, qui cum fide accedunt.

14. Tibi nos quoque hodie assidemus, o Domina, Domina, inquam, atque iterum Domina, Dei genitrix Virgo, animos nostros ad spem tuam, non secus atque ad firmissimam solidissimamque anchoram alligantes; mentem, animam, corpus, nos ipsis denique totos tibi consecramus, psalmisque, et hymnis, et cantici spiritualibus, quantum possumus, honoramus. Fieri quippe non potest, ut pro rei dignitate eo munere defungamur. Nam si, ut nos sermo sacer docuit, honor qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quinam studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum sit? quomodo non

<sup>67</sup> Cant. vi, 9. <sup>68</sup> Cant. ii, 1, 2. <sup>69</sup> Cant. i, 2, 3.  
<sup>63</sup> Psal. xlvi, 5. <sup>64</sup> Psal. lxvii, 16. <sup>65</sup> Psal. xv, 10.

<sup>60</sup> II Cor. xii, 2. <sup>61</sup> Eccli. xi, 30. <sup>62</sup> Psal. lxiv, 6.

excolendum? quomodo non vel necessario spiramini præferendum, quando vitam nobis conciliat? Hac enim ratione nostram erga Dominum benevolentiam luculentius ostendemus. Quid dico, erga Dominum? sufficit certe iis qui tui memoriam pie recolunt, pretiosissimum recordationis tuæ donum: quippe quæ ejusmodi lætitiam pariat, quæ a nemine auferatur. Qua enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimæ recordationis tuæ promptuarium fecit? Habes grati animi argumentum, hasce sermonum nostrorum primitias, pauperisque nostri animi delibationem, qui amore tuo incitatus imbecillitatis suæ oblitus est. Tu vero propensum desiderium benigne suscipe, cum exploratum habeas, eam viribus nostris esse superiorem. Tu itaque, bona Domina, boni Domini parens, nos velim inspicias, resque nostras arbitrio tuo regas ac modereris; stedissimarum nostrarum affectionum impetum comprimas, ut, compositis fluctibus, nos ad tranquillum divinæ voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine domines; illa, inquam, dulci Dei Verbi incarnati per ejus conspectum illuminatione: cum quo Patri gloria, honor, imperium, majestas et magnificentia, cum sanctissimo, bonoque et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

**V1.** — *Ejusdem sermo secundus in gloriosam Dormitionem sanctissimæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ.*

1. Etsi nemo mortalium est, qui sacrosanctum Dei Genitricis ex hac vita discessum pro dignitate laudare queat, nec si sexcentas linguis totidemque ora habeat: ino nec si omnes hominum toto orbe dispersorum linguae in unum coeant, dignas ejus laudes exequi possint (ipsa quippe encomiorum omnium leges superat), attamen, quia Deo acceptum est quod pro virili nostra fit, atque ex amore, et studio, probaque voluntate offertur, grataque Dei matri ea accident, quæ Filio grata et accepta sunt, vestris, optimi ac Deo charissimi pastores, imperiis obtemperantes, eam iterum laudare agrediamur, Verbi illius ope implorantes, quod carnem ex ipsa suscepit, et os omne implet quod ad ipsum aperitur, quod tandem solum ei ornamento, illustrissimoque encomio fuit. Qua quidem in re hoc nobis est exploratum, quod cum eam laudare incipimus, debitum munus persolvamus, eoque persoluto, debitores denuo esse incipiamus; ita ut debitum et seniper incipiat, et semper exsolvatur. Mihi porro propitia sit, quam laudandum suscepimus, quæ creata omnia superat, omnibusque conditis rebus dominatur, velut mater Dei, qui creator opifexque est, et universis imperat. Vos vero etiam, o cœtus divinorum sermonum audendorum avide, ignoscite velim mihi, promptumque animum meum ita suscipe, ac desiderio applauſite, ut imbecillitatis meæ interim vos misereat.

Quemadmodum enim si quis imperatori, qui popularium suorum gubernacula divinitus suscepit, cui cibis semper conferta mensa, aulaque exquisitissimorum unguentorum vaporibus perfusa, insueto tempore aut violam colori purpureo sinilem, aut rosam fragrantissimum spinæ germen, folliculos habentem virides, floremque gemini coloris ex eis prodeuntem, ex quo speciosus rubor sensim progrediatur, aut denique dulcissimum autumni fructum obtulerit, non tam ille muneric exiguitatem, quam novitatem spectabit, et eximiam charitatem admirabitur, recto plane judicio et saudemente; copiosis vero pulcherrimisque donis agricolam remunerabit: ita quoque si, velut in facundiæ hieme reginæ flores offeramus, senioque confectam dicendi facultatem ad encomiorum certamina instruamus, ac cupiditatem menti tanquam lapidem ferro affricantes, ant cogitationem sermonis parentem, non secus atque immaturam uoram exprimèntes, exiguam quamdam scintillam, orationisve mustum, vobis sermonum amatoribus, nostrique audiendi cupidis impertianus, multo libentiori animo benigne nobis favebitis. Equid enim Verbi matri, nisi verba offeramus? simile quippe simili gaudet, et illud quoque quod amicum est. Jam ergo orationis apertis carceribus, seu laxatis tantisper habenis, eam tanquam equum aliquem ad cursum dirigentes emittamus. Sed mibi, Dei Verbum, suppetias et opem feras: mentem meam sermonum rudem facundam redde, facilem sermoni meo semitam para, cursumque ut tibi placat, dirige; ad quod utique tendit oratio omnis et cogitatio sapientis.

2. Hodie sancta solaque Virgo, mundo sublimiori ac cœlesti templo offertur: quæ virginitatem eo studio coluit, ut in ejus tanquam purissimi cuiusdam ignis formam transierit. Nam cum omnis virgo virginitatem pariendo amittat, hæc tamen, et ante partum, et in partu, ac demum post partum virgo permansit. Hodie sacra et animata arca Dei viventis, quæ suum in utero gestavit artificem, in templo Domini, quod nullis est extrectum manibus, requiescit, et saltat David ejus avus ac Dei parens, unaque cum eo choros agunt Angeli, plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant, Principatus exsultant, Dominationes oblectantur, Potestates lætantur, Throni festum diem agunt, Cherubim laudes canunt, gloriam Seraphim prædieant. Non enim id exiguæ gloriæ ducunt, cum matri gloriæ gloriam tribuunt. Hodie sacratissima columba, simplex atque innocens anima, divino Spiritui consecrata, ex arca, eo scilicet corpore quod Deum suscepit, et vitæ initium dedit, evolans, pedibus suis requiem invenit, ad mundum quod intellectu cognoscitur, profecta, ubi in terra supernæ hæreditatis nulli spurcicie obnoxia sedes fixit. Hodie Edem, novi Adam rationalem paradisum suscipit, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum

est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas. Non enim amplius sumus nudi, et vestibus carentes, tanquam divinæ imaginis splendore destituti, uberrimaque Spiritus gratia spoliati. Non jam veterem nuditatem deplorantes dicimus : *Exscoliari me tunica mea, quomodo ea induar*<sup>66</sup>? In hunc enim paradisum serpentis aditus patuit, cuius falsæ divinitatis cupiditate flagrautes, jumentis sumus comparati<sup>67</sup>. Ipse enim unigenitus Dei Filius, cum Deus esset ejusdemque ac Pater substantia, ex hac Virgine ac pura terra seipsum in hominem formavit : atque ego quidem, qui homo eram, deitatem accepi, et qui mortalis eram, immortalitatem sum donatus, pelliceasque tunicas exui : abjecta siquidem corruptione, incorruptione indutus sum, accepto deificationis integumento. Hodie Virgo immaculata, quæ nihil terrenarum affectionum admisit, sed cœlestibus emunita cogitationibus, non in terram reversa est; at cum vere cœlum esset animatum, in cœlestibus tabernaculis collocatur. Quis enim eam cœlum appellans a vero aberret, nisi quis rem recte intelligens, eam cœlis quoque incomparabili præcellentiarum stuarum modo superiore esse dicat. Nam qui cœlos fabricavit et continet, qui rerum omnium conditarum est artifex tam mundanarem, quam mundo sublimiorum, sive in aspectum cadant, sive aspectum fugiant, cuius modo nusquam locus est (si id quod continet, eorum quæ intra sunt locus esse definitur), in ea semetipsum infantem sine semine fabricavit, eamque adeo speciosum unice deitatis suæ omnia complectentis promptuarium effecit, totus citra passionem ullam in ipsa collectus, et totus extra manens, seque ipse locum incomprehensum habens. Hodie vitæ thesaurus, gratiae abyssus (nescio quo pacto audacibusque nihilque trepidantibus labiis id efferam) vivifica morte obtegitur : ac sine metu, ad eam illa accedit, quæ ipsius profligatorem pepererat, modo tameu mortem, sacrosanctum et vitalem ejus obitum appellare liceat. Nam quæ veram vitam cunctis protulit, qui tandem morti subdita fuisset? sed cedit legi ab eo latæ quem genuit: et, ut filia veteris Adam, paternam sententiam subit. Nam et ejus Filius qui vita ipsa est, eam non recusavit: ut autem Dei viventis mater ad ipsum merito transfertur. Nam cum Deus dicat: *Ne forte ille qui primus est conditus homo, mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et comedat, et rivat in æternum*<sup>68</sup>; quo pacto fieri potuerit, ut quæ ipsammet vitam sempiternam, nec desumentem, nullisve initii ac finis terminis obnoxiam suscepit, non in infinitum ævum victura sit?

3. Olim equidem Deus mortalis ac generis primos satores, cum se inobedientia mero ingurgitasent, et per transgressionis temulentiam dormitante mentis oculo, peccati erupula sic affecti es-

sent, ut oppressis animi luminibus mortifero somno tenerentur, e paradiſo Eden exterminavit : nunc vero illam quæ vitii omnis impetum excusit, Deique et Patris obedientiæ germen produxit, et universo mortalium generi vitam inchoavit, paradiſus non exceperit? annou cœlum fores suas reserabit? omnino save. Eva siquidem quæ serpentis nuntio aures præbuit, hostisque suggestionem auscultavit, sensu suo per falsæ ac fallacis voluptatis assultum delinito, mœroris et tristitiae sententiam retulit, ut dolores partus sustineret, et una cum Adamo morte condemnata, in imis inferni recessibus collocatur: hanc autem vere beatissimam quæ Dei verbo aures submisit, et Spiritus sancti operatione impleta est, atque, archangelo sequestro, de complacito Patris prægnans effecta, quæque sine voluptate ac viri congressu Dei Verbi personam, cuius omnia plena sunt, concepit, ac pro eo, ut decebat, sine doloribus peperit, quæque totam secum Deo copulavit, quomodo mors devoraret? quomodo inferi suscipiunt? quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est? Abhorrent hæc, alienaque oamino sunt, a Deifera illa anima et carne. Ipsius enim aspectum mors quoque pertinuit: quippe quæ, cum ipsius Filium adorta esset, ex his quæ pertulit, erudita, periculo suo prudentior evaserat. Hæc quidem horrendos inferni descensus nequam trivit, sed recta ei, plana, et facilis ad cœlum parata est via. Cum enim Christus, qui via et veritas est<sup>69</sup>, dicat: *Ubi sum ego, illuc et minister meus erit*<sup>70</sup>: cur non multo magis cum eo matre ipsius domicilium habeat? Ut enim antequam parturiret, peperit, ita ipsius etiam e vita discessus doloribus caruit. *Mors quidem peccatorum pessimâ*<sup>71</sup>: at de ea in qua stimulus mortis, peccatum nempe, enecatum esset, quid tandem dicamus, nisi eam vitæ perennis ac potioris principium fuisse? Sane quidem pretiosa est mors sanctorum Domini Dei virtutum<sup>72</sup>: at pretiosior matris Dei ex hac vita migratio. Nunc cœli lætentur, ac plaudant angeli: nunc terra gestiat, et exsultent homines: nunc aer lætis cantibus persouet: nox obscura tristem et deformem caliginem exutiat, splendoremque diei ignium claritate hilaris imitetur. Etenim viva Domini ac Dei virtutum civitas sublimis fertur, ac reges a templo Domini, hoc est præclara Sion, ad supernam et liberam suamque matrem Jerusalem, præstantissimum donum offerrunt, apostoli scilicet, qui totius orbis principes a Christo sunt constituti, Dei matrem perpetuamque virginem.

4. <sup>73</sup> Nec vero alienum fore arbitror sermone quantum per me erit, describere, et conjectura expонere, ac delineare ea spectacula quæ in sacrosancta hac Dei matre peracta sunt, quæque mediocriter et compendiarie admodum, Filius a Patre, ut dici-

<sup>66</sup> Cant. v, 5. <sup>67</sup> Psalm. xlviij, 15. <sup>68</sup> Gen. iii, 22. <sup>69</sup> Joan. xiv, 6. <sup>70</sup> Joan. xii, 26. <sup>71</sup> Psal. xxx, 22. <sup>72</sup> Psal. cxv, 15. <sup>73</sup> Exponit Damascenus Hierosolymitanus de transitu Virginis traditionem.

tur, ab antiquo accepimus. Cernere enim mihi videor hanc sanctis sanctiorem, et sacris sacraeorem, piissime pietate praestantiorem; hanc, inquam, dulcem manuē urnam, vel, ut verius dicam, fontem, in divina celebratissimaque Davidis civitate, humili lecto recubantem; in conspicua, inquam, illa et clarissima Sion, in qua lex litterae completa, et lex spiritus dictata est; legislator Christus typicum Pascha peregit<sup>74</sup>, at veteris ipse novique testamenti Deus, vernum Pascha: in qua Agnus Dei qui mundi peccatum tollit<sup>75</sup> cœna mystica discipulos suos initiatit, seque eis ut vitulum saginatum mactavit<sup>76</sup>, vereque vitis uvam velut in torculari expressit; in qua Christus ex mortuis resurgens apostolis conspectus fuit, et Thomæ ac per eum universo orbi fidem fecit se Deum Dominumque esse<sup>77</sup>, duas naturas etiam post resurrectionem in seipso ferentem, eisque consentaneas operationes duas, liberasque voluntates in sempiternum ævum perdurantes. Hæc Ecclesiarum arx est: hæc discipulorum diversorum. In hac sanctissimus Spiritus, sonitu edito, cum multarum linguarum dono, ignea forma adveniens, in discipulos effusus est<sup>78</sup>. In hac Theologus, Dei Genitricis susceptor, quæ necesse erant, ei subministrabat. Hæc omnia orbis Ecclesiarum inater, Deiparæ, post Christi ex mortuis resurrectionem, domicilium fuit. In hac itaque beata Virgo in beatissimo quodam lectulo decumbebat.

5. Cæterum quando ad hunc locum pervenit oratio (ut animi mei affectum prodam) ardentissimo ferventissimoque amoris igne accendor, et horrore quodam jucundisque lacrymis occupor, lectum hunc felicem et amabilem<sup>79</sup>, ac prodigiis scatentem, velut exosculans, qui tabernaculum illud suscepit, ex quo vita orta est, contactuque illius sanctitatem participavit. Quin ipsum quoque sacram et sacro-sanctum, Deoque dignum habitatulum meis manibus complecti mihi videbar, oculosque, frontem, labia, cervicem ac genas membris illius admovere, ipsum, tanquam si corpus præsens tangerem, sentiebam. At cum proprius animum attendissem, oculis id quod cupidus persequebar, intueri mihi potui. Quo enim pacto illud perspicerem, quod sublime in cœlesti templum abreptum fuit? Atque hæc quidem mihi contigerunt.

6. Quibusnam vero tunc honoribus ab illo qui parentibus honorem haberi sanxit, ornata est? Eos, qui passim toto orbe ad homines piscando dispersi erant, modulatissimisque et multiplicibus Spiritus linguis, verbique sagena, ex erroris voragine ad spirituali et cœlesti mysticæ cœnæ mensam sacrifique convivii spiritualium cœlestis Sponsi nuptiarum, quas Pater Filio, qui ejusdem cum ipso potentia et natura est, magnifice et regie admodum celebrat, homines extrahebant, divino imperio nubes cujusdam retis instar Hierosolymam adurgebat, velut

aquilas quasdam compellens atque in unum cogens. *Ubi enim fuerit corpus, inquit Veritas, illic congregabuntur et aquilæ<sup>80</sup>.* Nam, quamvis de ejus qui his verbis usus est, secundo et illustri e cœlis adventu, id prædictum sit, haud tamen absurdè ejusdam condimenti orationis loco hic etiam usurpabitur. Aderant igitur oculati illi testes et ministri verbi, ut pro eo ac debebant, ipsius etiam mati ministrarent, et ex ipsa benedictionem, amplissimam veluti quandam præstantissimamque hæreditatem, haurirent? Ecquis enim dubitat quin ipsa benedictionis fons sit, et omnium honorum scaturigo? Una etiam aderant ipsorum assecæ et successores, ut cum ministerii, tum benedictionis participes essent. Quorum enim communis est labor, horum etiam fructus communes esse consentaneum est. Sed et insuper electum a Deo agmen, quod Hierosolymis versabatur. Et vero par erat, ut et primarii quique veterum justorum et patriarcharum comites illuc accederent, inque sacri hujus satelliti partem venirent; quippe qui carnalem benignissimamque Dei Verbi ex ea nostræ salutis causa, nativitatem prænuntiaverant. Quin ne angelorum quidem caterva ab hoc cœtu absuit. Quidquid enim summo Regi ex animo paret, eoque dignum honore est, ut ei assistat, hoc ipsius quoque secundum carnem parentem, beatissimam illam, omnibusque generationibus et creaturis excellentiorem stipare oportebat. Huic omnes astabant Spiritus fulgore collucenti, splendissimisque eos radiis illuminanti, qui reverentia, et metu et immobili amore purum in eam mentis oculum desigebant. [Nullus enim est cœlitum ordo, qui non unanimiter adfuerit, nec quisquam inventus est, qui eo quod in supernis versabatur, nullique inferiorum comparandus esset, descendere, et omnia quæ dixi munera obire recusavit.

7. Hic divinitus inspirati divinoque instinctu editi sermones. Hic divini hymni, et ornando discessui idonei. Oportebat enim hoc quoque nomine infinitam Dei bonitatem, præcelsissimamque magnitudinem, et infinitam potentiam, nec non ipsius erga nos moderationem omni altitudine et sublimitate superiorem, et incomprehensæ benignitatis immensas divitias, tandemque inexplebilem charitatis abyssum laudibus efferre: quo pacto ipse a sua maiestate non excedens, ad sublimitatis parentem exinanitionem benigna Patris et Spiritus voluntate descenderit: quo pacto is qui supra essentiam est, ex feminæ utero sublimiori supra essentiam ratione, essentia exstitit<sup>81</sup>: quo pacto Deus cum esset, factus est homo, simul utrumque manens: quo pacto, nec a deitatis substantia excessit, et similiter ac nos carnem et sanguinem participavit<sup>82</sup>: quo pacto ille qui omnia implet, omnibusque superior exsistit, portans omnia verbo virtutis suæ, angusto loco in domicilium habuit: quo denique pacto inclytæ

<sup>74</sup> Christus typicum Pascha seu Judaicum in postrema cœna peregit. Nota contra schismaticos. <sup>75</sup> Joan. 1, 29. <sup>76</sup> Luc. xv, 23. <sup>77</sup> Joan. xx, 28. <sup>78</sup> Act. ii, 1 seqq. <sup>79</sup> De hoc scimpode multa Modestus in oratione sua. <sup>80</sup> Matth. xxiv, 28. <sup>81</sup> Dionys. cap. 2 *De div. nom.* <sup>82</sup> Hebr. ii, 14.

Virginis corpus, quod materiale est, et ad seni naturam accedit, consumentem deitatis ignem excepit, et instar auri nec consumptum, nec læsum sit. Dei nimirum hæc facta sunt voluntate. Deo namque volente, nihil est quod fieri non possit; nolente autem, nihil quod fieri possit. Tunc porro sermonum excitatum est certamen, non ut alter alterum superaret (hoc enim animi inanis gloriæ cupidi est, et qui procul absit quin Deo placeat), sed nec quidpiam de animi alacritate et viribus remittentes, Deum laudarent, ejusque matrem honorent.

8. Tunc quidem, tunc, inquam, Adam et Eva nostri generis auctores, exsultantibus labiis alte exclamarunt: Beata tu, filia, quæ violati mandati pœnas nobis sustulisti. Tu mortale corpus a nobis sortita, immortalitatis indumentum nobis peperisti. Tu, cum a lumbis nostris ortum acceperisses, nobis ut bene essemus rependisti. Dolores solvisti; mortis fascias rupisti; ad veterem sedem nos postliminio revocasti. Nos paradisum clausimus, tu ligni vitæ iter patefecisti. Per nos ex lætis tristia venerunt; ex tristibus contra lætiora per te redierunt. Quo autem modo, o immaculata, morti obnoxia efficeris? Tu vitæ pons, et scala cœli: mors, ad immortalitatem ponto erit. Vere tu beata es, quæ beatissima prædicanda sis. Ecquis enim, qui Verbum non sit, ad hoc tolerandum se obtulerit, quod patrasse censitus sit? His universus sanctorum chorus applaudefebat: tu prædictiones nostras implevisti: tu lætitiam quam præstolabamur, attulisti. Per te enim mortis vinculis soluti sumus. Veni ad nos, o divina vitamque ferens supellex. Veni ad nos tui cupidos, quæ nostram explesti cupiditatem. At vero non infirmioribus eam sermonibus circumstantium sanctorum, qui adhuc in corpore versabantur, multitudo retrahent, his fere verbis: Mane nobiscum, nostra consolatio, unicuique in terra solamen. Ne nos orphanos deseras, benigni illius et misericordis Mater, qui Filii tui causa periclitamur. Te laborum requiem sudorumque refrigerium habeamus. Tibi remanere volenti potestas in promptu est, et abire cupienti nihil impedimento est. Sin abeas, o Dei tabernaculum, una quoque nobis, qui tunc ob tuum Filium populus sumus, abire liceat. Tu sola nobis in terra consolatio relicta es: et te vivente, simul vivere; et moriente, mori beatum est. Quid vero, moriente, dicimus? tibi namque mors vita est, imo vita præstantior, hancque vitam incomparabiliter antecellens: nobis vero vita omnis expers vitæ est, consuetudine tua destitutus.

9. Similibus verbis Apostoli simul cum universæ Ecclesiæ agmine beatam Virginem mihi tum allocuti esse videntur. Ubi vero eum ad excessum e vita properantem, ejusque cupiditate flagrantem Dei

Genitricem conspexerunt, tum denique ad hymnos ad exitum pertinentes sese convertere, divinaque instincti gratia, os suum spiritui commodare, et extra carnem abrepti, ac cum excedente Deipara simul excedere; ita ut voluntatis conatu quod ad ejus fieri poterat, ante mortem ipsi excederent. Postquam autem cupiditati simul officioque suo satisfecerunt, floridamque et multiplicem sacrorum hymnorum corollam texuerunt, benedictionem velut thesaurum quemdam divinitus datum retulerunt, postrema verba proferentes quæ discessui e vita convenirent. His porro, quantum conjicio, tum præsentis vitæ fluxa fragilitas enuntiabatur, tum occulta futorum honorum mysteria in apertum efferebantur.

10. Mox consentanea quædam istis et congruenter contigisse opinor. Nimirum Regis ipsius ad Matrem suam adventus, ut divinis suis ac purissimis manibus, sanctam intaminatamque et labi expertem ejus animam susciperet. Atque ipsa quidem, ut a vero non abhorret, dixit: « In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum. Accipe ergo charam tibi animam, quam immunem a culpa servasti. Tibi, ac non terræ corpus meum trado: salvum hoc custodi, in quo dignatus es inhabitare, et quod nascendo incorruptum conservasti. Transfer me ad te, ut ubi es tu, viscerum meorum proles, illuc quoque tibi sim contubernialis. Ad te enim propero, qui ad me citra ullam spatii distantiam ventitasti. Tu charissimis meis filiis, quos tu fratres appellare non dubitasti, migrationis meæ solarium esto. Per mannum mearum extensionem, benedictionem eorum novis benedictionibus cuncta. » Tum sublatis, ut credere licet, manibus, omnibus qui collecti aderant, bene precata est. Haec locuta cum esset, vicissimque audiisset, « Veni in requiem meam, benedicta Mater mea: surge, veni, amica mea, pulcherrima mulierum. Ecce enim biens transit, tempus putationis advenit<sup>83</sup>: tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te<sup>84</sup>: odor unguentorum tuorum super omnia aromata<sup>85</sup>: » his sancta illa auditis, spiritum summum in Filii manibus deponit.

11. Quid vero accedit? Elementorum, ut reor, commotio et immunitatio, vocesque et soni, digna angelorum cantica, qui partim præcurrerent, partim comitarentur, partim assecarentur. Et quidem aliœ ex ipsis immaculatæ et sanctissimæ animæ satellitio erant, et in cœlum scandentem stipabant, quo usque regio solio reginam sisterent: alii rursus divinum et sacrum corpus cingebant, hymnisque angelorum propriis Dei parentem celebrabant. Quid autem ii, qui sanctissimo sacerrimoque corpori astabant? cum tremore, ardente amore, et exultationis lacrymis, divinum illud felicissimumque tabernaculum in orbem cingentes amplexabantur, et exosculabantur, nullumque non membrum corpori admoventes, ex ejus contactu sanctitate et benedictione perfundebantur. Tum ergo morbi fugam

<sup>83</sup> Cant. n, 10, 11. <sup>84</sup> Cant. iv, 7. <sup>85</sup> ibid. 10.

capessabant, dæmonum catervæ pellebantur, et ad subterraneas terre partes undique abigebantur. Aer, æther ac cœlum ascende[n]te spiritu sanctitatem contrahebant, quemadmodum et terra corporis depositione. Quin ne aquarum quidem natura benedictione sua caruit. Abluitur enim aqua pura, non quæ ipsam mundaret, sed quæ potius mundatur. Atque hinc surdis auditus, claudi plantæ firmitas reddebat, ex eis visus instaurabatur, peccatoribus cum fide accendentibus syngraphæ lacerabantur. Deinde puris linteis purum corpus involvitur, lecto que rursus regina imponitur: mox lampades adhibitæ et unguenta hymnique funeri deducendo idonei: angelis utique linguis suis hymnum sibi congruentissimum concinentibus; apostolis autem, Deoque plenis Patribus divinas quasdam cantiones a Spiritu sancto inspiratas modulantibus.

12. Ac tum sane, tum arca Domini e monte Sion abiens, venerandisque apostolorum humeris gestata, in cœleste templum per interjectum sepulcrum effertur. Ac primum quidem per medium urbem dicitur, tanquam speciosissima quædam sponsa, incorporali Spiritus splendore decorata: atque ita ad sanctissimum Gethsemanes locum defertur, angelis præcurrentibus, et assectantibus, alisque suis eam obvelantibus, ac universo Ecclesiæ cœtu. Ac sicut rex Salomon, ob deponendam arcam in templo Domini, quod ipse exstruxerat, seniores omnes Israel in Sion coegit, ut arcam Domini deferrent de civitate David, id est de Sion; tuleruntque sacerdotes arcam et tabernaculum testimonii, ac portabant eam, tum sacerdotes, tum Levitæ: rexque et omnis populus ante arcain gradiebantur, ac boves et oves innumerabiles immolabant: ac tandem sacerdotes arcam fœderis Domini in locum summum intulèrent, in oraculum domus, in Sancta sanctorum, sub aliis Cherubim<sup>86</sup>: ita quoque ad deponendam spiritalem arcam, non fœderis Domini, sed personæ ipsius Dei Verbi, novus ipse Salomon, qui est princeps pacis, præstantissimusque universi artifex, tum cœlestium mentium mundo sublimiores ordines, tum primarios Novi Testamenti viros, hoc est apostolos, una cum universa sanctorum qui Hierosolymis agebant plebe, hodierno die in unum coegit. Ac animam quidem in Sancta sanctorum, in exemplaria vera et cœlestia per angelos introducit, ac sub animalium quadruplicis formæ alis eam collocans, suo ipsius throno in interiori velaminis parte sistit, quo præcursor ipse Christus corporaliter ingressus est. Corpus autem apostolorum manibus gestatur, Regem regum invisibilis suæ deitatis splendore eam contingente, et universo sanctorum cœtu præeunte, et per sacrarum vocum emissionem, laudis sacrificium in tumulo, tanquam in thalamo, sacrificante, per ipsum in deliciis Edem, inque cœlestibus tabernaculis collocatur.

13. Aderant forte etiam ex Judæis, si qui non

admodum improbi exsistebant. Ab re vero non est, hoc loci aliquid, quod multorum sermone circumfertur, huic narrationi tanquam conditum edificiis, admiscere. Autem enim, cum ad montis crepidinem venissent, qui beatum Dei Genitricis corpus gestabant, Hebræum quemad peccati servum, qui que fœdus cum errore pepigerat, illum Caipha ministram, qui Dominicam divinamque Christi Dei faciem alapa ceciderat, imitantem, diabolicum factus esset organum, temerario præcipitique ac diabolico impetu concitatum, in divinissimum illud tabernaculum, ad quod angeli non sine metu accedebant, irruisse, arreptumque utraque manu lectulum vesane ac furiose in terram detraxisse (invidiæ malorum auctoris hic conatus erat), verum fructus labores præcessit, acerbamque uvam proposito suo dignam colligit. Orbatum enim fuisse manibus ferunt. Ac cernere erat facinoris manibus propriis patratorem manibus confestim carentem: quoad mentem suam, fidem ac pœnitentiam mutasset. Protinus illi qui grabatum portabant, steterunt, et miser ille qui manus amiserat, iis tabernaculo admotis, quod vitæ principium fuit, prodigiorumque fons erat, incolumentem rursus consecutus est. Calamitas enim prudentia salutariaque consilia parere, ut plurimum, consuevit. Verum ad institutam orationem revertamur.

14. Hinc ad sacratissimam Gethsemanen deferunt, ubi rursus oscula et complexus, rursus laudes, hymnique sacri, et lacrymæ, ex angore et calenti amore sudorum scatebræ manantes: ac videre licet sudores et lacrymas fluentis suis mutuo veluti certamine conflictantes. Atque ita sanctissimum corpus clarissimo præstantissimoque tumulo imponitur; unde triduo post in celos attollitur. Siquidem divinum illud dominiculum, illum minime effossum aquæ remissionis fontem, inaratum illud cœlestis panis arvum, illam nunquam irrigatam uvæ immortalis vineam, illam paternæ miserationis olivam, vernantibus perpetuo foliis pulcherrimisque fructibus onustam, terræ penetralibus claudi minime conveniebat. Quin potius, sicuti sanctum incorruptumque illud corpus, quod Deus ex ea personæ suæ copulaverat, tertia die e monumento surrexit; sic etiam hanc e tumulo abripi, matremque ad Filium migrare par erat: et, ut ipse ad eam descenderat, sic eam ad majus præstantiusque tabernaculum, hoc est, ad ipsum cœlum deferri. Oportebat, inquam, ut quæ Deum Verbum ventris sui hospitio exceperat, in divinis Filii sui tabernaculis collocaretur; et quemadmodum Dominus se in his quæ Patris sibi essent<sup>87</sup>, versari debere dixerat; sic quoque Matrem in Filii regia commorari conveniebat, id est in domo Domini, et in atriis domus Dei nostri<sup>88</sup>. Nam si in ea lætantium omnium habitatio est<sup>89</sup>, ubinam fuisse causa lætitiae? Oportebat, ut ejus quæ in partu virginitatem sine labe servaverat, incolume etiam post mortem corpus servaretur. Oportebat eam, quæ

<sup>86</sup> III Reg. VIII, 1 seqq.; II Paral. v, 2 seqq.

<sup>87</sup> Luc. ii, 49.

<sup>88</sup> Psal. cxxxii, 2.

<sup>89</sup> Psal. lxxxvi, 7.

Creatorem velut infantem sinu gestaverat, in divinis tabernaculis degere. Oportebat ut sponsa quam Pater spoponderat in thoris cœlestibus habitaret. Oportebat, ut quæ Filium suum in cruce conspexerat, et gladium quem pariendo effugisset, pectore tunc exceperat, ipsum Patri considentem spectaret. Oportebat denique Dei Matrem ea quæ Filii essent, possidere, et ab omnibus creaturis adorari. Quanquam enim hæreditas a parentibus ad filios semper devolvitur, nunc tameu, ut eruditæ cuiusdam verbis utar, sacrorum fluminum fontes sursum cursum relegunt. Res quippe omnes conditas Filius Matri mancipavit.

**45.** Age igitur, nos quoque Dei Matri diem festum discessui ipsius consentaneum obeamus, non tibias ferentes ac corybantes, ac illius falsorum numinum matris, ut ipsi dicunt, divina orgia celebrantes, quam stulti homines multorum liberorum fuisse parentem fabulantur, ipsa autem veritas, nullos edidisse monstrat. Dæmones enim ista sunt, atque umbrosa quædam spectra, id quod natura non sunt, perperam singentes, in subsidium accidente aberrantium hominum amentia. Quoniam enim modo id quod corpore vacat, ex concubitu gignat? quomodo miscebatur? quomodo id Deus erit, quod cum ante non esset, in ortum postea prodit? Nam quod dæmonum natio corpore careat, inter omnes constat; etiam inter eos qui mentis oculis capti sunt. Ait enim in quodam operum suorum loco Homerus, dignorum se deorum statim exponens:

*Non panem comedunt, nec vino ardente potantur : Unde cruore carent, immortalesque vocantur :*

Non panem edunt, inquit, non vinum quod calefaciat, ob eamque causam sanguinis expertes sunt, et immortales appellantur. Ac proprie quidem dixit, *appellantur*. Immortales enim vocantur; at non sunt id quod vocantur, quippe qui vitii mortem obierunt. Nos vero qui Deum colimus; Deum, inquam, non ex nihilo productum, sed sempiternum ex sempterno, omnique causa, ratione, et cogitatione tum temporis, tum naturæ superiorem; Dei Matrem honoramus ac veneramur. Non quod divinitatem ejus ortum ex ea traxisse statuamus (Dei siquidem generatio tempore caret, eamdemque cum Patre æternitatem habet), verum secundum nativitatem constemur, per voluntariam carnis susceptionem, cuius causam et novimus, et laudibus efflerimus. Propter nos enim ac nostræ salutis causa incarnatur, qui sine initio incorporeus est; ut simili per simile salutem afferat: atque assumpta sine virili complexu carne, ex hac sacra Virgine paritur, ipse totus Deus manens, et totus homo factus: ipse totus Deus una cum carne sua, totusque homo cum sua divinitate. Ad hunc modum Dei matrem Virginem istam agnoscimus, ejusque dormitionem celebramus; non

Deam hanc esse prædicantes (Græcarum præstigiarum sunt ejusmodi figmenta); quippe cum ipsius mortem nuntiemus: sed Dei incarnati Matrem agnoscentes.

**46.** Hanc nos qui eo locupletati sumus, ut Christi populus, et simus, et dicamur, sacris hodie canticis prædicemus: hanc nocturnis stationibus honoremus. Hanc animi et corporis munditia oblectemus; hanc, inquam, vere puram, atque omnibus post Deum puritate præstantem. Solent enim similia similibus exultare. Hanc misericordia et commiseratione erga egenos colamus et observemus. Si nulla re perinde atque misericordia Deus colitur; quin iisdem quoque rebus ejus mater oblectetur, quis eat inficias? Hæc ineffabilem divinæ nos dilectionis abyssum explicavit. Per hanc diurnum illud bellum, quod cum Creatore gerebatur, profligatum fuit. Per hanc nobis cum eo reconciliatio sancta, paxque et gratia donata est: unde angeli una cum hominibus choros agitant, et qui prius contempti eramus, Dei filii effecti sumus. Ex ea vitæ uvam collegimus: ex ea immortalitatis germen excerptimus. Hæc nobis omnia bona conciliavit. In hac Deus homo factus est, et homo Deus: quo quid mirificum magis? quid beatius? Evidem metu aestuo, id quod loqnor extimescens. Cum Maria prophetissa<sup>90</sup>, o animæ adolescentulæ, assumptis tympanis choreas agitemus; hoc est membra quæ sunt super terram, mortificemus<sup>91</sup>: hoc enim est, quod tympanum mystice significat. Ob arcam Domini jubilemus, et muri Jericho<sup>92</sup>, sive infestæ adversariorum potestatum munitiones corrueant. Cum Davide Spiritu saltemus<sup>93</sup>: hodie enim area Domini requiescit. Cum Gabriele angelorum antesignano clamemus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum<sup>94</sup>.* Ave, pleua gratia, inexhaustum gaudii pelagus. Ave, unica mœroris oblitteratio. Ave, pharmacum dolorem ex omni corde pellens. Ave, per quam mors expulsa est, vita autem importata.

**47.** Jam vero, o sacrorum omnium sepulchorum, saltem post Domini sepulcrum, quod vitæ initium dedit, resurrectionisque fons fuit, sacratissimum (tecum enim tanquam animatum esses, mihi sermo erit), ubi tandem illud sincerum anrum est, quod apostolorum manus in te condiderunt? ubi inexhausta opes? ubi pretiosum monile, quod vitam suscepit? ubi animata mensa? ubi novus tomus, in quo ineffabili ratione Deus Verbum citra manus operam inscriptus est? ubi gratiae abyssus? ubi sanationum pelagus? ubi fons ex quo vita parta est? ubi denique sacratissimum illud atque amabilissimum corpus Dei Genitricis? Quid eam in sepulcro queritis, quæ ad cœlestia tabernacula elata est? Quid custodiæ rationem a me exposcit? non eae meæ vires, ut divinis iussis relucter. Relicta sindone, serum illud et sanctum corpus quod sanctitatem mecum communicavit, meque unguento et suavissimo

<sup>90</sup> Exod. xv, 20. <sup>91</sup> Coloss. iii, 15. <sup>92</sup> Josue vi, 20. <sup>93</sup> II Reg. vi, 14. <sup>94</sup> Luc. i, 28.

odore implevit, ac divinum delubrum effecit: abreptum hinc sursum abiit, stipantibus angelis et archangelis, omnibusque cœlorum virtutibus. Nunc me angeli observant. Nunc in me divina gratia habitat. Ego officina medicinæ agrotantibus evasi. Ego fons sanitatum perennis. Ego dæmonum profligatio. Ego iis qui ad me confugiunt, civitas refugii. Accedite, populi, cum fide, et gratiarum dona affluentissime haurite. Accedite, qui fide minime ambigua estis, *Sitientes, venite ad aquas, exhortatur Esaias, et qui non habetis argentum, venite, et emite sine pretio*<sup>95</sup>. Ego universis evangelice clamo: Quisquis morborum sanationem sicut, vitiorum animi depulsionem, peccatorum abstersionem, quarenciumque calamitatum submotionem, regni cœlestis requiem, ad me cum fide veniat, donumque gratiae efficacissimum atque utilissimum exhauriat. Quemadmodum enim aquæ virtus et actio, ut et terræ aerisque, ac splendidissimi solis, simplex licet atque una sit, varie tamen et secundum earum rerum quæ ipsius participes sunt, naturam immutatur, sitque in vite quidem vinum, in oliva oleum; ita quoque gratia, quamvis simplex et una sit, varie tamen et pro uniuscujusque utilitate, eos a quibus percipitur, beneficio afficit. Nec vero gratiam hanc a mea natura habeo. Sepulcrum omne fetore plenum est, mœroris causa, et letitiae hostis. Verum pretiosum unguentum suscepī, ex quo suavis odor mihi impertitus est: hocque unguentum ea suavitate tantaque vi præditum est, ut vel leviter admotum, fructum ejusmodi afferat, quod auferri non possit. Sine poenitentia enim sunt divina dona<sup>96</sup>. Gaudii fontem hospitio excepti, perennisque hujus scaturiginis divitiis afflui.

18. Videtis, amicissimi Patres et Fratres, quibus ad nos verbis celeberrimum hoc sepulcrum utatur. Quod autem hæc ita se habeant, liquet ex Euthymiacæ Historia, in qua lib. iii, cap. 40, ita diserte scriptum est: « Superius diximus, quemadmodum sancta Pulcheria in urbe Constantiopolitana plures ecclesias construxit. Harum una est illa, quæ in Blachernis ædificata fuit primis annis imperii Marciani, divinæ memoriae. Cum itaque laudatissimæ sanctissimæque Dei Genitrici perpetuæque virginis Mariæ venerandam ædem illic exstruxissent, omniisque ornamentorum genere decorassent, sacrosanctum quod Deum suscepit corpus conquirebant: accitoque Juvenali Hierosolymorum archiepiscopo, et Palæstinæ pontificibus, qui tum ob concilium Chalcedone coactum in urbe regia versabantur, his eos verbis alloquuntur: Hierosolymis primariam et egregiam Dei Genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ ecclesiam esse adivimus, in eo 'oco qui Gethsemane vocatur, ubi ejus corpus quod vitam tulit, in loculo conditum est. Volumus ergo has reliquias istuc afferri, ut imperatrici huicce civitati præsidio sint. Ad hæc Juvenalis ita respondit: Etsi, quæ in sanctæ Dei

Genitricis morte contigerunt, sanctæ ac divinitus inspiratæ Scripturæ paginis minime prodita sint; tamen ex antiqua et verissima traditione accepimus, quod gloriose ipsius dormitionis tempore universi quidem sancti apostoli, qui orbem terrarum ob gentium salutem peragrabant, momento temporis in sublime elati, Hierosolymam convenerunt: cumque illæ essent, eis visio apparuit angelica, et divina melodia audita est supernarum Potestatum. Et sic cum sancta et cœlesti gloria animam sanctam Deo commendavit: ejus autem corpus quod Deum suscepit, cum angelico et apostolico cantu elatum, in loculo Cethsemani depositum est: quo in loco angeli totos tres dies choros agere et canere non destiterunt. Post tres autem dies angelico cantu cessante, qui aderant apostoli, cum unus Thomas qui absuerat, post diem tertium venisset, et quod Deum tulerat corpus adorare voluisse, tumulum aperuerunt. Ac laudatissimum quidem illiis corpus nequaquam invenire potuerunt: cum autem jacentia linteæ reperissent, atque inenarrabili qui ex eis proficisebatur odore perfusi essent, loculum clauerunt. Tum mysterii obstupfacti oraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria virgine in persona propria carnem sumere, et hominem ex ea fieri et nasci, Deus Verbum et Dominus gloria, qui post partum incorruptam ejus servavit virginitatem, eidem placuit, et ipsius postquam migravit, immaculatum corpus incorruptione et translatione ante communem et universalem resurrectionem honorare. Aderant tunc cum apostolis sanctissimus apostolus et primus Epesiorum episcopus Timotheus, et Dionysius Areopagita, sicut magnus ipse Dionysius testatur in his quæ de beato Hierotheo, qui ipse tunc aderat, ad prædictum apostolum Timotheum scripsit in hæc verba: *Quandoquidem apud ipsos etiam a Deo afflatos sacrorum antistites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sacris nostris fratibus ad contuendum corpus quod vitæ principium dedit, ac Deum suscepit, convenissemus (aderat autem et Domini frater Jacobus, et Petrus, supremus præstantissimusque apostolorum vertex) tum viso corpore placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem divinæ potentiae: post theologos, omnes alios sacrorum præcones, ut non te fugit, superabat, totus excedens, totus extra se raptus, atque ita affectus, ut cum his quæ canebat, coputatus videbatur, et ab omnibus qui ipsum audiebant et videbant, et quibus, sive notus, sive ignotus erat, Numine corruptus divinusque plane hymnorum auctor censebatur. Quid autem de his quæ divine illæ dicta sunt, ad te sermonem habeam, cum ipse nisi mei ipse oblitus sum, nonnullas etiam divinorum illorum cantuum partes sœpe a te me audivisse noverim. His imperatores auditis, ab archiepiscopo Juvenali petierunt, sanctum illum loculum una cum gloriosæ et*

<sup>95</sup> Isa. lv, 1. <sup>96</sup> Rom. ii, 29.

sanctissimae Dei Genitricis vestibus, quæ in eo positiæ erant, ad se mitti, sigillo communitorum. Quem cum accepissent, in veneranda æde Sanctæ Dei Matris, quæ in Blachernis sita est, deposuerunt. Atque ita quidem hæc gesta sunt.

19. Quid porro nos vicissim ad sepulcrum dicemus? Tua equidem gratia perennis atque indeficiens est: cæterum divina vis minime locis circumscribitur, nec Matris beneficia in solo monumento commorantur. Nam si sepulcro solo definitur, pauci admodum hujusmodi dono divinitus imbuerentur. Atqui in omnibus orbis finibus illud se copiose diffundit. Ac proinde curremus, ut mens memoriaque nostra Dei Genitricis promptuarium fiat. Quo antem pacto id assequemur? Virgo ipsa est, et virginum amans: casta est, et castitatis amans. Quocirca, si cum corporis, tum etiam memoriae castitatem colamus, gratiam ipsius adipiscemur. Lutum siquidem omne fugit, ac cœnosas affectiones tanquam genimina viperarum. Ingluviem execratur, fœdißimæ scortationis vitiis infensa est: turpes sermones et cautus propellit; meretricia unguenta rejicit: iræ tumorem odit: inhumanitatem, invidiam, et similitates non admittit: inanem gloriam variis se laboribus frangentem aversatur: superbæ fastui hostili animo resistit: injuriarum recordationem exhorret uti salutis adversariam: vitium denique omne tanquam lethale venenum reputat: horum autem contrariis delectatur. Contraria enim contrariorum medicamenta sunt. Jejunio, continentia, psalmorum cantibus gaudet: cum puritate, virginitate, et pudicitia illi pulchre convenit, perennemque cum illis pacem colit, et humane eas et comiter exosculatur. Pacem, et animi lenitatem complectitur: charitatem, misericordiam, et humanitatem, tanquam alumnas suas, ulnis fovet. Atque, ut rem paucis perstringam, quolibet vitio tristitia afficit et indignatur; qualibet virtute, uti proprio suo munere, lætatur. Quamobrem si vitia alaci animo vitemus, et virtutes omni studio persequamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, et secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum, et omnium Regem ac Dominum, una assumet, qui in cordibus nostris habitet; cui cum Patre et sanctissimo Spiritu, gloria, honor, potestas, majestas, et magnificencia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

#### VII. — Ejusdem oratio tertia in Dormitionem sanctissimæ Dei Genitricis.

1. Eorum qui rei olicujns amore flagrant, hæc consuetudo est, nt illud in ore et mente perpetuo ferant, idque noctu diuine sibi repræsentent. Ne me igitur quispiam redarguat, si post duos quos prouinciavi laudatorios sermones, tertium hunc quoque habeam, quem Dei mei Matri tanquam munus ob-

ejus excessum deferam: non ut illi gratiae aliquid ex me accidat, sed mihi potius, vobisque qui adestis, o divine et sacer coetus, utile animis et salutare, ac sacrosanctæ huicce nocti accommodum obsonium apponam, spiritualisque oblectationis lucrum afferam. Esculentorum quippe nos, ut videtis, inopia cepit. Quamobrem convivium vobis extemporaneum paro, quod licet nec munificentissimum sit, nec ea dignum quæ nos invitavit, attamen famei necessario compescere poterit. Neque enim ipsa laudibus nostris indiget: verum nos gloria quæ ex illa fluit, egemus. Nam quod jam est gloria cumulatum, quoniam gloria augebitur: ac luminis fons, quoniam pacto illuminabitur? Nobis vero per ea quæ agimus, corollas nectimus: Vivo enim ego, ait Dominus, quia glorificantes me glorificabo<sup>97</sup>. Vere quidem suavis, suavis, inquam, potus est vinum, nutriendoque idoneus est panis qui editur. Illud enim lætitiat, hic cor hominis confirmat<sup>98</sup>. Sed quid Dei Matre dulcius? Hæc mentem meam captivam tenet: hæc linguam deprædata est: hanc diu noctuque meditor: hæc, cum Verbi sit parens, verba quoque suppeditat. Infecundæ fetus est, quæ infecundos animos fructiferos reddit. Hujus sacrum divinumque transitum hodie celebramus. Eia agite, ad montem ergo mysticum ascendamus, et terrenis, ac materiæ obnoxii imaginibus superiores facti, atque in divinas tenebras quæ comprehendendi nequeunt, intromissi, divino lumine comparato, infinitam virtutem collaudamus. Qui factum est, ut qui ex celsissima et incorporali specula, quæ extra omnem aleam est, paterno ex sinu non egressus, in virginalem uterum descendens, et assumpta carne conceptus, voluntariaque passione adita morte, cum corpore ex terra procreato, incorruptione per corruptionem acquisita, ad Patrem iterum reversus, Matrem suam secundum carnem ad genitorem suum attraxerit, et ipsam quæ cœlum terrestre fuerat, ad celestem terram sustulerit?

2. Hodie scala spiritualis animata, per quam Altissimus descendens in terris visus est, et cum hominibus est conversatus<sup>99</sup>, per mortem quasi per scalam ex terra in cœlum perrexit. Hodie terrestris mensa, quæ cœlestem vitæ panem divinitatisve carbonem sine nuptiarum usu gestaverat, e terra in cœlum subiecta est, Deique portæ ad orientem positæ, cœlorum portæ elevatae sunt. Hodie ex terrestri Jerusalem, civitas Dei animata ad supernam Jerusalem reducitur: et quæ creaturæ omnis primogenitum unigenitumque ex Patre, primogenitum ex seipsa et unigenitum conceperat, in primogenitorum Ecclesia commemoratur. Area Dei animata et rationalis ad Filii sui requiem transferatur. Paradisi fores reserantur, et arvum quod Deum tulit, excipiunt; ex quo sempiterne vitæ lignum pullulans, Christus nimirum, cunctorum vitæ auctor, Evæ inobedientiam, necemque ab

<sup>97</sup> I Reg. II, 30. <sup>98</sup> Psal. ciii, 15. <sup>99</sup> Baruch III, 38.

Adamo illatam enecavit. Specus excisum, mons non exsectus, ex quo lapis nulla manuum ope avulsus, totum terrarum orbem implevit. Thorus divinæ Verbi humanitatis, in gloriosissimo sepulcro velut in thalamo requiescit : ex quo ad nuptiale in cœlis positum cubiculum migrat ; ubi cum Filio et Deo aperte regnatura est : ac sepulcrum, ut iis qui in terris agunt, thalami loco esset, reliquit. Itane vero sepulcrum thalamus est? ita prorsus, ac thalamo quovis illustrius : non auri splendoribus, non argenti claritate, non lapidum fulgoribus micans, non sericis pannis, et contextis ex auro et purpura vestibus exornatum, sed radiante divinitus splendore sanctissimi Spiritus : non corporum connubium terræ amatoribus, sed iis qui Spiritu vincti sunt, animarum sanctorum vitam præbens, scilicet meliorem omnibus suaviorenque apud Deum statum. Sepulcrum hoc ipsa Edem formosius est, et ne blanditias quas in illa hostis adhibuit, commorem, egregium, ut sic loquar, consilium, invidiā, fraudem, remissum Evæ animum, suasionem, dulcem sinūl atque auaram escam, per quam, amissa mente, conjugem quoque ea spoliavit, inobedientiam, exsilium, mortem edisserens, solemnitatem tristitiae argumentum efficiam : hoc sepulcrum, inquam, ex terra mortale corpus ad cœlos sublevavit : illa vero ex alto in terram generis nostri parentem deduxit. Etenim in ipsa ille, qui ad imaginem Dei factus est, condemnationem hanc accepit : *Terra es, et in terram reverteris*<sup>1</sup>. Sepulcrum hoc antiquo est tabernaculo pretiosius, rationale, et animatum, ac divinitus illuminatum candelabrum includens, et mensam vitam ferentem, quæ non panem propositionis, sed cœlestem; non ignem materia constantem, sed eum qui materia omni superior est, Deitatis nimirum, suscepit. Sepulcrum hoc Moysis area fortunatus, quod non umbras et figuras, sed veritatem ipsam sortitum est. Recepit enim siuceram aureamque urnam, quæ cœleste manna produxit : tabulam animatam, quæ Verbum Dei digito, validissimo utique Spiritu, Verbum subsistens incarnandum exceptit ; aureum thuribulum, quod divinum carbonem peperit, bonoque odore naturam universam replevit.

3. Fugam arripient dæmones, quemadmodum antiquitus Ægyptii : ejulatus edant miserrimi hominum Nestoriani, eorumque princeps junior Pharao, sævissimus orbis depopulator et tyranus. Profundo namque blasphemiae absorptæ sunt. Nos vero qui siccis pedibus salvati sumus, salsumque impietatis mare transivimus, Dei matri excedenti canticum decantemus. Maria, sive Ecclesia, tympanum manibus sumat, festivumque diei canticum exordiat : spiritualis Israelis puellæ choreis perstrepentes exeant. Reges terræ et judices, una cum principibus, juvenes, et virgines, senes cum junioribus Deiparæ hymnos dicant : cœtus item, om-

niumque generum sermones, et varie gentium et populorum linguae novum concinant canticum. Spiritualibus fistulis ac tubis aer circum personet, et igneis splendoribus, salutarem diem innovet ? Gaudete, coeli, et nubes justitiam pluant : exultate, electi Dei gregis arietes, divini apostoli, qui velut ulti sublimesque montes celsissimis speculationibus sublati estis; vosque, agni Dei, populus sanctus, Ecclesie pecora, collum instar inductione animi ad excelsos montes attigistis. Papæ! papæ! fons vitae, Domini Mater moritur ? Oportebat enim, ut quod e terra conflatum erat ad terram revertetur, atque ita in cœlum transmitteretur, post corporis in terra depositionem purissimam vitam accipiens. Decebat enim ut, quemadmodum aurum, terra deposita et caliginosa mortalitatis mole, carne in morte velut in fusura incorrupta ac pura, atque incorruptionis fulgere rutilanti e monumento resurgens indueretur.

4. Hodie, quæ primæ existentiae, corporalis scilicet, principium ab eo accepit, qui temporale initium non habuit prioris et sempiternæ suæ existentiae, etsi Patrem principium habebat, tanquam divinæ suæ existentiae auctorem, hæc secundæ existentiae initium ab eo accipit, qui ipsi dedit ut primum exsisteret. Gaudet, Sion, divinus mons et sanctus, in quo mons divinus et animatus habitavit : nova Bethel, in qua columna uncta est, humana nimirum natura divinitate peruneta : ex te ejus Filius ad cœlestem sublimitatem, quasi ex olivis est evectus. Præparetur nubes universi orbis, et supra mundum, et ventorū alæ quæ apostolos ex terræ finibus in Sion advehant. Qui sunt isti, qui tanquam nubes et aquilæ ad corpus resurrectionis omnium causam volant, Dei Matri ministraturi ? quæ est ista quæ ascendit dealbata ? tota pulchra, resplendens ut soi ? Spiritus citharae concinans, apostolicæ linguæ, theologorum vertices cymbalis perstrepant. Vas electio-  
nis Hierotheus<sup>2</sup>, divino Spiritu consecratus, divina unione res divinas edocet passusque, totus e corpore excedat, totus liberam animi electionem sequens abeat, laudatoriisque canticis plaudat. Gentes omnes manibus plaudant : Deiparæ omnes laudent. Angeli obnoxio morti corpori serviant. Filia Jerusalem, præcuntem reginam sequimini<sup>3</sup>, et velut proximæ illi virgines, Spiritu juvenantes ad sponsum simul convehantini, a dextris Domini astituaræ. Descende, descendere, Domine, Matri, uti par est, debita nutricationis tuae præmia persolvito. Divinas extende manus : maternam animam suscipe, qui paternis manibus spiritum in cruce depositisti : dulci eam susurro compella. Veni, pulchra, proxima mea, quæ virginitatis forma solem ipsum splendoribus superas. Tua mecum communicasti; nunc meorum particeps esto. Accede, Mater, ad Filium : jam cum eo qui ex te natus est, et tecum egestatem subiit, regnum tenet.

<sup>1</sup> Gen. iii. 19. <sup>2</sup> Dionys. *De div. Nom.*, cap. 5. <sup>3</sup> Psal. XLIV, 15

Abi, Domina, abi, non uti Moses, ascende, ac morere. Morere potius primum, dein ascende. Animam Filii tui manibus repone : terræ quod terra est, reddé : nam hoc etiam tecum simul sublevarbitur. Tollite, o popule Dei, oculos ; tollite, et ecce in Sion arcam Domini Dei virtutum, cui re ipsa apostoli quidem astant, corpus quod vitæ principium et Dei receptaculum fuit funerantes : angeli vero incorporali invisibilique ratione fovent, Domini sui Genitrici non sine timore servorum instar assistentes. Ipse quoque Dominus adest, qui ubique præsens est, omnia complens et universa continens, eniū nullus est locus : in ipso enim omnia sunt, velut in Creatore, qui cuncta condit et complexitur. Ecce virgo, Adami filia Deique Mater, corpus terræ propter Adamum tradit : animam vero ad cœlestes sedes propter Filium transmittit. Urbs sancta sanctificetur, ac cum aliis benedictionibus, sempiternam benedictionem referat. Divini tabernaculi pompa angelis præcedant, et sepulcrum apparent. Id fulgore Spiritus honestetur : unguenta componantur, quibus purissimum odoratissimumque corpus perficeretur. Adsit unda limpida, quæ benedictionem hauriat ex mundissimo benedictionis fonte. Exsultet terra depositione corporis : exsiliat aer ascensu Spiritus : spirent auræ rorulentæ plenæque gratia : Dei Matris consensum creatura omnis concelebet, juniorum cœtus jubilent, oratorum linguae hymnos fundant, sapientium corda miraculum philosophentur : senes canitie venerandi intenta acie speculations edant : universæ denum conditæ res symbolam conferant suam. Nec vero sic minimam tantæ dignitatis partem attingent.

5. *Eia agite, omnes una cum abennte abeamus. Agite, omnes desiderio cordis cum ea quæ in monumentum descendit, descendamus : sanctissimum grabatum circumsepiamus. Sacros hymnos canimus, hoc modo concinente : Ave, gratia plena, Dominus tecum<sup>4</sup>. Ave, quæ predestinata es Dei Mater. Ave, quæ consilio Dei ante sæcula præelecta es, ut divinum germen esses divini ignis habitacu-*

lum, Spiritus sancti sacrata statua, aquæ vivæ fons, ligni vitæ paradisus, divini racei palmes, ex quo nectar animatum et ambrosia profluxerunt : fluvius aromatum Spiritus plenus, terra divinæ spicæ, rosa virginitate clarissima, et gratiæ fragrantiam spirans, regij indumenti lilyum, agna Agnum Dei pariens tollentem peccatum inundi, salutis nostræ officina, angelicis potestatibus sublimior, ancilla et mater. Agite, mundissimum sepulcrum circumdemus, divinumque inde gratiam hauriamus. Agite, ulnis animi corpus perpetuæ virginitati addictum gestemus, in monumentum introeamus, unaque moriamur, abdicatis quidem corporis affectibus, simul vero cum ea nulli labi, nulli vitio obnoxiam ducentes vitam ; divinos denique canticos ex angelicis labiis nulli materia subjectis effusos audiamus. Introeamus adoraturi, mysteriique novitatem cognoscamus, ut elata, ut sublata, ut in cœlum delata est, ut Filio super omnes angelorum classes astat : nihil enim inter Filium et Matrem mediæ est. Hanc ad te de tuo exitu tertiam orationem post duas alias habui, cum summa erga Trinitatem reverentia et desiderio, cui ex complacito Patris, et Spiritus virtute ministrasti, Verbum principii expers, omnipotente inque Dei sapientiam et facultatem excipiendo. Conatum itaque vires meas excedentem suscipe, salutem præbe, vitiorum animi alienationem, ægritudinem corporis quietem, adversariorum casuum solutionem, vitæ tranquillam conditionem, Spiritus illuminationem. Amorem in Filium tuum accende, vitam nostram quæ illi grata sit, institute, ut beatitatis quæ apud ipsum est, participes facti, te Nati tui gloria resplendentem intuentes, sacros hymnos emittamus, æterna oblatione, in eorum conventu, qui pro dignitate Spiritus festa celebrant, in illius honorem qui per te salutem nostram est operatus, Christi Dei Filii, cui gloria et imperium cum Patre principi nescio, sanctissimoque et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in omnia, et infinita sæcula sæculorum. Amen.

### PAULUS WINFRIDUS, DIACONUS.

#### I. — *Homilia in Assumptione B. Mariae Virginis.*

Licet omnium sanctorum, fratres charissimi, veneranda nostris sint studiis merita, præcipue tamen gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ toto nobis affectu est veneranda festivitas. Uniusquisque enim sanctorum specialibus quibusque locis variornm suffragia contulit. Haec vero beatissima et singularis gloria virgo et mater universo mundo peccati labebido generaliter invexit. Sed ad tantæ promerenda laudis præconia quando tenue ingenium et arens sufficiat lingua, cum ad hoc non possit sufficere philo-

sophorum etiam profusa loquacitas? Nec mirum si haec Virgo sanctissima suis in laudibus humanæ vocis modos exsurperat, quando ipsam etiam humani generis excellentibus meritis transcendent naturam. Sed non omnino ab ejus nobis est laude reticendum, quia etsi minus sufficit sensus inopia ad effectum, sufficiens tamen apud Deum est devotæ mentis effectus ; nec ambigendum quin valeat haec de se loquendi sapientiæ præbere igniculum, quæ totius sapientiæ plenitudinem castissimo portavit in utero ; valetque cum vult efficaciam verbi tribnere ; quæ Verbum, per quod facta sunt omnia, virgineis visceribus corporatum gestavit. Sed quid primum, cha-

<sup>4</sup> Luc. i, 28.

riissimi, quidve potissimum de tantis nobis est virtutibus decerpendum? quandoquidem nihil exile vel mediocre, sed totum sumnum est quod dicatur. Quae enim, dilectissimi, huic beatæ Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Sic namque innatus ante modo summo est salutata ab angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum* (*Luc. 1, 28*). Quid rogo justitiae, quid sanctitatis Virgo hæc indigere potuit, quæ efficaci adeo misericordia gratiæ plenitudinem accepit? Aut quis potuit in ejus animo vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem cœli continentis omnia, Domini effecta est templum? Hæc est revera illa domus de qua per Salomonem dicitur, *salvo scilicet alio quo Ecclesia signatur intellectu: Sapientia edificavit dominum, excidit columnas septem* (*Prov. ix, 1*). Septem namque virginalis hæc domus columnis suffulta est, quia veneranda hæc mater Domini septem sancti Spiritus donis, id est sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem utique æterna Sapientia effecit, quæ digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile scilicet pretium salutis humanæ. Quid dignius hac, fratres charissimi, Virgine? quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri? cui nullus patriarcharum, nullus prophetarum, nullus antiquorum, nullus sequentiorum Patrum, nullus prorsus poterit hominum comparari. Nam quomodo huic quisquam æstimabitur conferendus, quando præter virginitatis excellentiam, tantæ sublimitatis supereminet fructu? Nec mirum si hæc tam mirabilis Virgo cunctorum celstitudinem transcendent mortalium, cum in hac parte etiam beatorum excellat meritum angelorum. De hoc fructu Deus Pater ad David loquitur inquiens patriarcham: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal. cxxxii, 11*). Hanc egregiam Virginem glorioissimum prophetarum Isaías ante multa annorum curricula præsago spiritu prævidens dixit: *Egreditur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa. xi, 1*). Et quam decenter, charissimi, beata hæc virgo et mater virgæ appellatione signata est, quæ et perfecti operis intentionem ad superna emicuit, et vitiositatis nodis funditus carens, flexibilis per humilitatem effusit. Inde non immerito florem protulit; quia totius orbis campos sacris floribus decoravit. Flos namque singularis est Dominus noster Jesus Christus, sicut ipse aiens in canticorum loquitur Canticum: *Ego flos campi et lily convallium* (*Cant. ii, 1*). In lilio siquidem candidus color extrinsecus, intrinsecus vero flammus cernitur: quia Redemptor noster habet candorem ex virginitate carnis; habet et ignis splendorem ex potentia deitatis; scriptum namque est: *Dominus Deus noster ignis consumens est* (*Hebr. xii, 29*). Quod lily non in montibus, sed in convallibus nascitur: quia superbos Christus Dominus deserens, in humilium cordibus invenitur. Potest etiam lili nomine sancta hæc Mater Domini, potest quoque virgo signari; unde et in eodem Can-

tico subinseritur: *Sicut lily inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant. ii, 2*). Quod licet et de universalis Ecclesia possit accipi, convenientius tamen specialiter huic potest Virgini coaptari. Lily siquidem flores reliquos candoris nimis nitore præcellit, odoris nibilominus jucunditate præpollet: unde satis congrue virgineo assimilatur decori. Iste namque flos, a qua altius ortus est tellure sustollitur, et repandus ad æthera totus aperitur. A foris quoque nimis est candidus, intus vero rutilo flammescit aspectu, habens præterea quasi quemdam prominentem in medio thysulum. Sic nimis, sic sacra virginitas toto adnisi infima despicit, et ea quæ superna sunt ambit. Candescit exterius munditia virginæ carnis, flammescit interius amore geminæ charitatis: flagrat passus odore bonæ opinionis, extenditur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosi germinis lily, sicut sacra perhibet lectio, inter spicas invenitur; ut uoverint venerandæ virgines et hominum se debere tolerare molestias, inter quos degunt, et punctionum tentamina malignorum fortiter superare spirituum, ut per hæc a Domino amicæ inter filias vocari mereantur. Ad hæc colligenda lilia venientem sponsum sponsa viderat, cum dicebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatis, ut lilia colligat* (*Cant. vi, 1*). In hortum suum Dominus descendit, cum aut generaliter ad Ecclesiam, aut specialiter ad unamquamque animam venit. Areola quoque est aromatis illa anima, quæ superno munere irrigatur, et variis quasi aromatibus exstat referta virtutibus. Visitat siquidem Dominus tales in Ecclesia mentes quæ virtutum germina pullulant: sed ad hoc præcipue venit, ut animas beatarum virginum ad cœlestem thalamum ducat. Ut enim lectionum frequentium docemur affatu, ad sacram virginum obitum ipse per se solet humani generis adventare Redemptor; unde si hoc de aliis etiam virginibus creditur, multo magis de hæc illius est matre sanctissima æstimandum, quod ipse eam hodierna luce ad cœlos evexerit ejusdem Filius et creator. Sed ad hunc tante sublimitati tantæque gloriæ ascensionis triumphum quæ unquam lingua, quæ valeant verba sufficere, quando ad tam excellentia cogitanda humana æstimatio succumbit? Attende ergo tibi, virgo, sollicite, ne tanto priveris honore, quæ pudicitæ decore resplendens, et Christi bonus odor effecta, cen lily redoles, ne te male suadentis hostis venena illiciant, ne aliquo modo imminuas quod tanta claritate coruscas. Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur. Sed aliud est tentationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blande irrepentibus enerviter cedere: nec tibi solus sufficit ad capescenda premia virginitatis pudor, nisi etiam aliis fueris dotata virtutibus. Sed neque tantum poteris custodire thesaurum, nisi tuum possederit continuæ humilitatis pectus. Memento semper hujus gloriosæ virginis matris, quæ tanta sublimitate meruit cum esset humili exaltari. Non quæras divitias

perituras in terris, quæ perennia eris præmia possessa in cœlis. Fuge superfluitatem habendi, fuge letitiam sacerdoti, quæ cœlo frumenta es et gavisura cum angelis suis. Serva cor tuum omni custodia, contine ab otiosis sermonibus linguam, in omnibus te talem virgo venerabilis exhibe, ut quasi lillum de horto Ecclesiæ colligaris, et regi digna sis virginum in perpetuum copulari: sed ad vos nihilominus mihi sermo est, quas ita divinus amor inflammavit, ut viros, soboles, censum et prædia relinquentes, virili animo ad Dei servitium venistis. Nolite semel cœptum iter deserere; nolite manu in aratro crucis semel posita, retro respicere, ne revertamini corde in Aegyptum, ne reparum et peponum illecebris dilectemini, sed potius id esse per humilitatem satagit quod cœpistis: scientes per omnia, quod perseverantes usque in finem secundum virginale meritum præmiorum gloriam accipietis. Tibi quoque, si qua es quæ te deliquisse meministi, suadeo, ut Mariæ Magdalenæ confessionem recorderis; et tanquam ad vestigia posita Domini præteritus maculas lacrymarum fontibus laves, ut et tu merearis ab ipso Domino audire: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit (Luc. vii, 50). In domo Patris, ut ait Dominus, mansiones multæ sunt (Joan. xiv, 2)*, et unaquæque anima pro suis illuc meritis honoratur: sed tamen tantus ibi erit charitatis perpetuæ ardor; ut unusquisque et quod in se non habet, gaudeat sc̄ possidere in altero. Charitatis ergo bonum toto mentis examine omnes pariter retinete, excludite a vestris sensibus totius invidie et malitiæ pestem, et juxta vocem Apostoli, semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, ut in hac vita, æternis et miseriis plena, tranquille et sobrie viventes, in æterna patria etiam quod unicuique vestrum non tribuitur, per charitatis concordiam in altero possideatur. Habetis adjutricem vestri certaminis glorioissimam hanc, sub cuius protectione confugistis, virginem et matrem: quia quæ toto mundo protulit languenti salutem, pro universis apud eundem suum Natum et Dominum pietate solita intercedit.

#### II. — *Homilia in Purificatione S. Mariæ.*

Hodiernus dies, fratres charissimi, magnum nobis contulit gaudium, in quo Christus infans in templo est præsentatus. Exsultent virgines, virgo peperit Christum. Nihil in ea quod voverunt putent exterminatum, mansit virgo post partum. Exsultent viduae, infantem Christum vidua Anna cognovit. Exsultent conjugatae, nasciturum Christum Dominum Elizabethi nuptia prophetavit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Nunquid enim solæ virgines ad celorum regna perveniunt? Perveniunt et viduae. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna. A virginitate enim sua septem annis vixerat cum viro suo. Quo defuncto, usque ad senilem ætatem pervenerat senectute sancta. Octoginta namque gerens annos, infantiam exspectabat Salvatoris, ut parvum videret annosa,

parvum cognosceret anicula, intrantem in mundum Salvatorem videret ita. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Dominus Christus natus puer est in templo præsentatus, exsultent pueri, continentiam voentes puer. Ipse vero integritatem pueritiae consecravit, qui suæ matri fecunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diu vixerat, cuius ætas comparata est Annæ, et audierat responsum quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Domini. Intelligite, fratres, quantum desiderium habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant ipsum esse venturum, et omnes qui pie vivebant, dicebant: O si hic me inveniat illa nativitas! O si quod credo in Scripturis Dei, videam oculis meis! Et ut noveritis quantum desiderium habebant sancti qui noverant de Scripturis Virginem paritaram, sicut audistis cum Isaías legeretur, *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (Isai. vii).* Emmanuel quid sit Evangelium nobis apernit, dicens: *Quod interpretatur, Nobiscum Deus (Matth. 1).* Non tibi ergo sit incredibile, quæcumque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, ut virgo pareret, et virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum, et non miraberis virginis partum. Ut ergo noveritis antiquos sanctos et justos desiderasse videre quod concessum est huic seni Simeoni, Dominus noster Jesus Christus ad discipulos loquens, ait: *Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.* Multum senex iste Simeon fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Non exspectavit ut Christum audiret loquentem, quoniam vidiit infantem. Et hoc illi tantum concessum erat jam decrepito, quasi desideranti et suspiranti, et dicienti quotidie in orationibus suis: Quando veniet? Quando nascetur? Putas videbo? Putas durabo? Putas me hic inveniat illa nativitas? Putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, et pro desiderio suo accepit responsum, quod non gustaret mortem nisi prius videret Christum Domini. Gestabat eum Maria mater eius infantem, vidiit ille et agnovit. Ubi noverat quod agnovit? Intus est revelatus, qui foris est natus, vidiit et agnovit. Agnovit Simeon infantem jacentem, et occiderunt Judæi juvenem miracula facientem. Cum ergo cognovisset, accepit eum in ulnas suas, hoc est, in brachia sua, et amplexus est eum, portabat a quo portabatur. Ipse enim est Christus sapientia Dei, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (Sap. viii). Quantus ibi erat et quam magnus, et quam parvus fuerat factus. Parvus factus, parvos quærebat. Quid est parvus quærebat? Non superbos et elatos, sed humiles et mites quærebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, et dixit: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace (Luc. ii).* Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis

in pace? *Quia viderunt oculi mei Salutare tuum* (*ibid.*) *Salutare Dei Christus Dominus. Annuntiate diem ex die, salutare ejus.* Habetis ergo pueri puerum Christum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, ut de conjugatis aliquis vir testimonium Domini perhibeat, Zachariam considerate. Nemo ergo quærat aliud, fratres mei, Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut conjugata, aut vir, aut continens, aut uxoratus, quidquid plus esse quisque volnerit, non inveniet quod ad Christum pertineat. Sed nunquid sicut natus est Christus, sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit, sed in senectatem non declinavit. Crescat ergo fides tua, robur inveniat, ad senectatem 'pervenisse' nesciat. Sic pertinebis ad Christum Filium Dei in principio *Verbum, Verbum apud Deum, Verbum Deum, sed Verbum caro factum, ut habitaret in nobis.* Majestas ibi latetbat, ubi inscrutitas apparebat. Simeon in manus suas inscrutitatem accepit, sed maiestatem intus agnovit. Nemo contemnat Christum natura, et infantem in templo præsentatum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, de quo Joannes in Evangelio dicit: *Hic est Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi* (*Joan. i.*), Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in æcula saeculorum. Amen.

### III. — Homilia in Nativitate B. V. Mariæ.

Creatoris matrem omnis creatura magnificet, ejus gloriose majestati se inclinet cœlum et terra, et omnis plenitudo eorum. Exaltent matrem in Ecclesia filii, dicantque ei qui redempti sunt a Domino: Mensem et oculos pariter cum manibus ad te, regina mundi, attollimus, et coram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, cervicem inclinamus, ac plenas suspiriis ad te preces in cœlum transmittimus. Tu de auctoritate cœli beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem illam gloriam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi sentinam de alto projectos inclinare non despicias. Ecce coram tremendo judice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo domina tam idoneus, ut gladio Domini manu pro nobis objiciat, ut tu, Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu, mater clementiae, benignissimi cordis tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam, qui ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbra culum configimus a facie formidinis Domini. Ad te domina stillant oculi nostri, teque cum devotionis clamore valido obsecramus, ut filii tui iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges, ejusque gratiam, a qua ingratii excidimus, nobis tua prece concilies. Ejus livore sanatis sumus, ejus iterum medelam deposecimus, *Quia putruerunt et corruptæ sunt cicatrices nostræ, et non est in nobis sanitas* (*Psal. xxxvii*). Attende, domina, et vide dolores vul-

neram animæ nostræ, quia tibi revelavimus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis feminam, et revera matrem misericordiæ esse cognovimus, ex eo quod tu quæ mundum hunc immundum et lubricum impolluto calle transisti, et adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate clarnisti, ut sola solio æterni regis approximare merueris. Tu peccatorem quantumlibet fetidum non horres, non despicias, si ad te suspiraverit, tumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum a desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despetum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quoique horrendo judici miserum reconciliis. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum, o domina, si tam copioso misericordiæ oleo, tui cordis perfusum est sanctuarium, cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primum in te a mundi artifice fabricatum sit. Quando enim complacuit gratiæ supernæ, ut habitaret in nobis, a quibus diu elongata fuerat, tu sola digna inventa es, ut in tua virginali aula Rex regum et Dominus dominantium a regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum erat Deo habitare in te, quando ex ipsa illibatae carnis tuæ substantia quasi de lignis Libani ineffabili architectura domum sibi ædificavit Dei sapientia. Suffulcit eam septem columnis argenteis, reclinatorium aureum in ea collocavit. Ibi sunt septem spiritus Dei, et hæc est unica illa, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus signum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Bene in te Spiritui sancto complacuit, o Maria, cum ad tam divina mysteria uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam in seipso inflammavit, ac splendore divinæ majestatis implevit, tuumque uterum ineffabili modo imprægnavit, fecitque ut Deum et hominem clausa conciperes, clausa pareres, et post partum virgo permaneres. Jam ergo uterum tuum, domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initia est. Ibi decorem indutus est Dei Filius, ac præelectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit, desideratum diu osculum porrexit, ac præordinatas a sæculo nuptias virgo cum virgine in virgine prælibavit. Ibi primum ruptus est paries inimicitarum, quem inter cœlum et terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confederata sunt terrenis cœlestia, et obviaverunt sibi in osculo pacis misericordia et veritas, quando in unam eandemque personam concurserunt divinitas et humanitas, factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, et homo Deus. Ibi magnus Elisæus in mensuram suscitandi pueruli sese contraxit. Ibi antiquus dierum patriarcha præelecto filio suo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca fu-

tum præscia, magnificandi filii manibus pelliculas hædorum circumdedit, et colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratia Spiritus sancti, Filius a Deo Patre hæreditandus in omnibus gentibus, divinæ majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit, qua absconditus est vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Ibi alii consilii providentia inescatus est hanus, qui ad extrahendum serpente antiquum in hoc mare magnum de cœlo iractus est. Inde egressa est armilla aurea, unde perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi secure degluteret. Hortus deliciarum nobis est tuus sacratissimus uterus, o Maria, quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus quam magna multitudo dulcedinis universo orbi inde profluxerit. Hortus conclusus tu es, sancta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum, a cœlesti constita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans. Inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Dei replete, o Maria, viola humilitatis, liliu castitatis, rosa charitatis. Merito de tali areola flos ille speciosus forma præ floribus paradisi egredens est, super quem reqnievit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, o mater pulchritudinis? Vere paradiſus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vite, qui ex ore Altissimi prodit, de medio ventris tui exsilivit, atque inde in quatuor capita sese dispartiens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non siet in æternum. Ecce plusquam paradiſus hic. De illius enim aqua si quis biberit, siet in æternum. O quantum mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ, aquæductus esse meruisti. O lampas luculentissimæ, quantos lætificasti, quanto splendore gloriæ Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris et umbra mortis protulisti? Te nimurum ille divini epithalamii precentor a longo intutus est, cum in admirationis vocem ita præruperit, dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (Can. vi)?* Sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es, o Maria, quando veri solis splendorem, tantæ sanctitatis jubat præcuerristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus, a tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora, felicis diei nuntia extitisti. Talem auroram talis dies, et talem diem talis aurora decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol iustitiae de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis sue radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti. Tu pulchra ut luna diceris, eique non immerito com-

pararis. Illa enim astrorum omnium sola soli simililima, et candore venusta argenteo, cæteris in cœlo præmicit sideribus. Tu veri solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium, virginali puritate in celis gloriosa præfulges. Illa transfunso in se solari lumine noctem illuminat. Tu virtutum a Deo tibi inditarn, magnificis exemplis ad imitacionem tui nos provocas, sieque nostram noctem illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambolabit in tenebris, sed lumen vitae inveniet. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et pulchrior luna, *quia tota pulchra es, et macula non est in te*, neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa ut sol, ille, inquam, sol solis conditor. Ille enim electus ex millibus viorum, tu electa ex millibus seminarum. Ille electus ex omnibus quæ per illum sunt, tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt præter mortem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam? Feminam fortem, et ad bella doctissimam, cuius ensis super seum suum propter timores nocturnos. Et in circuitu ejus acies valida spiritualium virtutum, suo se in vicem ordine tenuitum, si quidem ordinatione perseverat dies. Sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno regi hospitium, alienus hospes invaderet. Nimurum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: Ecce plus quam Eva haec. Castra Dei sunt haec. Fungiamus Israelem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo eum qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu enim spiritum elationis ea virtute humilitatis complosisti, quam in te respexit Dominus, ut ipsius merito supra omnes choros angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Nunquam enim supra omnes angelos glorificata ascendissest, nisi prius infra omnes homines humiliata descendissest. Tu et ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua virginea carnæ eatenus extinxisti, ut is in cuius conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam divinæ puritati eam agglutinare non despicerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnat, omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam convusa est. Gloriosa dicta sunt de te, genitrix Dei, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Nou enim sunt loquæ neque sermones in omni natione quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, o pia, o multum amabilis Maria. Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memorie portas ingredieris. Et nunc sequitur te, o domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pol.

liceam, quæ nos circumdedit, tunicam Evæ parentis nostræ? Hæc est quam olim ad nos transmisit ac supervestivit carneum filiorum suorum, sicut diploide confusione sua. De manu quippe illius duplicitis mali seminum terra nostra suscepit, et concepit et peperit nobis spinas et tribulos iniquitatis in anima, calamitates in corpore, et per hæc mortem utrobique. O infelix hereditas, o dira humanæ carnis infirmitas, usque quo patiemur te? Multum dorsa nostra incurvasti, quia gravis es valde, et dum te portavimus; multum nos minuisti ab angelis, quos et jumentis insipientibus comparasti. Nimirum invaluisti, quæ non nisi morte Filii Dei sanari potuisti. Nimirum supra nos te extulisti, quando et usque ad eum qui supra omnia est, incaute ascendisti. Et quis nos liberabit a corruptela miserrimæ hujus pellucilæ? Gratia salvatoris nostri filii tui, o Maria. Qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est, et ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens, pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, ut pro nobis loquatur ad cor Domini nostri Jesu Christi, sicut tu, felix Maria, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi filii tui suaviter cubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio, cum plena cordis laetitia perfueris? Loquere, domina, quia audit filius tuus. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur a lepra carnis et spiritus. Exure virus hoc mortiferum, quod de pomis reliquiis Eva nobis propinavit. Utinam poculum suum ebria illa aut totum ebibisset, aut totum effudisset. Te exorante omne jugum nostrum computrescat a facie olei misericordiae Dei. Renovetur ut aquilæ juventus nostra, ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati, illuc ubi nova sunt omnia, jubilæum sempiternum celebrantes, in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur crassa hæc nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur a Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis astrieti, nonnunquam cum ipso spiritus efficiamur; præstet hoc nobis, o Maria, Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, cui laus et gloria et gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

#### IV. — Homilia in Assumptione sanctæ Mariæ.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, Mater Domini supergressa est universas (*Prov. xxxi*). Multæ fidèles animæ pretiosa virtutum ornamenta, quibus Deo placuerent, sibi thesaurizavérunt: Mater Domini supergressa est universas. Supergressa est omnes in terris; supergressa est in cœlis. In die peregrinationis suæ, omnes habitatores terræ meritorum decore excessit; in die reparationis suæ, omnes habitatores cœli premiorum honore transcendit. *Filiæ Jerusalem, venite et videte Matrem Domini in diadema regalis gloriæ suæ, quo coronavit eam Filius suus, in die laetitiae cordis ejus (Cant. iii)*, in die beatæ assumptionis ejus in cœlum. Plaudite et jucundamini super eam, omnes qui diligitis eam (*Isa. lxvi*): quoniam nimis exaltata est, magnificata est vhemem-

ter. Cantemus in admiratione glorie ejus, cantemus illi canticum lætitiae, cum rege Salomon dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, et innixa super dilectum suum (Cant. viii)*? Quod vel quale desertum unde ascendit? Quo aut quando ascendit? quibus affluens deliciis? super quem innixa dilectum? Ipsa opulante, dicemus. Desertum erat gens Judaica, derelicta a Deo, privata a multiplici gratia, quam habere consueverat, secundum quod comminatus fuerat Dominus per Isaiam, dicens: *Ecce dominator Dominus auferet a Jerusalem et Iudea validum et fortis, et omne robur aquæ, et virum bellatorem, et judicem et prophetam, et cetera quæ sequuntur (Isai. v)*. Et rursum: *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculationem, et ponam eam desertam (Isai. v)*. Ab hoc deserto plorandæ misericordiæ, glorirosa nostra theotocos ad beatius quoddam desertum in die quo recordatus est Dominus auferre omnis gemituum ejus, quibus super absentia filii ingemiciabat, gaudio plena ascendit; ad illud, inquam, desertum ascendit, cuius meminuit Salvator in parabola evangeliæ, dicens: *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat (Luc. xv)*? Cœlestis quippe illa habitatio sanctorum dieta est, quia ab homine fuerat derelicta; vel pro illa nimium similitudine loci deserti, quod pax et perpetua tranquillitas illic est: non illic coaret vir proximum suum pro multititudine habitantium in ea; nulla infestatione, nulla clamoritate inquietat. Nam et pro ea similitudine mens humana a sapientibus desertum dicitur, quæ nullis curarum aut vitiorum clamoribus inquietatur. Ascendit, inquam, et exaltata est, sive in corpore, sive extra corpus, nescimus, Deus scit (*II Cor. xii*). Usquequo exaltata est? usque ad cœlos? Etiam certe super omnes cœlos, et super omnes cœlos colorum. Etiam certe super angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (*Psalm. cxvii*), ut semina fragilis, vermiculus educatus in limo turbulenti hujus sæculi, tam puras, tam præclaras, tam excellentes creaturas, tam excellenter supergredi meruerit. Sed dignum et omnibus modis conveniens erat, ut omnia subjicerentur sub pedibus ejus, que omnium generat creatorem. Dignum erat ut Domina esset angelorum, que digna fuerat esse mater Domini angelorum. Dignum erat ut angelica puritas illi subderetur in cœlis, cui totam se infuderat divina puritas in terris. Dignum erat ut amplius matrem suam honoraret quam ministros, ipse qui dixerat: *Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram (Exod. xx)*. Dignum erat ut familiarius hanc amaret, copiosius remuneraret, quæ singularius atque accedentius omni rationali creatura ipsum dilexerat. Et quis estimare aut excogitare poterit, quanta fuit dilectio talis matris erga tales filium? Si mala mater malum filium solus naturæ instinctu diligit, si bona mater bonum filium, tam naturæ quam virtutis in-

stinetu diligit, optima mater optimum filium quantum dilexisse aestimatur? Diligendi causam praestabat in filio natura, virtutum plenitudo, insuper et divinitas: virtutem vero diligendi, plenitudo Spiritus sancti operabatur in matre. Quis ergo modus esse potuit dilectioni, ubi nulla deesse potuit causa diligendi? Quia ergo plus omnibus dilexit, merito plus omnibus dilecta est a Domino et honorata. Ecce enim exaltata est super choros angelorum usque ad dexteram filii, et facta est potens materfamilias in universa domo Domini, et regina cœlorum appellata est. Quam potenter ad se traxit versiculum illum propheticum, quo dictum est: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal. xliv*)? Et quid est aurum vestimento ejus superductum, nisi illa inestimabilis charitatis flagrantia, universam vitæ sanctitatem velut rutilanti colore desuper adornans? Quænam est et vestimenti ejus quo circumdata est, varietas? Illa procul dubio cœlestium exercitum ei famulantum mille millena millia, quibus omnibus quasi vestimento luminis amicta est et mirifice ornata. Unde non immerito divina illa exclamatio, qua olim indignum se fecit gloriosus ille cherub, ad hanc aptissime converti potest, ut dicatur: *Omnis lapis pretiosus operinxeratum tuum, o Maria! sardius, topazius, jaspis, chrysolithus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus* (*Ezech. xxviii*). Bene his novem pretiosissimis gemmis operiri dicitur hæc regina nostra, dum novem ordinibus angelorum singulatim comparata, tanto apparet gloriosior, quanto illis in decoro suo est eminentior. Rumpere invidia, serpens invenitare, et indignatio tua scindat te medium: quia ecce mulier cuius insidiatus es calcaneo, contrivit caput tuum (*Gen. iii*): et honoris tui privilegium, quod per superbiam perdidisti, virtute humilitatis traxit ad se. Ambulavit perfecta in viis suis, et ecce posita est in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum, unde projecit te Dominus, quia inventa est iniqitas in te, et nihil factus es (*Ezech. xxviii*). Sed quid solos beatorum spirituum ordines in varietate vestimenti ejus assignavimus? Nonne omne quod pretiosissimum de terra ad cœlos subiectum est, omnimodæ laudis et honoris illam circumdat ministerio? Huic se inclinat patriarcharum et prophetarum veneranda canities, sub hac curvantur fulcientes anlam Dei columnæ apostolicæ; aureus fulgor martyrum, argenteus nitor confessorum, splendori pulchritudinis ejus cum reverentia cedunt. Circum dant eam flores rosarum et lilia convallium, virginales gemmulæ, in sua signifera speciali tripudio exsultantes: et suum singulare canticum, ipsa præcinente, post Agni vestigia decantantes. Adhuc autem et alia ratione, prædictos lapides operimentum θεοτόκου nostræ dicere possumus, pro eo videlicet quod merita gloria, quæ illorum proprietatibus exprimitur, ejus pretiosa ornamenta sunt. Sardius quippe sanguinei coloris est, et martyrii gerit figuram: quod procul dubio ornamenti reginæ hujus in

passione Filii accessit. Unde et ad eam dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc. ii*). Topazius gratus regibus, duos habet colores, æthereum et aureum, contemplationem divinitatis significans. Aurum quippe divinitati, æther contemplationi adaptatur. Et quis hominum vicinus Denm contemplari potuit quam hæc, quæ familiarius omni rationali creatura, Deum in medio cordis sui suscepit, et co-operante Spiritu sancto, propria carne vestivit? Testimonium etiam perhibet ejus contemplationi Scriptura, cum dicit: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, confersa in corde suo* (*Luc. ii*). Jaspis viridis lapis est, immarcescibilem fidei constantiam designans. Hanc quoque in illa commendat evangelicus sermo, dicens: *Et beata quæ creditit, quia perficietur ea quæ dicta sunt ei a Domino* (*Luc. i*). Magna quippe erat virtus fidei illius, quæ tam incredibilia, tamque inaudita nuntianti angelo tam cito creditit: ac per hoc statim Spiritu sancto fecundari, et Filium Dei concipere meruit. Conservavit autem immarcescibilem fidei suæ viorem usque in finem, quæ nec in morte Filii Dei in fide haesitavit, quomodo Deum immortalem crederet, quem mori videbat ut hominem. Chrysolithus quasi scintillis ardentibus respersus appareat, cuius habent similitudinem qui sermone sapientiae per Spiritum pollut. Qui dum persuasionibus divinis proximorum corda accendunt, quid aliud nisi quasdam scintillas ignis quo intus ardent, eructuant? Et de beata virginie indubitanter credendum quod cum esset plena igne Spiritus sancti a tempore conceptionis Christi, nunquam more levium seminarum oliosa verba effudit: sed omnis sermo ejus sale sapientiae salitus, et ad accendendum proximorum corda idoneus, quasi scintilla erat ignis illius, quem clausum gerebat intrinsecus. Pulchre in principio visitationis ejus scintillavit hic ignis, cu[m] de plenitudine Spiritus sancti divinum illud canticum eructavit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, etc. (*Luc. i*). Quid etiam nisi quasdam scintillas emisit, quando et de sua visitatione, et de plurimis rebus quæ circa salvatorem nostrum Filium ejus gestæ sunt, Evangelii scriptores instruxit? Onyx colorum habet turbidum et quasi subtristem, in modum unguis humani, significans humilitatis modestiam. Est autem singulare decus, beatæ virginis humilitas. Quæ cum electa esset in matrem Domini, ancillam se nominavit: neque aliud quam humilitatem in se Deo placuisse professa est, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. i*). Berylli species sic est, quasi aspectus aquæ fulgore solis repercussæ. Erat in hunc modum virginæ mentis facies a sole justitiae copiosissime irradiata, cuius uno eodemque tempore fulgor totus illi infundebatur in terris, et totus splendebat in supernis. Sapphirus sereni cœli speciem habet, et tranquillitatem pure mentis, quæ nullis vitiis aut sollicitudinum nubibus obscuratur, significat. Unde et thronus Dei, sapphiri speciem habere dicitur in

propheta (*Ezech. i*): quia mentem cui Deus insidet quasi throno, cœlesti puritate et tranquillitatem præditam esse necesse est. Quod autem summæ tranquillitatis et quasi æthereæ puritatis beata mens virginis fuerit, ex hoc certissimum est: quoniam eam abundantia ineffabili huic supervenit Spiritus sanctus, qui non novit requiescere nisi super humilem et quietum (*Isai. lxvi*). Obumbravit ei virtus Altissimi, ut nullius viti humani nube serenitas ejus posset perturbari: atque ita singularis thronus Dei præ cunctis participibus effecta est. Si enim ut filii Dei possint esse, pacificos esse necesse est (*Matth. v*), multum per omnia pacatam esse conveniebat sacre virginis mentem, ut non solum filia, sed et mater Dei esse mereretur. Carbunculus per noctem luet, in die autem obscurus appareat. Huic simili ratione sicut lunæ sive auroræ, sanctitas beate matris comparatur, quæ ante filii sui adventum, videlicet dum adhuc nox antiqua cursum suum perageret, singulariter fulsit in mundo: et quasi quibusdam præcurrentibus radiis venturi solis, præ cunctis viventibus illustrabatur. Quod nimis præsenserat qui ait: *Orietur stella ex Jacob* (*Num. xxiv*). Et qui ait: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant. vi*)? At ubi verus sol ex utero ipsius emersit, et illuxit dies quam fecit Dominus (*Psal. cxvii*), jam ex tunc si claritati filii comparetur claritas matris, quamvis magna sit vehementer, tamen in illius comparatione quodammodo obscura videatur, velut si soli stellam comparemus. Smaragdus tam præclaræ viriditatis est, ut etiam quosdam viriditatis radios ad ea quæ applicata ei fuerint, emitat, et sua viriditate non solum arida, sed et virentia afficiat. Cui pulchra similitudine nobilissimus ille viror virginitatis comparatur, quæ etiam a viriditate vocabulum traxit. Sicut enim mos est corruptis ad corruptelam alios libenter allicere, ita bonis virginibus proprium est, et per incorruptionem virides, ad virginitatis virtutem animare, et per corruptionem aresfactos, ad continentiae viorem verbo et exemplo revocare: atque ita et virentia et arida sua viriditate afficiunt. Ex quibus erat qui dixit: *Vellent autem omnes esse sicut me ipsum* (*I Cor. vii*). Et rursum: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quantos ad virginitatis culmen erexit beatus ille virgo, quem diligebat Jesus, in verbo quo ait: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coiquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque erit* (*Apoc. xiv*). Et dux virginum, virgo Jesus: *Sunt qui se ipsos castraverunt propter regnum celorum: qui potest capere, capiat* (*Matth. xix*). Bene igitur et smaragdus inter ornamenta reginæ nostræ resplendet, quia mirandus cunctis gentibus virginitatis viror, in ea etiam post partum singulariter viret, et viriditatis suæ nobiles radios per omne sæculum spargit. Ecce enim gratiosa et amabilis virginitas illius prædicatur in universo mundo, et multa millia ntriusque sexus ejus castitatis irradian-

tur exemplis, continentiam carnis voventes tam illi, quam virginæ proli illius. Bene itaque pro his omnibus ad eam convertitur sermo propheticus, quo dicitur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* (*Ezech. xxviii*). Quidquid enim pretiosum, quidquid amabile illorum pretiositate signatur, totum in illam divinitus congestum est. Certe nec Salomon in omni gloria sua vestitus fuit operimentis hujusmodi (*Matth. vi*). *Odor vestimentorum tuorum*, o Maria, *sicut odor thuris* (*Cant. iv*). Optimus odoris incensum in conspectu Altissimi sunt præclaræ virtutes tuæ, et ad deprecandam faciem ejus effacieissimæ. *Quasi libanus non incisus, vaporasti habitationem tuam*. Tua quippe incorrupta integritas totam domum Domini optimæ famæ replevit odoribus, et ad benedicendum et orandum Deum, mentes incitat universorum. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedisti: sicut myrrha electa dedisti odorem suavitatis* (*Eccli. xxiv*). Cinnamoni in humilitate, balsami in charitate, myrræ in castitate nobis spiras odorem: et idcirco currinus, o Maria, post te, in suavitatem unguentorum tuorum (*Cant. i*). Adjuva currentes, trahé lassos, subleva lapsos, ut introeamus et nos tecum. *Quasi terebinthus extendisti ramos tuos super latitudinem terræ* (*Eccli. xxiv*): et ecce confugimus ad te, ut sis nobis in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et in absconzionem a turbine et a pluvia. Animadvertis et videte, charissimi, quæ de hujus reginæ gloria dicta sunt, et manifestum habebitis quæ sint deliciæ illius, quas in ea notat sermo divinus, dicens: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, et innixa super dilectum suum?* Et quis est hic dilectus, nisi amantissimus filius ejus? Forti et inflexibili baculo hanc inniti oportebat in sua venerabili senectute, ad peragendum iter illud magnum et arduum, ab hac valle miseriæ usque ad altissima celorum, quæ nemō penetraverat, preter unicum filium ejus. Ipse procul dubio Rex regum, et Dominus dominantium filius ejus, cum multitudine cœlestis exercitus exultanter illi occurrit, baculum fidelem scipsum illi supposuit: portavit, a qua portatus est, matrem plenam dierum, plenam omni opulentia spirituali supra omnem plenitudinem sanctorum, usque ad conspectum throni in excelso, et in solio ineffabilis gloriæ collocavit. *Et sic in Sion firmata est, et in civitate sanctificata similiter requievit, et in Jerusalem potestas ejus.* Et radicavit in populo honorificato, et in partes Dei ejus hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio illius (*Eccli. xxiv*). O prædicanda toto mundo illius dei gaudia, quibus in adventu reginæ suæ letificati sunt universi cives supernæ Jerusalem, congratulantes filio in tali matre, et matri in tali filio. Et quid mirum? Si gaudium est familie cuiuslibet pusilli hominis, in die quo ad nuptias sponsam suam addueit, nunquid non esse debuit gaudium civibus cœli, in die quo et regi illorum sponsam ex sponsis electam, ad nuptias ducere, filiem inter filias dilectam hereditare, matrem inter

mulières benedictam, condigne honorare complacuit. Ad introitum ejus omnes tubae cœlestes inservierunt, et jubilaverunt omnes filii Dei, et beatissimam prædicaverunt, collaudantes vietricem manum ejus, quæ cervicem supplantatoris antiqui potentissime humiliavit. Non sic Eva, non sic : sed tanquam pulvis quem exsusflavit serpens a facie paradisi. Si ergo, charissimi, hanc gloriosam dominam veneratur et laudat, si in ea exsultat beata angelorum societas, multo magis pertinet ad nos exsultare in ea, et omni honore, omni laude nomen ejus exaltare. De nobis enim exiit, nostri generis gemma pretiosa est, honor noster per illam consummatus est. Viles in conspectu angelorum per virum et feminam facti sumus a principio ; sed ecce super illos uteque sexus elevatus est, virilis in Christo, semineus in Maria. Jam et virum et feminam velut socios et concives honorant, videntes utriusque generis principem super se. Continentur supra se duo magna luminaria ex hominibus assumpta : luminare maius, et luminare minus, Jesum et Mariam, quibus solem et lunam æquiperari omnino indignissimum est. Exultemus igitur et letemur in eis, quia omnium nostrum fidelis advocata in cœlis est. Mediator Dei et hominum, filius ejus est, mediatrix filii sui et hominum ipsa. Sicut decet matrem misericordiæ, misericordissima est, et novit compati infirmatibus humanis, quia notum est ei segmentum nostrum. Propter quod et interpellare pro nobis apud filium suum non cessat, si tamen nosipsos iniquitates nostras deplorare viderit ac detestari. Certe et ipsa pœnitentiam nostram ex multitudine misericordiæ prævenit, et gladium filii ad percussionem extentum continent, orans et petens ut conversionem nostram longanimittere exspectet. Si enim non tanta intercessione mundus fulciretur, nimirum justo Dei judicio subversus jam fuisset, sicut oīm Sodoma et Gomorrha divino igne perierunt, et sicut populus Iudaicus in deserto cœlestibus plagiis absumptus est. Ecce enim eadem iniquitates quæ illis erant causa perditionis, et multo ampliores per universum mundum multiplicatae sunt. Quid ergo est propitiatrix hæc domina, nisi velut nubes quædam suavissima, obumbras nobis a facie solis, ne nimia æstuatione illius exuramus ? Itaque, dilectissimi, in ea tam potenti, tam pia et tam fideli advocata nostra, toto corde gaudeamus, quæ nulli digne postulanti auxilium negat, et pro nullo apud filium frustra interpellat. Gaudeamus, inquam, in illa, et dignis obsequiis, dignis laudibus cum illis sacris angelorum legionibus eam veneremur, ac vultum ejus deprecemur cum omnibus divitibus cœli. Quæ sunt autem obsequia, quibus tantam dominam digne possimus honorare ? Hoc certe illi gratissimum obsequium est, ut ejus sacratissimam vitam imitantes, amemus quod amat, et vitemus quod vitavit. Grata est illi castitatis pulchritudo, per quam et ipsa in oculis Altissimi gratiosa facta est. Hanc igitur pro illius et Elii sui reverentia in cordis nostri suscipiamus ho-

spitio, et amplectimur decorem ejus, et gratiam magnam in conspectu ejus inveniemus. Si enim immunnditiis luxuriae pororum more volvemur, abominabiles erimus coram illa, et nihil dignum in conspectu ejus agere poterimus. Dilecta est illi humilitatis modestia, propter quam ad summa honoris fastigia a Domino exaltata est. Hanc illius provocati exemplo amemus, et opere exerceamus, et gratum illi præstabimus obsequium. Si enim superbie fastu elatos nos viderit, placere illi in nullis acibus valebimus, apud quos regnat inimicus ejus. Pretiosa est in conspectu ejus divinæ charitatis flagrantia, quæ super salutem et omnem pulchritudinem Deum dilexisse cognoscitur, et idcirco super omnem creaturam a Domino dilecta est. Si ergo et in hoc ei conformes esse studuerimus, ut toto corde Deum ac Dominum nostrum salvatorem, filium ejus diligamus, in eo ipso holocaustum pingue et suavissimi odoris in conspectu ejus offeremus, nec acceptus ei ministerium unquam exhibere poterimus. Si autem a charitate divina vacui, et fraterno odio et invidia pleni exstiterimus, frustra in os nostrum laudes ejus assumemus, frustra in aliqua re obsequium illi prestare conabimur. Ipsi, fratres, judecate : Si servus natus, aut turpiter concisis vestibus indutus, et sordidas habens manus, coram pudica et severa aliqua matrona ministrare præsumperit, nonne abominabilis est illi ? Nimirum avertet oculos cum indignatione, ac dehonestari se arbitrabitur illius ministerio magis quam honorari. Quomodo ergo coram tremenda illa totius mundi domina, quam tota cœlestis curia cum omni reverentia honorat, iniquitatibus pleni apparere, festivitatibus ejus interesse, et laudes ejus pronuntiare audemus, de qua certum est quod *diligit justitiam, et odit iniquitatem* (*Ecclesi. xv*) ? Non est speciosa laus in ore peccatoris. Placere non possunt epulæ quantumvis pretiosæ, in sordido vase oblatæ. Timeamus ne et nobis dicatur ab ea : *Bene obtulisti, sed male divisisti. Bene etenim illi offerimus, cum laudes ejus sanctas pronuntiamus, sed male dividimus, cum nosmetipos per vitam malam ab ea alienamus.* Verumtamen quantumvis horrendæ sint infirmitates nostræ, nequam de misericordia ejus nobis desperandum est, si in conspectu ejus nosmetipos accensare, et interventum ejus pœnitenti corde voluerimus flagitare. Procul dubio videbimus auxilium ejus super nos, quia multæ sunt miserationes ejus, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eam. Sit nomen ejus benedictum in sæcula sempiterna. Benedictus Deus in multitudine misericordiæ suæ, qui tam potenter, tam misericordem, tam familiarem suæ majestati, nobis in superna curia dedit advocationem. Deo nostro sit jueonda decoraque laudatio, in sæcula sæculorum. Amen.

#### V. — *Homilia de eodem festo.*

Hodie namque gloriosa se per Virgo Maria cœlos ascendit. Rogo, gaudete, quia ut ita fatear, ineffa-

biliter sublimata, cum Christo regnat in æternum, Regina mundi hodie de terris et de præsenti sæculo nequam eripitur. Iterum dico, gaudete, quia secura de sua immarcescibili gloria, ad cœli jam pervenit palatium. Exsultate, inquam, ac gaudete, et lætetur omnis orbis, quia hodie nobis omnibus, ejus intervenientibus meritis, salus aucta est. Vobis quoque diligentibus eam honor et virtus una cum reliquis virginibus sacris amplior prästator et gratia. Idcirco, dilectissimi, ketamini et laudate, quia si Deum ore propheticō in sanctis suis laudare jubemur, multo magis eum in hac celebritate beatæ virginis matris ejus oportet cum hymnis et canticis spiritualibus diligenter extollere, et dignis Deo jubilares präconis, et mysticis honorare muneribus. Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat, quidquid digne genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter attributum. Ex quo timeo satis, et valde pertimesco, dum vestris cupio parere präfectibus, ne forte sicut improbus, ita et indignus landator inveniar, präfecto cum nec sanctitas vel facundia suppetat, ut beatam et gloriosam virginem digne laudare queam; quoniam, ut verum fatear, quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude cœli, quia divinis est et angelicis excellentius prädicata et laudata präconiis. A prophetis quidem prænuntiata a patriarchis figuris et ænigmatibus präsignata, ab evangelistis exhibita et monstrata, ab angelo venerabiliter et officiosissime salutata. Præterea qualis et quanta esset, ab eodem divinitus declaratur, cum ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (*Luc. 1.*). Talibus namque decebat virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum paucumque infudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Präfecto in carne präter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere, majus est meritum quam habere. Esse enim angelum, felicitatis est, esse vero virginem, virtutis; dum hoc obtinere viribus virgo nititur cum gratia, quod habet angelus a natura, utrumque tamen et esse virginem vel angelum, divini muneris est officium, non humani. Ave, inquit, *gratia plena*. Et bene plena, quia cœteris per partes prästatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. Hoc quippe est quod David canit: *Descendit sicut pluvia in vellus* (*Psal. lxxi.*). Vellus itaque cum sit de corpore, nescit corporis passionem; sic et sancta virginitas cum sit in carne, vicia carnis nescit. Cœlestis plane imber in virginem vellus placido se infudit illapsu, et tota divinitatis unda se contulit in carne, quando Verbum caro factum est, ac deinde per crucis patibulum expressum, terris omnibus pluviam salutis effudit, et stillicidia gratiae humanis prästiti mentibus. *Dominus tecum*, inquit. Mira res. Et jam erat enim virgine qui ad virginem mitiebat angelum, et präcessit nuntium

sum Deus, sed a Deo non reces-it. Nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis, et totus ubique est, sine quo nihil totum. Ergo Verbum Patris nunquam a Patre discedens, homo pro nobis fieri dignatus est, secreto suo mysterio quo ipse novit. Qui quoniam totum suscepit quod est hominis, homo totus est, et totum retinens quod Dei est, omnino aliquid aliud quam Deus qui natus est ex Maria, esse non potuit. Scit enim Deus omnia et potest. Propterea quia ita est, scivit se et potuit in ictu virginis sine sui corruptione misceri atque uniri, ut unus esset Christus Deus et homo, una persona, unaque substantia. Ob quod Dei genitrix electa et präelecta jure ab angelo gratia salutatur et prädicatur plena. Vere plena, per quam largo sanceti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Et ideo satis eam devotissime primum angelus veneratur et salutat. Miratur itaque et ipse qualis aut quanta sit quam salutat. Non enim simplex, fateor, vel consuetu fuit illa salutatio, sed omni admiratione digna. Si quidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequii: quia et si in sanctis Patribus et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam vero totius gratiae quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter. Et ideo, inquit, *benedicta tu inter mulieres*, id est, plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid malædictionis infusum est per Emanuēl, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper et gratiam refudit Christi ortus, quam non habuit præius omnis mundus. Igitur quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non cepit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur. Hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur, et per Christum adimpletur. Qua de causa, de tali tantoque loqui me indignum fateor. Sed et puto quod nemo präsumat, nisi qui quanta sint quæ panduntur, penitus ignorat. Tamenetsi ad hanc nemo idoneus inventitur, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator a laudibus, quamvis expiere non queat quod sentitur. Unde sermo divinus cum de peccatore ageret in Psalmis: *Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me, protinus addidit, et illuc iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal. xlvi.*). Ac si patenter dicat: illuc iter est laudis ad æternam laudem sine fine mansuram, sed nemo apprehendit illud, nisi ego prämonstravero. Propterea, charissimi, quia iter salutis nostræ in laudibus est Salvatoris, hortor vos et commoneo, in hac sacra solemnitate genitricis Dei Mariæ nolite cessare a laudibus. Quod si virgo es, gaude quod meruisti et tu esse quod laudas: tantum cura ut sis quæ digne laudari possis. Quod si continens et casta es, venerare et lauda, quia non aliunde constat ut possis esse casta, quam de gratia Christi, quæ fuit plenissime in Maria quam laudas. Quod si conjugata es certe aut peccatrix, nihilominus confitere et lauda, quoniam inde misericordia omnibus profluxit et gratia ut laudent. Et quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli cessare a laude,

quia inde tibi promittitur venia et omnibus ut landes. Alioquin nisi juxta modulum ingenii nostri Deum laudare in sanctis suis studeamus, quomodo cum secundum quod canimus, juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus? Omnino prætermittendum non est quod impletur sumus quandoque quod dicitur: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te* (*Psalm. lxxxiii*). Quod voce non possumus, nec facundia valemus, exsequamur votis et medullis cordis, quia magnus et bonus est atque iunnens, tantus ac talis, quantum et qualem ipse novit, ore et spiritu confiteamur ad justitiam et salutem. Hinc rogo omnes pariter festivitatem gloriose semper virginis Mariæ devotissime celebremus, quia hæc est dies omni sæculo veneranda, in qua meruit exaltari super choros angelorum, et pervenire ultra quam nostræ humanitatis est natura. Ubi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitude monstratur. Elevatur in dexteram Patris, ubi Christus pro nobis introit pontifex factus in æternum ad cœli palatium. Hæc est, inquam, dies in qua usque ad throni celsitudinem intemerata mater et virgo processit, atque in regni solio sublimata, post Christum gloriosa residet. Sic utique ubique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra angelorum vel archangelorum merita transcenderit, quia et si similitudo repromittitur sanctis, veritas tamen negatur. Hoc quippe privilegium non naturæ est, sed gratiæ beatæ virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus et homo. Idcirco et ipsa plus est meritis, et non natura, quam virgo et homo. Unde etsi cæteræ virgines imitantur illam usque ad conceptum partus, et Gabrielis novæ salutationis obsequium, deinceps totum divinum est quod operatur in ea, teste angelo, quia Spiritu sancto et virtute Altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sane uterus Mariæ virginis quamvis mundus, quamvis impollutus et alienus a contagione peccati, quamvis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur (ut ita dicam) ac si lana candidissima, suique coloris dealbata. Ad quam sane cum accessit Spiritus sanctus, quia si ipsa eade inque lana iuncta sanguine conchylii vel muricis, vertitur in purpuram, versa est et ipsa sine coitu in matrem, ut non sit jam amodo quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum et gloriam summi regis divinitus aptissime dedicata, ut nulli deinceps ea uti usu feminæ licuerit, nisi Deo. Quippe, ut ita loquar, beata et gloria virgo Maria, eo modo quamvis dum incomparabilis esse universis quæ sub cœlo sunt virginibus comprobetur, ut decenter possit in se suscipere divinitatis admisionem salva utraque natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur, sit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogativis meritorum, ita ut nullis jam usibus sit ipsa eademque mancipanda nisi divinis. Unde, o sanctissime virginis, et si imitari oportet tantam ac tam virgine,

tanque præclaram venerari multum convenit, et ultra angelicam quodammodo dignitatem, quantum fas est cum gaudio laudibus digne efferi, quæ, ut diximus, non temere Christi per gratiam, super choros angelorum exaltata, devoutissime hodie prædicatur, quia præcessit eam Dominus et salvator noster, ex ea vera fide genitus ad cœlestia, ut pararet ei, sicut ipse suis promisit discipulis, in æthereis mansionibus locum. Hinc quoque David propheta olim gratulandus Christo canit: *A summo, inquit, cœlo egredio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psalm. xviii*). Ascendit ergo eamdem glorian resumpturus, licet non amiserat quam prius habuerat antequam mundus fieret. Ascendit et præparavit huic sanctissimæ virginis locum immortalitatis, ut cum eo regnare possit in perpetuum. Et hæc est præsentis ejus diei festivitas, in qua gloria et felix ad æthereum pervenit thalamum. Quæ profecto festivitas, sicut et virgo incomparabilis est cæteris virginibus, ita et incomparabilis ista est festivitas omnium sanctorum festivitatibus, et admiranda etiam virtutibus angelicis; propter quod ex persona supernorum civium in ejus ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus* (*Cant. iii*)? Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, etenim concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, et desiderio charitatis. *Ut virgula fumi ex aromatibus*. Nimirum quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem de deserto præsentis sæculi virga de radice Jesse olim exorta, sed mirabantur electorum animæ præ gaudio quænam esset quæ etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem Spiritus sanctus in eisdem Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant. vi*)? Admiratur autem Spiritus sanctus, qui omnes de ascensi hujus virginis admirantes facit, quod quasi novi diluculi aurora rutilans ascensi suo resplendeat, multis freta et vallata sanctorum agminibus. Unde dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, ut castrorum acies admodum ordinata, hinc inde sanctorum angelorum fulta præsidii. Pulchra, inquit, ut luna, imo pulchrior quam luna, quia jam sine defectu sui coruscat cœlestibus illustrata fulgoribus; electa ut sol fulgore virtutum, quia ipse eam elegit sol justitiæ, ut nasceretur ex ea. Ad cuius profecto exsequias, quantum fas est credere, famulatur angeli, et universæ cœlorum congratulantur curiæ. Nec mirum, quia honor maternus est ejus qui natus est ex ea, quem omnis ordo cœlorum veneratur et adorat super se elevatum cum Patre in sede majestatis Domini. Legimus ergo quam sæpe ad funera et ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos advenisse, et ad exsequias eorum obsequia præstisset, nec non et animas electorum usque

ad celos cum hymnis et laudibus detinisse, ubi et utriusque sexus cheri commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinasse, interea et quod perspicacius est, multo nonnunquam lumine eosdem resplenduisse, insuper et adhuc viventes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem, dilectissimæ, et corroborandam fidem interdum assistentium salvator noster Christus ob merita suorum amplius comprobanda, talia et tanta dignatus est exhibere per suos cœli ministros circa defunctos, quanto magis credendum hodiernam die militiam cœlarem cum suis agminibus festive obviam venisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfusisse, et usque ad thronum olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse? Nulli dubium omnem illam jam cœlestem Jerusalem tunc exsultasse ineffabili lætitia, tunc jucundatam inestimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione jubilasse, quoniam festivitas haec, quæ nobis hodie revolvitur annua, illis omnibus facta est continua, nec immergebitur. Creditur enim quod salvator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festivus occurrit, et cum gaudio eam secum in throno collocavit. Alias autem quomodo implevisse creditur, quod in lege ipse præcepit? *Honora, inquit, patrem tuum et matrem* (*Exod. xx*). Porro quod patrem honoraverit, ipse sibi testis est, cum ad Iudeos ait: *Ego gloriam meam non querò, est qui querat et judicet, sed ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me* (*Joan. viii*). De matre vero evangelista, cum redirent, veniens, ait, Nazareth, erat subditus illis (*Luc. ii*). Sed alia est natura qua Deus Pater secundum se honoratur, alia qua idem parentibus subditur: in utraque tamen unus idemque Christus recte creditur, eo quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i*): unus Emmanuel, quod est nobiscum Deus. Hanc quippe unionem divinitatis atque humanitatis, inconfusam indivisamque catholica fides servat. Quam sane intelligendo cognoscat naturalis, atque secundum substantiam conventionem unitatis, ut neque conversio in alterutram duarum substantiarum partem recipiatur, neque divisio. Sic namque credere, honorare est matrem Domini, quæ et Deum nobis genuit et hominem, neque sine Deo hominem, neque sine homine Deum, sed Deum et hominem unum et verum Jesum Christum. Alioquin Dei genitrix dici non posset (quod multi hæreticorum negare conati sunt) nisi Deum verum genuisset incarnatum; et propterea in Christo duas recte confitemur nativitates, unam videlicet de Patre sine initio, et sine tempore sempiternam, et coæternam Deo Patri; aliam de matre cum tempore, quando miserationem induens et misericordiam, spontanea voluntate ad nos descendit natus homo Deus, ac per hoc juxta veritatem et matris gestatur utero, qui semper Deus agnoscitur. Hinc etiam theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem, nec non et christotocon, non quod Verbum carnem secum detulerit, neque olim præsatæ

carni copulatum sit, sed tunc quando Verbum caro factum est ex carne virginis, divinitatis atque humanitatis substantia in utero ita confuse unitur, ut una persona sit Deus et homo Christus. Si quidem ex duabus naturis sive confusione alterius non nisi unus iuvenitur Jesus Dominus, manens Deus in forma Dei, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip. ii*), manens unus idemque in forma servi quam suscepit. Totus quippe Deus in carne virginis, de qua natus est, et totus homo. Hinc quoque Apostolus: *In quo habitat, inquit, corporaliter omnis plenitudo divinitatis* (*Col. ii*). Quapropter, o filiae, estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae, ut ex prudentia perfectæ intelligentiæ annulum fidei vestræ, et margaritam pro qua omnia reliquistis, integrum inviolataque servetis, ne dotem simul et arrham Spiritus sancti, quod absit, perdatis. Dilegentius itaque procurate, si quo modo simplicitas columbae, quæ fuit in Maria, illæsa inviolataque custodiatur. De qua Salomon ait in Cantieis, quasi in ejus laude: *Veni, inquit, columba mea, immaculata mea, jam enim hiems abiit et recessit* (*Cant. ii*). Ac deinde inquit, *Veni de Libano, veni, coronaberis* (*Cant. iv*). Nec immerito igitur venire de Libano jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata beata virgo Maria multis meritorum virtutibus, ac dealbata nive candidius Spiritus sancti munieribus, simplicitatem columbae in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas, totum gratia et veritas fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cœlo prospexit: et ideo immaculata, quia in nullo corrupta. *Circumdedicit virum in utero, sicut Jeremias sanctus testatur, et non aliunde accepit. Faciet, inquit, Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum* (*Jer. xxxi*). Vere novum, et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis ut vivere possit, sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustra nesciret, sive gestatus, ut totus Deus in eo esset: et sic inde exivit, ut Ezechiel fatetur, *porta omnino clausa*. Unde canitur in eisdem Canticis de ea: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisas* (*Cant. iv*). Vere hortus deliciarum, in quo consistunt universa florum genera, et odoramenta virtutum, sive conclusus, ut nesciat violari neque corrumphi ullis insidiarum fraudibus. Fons igitur signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vite manat, in cuius lumine omnes videmus lumen, quia juxta Joannem, *ipse est qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Cujus profecto emissio uteri, supernum civium omnium est paradisus. De isto namque ventris agro patriarcha Isaac longe odorans aiebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus* (*Gen. xxvii*). Quamvis putent parum intelligentes quod priores sancti minus de Christo intellexerunt mysterium incarnationis, cum et ipsi eadem salvati sint gratia. Unde constat tempus non præjudicasse sacramentum uniti hominis ac Dei,

ita ut jam esset in illo per unitatem personae ab initio secundi, qui needam erat natus de Maria virgine : quod multis Scripturarum declaratur indicis. Unde Dominus ad Iudeos : *Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum (Joan. viii).* Quibus utique verbis ostendit se qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio unitatis, quam ut commendaret, *ante Abraham, inquit, ego sum.* Nam Abraham *antequam fieret, humanitas est brevitas, ego autem sum, eternitas declaratur naturae.* In qua nimur aeternitate jam fuisse qui loquebatur, per sacramentum suæ incarnationis insinuat. Quod apostolus Judas volens dilucidare apertius, *Jesus, inquit, populum ex Aegypto salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit (Jud. 5).* Et alibi Paulus : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt (I Cor. x),* non quod jam esset Jesus aut Christus natus ex Mariâ virgine, sed quia in illo unico Filio Dei, jam unitas personæ commendatur quæ occulta erat in mysterio. Quod et alibi evidenter, *Qui elegit nos, inquit, ante mundi constitutionem in ipso (Ephes. i);* quia profecto quidquid Deus fecit ab initio, totum fecit per unitatem sacramenti. Et ideo jam Jesus erat in filio, qui populum educebat, et Christus in eo qui tentabatur, quoniam semper per sacramenti unitatem in Deo fuisse nondabitatur. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino, aut contra prophetam Deus recens videbitur. Sed ne talibus quatiamur calumniis, scrutandæ sunt Scripturæ, in quibus unitas in Christo commendatur personæ, quem non præjudicat; ne unus semper dicatur. Hinc quoque beatus Petrus loquens de Patribus ait : *Per gratiam Do-*

*mini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi (Act. v).* Namque illos Dominus soles ducet et non erat cum eo Deus alienus. Unde nec nobiscum Deus recens, quia unus idemque est qui eorum duxor fuit, et noster per passionem carnis sue redemptor. Unus siquidem sua in carne, unus in sacramento, atque unus in spiritu : nec admittit ratio, ut alias filius hominis, alias Filius Dei intelligatur, qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur, sed totus Deus in Christum, et Christus in Deum transiit, ut quidquid Dei Filius est, Christus dicatur, et quidquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse recte creditur. Alioquin si ad rationem respicias, et ad sensus humanos nequaquam ita eatenus potuerunt inter se convenire deias et humana conditio. Convenerunt in Christo, et unus ex ambabus Emmanuel. Rogo vos, o virgines, rogo et viduae, imitamini Paulam matrem viduam, exemplar continentiae et castitatis; imitamini Eustochium, quam habetis vobiscum, virginem et formam perfectam integratam. Quod si minus est in illis quam in matre Domini, imo quia est, habetis prolem secundam, et virginem perpetuam, quia sicut in comparatione Domini nemo bonus, ita in comparatione maris Domini nulla iaventur perfecta, quamvis virtutibus exigua comprobetur. Malum enim excipere ruborem pudoris, quam non exequi jussionem vestram, quarum precibus nonnunquam Deus noster obediens videtur, præsertim cum habeatis nobiscum quas imitari virtutis est, cum quibus discere potestis affectum a me potius quam magisterium quod ad laudem hujus dei requisistis.

### SANCTUS PAULINUS, PATRIARCHA AQUILEIENSIS.

1. — *Probat Paulinus ex Apostolo Christum Filium Dei ei hominis : alioquin nuncupativa, non vera mater Maria dicenda, quæ tamen vere Deum altissimum genuit. — B. Virgo Maria, dulce et venerabile nomen, Theotocos est prædicanda. — Venerabilis Virgo et ancilla et Mater est Domini.*

Hec ita se habentia [*Pro His ita se habentibus*], apostolicis etiam hujusmodi collatio rationis præstabilis poterit argumentis fulciri. *Hoc, inquit, sentite in robis quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequali Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (Philipp. ii, 5 seq.).* In nomine igitur Christi Jesu persona unigeniti : in forma autem Dei formaque servi utrarumque proprietas describitur naturarum. Nam si non infra [*Pro intra*] virginea viscera, ut iste dissipit [*Pro desipit*] haeticus, unigenitus Dei Filius, sempiternus ex Patre, temporalis ex Matre, edificavit sibi dominum, hoc est, humana se verissime natura vestivit, permanens id quod erat incommutabilis Deus, ex utero intemperatae Virginis matris tanquam sponsus processit de thalamo suo, et ipsa venerabilis Virgo non genuit verum Deum verumque hominem in singularitate unius personæ : ita ut non sit alter Christus Deus,

et alter Christus homo, sed unus idemque, sicut sepius repetitum est, Deus homo ; et non est ipse templum, ipse et habitator templi, ut senex iste exinanita furiosus delerare canitie non ambigitur ; aut non est partus Virginis divini nominis gloriosum, quod Apostolus magnum pietatis commemorat sacramentum (*I Tim. iii, 16*). Quo ergo pacto catholica Ecclesia una in toto orbe terrarum diffusa, beatam Virginem Mariam, dulce mihi et venerabile nomen, Theotocon, hoc est, Dei genitricem libera publicaque voce confiteri non cessat ? Si igitur nuncupativum et non verum Deum, ut insanii capitum vir iste fauce despumat falsissima, ex utero vera mater genuit, illum videlicet cundemque, qui ante luciferum ex paterno utero, hoc est, ex Patris essentia sine initio genitus, permanens id semper quod erat : quomodo vera Dei Genitrix beata Virgo omnium Catholicorum verissimo confitebitur ore ? Fateantur necesse est haeticam eam nuncupativam genitricem, si nuncupativa ab eis putabatur genitrix prolis. Catholicæ vero atque apostolice fidès verum Deum, verumque, qui natus est, hominem, veramque, quæ genuit, Dei Genitricem, Deum et hominem, non duos, sed unum verum propriumque Dei Filium : nec duos, sed unum veramque

Deum Jesum Christum Dominum nostrum et confessa est, et confitetur, et æterna confitebitur perpetuitate. Beata quoque Elisabeth, repleta Spiritu sancto, exclamavit dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (*Luc. 1, 43*)? Veraciter namque venerabilis Virgo et ancilla et mater est Domini, quoniam Deus omnis carnis qui creavit eam, ipse dignatus est nasci ex ea. Ait enim ipsa ad angelum: *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum* (*Ibid. 1, 38*). Angelus quippe eam Altissimi Filii genitricem predixit: ipsa se Altissimi Filii ancillam humiliiter confitetur. Huic etenim angelico oraculo Davidicum concordare

non inconvenienter præconium demonstratur. *Mater*, inquit, *Sion dicit: Homo et homo natus, vel factus est in ea; et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal. LXXXVI, 5, ex LXX*). Ipse non alias, qui factus est in ea ex semine David secundum carnem, ipse fundavit eam Altissimus in æternum. Angelus denique Altissimi Filium, propheta niūirum altissimum ipsum commemorat. Quoniam quidem sicut Deus Pater, Deus Filius, ita Altissimus Pater, Altissimus Filius prædicitur. Conciunt quapropter sibimet Vetus ac Novum Testamentum, quia unus idemque Spiritus sanctus auctor est mirabilis utrorumque. (*Contra Felic. Urgel*, cap. 15.)

### ALCUINUS (B.).

**I. — De Maria Virgine, et incarnatione Verbi Dei.**  
 Beatus evangelista ut proprietatem unius personæ in Christo ostenderet, ait: *Verbum caro factum est* (*Joan. 1, 14*). Verbum, quod erat apud Deum, antequam mundus esset, per quod mundus factus est: Verbum quod non amisit æternitatem suam, quamvis in tempore ex virginali utero carnem assumendo homo fieri voluisse. Quod Verbum per omnipotentiam suam voluit hunc hominem quem assumpsit, hoc fieri ex tempore, quod ipse semper fuit sine tempore, id est, proprius Filius Dei, ut non possint dici duo Filii Dei, alius ante tempora genitus, et alius natus ex tempore, sed unus Dei Filius proprius et perfectus Dominus noster Jesus Christus. Quem beata Virgo Maria, salva integritate sui corporis, Deum edidit et hominem, quæ fuit lana mundissima, et virginitate clarissima, et incomparabilis universis quæ erant sub cœlo virginibus, eratne talis ac tanta, ut sola digna fieret divinitatem in se recipere Filii Dei. Sicut enim conchylii sanguinem lana suscipit, ut purpura ex eadem lana imperiali majestati tantummodo digna fiat, qua nullus aliis induitur, nisi augusta præditus dignitate: ita Spiritus sanctus superveniens in beatam Virginem, [et] virtus Altissimi obumbravit eam, ut lana fieret divinitate purpurata, solummodo æterno imperatori indui dignissima. Et sic facta est beatissima Virgo Maria Θεοτόκος, sicut et Χριστοτόκος. Nam et ante eam fuerunt aliae in populo χριστοτόκοι, id est, christorum genitrices, non tamen virgines, nec Spiritu sancto, et virtute Altissimi obumbratae, ut dignæ Deum generare invenirentur. Hæc autem et Χριστοτόκοι, et sola Θεοτόκος, et sola virgo ex Spiritu sancto et virtute Altissimi concipiens, ac sic glorificata, ut Deum Dei Filium coæternum et consubstantiale Patri generaret. Virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum: dignum enim erat, ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis, ne per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta. Nec regnator cœli virginalis uteri dedignatus [*Al.*, indignatus] est angustias intrare, qui omnium creaturarum implet latitudinem, cui angelorum

militia nato decantare venerat: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (*Luc. 2, 14*). (*De fide SS. Trinitatis*, lib. iii, c. 14.)

### II. — Post partum B. Maria virgo permanxit.

In hoc etiam evulenter commendatur quod Spiritus sanctus sit donum Dei, sicut supra ostendimus, dum dicitur in Symbolo catholice fidei, quod Christus de Spiritu sancto conceptus, et ex Maria virgine sit natus. Cum aliter de illo, aliter de illa natus sit, non de illo sicut de Patre, de illa vero sicut de Matre: quid tamen hic sancti Spiritus mentio facta est, nisi quod magna Dei gratia commendatur? Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitate [*Al.*, unitatem] personæ unicæ Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? Cujus boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur ista [*Al.*, iste] homo, una fieri persona cum Deo, imo et homo ipse Deus? Neupē ipse ex quo esse homo coepit, non aliud coepit esse quam Dei Filius, et hoc unicus, unigenitus et proprius; et propter Dei Verbum, quod caro factum est, utique Deus; ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et caro [*Al.*, et Verbum caro]. Unde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione gratuito munere, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur: ut intelligent homines per camdem gratiam se justificari posse a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum possit habere peccatum. Sic sanctam Virginem Matrem scilicet Filii Dei, angelus salutavit, quando ei futurum nuntiavit partum: *Ave* (inquit), *gratia plena*; et paulo post: *Invenisti* (ait) *gratiam apud Deum* (*Luc. 1, 28, 50*). Et hæc quidem gratia plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo Domini omnium, salva virginitate, Mater esset. (*Ibid. cap. 1*.)

### III. — Maria Dei Genitrix confitenda est.

*Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. Gloriam Christi quam ante incarnationem videre non poterant ho-*

mines, post incarnationem viderunt, aspicientes humanitatem miraculis resurgentem, et intelligentes divinitatem intus latitatem; illi maxime, qui et ejus claritatem, ante passionem transfigurati in monte sancto, contemplari meruerunt, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth. xvii. 5*). Et post Passionem, resurrectionis ascensionisque ipsius gloria conspecta, Spiritus ejus sunt dono mirifice reflecti. Quibus omnibus manifeste cognoverunt, quod huiusmodi gloria non cuiilibet sanctorum, sed illi soli homini, qui esset in divinitate unigenitus a Patre, conveniret. Quod autem sequitur: *Plenum gratiæ et veritatis, gratiæ plenus erat et est, homo Christus Jesus, cui singulari munere præ ceteris mortalibus datum est, ut statim ex quo in utero virginis concepi et homo fieri inciperet, verus esset et Deus. Unde et eadem gloriosa semper Virgo Maria, non solum hominis Christi, sed et Dei Genitrix recte credenda et confitenda est.* Idem veritatis plenus erat et est, ipsa videlicet Verbi divinitate, quæ hominem illum singulariter electum, cum quoniam Christi persona esset, assumere dignata est; non aliquid suæ divinæ substantiæ, ut heretici volunt, in faciendam hominis naturam committans; sed ipse apud Patrem manens, totum quod erat, totam de semine David naturam veri hominis quam nou habebat, suscipiens. (Comment. in *Joan.* lib. i, cap. 5.)

#### IV. — B. Maria cur a Christo mulier appellata.

*Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi. Nec vacat a mysterio quod die tertio, post ea quæ superior [Ms., superius] sermo Evangelii descripsérat, nuptiæ factæ referruntur. Sed tertio tempore sæculi Dominum ad aptandum sibi Ecclesiam venisse designat. Primum quippe sæculi tempus ante legem patriarcharum exemplis, secundum sub lege prophetarum scriptis, tertium sub gratia præconiis evangelistarum, quasi tertia dici luce mundo resulxit, in quo Dominus et Salvator noster, pro redēptione generis humani in carne natus apparuit. Sed et hoc quod in Cana Galilææ, id est in zelo transmigrationis perpetrata, cædem nuptiæ factæ perhibentur, typice denuntiat, eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo fervoris ac piæ devotionis [Beda, qui zelo fervore piæ devotionis], et æmulari charismata majora, ac de vitiis ad virtutes, bona operando, de terrenis ad aeterna norunt sperando et amando transmigrare. Discubente autem ad nuptias Domino vinum defecit, ut, vino meliore per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria latentis in homine Dei, et credentium in eum fides aucta proficeret. Quod si mysterium novimus [Ms. et Beda, quærimus], apparente in carne Domino, merita illa legalis sensus suavitas paulatim coepérat, ob carnalem Pharisæorum interpretationem, a prisca sua virtute decere. Qui mox ea, quæ carnalia videbantur, man-*

data ad spiritalem convertit doctrinam, cunctamque litteræ legalis superficiem evangelica cœlestis gratiæ virtute mutavit, quod est vinum fecisse de aqua. Sed primo videamus quid sit quod, deficiente vino, dicit [Beda, cum... diceret] Mater Jesu ad eum: *Vinum non habent*, respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Neque enim Matrem suam inhonoraret, qui nos jubet honorare patrem et matrem; aut eam sibi esse Matrem negaret, ex cuius carne virgine [Ms., virgineam] carnem suscipere non despexit, Apostolo etiam testante, qui ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom. 1, 3*). Quomodo enim ex semine David secundum carnem, si non ex corpore Mariæ secundum carnem, quæ ex David semine descendit? sed in eo quod, miraculum facturus, ait: *Quid mihi et tibi est, mulier?* significat se divinitatis, quæ miraculum erat patrandum, non principium temporaliter accepisse de Matre, sed aeternitatem semper habuisse de Patre. *Quid mihi, inquit, et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Quid divinitati, quam ex Patre semper habui, cum tua carne, ex qua carnem suscepi, commune est? Nondum venit hora ut fragilitatem sumptæ ex te humanitatis moriendo demonstrem. Prius est ut potentiam aeternæ deitatis virtutes operaudo patescam. Veniet autem hora ut quod sibi et Matri commune esset, ostenderet, cum eam moriturus in cruce discipulo virgini virginem commendare curavit. Carnis namque infirma perpessus, Matrem, de qua hæc suscepérat, pie cognitam, eidem, quem maxime diligebat, discipulo commendavit: quiam, divina facturus, quasi incognitam se nosse dissimulavit, quia hanc divinæ nativitatis auctriem non esse cognoscit. Hujus vero [Al., ergo] horæ Dominus in cruce pendens commemorat, eum dixit [Ms., commemorans dixit] Matri: *Mater, ecce filius tuus;* quasi dixisset: ecce hoc quod ex te sumpsi modo ostenditur, moriendo quidem; quæ tamen natura postmodum clarificanda erat in resurrectionis gloria.

*Dixit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciebat quidem Mater ejus humanitatem Filii sui, licet quoquomodo videtur [Ms., hoc modo videretur] negatum quod poscebat, Mater tamen sciebat pietatem Filii, quod non esset negaturus [Ms., negare noluit] quod petebatur: ideo fiducialiter mandavit ministris ut mandata implerent Filii jubentis. (Ibid. cap. 3.)*

#### V. — Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus est B. Virgo Maria.

*Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Mulier amicta sole beata Virgo Maria est, obumbrata Altissimi virtute, in qua etiam genus, id est Ecclesia, intelligitur; quæ non propter mollitatem mulier dicitur, sed quia novos quotidie populos parit, ex quibus generale Christi corpus conformatur. Ecclesia itaque sole amicta est, juxta illud: Quotquot in Christo bapti-*

*rati estis, Christum induistis* (*Gal. iii, 27*). Christus est enim sol justitiae, et *candor lucis aeternae* (*Sap. vii, 26*). Per lunam vero, quae per incrementa temporum deficit, mutabilitas temporis exprimitur, quam Ecclesia quia despicit quasi sub pedibus premit. Et nota quia sunt quædam in sequentibus quæ non speciei, sed generi conveniunt. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Duodecim stellæ quibus corona aptatur, duodecim sunt apostoli, per quos primo caput Ecclesiae, id est Christus, victoriam reportavit. Stellæ autem vocantur, quia tenebras ignorantiae ratio veritatis illustrat. — *Et in utero habens claimat parturiens, et cruciatur ut pariat.* Hæc beatæ Mariae specialiter aptari nequenit, sed Ecclesiae quæ, dum eos quos jam pepererat, iterum parturit, quædam partus difficultatem hic patitur; quousque, juxta Apostoli vocem, *Omnis occurramus in virum perfectum* (*Ephes. iv, 13*). — *Et visum est aliud signum in cœlo; et ecce draco magnus rufus habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diadema.* Diabolus propter malitiam

draco; propter multiplicitatem insidiarum magnus. propter homicidium rufus vocatur. In cœlo autem, id est in Ecclesia videtur, non quo possideat, sed quia ei adversatur. In capitibus et in cornibus totum ejus regnum ostenditur; tanquam septem capita contra septem Ecclesias, septem spiritus nequam contra septiformem spiritum Dei, decem cornua contra decem præcepta legis venientia. Sed de his latius in sequentibus dicetur. — *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Cauda draconis sunt perversi prædicatores, juxta illud: *Propheta docens mendacium, ipse cauda est* (*Isa. ix, 15*). Eos qui foris studio vite cœlestis videntur inhærere, ex amore terreno per falsos prædicatores ad aperti erroris iniuriam devolvi, de quibus Job: *Obscurentur stellæ caligine ejus* (*Job iii, 9*). Quia vero cauda finis est corporis, potest per eam Antichristus ejusque prædicatores intelligi, ut præteritum pro futuro accipiamus. Et revera tunc manifestior erit harum stellarum dejectio. (Comment. in *Apoc.* cap. xii.)

## SANCTUS TARASIUS,

*Oratio in SS. Dei Matrem in templum deductam.*

I. Læta atque admirabilis hodierna celebritas, quæ studiosos cultores festorum dierum excitat ad hymnos concinendos, perpetuam Virginem Deique Matrem in templum progredientem prosequitur. Etenim hodie cœlum et terra communem agitant solemnitatem, et conjunctim laudent rerum Opificem, qui e stirpe mortalium pueram, quæ Dei est filia, ad sui habitaculum delegit.

Hodie sacramenti ante omnia sœcula præparati cuius ad extrema tempora reservabatur manifestatio, apparatur domicilium. Hodie ex promissione genita, Joachimi et Annæ filia, ab iisdem pretiosum munus illi offertur, qui postea dignabitur ab ea generari. Hodie primordium lætitiae adducitur in templum trimula, quam virgines cum lampadibus ducunt. Hodie in Sancta sanctorum ceu donum ea infertur, quæ sterilitatis maledictionem abstulit. Hodie a prophetis prædicata, sacerdote ac propheta Zacharia comitante, in sanctiores templi recessus ascendit; et quem locum semel ille quotannis cum metu adibat, in eo puella ista hilari cum securitate diu noctuque considebat.

II. Quis rei novitate non obstupescat? quis non suspiciat inusitatum prodigium? Quis non percellatur admiratione, cum videat immaculatam Mariam in sacris adytis assidentem vel ipsis sacerdotibus factam inaccessam? Hoc initium est divinæ noisum coniunctionis. Hæc prima sunt lineamenta futuræ inter angelos hominesque societatis. Hæc expressa effigies nostræ instaurationis. Hæc nostræ vitæ spinas ferentes atque illius permutatio et sententia olim latæ: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas et tribulos submittet tibi* <sup>1</sup>; et illius: *In*

## CP. ARCHIEPISCOPUS.

*sudore vultus tui vesceris pane* <sup>2</sup>. Hæc est certa redemptio ab inficta illa poena: *Multiplicabo dolores tuos et gemitus tuos* <sup>3</sup>; et ab illa: *In dolore paries filios* <sup>4</sup>. Agamus itaque, fideles, festum diem omni nonore dignissimum, clarissimamque solemnitatem, quæ divinis radiis splendescens, intelligibiliusque accensa luminibus ac mysticis fulgoribus emicans, arcanae Dei cognitiones mortalibus coruscat, atque unam in tribus personis divinitatem, omnipotentiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti declarat.

Quare omnibus hisce argumentis in summam collectis, accommodate dicendi principium a Virginis deductione in templum pro viribus describenda faciamus, ac deinde legis implementum et editos gratiae fructus oratione prosequamur. Ipsa enim Sancta sanctorum, immaculatus Verbi thalamus, virginea virga florens, arca sanctificationis, mons sanctus, tabernaculum Dei capax, incombustus rubus, flammivolus Dei currus, columba impolluta, amplissima Verbi sedes, nubes a Deo illuminata, variegata regina e semine David prognata, in sui habitationem a Davidis Creatore ac Deo servata fuerat.

III. Joachimus itaque e duodecim Israelis tribubus homo dives idemque justus, sua in Dei honorem munera deferebat. Sed cum semine infecundus ac liberorum expers esset, sacerdotes e templo Domini ejus dona contumeliose rejecerunt hisce verbis: *Haudquaquam ista Deo offerre tibi fas est, quippe qui nulla sobole auctus fueris in Israele.* At ille oculis vultuque præ tristitia demissis excessit e templo Domini, moerore oppressus; tum solus in monte ad supplicandum Deum conversus, contrito corde ægroque animo sic clamabat: Tu, Domine,

<sup>1</sup> Gen. iii, 17. <sup>2</sup> ibid. 19. <sup>3</sup> ibid. 16. <sup>4</sup> ibid.

cordium inspector, et rerum omnium tum visibilium tum invisibilium conditor, qui *cælum extendisti sicut pellem*<sup>5</sup>, qui solem verbo tuo creasti ad illuminandum diem, et lunam cum stellis, ut faciem præberet nocti<sup>6</sup>, qui nebulis madeficeri aerem jussisti, qui flamina ventorum quasi clausus conclusisti, qui mare frenasti arenis, ipsumque omni piscium genere, quemadmodum terram quoque brutis animalibus et feris et alitibus, ditasti, et escam omnibus pro tua voluntate ac nutu suppeditas, qui in terræ superficie herbas producis, et omnes arbores sua quasque pulchritudine exornas, exaudi me, o misericors, et mihi sobolem largire. Pignus propagandæ stirpis da mihi, ut obstruantur *labia dolosa*, quæ iniquitatem loquuntur *adversus justum superbe atque insolenter*<sup>7</sup>.

Hæc hominis justi verba, hæc progenitoris obtainaciones, tales Joachimi ex penito animi dolore gemitus.

IV. Quid vero etiam Anna? quippe juvat ejus quoque dictorum mentionem facere. Illa enim, quæ concors vixerat una cum viro, et flore ætatis amissum vergebatur in senium, in perpetua jacuerat sterilitate. Cæterum cum et iam muliebria desisissent, dignoscebatur exsors concipiendi fœtus conditione ipsa naturæ. Itaque mariti animadverso in devium locum secessu, tanquam turtur appetens solitudinis in horto suo supplicibus precationibus artificem rerum atque effectorem ita obsecrabat: O Domine exercituum, qui *sedes super Cherubim*<sup>8</sup>, quem glorificant Seraphim, cui parent ad ministerium angelorum *decies millies centena milia*, quem *millia millium*<sup>9</sup> agminum collaudant et venerantur, qui Adamum tua manu fluxisti, ipsique vitam jussu tuo vivifico indidisti, et ex ejus latere mulierem ædificasti, qui pro tua sapienti ordinatione *adjutorium sibi simile*<sup>10</sup> ipsi fecisti, et duos in unum copulasti, *Erunt*, inquiens, *duo in carnem unam*<sup>11</sup>, qui Abrahamo servo tuo et patriarchæ dedisti filium illum Isaacum post senectutem ac sterilitatem Saræ, eundemque effecisti patrem multarum gentium, qui Annæ cognomini et tribuli meæ pulcherimum et sacrum puerum donasti Samuelem, veluti filium in supplicationum gratiam divinitus concessum ac veluti triumphum de mendacio odioque reportatum; *intuere*, o Altissime, *de tabernaculo sancto tuo*<sup>12</sup>, aperi ad conceptum sobolis uterum meum, execute a me infecunditatis mœrem, et abrumpe vincula meæ sterilitatis, ut natum ex me famula tua fructum, sive filiolus ille fuerit sive filiola, munus tibi offeram, velut sacrificium in odorem suavitatis, velut oblationem mundam, velut donum pretiosum, velut sancte dedicatum donarium, velut divinam ad inhabitaendum ædem immaculatam, velut agnum primogenitum, velut novum Isaacum.

<sup>5</sup> Psal. cii, 2. <sup>6</sup> Gen. i, 16. <sup>7</sup> Psal. xxx, 18, 19.  
<sup>11</sup> Gen. iii, 24. <sup>12</sup> Baruch, ii, 16.

V. Utrisque igitur sic precantibus astiit angelus Domini, qui sanctissimæ Mariæ conceptum nuntiavit, inquiens: Altissimus exaudivit preces vestras, ac brevi filiam gignetis, beatam illam, quæ ex omnibus generationibus in Dei habitationem electa est. Ubi hunc angelus edidit letissime nuntium, Joachimus mirificis gaudiis gestiens descendit de monte, Anna vero uterum, qui sterilis fuerat, secundum experta est ex voluntate carnis et ex voluntate viri; tum cognita post novem menses matritate partus, genuit intemeratam Virginem et Dei Matrem Mariam salutis mortalium conciliatricem.

VI. Jam sententiam illam spuriam, quæ perphæbat septimo mense post conceptum fuisse Virginem genitam, nemo in Ecclesia innutritus probaverit. Multos enim fatuos audivi de hac re contendentes, quos ego judico infidelibus deterioribus, cum hereticorum propria sint ejusmodi inventa. Hæc Ecclesiæ adversa sunt, a recte sentientibus plane aliena. Virgo enim ac *Dei filia* Maria matrem novem mensium spatium in alvo matris absoluit, ut postulat humana natura. Verum stultorum ora, quæ nullam labem in illibata potuerint invenire, sententiam hanc Scripturæ affinxerunt a vero rectoque sensu longissime abhorrentem. Sed nec quispiam e simplicioribus illam animo imbibat; quod enim ad prudentiores spectat, existimo eos ne passuros quidem, ut vel ipsis auribus tale quiddam hauriant; quia Scripturæ verba studiose legentes eam divinis sensibus interpretantur, et si quando in ipsa zizania ab iuicis disseminatam reperient, ut sit Ecclesiæ penitus extirpant.

VII. Sed nunc ad propositum revertamur, narrationis seriem, atque ea quæ ad nativitatem specent, percurrentes atque explicantes. Cum enim prænuntiata exitum perspicue habuissent, et immaculata puella ac *Dei filia* a justis Joachimo et Anna fuisse progenita, hi serio operam posuere, ut liberarent promissi fidem. Igitur licebat videre piam Annam exsultantem, ac gestientem, et Virginem hisce verbis festivissime compellantem: Quis dixisset, filia, ex me te prodituram, quæ beata comonstrata es in generationes generationum? Quis te inter meas ulnas aspiciens lac singentem, non illum laudaverit, qui te dedit mihi secunditatis et prolis experti? Quis intuens hæc ubera lacte, quod nunquam emiserant, iam redundantia, non cum magnifice efferat, qui e duro silice aquæ scatibus sentienti populo elicit? Sed veiri, filia, ad eum qui te inibi clarginus est. Veni, arca sanctificationis, ad misericordiæ Dominum. Veni, porta divinæ vitæ, veni, thalamæ Verbi, ad templum Domini. Intra in gaudium Domini, tu mundi gaudium et exultatio. Fruere ejus pulchritudine, quem non ita multo

<sup>8</sup> Dan. iii, 53. <sup>9</sup> Dan. vii, 10. <sup>10</sup> Gen. ii, 48.

post humana forma indutum paries. Ego vero beata sum, quæ talis filie mater prædicor. Congratulamini mihi, tribus Israelis, quoniam post sterilitatem mater sum ejus effecta, quæ mater Altissimi constituetur. Exsurge, virgines ferentes lampades, et praete immaculatam Virginem, et Dei filiam. Cantate ei in laude, psallite ipsi in cithara, acclamate illi cum cantico spirituali, psalterio deachordam magnificare. Tu quoque, David Dei progenitor, puerlam lauda profectam de stirpe tua, et magniloquum hymnum effe, sic inquiens<sup>13</sup>: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.*

VIII. Cum hæc aliaque horum similia Anna gratiæ cognominis dixisset, pretiosum illum Trinitatis thesaurum, tres annos natam Virginem Deique matrem in templum Domini letabunda deduxit, et cum Joachimo hymnos in gratiarum actionem effundens, convocatoque virginum cœtu gestantium faces, aditum qui ducit ad Sancta sanctorum occupavit. Atque ibi Zachariam, quippe qui et propheta erat et sacerdos et consanguineus et minister legitimi testamenti, venerandum illud conjugum par letantibus labi's atque oris exultatione appellabat clamans: *Accipe, o Zacharia, sanctam immaculatam; accipe, sacerdos, intemeratum Verbi thalamum; accipe, o propheta, thuribulum lucis ab omni materia secreta; accipe, o justus, ignitum currum Altissimi. Accipe, o inculpatus, floridam vitem, quæ raeicum æternæ vitae efferet; intromitte illam in intimos recessus templi Domini; inser illam in locum sanctuarii, quod Altissimus in sui domicilium secrevit; inducito hanc in sanctissima penetralia, quæ mox in utero eum portabit, qui oculis cerni non potest; beatam ipsam prædicta, quæ beatos efficit omnes mortales; magnifice hanc lauda, quæ prolata est velut divinitus conscriptus liber magnalium Dei. Excipe hanc, quæ a maledicto in primam parentem Evam immisso nos liberat; complectere hanc, quæ nos cum Deo charitate colligavit, et inimicitiam serpentis fraude inductam suo partu abstulit; implica istam brachiis, quæ nos ab implexu serpentis abstrahit. De hac vaticinare, quæ propheticorum vaticiniorum implementum, divinarumque promissionum compendium in se exhibet. Ipsa mensa divini panis, viannum exhilarans, cibus gratuitus, columba illibata, cœlum animatum, lampas valde rutila, sponsa multis hymnis celebrata, mater multis laudibus ornata, oliva divinitus irrigata, divinum velut ulum dispensationis Altissimi, tabernaculum sanctum, candelabrum a Deo fabrefactum, agna rationalis, propitiatorium Dei, vas inestimabile, thesaurus honorificus, tuba suaviter sonans, mons vinquis et coagulatus<sup>14</sup>, divinum vellus, nubes Deo*

referta, urbs admiranda, aulæum spiritale, lucerna divinitus excusa, scala per quam descendens Creator inter homines videbitur, eubile sanctum, gratiæ receptaculum, miraculorum abyssus, fons honorum, divitiarum copia inviolabilis, multis nominibus atque dotibus insignata et semper Virgo Dei mater. Hanc introducit in Sancta sanctorum, hanc regi afferro tanquam pretiosissimum donum, hanc lauda velut reginam universitatis rerum, hanc appara ut palatium regis universorum, hanc hymnis extolle ut tutum praesidium omnium virginum, huic sedem in templo manufacto præbe, quæ templi animatum est Verbi omnium conditoris.

IX. Hæ fuerunt ab Joachimo et Anna editæ letæ prædicationes, hæ Deo redditæ evin gratiarum actione laudationes, hæ apud prophetam Zachariam datæ summa cum fiducia testificationes. Quare sacerdos, ut Dei propheta, quicunque tenens Sancta sanctorum particeps Dei erat, intuens in Virgine aspectus pulchritudinem, vultus decorum, lingue modestiam, animi nobilitatem, vitæ inculpatum decus, pedum incessum, morum compositionem, decentiam habitus, afflatu sancti Spiritus conceptio exclamavit: *O puella immaculata, o virgo impolluta, o adolescentula venustissima, o mulierum ornamentum, filiarum nitor, o mater Virgo sancta, tu benedicta inter mulieres, tu celebrata propter innocentiam, tu obsignata virginitate; tu Adami maledicti expiatio, tu debiti Evæ solutio; tu Abelis purissima oblatio, primogenitorum delictus<sup>15</sup>, immaculatum sacrificium; tu Sethi recta disciplina<sup>16</sup> (tu conceptum in utero Dei filium paries sine dolore<sup>17</sup>); tu Enos in Deum spes non pudore suffusa; tu Enoch inita gratia et in securam vitam migratio; tu Noachi arca, et secundæ regenerationis apud Deum conciliatio; tu regni et sacerdotii Melchisedechi perillustris splendor; tu Abrahami firma fiducia et promissionis futuræ posteritatis obsequens fides; tu Isaaci novum sacrificium et rationale holocaustum; tu Jacobi in scalam ascensus causa, et secunditatis in duodecim tribus permanantis expressio nobilissima; tu Judæ apparuisti secundum stirpem filia; tu Josephi pudicitia, et veteris Ægypti, nimirum Synagogæ Judæorum, eversio, o immaculata; tu Johi in temptationibus patientiae perfectio et bonorum ejus in duplum restitutio ac ditissima copia; tu Moysis ejusque Legislatoris liber divinitus concinnatus, in quo scriptum est saeramentum regenerationis, et divinis digitis insculpta in tabulis lex est tanquam in monte Sina, ubi novus Israel ab intelligibili Ægyptiorum servitute vindicabitur, quemadmodum antiquus populus in soliditidine manna et aqua de aspera petra satiatus est, *petra autem erat Christus<sup>18</sup>; et tuo gremio proditurus tanquam sponsus a thalamo<sup>19</sup>; tu Aaronis virga florescens; tu Jesum Nave filium in mediis**

<sup>13</sup> Psal. XLIV, 11, 12. <sup>14</sup> Psal. LXVII, 7. <sup>15</sup> Conf. Gen. IV, 4. <sup>16</sup> Gen. IV, 25, et Excli. XLIV, 19. <sup>17</sup> Unus inclusa sunt verba, quæ seriem orationis videntur interrumpere. <sup>18</sup> I Cor. X, 4. <sup>19</sup> Psal. XVIII, 6.

adversariis gloriosum reddidisti; tu es Davidis filia, simbris aureis circumvestita, vario ornatu nitescens<sup>20</sup>, tu lectus Salomonis ex auro factus, quem sexaginta viri fortissimi circumdant<sup>21</sup>, musicas voces divinarum Scripturarum in Deo tuba canentes; ascensio es assumptionis Eliæ, et intelligibilis Jezabelis exitium. Tu Elisæi duplicitis pallii benedictio, qua ille divisit fluentia Jordani et siccis pedibus transiit, et aquam sale medicatam ad bibendum aptam reddidit; tu Jonæ in ceti ventre incolumentis, et Nivitarum ad meliora consilia conversio ac benigna venia.

Tu es prophetarum speculum, et rerum ab ipsis prænuntiatarum exitus. Te enim Ezechiel vaticinans appellavit portam clausam, per quam nemo hominum unquam transibit nisi Dominus Deus solus, et portam clausam conservabit<sup>22</sup>; te Isaías ille in primis grandiloquus prænuntiat virgam Jesse, ex qua flos Christus orietur, et fructibus vitiorum extirpatis radicibus plantas divinæ cognitionis in agro inseret<sup>23</sup>; te Jeremias præmonstravit inquiens: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et seriam domui Israel et domui Judæ fœdus novum quod constitui cum patribus eorum*<sup>24</sup>; ita significans adventum ortumque Filii tui, et populum gentium vocans ad Deum adorandum inde usque a finibus terræ; te etiam Daniel vir desideriorum<sup>25</sup> proclamavit montem ingentem<sup>26</sup>, e quo Christus lapis angularis abscedet, et simulacrum multiformis serpentis ruina atque exitio dissipabit; te pueri tres Babylonis figura adumbrantes, et exspectationem Filii tui animo intuiti, fornacem septenis incendiis auctam perambularunt illæsi, et in medio igne quasi in thalamo læti gestiebant; te Habacuc Theman montem appellat<sup>27</sup>, ex quo regis sceptra potenter exorta sunt, in quo trepidatione percelluntur tabernacula Æthiopum, et tentoria terræ Madian. Te honoro agnam immaculatam, te prædicto gratia plenam, te effero e cunctis generationibus designatam Dei sponsam, te cano, quæ mox novum cœlum cognosceris; te adduco tanquam thesaurum pretiosissimum in templum Domini; te extollo Novum Testamentum, in quo Messias Christus inscriptus, hinc litteræ legalium finem imponet, inde vocationis gratiæ initium faciet, per baptismum; hinc umbram perrumpet circumcisionis, inde presentiam Spiritus terrigenis desursum largietur.

X. Postquam propheta sanctissimis hisce laudibus Mariam cumulavit, eam ad summos altaris gradus deductam Domino Deo obtulit. Quamobrem genitores Joachimus et Anna læto animo e templo regressi sunt, Virginis intelligentiam et mansuetudinem et benignitatem admirantes. Ipsa porro infantium prætergressa balbutiem, colebat Omnipot-

tentem, et nutrimentum e cœlo per angelum accipiens aversabatur vulgarem cibum, et in templo quotidie assidua res mundi caducas velut aranei telam reputabat, et cœli opes assecuta terrenas divitias respuebat, et gaudium angelorum quotidie contemplans, hujus vitae curis superiorem se monstrabat, et sanctum Spiritum perpetuo intuens, malorum spirituum agmina invisibiliter disiciebat.

XI. Quid enim agebat Virgo degens in sanctissimis templi adytis? Angelorum cibum ab angelo accipiebat, et immaculatæ columbæ similis virginitatem servans, templi et cœli terræque opifici cum gratiarum actione et effusissimo animi affectu ita supplicabat: *Laudabo te, omnipotens Altissime, qui primæ genitricis meæ Evæ abstulisti opprobrium, et propter ineffabilem misericordiam tuam missurus es in terram Filium tuum unigenitum, ut cum hominibus conversetur. Quare habitatio ipsius siam pura et immaculata.*

Et sane, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia<sup>28</sup>. Per mulierem mortem lucrat sumus, per mulierem universa ipse rursus instaurabit: per serpentem cibum accepimus amari saporis, per ipsum vero ruitum vescemur cibo immortalitatis. Prima parens Eva Cainum in lucem edidit invidiæ et nequitiae principem; unigenitus Filius tuus erit primogenitus vitae ac resurrectionis. O inauditum prodigium! o admirandam novitatem! o sapientiam nullis verbis coæquandam!

XII. Quo igitur nomine Mariam appellabimus? Num cœlum? et sane cœli terræque effectorem suo utero conclusit. An solem? ipsa enim septies sole splendorior emitens, justitiæ Solem concepit. An lunam? etenim incomparabili pulchritudine emicans, Christum omni pulchritudine decorum peperit. An rubem? etenim eum, qui nubibus vestitur, suis ultinis gestavit. An candelabrum? etenim in tenebris et umbra mortis sedentibus lux refusit. An thronum? etenim eum qui in paterno throno invisibilis regnat, in Spiritu sancto circumscriptum suo utero recepit. An margaritam? etenim multo pretiosissimam margaritam mortalibus comparavit. An paradisum? etenim Edem iis, qui damnati erant, adaperiens, in regnum eos inducit perpetuo duraturum. An montem? ei enim, quo jubente montes sumigant<sup>29</sup> continent non fuit angusta. An terram? etenim eum, cuius nutu terra concutitur, sine dolore utero gestavit. An mensam? etenim eum, qui nobis suppeditat alimentum, lacte materno enutravit. An mare? eum enim, qui aquas in unum locum congregavit, suis labiis osculavit.

XIII. Ecquis igitur non percellatur stupore? Ecquis admiratione desixus non teneatur? Quis summum reverentia non colat mysterii magnitudinem?

<sup>20</sup> Psal. XLIV, 14. <sup>21</sup> Cant. III, 7. <sup>22</sup> Ezech. XLIV, 1-3. <sup>23</sup> Isa. XI, 1. <sup>24</sup> Jerem. secund. LXX, cap. XLIII, 31, 32. <sup>25</sup> Dan. X, 11. <sup>26</sup> ibid. II, 54, 55. <sup>27</sup> Quod Vulgatus interpres (Habac. III, 3) habet, Deus ab Austro veniet, LXX versio reddidit ὁ Θεὸς ἐξ ὀρεῶν ἤζει. <sup>28</sup> Rom. V, 20. <sup>29</sup> Psal. CII, 32.

Nam si opera ante gratiam patrata ejusmodi sunt, quæ mentis vim atque omnem cogitationem excedunt; quis tandem poterit edita post gratiam enarrare? Si illustria sunt, quæ ad umbram pertinent et ad legem antiquatam, quanta demum videbuntur, quæ subsecuta sunt Spiritus manifestationem?

Pudor occupet hæreticorum filios, qui buccis impensis et veneno infectis conantur Virginem calumniari. Gloriosa enim Maria ad honorem erecta Genitricis Dei, quem cum secundum humanam formam concepisset et gestasset, præter naturæ ordinem Deum pariter et hominem peperit. Hujus venerandam effigiem, propter cunctem honorantes, amplectimur; imo illius quoque, utpote quæ Mater exstitit ejus, qui secundum carnem nobiscum conversatus est, imaginem cultu relativo veneramur, non quidem materię venerationem (id quod absit) adhibentes, sed honorem referentes ad exemplar, ut divina fide percepimus. Non enim formam divinitatis, ut vos ~~ex~~ et improbi dictitatibus, objiciimus oculis, sed ex nobis assumptam a Salvatore carnem, qua ille nobiscum sine sui mutatione vixit, ac primogenitam e mortuis redivivam formis effigientes, predicamus. Propter ipsum autem, qui carnem assumpsit, etiam genitricis, ut omnino immaculatæ, effigiem eo cultu, quo deceat, honoramus. Ipsa enim vere sancta, quæ eum, qui solus sanctus est, arcana ratione concepit. Et sane si Deus iussit Abrahæum afferre vitulam trimam et capellam trimam in animalium purgationem, quomodo virgo a creatione mundi prædestinata, et ex omnibus generationibus electa in impollutum domicilium, et omnipotenti oblata in templo sancto, non honore digna et pura et impolluta extat, et oblatio immaculata humanæ naturæ?

XIV. O Synagoga Judeorum, qui Virginem e tribu vestra effulgente non Dei Matrem habuistis, imo vero convicia indignissime et protervi labiis ingerritis, et invidia incitati eidem injustitiam et legum contemptum exprobratis; quomodo æternum Patris Filium ab ipsa extremis temporibus secundum carnem genitum haudquam recepistis? et non modo matris, sed et filii gloriae exsortes remansistis, non quasi ipse præsens factus vos ullo modo rejecerit, sed quia vestra malitia eum repudiasti; et in improbitate stultitiae vestræ pervicaciter perseveravites, ab utriusque gloria excidistis! Igitur tamenquam homines nequam et olim, et posthac, in totius mundi luce collocasti flagitia malevolentiae vestræ, juxta Salvatoris oraculum perspicue de vobis significatum: Amen, amen dico vobis, si filii Abrahæ esseis, opera Abrahæ faceretis; ille enim de me locutus est; nunc autem ex diabolo estis, et desideria

patris vestri rullis facere <sup>30</sup>. Et alibi rursus: Nolite putare quia ego accusatur sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit <sup>31</sup>. Et rursus: Si non venissem, et locutus fuisse eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo <sup>32</sup>.

XV. At nos populus Dei, gens sancta, congregatio acceptabilis <sup>33</sup>, orthodoxorum acies, filii columbae, soboles gratiæ, qui festo cultu agimus deductionem Virginis in templum, puris animis, impollutis labiis, multisonis linguis in hac celebritate hymnos suavidicos extollamus, illustre hoc festum, principem solemnitatem angelis lætam et hominum prædicatione dignissimam, prouti par est, venerantes: et illud Ave Gabrielis cum reverentia et gaudio sancto conclamemus:

Ave, delicium Patris, per quam ad ultimos terræ fines Dei cognitio manavit. Ave, Filii domicilium, de qua ille carne induitus prodiit. Ave, sancti Spiritus habitaculum ineffabile. Ave, supernarum mentium celebratissima admiratio. Ave, sanctior Cherubim; ave, gloriosior Seraphim; ave, cœlo latior; ave, sole splendidior; ave, luna micantior. Ave, multiplex astrorum nitor; ave, levis nubes, quæ cœlestem pluviam inspergis; ave, fulgor suaviter emicans in fidelium oculos; ave, spiritale tonitru hominum auribus resonans sine strepitu; ave, aura sancta, quæ spiritus malitiae e terra dissipasti. Ave, nobile præconium prophetarum; ave, apostolorum auditus per totum orbem sonus; ave, martyrum excellens confessio; ave, patriarcharum laudatissima prædicatio; ave, sanctorum summum ornamentum; ave, justorum verissima voluptas; ave, virginum beatissima gloriatio; ave, regum sceptrum ac firmitas; ave, sacerdotum maximum ministerium; ave, peccatorum invictum refugium. Ave, gloriosa navigantium gubernatio; ave, cadentium erectio, o Domina. Ave, ægrotantium gratuita medicina; ave, morientium certa resurrectio; ave, causa salutis omnium mortalium. Ave, mundi gaudium inenarrabile; ave, regina pacis conciliatrix; ave, matrum splendor immaculatus. Ave, Verbi sedes amplissima; ave, senum tutum fulcimentum; ave, juvenum divina institutio; ave, infantium illustris custodia; ave, mediatrix omnium qui sub cœlo sunt; ave, totius orbis reparatio; ave, cœli terræque magniscentissima celebritas; ave, gratia plena, Dominus tecum, qui ante te, et ex te, et nobiscum. Ipsi laus cum Patre et sanctissimo et benefico et vivisculo Spiritu, nunc et semper et in infinita sæculorum. Amien.

<sup>30</sup> Joan. viii, 39 et 44. Illa verba, ille enim de me locutus est, in Evangelio nusquam leguntur. <sup>31</sup> Joan. v, 45, 46. <sup>32</sup> Joan. xv, 22. <sup>33</sup> Tit. ii, 14.

## SANCTUS THEODORUS STUDITA.

*Laudatio in Dormitionem sanctæ Domini nostre  
Deiparæ.*

1. Tuba vocem, buccinæ clangorem, solito resonantius clamantem, et orbis suus strepitu concutientem, sermo mens cum postulet ob hanc sacri praeconii dicim celebrandam; vix, o viri, per phoneticæ nostri organi infirmas vires procedit. Sed Regina ac Domina universi, tanquam minime ambitionata, recipiet, spero, hunc quoque brevem, famulitio ejus afflictam, pauperculum nostrum sermonem, siad secus quam sublimum oratorum longes splendidasque orationes, ejus qui mihi id demandavit, precibus propitiata: preter quam quod, unice aspicit mentis propositum benignissima virgo. Age nunc mihi hue simul adesto, universa quæ cœlo subes terra, quantum est pontificum ac sacerdotum, monachorum et laicorum, regum et principum, virorum ac feminarum, adolescentiorum ac virginum, tribuum et linguarum, ex omni genere ac populo; virtutumque quasi mutatoris sumptis, aureis fimbriis circumamicta et variata, prodi hilariter gestiens, ut Dominiparæ Mariae funebria et transitum celebres. Migrat enim ex his terrestribus et appropinquat montibus æternis, verus Sionis mons, in quo Deo habitare placuit, ut Psalmista lyra canit. Hodie igitur terrenum cœlum incorruptibilitatis vestimento circumamictum transfertur ad meliorem æternamque mansiōnem. Hodie spiritualis atque a Deo illuminata luna in justitiae Solem incurrens, deficit quidem a præsenti temporali vita, simulque exoriente immortalitatis dignitate illustratur. Hodie inaurata et divinitus fabricata sanctitatis arca de terrenis tabernaculis ad supernam Jerusalem commigrat, in requiem sine carentem; id quod nobis et theopater David, eithara veluti canens ait. *Adducentur regi virgines;* id est animæ, post illam tibi afferentur.

2. Nunc ergo materiales oculos Deipara claudens, spiritualia nobis et magna attollit luminaria, nunquam occasura, ante scilicet conspectum Dei pro mundi tutela pervigilantia: nunc cum vox articulata in ejus commotis a Deo labiis silet, ad æternam loquacem supplex suum pro universo hominum genere os adaperit: nunc corporales suas, quæ Deum gestavere manus demittens, facta immortalis, ad Dominum pro mundi salute attollit: nunc soli parem subtrahens naturalem formam, splendet tamen in pœta iconæ sua, quam populis ad congruæ venerationis salutarem contacatum exhibet; etiam si id minime vellent heretici: et cum in supra evolaverit columba sanctissima, inferiora hæc protegere non desinit: corpore egressa, spiritu nobiscum est: cœlo illata, dæmones fugat facta apud Dominum mediatrix. Olim quidem per progenitricem Euan mors ingressa mundum imperio premebat; nunc tamen beatam illius filiam aggressa, depulsa est; indidem victa,

unde olim potentiam sumpserat. Lætetur igitur feminineum genus, pro ignominia gloriam sortitum. Gaudeat Eva, quæ jam deinceps non est maledicta, postquam benedictionis sobolem Mariam protulit. Exsultet creatura universa, que immortalitatis fluenta ex virgineo fonte mystice haurit, quibus a mortisera siti liberatur. Hæc nostra est hodierna solemnitas: hæc est hymnologia quam nobis suppeditat Jessæ radix quæ florem Christum extulit, sacra Aaronis virga frondescens, intellectualis paradisus ubi vitæ lignum, spiritale pratum virginarium aromatum, florida et a Deo exulta vitis maturi vitaque manantis ræcemi: celsus elevatusque thronus Cherubicus regis universalis, domus gloria Domini plena, sanctum Christi velamen, lucidissima Orientis regio, quæ in pace ac justitia obdormivisti, obdormivisti, inquam, potius quam obiisti: translata es, neque tamen humatum genus protegere desinis. Quibusnam itaque verbis mysterium tuum explanemus, mente ambigimus, lingua infirma non eloquitor, scribere titubamus, quia peregrinum excelsumque est, atque omnes cogitationes transcendit. Neque enim illud commune aliquid habet aut comparativum, ut facile ex rebus nostris demonstrationem illius faciamus; sed ex iis quæ supra nos sunt, decora tua pie comprehenserentes; cui tibi quæ superiora homini sunt concedimus. Inmutasti igitur naturam ineffabili partu tuo. Quandonam enim audivit quisquam virginem sine semine concipientem? O rem miram! quæ mater est pariens, eam vides virginem incorruptam, quia scilicet quod pariebatur, Deus erat. Hoc unum itaque etiam in vitali dormitione, a cæteris differens, merito sola habes, utriusque simul (corporis et animæ) incorruptelar.

3. Sed jam nobis Sion enarret dici illius mirabilia. Complectus erat vitæ terminus; aderat resolutionis hora. Præcognoverat, ut par erat, Dei Mater sanctissima translationis suæ stadium. Quis enim hoc multo magis, o Philochristi, præ aliquo quolibet servilis conditionis vate, Matri Dei et principi prophetarum non attribuat? Postquam igitur hæc sensit et agnovit, qualia ipsam elata voce dixisse ratio nobis suadet? Venit, inquit, exitus mei dies: venit tempus meæ ad te transitionis. Adsint milii qui meas exsequias curent, Domine: assistant, famus meum curatur ministri; et in manus tuas spiritum meum commendabo. Manibus discipulorum tuorum, intactum Deique receptaculum corpus meum, ex quo tu qui es ipsa immortalitas prodisti, efficeratur. Adsint milii ad solatiū qui in cunctis terre finibus dispersi sunt, præcōnes ac ministri Evangelii tui. Quod si justum Enochum viventem adhuc propter suam bonitatem transferri voluisti; et Eliam Thesbitem igneo curru sustolli ex hac cognita ad ignotas regiones, ambos scilicet

tremendi tui ac splendidissimi adventus tempus exspectantes : si præterea prophetam Habacucum ex Hierosolymis Babylonem usque, ob Danielis necessitatem, uno temporis momento transferri, et inde reverti mirabiliter fecisti; quid tibi impossibile sit, modo velis? Vix hæc dixerat laudatissima Virgo, cum duodecim apostoli supervenerunt, alias aliunde ceu nebulae alis spiritus ad lucis nebulam (nempe quæ lucem fulgore suo obscurabat) delati donec illic pedem figerent. Quid ergo dixit virgo theonyma, polyouyma, megalonyma? Oculos circumferens de suo recubitu, vidensque expeditos discipulos : Lætetur, inquit, anima mea in Domino, sitque hic mihi gaudii titulus, et laudationis atque amplitudinis apud omnes terræ populos, quia congregavit mihi Dominus Ecclesiæ fundamenta, mundi principes adunavit, mirabiles funeris mei ministros. O grande portentum! o maternæ sanctificationis opus! o filialis dilectionis donum! Cœlum mihi patet hospitium, quod mundi luminaria continent; templum Domini, cœleste lacunar, aperitur, divos mystas sacerdotesque mihi ostendens. Haud jam ulterius Judaica factio meditabitur adversus me vesaniam, neque adversus me violentam manum armabit cædi meæ anhelans sacerdotalis senatus. Jamdiu quidem hi cruenti moliti sunt Matrem cum Filio perimere, sed scopo aberrarunt, superna eos cohidente Providentia. Ad tuta transmigro habitacula, ad tutam et sine molestia quietem, ubi inimicus malitiæ suæ insidias non collocat, ubi Domini deliciis fruar, templumque spectabo ego quæ illius templum splendidum fui.

4. Age vero quid Virgini responderunt sive propriis sive prophetarum verbis beati apostoli? 1° Ave, aiebant, scala a terra in cœlum protensa, per quam Domini ad nos descensus, et in cœlum redditus fuit, ut Jacob patriarcha vidit. 2° Ave, rube mirabilissime, ex quo angelus Domini apparuit in ignis flamma, quemardens ignis non comburebat, sicuti summo Dei spectatori Moysi ostensum est. 3° Ave, Deo gravidum vellus, ex quo cœlestis ros defluxit, imo plenus aqua catillus, quod admirabili contigit Gedeoni. 4° Ave, civitas regis magni, quam admirabundi reges magnificant, ut hymnographus David delineat. 5° Ave, intellectualis Bethleem, dominus Ephratha, ex qua egressus est Rex gloriæ, ut fieret princeps in Israele, cuius exitus ab initio dierum sæculi, ut ait divus Michæas. 6° Salve, umbrose mons virginee, ex quo Sanctus Israelis apparuit, ut Habacucus divinitus instinctus clamat. 7° Ave, lucerna auro splendens lucifera, ex qua sedentibus in tenebris et in umbra mortis effulxit inaccessa deitatis lux, secundum divinitus afflatum Zachariam. 8° Ave, universale mortalium propitiatorium, per quod ab ortu solis usque ad occasum nomen Domini glorificatur in gentibus, et in omni loco thurificatio nomini ejus offertur, sicut ait sanctissimus Malachias. 9° Ave, levis nebula, in qua Dominus resedit, ut est apud sacra magna que voce præditum Isaiam. 10° Ave, sacer mandatorum

Domini liber, noviter scripta gratiæ lex, per quam Deo placita nobis innotescunt, prout luctuosissimum ait Jeremias. 11° Ave, janua clausa, per quam Deus Israelis ingressus est et egressus, sicut summus De speculator Ezechiel scribit. 12° Ave, nulla manu laborate mons celsissime, ex quo angularis abscessus fuit lapis, sicut ait summus theologus Daniel.

5. Sed enim quænam mens complectatur, vel oratio exæquet, quot quantaque ibi cecinerunt, dixerunt, laudativo præconio extulerunt theologi viri? At postquam justis særis funeti fuerunt, saneteque saneta peregerunt, ecce adfuit ipse Dominus cum gloria fortitudinis suæ omnique cœlorum exercitu. Et invisibiliter quidem incorporei (angeli), corporaliter autem apostoli divinorum magnium hymnistæ erant. Mista erat, o fratres, panegyris atque chorus cœlestium ac terrenorum (nec quisquam miretur nostram Deo dignas res narrantem orationem), Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Thronorum, Principatum, Potestatum, Virtutum, Cherubinorum, Seraphinorum, apostolorum, martyrum, justorum: quorum alii deducebant, alii præcedebant, alii subsequebantur, alii stipabant, cunctique una voce cum jubilis clamabant: Cantate Domino, laudate Dominum, benedictus Dominus super justo monte sancto ejus, et exaltetur cœlum in sublime. Quis ergo audivit par canticum a sæculo, o Philochristi? quis hujusmodi exsequiarum pompam? Quis unquam talen transitum novit, quali Mater Domini mei digna fuit? Neque id immerito, quandoquidem nemo illa excelsior, quæ omnium maxima fuit. Horret spiritus meus, dum transitus tui magnalia, o Virgo, recogitat. Perhorrescit mens mea, dum tuæ dormitionis admirabilitatem reputat. Hæret singua mea, dum tui reviviscentis mysterium enarrat. Nam quis digne auditus faciet omnes laudes tuas, et narrabit cuncta mirabilia tua? Quænam mens scitis sublimi facundia eloquetur? quænam lingua magnisona prædicabit? tua, inquam, decora effabuntur, res tuas describet, merita tua verbis exprimet, vel tua mirabilia exæquabit mysteria, celebritates, festos dies, laudationes, encomia? Quamobrem ad hoc quoque mysterium celebrandum infirma est, viribus impar, et attingendo scopo inepta convincitur. Tu enim superemines, excedis, incomparabiliter superas, altitudine, magnitudine, sublimissimam quamlibet cœli partem: sanctitatis quidem splendore lucem solis, meritorum jure angelorum dignitatem, et cujuslibet incorporeæ rationalis substantie intellectualium et intelligibilium virtutum.

6. Sed, o illustrem splendidamque, sic enim lætanter aio, solemnitatem tuam! O prodigiosum plenumque stupore transitum tuum! O vitæ incorruptæque datriæ sepulturam tuam, o lucis Parentis! Sed nubes permeans, et in cœlum conscendens, et in Sancta sanctorum ingressa in voce exultationis et confessionis, benedicere digneris, o Deipara, orbi terrarum; intercessionibus tuis aerem salubriter temperans, imbrez idoneo tempore do-

nans, ventos apte regens, terram frugiferam faciens, Ecclesiam tranquillam, orthodoxiam firmam, imperium tutum; barbaras autem gentes longe submovens, universum Christi populum protegens; postremo mea quoque audacie parcens. Tuum enim hoc fuit effatum: tu, Mater Dei, prophetice quod futurum erat cecinisti: *Ecce enim, inquiens, ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes.* Quia igitur divinitus inspirata verba tua excedere nequeunt,

recipe mei quoque indigni famuli tui, quam pro viribus dixi, orationem: et *Redde lætitiam salutaris tui.* Precum tuarum robore confirmata me, cum præsule meo parante, et cum grege commisso: in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria et honor atque dominatio cum Patre omnipotente, et vivifico Spiritu nunc; et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

### S. AGOBARDUS, EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

*B. Maria, ut Verbum caro fieret, præparata et custodita.*

Dominus summe bonus et pius, ut tam magnam ruinam repararet, tam magnum vulnus sanaret, misit Filium suum Deum Verbum, ut caro fieret, id est homo verus, ut habitaret in nobis, id est, in

humanitate perfecta quam sumpsit pro nobis (Aug. in Joan. tract. 4) ex nobis, id est, ex sancta Virgine ad hoc præparata et custodita; habitaret autem corporaliter, non spiritualiter, ut in sanctis exteris, id est, dono gratiæ, sicut scriptum est: *Qui adhæret Domino unus spiritus est.* (Sermo de Fidei veritate, num. 6.)

### B. RABANUS MAURUS, ARCHIEP. MOGUNTINUS.

#### I. — Protoevangelium Christi et Mariæ.

*Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Mulier conteret caput serpentis, cum Ecclesia sancta insidias diaboli, et suasiones venenosas, in ipso mox initio deprehensas abigit, et quasi conculcans ad nihilum deducit. Conteret caput serpentis, cum superbia per quam Eva decepta est, sese sub potenti manu Dei humiliando resistit. *Initium enim omnis peccati superbia.* Et serpens insidiatur calcaneo mulieris, quia Ecclesiam diabolus velut leo rugiens circuit, querens quem devoret, quomodo gressus bonæ nostræ actionis avertat. Insidiatur calcaneo, cum in fine vitæ presentis, nos rapere satagit. Calcaneo namque, qui finis est corporis, non imerito finis vitæ nostræ designatur: quod utrumque ipsa quoque serpentis conditio figurate denuntiat, qui et conteri solet ab omnibus qui possunt, et ipse feriendis hominum vestigiis insidiari non desinit. (*Isid.*) Quidam autem hoc quod dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem,* de Virgine de qua Dominus natus est intellexerunt: eo quod illo tempore ex ea Dominus nasci turnus ad inimicum devincendum, et ad mortem, cuius ille auctor erat, destruendam, promittebat, sicut in David scriptum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal. cix*). Nam et illud quod subjunctum est: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus,* hoc de fructu ventris Mariæ, qui est Christus, intelligunt, id est, tu eum supplantabis ut moriatur; ille autem te victo resurget, et caput tuum conteret, quod est mors; sicut et David dixerat ex persona Patris ad Filium: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal. xc*). Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, leonem Antichristum, draconem diabolum. (Comment. in Gen. lib. 1, cap. 18.)

#### II. — Rubus figura seu typus B. M. Virginis.

Rubus (ut quidam opinantur) Mariæ Virginis

præfiguratione [præfiguratio est], eo quod quasi de humani corporis rubo, Salvatorem tenuquam rosam, emiserit: aut quod vim divini fulgoris sine sui consumptione pertulerit. Unde in Exodo legitur: *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet et non combreretur* (*Exod. iii*). (De universo, lib. xix, c. 6.)

#### III.—Virga Aaron Virginis Mariæ figura seu typus.

Virga Aaron post ariditatem floret, sed virgæ duodecim tribum in ariditate remanent, quia jam quidem corpus Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque in fine mundi a resurrectionis gloria differuntur. Igitur, sicut diximus, virga Aaron, quæ post siccitatem floruit, caro insinuatur Christi, quæ postquam de Jesse radice succisa est, vivacius mortificata reviviscit. Itaque virga post ariditatem virescens, Christus est post mortem resurgens. Ipsam enim virgam, ipsum florem intelligimus, ut in virga regnantis potentia, et in flore pulchritudo ejus monstretur. Unde et in Canticis canticorum dicit idem: *Ego sum flos campi et lilium convallium* (*Cant. ii*). Alii virgam hanc, quæ sine humore florem protulit, Mariam Virginem putant, quæ sine coitu edidit Verbum Dei, de qua scriptum est: *Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa. xi*), scilicet Christus, qui, futuræ typum passionis præferens, candido fidelumine, et passienis sanguine purpurabat flos virginum, corona martyrum, gratia continentium. (Enarrat. in lib., Num. lib. ii, c. 20.)

#### IV.—De sapientia Dei prophetatum quia de Virgine ex Spiritu sancto Filius nasceretur.

Radix sapientiae cui revelata est, et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiae cui revelata est, et manifestata? Et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est Altissimus

« Creator omnipotens, et Rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et videt, et dinumeravit, et mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligenteribus scilicet. Cum interrogat cui sapientiae radix revelata sit ac manifestata, et multiplicationem ingressus illius quis intellexerit, ostendit neminem posse profunditatem consilii Dei penetrare, aut magnitudinem bonitatis et misericordiae ejus (unde ad liberationem et illuminationem humani generis ipse homo fieri dignatus est) comprehendere. Sicut et Isaia propheta, stupens mysterium Nativitatis, ait : « Generationem autem ejus quis enarrabit ? » (*Isa. lxxii.*) Solus enim Deus Pater omnipotens unigenitus Filii sui adventum, per ipsum Verbum sibi coæternum simul cum Spiritu sancto ordinavit atque dispositus, quomodo per Virginis partum ad salutem mundi procecerit, ut repararet creaturam, quam fecit ab initio, ac hominem ( quem ipse creavit rectum, sed ille se per inobedientiam fecit perversum) iterum ad agnitionem et dilectionem sui revocaret, dans illi donum Spiritus sancti, ut ipsius munere salvaretur. (*In Eccl.*, lib. 1.)

#### V. — Desponsatio Virginis Mariae.

*Christi autem generatio sic erat.* Haec sententia bifarie ponit potest, id est ut sive ad enumerationem superius genealogiam respiciat, quam ita Evangelista in capite Evangelii sui inchoavit : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham, et sic per generationes singulorum vadens, usque ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Sicque finita serie generationum quasi rememorando dixit : *Christi autem generatio sic erat,* ac si diceret : Sic ordo humanæ generationis Christi per parentes ejus, usque ad Deum pervenit. Sive ad id jungatur quod subsequitur de desponsatione matris ejus, quomodo, antequam jungetur suo, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, ut quantum generatio Christi a cæteris distet aperiatur, cum cæteri per conjunctionem maris et feminæ solitam, ipse autem per Virginem utpote Dei Filius nascitur in mundum. (*Hieron.*) Si autem aliquis querendum putat eum Joseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad eum generationis ordo deductus usque ad Joseph, sciat primum non esse consuetudinis Scripturarum ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuisse Joseph et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur, ut propinquam et quod simul censemur in Bethlehem uti de una stirpe generati.

*Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph.* Quare autem non de simplici virgine, sed de desponsata, concipitur Salvator, haec ratio est. Primum ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur; secundo, ne lapidaretur a Judeis ut adultera; tertio ut in Ægyptum fugiens haberet solarium mariti. Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a sponsa con-

ceptus sit, ut partus, inquiens, celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine generatum, sed de uxore.

*Antequam convenienter inventa est in utero habens de Spiritu sancto (MAUR.)* Hoc quemadmodum factum sit, quoque ordine, vel in qua civitate sit celebrata conceptio, quod Matthæus hic prætermisit, Lucas sufficienter exposuit, post commemoratum conceptum Joannis ita narrans : *In mense, inquit, sexto missus angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem despontatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.* Et ingressus angelus ad eam dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, etc. (Luc. i);* que sequuntur de conceptione ejus, et de adventu Spiritus sancti super eam, et de obumbratione virtutis Altissimi. Quod ergo secundum Lucam angelus promisit futurum, hoc Matthæus narrat esse completem.

*Inventa est autem in utero habens de Spiritu sancto,* a nullo videlicet alio quam Joseph, qui licentia maritali futuræ uxoris pene omnia noverat; ideo tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intuitu. In eo quippe quod ait : *Antequam convenienter,* verbo conveniendi non ipsum conceubitum, sed nuptiarum, que procedere solent, tempus insinuat, quando ea que prius sponsata fuerat esse conjux incipit. Ergo *antequam convenienter,* dicit antequam nuptiarum solemnia rite celebrarent, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Siquidem memorato ordine post ea convenerunt, quando Joseph ad præceptum angeli accepit conjugem suam, sed non concubabant, quia sequitur, *et non cognoscebat eam.*

*Joseph autem vir ejus cum esset homo justus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Scriptum est, *si quis fornicariæ conjungitur unum corpus efficitur,* et in lege præceptum est non solum reos, sed et conseios eriminum obnoxios esse peccato. Quomodo Joseph cum erimen celat uxoris justus dicatur? Illa quippe justitia Joseph justus erat, quæ ante Dominum justitia est, quæ aliena a misericordia non est, quæ ex mentis simplicitate formatur, que gratiae concordat et ex fide est. (*Orig.*) Non illa quæ apud homines falso justitia dicatur, et vel ex affectu humani favoris simulate profertur vel a eruditate animi prolata sine discretione exereetur. Igitur erat in verbo justus, in facto justus, in legis consummatione, justus in initio gratiæ. Ideo eam dimittere volebat quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscet, cui adproximare sese indignum astimabat. Nam et in Isaia legerat virginem de domo David esse concepturam et paritaram Dominum, de qua etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideo non diffidebat in ea prophetiam hanc implendam esse. Ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem, quærebat se longe facere, sieut et beatus Petrus, Domino se humilians aiebat : *Recede a me, Domine, quoniam homo peccator sum (Luc. v).* (*Beda.*) Sed si sic eam occulte dimitteret, neque acciperet con-

jugem et illa sponsa pareret, nimis pauci essent qui eam virginem et non potius autumarent esse mere tricein. Unde consilium Joseph repente consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam ipse eam celebrato nuptiarum convivio coniugem acciperet, et castam perpetuo custodiret. Maliuit namque Dominus aliquos modum suæ generatio nis ignorare, quam castitatem infamare genitricis.

*Hac autem eo cogitante ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens. (Greg.)* Sciendum est quia in duobus modis locutio divina distinguitur; aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vi internæ inspirationis aperitur. Et de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur, quod auditum aperit et habere sonitum nescit, sicut legitur in Actis apostolicis, quod Spiritus sanctus Philippo dixerit: *Adjunge te ad currum.* Et cum ad evocandum Petrum timentes Dominum milites Cornelius direxisset, in mente proculdubio a Spiritu Petrus audivit: *Ecce tres viri querunt te (Act. x).* Cum vero per angelum Dominus voluntatem suam indicat, aliquando eam verbis sine ulla imagine demonstrat, sicut Domino dicente: *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te (Joan. xi),* protinus respondet, *clarificavi, et iterum clarificabo.* Aliquando rebus sine verbis, sicut et Ezechiel electri speciem vidi in medio ignis (*Ezech. i*), quod significat incarnationem Christi. Electrum quippe ex auri argenteaque metallo miscetur, in qua permistione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro nisi mediator Dei et hominum demonstratur, qui dum in semetipso divinam humananique naturam composuit, et humanam per Deitatem clariorem reddidit, et divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Aliquando rebus simul et verbis, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Quid est enim, quod post peccatum hominis in paradi so Dominus non iam stat, sed ambulat, nisi quod irruente culpa se a corde hominis motum demonstrat, sicut nequitiam suam caecis mentibus non solum sermonibus, quibus eos increpavit, sed etiam rebus aperuit. Aliquando imaginibus, oculis cordis ostensis, sicut Jacob subnixam cœlo scalam dormiens vidi (*Gen. xxviii*), et Petrus linteum reptilibus et quadrupedibus plenum, in extasi raptus aspexit (*Act. x*). Aliquando imaginibus ante corporeos oculos ad tempus extare adsumptis, sicut Abraham non solum tres viros vidi, sed in domum accepit, insuper etiam cibavit (*Genes. xviii*). Aliquando cœlestibus substantiis, sicut baptizato Domino scriptum est, quia de nube vox sonuit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit (Matth. iii).* Aliquando terrenis substantiis, sicut cum Balaam corripuit, in ore asinæ humana verba formavit (*Num. xxii*). Aliquando simul terrenis et cœlestibus substantiis Dominus per angelos loquitur, sicut coram

Moyse in monte ignem rubumque sociavit, significans se doctorem ejus populi fore, qui et legis flamمام perciperet, et tamen peccati spinam nequaquam vitaret, vel quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis dolores carnis nostre quasi rubi spinas susciperet, et inconsuamtum humauitatis nostra substantiam etiam in ipsa divinitatis flammam servaret. Nonnunquam vero humanis cordibus etiam per angelos Dominus secreta eorum praesentia virtutem sue aspirationis infundit. Unde Zacharias ait: *Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me (Zach. ii);* dum ad se quidem, sed tamen in se loqui angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verbum faceret per corpoream speciem extra non esset. Unde et paulo post subdidit: *Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. (Maur.)* Quomodo autem angelus Joseph apparuerit demonstratur, cum dicitur in somnis, id est quomodo Jacob scalam vidi per imaginationem videlicet oculis cordis ostensam. Quid autem idem angelus apparen s dixerit ostendit cum subinfert.

*Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ideo Joseph filius David esse dicitur, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur, juxta illud quod scriptum est, nemo copuletur uxori nisi de tribu sua: *Noli, inquit, timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ne timueris nec trepidaveris, nec conturberis, sed securus et intrepidus accipe secundum legis præceptum uxorem tibi nominatam, et secundum nuptiarum consuetudinem et conjunctionem longe alienam; cur autem non debuerit veteri eam accipere ostendit cum dicit:

*Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Quibus profecto verbis modus conceptionis ejus et dignitas Patris edocetur, quia videlicet de Spiritu sancto conceperit et paritura sit Christum. Nec tamen Christum esse filium Spiritus sancti dicere licet, quia unicus iste est Dei Patris omnipotens secundum divinam atque humanam substantiam. (*Aug.*) Nam Dominus noster Jesus Christus in quantum Deus est *omnia per ipsum facta sunt (Joan. i)*; in quantum autem homo, et ipse factus est, sicut dicit Apostolus: *Factus est ex semine David secundum carnem (Rom. i)*, sed cum illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? Cui itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius de illo sit natus eius dicitur filius; profecto modus quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ quo esse coepit Verbo Deo copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei, qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei, ac sic in naturæ humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi

homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum.

*Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum.*  
Ac si diceret: Virgo generat, et tu hunc vocabis Iesum, hoc est, vocabis quod ante fuit, quod ante sæcula nominatum est; non tu ei pones nomen, nec ex te ei vocabulum constitues, sed nomina et voca exultando Iesum, id est, Salvatorem; Salvatorem eum esse testare, nec ex tempore cœpisse salvare, sed jam antiquissimum Salvatorem esse.

*Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (*Hieron.*) Jesus Hebræo sermone Salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis evangelista signavit dicens: *Vocabis nomen ejus Salvatorem, quia ipse salvum faciet populum suum.* Duo enim per hoc verbum præclara signantur, quod et Deus fuerit et Dominus prius ante incarnationem Christus. Et quod populus ejus ab ipso salvandus jam tunc annuntiabatur. (*Maur.*) Non populus ille persidus, carnalis videlicet Israel de quo scriptum est: *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan. i.*). Et Isaías in persona Christi dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi* (*Rom. x.*). Sed ille populus de quo Dominus per prophetam ait: *Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam.* Et evit in loco ubi dictum est non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi (*Rom. ix.*), quia quos præscivit et rediit destinavit hos vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom. viii.*); et ideo dictum est: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, ut vere Deus. Dei enim est virtus a peccato salvare, vel peccata dimittere. Iste ergo filius Dei habens populum suum, ipsum venit, ut dictum est, liberare a peccatis atque salvare, sive ex Judæis, sive ex gentibus hominum fidelium atque ereditum turbam, sauguine videlicet suo cunctos redimens, morte sua de mortis eos liberans potestate.

*Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Hoc autem totum factum est, dicit; quid totum? Hoc est, quod angelus ad Virginem missus est, quod ipsa Virgo suo propinquuo desponsata fuit, quod casta servata est, quod angelus Joseph per somnum visus est, quod Mariam accipere jussus est, et pueri nomen vocare Iesum, et ad quid illud? Ut Virgo totius mundi pareret salutem et virgo intacta in perpetuum perseveraret. *Ut adimpleretur, ait, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem.* (*Beda.*) Adhibet autem evangelista partui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantæ miraculorum inæstatis eo certius credereatur, quo hoc non solum ipse factum erederet, sed etiam a propheta prædictum recoleret. Nam et huic

evangelistæ, id est, Matthæo, moris est omnia quæ narrat etiam prophetice affirmare testimoniis. Serpuit namque Evangelium suum, sicut superius diximus, ob eorum vel maxime causam, qui ex Judæis credebant, nec tamen legis cærenoniis quamvis renati in Christo valebant evelli. Et propterea satagebat eos a carnali legis et prophetarum sensu ad Spiritalem, quæ de Christo est, erigere, quatenus saamenta fidei Christianæ tanto securius perciperent, quanto hæc naturalia esse quam quæ prophetæ prædixerant agnoseerent. *Ecce*, inquit. Hoc ipsum quod dicit, *ecce*, admirantis est tanti mysterii magnitudinem, ut omnes velut ex somno suscitati, ad hoc dictum evigilent. (*Hieron.*) *Ecce*, ait, *Virgo in utero habebit et pariet filium.* Pro eo quod evangelista Matthæus dicit *in utero habebit*, in propheta scriptum est, *in utero accipiet*, sed quia propheta futura prædicit, significat quod futurum sit, et serbit *accipiet*; evangelista vero quia non de futuro, sed de præterito narrat historiam, mutavit *accipiet* et posuit *habebit*, qui enim habet nequaquam accepturus est. Sequitur: *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* (*Orig.*) Voeant nomen ejus prius angeli psallentes in ejus nativitate atque gaudentes, sicut Deum omnium et Regem pacis ad homines venientem. Deinde apostoli unigeniti Filii Dei dominationem atque virtutem omnibus gentibus prædicantes. Ad hæc et sancti martyres contra ignes et gladios usque ad mortem resistentes. Deinde cuncti credentes hoc ipsum nomen usque ad consummationem sæculi memorantes atque laudantes. (*Beda.*) Nomen quippe Salvatoris, quo *nobiscum Deus* a propheta vocatur, utramque naturam unius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est, ipse in plenitudine temporum Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*, in utero matris factus est, quia nostræ fragilitatem naturæ in unitatem personæ sue suscepere dignatus est, quando *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*

*Easurgens autem Joseph a somno fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam et non cognocebat eam.* Accepit eam ad nomen conjugis ob causas quas prædiximus, et non cognocebat eam ad opus conjugale ob areana quæ didicerat.

*Donec peperit filium suum primogenitum.* (*Aug.*) Interdum *donec* verbum sacra eloquia pro conjunctione presumunt, qua vel *et*, vel *ut*, indicari potest. Et ideo scriptum est, *donec peperit filium suum*, id est, et peperit filium suum. (*Hilar.*) Cognoscitur itaque Maria post partum, id est, transit in conjugi nomen; cognoscitur autem, non admisceatur. (*RAB.*) Nemo itaque intelligendum putet, quasi post natum filium eam Joseph cognoverit, ut Helvidiani perverissime opinantur. Qui dicunt inde ortos esse eot quos *fratres Domini Scriptura appellat*, assumentes hoc in adjutorium sui erroris, quod primogenitus nuncupatur Dominus; sed, quod catholica pietas docet, sentiendum est parentes nostri Salvatoris in temerata fuisse semper virginitate præclaros, et non

filios, sed cognatos eorum, *fratres Domini*, consueto Scripturarum more nuncupari. Atque ob id evangelistam, an post natum Filium Dei eam cognoverit dicere non curasse, quia nulli de hoc ambigendum putaverit. Et revera nulli ambigendum est, quod justi conjuges, quibus in virginitatis castimonia permanentibus Dei Filium nasci singulare gratia datum est, nullatenus ex eo castitatis jura temerare et templum Dei sacrosanctum suę semine corruptionis attaminare potuerunt. Notandum quoque quod primogeniti non, juxta hereticorum opinionem, soli sunt quos fratres sequuntur alii, sed, juxta auctoritatem Scripturarum, omnes qui primi vulvam aperiunt, sive fratres eos aliqui, seu nulli sequantur. Attamen Dominus speciali ratione potest primogenitus dictus intelligi, juxta hoc quod in Apocalypsi dicit de illo Joannes : *Qui est testis fidelis, Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* (Apoc. i) Et apostolus Paulus : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformati fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (Rom. viii). Primogenitus quippe mortuorum vocatur, quia post multos licet fratres incarnatus, primus omnium surrexit a mortuis, et viam de morte credentibus vita cœlestis aperuit.

Primogenitus in multis fratribus, quia *quotquot repererunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. i); quorum recte primogenitus appellatur, quia omnes adoptionis filios etiam et illos qui incarnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, dignitate prægreditur. Siquidem possunt illi cum Joanne veracissime testari : *Quia qui post nos venit, ante nos factus est*, id est, post nos quidem in mundo genuitus est, sed merito virtutis et regni primogenitus omnium nostrum jure vocatur. Qui et in ipsa divina nativitate non inconvenienter potest primogenitus dici, quia priusquam creaturam faciendo gigneret aliquam, cœternum sibi Pater genuit Filium; priusquam verbo veritatis adoptionis sibi filios redimendo gigneret aliquos, cœternum sibi Pater æternus genuit Verbum. Unde ipsum Verbum, ipse filius, Dei videlicet virtus et Sapientia, loquitur : *Ego ex ore altissimi prodigi, primogenita ante omnem creaturam* (Eccli. xxiv). Peperit ergo Maria filium suum primogenitum, id est, suę substantiam filium. Peperit eum: qui et ante omnem creaturam Deus de Deo natus erat, et in ea qua creatus est humanitate omnem merito creaturam præbat. Sequitur :

*Et vocavit nomen ejus Jesum.* Non quod statim post partum ei nomen hoc imposuerit, id est, Jesus, licet hoc ante conceptum ejus angelica sive propheticā prædicere oracula; sed, sicut Lucas in Evangelio suo evidenter insinuat, certum temporis terminum denotans, secundum id quod in lege præceptum est. Postquam, inquit, consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur (Luc. ii). Jesus quoque Hebraice, Latine Salutaris, sive Salvator, ut superius dictum

est, interpretatur, cuius vocationem nominis prophetis liquet esse certissimam; Unde sunt illa magno desiderio visionis ejus cantata. *Anima autem mea exsultavit in Domino, et delectabitur in salutari ejus* (Psal. xxxiv); *Defecit in salutari tuo anima mea* (Psal. cxviii); Et, *Ego autem in Domino gloriabor, gaudebo in Deo Jesu meo* (Habac. iii). Et maxime illud : *In nomine tuo salvum me fac* (Psal. lxxii). Ac si diceret : Nominis tui gloriam, qui Salvator vocaris, in me salvando clarifica. Jesus ergo nomen est Filii, qui ex Virgine natus est, angelo exponente, significans quod ipse salvet populum suum a peccatis eorum. Qui autem salvat a peccatis, id est, a corruptionibus mentis et corporis, que ob peccata contingunt, nec non et ab ipsa morte in perpetuum salvabit. (Comment. in Matth. lib. i, cap. 4.)

#### VI. — Canticum Mariæ Matris Domini.

Beatissima Virgo Maria postquam se cœlesti partu gravidam cognovit, nequaquam se de donis cœlestibus, quasi a se hæc essent, extulit; sed ut magis magisque donis esset apta divinis, in custodiam humilitatis mentis suę gressum fixit, memor Scripturæ præcipientis : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus » (Eccli. iii), moxque ut angelus qui divinum ei partum nuntiabat ad cœlestia rediit, surgit, ad montana condescendit, gestansque in utero Deum, servorum Dei habitacula petiit, ac requirit alloquia, in cuius adventu Elisabeth salutationem matris Domini audiens, mox de ea prophetavit et matrem Domini ad se venisse testata est, quam benedictam inter mulieres esse et benedictum fructum ventris ejus pronuntiavit, insuper et ad vocem ejus narravit infantem in utero suo exultasse Spiritu sancto repletum. Hæc quoque audiens Maria, non se jaeteranter inani gloria extulit, sed magis per humilitatem tota intentione animi gratias Deo retulit dicens :

« Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. » Tanto, inquit, me Dominus, tamque inaudito munere sublimavit, quod non ullo linguae officio explicari, sed ipso vix intimo pectoris affectu valeat comprehendendi, et ideo totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus cui non est finis quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo, quia et ejusdem Jesu, id est, salutaris, spiritus meus æterna divinitate lætatur, cuius me caro temporali conceptione lætatur; cui simile est illud Psalmista. « Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutare ejus » (Psal. xxxiv), » et ipse enim Patrem Filiumque pari venerabatur amore.

« Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Cujus humilitas respicitur recte beata ab omnibus cognominanda gratulatur, sicut econtrario cuius superbia despœcta condemnatur, Ævæ, id est, vœ sive calamitatis, nomine multata tabescit. Decebat enim ut sicut per superbiam primæ nostre pa-

rentis mors in mundum intravit, ita per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.

« Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. » Ad initium carminis respicit, ubi dictum est : « Magnificat anima mea Dominum : sola quippe anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconiis magnificare, et ad consortes ejusdem voti ac propositi potest cohortando dicere : « Magnificeat Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem ; » nam quicunque nostrum quem cognovit, quantum in se est, magnificare et nomen ejus sanctificare contempserit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sanctum nomen ejus vocatur, qui singularis culmine potentia transcedit omnem creaturam atque ab universis qua facit longe segregatur, quod Græca locutione melius intelligitur, in qua ipsum verbum, quod dicitur ἄγαν, quasi extra terram esse significat, cuius etiam nos imitatione pro modulo nostro segregari præcipimur ab omnibus qui non sunt sancti nec Deo dedicati dicente Domino : « Sancti estote, quia et ego sanctus sum (*I Pet.* i). Quicunque enim se consecraverit, merito extra terram et extra mundum videbitur. Potest enim et ipse dicere, super terram ambulantes conversationem in cœlis habemus.

« Et misericordia ejus a progenie in progenies timetibus eum. » A specialibus se donis ad generalia Dei judicia convertens, totius humani generis statum describit, et quid superbi, quid humiles mereantur, quid filii Adæ per liberum arbitrium, quid filii Dei sint per gratiam, alternis versibus explicat. Non ergo, inquit, soli mihi fecit magna, qui potens est, sed et in omni gente et progenie, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.

« Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. » In brachio suo, in ipso Dei Filio significat, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat; sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum; cur enim homo brachium, ut aliquid operetur extendit? quia non continuo fit quod dixerit; si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset. Dum ergo audiamus-brachium Dei Patris esse Deum Filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis, sed quantum illo donante possumus, Dei virtutem et sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia.

« Depositus potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. » In brachio ergo suo Dominus per omnes sæculi generationes potentes, hoc est, superbos de sede jactantiae suæ deponit, et exaltat humiles, qui nou sua potentia, sed in Dei bonitate confidunt, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur (*Matth.* xxiii). Similiter et esu-

rientes qui esuriunt et sitiunt justitiam æternis bonis implet, et divites avaros et parcos inanes bonis operibus perire sinit.

« Suscepit Israel puerum suum memorari misericordiæ suæ. » Pulchre Israel puerum Domini appellat, qui ab eo sit ad salvandum susceptus, obedientem videlicet et humilem, juxta Osee dictum : « Quia puer Israel et dilexi eum (*Ose.* xi); » nam qui contemnit humiliari, non potest utique salvari, nec dicere cum Prophetæ : « Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ (*Psal.* lxx). Quicunque autem humiliaverit se, sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum (*Matth.* xviii).

« Sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula. » Semen Abrahæ non carnale, sed spirituale significat, id est, non ejus tantum carne progenitos, sed sive in circumcisione seu in præputio fidei illius vestigia secutos: nam et ipse in præputio positus creditur, reputatumque est ei ad justitiam, atque ejusdem fidei signaculum circumcisio accepit, ut sic utrinsque populi pater fieret per fidem, juxta quod Apostolus ad Romanos plenissime disseruit. Adventus ergo Salvatoris, Abrahæ et semini ejus in sæcula prouissus est filiis promissionis, quibus dicitur : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes (*Galat.* ii). » Bene item vel Domini, vel Joannis exortum matres prophetando præveniunt, ut sicut peccatum a mulieribus coepit, ita etiam bona a mulieribus incipiunt, et quæ per inius deceptionem perit, duabus certatim præconantibus mundo vita reddatur.

#### VII. — Cur Maria dicatur Illuminatrix, sive Stella maris, vel Domina.

Maria interpretatur *Stella maris*, sive *amarum Mare*, et hoc nomen apte competit Matri Salvatoris. Ipsa quippe stella maris recte vocatur, quia huic mundo tenebris perfidia et peccatorum obscurato, veram lucem edidit, de qua Joannes ait : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i). Hæc et amarum mare rite dici potest, quia voluptates istius mundi ac libidinis luxum, quæ mare, id est, amaritudo, recte nuncupantur, eo quod ad amaritudinem perpetuam gehennæ se sequentes pertrahunt, fecit bene amarescere, cum suo exemplo docuit ab illecebris hujus sæculi abstinere. Nam cum a primordio mundi nuptiæ institutæ sunt, et totus mundus post concupiscentias suas abiit, ista in corde suo servare virginitatem suam statuit, et carnis desideria in se mortificare, cœlestemque conversationem in terris habere, ut ei per omnia placeret, cui se servire probavit. Sciendum quoque est quod Maria, sermone Syro *Domina* vocatur; et merito illa *Domina* vocatur, quæ Dominum generare meruit cœli et terræ, sicut et nobilis ille versificator in laude ejus ait :

Conderis in solio, felix Regina, supremo;  
Gingeris et niveis, lactea Virgo, choris.  
Et Sedulius in carmine Paschali ita proloquitur :

Gaudia matris habes cum virginitatis honore,  
Nec primam similem visa es nec habere sequentem;  
Sola sine exemplo placuisti femina Christo.  
(Comm. in Matth., lib. i, c. 1.)

Maria *Illuminatrix*, sive *Stella maris*, interpretatur. Genuit enim Lumen mundi. Sermone autem Syro Maria, *Domina nuncupatur*; et pulchre, quia Dominum genuit coeli et terrae et universæ creaturæ. Mystice autem Ecclesiæ figuram gestat et speciem, quæ, cum sit desponsata Christo, virgo perseverat. (*De universo*, lib. iv, c. 1.)

### VIII. — De Purificatione.

Purificationis ergo matris Domini tempus, post dies quadraginta a nativitate ejus celebratur, quia ex legis præcepto hoc tempus statutum est parientibus feminis, quo purificari deberent. Scriptum est enim in libro Levitico, quod Dominus per Moysen mandaverit Israel, ut mulier quæ in suscepto semine pareret masculum, immunda esset septem diebus, et die octava circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta quatuor diebus maneret in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tangeret, nec ingredieretur sanctuarium, donec implerentur dies purgationis ejus. Sin autem feminam pareret, immunda esset duabus hebdomadibus, et quadraginta ac tribus diebus maneret in sanguine purificationis suæ. Cumque impleti essent dies purgationis ejus, pro filio sive filia deferret agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato. Quod si non potuerit agnum offerre, sumeret duos turtures vel duos pullos columbæ, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, oraretque pro ea sacerdos, et sic mundaretur (*Lev. xii*). Hac ergo de causa statuta in Ecclesia festivitas hæc, quia matrem Domini secundum legem in hac die constabat purgari; sed non ideo, quod aliqua legali purgatione indigerit, quæ Dominum gestabat legis, sed quia Jesus non venit legem solvere, sed adimplere. Venit ergo mater Domini ad templum secundum legem, ducens secum puerum, ac deferens hostias quæ lex præcepit, ut in nullo patribus fieret dissimilis, ac illud in se primo ostenderet, quod scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Ecli. iii*). Obvios habuit grandævum Simeonem, et Annam multorum annorum viduam, et cæteras personas in hoc sacro ministerio affuisse, quæ benedixerunt et glorificaverunt Deum, et multa de eo vaticinavere, sacer Evangelii textus luculentos sermone demonstrat. Ob hanc quippe causam eadem festivitas Hypante, ὑπαντή, nuncupatur, quia prædictæ personæ ad templum obviam Christo ad venerunt, devoto corde et obsequio, hypantao enim Græco sermone ὑπαντάω dicitur, quod obvio Latine interpretatur. Est quoque festivitas hæc Purificationis incipiente Februario mense, qui a Februo, id est, Plutone, qui lustrationum potens a gentibus credebatur, ita vocatus est, lustrarique eo mense apud Romanos civitatem consuetudo erat, ut justa diis Manibus solverentur. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana religio, cum in

mense eodem, die sanctæ Mariæ, plebs universa cum sacerdotibus ac ministris, hymnis, modulatiōnibus devotis, per ecclesias, perque congrua urbis loca procedit, datosque a pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes: non utique in lustrationem terrestris imperii quinquennem, sed in perennem regni coelestis memoriam, quando juxta parabolam virginum prudentium, omnes electi lucentibus honorum operum lampadibus, obviam sponso ac regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias supernæ civitatis intrabunt.

### IX. — In Natali sanctæ Mariæ.

Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ: ideo cum summa exsultatione gaudeat terra nostra tantæ virginis illustrata nativitate, et per cuius partum mutatur natura plastorum, qua deletur et culpa: præcisa [præcisum] est namque in ea illud divinæ infelicitatis elogium quod dicit: *In tristitia paries filios*, quia ista in letitia Dominum parturivit. Eva enim luxit, ista exsultavit; Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem, virgoque genuit et virgo permansit post partum: utrumque miraculum, fratres, quod sine corruptione gravida, et in partu virgo est puerpera. Ave, inquit angelus ad eam, *gratia plena, Dominus tecum*; tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare, beata virgo, Christus rex e coelo suo, in utero tuo; et ideo benedicta eris tu inter mulieres, quæ vitam et viris ac mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit seculo: percussit illa, ista vivificavit; propter inobedientiam enim obedientia commutatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur filium, portat a quo portabatur. Audite igitur vocem verborum illius qua dixit: *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est* (*Luc. i*). Denique post illud benedicibile præsagium, dum tacita secum Virgo mentis alternatione confligit, qualis esset ista salutatio, nuntius interim coelestis exsequitur: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipes et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*; at illa: *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco*; et angelus ad eam: *Spiritus sanctus, ait, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Nec mora revertitur nuntius, et virginalem thalamum ingreditur Christus. Gaudeamus ergo et nos, fratres, in die tantæ Virginis, quæ meruit, sola omnium feminarum, regem, quem coeli, terra, mare, capere non possunt, in suam virginalem castis et sanctis visceribus concipere vulvam, ut ipsa pia interventrix pro nobis consistat ad filium, qui eam transvectit cum omni gloria ad coeli palatium, et nunc vivit et regnat cum eo in sæcula sæculorum. Amen.

**X. — In Assumptione sanctæ Mariæ Virginis.**

Cum omnium sanctorum virginum festivitates, quæ castitatem mentis et corporis usque ad finem vitæ servaverunt, et per Dei misericordiam de hoc sæculo nequam triunpharunt, dignæ sint laudibus, perpendite, fratres, quanta veneratione digna sit solemnitas illa, qua Virgo virginum ex hac temporali vita æternam migravit ad requiem: cum non solum credimus illam nobiscum esse memorabilem, sed etiam cum ipsis sanctis spiritibus angelicis fieri valde honorabilem, qui celebri inde exsultant gaudie, cum matrem Domini atque conditoris summi æterna beatitudine secum perfrui conspiciunt; matrem videlicet illam quæ sobolem in utero concepit, et casta est; filium genuit, et virgo est; mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater unigeniti Domini et regis omnium, plasmatoris et creatoris cunctorum; illius qui in excelsis sine matre, et in terra est sine Patre; ipsius qui in cœlis secundum deitatem in sinu est patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu erat matris. Hujus itaque Unigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, una unius, unica unici: nec enim alter unigenitus Deus super terram venit, aut alia virgo unigenitum genuit. Unde et magnitudinem ejus admirantes tacitis vocibus cordis, taliter, fratres charissimi, exclamemus in laudem, atque dicamus: O vere beata virgo Maria, agnosce gloriam tuam, illam videlicet gloriam quam tibi angelus nuntiavit, vel Joannes per os Elisabeth, nondum matris adhuc de secreto uteri [egressus] prophetavit: *Benedicta itaque tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Tu quoque promissum universo mundo per tanta retro saecula suscipere meruisti adventum; habitaculum immensæ majestatis effecta es: spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possediti. Initiator omnium rerum abs te initiatus est, et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; uno partu tuo universorum nata est vita sæculorum: angelorum Patrem meruisti vocare filium tuum. Ecce exaltata es super choros angelorum, juxta regem filium, felix mater, regina regnabis in æternum. Et cui præstisti uteri tui hospitium, ipse tibi dedit regna celorum. Sed hæc dicendo, fratres, minus mihi videtur omnis laus esse gloriæ ejus, et succumbere omnis oratio honori ejus. Laudent eam angeli, prædicens archangeli, omnes celorum virtutes et omnes sanctorum cœtus in laudibus ejus exsultent; attamen adhuc mihi videatur excellere dignitas honorificientæ ejus. Sed hæc perpendentes, fratres, non desperemus nec refugiamus, imo magis in laudem ejus pro modulo nostro excitemur, et in prædicatione ejus exsultemus; quia quod minus est in possibilitate nostra, implebit bonitas sua. Mundemus conscientiam nostram ab operibus mortuis, et præparemus nos ad confessionem tanti nominis. Omnis persona et omnis ætas ad tan-

tam festivitatem celebrandam bonis moribus ornare se studeat, et in quo vocatus est, in eo permanere deceret. Quicunque ergo viri sive feminæ virginitatis propositum tenent, in eo perseverare satagant, ut sint sanctæ et corpore et spiritu: sint disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione teneant, sint stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortis, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes, et ad omne bonum promptissimi; qui antem connubio sunt dediti, virginitatem tamen in fide recta habeant, in qua universa Ecclesia, spónsa Dei dicitur. Quod tamen Ecclesia catholica, quæ constat ex virginibus et pueris, ex maritatis feminis et uxoratis viris, uno nomine virgo est appellata, audi Apostolum dicentem: *Desponsavi, inquit, vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor. xi*). Pudicitiam conjugalem servent, ab illicitis abstineant, bona opera faciant, hospitalitatem diligant, et eleemosynas facere non segnes fiant. Qui divites in hoc mundo fieri videantur, non superbe sapiant, nec sperent in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat omnibus abundanter. Discant bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere communicare cum proximis, thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam. Qui autem pauperes sunt, fide non deficiant, sed magis virtutibus divites fieri studeant, quod scriptum est: *Pauperes elegit Deus in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se* (*Jac. ii*), et Propheta dicit: *Junior fui et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus egens pane* (*Psal. xxxvi*). Sive ergo nobiles sint, sive ignobiles, sive servi, sive liberi, sive viri, sive feminæ, sive senes, sive juvenes, omnes pariter audiamus Apostolum dicentem: *State in fide, viriliter agite et confortamini; omnia vestra cum charitate fiant* (*I Cor. xvi*). Et si taliter nos facientes sancta Dei genitrix suæ conspexerit adesse festivitati, facile nobis impetrabit et in præsenti opportunum solatium, et in futuro vitam æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**XI. — In Assumptione sanctæ Mariæ.****Lectio libri Ecclesiastici.**

*In omnibus his requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit et dixit mihi creator omnum: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, etc.*

Dei filius verbum et sapientia Dei patris locutus per Salomonem in persona sapientiæ quod est ipse, annuntians humano generi quod in eis requiescere et in illis manere desideraret, quia homo ad imaginem Dei factus, si in Deo manere voluerit, mundo corde et sincera voluntate Deus in eo manet, et ipse in Deo. Unde in præsenti lectione, quam au-

d'stis, loquitur sapientia Dei ad homines Filius Dei : *In omnibus his requiem quæsivi, ut est illud quod Apostolus ait : Deus enim vult omnem hominem salvum fieri et in agnitionem veritatis venire, ut relicto errore terrenæ concupiscentiae et desideriis expugnatis carnis libus mundo corde et casto corpore dignum sapientiam Dei habitaculum in se prepararet unusquisque.* Nam subditur : *Et in hæreditate ejus morabor.* Hæreditas Dei sunt omnes diligentes Deum, et ejus voluntatis fideles cooperatores in suam ipsorum salutem. *Tunc præcepit et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Dei sapientia, id est, Dei filius manens in æternitate cum Patre æquali per omnia Patri in majestate, hominem quem ad suam imaginem fecit æternæ immortalitatis posse sorem esse constituit; sed seducto a diabolo, et per peccatum mortali facto, sua misericordia proposuit humana se indui mortalitate, ut humanitatem iterum ad æternam reduceret immortalitatem.

*Et dixit mihi.* Multis modis antea per patriarchas et prophetas suum huic mundo nuntiavit adventum.

*In Jacob inhabita.* In eis enim se habitare promisit, qui vitia et peccata supplantant, et concilant ea bonæ operationis studio divina gratia largiente : sequitur.

*Et in Israel hæreditare.* Id est, in his qui in castitate et bonorum operum sanctitate Dei visione dignos se exhibent, ut est illud : *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

*Et in electis meis mitte radices.* Hi sunt enim electi Dei, qui omnia oblectamenta hujus mundi tota deserunt voluntate, qui huic mundo inhærent solat tantum necessitate, de quibus dicit Apostolus : *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utatur, id est, necessitate tantum, et non delectationis consensu.*

*Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Hierusalem potestas mea.* In talibus enim Dei sapientia filius Dei manere dignatur, qui bonorum operum exemplis speculum vite aliis præbent in semetipsis, et in sancta Ecclesia sanctis moribus sibimetipsis et aliis operantur salutem, et ad æternæ pacis visionem festinant.

*Radicavi in populo honorificato, et in partes Dei mei hæritas illius.* Elegit enim Deus præ omnibus gentibus Israeliticum populum peculiarem, quia Israel vir videns Deum dicitur, eos vult spiritualiter intelligi, qui castitate vita in sancta conversatione ad æterna semper gaudia contemplanda festinant. Quod eorum tantum donum est, qui divina gratia largiente pro solo appetitu æternæ gloriæ continentiae vel etiam virginitatis propositum servant.

*Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi eypressus in monte Sion.* Cedrus atque cypressus qui summi odoris sunt arbores, et altiores cæteris in Libano arboribus, qui ecclesiam significant excelsioris in ecclesia virtutis viros possumus intelligere, id est, virgines qui centesimum merentur metere fructum. Quod manifeste signatum est in beatissima

Dei Genitrice Maria, cuius hodie annum diem beatissimæ Assumptionis celebamus in cœlum, quia quod Deus Dei Filius se in hunc mundum ad redemptions humani generis venisse promisit, non per nuptiam quamvis sanctam, ut legimus multis in Scripturis, non per viduam castam, sed per solum hoc virgineum corpus implevit. Quia quasi sol oriens nitidus ab omni pollutionis sorde processit ex utero virginis matris felix certe et omni laude dignissima, quæ de cœlo suscepit prolem et mundo genuit salvatorem : cum igitur tanta sint merita virginitatis, non tamen repudiandus est thorus castitatis : quia bonum virginitatis non nisi a conjugali thoro procedit, castitas igitur in virgine alta est et summa si in corde simul persistit et corpore, sed castitas conjugalis sanctior est quæ in corde simul persistit et corpore constat, quam illa quæ in corde tantum est casta et corde diversis est modis adulterata, sive in jactantia aut in superbia aut etiam in appetitu libidinis. Unde, dilectissimi, nobis omni studio servemus, non solum corpus, sed etiam cor nostrum ab omni quod odit Dominus, et in omni quod ei placet confirmare cor nostrum ejus misericordiam postulemus ; et inter hæc omnia toto cordis affectu nos auxilium beate Virginis imploremus, quia dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece Christo Domino nostro commendare dignatur in cœlis ; quod ipse præstare dignetur qui in trinitate perfecta regnat et dominatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## XII. — *In eodem festo.*

*Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.*

*In illo tempore, intravit Jesus in quoddam castellum ; et mulier quædam, Martha nomine, excepti illum in domum suam : et huic erat soror nomine Maria, etc.*

Hæc lectio superiori pulcherrima ratione connectitur, quia videlicet illa dilectionem Dei et proximi verbis et parabolis, hæc autem ipsis rebus et veritate designat. Duae quippe istæ Domino dilectaæ sorores duas vitas spiritales quibus in præsenti sancta exercetur Ecclesia, demonstrant. Martha quidem actualem, qua proximo in charitate sociamur ; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore suspiramus. Activa enim vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiae nescientem docere, errantem corrigere ad humanitatis viam, superbientem proximum revocare, infirmitatis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærente ut nihil agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndum faciem creatoris sui animus inardescat, ita ut jam neverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admiseri cœlestibus civibus, de æterna in conpectu Dei incorruptione gaudere.

*Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hæc utriusque vita congruere nemo qui dubitet, et contemplativa quidem uniformis perfectio est, exutam mentem a cunctis habere terrenis eamque quantum humana imbecillitas sinit unire cum Christo, activæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister edocet, qui creberrimis epistolarum dictis suos pro Christo terra marique labores ac sua pericula commemorat. In quibus etiani visiones et revelationes Domini commendans, non minus se in speculativa virtute quod est imitabile, consummatum fuisse significat. Unde dicit, *Sive enim mente excidimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis.**

*Quæ stetit et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. De illorum persona loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari solum quod didicere fratrem dilectionis opus Deo placitum ducunt, ideoque cunctos qui Christo devoti esse velint huic mancipandos autumant.*

*Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Et beatus David solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo jugiter inhærrere desiderat dicens: *Mihi autem adhærrere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam; et alibi: Unum petiti a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita meæ, ut videam voluntatem Domini et visitem templum sanctum ejus.* Una ergo et sola est theoria, id est, contemplatio Dei cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur.*

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur, neque enim bonam partem elegisse Marianam dicit, sed optiuam, ut etiam pars Marthæ judicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima subinferatur cum dicitur *quæ non auferetur ab ea.* Activa etenim vita cum corpore deficit: quis enim in æterna patria panem esurienti porrigit ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitiensi ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat ubi nemo moritur? Cum præsentि ergo sæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in coelesti patria perficiatur, quia amor ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia subtracta præsentis sæculi luce perficitur in æterna gloria per Jesum Christum Dominum nostrum qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

### XIII. — *In natali virginum. — De B. Maria V.*

*Immaculatus Dominus immaculatam sibi familiam etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanae corpore consecravit, dum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas innectat, et sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu. Hinc couisque integritas perseveravit ad palmam, ut in pueris tropæum sanctitatis arriperet, et per vestigia Matris Virginis ad cœlestem thalamum perveniret. Virginitas quidem res est saucta, res est perfecta; principalis virtus, specialem in regno Dei habens coronam. Non enim ideo laudabilis est virginitas quia et in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres facit.*

## SANCTUS GEORGIUS, METROPOLITA NICOMEDIENSIS.

### ORATIO I.

*In oraculum Conceptionis S. Deiparæ.*

Splendida quidem ac illustris hujuscce festivitatis celebritas illucet; eorum tamen, quorum concurso illustratur, magnificis studiis, splendidior affulget. Habet sane ipsa per se præclarum quid ad magnificientiam; idipsum vero quod tale habet, ex convenientium cœtus amplitudine palam facit; eademque ipsa lætam faciem a multitudine obtinet, exque gratiarum illustratione multitudinem lætitia afficit. Nec vero aliqua participatione, luminis augmentum recipit; quinimo, suos ipsa splendores larga in coactum cœtum distributione ostendens exhibensque, splendoris claritudine cum illo pariter dilatatur. Ac sicut sol iste oculis subiectus, in se quidem habet, quod lætissimum est, cum vel a nullo conspicitur; oriens vero, atque e præcelsis montibus prodiens, in pulcherrima quæque radios explicat suos, eorumque illustratione, miraculi magnificientiam adauget: sic quoque, hodiernæ diei festivitas, spirituali luce gratiæ supra modum effulgens, habet quidem ipsa per se jugem

quendam splendorem; eudem tamen congrue respondentи parique confluentium ac illustrando-rum conveantu, præmagnifice intendit. Cum sic ergo mysticis illa spiritus radiis illustret, totusque noster hic conventus illustretur, nihil omnium, si qua desiderium habent, potius fuerit, quam ut alaci ad eam animo concurramus, ac illuminemur, menteque illustremur, atque ea circumfulgeamur luce, quam nulla corruptibilis nubes occultare possit. Hujusmodi enim est, qui præsenti solemnitate lætus explicatur splendor, sice jugem magis, quin et clarius micantem, ex iis que oculis conspicua sunt, fulgorem immittit.

Cum enim spiritalis hodie nubes explicari claro vocis præconio refertur, jam quidem luminis, quod nescit occasum, radii mundo præoriuntur, quæque hactenus obtinuerant impietas tenebre, diminutionem accipiunt ac fugantur. Annuntiata nunc diei tabernaculi divini extirpatione, pietatis quidem fundamenta firmius stabiliuntur, impietas vero munitiones penitus convelluntur. Cum hodie texitur regia purpura, futurus nuntiatur omnium Regis adventus; hominum, qui inimici erant, præ-

vie reconciliatio sancitur; tropaea adversus hostem erigenda occupato celebrantur. Hodierna prædictione radieis bonorum in sterili nascituræ uto, fore prenuntiatur, ut quæ virtio exaruerat natura hominum, virentia pietatis germina producat. Cum hodie sigint Regis porta, per quam nulli transitus patet<sup>1</sup>; ei quidem, mirabili quadam ac cogitatu majore ratione, per eam transituro, præparatur; nobis antem pervias coeli portas prævie efficit. Cum hodie parentes steriles, fausta annuntiatione, illam genituri promuntur, quæ bonorum secundæ largitatis causa existit, universo hominum generi divitiarum ejusmodi participationem occupato instruunt. Quam vero eorum gloria longe in ævum extenditur memoria! Quam eorum permanet inviolabile decus! Quam beata electio, ac merito beatificanda probata eorum virtus, per quam accessit ut eligerentur! Cum enim per eam universos gentiles suos voluntatis magnificentia superarent, donorum quoque, secundum electionem ac Dei propositum, amplitudine superarunt. Toti siquidem generi honore prælati sunt, quod auctorem rebus universis, honore prætulissent. Potiores omnibus habiti sunt, quod sua ipsorum vita Domini charitatem potiorem habuissent. Præelecti fuerunt in sacramentorum ministros, quod vitam totam, ejus qui elegit, voluntates solas implere studiuerint. Aucti sunt gloria, quod suis ipsum operibus gloria affecissent. Magnificis gratiæ donis magnificati sunt, quod se iis suscipiendis congrue præparassent. Haec enim supra omnes priores justos, ampliori eos honore cumulavit: fecit haec, ut iis frui mysteriis mererentur, quæ illi desiderassent: fecit, ut eorum que prophetarum oraculis promissa essent, multoq[ue] quiesita desiderio, primus eis eventus exhiberetur. per eam, contribubus universis prælati, incomparabilem dignitatis excellentiam obtinuerunt. Cum enim regale genus impermixtum servassent, idem ipsum regalis animi virtutibus sincerum, nihilque adulteratum custodierunt. Nihil ab excellenti dignitate ad servilem voluntatum abjectionem, sinistrum se agi passi sunt; quin ejus magnificentiam indiminutam servantes, ejus pariter congrue celebrari præconio, universique Reginam, uti pietatis ac victoriæ fructum, parere meruerunt.

Sic enim quæ de illis refertur historia, gestis consona habet: ut nimirum, qua ratione deiformem pulchritudinem, ac primum retinuissest decorum, eadem quoque impermissam servaverint generis nobilitatem: potissimum tribuum aucti honoribus; quinimo honoratissimis quibusque honore prælati: qui externa quidem abunde substantia divites essent, magnificentæ vero voluntatis divitiis magis abundant: sic nimirum divitiis, quibus ali in voluntates illiciuntur atque trahuntur, materiam ipsi studiosæ operationis fecerant, gradumque ad cel-

sum virtutum culmen, ut non legitima tantum implerent, quibus benedictio divitiis, iisque, qui dona ac primitias offerunt, æqua distributio definitur, sed et horum pleraque superarent. Quinimo quidquid divitiarum abunde erat, conserantes Deo, universis offerentibus munera, donorum magnificentia superiores evaserunt. Offerebat enim, inquit, Joachim munera sua duplia, dicens: *Sit, quod est abundantia meæ toti populo; et quod remissionis, Domino Deo.* O accepta hæc munera! O primitiarum oblato in inviolabilibus thesauris deposita! O divitiæ, inexhaustam honorum thesaurizantes abundantiam! O voluntas, oblatorum largitate admirationi habita! Quemadmodum, inquit, iustum est, ut statuta legitima Deo offerantur, ita sane æquum sit, ut quidquid divitiarum abunde est, populo ac egenis fruendum præbeatur. Nam hæc quoque, per eos qui accipiunt, Deo offeruntur. Quænam enim vero lex, o vir juste, ita jubes, ut dona atque primitias duplia offeras? Quoniam jure præceptum habes, ut quicquid divitiarum abunde est, in populum distribuas? Equidem, ait, nulla lex est, nec jus ullum, ut ad hæc cagar: at cum ipse a memetipso bonum invenerit, tanquam Deo gratum, illud impleo. Ejus, inquit, sunt, quas dono accepi divitiis; operæ pretium est ut ei vicissim reddantur. Providentiæ ejus beneficia sunt; beneficentia in contribubus conferantur. Quæ data sunt, peculii sunt abundantia; in peculiarem populum diffundantur. Cum hæc gratia sint, non merces operum, ipsis rebus nomen confirment, ac largitoris benignitatem prædicent. Dividantur in plures curæ divitiarum, quin potius omne earum pondus a nobis abjiciamus. Dissipetur longe a sensibus turba divitiarum, ut nullo impedimento Dei dona percipiant. Procul abigatur, quæ rationi offundit tenebras, sollicitudinum nubes, ut in solum pure fulgorem animus immunis ab affectionibus intendat. Ne mentis ala cogitationis terrenorum gravitate detrahatur, ut ne sublimia petat; liberum ad res spiritales volatum habeat. Solutæ animi aures ab obstrepente inanum tumultu rerum, eorum quæ spiritualiter celebrantur suscipiant sonum; dulce modulata eorum qui in cœlis exsultant, cantica percipient. Ac ita quidem justorum oblato, exque magnifica ejusmodi profecta mente, congruam ab omnium Deo susceptionem meretur.

Cæterum qui generis affinitate conjuncti, illistroribus solemnitatibus una cum justo offerebant, nedum religiosæ ejus magnificentiae minimè admirati fervorem, sed et ejus præstantia in livorem acti, legitima quædam objiciunt, quibus is prohiberetur Deo offerre, uti sterilis ac filiis orbus, quique generis successione careret. Non enim, inquit, tibi licet offerre munera, eo quod non feceris semen in filiis Israel. Quidam tamen codices ha-

<sup>1</sup> Ezech. xliv, 2.

bent : *Non licet tibi ut primus offeras* : quo eum prorsus ab oblatione arcerent. Sive igitur hoc accipiatur, sive illud, invidorum interdictum est. Cum enim magnifica justi munera admiratione prosequi deberent; cum ubertatem oblatorum plausu excipere; cum voluntatis magnificientiae aggratulari; et contra illi nendum dignari nolunt, quæ juste suscipiantur, ut etiam conentur repellere. Quid vero oblata criminatus, ea repelli vis, ut ne debeant offerri? Quam donarii sorditatem reprehendis? Quid in oblatis non a voluntate deprehendisti? Ergone non integra sunt? Nonne ea, nendum integritate, sed et exsuperantia admirationem habent? Nonne ex recta voluntate, et discreta sunt, et oblata? At, inquit, consuetudo, viu legis obtinens, prohibet ne steriles simili modo primitias Deo offerant, atque ii, qui proles habent, neve eorumdem cum illis honorum sint participes. Equidem vero, nullam hac de re sanctitam legem, certum habeo : sin autem aliquid consuetudine novatum fuit, certa fide testor, totum id a crasso tuo humilique ingenio adjectum esse. Non enim eo Deus sacrificia ac oblationes accepta habet, quod secunditas ac multa proles accedat, sed quod possessio virtutum; quod probi mores; quod magnificus animus; quod largitas, non tam oblatorum, quam voluntatis in munera effusa; quod anima humiliis, ac modestus sensus, quique nullum Deo pro dignitate munus respondere noverit. Ait enim : *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus*<sup>2</sup>. Suo namque Deus ipse, munerum acceptor, testimonio testis fuerit, ut ex his oblata accepta sint, universique, si qui meliori sententiæ accedunt, pari confessione annuerint. Tradit siquidem Scriptura sacra, ut multa Deus sanctorum ac justorum sacrificia laudaverit, acceptaque habuerit; abundeque testatur offerentium gloria. Ipsius enim primi martyris Abel justi munera non eo meruerunt laudem ac fuerunt accepta, quod is liberos suscepisset, sed quod ex larga voluntate litasset; quod optima Deo obtulisset; quod nihil angusti animi cogitationum versans, sinceram ei hostiam fecisset. Nam et Cain, quam prole earens hostiam obtulit, non eo titulo reprobata est, sed propter ejus sterilem voluntatem : propter angusti animi infecunditatem; ac quod sui, quam Dei potiorem habuisset rationem; quod non æque dividisset, sed injuste, ac secus longe atque habeat Deo oblatorum lex. Sic utique juste oblati justi muneribus annuit Dominus, signoque evidentissimo accepta habuisse ostendit, igni misso de cœlo, qui et oblata dona omnino absumeret, lætoque symbolo ejus qui obtulisset justitiam proclamaret. Qui autem injustum se dividendis Dei donis ostendisset, jure merito ut ea probarentur, amittit. Nendum enim non iis annuent videt justissimum Deum, ut et exprobrantem ac palam facinus remque absconam audiat arguentem.

Ait enim ad eum : *Non utique recte offeras, non recte autem dividas*<sup>3</sup>. Tu quidem, inquit, o Cain, rationi consonum potans, ut tua accepta oblatio habeatur, despactam indignaris atque rejectam : verum in ea indecens fuit divisio, proindeque neque recta fuit oblatio. *Non enim recte obtuleris: non recte autem divisoris*. Aliunt aliqui, esse hoc dictum de victimis quæ cremandæ erant. Antiquis enim in more erat, ut in duo secantes, frustatim dividerent offerendas victimas : Cain vero haud satis congrue oblata dividisse, atque adeo aberrasse ab intento fine. Verum hoc procul ab Scripturæ veritate abest. Ait enim illa, obtulisse Cain, non victimas ex animalibus, sed primitias fructuum manualium. *Fuit enim Abel pastor ovium, Cain autem erat exercens terram. Obtulit autem Cain de fructibus terræ sacrificium Deo; Abel quoque obtulit et ipse de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum*<sup>4</sup>. Quid ergo sibi vult : *Non utique recte offeras, non recte autem dividas?* Quod ait, ejusmodi est : Nequit, inquit, fieri, ut recte offeras, nisi prius recte divisoris. Quid vero est recte dividere? Nimirum æqua ratione parti : ut is qui Deo offerenda dividit deligitque, non suæ ipsius parti optima deputet, Deo autem pessima. Nam si homines, communibus pecuniis occasione aliqua dividendis, eum arbitrum præferunt atque eligunt, qui æqualitate dividere possit, eumque repellunt ac jubent facessere, qui deflectit ut ne æqualitate dividat : qua ratione universorum Deus vel accipere nulla reprehensione, iniquum injustumque suorum munerum divisorem Cain, vel ad ejus respicere munera potuisset? Mea, inquit, sunt, o Cain, universa : providentia meæ sunt munera : meæ sunt misericordiæ beneficia. In eorum ergo te communionem ascivi, non propter retributionem operum, sed propter solam clementiam. Evidem vero eorum ipse accepto primitias, non quia egeo quidquam, sed quia salutis tuæ desiderio teneat; non ita, ut æquis partibus jubeam dividi quæ fuerunt concessa, sed ut animi tui religionem ex primitiarum oblatione requiram. Enimvero, qui mea tibi bona fruenda præbuerim, teque divisionis eorum, quæ offerenda essent constituerim dominum, malum inveni in beneficium : ingratum pro bonis affatim collatis, nequam in dividendis primitiis. Quippe dividens indigne pro munerum largitoris ratione fecisti; qui tibi ipse, uti plura, sic et potiora munera obstricta volueris; me autem oblationis sorditate contumeliose habueris. Haec porro non aliena ab instituto dicta sunt, sed ad probandum, piæ potius voluntatis, virtutum exuberantis frugibus munus esse, ut Deus oblates præoptet ac probet, quam secundæ ad prolem vulvæ argumentum.

Nec id vitio vertendum, ut brevitati studentes silentio prætereamus, qua Abraham patriarcha ratione, neendum susceptis liberis, quorum fetura

<sup>2</sup> Psal. L. 19. <sup>3</sup> Gen. iv. 7. <sup>4</sup> Ibid. 2.

vera Dei promissa implenda erant<sup>5</sup>, et præexstruxerit altare, ac postea jubeatur celebratissimum illud sacrificium facere: *Sume enim, inquit, mihi vaccam triennem, et arietem annorum trium<sup>6</sup>*, aliaque ejusmodi jubetur colligere ad holocausti apparatus. Ad hæc etiam, quas justi alii, non susceptis prolibus oblationes fecerant: sacrificium illud quod Manue supra petram jussus obtulit<sup>7</sup>; quo tandem, una ipse cum sterili conjugi, futuræ liberationis ab infecunditatibus vitio, quo tenebatur, faustum nuntium accipit, atque ambobus certi eventus pollicitationis argumentum, angelus ascendens e flamma, atque in cœlum evolans, accedit. Quidni vero, qui pro his rixaris, eas rejicis oblationes, quas acceptas opere ac sermone Anna prophetissa fecit<sup>8</sup>? Quodnam autem ex Eliæ ac Elisæi lumbis progressum semen ostentare possis? Ii tamen rationales Deo jugiter acceptas hostias offerebant, ac cum tempus exigeret, etiam cruentas. Quidni etiam eos qui prole parent, a precibus ac canticis, jugibusque Dei laudibus, arcens excludis? Deus enim iis potius, cum ex animo contrito offeruntur, quam animalium victimis annuit. Enimvero, mentis ipse oculos claudens, sponte tibi asciscis, ut ne video bona, iisque vindendis cæcus sis: justi vero livore tumens, tuum virus, rectam legis constitutionem causatus, evomis. Non enim tibi, inquit, licet, ut munera offeras. Quorsum non licet? Nunquid non licet ob ejus in Deum accessissimum animum? Non licet præ copia munerum? Quod præstet supra quam lege constitutum est, teque beneficio magnifice donet? Erit enim, inquit ille, *quod meæ abundantiae est, toti populo*. Ergo et tibi erit, quando ipse gentilis populi tui pars quedam es. Nonne par erat, ut ejus in Deum creatorum impensius effusam dilectionem honori haberes, ac quam in multitudinem erogat gratiam beneficiunque, gratus acciperes? Nonne par erat, ut magnificum ejus animum demirareris, laudibus efferves, congruisque gratiarum actionibus viciissimi prosequereris?

Verum enimvero tu quidem excellenti dotum illius præstantia, quiu potius ea, qua inde tabescis invidia, gravatus, deorsum detraheris, vultuque in terram dejecto, in lumine præclarorum adeo facinorum intendere nequis; at ille sublimior elatus, quam ut conviciis tuis affici possit, ac velut alto aere volans, nihil bis ad humilium cogitationem dejectionem detrahitur. Nihil a celso magnifici animi culmine, in defecti animi profundum præceps agitur. Non obvititur probris: non pugnauis adversus increpationem assumit: non malignæ tuæ mentis alienam a ratione accusationem, fultis ratione criminationibus retundit, sed sua in Deum necessitudine, cum munerum oblatorum acceptam non iratam, tum increpationum tuarum injustitiam ostendit, qui precibus quidem liberationem ab sterilitate committat, celebremque nominis famam,

pro iis opprobriis quibus appetisti, commutaturus sit. Brevi quippe visurus es præclaræ ejus prolix magnificum decus: visurus, inquam, es excellenter ejus, patribus accensi, gloriam; naturæ felicitatem; precationis fructum; humani generis benedictionem; abundantes illas divitias; lætitiam quam non excipit mœror; ac ejus quæ vere est, animi voluptatis conciliatricem.

Sic ergo vir justus, animi illa magnitudine ac generositate ad reprehensorum habens, cum præsentibus omnibus vale fecisset, ad præclara se certamina, plenamque laboribus solitudinem accingit, ne id quidem in animum inducens ut revertatur domum utve cum domestico ullo, quid animo constitutum sit, ante conserat: quod plane, ut quis probe conjectans perspicerit, mirabile pariter, ac humana imbecillitate majus invenerit. Sic enim quis, ejusdem mirans religionem, ac vacuum a cura reliquorum animum, sermonem in eum intenderit. Quid hoc, summa vir admiratione, ac supra priores justos, consilii inis? Quid vero cogitans consilium in opus effers? Quidnam porro domesticam affectionem divisit? Quidnam conjugis ac vitæ rationum sociæ vinculum abscedit? Nonne qui conjunxit, ut in carnem unam, ita in unum quoque consilium ac mentem eamdem aptavit? Nonne qua ratione insolubile ad eam servare oportuit unionis vinculum, eadem etiam fuit cavendum, ut indivulsa sententiæ ejusdem ratio perstaret incolumis? Nonne par erat ut ad similes eam labores inungeret, ac sicut fructus, ita et operum sociam tibi ascisceres? Sin tamen ob ista minus placuit reverti domum; at certe oportuit ut ne in majorem tristitiam cogeres; ut ne ex ignota profectione ei molestiam inferres; ut ne ex obscura absentia, innumerabilium eam cogitationum tormento conficeres. Sane vero decebat, ut congrue domesticis rebus compositis, ita proficiscerere quo animus ferebat. Nec vero quidquam curas affuentes divitias, neque ad ea que possides animum convertis, velut nihil bonis oculis subjectis addictus; majorique animo quam ut ulla voluptatum necessitate superari possis? Plane, ait vir justus. Nihil est horum, quod a Dei consuetudine possit abjungere: non unitas naturæ; non domesticorum necessitudo; non copiosæ divitiae; non amicorum sodalitas: nihil me eorum quæ subjecta oculis placent, ab invisibilium bonorum desiderio abstraxerit. Certamen prepositum est arduæ orationis, solum ad pugnam, nudumque provocans ac expeditum; facessant si qua cursu abscondere valent. Nihil rerum hujus seculi occurset, alacerisque animi contentionem impediatur. Dei sunt concessa munera, eorum Deo relinquantur cura.

Novi itaque uxorem Annam quanquam absentem, iisdem perstare moribus, eademque voluntate: novi vero etiam impensum ejus in Dominum amorem, quo et illius Providentiae obsequitur, meisque cer-

<sup>5</sup> Gen. xii, 7. <sup>6</sup> Gen. xv, 6. <sup>7</sup> Jud. xiii, 19. <sup>8</sup> I Reg. 1, 19.

taminibus, congruis et ipsa laboribus intenta, cooperatur. Haudquaquam abscindi patietur ab unitatis moribus, ut neque ab affectu, quo prosequitur. Servabit individualis voluntatis consonantiam, quæ conjugem deceat, ut et religiosam mentem. Magis absens precibus adjutura est, quam si adesset. Erunt ejus efficaces supplications; præstabit ferventissima fide ut exauditionis effectum consequantur. Deo quippe ex contrito eas animo offert. Ex innata eas humilitate, ad eum qui solus sublimis est, omnique major intellectu, beneficium Deum, sursum diriget. Est enim ille perquam optimus, eosque, qui in veritate invocant, exaudit. Hujusmodi sunt justorum eximiæ prærogativæ; hæc illorum virtutum supererfluentes divitiae: hunc modum habet accensus eorum fidei servor: hæc eorum ad Deum propinquitatis necessitudo. Sic meliori supra vota exitu, votorum compotes efficiuntur. Sic divino oraculo, cum suam ipsi benedictionem, tum mundi gaudium, quod eorum sit fructus, edituri nuntiantur. Angeli enim fore prædixerunt, ut ejus ortu gaudium ac lætitia mundo pariter oriatur.

Enim vero talia sunt tua, ipso exordio, præconia ac miracula. Quæ vero tali stirpe prædicta essem germinatua, o Deipara, congruum oraculo vitæ processum accepisti. Piane enim par erat, ut ejusmodi vocibus prænuntiareris. Par erat, futura tua magnalia verbis talibus designari. Oportebat præsignari talibus symbolis, fructumque ac genitaram ex ejusmodi prodire parentibus. Oportebat et tali radice nasci germem tale. Oportebat ex regalibus plantis succrescere virgam regalem. Oportebat ex locuplete virtute copiosas honorum divitias supererfluere. Decebat, ut ipsa quidem talium parentium filia audires; utque ipsi talis filie parentes efficerentur. Sicut enim ipsa singulari præ omnibus prærogativa in Dei Matrem præoptari meruisti, ita et illi singulari præ omnibus honore consecuti sunt, ut futuri parentes tui prædestinarentur. Quam ergo omni gloria major, tantæ illius curæ magnificencia! Quam majora laude, universorum Domini providentiae mirabilia! Quam universis desiderabilibus desiderabiliora, quæ per te advenerunt bona! Quam beata voluptate donati, qui iis condigne frui meruerunt! Hæc enim una sit vera fruitio; hæc indificiens voluptas, iis, quibus præstas mirabilibus deliciari. Per eam ad juge illud convivium manu ducimur, præsentique tua lætitia futuram illam voluptatem prævie jam salutamus ac amplectimur. Habemus æternorum bonorum pignus, per tua munera quæ nunc exhibentur. Præsenti tua laudatione auribus insusurrat, sonus ille æterna lætitia exsultantium. Vera est tui ergo nostra laudatio; secura spes; in manibus bonorum, quæ exspectamus, possessio. Quamobrem plures; quin et juges tuas avide cupimus celebrare solemnitates, ut continua nobis accedat desiderabilem perceptio. Ac vero, qui hodiernam tuam celebri conventu festivitatem agamus,

non ut novissime adinventam; quinimo, ut sicut ordine, ita et ipsa veritate præcipuum; per eam prædicata fruimur voluptate; mysticis ipsis deliciamur epulis; abunde explemur prænuntiatis in ea muneribus; ejus lætitia, æternam nobis reponimus gratiam; epulantium in cœlis choro, nostros miscemus sonos. Tu vero illi nos accenseris, ac una epulari præstans, precibus obtine, ut jugem in voce exultationis emittamus laudem; in ipso Christo ac Deo nostro, sola voluptate ac lætitia desiderantium te. Ipsum quippe decet honor, potestas, atque laudatio, cum Patre ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sœcula sœculorum. Amen.

## ORATIO II.

*Laudatio in Conceptionem sanctæ Annæ, parentis sanctissimæ Deiparæ.*

Nulla res, si qua sensuum opera, opinione constantem delectationem generare solet, dulcior gratiorque religioso pectore hominibus videatur, diei hujus celebritate. Neque enim illi, ob ea bona, quæ constant opinione, sed propter vera ac manentia, suum omne studium impendunt. Quippe præsentis juennditatis gaudia stabilia sunt, referuntque, quod solum desiderabile est, ac iis solum impensis curantur, qui præ illis, universa alia spernunt. Porro video vos, cum hoc volentes, tum satagentes ut ad opus deducatis, qui potiora semper diligatis, idque maxime in præsentis diei lætitia, qua nobis immortalium honorum fruitio accedit, per ea quæ ejus delectabilia sunt. Hæc enim, manu ad illa ducant præeuntque celebrata in terris mysteria, iis, quæ in cœlis manent deposita. Idcirco enim, cum præsens lætitia proposita est, tum benignæ illius ac clementis œconomiae sacramentum universum constat. Per ea, quæ in præsenti, humanæ vitæ innoterunt mirabilia, æterna invisibilium revelatur gloria. Per ea, quæ in mundo novantur, mundo superior dispensatur humani generis instantatio. Bona terrenorum voluntate, cœlestium voluntas terrenæ comparatur naturæ. Propter Deum visum in terra, cœlestis mortalibus paratur requies.

Hæc festi conventus, quem agimus, ratio est. Hoc hodie lucri, ii, qui convenerunt repositum habent. Hæc causa fuit, cum ut præsentia miracula exhiberentur, tum ut propter ea conventus fieret. Declaratione siquidem miraculorum, quod summam habet admirationem, salutis universorum mysterium revelatur. Propterea quia humana natura vitio exaruerat, cum emotua ad feturam sterilis excitatur, tum natura major virginalis innovatur partus. Vide autem ut ostensa miracula, œconomiae miraculo præeant: nimirum, virginali conceptui, sterili feminæ collatus ad feturam vigor; partui supra rationem, infecundæ parturitio; cogitatum omnem superanti prægnationi, inexspectata prolis editio. Quippe assuescit natura, ex iis quæ præter exspectationem accident, ut ne supra naturam novis abroget fidem. Nascitur Virgo ex

sterili; Deus ex Virgine corporaliter dignit; et bōbusque novam Deus creaturam molitur. Hanc enim nobis hodiernæ lucis prænuntiavit lœtitia. Hanc prævie confirmavit miraculo in justis exhibito. Haec denique inexspectatus illorum occupato indicavit partus, isque ipse, arcanorum mysteriorum ac eventus ejusdem, principium propositus est. Cum itaque hodierna festivitas, illustroribus omnibus solemnitatibus, miraculorum in ipsa consummatorum ratione, præeat, iisque eeu fundatum quoddam ac crepido supposita, quidquid in illis sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat; par omnino est, ut tanquam principio ac causæ universorum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudio celebremus. Decet plane ut saluī initia honore prosequamur: decet ut cum justis gaudentibus pariter gaudeamus: decet ut cum effusis in gratiarum actiones, gratias personemus: seu magis oportet, ut quidquid ejusmodi gratiarum est resumentes, tanquam pro bonis propriis, ac beneficiis, quæ sola vere beneficia sunt, eorumdem largitori totum rependamus. Per nos siquidem, quam per alios potius referendæ sint, ad quos maxime spectet donorum fructus, quorum illa causa est. Ac de his quidem hactenus. Tempus vero est ut qui in convocantium nos justorum magnificis epulis collecti simus, dulcedinem omnem vincentibus eorum prærogativis ad satietatem deliciemur, utque ea proponentes, quæ superior omisit sermo, dulcissimo eorum gusto fruamur.

Ils enim, adductis ac pro virili explicatis præcelentibus Joachim prærogativis, utque in ipso oblationis procinetu, repulsus a contribubibus invidia percitis ut ne magnifica offerret dona, unum, quo ab eorum impropriis liberaretur, perfugium ad Deum invenerit: quænam item ejus in monte fuerit homine major perseverantia, intensaque abstinentia; seu, ut verius dicam, vita corporis expers. Quod enim alienē habens a carnali affectione, naturæ insuetum jējunium exercuerit novumque, velut carnis expertem dicere compellit. Cum hæc itaque superior oratio brevi suggessisset, ad usque oraculum quod per angelum editum est, quæ sunt reliqua, ac spectant ad castam ac justam Annam, indiscussa reliquit. Non velut nihil universe de illa sermonibus aliis a nobis explicatum sit. In diversis enim, quantum licuit, ea dilucidare studuimus; haud tamen in præsenti lœtitia, ac religioso vestro conuento. Quamobrem oportet ut, breviter præenarratis que ad eam spectant, quæ arguementi reliqua sunt, vestro deinceps cœtui, explicanda apponam. Quemadmodum enim paulo ante, magnificum pariter Joachim animum, ejusque in Deum accensam pietatem maxima quadam admiratione prosecuti sumus, ut nimirum non fuerit motus contrario affectu ad Iudeorum, quibus incessabatur vana scismaticæ, nec audacem improperantium arrogantiæ compresserit, palam ostendens nullam se in

oblatis violasse legem, solaque eos invidia, nihil causæ habentem contra ipsum excogitasse calumniam: ut item, sicut istis, ita et domesticis omnibus neglectis, in Deum solum rei summam retulerit, eximieque mirabilem perseverantiam in deserto ostenderit. Ut tunc ergo explicantes viri justi prærogativas, earum excellentiam sumus demirati; sic et conjugis Annae, ut in medium disserendo adducamus facinora, pari ea admiratione efferemus. Äquali enim patientia præstat ac perseverantia; quin, et vincit gloriae cumulo. Porro plura sunt que hoc astruant, ac velut subjiciant oculis, ut cui animum lubeat adhibere. Nempe, cum Annae gentilium in eam convicia ob infecunditatis vitium, tum ignota viri absentia; ad hæc vero præsumpta ancilla dicteria, quasque rumor erant jactare contribules sterilitatis execratione, diras: eadem ipsa ancilla ob oculos ponente, ac earum commemoratione penetrabiliora in feminam justam jacula insigente. Euimvero opponens Anna, iis, quæ velut agmine, tristia irruerant, sustinentiam animi, afficiebatur quidem, ut ne sine sensu ad ea habere videretur; haud tamen a sublimi patientiæ arce, vel in defecti animi abjectionem, vel in indignationis motum, pro iis quibus male habebatur, dejecta fuit. Unde neque aliquid adversus conviantes respondet, neque aduersus injustam eorum increpationem insurget. Non livida voluntatis ait, quod prætexebant scelus: non suæ ipsorum mentis inventum, nec tale, ut in Scriptura sacra habeatur, maleficium exprobrat. Quanquam eximia generis nobilitate honestata, ac suffragante vita sincera, nec eis audacter restituit, nec eorum conatus temeritatem, alienamque a ratione molitionem coarguit.

Sic etiam, cum virtutis, ac totius vitæ rationem socius sese occultasset, non circunvit quærens, notosque omnes ad eamdem convocans inquisitionem. Non montes scrutatur, ac loca improvisa, suisve gentilibus multam turbationem facessit, vitro autem multum ab absentia intentat crimen, tanquam alienum quid a societate ac matrimonii jure molitus sit; tanquam voluntatem nihil priori benevolentiae congruam ostenderit; ut qui naturæ vinculum solverit; ut qui legis astringentis scita neglexerit, remque totam familiariter despicerit. Nihil horum invulnerabilem Annæ mentem perstriuxit. Ac quidem sprevit convicia, ut minime afficiantia animum: quod autem spectat ad viri absentiam; dolebat quidem tanquam ejus privata bonis; verum melioris eam consilii dispensationem putabat. Quamobrem, etiam luctum votis precibusque agens, cura viri manifestationem quærerit, tum Denim bonorum largitorem pro editione prolis efflagitat. Quid vero opus magnum ejus in istis demirari animum? Ut nimirum nihil passa angusti animi ad ancillæ convicia, justam in eam iram continuerit; ac neque dominii aliqua majori auctoritate usa sit adversus furiosam adeo increpationem, nec eorum

qui ita veluti conjunctis consiliis uterentur, temerarium ausum indigne tulerit.

Quo enim rationabili praetextu conviciis lassessens puella, talia in eam irrationabilis procacitatis dicteria affudit? Nimirum, quod precationis tempore ac cordis contriti, elatorum hominum ac arrogantium stadia non fuerit imitata? Quod demissio ac humili, uti sensu, ita et habitu, orationem ad Dominum intenderit? quod stolam voluptuariis feminis studio quæsitam non admiserit? quod eum ornatum, quem toto vitæ caste ac sobrie exactæ tempore nunquam admisisset, importuno oblatum tempore, repudiaverit? Quisnam ergo, inquis, ille ornatus, ac quodnam illud frontale in historia positum, quod ea traditum rejecerit? Quidam autem fuisse illud magnificentum diadema ac sponsale, quo dissolutæ mulieres lætis rebus uterentur. Illoc autem maligno aliquo consilio haud absone videatur Annae oblatum, quo putarent maligni insidiatores intentum illum precandi servorem remissumiri, importuna quidem voluptate, ejus animi dissoluto tenore, ac cum illa alienum quid a castis suis moribus, ac priori sobrietate præsumeret, ratione cuius despicienda a Deo foret. Idecirco enim tradens puella, suspicionem conatur amoliri, negans accipisse ab aliis, quam ab ea, quæ suis ipsa manibus confecisset: nec nisi obsequi causa, nulloque pejori consilio tradere, quod offerretur. Illoc enim ex operis ipsa domina indicatur. At Anna, nedum ob suspectum dolum, sed quod etiam nunquam ornamentorum ejusmodi usus placuisset, quod tradebatur, ut sceleris occasione<sup>m</sup>, rejicit. Nunquam, inquit, ipso juventutis flore impensiorem eum ornatum indui. Nunquam cum æquanimis esse, ac læta queque præsentis vitæ viderentur affluere, ita plexis redimiculis delectata sum. Nunquam me regalis sanguinis existimatio, in ejusmodi cogitatum, subliniem egit. Nunquam affuentes divitiae abdixerunt ut superfluam curam corporis agerem.

Vide autem modestiam Annæ: ut nedum facinore elata sit, sed et ream se aguoverit. Cumque hoc, inquit, non fecerim, video me occulorum quorundam delictorum pœnas luere, quas exigens qui occulta exquirit Dominus, ut ea dissolvam ac emendem, hacce mihi humilitate indicit. Quid ergo improba ancilla? Quibusnam verbis consolatoriis probam dominam adit? Par euim erat ut, totam justæ feminæ vitam reputans, tum ab irrationabili conatu desisteret, tum per suas ipsa preces, eidem subsidio esset. Par erat ut orationis tempore, humili ac compositi ad modestiam animi socia accederet. Oportebat intemæ supplicationis laborum partem in se recipere; verbis, quibus spem erigeret, recreare. Oportebat, ab aliis etiam importune oblatum mundum una repellere, repudiare, contestari irrationabilem esse, ac a modesto honestoque mundo dominum alienum. Enimvero nedum ea id consilii capit, ac ejusmodi aliquid

meditatur, ut etiam verbis adoratur pariterque exagitetur, ac graviora præ Judæis in feminam justam improperia jacet, amplians atque refricans sterilitatis vulnera, justeque tragicum quid contribubilis propositam contestans. Quid ergo generosissima ac magnanima Anna? Non ea utitur ita adversus impropertantem puellam, quæ videri posset e ratione. Non ejus coarguit traducitque amentiam, non insurgens improbam submovet, ejicitque, atque ut suo ipsis indignam obsequio, condigne eam pœnae subjicit: quinimo, spretis omnibus præ excellenti illa animi amplitudine, domo quidem excedit; captat vero remotum a turbis horti locum, quæsitamque nacta quietem, afflati a Deo animi supplications illas ad universorum Dominum submittit.

Cur vero non cubiculi tranquilla cantat silentia, ubi sensa imo pectore occulta, ac quas parturiret preces, Deo offerret. Quod nimirum, haud omnino pro voto res successura esset, cum plura in preciibus efferre haberet, nec per tumultus domesticos, adventantiumque contribubilum molestias, pure illic Deo præsentare licet. Eadem causa fuit, ut ne templum petens, suæ in eo orationis verba Deo offerret: quanquam illud, universis ejus gentis hominibus stata domus orationis erat. Haud enim vero quæsitæ quietis præstebat moras, multa præbens subvereri, quibus illa interpellanda esset. Apud se namque cogitabat, quam nullis non eam dictieris appetituri essent, cum solam, ac importunis horis, jugi oratione in templo assiduum videbant, qui jam ante ipsam pariter ac virum, maternam ac primitias offerentes Deo, populumque universum iis demerentes, cœca in eos invidia, pariter offerentes Judæi, ita conviciis incessissent, et repulsent. Nihil autem vetat, ut ne sic affectam, Judaica insania, furoris cuiusdam insimulatura esset, aut motæ mentis ab ebrietate. Sic enim beatæ illi ac prophetissæ, ejus, inquam, cognomini, seniori Annæ, qui modestia aliis præstituri merito videbatur, pro sacerdotii ratione, quo fungebantur, anteriori in eam increpatione, impropertabant, ejus ad Deum supplicationem, ebrietatem causati. Anna sane, ex accensa atque sobria ratione, ferventem illam submittebat supplicationem; at illi, ebrietatem arbitrabantur sobrietatem; stultaque garrulitatem, inclytæ feminæ theologiam putabant. Hæc illi improba insultatione, tametsi beata femina clamores non mitteret, nec incompositis vocibus auditoribus molesta esset, in eam jactabant. Jam quippe Heli sacerdos, quanquam obscure ac submisso loquebatur, os ei obstruxerat. Et Heli sacerdos, inquit, observabat os ejus. Et ipsa loquebatur in corde suo; et labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur. Et dixit ei puer Heli: Quousque eris ebria? Ausper vinum tuum, et vade a facie Domini<sup>9</sup>. Qua ergo Heli ratione ebriam suspicabatur, siquidem videbat cum Deo per orationem

<sup>9</sup> I Reg. i, 42.

colloquia miscentem; siquidem ex prima statim increpatione ei os occluserat? siquidem ea, nihil illorum qui ita habent, ore proferebat. Sunt quippe eorum, qui ebrii ac temulentii a vino existunt, verba in honesta, ut cum etiam alii cogunt tacere, ac acerbe cedunt, plenas nihilominus impudentiae voces illas mittant, haud se alias exhibentes ad spectaculum, ac sermonibus habeant. Haec autem, quanam tali turpitudine ostendit se ebriam? Quas indecoras emisit voces? Quid ei de sobriae feminae compositione decessit? Num eo ebria videatur, quod damnata ut obmutesceret, indictam lubens multam suscepit? Num quia visibilis habitus honestate, internam animi constitutionem ostenderet? Num quia accensam interiore orationis flammam silentio continens, solo labiorum motu, suum ipsa proferret fervorem? Nam, inquit, *Loquebatur ipsa in corde suo, et labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur.* Nonne ergo præclara illa assiduitas stuporem conciliare habuit? Nonne visibilis habens recta compositione fuit admirationi habenda? Nonne illa in silentio loquax ad Deum oratio? Nonne sic iugi contentione erecta in cœlum lumina? Nonne gemitus ex angustia cordis, nullo sermone, at neque sono, expressi? Nam neque eos sinebat foris audiri. Idecirco ait: *Vox ejus non audiebatur.* Prohibent illi, ut ne articulatas voces ac verba edat; at illa, ne quam illudentibus occasionem præberet, indistinctos etiam sonos premebat.

Sic enimvero illa, mirabili ejusmodi assiduate, preces ad Deum submittebat: Quid vero ad eam puer impudentia lacessens? Quousque, inquit, *ebria eris?* *Ausser vinum tuum, et vade a facie Domini.* Quod vero vinum jubes ausserre? Num accensum in Deum desiderium? Mentre me sobriam? Jejuno corpore assiduam instantiam? Quas ex ferventi animo submittit preces? Sed enim quo et a facie Domini eam amandas, quæ aliis omnibus spretis, unum Domini faciem exquirit; cui suum in pectore desiderium fixum est; quæ, verborum suorum eum duntaxat auditorem videt, quem magis in aliis extra, quam intra tabernaculum, mentis oculis propicit?

Ac eum quidem modum, illusores, veterem quidem Annam, orationis tempore, una veluti conspiratione, appetierunt: at nova, universisque prudentior, intentam jugenique oblatura orationem, uti a domo, ita et a templo longe abscedit, hortique locum, ab humana consuetudine remotiorem, quietis ergo petit, ubi desideratae precationis sinceram puritatem sibi servatum iri sapienter adinodum prævidebat. Fors autem non ea ratione, sed propter veritatem revera declarandam, ejus iam ex operibus circa se eventum prædicebat. Quibus enim præscriptum erat ut legalium scitorum umbras deservireat, uti offerenda munera ac primitiæ, ita et necessiarium rerum per orationem petitio, templi ambitu definita erat, in quo maxime vota-

rum se compotes fore persuasum habebant. Jam ergo cognominiis gratiæ Anna, ex oratione, quam sic offert Deo, ex quo rationalibus primitiis, prima initia, ut ne eadem loco definiatur humana existimatione, prænuntiat. Dei enim ubique præsentis, omni loco existens gratia, uti rebus, ita et fidelium opinione habitura est, ut quæ ipsius beneficentiae sunt in omnibus agat. Hoc sane et Joachim vir ille justus prænuntians, templo se subducens, acceptam illam ac mirabilem orationem in monte offert, quo plane significet, novæ gratiæ adventu, cum figuris umbris carens relinquendum templum, tum in omnibus illustrationis ipsius radios explicatum iri.

Enimvero, quænam sunt precationis Annæ in horto verba? Præstat enim ea sermone producere, ut videamus quid universim decorum habeant. Quanquam sane aliis aliisque ac diversis locis, quam diversam ipsa præcogitasset, offerre consueverat, haud tamen illa alienæ unquam a consentaneo ordine habebat: hic vero, ex contrita magis ac submissa mente procedens, nova quædam ac mirabilis insonans, exaudita est. Consentanea quippe ratione incipiens justa femina supplicationem offerre; deplorantis specie beatam illam sermoni humilitatem adjecit. Quamobrem, haud se gentilibus suis ac contribubilis comparans, earum se benedictione ac gratia eum indiguam, privatam ait; quin et a brutorum quoque animantium, atque ab ipsius inanimis creaturæ similitudine quod spectat ad benedictionem, omnino se alienam factam esse pronuntiat. Idecirco precatione quam solitaria profert, volucrum pariter, ac quadrupedum meminit, bestiarumque, ac terræ, nec non eorum quæ in terra nascuntur; aquarum quoque, ac earum animantium que in aquis fetificant, quo se prorsus inutilem ostendat, memoriam facit, indeque solum misericordissimum Deum ad misericordiam provocat ac inflectit.

Verum occupat ille sermones, ac necdum terminum habente Annæ illa oratione, eoruin quæ petentur, spe omni superiori eventum petenti annuntiat. Nam ecce, inquit, dum loqueretur, venit ad eam angelus Domini, dicens ei: *Exaudivit Deus orationem tuam; concipesque, ac paries, enuntiabiturque semen tuum in universo orbe.* Exaudivit, qui priusquam mente conciperentur, noverat precationis verba, quique ea ineffabili ratione rependit. Audivit orationem, qui orationem ciet, facitque exaudiri. Audivit precationem ex animo contrito submissam, qui in eo idecirco requiescit; qui ejus delectatur modestia ac humilitate. Audivit orationem, qui ejus olim eventum prophetarum vocibus prædictum. Prectionem audivit, qui ejus fructum facturus erat auditum universis creatis. Enuntiabitur enim, inquit, *semen tuum in universo orbe.* Enuntiabitur terrarum orbi celebratissima ejus gloria; sola ejus, præclara fama celebris fructificatio; illustrissima creatorum gloriatio ac decus. Enuntiabi-

ur humanæ illud naturæ facundum os; rationabilis eorum defensio, quibus pudor abstulisset verba, de qua gloria dicenda sunt ac enuntianda in universa rationali natura; cuius intellectrices virtutes magnalia cantoris celebrant; cuius gloriam prædicant. *Enuntiabitur semen tuum in universo orbe.* Tu siquidem, inquit, o Anna, non tam generis successionem, ac naturæ fructum ambiens, assiduitatis illius constantiam, ac precum certamina impendis (quippe quæ uberes virtutum fructus offeras Deo): quam ut nascituræ prolis auditæ in gentilibus fama, ab sterilitatis opprobriis liberetis, nec ab eorum benedictione excludaris: enimvero, tuæ illius orationis fructus, ac naturæ secunda editio, nedum in Israele, ac gentili tuo populo enuntiabitur ac magnificabitur, sed et in universo orbe celebris habebitur: in regibus ac principibus, in sacerdotibus ac justis; gentibus diversarum linguarum; in sapientibus et insipientibus. In tam multis, inquam, enuntiabitur tuus ille fructus: in tam multorum diffamatus auribus, congrua mirabilibus ejus magnificencia honoribusque augebitur.

Quid igitur beata ac magnifica Anna? Quodnam munus tanta se benedictione donanti rependit? Quibus donis benefico retribuit? Quas se grati animi monumento oblationes facturam promittit? Non pretiosa vovet donaria, non victimas irrationalium pecorum; non frugum primitias; non si quod aliud sacrificium rependi potest? sed eum ipsum, quem Dei largitate accipit, naturæ fructum; ipsum deprecabile ac desiderabile germen, cuius ergo assiduæ illæ agebantur preces, ac uberes oculis desfluebant lacrymæ; cuius, inquam, gratia, cum laboriosæ assiduitatis certamina, tum universorum, quibus bene quis faustequæ habeat, despectio. Vivit, enim, inquit, *Dominus Deus mens, siquidem vel masculum vel feminam peperero, donum offeram Domino Deo meo: erique ipsi ministrans omnibus diebus.* Vide accentum Annæ in Deum desiderium. Vide excellentem ejus animi magnitudinem. Vide ut præsenti sponсione ac voto, quam abunde externam substantiam ejusque primitias offerret Deo, ostenderit. Que enim concessam naturæ benedictionem, aniniisque oblectationem, ac laborum solatium, ferventi adeo proposito, offert Deo, quonam alio e tota substantia erogando parcior fuerit? Quodnam charissimum pignorum non Deo addixerit?

Attende vero ejus animi magnificenciam. Non discernit: Siquidem peperero miraculum, eum Domino Deo tradam; sed, *Sive masculum, sive feminam.* Insatibilis in Deum dilectionis votum hoc: impotentis in Deum desiderii argumentum isthac pollicitatio. Hoc solum, inquit, jus, potius habendum, ut sicut rerum aliarum delectum, ita naturæ fructum ac primitias recipiat, quæcunque tandem illæ fuerint. Nam si dixisset: Siquidem peperero masculum, offeram eum Domino Deo; feminæ autem nomen tacuisse, videri potuisset, quod in

voto tacitum esset, oblationem integritate minuere. Nunc autem, masculum pariter ac feminam sponsione complexa, cum ineffabilem suam in Deum universis prælatum dilectionem ostendit, tum sermonem ab omni alia suspicione purum reliquit: quanquam nusquam ex Scriptura novimus, vel in consecrationibus, fuisse feminam oblatam Deo; atque in primis ut ministris in templo accensentur. Hæc nibiominus exsuperanti pietate, novum hoc in voto facit, novationem ea re futuram prophetans. Sola quippe feminini sexus, quæ sola naturæ primitiae esset, cum promissa, tum Deo charissimum anathema, tradita est. Et enim; O veracem pollicitationem! O promissionem, majora beneficia, quam ut oratione exprimi queant, naturæ prænuntiantem! O oblationem sacratissimam! O plenam religiosa pietate ejus voluntatem, quæ suæ spei, fructum tales, eaque Deo addictum voluit ratione! Qua hæc parte oblatio, Abrahæ oblationi non præstet: Num ratione temporis quæ orationem præcessit? Num temporis ipsius orationis? Num modi oracula de cœlo delati? Num denique ut magnificantiam species promissionis? Nec ultam vero, oblati muneris excellentiæ mentionem volo. Nullam enim admittit comparisonem, quod unum universis creatis Deo charius est; offerentis autem accensisima in Deum dilectio et habenda admirationi, et claro præconio celebranda sit. Quippe etiam ipsa obtulit, quemadmodum Abraham: ille enimvero, præcepto obsequens, obedientiam implebat; hæc autem voluntatis propriæ fructum ac primitias litabat. Obtulit ille Unigenitum, ut promissionem species, non ut omnino prolis editionem; hæc autem, unam ac unigenitam obtulit naturæ benedictionem, quam multorum laborum ac intentæ orationis fructum acceptisset.

Laborum namque, ac immensorum certaminum facinus sunt, si quæ bonorum retributiones ratione majores, ac quam sermone explicari queant, existunt. Laboribus subiectæ preces, ad Deum feruntur. Laboribus haud secus ac igni, anima probatur. Æternorum bonorum beata possessio, laboribus rependitur. Laboribus propensio in Deum, ascensioque ac conciliatio, suapte natura comparatur. Cæterum bona hæc, ceu pro laborum retributione revera computantur, tametsi cogitatum omnem superantia, pro vilibus ac exiguis rependantur. Quis enim tantus labor, nedum ipsa re impendatur; sed vel animo cogitet, ut vel minima parte e bonorum illorum regione appensus, aliquid videatur? Quorum rogo certaminum opus sit ascensio in cœlum? Quorum putes laborum gradus, ut ad tantam subiecti sint sublimitatem? Quorum mortali ac fluxa vita impensorum sudorum, æternorum ac immortalium præmia bonorum. Quosnam quis labores exhibeat, ut condigne necessitudinem illam cum auctore promereatur? Quam se domum propriam præstet, in qua ille inhabitet? *Inhabitabo, enim, in eis, ei*

*inambulabo*<sup>10</sup>: Et iterum: *Ego et Pater veniemus*<sup>11</sup>. Hic bonorum in spe nobis repositorum terminus: celeste hoc regnum; haec voluntatis æternæ beata possessio: haec lætitia interminabilis; haec jugis exsultatio; haec retributio, nedum labores, sed et omnem intellectum exsuperans. Vides, ut nullus labor, nedum reipsa exequet, ac neque quidquam æqualis beatæ repositorum bonorum fruitioni, menti occurrat? Tametsi vero, nostra certamina adeo deficiant, assumptive virtutis ergo sudores, sic pro retributionum illarum, ratione majorum præstantia, exigui sint, perquam tamen optimus Dominus, vincentem cogitatum beatitudinem pro sic viibus ac perquam exiguis, retribuet. Plane vero exigui ac nullius momenti videantur humano studio collati labores, ut quis futuro ævo repositæ felicitati comparet, tametsi totam in eis vitam insumperit; tametsi vitæ tempus totum, certamen juge ostenderit. Tametsi in annos centum, in ducentos, in trecentos, in sexcentos ac innumerabiliter plures vitam prostraverit, totoque eo tempore virtutis certamina perseveranter confecerit, nihil tamen præ bonorum in spe repositorum tantis illis retributionibus decertasse videri possit.

Quamobrem exiguis ejusmodi vilibusque laboribus, omni illas sublimitate majores retributiones nobis conciliemus: divitias nobis inconsuptionum bonorum reponamus. Nedum autem exigua viliaque habenda dice, quæ talia videntur, sed et continua vitæ totius certamina: constantem virtutis pugnam; indeficienter ac ferventer impensos labores. Ejusmodi enim sunt munifici Domini retributiones: tantæ illæ supereffuentes retributionum ejus divitiæ: tanta humanitatis ac bonitatis exsuperantia, pro paucis, infinita; pro paupertate, divitias; pro perituriis, æterna bona commutat. Quocirca, non tam oblitorum quantitatem attendit, quam ut habeat offerentium voluntas, qui solus dives largitor existit; cuius est misericordiae viscerum majus cogitatu pelagus; qui ipsa per se bonitas, solaque bonorum ubertas est; qui, inquam, præsentis diei jucunditatem, propter futuram lætitiam indixit; qui per Matris suæ magnalia, nostram ad se humilitatem provehit; qui per mirabilia ejus prodigia, altiori supra spem ratione, saluti humanae providet. Hoc enim, tota, quam molitur, œconomia agit. Idecirco etiam in tuis, Deipara Virgo, gloriamur mysteriis. Pro iis cœpta plasmatione, juges tibi gratiarum actiones offerimus; pro ea, ut reliquas ita et illustrem hanc tibi agimus celebritatem. Idecirco pari præconio efferrimus parentum merita; eorum hodie virtutis glorificamus magnificientiam; accensam eorum dilaudamus pietatem ac religiosum, præcellentem constantiam, exauditas preces, salutis nostre prænuntia oraacula. Eorum te inclutum, ac naturæ, honoramus fructum; bonorum radicem, conciliatricem æternorum bonorum. Idecirco,

te quidem ad Filium mediaticem, eos vero ad te intercessores asciscimus hodie. Per eos flagitamus; immo per te: non enim necessarii ad te mediatores, o benigna, ut tuis nobis magnalis personem conserves lætitiam. Rogamus per te ex te incarnationum Deum altiori *sapra rationem* modo, ut futuram beatitudinem, præsenti huic jucunditati præstet succedere, ut mundi hujus choris æternas committet laudes; ut pro silentibus canticis, nescium silentii reponat epulantium sonum, quem in voce exsultationis et confessionis ipsi submittamus: ipse enim jugis lætitia, exsultatioque, ac jucunditas est. Ipsumque decet honor, gloria, adoratio, cum Patre ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

### ORATIO III.

*Oratio in Conceptionem ac Nativitatem sanctissimæ Domini nostre Dei Genitricis semper virginis Mariae.*

Hodie terra, illustrioribus supra cœlum gracie fulgoribus lætam faciem explicat: augustius cœlo spiritali claritate splendet: majori supra mundi cœlum deore pollet: quippe natum suscepit superiorius cœlum; cœlum, inquam, eximie lucidum ac spacioissimum: quod mundo non occidentem sole, sed eum prætendat, qui nescit occasum: cœlum plane, non visibilibus stellis, sed spiritalium luminum accensione, varium. Hoc enim, celebri hodie conventu recolimus; hoc, splendidissimum apposuit omnis generis eduliorum epulum: hoc, præsentis diei indixit tripodium: hoc, sermonem provocans, ad suam universos convocat participationem. Eia igitur, audibiliter insonanti gerentes morem, ne quis se invitatorum, ab hac dulci ac mundi totius jucunditate abstineat. Ne quis communibus naturæ deliciis gloriaque frandari sustinet: una omnes proposito fruamur epulo. Æque enim universis propositum est, atque ad lætitiam omnium ac super glorificatam gloriam instructum.

Jam sane multa magnaque, humana natura, a Deo fuerat consecrata beneficia. Diversis fuerat honestata donis, quibus beneficij auctor, beneficiorum participes effectos, commune generi decus inferret: nusquam tamen, ut omnia conferas, quali nunc magnifico ac divino honore, eximie aucta est. Quamobrem, superiorum obliterata, veteribusque retro positis, præclara hac sibi placet, pariterque effertur, gloria. Quid enim tam magnificetur in Dei donis in eam collatis intelligatur, ut cum isto congrue comparari possit? Quid ita magnum naturam ex nihilo produxisse, præ dignatione illa, qua et vitæ tam induit, novaque ac augstiori rursum fictione reformat? Quid honor imaginis, præ adoptione? Quid terrenus principatus, potestasque, præ nunc communi universorum cum Domino in cœlis imperio? Quid in visione et insomniis, auræque

<sup>10</sup> Levit. xxxi, 42; II Cor. vi, 16. <sup>11</sup> Joan. xiv, 23.

tenuissimæ obscuro indicio, videntibus Deum prophetis ostensus aspectus, præ eo, ut ipse qui apparebat, nobis substantia visus sit, atque in nobis clementer habitarit? Quid denique prophetarum ac justorum electio, quæque per eos humano generi accessit gloria, præ eo, ut præoptantis Dei Mater, humani generis gloria, assumpta sit, perque eam, hic nobis adeo magnificus honor accesserit? Hoc plane est quod nostrum excelleenter glorificatum est. Hoc universi suscipientes, amplecti debemus, et gaudere, ac quibus licuerit laudibus exornare.

Enimvero non desint, qui Dominicæ apparitioni, ejusmodi et letitiam, et gratiarum actionem, congruere dicant, utque universa hæc facta sit, finisque mysterii ac concessorum donorum extiterit. Verum neverint, qui ista opponunt, præsentis diei jucunditatem illius suis causam, ac Dei nobiscum reconciliationis initium, ejusque lætitiae, quæ per eam nobis affulsit. Quemadmodum enim accepta ad conciliationem pignora, signa quidem sunt firmæ pacis; initium autem jucunditatis illius, qua suis pax bonis conciliatos afficit: ut item, si qua mulier, e subiecto populo ad regium thalamum deligatur ac assumatur, certissimum, cum affinitatis eum rege, tum futuræ ex ea gloriæ, argumentum fit gentilibus suis: ut denique, dedicata privatis possessionibus regia, sui illa designatione, adventus regii, futuraque ejus commorationis, omni circum populo, indubitatim signum efficitur, quo jam ille elementiam principis providamque conservationem, avide salutet, ac sibi gratuletur: ita sane etiam habuerunt quæ ad præsentis dici letitiam spectant, supernaque gloriæ argumenta prænuntiarunt. Arribabo prolata est, ac delecta innupta sponsa: regia quoque hodie pariter edita est, atque intructa; bonorumque in spe positorum secura adventu illo ac necessitudine, firmitas, percipientibus dona, nobis utique accessit. Præit itaque præsentis diei claritas, ineffabili illi ex Christi incarnationi sacramento lætitiae; præit vero, non ut ei non cohærens, vel ut magnitudine differens, sed velut quæ ad rei totius certitudinem quasi manuduxerit, idque modo nobis familiari ac congruo; quando per eam, quæ nostra gentilis esset, consummatis simum gaudium conciliavit. Quamobrem operæ pretium est ut præambulam hanc ac finis conciliatricem adjicientes gratiam, lætis quidem habitu, latoribus autem animi honestate, laudibus, diei præsentis celebritatem coronemus; jucundius saliamus; spiritali magis quam corporali ratione lætemur; cum coelestibus ac divinis ordinibus certatum exsultemus; omnes hortemur ut universam in hoc studii excitent creaturam.

Enimvero occupat invitantem sermonem, angelorum chorus, eamque hodie celebri præconio effert, per quam mysterii finem aspergit. Occupant et coli,

novique ac supremiti firmamenti illius altitudines honorant. Præcurrunt luminaria, iisque radiis, quos spiritalis solis nubes mittit, lætius illustrantur. Adest terra nemine invitante, suoque ipsius honestatur ac gloriatur germe. Novis elementum aquæ motibus subsultibusque tripudians, suæ auctoræ sanctificationis, assistit. Cum sic ergo res universæ suam hodie exhibuerint libertatem, congruentius ego omnium maxime germanam naturam invitavem, hinc in modum penetrabili voce clamans: Eia age, ætas omnis ac omnis dignitas; sacerdotes pariter ac imperatores, quique supernum statum, ac vitæ rationem, in inferioribus exhibetis: principes simul et subditæ, senes ac juniores; virgines matresque, ac steriles, quique innocentia estis pueri: impensiori ac diviniori lætitia, salutarem hanc diem suscipiamus, et faustis omnibus prosequamur. In ea siquidem nata est universis congrua gloriatio; in ea germinavit ex infuscis lumbis decor sacerdotum; imperii robur; eorum consummatio, qui virtutem colunt; magistratum subditorumque tranquilla ordinis compositio, infantum prudentia; virginum ornamentum; matrum corona, non habentium prolem, beata amplaque proles; sterilitatis solutio. Floruit ex sterili, bonorum ubertas: ex justis, justissimus fructus abundavit.

Enimvero, quinam hi sunt, ac quales? Porro licet eorum mihi res enarrare; non ita ut condiguis encomiis effera. Nedum enim mea id majus virtute arbitror, sed et universorum: at solum, qua ratione prælati fuerint humano generi, utque immensam gratiam consequenti, tantæ illius magnificientiæ generis auctores evaserint. Quinam enim, luculentorum quoque oratorum subtile sensus, rerum majestatem assectari possint, nedum majori quam habeant gloria, arte ac methodo efferre tentaverint? Sane laudatores, si qua gesta habent, argumenti loco abripientes, quæcumque gratiam, ii quos laudant inde cœlitus adepti sunt; quantum rhetorica exercitatio faverit, propositis rebus admirationem laudum cumulo angere tentant, aut omnino congruentem eis conciliant gloriam: ubi vero major cogitatu magnificientia, justorum hominum merita, ceu tuba clangente altum depredicat, quænam fuerit encomiorum laudatio? Quis novus adeo honor, rerum adeo novarum ac mirabilium inveniri queat? Quid enim ejusmodi in omnibus a sæculo rebus excogitari possit, ut congrua ratione laudationem dirigat? Quæso enim, omnium mihi justorum ac prophetarum electionem, eorumque in Deum eligentem, necessitudinem cogita, videbisque Joachim et Annæ incomparabilem excellentiam: videbis eorum majorem cogitatu dignitatem, majori pretio habitam, ac ampliori gloria auctam. Hos quippe creator Deus ad mundi veterati eligit instaurationem: ex iis matrem accipit, ex qua novam fictionem providere decrevit: ex eorum sanguini

nibus, tanquam virtute regalissimis, regalem humani generis purpuram induit. Ea res, justis omnibus superiores facit; hoc eorum jus vincens meritum omne, ut præ universis delecti sint, ac congruo tempore in rerum naturam producti, assumptique in mysterii finem. Vide ergo ut eorum res omnem planc comparationem fugiant. Nec vero verba, sed ipsæ res subjectæ istud cœn tuba clangente deprædicant. Enimvero conducens erit, cum ipsi celebratati, tum ejus declarandis prerogativis, ut pauca quædam explicemus ex eorum historia; sic enim perspicuam magis dictorum præstabunt veritatem. Sic porro habet, ut sermonem ab exordio ducam:

*In historiis (1), inquit, duodecim tribuum Israel, erat vir quidam nomine Joachim, dives valde. Cum amplissima laude positum est conscriptionis exordium, reliquorum deinceps magnificentiam clariori indicio declarans. Quid hoc vero sibi vult, in historiis? In genealogiis, inquit, duodecim tribuum Israel. Hinc ergo ostendit, impermitemur regium genus a majoribus ducentem, legali progenitorum snaque religione ac observantia honestatum qui insignis ac eximus haberet, in tribubus Israel primas consecutum esse. Tum vero, ubi scriptor, cœn indicium quoddam præstantiae viri, divitias quoque posuisset; singularissimam deinceps ejus justitiam, ac qua universis contribulibus præcelleret, dicit. Offerebat enim, inquit, duplia dona Domino. Plane gloriabatur duplicibus divitiis. Quod enim duplia dona is consecraret, id agebat, ut et vitæ hujus, fluxique divitiarum thesauri minuerentur; manentes autem perpetuo cumulo auerterentur. Nonne liquet, ut neque fugaces divitias manere sineret, quotidie arctans, ad id quod satis esset? Hoc enim etiam oratio indicat: Offerebat enim dona sua duplia dono Domino, dicens apud se: Sit mea abundantia universo populo, ac remissio mea Domino Deo meo. Vide justitiae legalis excellentiam. Vide evangelicam apostolorum institutionem præclare exhibitam, seu ut loquar melius, superatam. Sit mea abundantia omni populo. Nihil, inquit, in necessariis rebus superfluum sit. Toti populo proposita sint, quæ ultra necessarium usum abundant. Communis universis cedat mea substantia. O plenam justitia mentem judiciumque! O divitias inviolabilibus thesauris importatas: tanto excessu præcelluit eorum virtus ab exordio. Sed et alia eorum virtutis excellentia ex sequentibus ostenditur. Postquam enim intra ejus quod sufficeret metas, divitias contraxerant, legitima omnia, tum quæ ad neomenias, tum quæ ad donaria, victimasque pro peccatis, ac corporales lustrationes, specebant, de substantia reliqua, universorum Deo offerebant: Et remissio mea Domino Deo meo. Quamobrem, nedum in id quod satis esset, sed ut et ipsi indigerent, divisa eorum cedebat substantia.*

Sed et illud, *Apud se dicens*, eximiæ cujusdam virtutis res est: præter enim cordatissimæ mentis consilium, etiam ejus qui dixit virtutis præstantiam ostendit. Quippe hæc agebat, non in alios respiciens, aut velut exemplis ullis mentem adhibuisse; sed ipse per se inventor, bonum adimplebat: neque antiquioribus documentis legibusque ad præclarum adeo facinus manuducitur, sed ipse bonum inchoat opus, ac reliquis deinceps legislator ab actione efficitur. Vide ut hi merito justis omnibus potiores habiti sint. Dico autem merito, non quod spectat ad sacramenti donum, (superat enim beneficij magnitudo retributionem operum), sed ut quis tantum cum gentilibus suis homines comparaverit. Enimvero consentaneum est, ut quæ historia deinceps habet prosequamur.

Ait itaque, ut illustri quadam celebritate, dona ex more offerenti, contribubles sui sterilitatem probro objecerint. Non enim, inquit, licet tibi, ut offeras tua dona, eo quod non feceris semen in Israel. Porro habent nonnulli codices: Non licet tibi ut primus offeras. Verosimile itaque videatur virum, utpote justum, ac dupli honestatum ingenuitate, ut in omnibus aliis, ita etiam in consecrandis Deoque addicendis muneribus, obtinuisse primatum: quæ res invidis haudquaquam ferenda videbatur. Cum autem nihil esse quod in ejus vita carperent: nedum enim irreprehensibilem, ac extra omnem crimen noverant, sed et tali præstantia virum, ut minime consequi possent: sterilitatem excipiunt, ut ne juxta legem justa legitima faciat. Hoc porro supernæ providentiae erat, ut, inquam, ad usque illud tempus, justi homines absque prole egissent, utque id temporis ad editionem prolis excitarentur per supplicationem. Alterum quidem, eorum ad Denum fiduciam ostendit: nam cum rogassent, nihil petitionum effectus dilatus fuit: alterum vero, breviato mysterii temporis, quod bona Deus voluntate decrevisset, commodum accessit. Accepto itaque vir justus opprobrio, velut repulsus, gravè admodum sustinet; non tanquam probrosis verbis percussus, aut velut ea re infamiam tulisset; sed veritus, ne qua mandatorum Dei transgressio eam a Deo repulsam peperisset, ac per homines publicasset. Sic enim, ubi jam quoque verum fuisse consecutus oraculum, reconciliari quærebatur per æigmaticas manifestationes, non ut filios procrearet: usque adeo rationibus ponendis accusatus erat, sive legis adimpletionem species, sive occulorum conscientiæ explorationem: sic sua omnia providentiae divinæ deputabat. Quamobrem non contendit: non verbis adversatus est; non assumpsit ad defensionem hactenus se a legitimis haudquaquam fuisse prohibitum; cœn qui vita moribusque irreprehensibilis ageret, ac dona vitae congrua offerret: quin vero, mox ut ex illata exprobatione increpationem suscepit, ad occulto-

(1) Ex libro Jacobi ἀδελφοθέου nomine, de ortu S. Mariæ.

rum indagatorem Deum configit, solitudinemque at consuetudini cum Deo opportunam, petit, ne eum uxore quidem, eaque unanimi, communicatis consiliis; nec domesticis, externorum negotiorum cura demandata. Quis vel nostris temporibus firmam adeo in Deum spem, suarumque facultatum despectionem ostendit; nedum ejus temporibus, eum vel modicarum ac legitimarum virtutum adimpletio ardua erat ac difficultis?

Missaque in praesentiarum sunt patriarchæ Abrahæ præclare gesta. Videatur quidem nonnullis, cum antiquiore ævo, tum justitiae præstantia, ut veteribus aliis, ita et viro nobis proposito, potiores ferre; ut tamen quis ex adverso compouere in animum inducat, multum rerum propositarum excessum perspexerit. Nam illi quidem, cum migratione, tum terra qua futurus erat accola, prædicta fuerat; sed et futura infecunditatis ac sterilitatis Sæcæ solutio, veracis Dei oraculo prænuntiata erat; eaque is promissione tenens, et spem alebat, animunque per orationem illa oblectabat. Quid enim, rogo, divina promissione jucundius videri queat? Joachim vero, nulla ab eo accepta promissione, ei commodans fidem, qui impossibilis omnibus exitum dare, ac naturam potest reformare; spemque suam in occulta ejus providentia firmam habens, cum se a domesticis abstrahit, tum perseveranti supplicatione in divinis colloquiis agit. Ac Abraham quidem necessarium habet signum, cum futuræ possessionis terræ, tum augmenti generis, ac modum quo divinas promissiones implendæ sint, exquirit: Joachim vero, uti indubiam in oratione mentem ostenderat, ita et ubi fuisse exauditus, bonumque ab angelo nascituræ prolis nuntium acepisset, haudquaquam ut faustæ annuntiationis illius eventus sit habiturus, rogat, nec vero signa, quibus futura naturæ sanatio sit declaranda, exquirit. Velut enim rem jam adimpletam habens, quod aperte soli Deo visum esset, significatum esset, cum certa futuræ prolis persuasione, signa quoque plane conjectabat. Sed et admirandæ illius victimæ luci accitum examen, omittendum sit: ut quidem Abraham, divina jussione, Joachim autem sua ipse sponte, sacrificaverit; atque hic quidem, unigenitam absolute proleam, ille duntaxat, habita ratione promissionis: ut item ille cum obtulisset, victimam retulerit, hic autem, revera sacrificaverit, reddensque ac addicens Deo, in holocaustum obtulerit: ac ille quidem, tribuum patriarcham; hic autem, Dei parentem, ac patriarcharum meriti Dominam. Plane enim, nedum præsentis hac, sed et omni omnino comparatione tantum illud facinus maius existat. Vides quantæ justi hujus prærogativæ eximiaque ornamenta præcelant.

Vide porro ejus in deserto moram, ac majorem quam pro humana ratione perseverantium (quam plane angelicam vitæ rationem merito dicamus), ut nova ac insolens, rerum pariter verborumque

comparatione, effulserit. Ait quippe rei gestæ historia, quadraginta dies ac quadraginta noctes jejunum perseverasse in oratione, cum interim spes in Deum sola aleret. *Jejunavit siquidem quadraginta dies ac noctes, dicens: Non descendam vel ut manducem, vel ut bibam.* Quidam apud nos pluseulum contentiosi, haud satis habere fidem, rem existinant; quidam vero etiam impossibilem judicant. Nam vincit facinus humanam virtutem: solo naturæ auctore Deo, ex voluntatis proposito, incolument servante. Eam vir justus inconcessam Deo adhibens, vique magna adversus corporis necessitatem insurgens, ab eodem, cum gratiam majorum virtute certaminum, tum donorum vincentium spem, meretur accipere. Sane quidem Moyses æquali dierum jejunio admirationem habet. Nec enim res ejus gestæ carent admiratione: ut quis tamen accuratius amborum exquirat expendatque constantiam, hic quoque in rei aggressione discrimen invenerit. Nam Moyses quidem, cum præcipientis decreto, tum tabularum custodia, ipsaque adeo Legislatoris exspectatione detinebatur; quæ utique meliori corroboratione cum temporis longioris molestiam, tum naturæ necessitatem levabant: Joachim autem, nullo alio recreante, sola vero nihil fallente in Deum spe robatus, solitudinem pariter ac agones subit, intentamque ejusmodi orationem promit. Eam rem quis non miretur, omnemque sermonis vim existimet vincere, quæ plane omnem rationem ac cogitatum magnificentia superet? Quod si quis, ea quæ dicimus, exaggeratione dici existimet; ipse res animo, quales habent, nudas propnat, exquiratque, num tantas invenerit, ut nec quisquam celebrando assecari possit, tametsi probatissimus habeat dicendi facultate; nedum majori, quam pro earum ratione gloria extulerit. Sic porro habent res viri justi.

Conjungis autem, ac iisdem ornatae moribus Annæ, quam magnæ illæ ac admirandæ, ut nedum viri rebus quidquam gratia minores sint, sed et illis præcellant? Quippe haec duplia constantiae certamina confidere habuit. Nam et viri abscessio, ac accolatus ignotus erat, ejusque animum, irrogata amboibus sterilitatis ergo injuria, pulsabat; adversus quæ depugnans, spei siveque adminiculis superior evasit. Quin et duplex eam exprobratio ejusmodi affecit; primum quidem per suos contribules; tum vero, per ancillam, quod et molestissimam expectationem facit. Non enim ita ab aliis jactata convicia perstringant, uti a necessariis ac domesticis; idque maxime, cum qui jactant, e subjectis fuerint ac servis. Qua ergo ratione compositus habet generosissimæ feminæ animus? Nullo horum, ut ab insuperabili exspectatione recedat, tangitur: repulso autem haud satis congrue oblato mundo, detractaque veste lugubri, atque mundam ac nuptialem una cum spirituali stola induens, ac utrinque comparato mundo, ad orationem sese præparans, munda, mundissimum Deum, duplice amictu

honestata affatur. Nec vero in templum subiens, universorum Deo supplicationem submitit, sed quietum ac remotum a turbis petens horti locum, in eo, velut nihil suspecto cubiculo, occulte eam nœsta animo prætendit. Cum enim corde conceputam ac longiores habentem moras, orationem meditaretur, noluit in publicum illusoribus proferre. Plane enim ebrietatis damnassent, ut priorem Annam, aut garrulitatis insulsæ. Qui enim, opportune Deum placanti, ita nuper illudentes insultasset, qui non gravioris ireceptionis verba, ad insuetam illam assiduitatem, jactaturi essent? Idecirco, nec ipsa, nec magnanimis Joachim, ad templum accurrentes, orationem Deo obtulerunt, quam utique acceptam ac a molestia liberam, a quiete ac otio, merito captabant: seu, ut congruum magis ac certiori nixam veritatem causam edicam; ut qui repater ac nominis appellatione, gratiæ præcursoros ac præcones forent (Joachim enim, *repositum*, Annam vero, *gratiam*, exponi liquet). Ipsi per se, ejus in hoc incircumscripam amplitudinem significant; qui quidem a templo excedant, omnique loco universorum Auctorem placent. Atque haec quidem sic dicta habeant.

Quas vero ambo fundunt preces, quam præclaræ ac egregiæ! Iis enim universa Dei magnifica opera proferunt, si qua vel produxit ex nihilo, vel mirabiliter transmutatis rerum naturis, innovavit. Sic Abraham, sic Saram, sic Annam quoque ac Samuellum, producit justorum illud par, eaque gratitudine similia prosequens, parem sibi gratiam depositum, impensiorique studio ac assiduitate, ut ne ab eo quod congruum est, excidat, contendit. Quam vero beata Anna postmodum in horto orationem fudit, multum ejus a reliquis discrimen habet; multam ejus ex contritione animi exaudibilitatem efficit. Nec enim verbis sensisque orationis abutendum credidit; sed alta humilitate, suam quidem vilitatem, graviter lugens, confitebatur, ac se universis creatis inferiore denuit, res eas quæ benedictionem auctoris consecutæ essent, sermone percurrebat. Talibus enim moribus pariter sermonibusque misericordissima Creatoris Dei providentia, lubens annuit; ac plane iis magis, quam precibus per proprietatem prolatis. Quamobrem, inquit prudens ac casta femina, inutilior sum universis creatis, cum illa, Domine, præcepto tuo subserviant, ac ego prorsus privata sim benedictione ejusmodi ac gratia, indigna generis felicitate; nam et illud tibi secundum est, reque ipsa, ut ab eo longe habeam, ostendit: aliena a multigenorum animalium fecunditate; nam et illa camdem consecuta sunt benedictionem. Terra frugifera est, quæ pro tui ratione mandati, fruges uberes nunquam non ferat. Prata frumentum afferunt; sed et speciosa plantarum germina opportunum pariter dulcissimumque fructum

afferunt, ac eorum gratis qui percipiunt, laudationem et ipsa tibi submittunt. Horum ego gratiæ expersum; nam ipsa quoque indignam ut eis accensear, quæ sint creaturæ tuæ, memet judico. Quam verba haec, rogo, non ostendunt humilitatis excellentiam? Quam non contriti cordis abjectionem excessit, qui seusa ejusmodi animus protulit? Qui non vero benignus Deus, supra omnem odoris fragrantiam ac oblationem, ejusmodi probaret voluntatem? Qui non supra holocaustum omne, ejusmodi annuisset orationi, qui talibus maxime delectatur victimis? Etenim, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*<sup>12</sup>.

Talia sunt justorum privilegia ac narrata gesta. Læti hi virtutum eorum characteres, nobilem hanc animi, ac iis illustriorem, qui omni retro sæculo claruissent, speciem effulserunt. Quippe decebat ut donum, omni in creatis majus comparatione, ex excellenti electione prodiret: decebat ut ex affluentis virtutum penu, præsanctæ illæ scaturirent divitiae: decebat ut labores ejusmodi talen reportarent fructum: ut ex ingenua radice summe ingenuum pullaret germen; ex bonis lumbis optimus palmaries surgeret; semper virens vigensque illa generis gloratio; pulcherrimum illud naturæ germen; altigena ille sacramenti ramus, ex quo ascendens immortalitatis flos, æternam odoris suavitatem perspiravit: cuius fructus efficitur, vita et incorruptio, ac perseverantia, iis qui illo participant.

Cæterum laboribus sermonibusque ejusmodi subiecta justorum oratio, sine apud utrumque ex divino responso accipit. Angeli siquidem apparentes, cum exauditas preces, tum inexspectati partus eventum annuntiarunt. Angeli, ejus quæ angelis erat nobilior, concipiendæ, faustas afferunt annuntiationes. Prænuntiant angeli solvendam sterilitatem, ac per eam disjectum iri medium peccati parentem prædicunt. Angeli, inexspectatam ejus conceptionem, procœmio loquuntur, quæ mirabilem ac ineffabilem conceptionem novavit. Angeli ejus præcurrunt puerperum, per quam primæ parentis doles cessaverunt. Viuit exspectationem ejus processio, cuius est nova insolensque generatio. Ex insperata messe, major cogitat fructificatio. Prædeclarat naturæ novationem, sterilitatis egestas, partuque edendæ proli, ipsa ejus editionis novitas, summe novi sacramenti argumentum facit. In suis ipsa, mirabilis partus certa indiecia accipit. In parentum miraculo, arcanum magis addiscit mysterium. Hoc quippe, anterior illius predicationem est; suaque ipsum impletione, ejus quod prædicabatur, certum eventum prænuntiabat. Hic, sterilis, a naturæ propriis repulsa; illuc, Virgo inviolabili castitate manita. Hic, diuturnum vinculum; illuc, immortalis legitimus modus. Hic, meritorum ac precum fructus; illuc, propter majorem comparatione virtutem, ac excellentem puritatem, inexplicabilis novitas.

<sup>12</sup> Psal. L, 19.

conceptus. Hic, angelus redemptionis puerperii præceo; illie, archangelus admirandæ conceptionis faustus nuntius.

Porro præsentium pollicitatio nuntiorum, clarus quæ ad illam spectant prænuntiavit. *Prædicabitur enim, inquit prænuntius angelus, universis tuus partus.* Prædicabitur ac celebrabitur, nec in terra solum, verum etiam in cœlis: nec tantum in auribus hominom, sed et divinis insonabitur sensibus, quænam sint tanta illa de eo prædicanda partu. Perspicere vero, ut hæc David prædixerit; ut velut quid gestum prænuntiaverit futurorum eventum, infallibilem futrorum veritatem præterito tempore designans. *Gloriosa enim dicta sunt de te, inquit, civitas Dei*<sup>13</sup>. Gloriosa super omnem, quæ refertur, gloriam. Gloriosa, supernis virtutibus: pretio habita ac cupita, congeneribus hominibus: desiderabilia patriarchis: veneranda prioribus patribus: perscripta ac vestiganda prophetis. Propter hæc lætantur universa creata: congaudent his exercitus angelici: his una gloriatur mundus universus: his bodie exsultat terrigenarum genus: hæc landans, salutis maximæ pervigilium agit: hoc præsalutat, quo absolutissimam consequi meruit exultationem. Quippe natalitia hæc humanam prænuntiarunt regenerationem. Hæc revocationem ab errore, ac vetustatis futuram præsignarunt instaurationem: hæc, ignorantis nostræ infecunditatem, in scientiæ Dei fructum promotorum ostenderunt: hæc, ad ingressum gratiæ iter nobis fecerunt: hæc, salutis portas præaperuerunt: hæc, reconciliationi fundamenta jacta fuerunt: hæc, ad mediationem assumpta sunt: per ea nunc, qui ejusdem sumus participes generis, fiduciam habemus: per ea, congruentiæ rem recepimus statum: per editum luci thalamum, regalibus nuptiis accensi sumus: per cœlum illud, quod nunc splendidius pariter ac capacius productum fuit, cœlestem vitæ rationem ascivimus: per cognatam benedictionem evangelica potimur jucunditate.

Tu vero præsentis pariter ac futuræ lætitiae conciliatrix; fiduciæ totius honorisque gloriatio; tu, inquam, pro tuarum convivio celebratissimæ, supernas rependeris epulas; nostramque illam pro tantis tuis dotibus, alacritatem, magnis cumulaveris muneribus. Orna præsentem conventum, ut sensibili, ita et spirituali lætitia: compone coactam divinitus choream: ei insona concinnum melos, ac exultationis eorum, qui in cœlis epulantur: respice in cuiusque mentem; scrutare accensum desiderium, illudque scrutanti conscientiæ arcana, blende ostende: ei affectionem offer, qui occulta manifeste videt. Plane videt, uti cognitor invisibilium omnium, atque tuorum in te landatorum, propter se ipse, desiderium perspectum habet: vult nihilominus, idque impensiori bonitate, ut etiam per maternas supplicationes, ea et offerantur, et

impleantur. Hæc quippe, tua ad eum, ac nostra ad te gloriatio est: hoc, ejus per te exhibitæ clementiæ specimen. Spe subiecti, quam ea facit, nostram despiciimus abjectionem; humilem terrenamque oblii consuetudinem. Hinc a terrenis assurgere, atque in cœlum contendere nitimur. Hinc nobis certa bonorum repositorum spes affulget: hinc æternorum surgunt exspectationes. Illustræ hanc divinamque festivitatem amantissime celebrantes, universa in suam providenti gloriam, maternamque gloriacionem, ac salutare subiectorum decus, gratias submittimus, Christo bonorum auctori ac largitori: ipsum quippe decet honor, atque adoratio, ac laudatio, cum Patre, ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

#### ORA R'IO IV.

*In Conceptionem sanctissimæ Dei Genitricis.*

I. Suave quidem est præsentis hujus lætæ solemnitatis nomen. At suavissimum est illius rationes sermone retexere; quas iterato evolentes et gravabundi exponentes, novo nos dulcedinis incremento recreamus, et splendidiori sane ampliorique voluntate perfundimus. Cum enim in ejusmodi rei tractatu verbis immoramur, augetur suavitas iteratione sermonis; et quemadmodum quæcumque olentia innascuntur germina, licet per se odoris haebant fragrantiam, contractata tamen et compressa jucundum magis, magisque fragrantem exspirant odorem; ita et celebris ista solemnitas, unguentorum gratiæ referta odore, jucundissimam utique eamque minime fucatam secum defert suavitatem: præconio tamen celebrata, faustisque commendata acclamationibus, ac verbis veluti contractata, magis eam efflat sane, effunditque, odorataque nunquam evanescunt cognitionis unguenta; quibus vero penitus ejus perspecta sit notio, ubiorem spirant suavitatis odorem. Cum itaque iungi rei meditatione, iterataque explicazione dulcis hæc spiritualis voluptas majus sumat incrementum, magisque inde animus oblectetur; longe acriori studio atque operosiori tractatione de hac ipsa solemnitate oportet habere sermonem, ut efflante ex illa jucunditate abunde expleamur. Verum ut id ipsum, quo caremus, assequi possimus, divinæ odoratæ hujus fragrantiaæ aspiret afflatus; inexhausta quippe est horum bonorum, nec ex iis, quæ ab illis oboruntur, satiari potest animus, cujus demonstratiōnem ad ea, que acta sunt post redditum justis illis Joachim et Annæ divinum oraculum, rejicimus. Eo enim usque producentes sermonem, et ubere copiam per illum coacervantes, insatiabilem cupiditatem moderata compositione distulimus; nunc vero illo posthabito necesse est thesaurum ipsum comparate aggredientes, his qui convenere, jucundissimam traditionis partem exponere.

II. Cum igitur sanctissimi Joachim et Anna

ejusmodi sponsonem præconis voce delata in minime prorsus hæsitabundi, quin constantissima mente, perinde ac re jam completa suscepissent, letum exceperint, protinus ille quidem preces, stationes, nuncupata vota, propitiationis holocautomata, acceptabilesque instruit hostias. Ipsa vero munus suis impetratum precibus se Deo oblaturam, ac sacrae holocausto consecratram pollicetur. O justorum fidem! O exploratissimam spem, quæ cognatas naturæ vires superant! O res nulli comparabiles, et libero sane judicio relinquendas eorum, qui veram germanamque ipsarum eminentiam tenuerint exploratam! Neque enim cum fidem habent justi, signis præterea indigent. Quin Joachim nec signa se promereri expetit, postmodum certissime, ac si jam accepisset, sibi futuram prolem sentiens.

III. Anna vero promissam prolem perinde ac presentaneam et verbis et re ipsa tenet, et præbenti rependere illud ipsum, quod præhabendum erat, certissima voti sponsonē confirmans, omnino futurum esse denuntiat. *Sive enim, inquit, masculus fuerit, sive femina id quod peperero, hoc ipsum utut erit, Domino Deo meo dicabo et templo ejus consecrabo*<sup>14</sup>.

Et quemnam priscorum, o beata Anna, similem fecisse sponsonem percepisti? ac quandonam sacro illo loco feminam dicatam aspexisti? quonam modo saceros sancto illi virorum cœtui insociabilem associas mulierem? Et quænam servens ista, ignitaque fides, qua nuncupatis votis inaudita aggrediris facinora? Quis nova ejusmodi instituta prænuntiavit? Quis ejusmodi mentis sensa tunum indidit in animum? Hominum quidem, inquit, nullus; neque mater majorum acceptis exemplis me ad admirandum istud emitendum votum adegit; sed eo, qui a sterilitate liberat, auctore, ab eoque, qui præter omnem spem hominum desideria perficit, istud futurum cogitans, certam hanc constantemque fidem vocem emitto.

IV. Vide expressa vaticinii signa: vide sinceræ mentis nec hæsitabundæ spei argumenta. Non modo eventus futurorum non expetit signa, verum etiam perinde ac opere completa foret promissio, et exsultat et vaticinatur, atque hinc propheticō fulget dono.

Hinc primordia arcani percipit sacramenti; hinc mortalium omnium efflorescit pulchritudo. Hinc Dei matris efficitur mater, illius, inquam, quæ incorrupta peperit, quæ supra quam sperare poterat, concepit, quæ peculiare fuit et peregrinum naturæ ornamentum, germana omnium gloriatio; cognatae naturæ filia, et supra naturam mater, filia, et regina; puella, et omni creatura sublimior; semper virgo, et pueri mater; viri nescia, et secundissima; et, sine fuco sit dictum, quæ vere incorporearum virtutum superat puritatem.

Anna per constantem fidem hujus fieri meretur mater; atque ita per multiplicitia virtutum germina fructum profert incorruptionis; ita obscuræ exspectationis præclaros suscepit eventus, et verborum promissa re ipsa conspicit esse completa. Spes enim illæ, quæ in Deo locantur, certissime optato suo non frustrantur fine: quem sane ut post eventum obtinent, ita ante certissime exspectant, etc.

#### ORATIO V.

*Georgii monachi ac Magnæ ecclesiae Chartophylacis, Encomium in sanctissimum Deiparæ Representatorem in templo, atque ut Deo consecrata sit juxta historiam.*

Leta est ac præclara præsentis solemnitatis tessera; atque adeo collectum in ea cœtum, ad immensum lumen incitat, ac impellit. Illustrè est nostrorum hujuscē diei sermonum indicium, plenaque gloriæ argumenta promittit, quibus frui liceat. Ecce enim nobis illucens virginalis festivitas, spiritali animum in se ratione direxit: verisque instar calidi sermonem serenans, silentii hiemem in tranquillitatem dicendo opportunam convertit. Verum alaci agite animo, ipsa nobis suis radiis duce recta ad eam sermonis iter contendamus; ac quanta enique facultas est, ea singuli eam coronemus. Qنانquam enim omnes minus quam pro dignitate habemus, magis tamen alacritate abundare conemur, invicemque voluntatis contentione vincere studeamus. Quæ enim vis tanta orationis, ut vel minimum quid pro meritis exsequi possit? quisve sibi arroget, ut vel nuda cogitatione propins accesserit, nedum rem plene capere tentaverit? Omne itaque sermonum vim transcendunt encomia Virginis; quamobrem etiam omnis laudationis leges post se reliquerunt. Sane quidem, viri auditores, priusquam desiderii affectio caperet, grave existimabam audacie crimen, ut eam quis rem aggredi præsumeret. Etenim videbatur insanæ ea attingere, quæ essent majora virtute, ac quorum sermones altiore rationem haberent. Postquam autem ab agente affectu vim passus, ipse quoque multorum cessi temeritati, supplex cum eis veniam postulo, affectionis experimento dedoctus, ut ne id crimen putem non veniabile. Rogo itaque, ut ne quis vestrum audacie illaturus crimen, rem temeritatis ac arrogantiæ, sed exsuperantis desiderii judicet. Etenim illud vehementer tenens, maxima quædam fecit præsumere; fide quidem prævia due, spe autem ad ea sublevante. Neque enim sermones eorum gloriæ causa sunt, qui encomio celebrantur; sed pietatis ergo inferuntur eorum qui dicunt ac orant. Quamobrem tutum admodum arbitror, ut Deus, qui per naturam nullo egeat, sitque ipsa per se gloria, ac magnificencia eorum qui laudantur, se ipse volentibus in laudationem argumentum permittat nullum inde gloriæ augmentum suscipiens; sed eorum qui inferunt, alacritatem impensis volens. His ergo in hunc modum statutis, age jam

<sup>14</sup> I Reg. i, 11.

festivos præsentis lucis sermones auspicemur; ac in eis, de quibus cœpimus loqui, operam ponamus.

Enimvero quæ tanta vis artis argumentum præsens congrue tractaverit, ut quod cuique ordini consentaneum est, exsequi queat? Quænam instituta comparatio ejus sit representatura similitudinem, eni nihil a sæculo apparuit æquale? Quia enim qui ejusmodi argumenta versant, similibus æqualia, vel majora minoribus per comparisonem opposentes, exinde verborum ac orationis venantur copiam; idcirco facillimum existit examen inventorum, verumque eorum, quæ dicuntur judicium habet: a quo autem superati sunt naturæ fines, huic encomiornum leges obsequi non valent. Ne quis ergo superantia nature rationem, ac si qua ei consequenter habent iisdem tentet subjicere. Nullam enim illa congruam mutuo communionem ingerunt multumque invicem discriben ostendunt. Hinc ergo milii ardua appetit excellens argumenti præstantia, nec fieri posse, ut ullis regulis, rerum nobis in quæstione positarum explicatio, ad similia dirigatur. Cæterum licet hocce argumenti rerum omnino consequentiam superet, haud tamen permitendum ut nos illud effugiat, nequando frustrati desiderio, ena cum eo pietate privemur.

Quia enim a principio irrumens serpentis virus, ac intus latitus, humanum consumebat genus; singulosque semper depascens, needum a pastione prohibebatur, nec præsentaneum ullum remedium, illi exterendo, ostendebatur; sed simili subjectos omnes ratione, occulti vulneris instar, ima pervadens, vitiabat: volens itaque rerum Conditor illud tollere atque tum potentiam suam, tum sancii salvationem exhibere, id molitur ut jacentem adversus sauciatorem erigens, ei victoriam tribuat. Hinc ergo illustri trophæo, auctoris interitus traducit victoriam. Id porro haud alia ratione fieri poterat, quam ut medicus ægrotantis indiens naturam, blando ejusmodi habitu, quod erat vitiatum ad se traheret; ut comparato usu congressus, inopinatus irrueret; atque hoc modo, morbi causa vim omnem amittente, ejus curatio facilior esset. Quando autem hæc ita fuerant provisa, parque erat, ut ab eadem ipsa radice ex qua malum a principio ortum erat, medicatio quoque germinaret; utque eadem pelleretur via, qua in hominum genus invaserat; a muliebri nimirum facilitate, quæ inculta aperiens aditum, sibi pariter, viroque, atque posteris permisum ascivisset: sic omnino res habuit. Atenim, propior jam argumento factus, teneor rei difficultate ut ne valeam loqui; pròque miraculi magnitudinem animo percissor, qui novum ac mirabile mysterium in terris videani consummari, ac quod ante sæcula omnia arcane promissum erat, salutarem nunc finem adipisci. Hoc illud parentum Virginis privilegium: hæc initia, omnem sermonum vincentia amplitudinem. Huic animus intendens, nisi est debilior effectus, a propriis excessit. Considera enim, quisquis es qui ista scrutaris, quam inde magnum mi-

raenum eluxit. Sola benignitate a Deo plaste ex nihilo producti fueramus: jussum erat in operibus bonis paradisum colere: præceptum insipiente repellentes, mortem nostra ipsi voluntate attraxeramus: Creator libertatem pollicitus est; eratque res futura, ac tempus eos quarebat, qui idonei essent. Præteribant ætates; iuges prophetæ subjiciebantur; in spe erant patriarcharum omnium ac justorum res positæ. Abraham præteriorat, ejusque posteri, cum diei illius sacramentum in symbolis didiscissent, atque animis ad futuræ rei eventum inhiarent. Moyses ille admirabilis in mysterii figuræ intuens, ac veritatem perspiciens, apud se, ac ætate sua impletum iri existimahat: erat spes in deserto: in judicibus populi rectoribus exspectatio: Samuel responsu accipiebat: David propinquam clamans diem, longius submovebat: prophetarum chorus clara prædicabat voce, ac Christum prope in januis annuntiabat. Cæterum omnes spe frustrati, abiurant; quod nimirum tempus deficeret cum iis qui digni erant. Porro invenit sibi congruos iisdem prognatos majoribus, atque in eum finem a rerum auctore paratos; Joachim, inquam, ac Annam; parentes ejus, quæ promissionum finis conciliatrix foret. Hi, prima ad opus prestruxerunt predictionum initia: hi, exspectatorum radicem germinarunt: hi, promissorum fundamentum jecerunt: ex his nobis emersit sanitatis myrthea: ex his, orta prodiit lætitiae conciliatrix: ex his, præierunt gaudii pignora. Hi itaque ob excellentem virtutem; supra omnes noti sunt Deo Creatori; ut qui præsciti ac destinati in mysteriorum divinorum ministerium erant. Quamobrem viam omnem mandatorum incedentes, ad summum evaserunt perfectionis apicem, solique ea sunt consecuti, quæ a sæculo plurimi cupierunt. Quanquam enim commune hominum genus effectum est particeps, hi tamen eximia ac peculiari laude claruerunt. Etenim qui res maximas gerunt, inajorem ab eis recipiunt gloriam, quam quorum illæ causa geruntur: tantoque id amplius, quanto facinoris necessitudo monstratur. Hic autem nihil vicinus ac cognatum magis existimari queat, iis, quæ patrandis mirabilibus in media assumpta fuerunt. Sibi quippe Verbum ex eorum massa tabernaculum extruens, ex eodem altiori supra intellectum ratione, humanæ naturæ massam assumpsit, novam prorsus, cum actionem dispensans, tum cogitatus inventum.

Sic itaque, huncque in modum, quæ præclara ges-sissent, sterilitatis ratione declarantur, ac orbitatis morbo, occulta eorum virtutis augmenta publicantur. Cum enim legitimæ consuetudines, numerositate prolis pietatem decernerent, certumque benedictionis argumentum, naturæ ubertatem haberent, ex ea abunde hostiarum acceptabilitatem ad propitiationem censebant: Idque opinor haud aliene a ratione, autve offerentrum crassæ menti minus congrue. Quia enim ejus ævi homines addictiores corporeis, augmentatione carnali bona animi contege-

bant, ac uberiorum charismatum Spiritus hospites erant, ex iis acceptas victimas ac vota conjectabant. Cum ergo qui umbræ deserviebant ita moribus statutum haberent, oblata a justis dona, eo quod prole carerent, non admiserunt; illegitimum arbitrantes ut in eis hactenus obtinentem ac servatam legum stabilitatem convellerent.

Verum non desint qui inde quæstionem studeant movere, ac dicant: Siquidem ad hoc electi erant castissimæ Virginis parentes, quorsum eis ad illud usque tempus occlusa manserunt fecunditatis dona, plurimamque ætatem prole carentes egerunt; cum præterea esset prædestinatum ut mysteriū exhibitiō initium sumeret, ac divino annuntiatum præconio, ut quæ mysterio esset ministratura, ex eis prodiret? Siquidem legis scita integre impleverant: siquidem virtutum sibi ubiorem thesaurizantes messem, ubiora offerebant, quam quibus ejus ætatis homines perfectum decernerent; quomodo eo frustrabantur, quo medio erant adepturi finem? Quomodo in quo erant positæ prædictiones, in eo illi, sterilitatis vitio laborantes, impedimentum habebant? Quomodo autem ex quibus Verbum communem naturam reparare studebat, non exuberantia exhibebantur initia? Id enimvero certum nobis ad defensionem videbitur; ut nimirum, futuronrum dispensator, universorumque opifex Deus, ut arcam aliiquid ac mirabile velit dispensare, haudquaquam naturæ clementis ac ubertate, futuronrum initium perstruat; sed ut potentiae affluentia, rerumque inopia. Etenim Dei maxime propria ea œconomia est: nec summam habet admirationem, quod ordini naturæ consentanea habet. Sic cum Abraham pollicitus esset, fore ut ejus seminis proventio, multitudini stellarum ac arenæ maris similis esset<sup>11</sup>, non id naturæ felicitate ad opus reduxit; sed imbecillitatis symbolis, snaque ipse potentia, quod promisisset, implevit. In hunc modum Samuelem produxit: sic Joannem œconomiae præconem præmisit. Sic prorsus, ut quis scrutetur, maximam partem evenisse perspiciet, eoruim, quæ mirabiliter in nos pervenerunt, haud qua ratione plerisque videbatur, sed ut auctori congruum erat.

Mibi nihilominus hand in iis solutio sistit: quin aliud quidpiam non improbabile dicendum succurrit. Quid vero illud? Eorum pietas non innotuisset ejus ætatis hominibus: eorum ad Deum necessitudo ab oratione confirmata, haudquaquam submovisset contentiosum sermonem hominum dubitantium. Nunc autem in ea constituti necessitate, protinus ostenderunt, ut in aliis quoque haberent necessitudinem cum Deo, publicante eventu perspicuo, quod erat obscurum. Postquam ergo justi orationem movissent, nihil se voti compotes fore dubitarunt. Nec quidquam ejusmodi secum animo statuerunt; ut nimirum occultorum cognitor Deus, siquidem in bono cessuram scivisset editionem

prolis, handquaquam eorum naturæ esset occlusurus fores; handquaquam iis angustiis eorum adiectorus vitam. Quamobrem sese mutuo hortabantur, ut in Abraham, Sarahque, et Annam respicerent; seque, ut cum illis orationis eventum accipere mererentur, provocabant. Praeclarum itaque, inquit, nobis illi exemplum propositi sunt, ut nihil hæsitanter orationem promamus. Praeclari argumenti loco est Saræ sterilitas in mollitionem mutata. Praeclarum signum, incurva illa senio, in vegetorum membrorum operationem conversa. Respiciamus in eam Elcanæ Aanam, simile nobis vitium per preces depellentem. Discamus ejus orationis constantiam, ac animi fervorem. Noverimus ut quantum eadem nobiscum ratione in crimen vocata, haud tamen ab oratione destiterit. Hanc nos imitemur. Ejus pone vestigia sequi studeamus. Dicit haec ad petitionem rerum speratarum; petitionisque consecutionem, ex iis quæ est operata, promittit. Hoc itaque justi consilium in opus deduxerunt, quo circa inde hunc eis modum accinebantur precatio verba: Tu, inquit, Domine, qui Patriarchæ promisisti fore ut super numerum arenæ maris ejus multiplicares semen, handquaquam id multiplicis prolis editione fecisti, sed unius ortu, promissionem implesti. Tu promissam terram, non ex multis, sed ex uno hoc in hæreditatem distribuisti. Tu Saræ infecunditatem, in prolis secunditatem vertisti. Tu ejus remissa membra, ut tuo inseruirent præcepto, roborasti. Tu ejus incredulitatem in fidem commutasti, inque nihil hasitabundamentem, hæsitanter animi motus cedere effecisti. Non rideamus, ut illa, sed ut Anna, supplicamus. Non dubio animo sumus in oratione; sed sumus certa in eventum fidei. Tu patribus nostris mirabilia operatus es. Tu Jacob benedixisti, nomenque ei Israelis indidisti, quo ejus inde animi perspicacitatem innueres. Ejus tu semini profectionem in Ægyptum, salutemque providisti. Non pernisisti ut Ægyptiorum crudelitas populim tuum deprimiceret. Tu intolerandis plagiis incredulos castigasti, ut et tua benignitas patesceret, eorumque durities declararetur. Tu novum in mari iter invenisti. Tu elementorum virtutes innovasti. Tu naturam fluxam, in duram speciem convertisti, populumque tuum siccis vestigiis traduxisti. Tu ubereum escam ei in deserto praestasti, esurientemque ad usque saturitatem alvisti. Tu duram petram aquam scaturire fecisti, ac sicutientem populum potasti. Ad eam nos respicientes, haudquaquam dubietate preces suppressimus, sed animi sinceritate spem intendimus. Tunc enim, Domine, iis producendis efficax, quæ produci nequivant, in iis que humanæ sunt facultatis juxta primigeniam rationem, pro tua clementia adjutor non eris? Siquidem toto distantia genere communione temperasti; quidni unita per naturam, in id quod proprium habent, imbecilla converteris? Si-

<sup>11</sup> Gen. xxii, 17.

quidem prōduxisti naturam ex nihilo , quidni mōle habentem tanquam Dominus iñstauraveris ? Tuum est, Domine, opus illud : tuum facinus, quod nemo aliis a te p̄r̄estare possit. Potentia tua res maximæ prodigio patrantur. Tua jussione, fluminina revertuntur, ac in contrarium fluunt. Tuo sol p̄cepto cursum inhibet, retrahitque. Tuo nutu multigenæ brutarum animantium species secundæ ad successiōnem permanent. Ordinationi tuæ cedunt omnia, nec quidquam tuo p̄cepto resistit. Tu quoque Annam illam eodem laborantem orbitatis morbo, multa prole donasti, ac eam quæ multos habebat liberos, sine liberis effecisti. Nos quoque, o Domine, probro afficimur, nou una dntaxat contubernali proferente femina, sed tribu universa trāgice illudente. Potes ipse illud auterre. Vales otiam naturam in secundam mutando aptare. Quamobrem eam omnino, te coram mentem proponentes, non aliter deflectimus, donec petitionum finem videamus. Scimus enim fore ut non tardes, qui in aliis cito orationes occupies. »

Hæc justorum oratio, sinceram eorum fidem perspicue indicans, quaque éxaudita fuit, probatos in aliis mores declarans. Hæc pietatis, quam in occulto colebant, quædam velut designatio. Qnippe foris deprompta verba, deponentium affectionem significant. Quæ enim intus occulta tegebantur, ea verborum symbolis in palam aguntur : ac mens quidem sermonem effert; sermo autem animi affectionum nuntius existit, ac ea quæ obscura erant perspicua facit, actionumque principia ostendit. Sic ergo justorum oratio opere complebatur : quocirca futurum rei eventum oraculo docentur. O mirabilem adeptionem ! O precationem cœlos supergressam, quæque ad ipsum thronum gloriæ evolavit ! O sermones, quibus eorum laudata est magnitudo, quæ sunt majora sermone ! Quod vero futuræ rei nuntium, tanquam jam esset, mater accepisset, nascituram prolem Deo se consecraturam, atque in templo oblaturam pollicetur. Quid hoc, o Anna, dixerim ad eam ? Ut quid futuræ rei processu p̄curris ? Quorsum alacritate animi quod edicunt prævenis ? Quamobrem quod needum ortum est, offerre Deo promittis, tanquam in manibus haberet. Par erat ut exspectato partus tempore sic munus quod esset editura, datori offerret. Par erat ut incerti eventus finem observans, haudquaquam vobens violandæ promissionis periculum incurreret. O justorum fidem ! O magnanimæ Matris indicium ! Nulla dubietate futurum comparavit, nullaque hæsitatione quod erat nuntiatum fore distulit. Nihil ineptam haetenus natoram consideravit. Haudquaquam insuetæ rei difficultate moveri se ad contradicendum sivit. Haudquaquam pro rei impossibilitate animum anxietati dedit. Non dubitavit apud se cogitans, uti consuevit accidere aliis : Num ora-

cului in deceptionem cedet ? Num diurna sterilitas promissioni incurret ? Num qui apparuit eo venit, ut mulceret nuntio ? Ecce jam defloruit ætas. Ecce jam florentissimus vigor tempore emarcuit. Ecce jam membrorum p̄cipuum robur ad debilitatem tendit. Maxima vitæ pars decursa est. Tempus, quo prolibus quis lubens adgaudeat, iisque gestat, subs fugit. Edende prolis gaudium desiderabile quid primis annis assert, fructum sperans gravi senio ætate. Ut quid orationi ac promissioni immoror ? Nihil Anna ejusmodi animo incidere permisit : quinimo ut mox p̄cata esset, atque ab apparente angelo prosperi successus nuntium accepisset, velut jam teneret exspectatam prolein, vehementi alacritate festinat in templo offerre. Quænam oratio accensam illam fidem laudare sufficiat, per quam voti compos effecta est ? per quam nihil animus dubietatis stimulis vulneratus fuit ? Id plane immutabilis fidei facinus, per quam prophetæ omnes futuris eeu p̄senteribus crediderunt : quam vere definiens admirabilis Paulus, ait : *Fides est sperandorum substantia ; argumentum rerum non apparentium*<sup>16</sup>. Quia enī quod speratur, eorum videtur quæ non existunt, non subsistens per se, autem tempore necessitatis apparens, dubiumque eventum obscuritate ferens, ac magis ad obscurum vergens; idcirco ostendit firmam ac immutabilem fidem habere substantiæ rationem, ut rerum in spe positarum existentiam subsistere faciat, seque ipsam practice sperantibus inserat. Argumentum autem, ait<sup>16</sup>, *rerum non apparentium*; quod rem olim tide exspectatam, processuqne temporis in opus deductam, ac velut argumentum ac evictionem, verum rerum eventum repræsentet. Sic illa, mientem superans Verbi illud mysterium, olim quidem p̄dicitum, fide autem exspectatum, ac longo post tempore declaratum, rei impletionem, argumentum ac eeu evictionem ostendit.

Cum hanc ergo justiprehendissent, haudquaquam a spe petitionibusque exciderunt ; quamobrem etiam immaculatam illam dignunt, regenerationis nostræ auctricem ; nostræ reformationis causam ; per quam vitiata in nobis Dei imago ad suum rediit decorum ; per quam tunicas peccati abjicientes, induit summis stolam luminis : prophetarum illam acclamatiōnem ; divinorum plenitudinem oraculorum ; nostræ illud salutis caput. O felicem illam parentum problem ! O partum, quo bona vim omnem intellectus superantia, genitoribus comparata sunt. In humanis quidem, ut cui contingat fieri patrem, siquidem natæ proles, vel sœculari splendore spectabiles fuerint, aut virtutum luce clarerint, vel strenuum quid, ac magnæ fortitudinis facinus gessisse videantur, haud mediocris inde illi honor accedit, qui communione naturæ etiam gloriæ consortium ineat : in his autem, quænam adeo excellens gloria

<sup>16</sup> Hebr. xi, 1.

excogitari possit, cuius ii prærogativæ non sint consecuti? Verum quid opus prolixiori sermone molestum fieri auditoribus? Quemadmodum enim quam generunt, supremum gloriæ apicem, Creatore uno excepto, accepit; sic et isti incomparabilem præ parentibus omnibus gloriam obtinuerunt. Divina itaque puella partu edita, convocat Anna amicas ac sodales, atqne :

Venite, meo congaudete partui. Venite, mee prolis editione lætamini. Venite, eam videte, quæ præter spem lactat. Venite, enatau virgam ex infuscundis lumbis aspice, sterilemque feminam uterum gestasse considerate. Venite, vestrarum exprobationum fructum perdiscite, opusqne precatiōnis lustrate. Alacri concurrete animo, ac adventui in templum p̄aite. Ornate vicos; ingressus il-lustrate; processus, lampadum luce exhilarate. Incipite cum lætitia; canite nuptialia canticā, ac ceu mundam sponsam, in templo puelam offerte. Implete mecum quæ vovi Domino. Gratiarum mecum actionem plausu submittite, eo quod Dominus abstulerit probrum de mea domo; quod non in vacuum spes evaserint. Ecce deductas in opus orationes; ecce jam finem promissa acceperunt. En quam edidi, juxta quod voveram, in Dei offero domo. Venite, ei vos comites jungite, communibnsque votis, ceu acceptabile munus eam offeramus Domino. Ergo itaque mater alacritatis vigore, votum protinus implere urgebatur; verum retrahebat ut tantillum differt infantiae tempus, non velut statim privandos parentes prætenderet, sed quia opportuum ætatis tempus exspectare juberet. Quam obrem triennem illam offerunt in templo: pretiosum illud revera donarium, atque angelis venerabile: supremum ac mundissimum illud cimelium, in quo thesauri gratiæ depositi fuerunt; in quo œconomia opes ineffabili ratione repositæ erant; in quo nostræ salutis erant condita pignora. Vas, inquam, illud impollutum: locum illum inminis conceptaculum, ex quo salutis radii orbi universo illuxerunt. Quippe decebat ut immaculata iufernarium iuuenerunt in se ipsa prævie honoraret, per quam iis qui erant in mundo innotuit potentia Trinitatis; in qua beneficiti Patris contractus celebratus est; in qua Verbum habitans induit massam nosram; in qua Spiritus commorans, individuali Trinitatem ostendit; per quam mundus triudivisus, in uiam Dei adorationem aptatus est, per quam ejus divisor cum sonitu periit.

Hodie anuiratum templum in templo offert; templum, inquam, excelsius cœlis, totoque creatorum ambitu latius ac capacius. Ea hodie in templo collocatur, quæ exsol humanum genus, per eum quem genuit, in proprias sedes reduxit. Hodie spiritale tabernaculum fausta nuntia gratiæ, legali ordini perfert, jubetque litteræ ut locum cedat spiritui. Hodie agna immaculata, ceu acceptabilis

hostia offertur in templo, ex qua ortus ille Agnus Dei mundi abstulit peccatum<sup>17</sup>. Hodie columba illa irreprehensibilis in templi penetralia evolans, malitiae accupem devitavit, ejus machinamentis facta sublimior. Hodie vasculum Spiritus in templo depositum, suscipiendo Dei Verbo aptatur. Neque enim decebat, ut tabernaculum illud mundissimum, in mundi sordibus versaretur; sed ut in irreprehensibilem translatum locum, primos illic gaudii gustus susciperet: ut, inquam, illic, benedictionis arrhabonem consequeretur; ut illic mysterii symbolo subministrata angeli manu annona, aleretur. Decebat ut incontaminatus thesaurus, immunis ab humanarum consuetudinum contagio custodiretur. Par erat, ut pellucidum illud sanctuarium, ab omni peccati communione liberum servaretur. Par erat, aures illas delusoriis inaccessas manere sermonibus, in quibus gaudium insonitura angelica vox, tristem moestitiam ab Evæ auribus depulsura esset. Sic templo sacratissima fuit devota hostia. Sic prorsus immaculata offertur agna, ut victima omni acceptior Creatori sacrificetur: non sanguinis litatione, sed excellenti puritate: cum qua nos quoque ingredi studeamus condigna ferentes ingressus opera; ac stolæ loco, varium induiti virtutum habitum intus cum ea penetremus, ut nullo ingredientibus nobis incurrente, ejus arcans mystice delectemur, in Christo Jesu Domino nostro: cum quo decet gloria, potestas, honor et adoratio, Patrem, ac Spiritum sanctum, in sæcula sæculo-rum. Amen.

#### ORATIO VI.

*Georgii metropolitæ Nicomediensis oratio, in sanctissimæ Dei Genetricis Ingressum [in templum].*

Pulchra nobis celebritas hæc, argumentorum initia exhibet; pulchros paravit scansionum calles; pulchras ascensuum bases supposuit, quæ nunc diei sermonem ad se subvehit. Quare sublimem ipsum attollens, in alta encomiorum per gratiam agit; atque gradatim vestigia mutans, laudationem a gloria in gloriam transfert. Quia nihilominus impossibile fit, ut tantam rerum sublimitatem attingat; neque enim fieri potest: parum quid a terreno emergens gurgite, nouihil pro argumenti altitudine assurgit. Eia ergo, ipsi quoque nos ei adjutores, abjecta carnis sarcina, mentis ala, pro festæ lucis ratione, erigamur; castissimamque infantem festinantem penetrare adyta, alaci animo comitemur, atque a profano nos ipsos colligentes errore, sequentia deinceps sermonis vestibula concendamus.

Nec enim magnum adeo floridus pratorum decor, iis qui foris circumdeunt, ingressus desiderium facit, uti suave spirans laudum Virginis hortus, peramabilem volentibus ingerit. Plane enim pratum hoc, prata universa suaveolentia vincit, atque varietate;

<sup>17</sup> Joan. i, 29.

iisque qui flores legunt, incorruptionem impertit. Neque enim vernis floribus ridet, quorum facile delectans pulchritudo marcescat; sed suavem gratiam fragrantiam spirans, divino quadam unguento sensum imbuit, atque ad se, dulcissima animum auditione rapit. Nam in illis quidem versus in saecularem sensus, haud ita occurrentium deinceps delectationem capit: in his autem, cum priorum perseverat suaveolentia, tum sequentium, major cupiditas accedit. Ac illic quidem aspectus, temporum commorientem pulchritudinem habet; hic autem, perpetuam decor confert animae delectationem. Atque ut ii, quibus regiae vestibula ingredi licuit, internam compositionem ab exterioribus conjectant; quæque sensu minime discreverunt, mente observant, atque magnum aliquid inde cogitant: id ipsum omnino primis encomiorum præludiis evenire ostenditur; ac quidem in omnibus, puto; haud parum vero ex istis videri possit. Sane enim sublime ductis orationis exordiis, plurimis se ex iis splendidus argumenti ornatus, gloria ac decore diversis clementis præstans, ac eximius prodit.

Nobis itaque propositum est, ut ad Dei Genitricis hodiernum ingressum tantillum oculos diducamus, ac quantum licuerit, occultam pulchritudinem obtueamur; quippe nequit fieri, ut totam quanta est lætitiam videamus. Eia igitur ad interiora progressi, ductricem, Reginam ipsam præeuntem teneamus. Enimvero, immensa nunc luce video circumfusam celebritatis faciem, ac mente illustror, subitque animum ut totus gestiam; magna que, ea quæ celebrantur imaginor, parique angelos gaudio choreas agentes, ac nova omnia, cœlestique compositione ac decore digna considero. Hinc rursum videre videor ipsius, quæ laudanda incumbit, redeuntem in medium gratiam, cœtumque universum larga munera distributione, lætitia implentem. Quamobrem iis spe certa animum adhibentes, una omnes ingrediamur, ut quisque tamen debitum offerat: orator, sermones; prudentem auditum auditor; minister, eorum quæ jussa fuerint adimpletionem, universaque, quorum necessarium persolutionem ingressus monet. Præcant ergo sermones, ac reliqua ad se colligant.

Jam itaque parentes Virginis, puellam Virginem pro templi foribus offerebant, circumquaque stipantibus angelis, universisque supramundanis Virtutibus gratulantibus. Quanquam enim nesciebant arcanum sacramenti modum, ut servi tamen, jubente Domino, processui ministrabant. Ac primo quidem, ceu Spiritus existentes, pretiosum vas virtutum intenti considerabant, quæ et incorruptæ puritatis symbola gereret corpusque a vitiorum commistione secretum haberet; tumque Dei præcepto gerentes morem, ministerium implebant. Tunc plane lampa-

des lucis ingressum illustrabant, universaque tempi ambitu contenta, ad lætitiae epulas invitabant, ipsis puto inanimatis rebus, communis cum angelis gaudio exsultantibus. Quamobrem mihi quoque tripudio lætanum subit, ac velut id temporis præsens esse, magnam efferre vocem, atque ad templum clamare: Jam ingreditur, proindeque congrue dicatur: Dilata cubilia tua<sup>18</sup>, ut eam suscipias, quæ visibili invisiibile ipso creatura capax fuit; in qua capi sustinens, qui nequit capi, malitatitudinem in summas angustias coget. Accende lucis lampadem, et illustra ingressus. Tolle ceu signum sublimem faculam, orbemque ad te universum dirige, quo lucidam aspiciat nubem; ut ejus radiorum efficiatur particeps; ut ex ea fontem luminis manante videat. Aperi portas tuas<sup>19</sup>, ac intus spiritalem suscipe portam, per quam solum Dei Verbum transiens<sup>20</sup>, obsignatam, ut ipsum novit, servavit. Quanquam eni portæ appellationem recepit, Virgo tamen usum retinuit ac rei quidem ministerium implevit, verum incorruptionis signacula non solvit. Verum retrahit, quo intus capias animatum Verbi velum, quo in se Deitatem contextit, cuius nec ignis crassam ipsius substantiam combussit<sup>21</sup>. Suscipe inauratum in spiritu candalorum, cuius lampas modica mundi illustrat fines,<sup>22</sup>, per quod incenderunt septem Spiritus dona, mundumque inferiorem illustrarunt. Suscipe vitalem mensam<sup>23</sup>, in qua propositus humanæ vita panis, divina participes esca lante habuit: ex qua sapientiae crateres, limpidum purissimumque scientiae potum, profundunt. Orna Sancta sanctorum, ac præsanctum illud tabernaculum suscipe<sup>24</sup>; tabernaculum, inquam, immaterialis substantiae capax; quo fuit erectum tabernaculum nostrum quod ceciderat; quod destructum proavi David tabernaculum excitatum est<sup>25</sup>; quo membra nostra per prævaricationem dissoluta, ad pristinam integritatem commissa sunt. Suscipe thymianatis altare aureum illud totum, in quo Verbum, carnem succendens, orbem totum odoris fragrantia implevit; in quo igni cremata sunt inobedientiæ crimina; quo aer inquinamentorum insuavitatem depellit; quo vicissim Spiritus suaveolentia in humanum genus aspiravit. Infer arcum sanctificationis<sup>26</sup>, quæ ipsum legislatorem in se comprehendit; quæ cœlesti illud manu portavit; quæ a peccati diluvio humanam naturam salvavit, suoque partu orbem universum ab interitu liberavit. Infer, inquam, novi illum testamenti thesaurum; gloriosam urnam; Dei digito insculptas tabulas, quibus Dei Verbum altiori quam ut verbis exprimi possit, aut mente concipi, ratione inscriptum, legalis litteræ gravitatem, in levitatem Spiritus mutavit. Accipe virgam sacerdotalem, quæ fidei merito, immarcessibilem florem, Dominum germinavit<sup>27</sup>. Terram, inquam, sanctam ac desiderabilem, ex qua veritas

<sup>18</sup> Isa. liv, 2.    <sup>19</sup> Isa. lxii, 10.    <sup>20</sup> Ezech. xliv, 1.    <sup>21</sup> Exod. iii, 2.    <sup>22</sup> Exod. xxv, 31.    <sup>23</sup> Ibid., 23.  
<sup>24</sup> Hebr. ix, 3.    <sup>25</sup> Amos ix, 11.    <sup>26</sup> I Reg. vi, 10 seq.    <sup>27</sup> Num. xvii, 8.

ac justitia sunt ortæ<sup>28</sup>; in qua pedes involucro tecti prohibentur incedere<sup>29</sup>; nimirum, ratio dubietate obiecta, ac dissidentia Montem illum umbrorum, in quo complacuit Verbo inhabitare<sup>30</sup>; in quo reclinata natura, peccati declinavit æstum; ex quo nulla manu revolutus angularis ille lapis, hostis contrivit imaginem, ac in pulverem comminuit<sup>31</sup>. Accipe olivam fructiferam<sup>32</sup>, per quam manavit oleum illud exhilarans<sup>33</sup> creataque omnia impinguavit: Accipe, inquam, thronum illum gloria: currum regalem, quo vectum in carne Verbum in terram advenit: Sion illam sanctam, quam Creator elegit; quam pro ratione providentia, ante sæcula paravit<sup>34</sup>; ex qua carne natus est; ex qua prodiens, impiorum confregit vires. Complectere Salomonis lectulum, quem gyro sexaginta fortis ambiunt ac stipant<sup>35</sup>, veræ nimirum prophetiæ, a Deo inspiratae Scripturæ, divinum ejus puerperium, ex iis quæ prædixerunt, testimonio confirmantes; in quo Verbum assumpta carne recumbens, exsurrit pariter, ac tyrranicam inimici virtutem potenter percussit. Hujos imaginem propheticus forœps expressit, qui nimirum carbonem tulit, ac labia mundavit: Seraphica ille servatus opera, ac per Spiritum sanctum prædicatus<sup>36</sup>. Hanc obsignatus ille liber designavit, quem neuno legit doctus litteras, eo duntaxat excepto qui obsignavit, ac altiori supra rationem modo conservavit<sup>37</sup>. Hujus typum gessit mundissimus ille tomus, in quo nulla scriptione exaratum Verbum, erroris chirographum disrupt<sup>38</sup>. Est hæc regina, quæ asstit a dextris Dei, que, inquam, decori proxima ac splendori, formosa per naturam, et in quam reprehensio non cadit<sup>39</sup>. Hæc ea est, quæ a Libano virginitatis ascendit, ac mundum suavi unguentorum olentia perfundit<sup>40</sup>; ex qua manans dulcedo, veterem ligni amaritudinem in dulcorem vertit: cuius labia super mel dulcia facta sunt, linguaque lætitiam eeu fonte, manavit: cuius suavis vestimentorum odor, super universa terra aromata fragravit. Hanc intus uti sponsam suscipe, cuius est incomparabilis decor, ac gloria inenarrabilis: cuius oculorum exinium jubar, solis splendorem fugavit: Hortum illum conclusum<sup>41</sup>, in quem vitiosis cogitationibus nullus patet aditus; in quo nulla manus cultura, germinans divina plantatio, primam ligni maledictionem mundo eluxuriantem<sup>42</sup>, a radicibus arefecit, ejusque loco benedictionem effloruit. Vere illum signatum fontem<sup>43</sup>, ex quo manant purissimi latices, ac orbem universum irrigant; in quo turbidi lutii, nullæ sunt reprehensæ reliquiae; ex quo progrediens gratiarum flumen, totam in circuitu terram lustrat<sup>44</sup>. Suscipe sublimem aere gradientem nubem, cui insidens, qui nubibus cœli inanubulat,

Ægyptiorum evertit numina<sup>45</sup>. Induc animataum Dei civitatem, quam ejus perpetuo impetus incitamentaque latificant: sanctificatum, inquam, illud tabernaculum; domum gloriae; indissolubile templum, cuius tu figura ac symbolum existis. Quod sis exspectans veram manifestationem, eam modo tenes. Eam intus suscipiens, tanquam meliori concéde. Siste hactenus quæ sunt symbolica: ne ultra ænigmatis haeresas. Quandiu umbris animum intendis? Quandiu pro littera gloriaris? Ecce jam illuxerunt radii gratiæ; ecce qui in spiritum transferat, quæ sunt litteræ. Laborasti serviens litteræ, ecce adest qui renovet. Transi ergo a veterascente lege<sup>46</sup>, ad vigentem Verbi gratiam. Ut quid somniis immoraris, cum eam suscipias, quæ eventum conciliat? Ut quid victimarum sanguine aspergeris, nidoribusque undeque repleris, cum is qui ea præcepit, non admittat, ac reprobet? Nam ait Verbum Patri: *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*<sup>47</sup>. Venit qui suo ipse sanguine ista cessare faciat, quique naturam, non a carnalibus inquinamentis, sed a peccatis emundare habeat. Redemptio pro foribus est: habes in portis prædicationem: Hanc tibi mysterio præcurrentem honore comitare. Haec tibi eorum quæ divinis oracula fñerunt prænuntiata, secum eventus affert. Hanc Isaías designavit dicens: *Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*<sup>48</sup>. Hanc Ezechiel Dei portam appellavit<sup>49</sup>: Hanc David, arcum dixit *sanctificationis*<sup>50</sup>: Hanc Jeremias Dei viam prædicti<sup>51</sup>: Hanc rubus Moysi in monte præfiguravit<sup>52</sup>; ardentes quidem, ut tamen minime combureretur. Hanc tu gaudio suscipe: tota accurre alacritate: eam, ut creatura omni visibili ac invisibili superiori adora: amplexare inundissimum illud hospitium. Induc intus incontaminatum tabernaculum, prouinde ad cædes Judæorum cœtum expelle. Altum adversus eos clamant prophetarum neces: clare admodum vociferatur effusus sanguis: Quid tu cruce inquinamentorum eorum pollueris? Quid eorum iniquitatibus contaminaris? Quid profanam eorum arrogantiæ, ac furorem legis, vehementiusque Creatoris iram accendis? Siste hactenus ulti bilem: ne ulterius, ejus qui fixit, iram accenderis. Etenim quo majori cumulo peccata congregantur, eo vindictæ retributio auctor efficitur; eaque adeo tanto facinoribus gravior, quo ad immortalem pœnam dicit. Hæc monet ut cesses: Venit ut tibi succedat: majorem te gloriam recepit: Quippe quæ sortita sit rerum finem. Quorum enim tu subindicasti figuræ, eorum ipsa eventum exhibuit. Quantum porro, inter umbram ac corpus refert, quantum ænigma inter et veritatem, inter

<sup>28</sup> Psal. LXXXIV, 12. <sup>29</sup> Exod. III, 5. <sup>30</sup> Habac. iii, 3. <sup>31</sup> Dan. II, 34; Psal. XI, 22. <sup>32</sup> Psal. LI, 40. <sup>33</sup> Psal. CIII, 15. <sup>34</sup> Psal. CXXXI, 16. <sup>35</sup> Cant. III, 7. <sup>36</sup> Isa. VI, 7. <sup>37</sup> Isa. XXIX, 11. <sup>38</sup> Isa. VIII, 1. <sup>39</sup> Psal. XLIV, 10. <sup>40</sup> Cant. IV, 8. <sup>41</sup>\* ibid. 12. <sup>42</sup> Cant. II, 17. <sup>43</sup> Cant. IV, 12. <sup>44</sup> Gen. II, 10. <sup>45</sup> Isa. XIX, 1. <sup>46</sup>\* Psal. LXXXVI, 2. <sup>47</sup> Hebr. VIII, 13. <sup>48</sup> Hebr. X, 5. <sup>49</sup> Isa. VII, 14. <sup>50</sup> Ezech., XLIV, 1. <sup>51</sup> Psal. CXXXI, 8. <sup>52</sup> Jerem. XVI, 8. <sup>53</sup> Exod. III, 2.

sermonem ac ipsam rem, inter imaginem ac exemplar, causamque, tantum tu ab ejus deficis claritate. Tu enim ab una duntaxat propria gente, veneracione accipis; hæc autem a creatis omnibus magnificientissimam gloriam obtinet; ac tu quidem, obumbrationem Dei, quæ deserat, ac fugacem habens, brevi post, illa dimittente destruendus es; illa autem, divini Verbi inhabitatione, substantialiter eam suscipiens, indissoluta in æternum manebit; ut ejus nunquam denudetur gloria. Hinc ergo migrans, melioribus cede: nam neque si velis, liberum erit ut remaneas, ipsis tibi sacrorum ministris auctoribus ut recedas. Hæc puto non incongrue mihi ad templum dicta sunt, ex iis habentia fidem, quæ nunc gesta videamus; nec alia arbitror apud auditores egeant probatione, quibus res ipsæ probationis loco sufficiant.

Ubi autem cœlis illud capacius conceptaculum intra templi ambitum fuisse inductum, eam mox templi consuetudines juraque, suæ ipsorum abolitionis symbolum viderunt. Omnem namque suam gloriam, ipsis ea in dies destitutis, ad eam sponte commigrare observabant. Tunc porro, qui sacerdotale munus obbat, Zacharias, propheticus muneris spiritu afflatus, gavisus quidem est Virginis adventu; considerabat vero immensum ejus animi decorum sub muliebri illo latenter habitu: intelligebat autem, nova quædam, ac supra quam natura habeat; augustiora, intemerata illam ferre signacula; tametsi aliorum more natura induita erat. Inerat namque morum quædam incomparabilis honestas, viteque ratio virtutibus composita: unde etiam quotidiano ætatis cremento, dona Spiritus in ea augebantur: habebatque consuetudinem cum angelis, nec visionum divinarum expers erat.

Cum sic itaque de more in adytis versaretur, videbat Zacharias rem ejusmodi: peregrina quemdam specie sermones cum ea miscentem, ac escas inferentem: porro is, quem videbat, angelus erat: quamobrem admirans mente excedebat, taliaque cogitans disserebat. « Quid hoc video, novum revera, atque a loci hujus consuetudine alienum? angelicam speiem habet quod appetet, miscetque cum puella sermones. Incorporea forma, corporibus alendis comparatum cibum, tanquam qui oculis subjectus sit, infert: ac substantia materiæ expers, aliquid quod materiale videatur, feminæ porrigit. Angeli ad solos hue sacerdotes adventare consueverunt, ut aliquid agendum, aut non agendum moneant: nec id crebro occurrit: ut autem is, qui nunc videatur, ita feminam adeat, atque id incongrua ætate, ac adhuc juvenculum, omnino inconsuetum est. Sane quidem ut conjugata esset ac viro inancipata,

morboque sterilitatis laborans, secunditatis munere careret, supplicansque a Domino sobolem quereret, in eum omnino finem confabulatio fieret, exque proposito, quod cernitur mysterium solutionem haberet. Nam hoc semel in Anna accidit; ut autem semper ac passim fiat, non habent res humanæ. Nunc autem ab iis vacat Virginis illa congressio, is vero qui apparet, continue ad eam ventitat: quamobrem major me admiratio ac timor occupant: dubitationesque pro rei obscuritate animum tacite pulsant. Quidnam hoc velit? Quid nuntiaturus venerit angelus? Quodnam sit nutrimentum quod affert? Ex quanam cella penaria sit hoc depromptum? Quisnam sit qui hoc paraverit? Quænam manus hunc panem fecit: nec enim est angelorum, ea parare quæ corporeis usibus comoda sunt. Quanquam enim plurimi per eos nutriti sunt, id tamen ex escis jam commode præparatis; haudque aliter incorporati existentes, quam adminicculo corporis, conservis ministrarunt. Quippe poterat Dei jubentis virtute, qui Danieli ministerium impedit angelus <sup>52</sup>, ipse per se nullo alio assumpto, quod jussum erat implere: idem nihilominus medium adhibuit Iacobae, ut ne factum insolens, excellensque spectaculum, ac nimium aliena res ab angelica consuetudine parandi cibos, ipsi qui alendus erat perterritet. Porro etiam corvus qui ministrabat Eliæ <sup>53</sup>, non per se noverat locum, sed docente angelo: quam autem afferebat prædam, non aliunde, ut arbitror, habebat, quam ex divite penu: non velut is, qui jubebat, non posset sponte paratam escam apponere: quidni enim, cuius omnia verbo condita sunt? sed ut congruum usui ministerium præberet. Atque ita in illis divina Providentia dispositum est; hic autem, ipse ad Virginem angelus sine medio divertit: ac plane mirum videatur, humanaque altius ratione, tantis juvenculam fuisse auctam donis, ut et incorporeæ mentes ejus obsequio cesserint. Quænam tanta illa donorum excellentia? Quodnam tantum Virgo facinus condigne patravit? Novit equidem, rebus fidem astruentibus, eximia quadam puritate superasse præteritas omnes ætates; suntque rei perspicuum argumentum ejus mores, ac tandem, opus excipiens: ut autem adeo magna beneficia consecuta sit, quænam ratio fuerit? Ingentium nobis forte Dei beneficiorum conciliatrix futura sit Virgo, quæ sic divinum alliciat numen. Num prophetarum oracula in ea complenda sunt? Num eorum quæ in spe posita sunt, in ea finis erit? Num is qui venturus est ad instaurandum humanum genus, humanam ex ea naturam assumpturus est? Etenim mysterium hoc fuit prædictum, ac divinus Sermo talem requirit quæ illi ministret. Haud plane alia tanti mysterii miuistra prælecta fuerit, quam hæc coram posita juvencula. Etenim immensum quændam castitatis in ea occultum decorum considero, quem ipsum divina in eam bene-

<sup>52</sup> Dan. xiv, 32. <sup>53</sup> III Reg. xviii, 6.

ficia palam faciunt, ac repræsentant. Quam beata dominus Israel, ex qua tale germen pullulavit! Quam benedicta radix David, ex qua virens hæc virga, salutis florem mundo editura, ascendit! Quam omni major gloria, memoria eorum qui te genuerunt, omnique præstans felicitati! Quam ipse magnam gloriam adeptus, qui talibus spectaculis delectatus sim; talia sim consecutus dona; tantæ Virginis factus pronubus! Immortales tibi gratias habeo, o Domini templum, quod occasione ministerii tui, desiderata cunctis Justis tandem consecutus sim. Plane hodie magnificatus sum præ sacerdotibus universis; majorem supra omnes prophetas, hodie obtinui gloriam. Quæ enim illi in umbris didicerunt, eorum ego vera initia oculis intueor. »

Talia Zacharias haud immerito secum cogitare poterat, ut qui nova, ac supra quam natura habeat, perspicere Virginis illa prodigia. Ac plane sic habebant. O miraculo plena initia! O eximia symbola! O clementum corporis præcellentem gratiæ accretionem suscipiens! O mundam illam ac præclare splendidam animam, quæ in vegeto corpore, majora quam pro humana ratione munera ostendit; cui ætatis defectus, nihil ad virtutis absolute solutionem impedimento fuit; cuius ad Deum conjunctionem nihil juventus prohibuit! Quis vidit, quis audivit talem provectionem corporis, quod in sauctis habitaret, ac stiparetur ab angelis, ciboque ambrosia nutritur? Plane animæ, tametsi ad summam per venerint impassibilitatem, vix tamen incorporei communione, angelorum escam inuit, rationem ab errore imminuem: hic autem corporeæ manus immortalem escam suscipiunt, et per eas incontaminatus animus donis satiatur. O exsuperante munitidiam! O sucedentium ætatum ascensio, qualem honestatis scalam, ad summa cœlorum culmina erexit, per quam novo ac mirabili descensu Verbum ad nos venit? per quam terrenum humile naturæ tabernaculum in cœlos concendit!

Tu autem, o homo, admirabilem ac novam vitæ rationem Virginis in templo audiens, noli de ea dubitare; noli ratione examinare ea, quæ intellectum omnem superant: noli ea comparationi subjicere, quæ majora sunt comparatione. Vides inauditam naturæ innovationem, et de his dubitas? Vides ipsum Dei Verbum ineffabili ratione habitans in ejus utero, deque immateriali esca, ac aliud modum habente contendis? Vides consilio paterno Spiritus in ea obumbrationem, ac de angelorum ministerio adhuc dubitas? Nihil eorum, quæ ad eastissimam Virginem spectant dubietatem habet. Nihil ejus magnalia habent incongruum. Certa omnia veritate constant.

Oportebat enim tabernaculum divinum, talibus augeri ascensionibus; oportebat agnani immaculatam lauto adeo excipi epulo; talibus impleri ci bis: Oportebat, inquam, nedum in Sanctis sanctorum tabernaculi legalis, sed et in ipsis cœlis cœlorum, prima eam educari ætate, quæ iisdem visa esset latior, ac majori præ illis polleret puritate: Oportebat ut nedum unus ei angelus ministraret, sed et decies decem millia satellitio adessent. Etenim quem illi videre nequeunt, eum illa mirabili ratione in utero portavit. Eum, qui iudetus est lumine sicut vestimento<sup>54</sup>, in suo ipsa sinu complecti meruit. Eum qui pugilo continet universa, in ulnas hominem factum suscepit, ac continuo<sup>55</sup>. Quis ea considerans, non magnum quid de sua ipsius natura cogitet? Quis non ea ex causa ad sublime aliquid mente assurgens, universis se prælatum putaverit? Quis non ideo altam effusat vocem, eaque grandi, creaturæ inclamat? Quis denique non idcirco altum sapere videatur, atque a sua excessisse vilitate? Plane enim res est supra modum magnifica, ac omni major majestate. Nam cogita quam res humanæ sublime elata sint, pro abjectionis ratione æquali provectione adiuta<sup>56</sup>. Corrueremus divini transgressione mandati; facti eranii indigni Creatoris providentia, quibus nihil ad erroris defensionem reliquum esset. Jacebat natura tanta illa ruina; erat necessarius qui instauraret. Et vero instaurata est, non alterius opera, quam ipsius qui condiderat: (quæ nova quedam ac inaudita reparatio est;) non nudo præcepto; uti pridem habuit creatio, sed dispensatione, ac assumptæ carnis sacramento, pro Dei clementia.

Non angelis creditit reparationis humanæ negotium, sed ipse sibi ut in nostram se vilitatem demitteret, indulxit: nec habuit satis ut repararet; ad hæc enim assumere voluit, assumptamque nostram illam naturam in paterna sede collocavit. Quid ad ineffabilem illam benignitatem, impensisque in humanum genus studium cogitaverim? Quibus encomiis immensam illam in usum nostrum demissionem celebraverim? Quibus laudibus, Virginem per quam ea gesta sunt, prosequar? Virginem, inquam, per quam figurata reparatum fuit? Quis tantus honor ejus puritatem æquans demonstraretur, ex qua ipse auctor, ejus amator factus, suum tabernaculum ædificavit; in qua habitare non renuit, in qua impletum fuit paternum consilium, in qua requievit sanctissimus Spiritus? Quænam ei gloria pro meritis respondeat, quam ipse creator, rebus omnibus, uno se excepto, sublimiore ostendit? O pretium, omne pretiositate superans munus! O inter decora, decorum maxime decus! O Deipara, reram pulchrarum supremum ornamentum! tu, antiquæ nostræ ingenuitatis ruinam, partu illo supra naturam, reparasti: tu, primæ

<sup>54</sup> Psal. ciii, 2. <sup>55</sup> Isa. xl, 12.

imaginis extinctam venustatem , ad pristinam reparasti pulchritudinem : tu, parentis primæ in tristitiis partus , tuo ipsa partu , in gaudii feturam convertisti. Per te , exsul humanum genus , ad suas rediit sedes : per te , immortalem paradisi receperimus voluptatem , per te recessit gladius versatilis ; per te , voluptatis occlusæ portæ patnerunt ad ingressum : per te , prophetarum exspectationes eventum habuerunt : eorum testimonia , in te finem acceperunt : per te habemus resurrectionis nostræ vera symbola : per te speramus consecuturos nos regnum cœlorum : adjutricem te salutis nostræ obtinemus : habemus te nobis auxiliatricem ; te os nostrum ad defensionem objicimus ; te nostræ fiduciaæ gloriacionem circumferimus : ipsi , te , Christianorum cœtus , murum fortissimum habemus : te fideles imperatores arma validissima tenent : per te , conterunt hostium audaciam ; per te obtinent victoriae trophaea. Tu porro , Dei Genitrix , ne ad te jugiter orantium supplicationem despexeris. Manum quæsos fessis exporrigi : auxiliare naufragantibus ; bellorum fluctus in tranquillitatem verte : solve in auram nocentium status : da congruum orationi , tanquam cui facile sit , exitum. Hæbet ut Mater indeprecabilem , ac nesciam repulse apud Filium fiduciam ; habet insuperabilem potentiam , habet vim inexpugnabilem. Ne rogo multa nostra peccata , immensam tuæ miserationis vim superent : ne absonta nostra opera , incomparabilem misericordiam tuam impedierint. Quanta enim libet multitudine delicta increverint , facile dissolventur dum tantum ipsa velis. Nihil enim resistit tuæ potentiae , nihil repugnat tuæ virtuti : cedunt omnia jussioni tuæ ; universa morem gerunt præcipienti : imperanti omnia serviant. Te Filius tuus cœlis celsiorem , ac universis præposuit creatis , tuæque illi prælationi , ex iis qua mirabiliter operatur , fidem astruit. Nullus tibi labor ut hæc consequaris : nullo pro his medio Deum Creatorem alloqueris : placet ei petitio ; intercessio delectat ; non recusat implere ; quippe suam ipse , tuam existimat gloriam ; eaque tanquam Filius exultans , postulata cœu debitor implet. Hac itaque ego sisus , o Domina , incomparabili potentia tua ac clementia , fructum tibi egenorum labiorum huncce obtuli ; minorem quidem illum ad pensionem , quam merearis ipsa ; qui tam maximam voluntatem ostendat. Nedum enim mea virtus desiderio frustratur , sed nec præclarorum quidem virorum exspectationes assequi possint. Accipe ergo , non res spectans , sed promptum animum probans. Porro autem acceptura es , probe novi , ut quæ benigna sis , atque ad reliquum deincept sermonem manu dicens , tribues peccatorum remissionem , ac regno cœlorum dignaberis , Patremque , ac Filium , et Spiritum sanctum propitium facies , unam illam Deitatem ac regnum , quam decet gloria , potestas , honor , adoratio ac magnificencia , nunc et semper , et in sœcula sœculorum. Amen.

## ORATIO VII.

*In eamdem solemnitatem , ac ea , quæ historia deinceps habet.*

Divinarum solemnitatum fulgores , jugis luminis radiis splendidi , bonorum amantes , præclarisque studiis deditos , ad se continue dirigunt : quantoque gratia ampliori illustrant , tanto desiderium eorum , in rem quam depereunt , coaugent. Hoc primum ac potissime sibi vindicant , salutares illæ Dei Verbi solemnitates , ac festi dies , quibus , ejus in nos inclinationis argumentum , atque exhibitio est. Cum iis vero , etiam Virginis festa , quæ et ipsa idem significant , in æquale non immerito desiderium ac amorem rapere videantur. Ego sane , jam finem orationi in superioribus imponens , excusationem prætendebam oppugnante desiderium penuria , viariumque exilitate : ac , quod dici solet , ne pedem quidem simente gradu sublimem extendere , nece adhuc ea tentare , quæ majora virtute essent : (Nam illud , latente interius flamma claneulum incensum , eaque jam majori excitata , dum silentio impetum cohibere non posset , certantem eam erumpere , foras produxerat : ) cum nimurum in immensum inde argumentum diffusum viderem , tali exsistente face , ac incentivo , ut omnino posset succendere. Nunc quoque , cui affectio vim faciat , quique vos , auditores , affectu indulgete , ac tribuite veniam. Quinimmo , quid ab universis hoc exigendum ? cum plures re delectentur ; sintque admodum pauci , qui non probent , atque admittant ejusmodi violentiam. Ac quidem , ut isthæc nostra oratio , operæ pretium aliquid solemnitati ostendat , agenti desiderio rependendæ erunt gratiae , cum illud laudabile exsistat ; suaque ipsum victoria , eum , qui virtus sit , victorem , ac donatum corona ostendat. Si autem longe meritis impar inveniatur : ( Porro autem invenietur : ) ipsi quidem temeritas ; nobis autem justa defensio merito tribuatur. Atque hæc quidem , modum hunc habeant : nos autem , iis quæ sequuntur , insistamus , ducem fore rogantes eam , quæ argumenti causa exsistit , sanetam Deiparam.

Jam ergo , cum sie Zacharias spectaculi miraculo prorsus stuperet , diviniorique afflatu , quod erat futurum , conjiceret : quid templo præsidentes angelii , ad hoc cogitatur erant ? Quibus dubitis , quamquam erant intellectrices virtutes , quod ita videbatur , resolvebant ? Sane enim res arcana erat , iis duntaxat perspicua , quibus is vellet , qui solus perspicuum præstatabat. Par vero est , ut ejusmodi de illa hæsitando quærerent . « Quid hoc novi spectaculi ? Quodnam hoc satellitum ? Quæ illa , cui angeli cibos inferant ? Novum ac stupendum , quod cernitur , atque nobis ignotum. Videtur femina intelligentiae vi nobis superior : in hac una , invalida sunt nostræ naturæ præclara dona : ejus a nobis finis , tanquam quæ Dei arcans ministret , absconditus est. Universa eorum qui hic versantur ministeria , congruis per nos dispensantur temporibus ; qui orationum

quæ offeruntur, causas minime nesciamus : ac alias quidem, assuetudine, ex quo figuris intelligamus; alias, collatis studiis, ac meditatione perdiscamus. Eorum qui precentur, ad Deum sermones, nedum a nostra unquam natura ; at ne ab humana quidem absconduntur. Nunc vero quæ exhibentur, cum eam latent, tum nostram quoque intelligentiam fugiunt. Neque enim illa, futurorum initia sacramentorum velut fundamento præfecit ; neque aliqui consueta pro iis supplicatione, quod foret significarunt. Quin et is, qui illi ministrat, nobis quidem naturæ communione junctus existit : at secretus ab iis est, quæ a nobis singulis efficiuntur. Atque ejus ad eam accessus insuetus est ; novique prorsus, quos cum puella misceat sermones. Quæ hæc tanta in Virginem cura ? Quodnam in ea occultum miraculum, atque novitas ?

¶ Angeli obsequentium more circumdant : choro nostro certantem laudationem emittit : in corpore existens, nostram excessit puritatem : femina quidem, ut eam figuram species, quæ est oculis subjecta ; at quod mysterium in ea intelligitur, nostram naturam superat. Congaudent in ea universa : nostri illi coexsultant ordines : eam divinum hocce templum suscipiens, ejus obsequio exsurgit. O vasculum plenum gratiæ visum ! O terrenam naturam, suas ipsius rationes supergressam ! O quæ incomparabilibus modis, ejus superavit modos ! O quales suarum frugum primitias natura humana obtulit Creatori ! Quale appendit donarium ! Qualem oblationem fecit ? Plane Deo dignam, nostroque ipsorum spirituali sacrificio ac oblatione, spiritualiorem ; sacrazioremque ac puriori nostra puritate. Etenim, ut nostra innocentia cum ea comparetur, prorsus invenietur a similitudine deficere ; ut ejus sanctitatis ac incontaminatae mundicie excellentiam, æqualibus modis minime assequatur. Quanquam etiam ut ejus illa puritas nostræ æqualis judicaretur, majorem nihilominus admirationem habitura esset, a rei præcellentí novitate. Nec enim res ejusmodi magna nobis admodum est, qui simus liberi a concretione materia, atque ab ejus inquinamentis remoti. Quibus enim natura nihil ferri in deterius comparata est, iis neque invertibilitatis miraculum novum est. Atque adeo, illi, quæ sit corpori conjuncta, certet vero cum nostra ab omni sorde immuni puritate, novum id videatur, omnique majus miraculo. Qui enim non ita ei judicetur, quæ aliena a natura excellentioribus comparavit supra naturam modis, quæque a suis reluctantem evolans, ad nostrarum summum verticem dotum atque virtutum, coassurgere potuit. In hac itaque Virgine, ipsam quoque similitudinis rationem novitas miraculi fugiens, excellentia admirationem habet. Quod enim nostram effigit comprehensionem, in iis utique, quæ nobis superiora sunt computari debet. Quonam occultum hoc circumnubitur modo ? Quantis reservatur beneficis ? Quibus dispensationibus servatur ? Sane

quidem, cum Deus olim in humanum genus beneficia conferret, non obscure, occultisve modis, curæ ejus ac providentia gratia præbebatur. Cum enim res primum jam evenire inciperent, iis qui recte serutabantur, finis inde accedebat notitia. At quorum obumbratus est modus, eorum prorsus fugit cognitio.

Hæc, puto, præsidentes templo angeli cogitabant pariter ac addubitabant, simulque eorum quæ videbantur novitatem, ac miraculo affecti, gaudebant. Nec vero illi tantum sic affiebantur, quin et jam hominum, qui adessent, ac Virginem ut gaudi causam susciperent, promissa quædam erat letitia. Hoc namque intelligimus significare historiam, cum sic ejus res conscribit. *Dilexit enim, inquit, Mariam omnis domus Israel.* Præclarum sane sermonem, ut qui rei probe conveniat; quique futurum certo exponat. Quid ergo innuit, quod ita dictum est ? Nihil, inquit, ingentis ejus gaudii exors mansit : nihil fuit in rebus, quod non communis exultationis particeps fuerit : universa, suam prævie osculabantur salutem. Non magnifica illa Virginis mysteria, sed futurarum designatio rerum ; quin et earum per eam, potentia ac virtute velut exhibitio, in hoc beneficij causa gaudium cesserunt.

Quomodo enim novo hoc spectaculo vulnerati non essent ? Quomodo illa, quam oculis spectabant, pulchritudine non fuissent allecti ; cum adolescentulam corpore viderent, ea quæ sunt corporis prætergressam : cum puellam, coætanearum effigie consuetudinem : cum virginem, a naturæ inquinantis exemptam : partem generis, angelorum sociam : imbecillitatis speciem, fortitudinis omne superasse specimen : intra sancta sanctorum proprium tripudiare ornamentum : in adytis ac sacris penetralibus morantem eam, quæ arcanorum declaratio foret.

Vide autem prophetiæ certitudinem : Vide ut accurata nitatur, ac firma veritate : qua verborum expressione, rem declaraverit. Non enim tantum populum indicavit ; sed et Israëlis adjecta appellatione, eorum qui per agnitionem ac fidem ei essent accessuri, designavit dilectionem. Fere enim Scriptura sacra, cum Hebræorum gentem significare velit, populum duntaxat appellat ; ut est illud : *Lætmini, gentes, cum plebe ejus*<sup>56</sup>. Et : *Populus meus*, inquit, *non intellexit*<sup>57</sup>; cum autem tum Hebræorum gentem, tum verum fidelium populum designare propositum sit, Israëlis id appellatione ostendit : hoc palam confirmante eo nomine, mentem omnem videntium Deum Israëlem esse ac appellari. Quia ergo Judæi, velut quibusdam obnubentibus tenebris, infidelitatis nubilo obducti, adversumque veritatis fulgores ultro delinquentes, a Deo cœcutire debebant, eorum Scriptura peculiariter gentile nomen omittingens, eorum qui futuri essent, impensioris amoris affectum communem designavit. Sin maximam quandam ejus ad Creatorem necessitudinem, ea

<sup>56</sup> Rom. xv, 10. <sup>57</sup> Isa. 1, 5.

loquendi forma significari videamus, qua dictum sit, *Populus Domini*<sup>58</sup>. Et, *Ipse salvum faciet populum suum*<sup>59</sup>. Sic enimvero re ipsa erat, ejusque Deus præcipuum curam agebat: at quia sua ille voluntate: ab ea se affinitate avellens, alieneque a ratione a salute resiliens, procul abherravit a vocante, idcirco significavit ut habituri essent, qui a mentis visione conciliari habebant, ac Deo necessitate jungi. Nec vero dixit: Illa omnis Israelis dominus; sed absolute, *Omnis domus*; articuli ablatione corum qui accessuri essent auctarium astruens.

Cum hæc itaque sic haberent, nihil eorum latebat sacerdotem. Quod ergo foret, sancti Spiritus illustratione doctus, multa veneratione plenam gratia puellam prosequebatur. Nec enim fieri poterat, ut ne merito majora salute per eam futura arbitraretur. Nam primum quidem, excellenti virtute mores, ac formam considerabat: Tum vero, angelorum illud ministerium diligentius pensabat, grande aliquid Virgini indicans, nec in eo sistens quod cernebatur, sed mirabilius aliquid quam ipsum erat, subobscure significans. Angeli namque ad eam accessus ac mora, Gabrielis subindicabat adventum; partim qua Deus prævie rem declarabat; partim, qua Virginem assuefaciebat. Is porro qui inferebatur cibus, ipsum panem vitæ, specie exhibebat; haud obscuram judicantibus similitudinem habens, quanquam eos inter plurimum referebat. Ut enim illius ignotus apparatus modus, ac quo Deus produceret, sic et incarnationis Verbi, occulta est ratio, ac causa mysterii. Ac quidem intemperata Virgo escam illam tenens, divinorum munerum cunctu augebatur; sed et qui hujus efficiuntur participes, sancti Spiritus donis replentur. Ceterum esca illa, a peccatorum labe miniime emundavit: neque enim eam percipiens illis subjecta erat, cum plane munda esset, nec ulla purgatione egredit: hic autem, gratiae impertitione, peccatorum quoque abstergio accedit.

His igitur Zacharias in stuporem actus, qui non supra modum admiraretur? Quia non honoris excellitia, plenam gratia Mariam prosequeretur? Quid non cogitare ac prestare vellet, ut quidquid mundus gloriosum habet, illi tribueret? Quid enim ejus non humanos palam excedebat modos? Quid non eorum, quæ vel minima habebat, magnorum quoque præclaræ quæque vincebat? Nam etiam quæ ejus exigua videbantur, iis liquido præstabant, quæ in humanis, eximia quædam, ac majora comparatione noscuntur. Vide enim ut cum needum infantiae terminos excessisset, ab iis quæ infantiae videntur, longe aliena esset. Templo namque oblatæ, atque a parentibus sejuncta, nihil cogentis naturæ violentiam sensit; nec illa a parentibus secretione, immotum illum animi sensum quidquam remisit: nec post eos imperturbatum oculum didu-

cens, intus animo commota est; quanquam fere adhuc maternis uberibus hæret, ac eis affixa esset: quod plane merito admirationem habeat, animoque illo innoxio, ac ab omni immuni peccato, dignum existat.

Sic enim universi homines comparati sumus, ut vi quadam in parentes ac cognatos trahamur: cunque innumera sœpe ab iis abstractant, nihil tamen eorum, per naturam unita separare possit: atque id maxime, ubi paterne conjunctos devincit affectio; quam, nec timores perterreant; nec voluptates, suffurentur: quin codem modo illæsus perseverans naturalis amor, nihil corporibus loco se junctis una ipse secatur ac dividitur. Quamobrem ut vi infantem a materno sinn avulseris, habitu ipso ac voce injuriam inclamat, manusque in parentem extendens, ac miserabiles oppletosque lacrymis oculos continue intentos ac apertos habens, ac enī fletu vocem lugubrem emittens, ac matrem revocans, palam dolorem prodit: quem nec minarum compescuerit timor, nec largilio ulla pulcherrimarum ac ingentis pretii rerum emollierit: quin potius ita est comparatus, ut semper quæsito hærens, ad nihil eorum se convertat, quæ demulcendo prætentuntur; qui eorum quæ molesta afficiunt ac tenent, unicum illud remedium sciat, ut maternis rursum visceribus adhærescat. Hæc autem, ab humana omni consuetudine ac affectione munda, nihil iis tacta, ac naturæ necessitate sublimior, ita hæbuit, ut eorum nullo, inexpertus voluptatum animus subducatur: ac quanquam diuturna fuit se junctio, nihil tamen eam moleste tulit. Quis vel purissimus animus, adulta jam ac consummata ætate, ad tantam evasit affectionum vacuitatem, quantam hæc impollata, ipsa infantili ostendit? Quæ anima, quæ ratio, quæve mens sic gravi senectute honesta eligens, quod deterius esset abjecit, ut hæc prima juventute? Nimisrum, ad horum evaserat summum verticem.

Mihi autem non ea tantum ratione supra modum admirari, ac stupere subit, verum etiam quod, primo ætatis flore, ac vigente corpore, ipsam incorpororum, ac nulli concretorum materiæ, naturam, intemeratissimæ Mariae puritas superaret. Processu namque ætatis, haud admodum magnum id videatur, obnubente mysterio. Quid vero etiam mirari oporteat, ut ea sola nihil se ad cognatos averterit; quando et ipsius parentes ea parte gloriam adeptos conspicimus? Nam ne illi quidem charissimi pignoris se junctionem molestius habuerint: autve paterna viscera eo commota sunt: aut illi naturæ stimulo vulnerati, rursumque ad puellam conversi, quod moris erat, eam desiderio amplexati sunt.

Nihil verborum needum satis distinctorum dulcia balbutimenta in memoriam revocata, eorum confabarunt animos: non aspectus, moræque, ac spe-

<sup>58</sup> Deut. xii, 6. <sup>59</sup> Matth. i, 21.

ciei informatio mente hærens, objectaque, velut eorum quorum prius compotes fuissent, gravius contristavit. Neque enim perinde molestum ut bonum non accedit, atque ut illud auferatur. Cujus enim experimento gustum non fecimus, ejus in cupiditate possessio est : id autem quo jam potiebamur, cum amissione amplius quid ad tristitiam importat : ac maxime, iis absentibus quorum fuit impensior cura, longe nobis auctior mœstitia acedit.

Vero namque simile est, ut justi molestius tulissent, in haec fere verba mutuum se allocuturos, Quid enim vero contulit nobis, multarum illa orationum constantia? Quid Dei munus stabilius reliquit? Quid partus juvit? Quænam proflis consolatio? Fecunditatis dona, non in partu, sed in ætatis fructum habent : laborumque levamen congruo tempore exsistit, ac exspectationis impletio; eoque benedictionis parentum exspectatur successio : nobis vero quid ejusmodi ad solatium reliquum est; quibus labor immensus, spesque obscura ac inanis cedit?

Uique par erat, ut justi talia loqueretur, ut passi fuissent humianum aliquid. Verum omnibus his superiores effecti, ac tanquam tenerent in manibus quam Deo obtulissent, nednm nulla emiserunt verba, animi mœstitudinem indicantia; quin etiam gratiarum actionis sermones sincere prætenderont; ut qui fructus ejusmodi ipsi parentes essent : ut qui Deo suas consecrassent primitias : ut qui intra sancta novum virens germen intulissent.

O justorum præclare acceptam hostiam! O oblationem mundi factam redemptionis pretium! O bonam radicem ex qua optimum illud germe prodiit! Quibusnam verbis Joachim et Annam dilaudem? Quibus encomiorum floribus eorum varie coronam intertexam? Quibus cogitationibus, quod animi cogitatu omni majus est, eorum miraculum conjectem? Enimvero quid sermonum varia compositio illis conserre possit? quorum gloria ac corona, ipsum sit, quod ab eis prodiit gaudium: quorum exultatio atque gloriatio, communis exsistat humani lœtitia generis: quibus pretiosus mundus, omni illa pretio major Virgo, adjaceat: præclarum illud ac gloriosum diadema; latus ille ac multi luminis splendor; micans ille, radio omni lucidior radios. Haec sane ornatissima illis laudatio est; haec, illis congruuus decor; haec, dicitæ inauferibiles, in sæcula infinita uberem affluentibus copiam. O eorum adeptiōem, ac impleta vota! O virtutem ejusmodi fructus parentem! Plane ille ingens ac omnem superans fructum. Cum ergo illi tales essent quales ostendit sermo, quid frustra quæras degenerine propositio recessu a filia doluerint?

Illa porro, angelica vitæ ratione diuturnas moras agente in templo, affuit tempus quod mulieribus a sacris abstinentiis denuntiaret; quando nihil tute silentibus Judæis, populus consilium initit, ut tanquam unam ex universis eam a templo arecent:

alienæ certe a ratione, nec maturo examine. Nec enim jam sanctitatis ejus miraculum occultum erat. Vere namque aestimans puto, nullas unquam naturales sordes in mundissimo ejus corpore deprehensas esse: sed omnia nova quadam ac mirabili designata ratione, ut et ejus futurum partum.

Zacharias ergo haec intelligens, nihil ipse a se Virginem cogitavit educere; potius ratus læsæ consuetudinis populique reatum incurrire, quam sejunctione bona illius amittere. Ad hoc itaque per urgente populo, secum ille anxius hærebat, talia quædam mente agitans, ac loquens: « Quid rebus ita habentibus faciam? Quam nunc necessitatem eligam? Quem milii præstituens finem, non temerario ausu irritabo Numen? E templone Virginem educam? Verum me terret eorum quæ arcana spectavi novitas; vehementiusque percellit adolescentulæ miraculum; ne si forte in eam peccaverim, temeritatis pœnas luam. Neque enim aliis preter me ejus mysteriis oblectatus est; magisque scientibus quam ignorantibus imputatur crimen. Num in templum recipiam? At versa in seditionem Judæorum multitudo, propositi animi adjutricem, iniquitatem ac scelus prætendit. Ignorat rei modum: nescit dispensationis mysterium: summam Virginis ac natura majorem puritatem nouit: nullo experimento intemeratissimum ejus sensum pernovit; eoque urget eam hinc educi. Præstat pro ea adire periculum, ut qui rei veritatem doctus sim: ut mortis potius subeam aleam, quam ut temere illam reddam, atque in me divinum provocem Numen. Verum periculum est, ne si etiam ita fiat, sceleratæ in eam armentur manus, corpusque immaculatissimum invadant, atque vi e templo ejiciant: ne, inquam, profana ora injuriosos in eam jacent sermones, sacrumque illum ac inviolabilem thesaurum, contumelia afficiant. »

« Quis vero etiam hominum eam sit suscepturus? Quis habeat satis, ut in sua eam tabernacula inducat? Quod satis capax domicilium illi recipiendæ, cuius non facile admirationem vicens templum hoc moras legit; cuius reveretur suminam munditiem; cuius magnalia miratur; cuius nova ac insolita sumopere stupet? Quænam manus ei ministraverint, cui angeli ministrarunt; cui incorpori illi corrogarunt announam? Quis ejus tantam pulchritudinem obtueri valebit, quæ Dei ipsius oculum delectat; cuius puritate lœtatur; cuius sibi specie placet? Quis eis ea dignus appareat, quam Dei Verbum sativavit; quam replevit gratia, ac egentium penu locuples fecit? Quinam his universis digni accurvant, ut ne Dei depositum indigna exceptione injuria afficiatur? »

Haec itaque Zacharias mente agitabat, ut qui mysteria Virginis liquidius noverat: sieque omnino agitantem addubitatæ necessum erat. Siquidem ergo ille, cum hactenus mysterii initium primitus doceretur, gravi adeo admiratione affectus est, qui non

ipso stupore repleamur, qui ejus teneamus finem, eamque gaudio ac desiderio laudemus, per quam illud exhibitum est? Qui non ejus magnalia magnifica voce prædicemus? Quidni encomiis celebremus? quanquam omnis encomii vis imbecillior est, quam ut ea declarare possit. Ac vero, quid de laudibus hæc dicenda sint, cum mens ipsa ac intellectus illis vineatur? Nam sermonis exilior in ejusmodi facultas est. Sæpe enim intellectu inventa ipse eloqui non valet: videasque intus animo grande ac magnificum miraculum Virginis; extra vero, fandi inopia depresso. Qaique ego id continue sentiam, nullo teste sermonem recipio, a me habens ac ex propriis quod astruat fidem. Cæterum his ita palam habentibus, ipsimet Virgini velut omnium guaræ, ut ea ipsa exquirat, relinquamus: nec ipsam verbis, sed sensis animi gratiam rependere poscamus.

Sed, o Deipara, supra modum desiderabile nomen; ne eorum, quæ dicta sunt, exiguitatem contemnens, ut quod impensoris voluntatis existant, quanquam exiliori prodierunt dicendi facultate; ea suscipe, nihilque repellas; subindeque dicendis copiam sermonis concilians, ne orationes quoque nostras rejicias. Siste suffragiis tuis commota in populum tuum bella. Vindica potenti tua virtute, gregem in te confidentem. Nullum auxilio tuo firmius trophæum opponimus. Unicum est, quod illo fortius sperandum habemus; nempe tui Filii potentia; quin et ejus ipsius beneficium, acceptum tibi referimus. Cum enim jugiter eum offendamus, despicabiles manemus, indigni existentes, quorum ille curam agat. Tu itaque mediatrix accedens, illi nos reconcilias, tanquam ejus imitatione benignior exsistens. Inflectis immensam ejus clementiam in miserationem nostram: pervigil intercedis pro nobis. Plane enim congruum hoc, tum ejus clementiae tum tuæ protectioni. Idecirco te, nostri primitias generis assumpsit. Ut per te nostra, dispensatione gereret, humanæ se naturæ obnoxium fecit. Eramus nos rei pœnae a transgressione; reus et ipse dispensationis, qua clemens humano consuleret generi, factus est. Per duo maxima hæc gratiam efflagitamus; per assumptam ex te carnem; perque te, quæ ex nobis primitiarum loco ei oblata es. Congrua ratione nixa oratio, bona exspectatio, certa firmaque spes. Tametsi enim innumerabilis peccatorum cumulus adversatur atque oppugnat, divinæque munera clementiae prohibet: verum nulla tanta est delictorum multitudine, ut ejus bonitatem possit evincere. Scimus ut natura nostra caduca ac labilis sit; novimus ejus indignitatis exsuperantiam; non ignoramus immensa delicia nostra: eamque ob rem te mediaticem prætendimus.

Vides, universam Christiani populi spem ex te pendentem? Fac ergo potentia tua, ut bene illi ac propere cedat. Nullum aliud perfugium habet a malis occupantibus, excepto duntaxat inexpugnabili illo tuo auxilio. Qui rerum summa potiuntur,

suam tibi spem addixerunt: te opponunt, armorum universorum loco: scutum te ac loricam circumposita habent: coronam te gloriae circumquaque gestant: sui te imperii posuerunt vallum: tibi sceptra regni crediderunt. Exsurge ergo in virtute magna in conspectu populi, tuique inimicos dissipare Filii: ut ab eorum impiò furore liberati, communem lætitiam ac exsultationem agamus: tuumque pariter gloriosissimum ac supra modum desiderabile nomen magnificantes, Patrem et Filium et Spiritum sanctum adoremus, in sæcula sæculorum. Amen.

### ORATIO VIII.

*Oratio in illud: « Stabant autem Juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus; » atque in sepulturam divini corporis Domini nostri Jesu Christi, sancta ac magna die Parasceves.*

Altissimam noster nobis serino descendens speculam, clangenti tuba penetrabiliori sono creaturam omnem ad se convocat. Pari enim gressu cum eo ascendens, qui crucis altitudinem descendit, suam ipsius oblitus humilitatem, tanta rerum sublimitate sublimis ipse, magnificum ac clare auribus insonantem clamorem mittit. Quid enim præsentis nobis mysterio sublimius videatur, aut illustrius; quo, ab infinitis ac tenebris inferni penetralibus erexit, ad cœlestem ac perpetua luce splendidam mansio- nem translati sumus; quo tristi peccati velamine posito, lucidam adoptionis indumenta stolam? Nobis quippe parta libertas ex condemnatione accessit; ex passionibus passionum vacuitas. Per mortem, qui ferreis mortis carceribus tenebamus, ad æternam vitam transmissi sumus. Sic diei præsentis sacramenta nobis splendida sunt, ac suprema quadam majestate plena; Judæis autem qui patrarent, tremenda ac horrenda. Illis moesta sunt, nobis præclara: illis Deicidii punitio, nobis scientie Dei consecratio; illis luctus, nobis exsultatio. Illorum est cædes, nostrum beneficium. Secus eorum res ac nostræ habent; nam et ea præsumperunt adversus Salvatorem, cum advenisset, quæ secus haberent. Illi repulerunt, nos suscepimus: illi hæredem extra vineam ejectum interfecerunt, nos autem beneficium intra Ecclesiam admittentes, vivificamur. Habet illi crucem, nos partam per crucem salutem: illi lanceam et clavos, nos eam, quæ per illa manavit, immortalitatem.

Enimvero animum pervadens dulcissimum tuæ passionis telum, propriam revera, Domine, plagam immittit: ac mulcente tua illa arcana dispensatione, vacua passione tua per passionem dilectione, vehementius vulneror. Nequit tamen illa cum tua in nos amicitia ullo modo conferri, vel si in summum quemdam servorem ac impotentem æstum evaserit. Hæc enim uti flammeus naturæ ardor, ac paterni amoris accensio, sic te, paterno in nos

amore habentem, in filios quos amares, habere compulit, atque ad tantam humilitatem dejicit: fecit, inquam, ut, quoniam immeritus, solo ex paternis visceribus desideratorum affectu, tantis te doloribus ac tormentis subjiceret. O Domini bonitatem! Deus qui omnia contuetur, insidias sustinet: aequali Patri sessione sublimis Filius, a reis hominibus carne damnatur. Rex ille celestium virtutum, rens agitur; qui quis invisiili manu creaturam universam continet, manu scelestissima cædit: is, quem angelorum millia laudibus celebrant, ludibria ac injurias sustinet; qui quis gratiarum corona ornat hominem, spinea corona caput cingitur. Verberatur, qui naturæ sanat vulnera: nudatur corpore, qui deitate lumen induit sicut vestimentum<sup>60</sup>; qui, inquam, nostram ex transgressione nuditatem tollit, ac tenebrosum indumentum splendentibus nobis tunicis commutavit. In cruce suspenditur, qui excelsa cœlorum fabricatus est. Qui sedet super solium excelsum et elevatum<sup>61</sup>, clavis configitur: qui, inquam, fundavit terram super nihilum<sup>62</sup>, qui inconcussa ei fundamenta suum ipsius fixit præceptum. Felle et aceto potatur, qui jugem aquarum naturam produxit. Lancea latus vulneratur, qui nostra curat vulnera; qui quis ad natum nobis ex peccato cicatricem depastionem sistit.

Verum enim vero quænam illa tua, Domine, incomparabilis sustinentia, quive illi, quorum causa hæc pateris? Pro malis utique hominibus, bonus ipse Dominus, humana carne moreris: pro hostibus ac inimicis, tu pacificus; pro homicidis, ipse innocens: pro scelestis intersectoribus, justus ipse iudex interficeris. Pro bestiis molientibus insidijs, Agnus innocens jugularis; pro immanibus judicibus, dulcissimus Dominus condemnaris. Quonam modo per hoc tempus universi dispositio suum ordinem servavit? Qui non elementa dissoluta sunt, ac confusa omnia, impetuque ac motu incomposite in inconditam molem ac chaos coiverunt? Quonam modo terra sustinuit audax facinus? Cur a sua non diffugit sede, nec sivit ut abyssus mundum totum aquis obrueret? Hæc tu, cum ligno confixus essem contiguisti: ac terram quidem in chaos subsidentem erexisti; mare autem adversus eam, ac ejus incolas furore percitum, repressisti. Sic cum cœlestia, obscuratis luminaribus, quain tuam mortem moleste ferrent, ostenderent, non permisisti ut res omnino ad interitum cederet; sic incorporeorum ministrorum indignationem, justumque furorem cohibuisti. li namque e cœlis aspectantes, ac circum Calvariae locum volitantes, verba ejusmodi adversus humanum genus inclamabant: O malas creaturas! O crudele genus, quod talia adversus Dominum suum præsumperit! O naturam peccato addictrionem, quæ furore tanto adversus Creatorem suum

insanivit! Sine, Domine, ut justam eis inferamus poenam. Sine ut innumerabilium, quæ patrarunt, scelerunt, supremam tandem luant poenam. Vide enim ad quantum iniquitatem promoverunt. Adversum te beneficium suum cædis avidas armaverunt manus: adversum te justum, injustitiam concinnarunt: adversus vitam, mortis sententiam tulerunt, qui erant rei mortis; scelesti congregatio, gens prorsus abominabilis. Tibi enim vero cedentes ipsi, qui pro eorum salute sic indigna pati volueris, omnipotenti tua tenemur manu, quamobrem etiam differimus justam vindictam: tuam vero illam incomparabilem patientiam pleni stupore laudamus; quod justus, pro injustis moriaris; quod potens, pro imbecilli hostium turba corpore doleas; quod ipse universa continens, in cruce volens tenearis. Sic itaque creature Dominicam deplorans passionem, ipso ejus qui patiebatur inhibebatur præcepto, ut ne in homicidas impetu rueret, neve in dissolutionem cederet. Verum, operæ pretium sit, ut quod perstrinximus argumentum, resumentes, eo præduce salutarem passionem dilaudemus. Sic enim ad universæ illius dispensationis laudem præverit. Habet ergo hunc modum lectio quæ præcessit:

*Stabant autem juxta crucem Jesu, Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene<sup>63</sup>. Reliqui quidem sacri evangeliste concorditer aiunt, mulieres quæ convenerant, a longe stetisse, ac inde quæ patrarentur spectasse: hic autem, juxta ipsam crucem Matrem Jesu, ac Marias duas, stetisse. Nunquid ergo aliqua discordia est, inter præcones veritatis? Absit! Omnes sane noti, necnon mulieres quæ simul secutæ erant, præ timore non audentes proprius accedere, a longe ea quæ gerebantur considerabant: Mater vero proprius semper assectata, propinquior erat ac immobile perseverabat. Pro ratione enim incensi in Filium miserantis animi affectus, fortitudinem auditisque animi constantiam ostendebat. Cum itaque solam constanter perseverantem viderent, majori præ reliquis fortitudine ac compassione habentes, duæ ille feminæ, ad eam sibi accedendum putavere, quo præsentia et sermone, solatii aliquid liceret adhibere. Cæterum divinus hic Theologus, solum meminit ut mater Jesu cruci astiterit: ejus autem vel ante crucem, vel post ipsum, constantiam ac assidue adhesionis, neque aliis quicquam ex evangelistis, apertius videtur meminisse: causam vero cur ii minime referant constantem ejus post crucem assidentiam, etiam ipsi dicenus, eum ad eum locum Christo auspicie devenerimus.*

Quia ergo Filium videbat ad salutarem properantem passionem, ne ad breve quidem tempus ab eo disjungi ferebat: Quamobrem cum ubique sequeretur, nec cum celebrata sunt mysteria, defuit: non ita ut recubuerit cum duodecim,

<sup>60</sup> Psal. ciii, 2. <sup>61</sup> Isa. vi, 1. <sup>62</sup> Psal. ciii, 6. <sup>63</sup> Joan. xix, 25.

sed ut ejusdem cum eis tecti particeps fuerit. Ipse quidem, quoniam festinabat discipulis mysteria tradere, ac altæ humilitatis exempla præbere, soios secum duodecim fecit recumbere: matrem autem sivit habere curam mulierum quæ ministabant, ac eis præesse, ejusque opera, suo eas convivio vicissim impertivit. Aliunt enim sacri precones, multas fuisse quæ ministerii causa pro loci opportunitate sequerentur, quas tunc necessario in unum collegit, cum ratio celebrandi Pascha, tam temporis usus. Sic itaque, neque ab ipsa putamus absuisse nocte, qua Filius tradebatur ad salutarem necem: quinimo assuisse, ac certamina dividenter; seu magis, quod illa maximum haberent, in se recipiente; dicta factaque omnia clarius aspexisse atque audisse. Discipuli quidem omnes, repente ex metu dispersi, nec ipsa perspicue satis Domini ad eos qui convenerant verba perceperunt; Maria vero nihil verita, sequebatur pariter, universamque eorum quæ fierent considerabat veritatem. Omnino enim vinebat charissimi pignoris desiderium præsentium periculorum exsuperante magnitudinem. Sic plane, cum in Annæ ac Caiphæ atrium convenisset, injustamque scelestorum hominum sententiam, ac singula facinorose præsumpta, diligenter scrutans perdiscebat.

Quis enimvero enumerare sufficiat, quanta id temporis tela viscera ejus pervaserint? Quis ejus dolores, vim omnem sermonis ac rationis superantes, sermone enarraverit? Tametsi enim inexpugnabilis erat, ac naturæ affectionibus superior, fervens nihilominus amor quo ad desideratum habebat, exsuperansque impietas, ac ferocium hominum insanias, intolerabilem ejus animo tristitiam creabant. Qui enim optimum Filium Dominumque a malignis servis comprehensum, agnumque mitem ac innocentem ab immanibus tentum bestiis videre sustineret: ac eum quidem mansueta ipsis ac leni affantem voce, amentes autem illos ferali ac crudeli clamore ac rugitu frementes? Qui animo habebat, Filium sequens cum raperetur, ac interim dum inductus sisteretur ac judicaretur, constanter manens? Quomodo egredientium transitus diligenter considerans, omnium ora observabat, num quod judicum sententia sedisset, renuntiarent. Ubi autem unanimes omnes in cædem adversus eum conspirare videret, ejus impensis augebatur dolor. Nullus enim tunc erat qui veritati patrocinaretur; nec quisquam vituperans, quam Judæi injustitiam peccabant, atque in scelus inelamans, ejus animi leniebat tristitiam. Concilium universum, in cædem anhelabat: universum iniquam spirabat sententiam: ne unus erat qui justitiæ accederet. Nam et sinceri ipsi amici aufugerant; alii autem præ metu, veritatem celabant. Quin et discipulorum ac amicorum princeps abnegaverat. Sic sola invictum

animi robur servans, rebusque adeo arduis ac tribus constanter perseverans, si quos leniores a tribunalii egredientes vidisset, percontabatur, velut utique docenda crimen, quidve adversus justum reum decretum esset. Quænam, inquit, viri, causa est, ut hic peregrinus tentus fuerit? Quodnam ei impositum est crimen, cuius nunc reatu tentus est, atque in judicium actus? Quonam damnatur suffragio? Quo ad eum animo habent judices? Quam in eum proferunt sententiam? Num ullus veniae locus? Au omnes indeprecabilem rigorem ostenderunt? His itaque ac similibus percontata verbis, non mollius quidem, ut ne reprehenderetur, miserationis tamen affectu, accensam animo flammam, quæ teneretur, prodebat: ac partim quidem, compellebatur in publicum proferre, partim ut suspicionem vitaret, vi comprimebat: nou velut certamen pro ejusmodi detrectaret; sed id diligenter cavens, ut ne quid præter morientis voluntatem faceret.

Quia autem necesse erat, ut etiam transmissum ad Pilatum ac Herodem assectaretur, qua ferebat mente videns circumagi ut maleficum? Quo precor animo videre poterat nunc quidem publice damnatum ac flagellis cæsum; nunc autem a militari comprehendens manu, innumeraque ab eorum malitia sustinente opprobria? Ut, inquam, vivifica illa facies, profana reciperet scelestorum hominum sputa. Qui rogo potens animi erat ut oculos omnia contuentes, velo contueretur obductos? Hoc enim illud vult: *Colaphis cædi; aliasque percutientes genas, ac sanctissimum caput ludibrio acclamare: Prophetiza nobis, Christe*<sup>64</sup>. Quomodo caput illud quod veneratio habebat; quod velut Creatoris ac Filii caput osculans adorabat: spinea corona obcinctum ac arundine percussum: omnique majora honore, ac desiderabilia ipsi membra, ignominiose nudata, ac clementiam purpuram induita, aspicere poterat? Haec illi inumerabiles conciscebant mortes. Horum quodlibet, ante etiam mortem Dominicam, lethale illi vulnus infligebat: ac revera sic habebat; sua tamen patiens ipse virtute, levius faciebat.

Quis enimvero ejus viscerum depascentem flamman cogitaverit, quo tempore Filium ad spontaneam procedente mortem, constans aspectabat? Ut, inquam, velut agnus innocens, Dei ille agnus duceretur; ut velut reus traheretur, ipse qui tollit peccatum mundi; ut leni patientia homicidarum ferret audaciam; quam leniter ad eos haberet; quam dulcissimo intueretur aspectu; quam blande alloqueretur: quam impositam humeris crucem imperturbate suscepisset. Priusquam enim Simon ille Cyrenæus iis occurseret, qui opus urgebant, docet Scriptura fuisse ei crucem impositam<sup>65</sup>. Sic quoque mulierum quæ una comitabantur, plangebantque, lacrymæ vehementiorem ei dolorem incusserunt: haudquaque vero illæ, sed Domini lenissimus ille ad eas sermo: *Filiæ*

<sup>64</sup> Matth. xxvi, 67; Marc. iv, 65. <sup>65</sup> Joan. xix, 17.

*Jerusalem, nolite flere super me*<sup>66</sup>. *Quam voce hac cor Marice immuniter discriptum est! Quam totum concussum!* In quam grande impotensque incendium ardoris ejus flamma erupit! *Quis enim auditis verbis ejuscemodi non fuissest flexus? non cera omni evasisset mollior? non fuissest motus ad misericordiam, tametsi saxeus valde ac inflexibilis?*

Postquam autem deicidæ homines venissent ad Calvariae locum, ac sollicite quæ ad salutarem mortem inferendam erant urgentes, crucem fixissent, ac cum vestimentis quibus induitus erat, nudassent; clavorumque immanitatem acuentes, ipsi se suppedaneum gradum ad ascendendam crucem, sanguinaria voluntate fecissent, tunc dirior in Mariam gladius adactus est; tunc doloris in eam recta ibant spicula. Quo autem modo anima non a corpore recessit? Quomodo non fuit divulsa illa ejus conjunctione? Quomodo ferre potuerunt oculi, cum suum lumen viderent condescendere crucem? Quomodo pupillæ non diffugerunt, enī intemeratas palmas parcidis sponte manibus exorrectas aspiccerent? Quomodo non sunt dissolutæ compages, confixis cruci ejus membris, qui universum continent? Proh! quomodo clavus manui insigebatur, ejus autem cordi impingebarat plaga lethalis? Quomodo dum interim singula membra perforarentur, miserabilius animo sauciabatur. Quomodo stillabant e vulneribus guttae sanguinis, acerbiores autem ab oculis lacrymarum rivi fluebant? Quibus oculis eum corpore suspensum aspiciebat, qui deitate lumen induit sicut vestimentum<sup>67</sup>? Quomodo eas vestes, quas suis ipsa manibus fecisset, utque intemeratas, ac Dominico corpori quondam adhaerentes venerationi haberet, profanas sibi ac sacrilegas manus sortito dividentes cernebat<sup>68</sup>? Quomodo contueri potuit expansum in cruce-corpus; lenissimum in ipsam ac universos aspectum; manus-tudinem illam, ac alienum a vindicta animum, in eos qui illudebant, inque blasphemantem latroneum una cum eo cruci affixum<sup>69</sup>? Haec enim altiorem quam adacti clavi, dolore cruciando infligebant plagam: transcurrentium, inquam, dieteria; assistentium derisiones; insultantium atque illudentium voces; subsannationes; capitis nutus cum ironia; innumerabilia parcidarum convicia: omnes enim peraque nece graulantes, illudebant. Hoc quoque olim Propheta divino afflatus Spiritu prædictit, dicens: *Sustinni qui simul constristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni*<sup>70</sup>. Tum vero, ad hoc ut ne contristarentur, ac consolari curarent, exsuperantem insaniam ostendit dicens: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me acetum.*

Sic itaque innumerabilibus adeo tristium gravius sauciata vulneribus, conabatur quidem propius accedere, ac tristis aliquid sermonis cum dilecto

miscere; verum submovebat militaris temeritas, multaque illa circumstantia turba. At ubi decidiebat homines quidquid animo constitutum haberent, scelestè adimplessent, iamque tandem interfecisse putarent; ac turba quidem domi, milites autem quodam illic loco epulis intenti essent; tunc plane, tunc ab iis libera qui comprimebant, cum secure prope adeo accessisset, ut liceret crucem contrectare, osculabatur intemeratos pedes, quasque clavi cicatrices fecissent complexabatur; ac sanguinis decurrentis rivulos hauriebas, oculis ac pectori adhibebat: atque in ipsum intendens, verbis ejusmodi fletu alloquebatur: « Quid hoc, Domine, vult? Haec sunt ineffabilis illius benignitatis, qua te nobis inclinasti, retributiones? Hoc tuæ illius magna misericordia præmium? Talia tibi rependerunt, quibus bene fecisses? O iniquissimum facinus! O sceleratam sententiam! Iustum te injesti condemnarunt: rei homines nulli obnoxium criminis morti addixerunt: ingrati ac improbi beneficium occidunt. Mali servi bonum Dominum suspenderunt. O execrandum consilium! O livorem sic adversus meum lumen furore exasperatum! O cædem, sic in virginalem meum armatam partum! Quo te nefando ausu, universorum vitam, homicide corporaliter occidunt? Vitam, inquam, deitate quidem immortalem, mortalem autem carne propter œconomiam. Quorum a te scelerum exigentes poenas, inquam adversus te necem moliti sunt? Quod juste crimen vindicantes, horrendum hoc spectaculum exhibuerunt? Sicne pro magnis vicem hanc excogitaverunt beneficiis? Haecne, præ innumerabilibus bonis, ipsoque creationis ac conservationis rependunt munere? Tene occidunt pro mortuis quos suscitasti? Pro iis oculis quos illuminasti, id studio agunt, ut corporales tuos oculos claudant? Pro multis illis sanationibus, tua mihi desiderata membra perfoderunt. Pro eo quod leprosus maculosa deformitate, quam vestis instar induit essent, nudasti, te nudaverunt jubar mihi dulcissimum: nudaverunt justitiae Solem: nudaverunt deens mihi formosissimum. Terebrarunt illius membra, qui ueniam castitatem intemeratam servavit; qui virginitatis ac puritatis meæ illæsa signacula voluit. »

« Utinam vero liceret, tua in me, Fili, cruciamenta recipere! Utinam clavi illi meis possent infigi membris! Utinam tormentorum tuorum dolores in meo ipsa sustinerem corpore! Esset forte tolerabilis cordis dolor: nunc enimvero intolerabilia sunt ei impacta teli; animi dolor tantus est, ut minime ferri possit. Tu quippe doles, mea viscera: tu proles occideris, per quam mihi constat halitus: singularis, tu mihi unigenitus Filius. O dirum facinus! Occide, sol, qui meum ac mundi lumen corporaliter occidere videoas. Horre, cœlum, tristique habitu lamentum mihi mutuo agita: luge, comun-

<sup>66</sup> Luc. xxiii, 18. <sup>67</sup> Psal. cii, 5. <sup>68</sup> Luc. xxiii, 34. <sup>69</sup> Luc. xxiii, 39. <sup>70</sup> Ps. l. lxviii, 21.

nis Domini necem considerans. Ne tu, terra, æternorunque fundamentorum basis; ne montes, saltusque lene tuleritis iniquam cædem. Commovemini, inferna: luctum age, pratorum universa venustas: nam ecce qui varietate florum ornatum contulit, ignominiose in ligno pendet; qui florum suaveolentium venustis coloribus decorem adhibuit, indecorus ac speciem non habens qua homo suspensus est: vera, inquam, illa pulchritudo, species invariabilis, perpetua jucunditas Matris. »

« At, o Fili, dulciores deliciæ! O meæ incolumitas animæ! Nunc sola, venerabilibus tuis cruciamentis affecta, crucior: sola acerbiores dolores tuos in pectore meo recipio: Nemus enim est, qui tristium mihi sit particeps; nemo qui mecum vulnera dividat. Quanquam astantium aliquis propter cædem dolet, haud tamen ille ut materna doleat viscera; non ut naturæ punctus aculeis; non ut dupliciti charitatis igni adesus; ut non duplicitibus ac violentissimis nexibus implicatus. Dei namque immutabilis verique Filii affectio, vehementius trahit, succendensque depascit. Immensum itaque excitatum incendium; longe superant maternos partus dolores, sublatæ flammæ: acutior passionis tuæ gladius a imum pervadit: acerbiores sunt, quam natura habeat, tanti mei labores: nam et partus ea superior est. Quanto is porro mirabilior est, tanto viscera gravius diserpta vulnus habent. Plane vero desideratissimum habuisse, ac mitius præ doloribus qui tenent, ut in me clavi penetrassent: ut tuos cruciatus receperissem in membris meis; ut innumerabilibus ludibriis ac verberibus, quibus per summam injuriam affectus fuisti, dehonesta essem; ut pro charissima prole, maternæ manus vulneratæ essent. Enimvero nequibat sic habere, cum tu solus pro omniibus mortem suscepturus essem, qui solus Creator eras, eamque ob rem in mundum verisses. Ego autem quid agam? Qua ratione horrendum hoc spectaculum seram? Quomodo videns, ante quidem pretioso sanguine cruentatum dorsum, nunc autem rubricata membra, sustineam? Quomodo iterum oculos, mundi lumina, clausos aspiciam? Quomodo linguam ac melliflua labia, quibus nuper suscitabas mortuos, ac dæmonibus imperabas, vel ad modicun silentia videam? »

« Abi nihilominus, Domine, ineffabilem hanc dispensationem impleturus: abi, bono omni desiderabilius Fili, ut congruum tibi honorem conseruari. Nec enim jam te amplius corporaliter suu amplexatura decus meum: quam enim assumpsisti naturam, divina tua sede sublimem collocataum habes. Non jam amplius maternarum officio manuum ornatura sum corpus tuum; quippe elevas ad propriam gloriam, qui a prima gloria nunquam recessisti. Quanquam enim deitatis præsentia cum Matre versaturus sis, non tamen ut olim; non ita ut amplexetur; ut dulci tuo aspectu jugiter perfruatur; ut corporeo tuo decore delectetur. Ac quidem, su-

premæ mihi glorie ac lœtitiae causa sit, ut tecum animo verser, teque continue alloquar, morte tua universorum salui provide consulente, assumptamque conspersionem in sedem propriam sublevantem: tenet tamen angustia, ac torquet visceræ, quæ dolentem te ac morientem aspiciam, innumerabilibusque astantium cruci, ac transeuntium opprobriis appetitum: eosque demum, quos tanta illa providentia oportebat meliores fieri, ipsos se, in perditionis barathrum, videam impellentes. Ceterum illi sic habent, pro ea voluntate, qua in cædem bacchantur: tu vero aliquid Matri loquere, vale dicens, qui a nulla re absens agis. Loquere dulce ac vitale verbum, ut futuri deinceps temporis qualunque illud solatium habeam. Testare de tua Matre, qui eam quoque uti mundum universum gubernes. Dic sermonem, nunc quidem auditu dulcissimum; firmum autem ut perpetuo teneatur. »

Hunc modum Dominus, amarissimis naturæ jaculis sauciatam Matrem aspectans, ignemque imis præcordiis accensum, qualem foris labia prodellant, scrutans, desiderabilem emitte vocem, sono magis, quam verborum textura recreare habentem. Hoc enim cupienti animo quærebatur, ut vel nudæ tantum vocis sonum, proferente amantissimo, audiret. Hec autem talis erat, ut paucis testantis omnia indicaret. *Mulier, ecce, inquit, filius tuus:* nimirum commendans eam discipulo. Tu vero rursum considera nature in ea ignem vehementius accensum, incontinentem viscerum excitatam flammam. Dicendo enim, *filium,* in memoriam revocavit novum ac ineffabilem partum: animo suggestit mirabile philtrum, amabilem conversationem, maiorem luctum quam ut ratione concipi queat. Prodidit item blanda Filii ad Matrem verba; sublimem illam ac mirabilem subjectionem; ejus ad eum gloriationem; desiderabiles ac honestate plenos congressus; ac demum fore, ut ii deinceps sermones minime congruerint: ut minime sit cum ea jugiter in carne, ut prius, postmodum versaturus; quippe qui ad gloriam suam festinus pergeret. *Ecce filius tuus.* Scitis qui rem usu didicistis, quam commendationes ejusmodi ab iis qui inigrant, ac vivis excedunt, perstringere valeant; quam commoveant viscera; quantum mœrorem, quantum dolorem pariant. Eum enim quem olim amore prosequabantur, ac quoicum jugiter conversabantur, insueto homine commutant; denuntiaturque abire eum qui per omnia notus erat, ac curam gerebat, eumque præsto fore, qui in plerisque ignotus est.

« *Ecce filius tuus.* Me quidem, inquit, habes, qui præsentia deitatis adsim, tibique ut Matri curam adhibeam; habes nihilominus dilectum quoque discipulum, qui filialis in te pietatis officia omnia impleturus sit; qui debitam gratiam uti parenti retribuat. In cum pro corporali mea præsentia intuens, intolerabiles tuos mœrores solare. Diriorum dolorum partem maximam seda: gravissimam nature tristitiam beneficij magnitudine leva. Evidem se-

caris animo, ignisque violentior depascit viscera, ac diro vulnere sauciari. Nec enim naturale tantum, sed et naturali majus est, eximiumque tuum in me desiderium; nec fieri potest ut insensibilior videaris. Aliquid nihilominus dolori substrahendum, cum sis Mater mea, nec te arcani consilii ratio lateat. Ejusmodi namque passionibus, mores a passionibus liberos figmento concilio: placuit ut talibus ignominiis, humanum genus ignominiis habitum, honore augerem. Haec injuria, maxima quædam ac præclara mea gloria sunt, qui patior carne, tuorum autem magnalium declaratio ac præconium. Habens itaque quem amicem supra pectus reclinavi, tristibus quidem impone finem, meumque, cum illo ac sociis versans, adimple locum. Tibi enim per eum reliquos item discipulos commendatos volo. Quando autem libuit ut cum eis versarere, ac in vivis hactenus ageres, tuam eis præsentiam pro carnali mea præbueris. Esto illis, si qua moris est ut matres sint filiis; seu magis, quod ego præsens fuerim: ipsique vicissim, quæ sunt filiorum ac subditorum, præstabunt tibi. Congruum tibi cultum ceu Matri Domini sui persolvent; ut per quam ego ad eos venierim; ut quam ad me medicare faciles impleturam inducias habeant.

Cum sic ergo Matrem blande compellasset, discipulo quoque injungit, dicens: *Ecce Mater tua. O discipuli excellentem honorem!* O hæreditatem universa rerum substantia diorem! O quanta gratia dilectus evangelista donatus est; ut universorum Auctoris frater appellatus sit, inque sortem ac partem Matris omnium Dominam accepit! *Ecce Mater tua.* Ecce, inquit, eam tibi mei loco commando. Hanc tibi nunc, ad meam ipse gloriam vadens, pro me visibili relinquio. Huic tu, velut filius meum in eam repende debitum, tuamque illi, ut Domini ac præceptoris Matri, venerationem adhibe. Meam quidem deitate præsentiam jugem habitura est, habeat quoque indeficienter obsequenter tuam operam. Tu quidem sermone, ego opere ejus vim doloris intolerabilem levare habeo. Tu debitam ei consolationem impende; ego perseverantem omnino constantiam adjiciam. Nunc enim ut parentem, nedum tui, sed et reliquorum discipulorum constituo ducem, ac Matris prærogativa absolute honorari volo. Quanquam ergo prohibui ut ne patrem super terram vocaretis<sup>71</sup>, volo nihilominus, ut hanc Matrem honoretis ac appelleatis, quæ mihi cœlo altius tabernaculum fuerit, ac voluntatem a consueludine naturæ alienam ostenderit.

Cum sic ergo optimus Dominus inenarrabili longanimitate testamentum condidisset, accurruunt iterum velut agmine immanes bestiæ, ac gyro cruci astantes, innumerabilibus certaminibus claram Matrem, a tanta illa nati adhæsione ac familiariter col-

loquio arcent. Quæ porro certamina martyrum; quæ membrorum divisiones; quæ concisiones corporum; quanam subtili inventa arte carnificinæ instrumenta, gravi adeo cruciati Mariæ animam potuissent afflictere, uti eam innumerabiles Domini ac Filii passionum enses divisere, inque dolorem immensum conjecere? Sic plane tot modis scissa anima, haudquaquam in corpore remansura erat, nisi ipse qui patiebatur, retinuisse: nisi suo Deus nutu ejus constantiam adjuvisset. Quia jam ergo œconomiae sacramentum implebatur, nec quidquam eorum quæ a prophetis prædicta essent, omitti oportebat; ipsa quoque fellis acetique sumptio finem habuit, media siti confessione. Ait si quidem Dominus: *Sitio*, sed et Judæi tantam sitiabant exhibere furoris insaniam. Porro exsequebantur tantæ temeritatis portenta, non propter propheticæ necessitatem; sed magis propter eorum obstinationem improbitatem, vera prophætia et præcessit, et impleta est. Vide autem, ut ea res majorem præ anterioribus Matri dolorem conceverit. Mox enim ut illa vox emissa fuit, ea statim cor ejus laceratur: eratque videre sub ipsa sermonis verba, ardentiore correptam flamma ac animo dissectam, miserabilique oculo intendentem in præsentem turbam, ac universos enixus roganem, ut juvarent, ac aquam porrigerent, quam charissimi pignoris ori adhibens, corporalis siti illius ardorem temperaret: atque id quidem sollicite agentem, nec opido tamen invenientem: aut siquidem invenientem, non tamen implere valentem, vel deficiente quo propinaret, sublinnius elato pendens capite, quam ut manus ad usque os posset pertingere, vel etiam submoventibns homicidis, eum illi jam occupassent, ac acetum tradidissent, nec quemquam humanis uti suspenso permitterent. O quantas Verbi passiones sustinuit, nobis quidem vacuos a passionibus mores concilians, facinorosis autem ac incredulis æternas inde penas inferens! Una itaque cum cruce ac clavis myrratum vinum<sup>72</sup> per exsuperantem furorem detulerant. Dabant, enim inquit, ei bibere, priusquam in altum tollerent, et noluit. Accipientes autem ex eo quod in promptu esset, ceu a vino furentis animi pravitatem impleverunt. Enimvero quam illa graviter doluit, ut ori spongiam admovissent? Quomodo ubi fel intemperata labia tinxisset, acerbiores flammæ ejus viscera pervaserunt? Quomodo gnstante eo, qui universorum dulcedo est, propinatum acetum, amarus doloris ejus animo inundabat torrens? Quales ex imo pectore emittebat gemitus? Qualia lamenta? Qualibus irrigabatur cælentissimis lacrymis? Verum nulla alia mens, nullus sermo, hæc satis lugubriter proferre possit. Omnino enim deficiunt, uti etiam a magnitudine rei. Solius filii sit, ac matris reipsa experta, ut et neverint ista, et pro eorum ratione enarraverint.

Sic itaque consummato horrendo mysterio, tre-

<sup>71</sup> Matth. xxviii, 9. <sup>72</sup> Marc. xv, 37.

more audivit terribilem vocem illam, qua spiritum in Patris sui manus commendabat. Ut porro auri- bus percepit, vidiisque, parum absuit, ut ne una cum Filii sanctissima anima migrans, omnino passionem compleverit. Verum, divina virtute, ac ineffabili roborante constantia, ad proximae jam resurrectionis laetitiam animo erigebatur : quamobrem etiam considerabat quomodo sepulturæ tradi posset. Hæc porro ea cogitante, ac prudentissimo consilio meditante, prioribus dirior alius in eam mittitur gladius ; intemerato filii latere sub ejus suffosso oculis. Vitæ enim auctorem mortuum, adhuc corpore pendente, bestiis omnibus crudeliores milites, vulnerarunt, nec reveriti divinam ultiōnem, nec a natura ipsa colibiti, cuius est in mortuos omnes commiserationis affectus, vel si hostes ac iuimici prius extiterant. Sic enim trahuntur a defunctorum corporibus, ut quanquam aliqui duri admodum existant ad miserationem, haud tamen sine lacrimis spectaculum ejusmodi transeant. Verum saxe illi, enorimesque, ac immanitate ferrei, nihil communis naturæ affectionis habebant : quinimo, videntes inanimatam ipsam creaturam compatiētē, vixque non lugentem ac lamentantem salutarem passionem, ipsi magis exsuperanti furore ac impietate, pendentī insultabant, nullisque impiis ausibus exsaturatis odiis, vulnerabant. Sic enim vero illi in latus vitæ fontem debacchantes, ab eo recesserunt, qui jugem nobis ex illo manare voluit immortalitatē.

Porro Mater, altius plaga hac animo vulnerata, iterumque atque iterum eum invocans qui sustinere dignatus esset, verbis ejuscemodi plorans affabatur : « Ne modo quidem, Domine, viri parricidæ a suo in te furore cessant ? Nedum satiati sunt cæde ; non frangitur durus eorum animus, cum eo te habitu pendente videant : non flectuntur, cum sic mortuum nudumque clavis confixum aspiciant : non miserentur, videndo medium facinorosorum hominum jugulatum, ac eū projectum derelictum ; sed crudelissimo furore insultantes, te, dulcissima viscera mea, vulnerant. Vulnerant te, qui sanas naturæ vulnera : fodiant latus, perpetuae vitæ manans latices : nihil parcunt plagis, factis pariter verbisque ingruentes ; aut cedunt quidquam. O vincula, et leges, ac naturæ compassio ! O justos ejus mores, in defunctos sanctæ ! O humanam mansuetudinem, moresque, ac notæ ! Ubi vero nunc illa, ac in quibus ? Recesserunt a presentibus : avolarent a maligno deicidarum consilio. Enimvero mea sit ac socioram, quæ ex vulnere stillat vita ; temerari autem videbunt, quando sunt pœnas daturi. » Sic itaque miserantis affectu oculis intenta, ac affata Dominum, quæ ex ejus latere desfluebant sanguis et aqua, colligebat : multoque desiderio ac honore accipiens, tota in instauratricis sepulturæ curam incombebat : atque ut depositum e ligno intemera-

tum corpus, neque ipsi ex tali spectaculo dolorem augeret, neque sepultura carent, vocandæ in dubium communis reformationis causa foret.

Ut autem non licet, ut id ipsa per se impleret : tum quod laboraret necessiorum penuria (erat siquidem in terra aliena, ipsa pariter, notique a longe aspicientes) : item ut ne cui vivissem corpus suspensum tollendum reliquens, ipsa interim ad divites, ac postulandum pro eo hoc illuc discurreret : cum, inquam, multa eam rei hujus sollicitudo haberet, secumque ipsa locum congnitum, ac mouimentum condendo Dei corpori opportunum invenire cogitaret, rei facit copiam, qui æterno jam consilio omnia præparasset ; id animo cogitationis injiciens, ut viciniorem Calvariae locum exquireret. Erat vero id quoque illi plane consultum, quo et negotium consci ë posset, nec ipsa ab aspectu sacratissimi corporis recederet. Ubi sic itaque animo constituissest, pedes quidem abibant, anima vero non migrabat : ac corporis quidem gressus mutabat, semper autem oculos intentos habens, ne vel momento sacri pignoris aspectum omittebat. Cum ergo perquires, opportunum monumentum invenisset (nam erat novum : latamque totus circa locus, ac tutam speciem præferebat ; hortus quippe existens, utroque ornamento decorem habebat) : percuntatur eujusnam esset, numve notorum aliquis possideret. Sciens porro, virum esse amicū ac eorum unum qui discipulis accensi essent, tametsi adhuc erat occultus propter homicidarum metum ; sic enim divinus evangelista, *Occultus autem propter metum Judæorum*<sup>73</sup>, ad eum vadens, proponit bonum consilium, rogatque ut universorum vitam, suo ipse sepulero condi velit ; talibus eum compellans.

« Judæorum quidem, o Joseph, cædes jam finem accepit, sua Magistro longanimitate tanta dignato pati. Nulla enim quantumvis enormi adversus eum abstinentes injuria ignominiaque, probro tandem plenam mortem intulerunt. Ac modo sane mortuus in ligno, ac nudus pendet, horrendum mihi universisque creatis spectaculum ; nemine miserante, sed magis adhuc parricidis illudentibus. Beneficium itaque, cum illi eū magistro, tum matri, eujus animum tristitia dire laniet, concede ; assumptaque fiducia, supplicationem propone. Depone corpus, tibiique propositum mundi thesaurum collige. Fac gratiam peregrinis nobis egenisque, quos universi oderint, ac aversentur ; quos omnes abominentur, ac irrideant ; quos noti ac amici deseruerint ; quorum nemo misereatur. Nullus enim est qui protegat ; nullus qui auxiliator accedat. Nemo audet corpus petere : nullus consilium ejusmodi in animum induxit : occurrit nemo qui funus curaturus sit. Mihi porro, ut vides, neutrum modo præstari potest, quæ sola, uno duntaxat discipulo sociante adstem, ac neque apud Pilatum gratia polleam, nec alioqui

<sup>73</sup> Joan. xix, 58.

opportuna funeri comparare possim. Nulla nobis succurrerit via, ut et pendentem tollere, ejusque nuditatem operire valeamus. Milites enim acceptas vestes sibi diviserunt, ne extrema quidem tunicella relicita, quod quidem mihi triste, totique insensibili ipsi creaturæ tremendum, parricidis autem jucundissimum ac probrosum est. Age itaque, degeneri universorum timiditate ac pusillanimitate superior effectus, abi diuīnum postulaturus corpus : ne jam ultra parricidarum timueris impetu : eorum universus furor ad usque Filii cædem stetit. In meo hactenus lumine insidias finierunt : ad usque neceni chari pignoris temeritate promoverunt. Vade ergo nihil veritus : ipse enim qui sponte pati dignatus est, incolumem te servabit. Ipse gratiarum cumulos tuis verbis addet, atque a præside exaudiri præstabit. Ille namque, o Joseph, quanquam volens ut homo passus est, terram nihilominus qua Deus concussit, petras scidit, monumenta aperuit, mortuosque ab inferis extraxit. Ejus mortem obstupuerunt angeli ; eam elementa reverita sunt ; luminaria perpetua luce splendida horruerunt, ac tremore radios contraxerunt. Ille porro processu clarius videbis, atque ad postulandum affectu urgeberis. Neque enim cunctandum est ac differendum, aut ulla concedenda dilatio communis reformationi. Deponito in monumento viviscum corpus, quo corporum hominum resurrectioni viam instruat. »

Ubi igitur Joseph verbis ejuscemodi didicisset ac animatus esset, atque in primis miserabilis ac materno ejus habitu inflexus fuisset, ad Pilatum pergit. Non enim statim audebat; sed nec noverat passionis finem, qui occultus esset ac pavidus, ut reliqui discipuli. Postquam itaque ex ea cognovit, ejusque verbis excitatus est, audentior factus abiit. Postulat ergo, ac universorum Vitam accipit : magnoque sumptu instructa sepultura, festinat e cruce deponere. Euimvero hic mihi quoque astantem Matrem, eamque officio assiduam, ac ad omnia expeditam, considera. Hænsta enim gravitate, nihil degeneris animi exhibens, patienti Filio aderat, suisque ipsa manibus negotio ministrabat. Sic igitur extractos clavos sinu excipiebat, solutaque membra deosculans arctius stringebat : conansque ulnis excipere, sola descensui e cruce propensius inseruire curabat. Ubi porro depositum corpus sanctissimum in terra reclinasset, in amplexus ruens, servidissimis lacrymis irrigabat; lenique voce, ac miserationis affectu plenissimis verbis, hunc modum aliquoebatur : « En tibi, Domine, impletum mystrium, quod præsinitum erat. En tandem accepit finem tua illa benigna œconomia. En oculis omnium propositam inenarrabilem tuam sustinentiam. Nunc enim sine spiritu corporaliter jaces, qui spiritum omnem subministras. Teneo amplexor que exsors spiritus corpus auctoris vitæ universorum; ejus, inquam, qui meum conservat spiritum. Teneo nunc destitutum spiritu, quem haud ita pridem ceu

charissimum pignus in ulnis sovebam; cuius audiabam dulcissima verba; cuius vitam fluentibus sermonibus gloriabar. Immobilia nunc sauciaque ejus membra deosculor, qui desperata naturæ curat vulnera; qui pro universorum vulneratus est sanatione. Ejus nunc mutum os ac silentia stringo labia, qui universam sermonis ac rationis facultate prædictam naturam creavit; qui hominem loquax animal posuit in terra. Ejus deosculor clausos oculos, qui visionis facultatem invenit; qui sola iustitione cœcorum oculis lumen impertivit. Utinam vero tuam nunc dulcissimam vocem audire licet ! Utinam aliqua loquentem videre ! Utinam rursum desiderabilia tua verba percipere ! Enimvero quanquam nunc non licet, citius tamen in resurrectione visura sum, quando instaurationem hominum fauste annuntians, gratiora Genitrici loqueris. Ita diluvians, divinis intemerato corpori funeralibus preciosaque sindone congrue parentabat.

Ubi autem in monumento Deum capiente deposuissent, cum Joseph tum Nicodemus recedunt, Maria sola assidente ad monumenti ostia, ac resurrectionem exspectante. Verum ea de re habendus sermo, diei crastinæ splendori repositus, maneat; nunc autem operæ pretium sit, ut tibi, Domine, pro me passo, ratione colligens, gratiarum actiones dicam; tibi, inquam, qui patientiam ineffabilem exhibueris; qui impervestigabili tua in usum meum demissione, ascensum mihi ab inferni locis conciliaveris. Laudo itaque tuam, Domine, longanimitatem ac patientiam : laudo ineffabilem arcanamque œconomiam. Glorifico incomparabilem misericordiam, qua inflexus, reum me justificasti. Osculari passiones tuas, per quas liberatus fui a passionibus plenis ignominia. Osculari tuam crucem, per quam damnasti peccatum meum : per quam a mortis me damnatione liberasti. Osculari clavos illos, per quos maledictionis excussisti poenam. Osculari perforata membra, per quæ inobedientiae meæ sanata sunt vulnera. Osculari calamum, per quem partam mihi libertatem subscrispisti ; per quem superbi draconis caput atrivisti. Osculari spongiam intemerata tuis labiis admotam, per quam mihi prævaricationis amaritudo versa est in dulcedinem. Escæ suavisimæ loco, fel gustavisse : ceu lætitiae poculum, acetum hausisse : ceu regium diadema, coronam spineam capitii imposuisse : oblinientibus sputis vellut pellucidis margaritis mihi placuisse : illusionibus, ceu maximis honoribus gloriam habuisse : ceu splendidissimo ornatu, percussiōibus tuis honestatus essem. Amanter tibi, Domine, figens basia, tuis passionibus glorior. Deosculor lanceam, quæ meum chirographum discidit ; quæ fontem immortalitatis aperuit. Tuum sacrum latus exosculor, ex quo fluxerunt vitæ flumina ; ex quo jugis mihi incorruptionis rivus manavit. Osculari sepulcralia, quibus me turpitudinis exultum vestes magnifice vestisti. Osculari pretiosissi-

sicutam fidem, qua involutus, adoptionis ne stolam induisti. Oscular sepulerum, in quo meæ resurrectionis initiasti mysterium; in quo mihi ad emergendum ex inferno viam fecisti. Oscular illum lapidem, per quem gravi me timoris mortis onere levasti. Honore eos prosequor, qui vivificæ sepulturæ operam impenderunt, ceu tamè gratiam consequentos. Oscular tuæ Genitricis manus, ut quæ toti illi œconomiae ministraverit; ut quæ sola mper in partus obsequio, nunc autem in sepulturæ negotio laboraverit; ceu quæ pretiosum hauserit sanguinem; quæ intemeratum corpus obvolverit. Plane ei gloriam habeo, ut quæ sola salutaris passionis visa sit-socia; ut tantæ illius gratiæ præconi, immortalitatique nuntiæ, ac divinæ illustrationis conciliatrici. Tu vero, uti enī prima videre meruisti ac annuntiare, o Domina, sic ejus in nobis spiritalem illustrationem fauste utinam annuntiaveris; in ipso Christo dulcissimo nostro lumine: quem decet gloria, honor, ac gratiarum actio, cum Patre ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

## ORATIO IX.

*In immaculatae Virginis in sepulcro assistantiam, et gratiarum actio pro gloriosa resurrectione.*

Vox exultationis hodie nobis exordio sit gratiarum actioni. Prior insonet ac præludat gratulato-riis pro mundi universi resurrectione, vox lætitiae eanticis. Præsenti vox congrue magnifica hilaritati, tubæ clangore laudationem promat. Ei laudes canat pro victoria, qui æternum dissolvit bellum; qui dira pugna victor existit: qui per mortem regnum mortis evertit; qui alligavit fortem, quasne a sæculis tenebat animas, tanquam spolia diripuit. Hodie namque insuperabilis ejus labefactata est tyrannis. Hodie cœlestium virtutum Rex cum adversario carne congressus, illum quidem prostravit, sum vero ipse signum a gravi servitute liberavit. Hodie tremenda tenebrosaque inferni loca vacuans, eos qui tyraunide tenebantur in suam ipse transtulit potestatem. Hodie vite nobis auctor primogenitus ex mortuis effectus, immortalitatis nobis initiat viam. Cœlos hodie pro terrenis naturæ commutat, hominumque generi tristem sortito loenn, Incidam divinamque habitationem ascripsit. Hodie splendidissimus justitiæ Sol aures mittens resurrectionis radios, cum cœlestem decorum, tum terrenam concinnitatem incomparabili supra modum fulgore illustravit. Hodie dulcem plenamque lætitia gaudii vocem mulieribus unguenta ferentibus emittens, sexus tristitias radicibus abstulit ac exsiccavit.

Age vero lingua omnis gratiæ particeps effecta,

clarum mihi laudationem concinnet. Præsto mihi adjutrix sit, cui desiderium vim faciat, quemque deficiat congrui sermonis facultas. Hoc plane, hoc res eximias cogit attingere. Hoc ad res propria virtute majores compellit. Hoc naturæ propriae oblivionem inducit. Huic ut omnes cedamus, haud inglorium sit. Quippe debitum est, ac siet niuns habeat quam pro retributione, nec bonis collatis videatur condigam, ab omni tamen creatora redditur rationis participie; cum utique largitor ipse eam majorum exsolutione debitorum commutacionem velit. Mibi autem, quem amo, divine cœtus, non eo tantum quod debitum sit, sed et propter promissionem evenit, quam priorem, ii quorum interest, exigunt. Quenam vero ac qualis sit ejusmodi promissio, præstat addere. Jam itaque, cum in superioribus, ante monumenti ostium, quod vitam suscepit, Domini Matrem, per id tempus sermo reliquisset, eam bodiernæ servavit lætitiae. Ita enim, cum id cavit ne prolixitate tædio esset, tum consentaneam rationem servavit. Postquam autem deducentis gratia eo occurrimus, ut debiti fides redimenda sit, pro virili ego facultate redempturus festino. Porro commoda sermonis tractatio est, innumeris certaminibus claræ Matris assistentia in sepulcro; circa quam versatur ipse ac debiti ratio. Hæc enim sola, recendentibus omnibus, ut cujus unius viscera vehementi igne succensa essent, animusque virili fortitudine firmus esset, sepulero assidebat, ac assistentia assidua erat, ambosque oculos insomnes servabat. Quanquam enim etiam Magdalenam ac sociam ejus, contra monumentum sedisse <sup>74</sup>, admirabilis dicat Matthæus; id tamen ut aspicerent tantum <sup>75</sup>, cum neque sub ipsum sepulturæ tempus ausæ essent accedere. Quamobrem etiam contigit, ut Judæorum metu perterritæ, ac custodiæ adventu recederent. Porro idem ipse sermonem confirmat, dicens. Sero Sabbatorum, quæ dies illucescit in primam Sabbatorum, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum <sup>76</sup>. Non autem dixisset venisse, que mansissent, nisi et illæ, quemadmodum reliqui recessissent. Sane quidem, nonnulli alteram illam dictam Mariam, quæ non exponitur, Matrem Domini esse existimarent, quam ille prins dixerat Jose matrem <sup>77</sup>; ostenditque clarus Marcus, dicens: Maria autem Magdalene, et Maria Jose aspiciebant ubi poveretur <sup>78</sup>. Quidam autem etiam Jacobi cognominatam putaverunt; quam tamen hic ipse aliam dicit præter matrem Jose, et veritas astruit. Puto tamen eorum id conjecturam esse, qui non veritate rem attingunt; aut ex certo aliquo indicio exigunt, sed ex incertis tantum ac obscure opinabilibus. Unde enim singentes accepterent appellationem illam? Ubinam toto sacrorum evangeliorum contextu, propriissimæ illi Matris appellationi post arcanum illum partum, appella-

<sup>74</sup> Matth. xxvii, 61. <sup>75</sup> Marc. xv, 47. <sup>76</sup> Matth. xviii, 1. <sup>77</sup> Matth. xxvii, 1. <sup>78</sup> Marc. xv, 47.

tionem aliam videmus adhæsisse? *Accepit enim, inquit, puerum cum matre ejus*<sup>79</sup>. *Et: Erat mater Jesu illuc*<sup>80</sup>. *Et iterum: Ait mater ejus ministris*<sup>81</sup>. *Et: Descendit Capharnaum ipse, et mater ejus*<sup>82</sup>. *Et: Mater tua, et fratres tui stant foris*<sup>83</sup>. *Et: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus*<sup>84</sup>. Lucas quoque in Actis ait: *Hi omnes erant perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Domini Jesu*<sup>85</sup>: unoque verbū nusquam quis viderit, nomenclatione a parentibus, aut cognationis habitudine accepta, singularissimum illud, ac honoratum, nominatumque appellatum nomen. Porro firmius quoque rei testimonium accedit verissima theologorum historia. Sane quidem cum dilectus discipulus, eam prope crucem, atque ut fere tangeret, dixerit: reliqui e contra, mulieres istas a longe stare; ac ea quae fierent spectare, narraverunt. Erant enim, inquit Matthæus, ibi mulieres multæ a longe spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Jose mater, et mater filiorum Zebedæi<sup>86</sup>. Hæc vero etiam Marcus<sup>87</sup>, neconon Lucas<sup>88</sup> indefinito sermone affirmant. Quod si etiam scriptum est, fuisse una cum ea prope crucem, Mariam Cleophae et Mariam Magdalenen, juxta redditam rationem credendum est se illi socias adjunxisse. Nulla itaque præfatarum est celebratissima illa, ac illarum quæ eo loco nominantur. Illæ quidem totam noctem ingredientes ac egredientes e sepulcro, apostolis nuntiaverunt quæ vidissent; unde etiam contigit, ut eas magna pars miraculorum resurrectionis effugeret; hæc vero immobiliter ad illud assidens, perspicue magis omnia aspexit, nec statim, sed alio postmodum tempore enarravit.

Nam alloqui quomodo per idem tempus, cum terræ motum, angelique descensum, tum lapidis revolutionem, ad hæc vero etiam custodum exanimationem, ac rursus eorum velut a somno excitationem, neconon quorundam ex illis in urbem adventum, illis abeuntibus, ac subinde revertentibus videre contigisset; nisi ea jugiter assidua aderat, accessori amoris igne excitata? Sic enim, nedum ea quæ per id tempus contigerunt, sed et alia quæque, ex quo tempore Dominus captus est, supra onines perspicue aspexit, nulla ei ratione abesse sustinens, ant quidquam corporis necessitatibus interim indulgens; sonno, inquam, aut cibo; usque dum vivificæ resurrectionis gaudia ac delicias persensit. Evidem unguentiferæ mulieres viderunt quidem lapidem revolutum, ac angelum super eum sedentem; quando autem, aut qua hæc ratione contigissent, non cognoverunt. Matthæus quidem cum visione quam habuerunt, illa quoque gesta describit, ante earum adventum; nimirum, terræ motum, angelique descensum, ac lapidis transpositionem: alii autem visionem solam angelorum, eorumque ad illas sermocinationem, quo utroque donatae sunt,

scripto consignarunt. Sed et ille illud ipsum præterito designat tempore: *Angelus enim Domini, inquit, descendit de celo, et accedens revolvit lapidem, et sedet super eum*<sup>89</sup>. Illud autem, sedet, cum tempus ante adventum, tum postquam advenissent, significaverit. Sola itaque Domini Mater, cum ea quæ præcesserunt, tum dulcem illum ac constabiliensem terre motum cognovit: terræ motum, inquam, quo suscitatis tanquam a somno mortuis, vigilantes custodes fuerunt consopiti: per quem etiam puto ante omnes, divinæ illi resurrectionis delata sunt nuntia: atque ut œconomiae arcano sic aspectu quoque, ac claritate Filii deliciari licebat. Tanquam enim Matri, ac ei cui credita essent œconomiae mysteria, soli etiam Dominus ostendit resurrectionis miracula, nedum excellentius supra apostolos ac feminas unguenta ferentes, verum etiam supra quam angelica ac intellectualis institutio habeat. Sic igitur nullo medio, primæ illi, clara lux ac lætitia resurrectionis afferens: non sic autem unguentiferæ mulieribus; sed eis per angelum, ac per remotionem lapidis significatur. Quid enim imbecillius haberent, neque subito, neque uno eis revelatur modo: sed, qua auditu per angelicum sermonem; qua ex visu per revolutionem lapidis, ejus accipiunt fidem. Quamobrem ubi paulatim ad mysterium manuductæ fuissent, ipse ille, qui vita ac resurrectio est, illis apparebat.

Sic enim sapientia ac prudentia congrue disposita, ut ne se subito exhibens, occasione esset ut præ stupore, uti etiam nonnullis discipulis accidit, phantasma quoddam putarent; vel etiam ut obtinens fidem, in stultum aliquem ac impotentis animi motum a nimio gudio credentes cogeret. Siquidem enim, cum etiam ita res habuisset, mox ut apparuit, improviso quodam ac teneri nescio impetu, intemeratos ejus amplexæ sunt pedes; nisi ita provide dispensatum esset, quam non a decoro excessissent, vehementissimo gudio vien faciente? Atque hunc quidem modum revelantur Marie resurrectionis mysteria, Domini autem Matri, spiritualiori ratione, ac familiarius. Vide sane ejus maiorem cogitatu clarissimam, sinceramque prudentialiam; ut neque unguenta ferentibus feminis, neque apostolis, hæc ipsa per se prius annuntiaverit; sed ut magis ex visu certiores factos, firmiorem veritatem tenere concesserit. Sic enim sapienter admotum in toto se œconomiae gessit negotio, ut non per eam essent primæ notiones; sed ut ipsa quoque peteret ex Deo, isque ea mediatrix, amicis ac quibus congruum esset, traderet. Cum itaque sacri præcones, primam ipsam, ac cæteris clarius divinæ resurrectionis mysteria didicisse scirent: per eam siquidem certiores longe quam per unguentiferas mulieres facti fuerant; nusquam tamen cum de resurrectione agunt, illius voluerunt facere men-

<sup>79</sup> Matth. ii, 15. <sup>80</sup> Joan. ii, 4. <sup>81</sup> Ibid. 5. <sup>82</sup> Ibid. 12. <sup>83</sup> Luc. viii, 20. <sup>84</sup> John. xix, 25.

<sup>85</sup> Act. i, 14. <sup>86</sup> Matth. xxviii, 56. <sup>87</sup> Marc. xv, 40. <sup>88</sup> Luc. xxiii, 49. <sup>89</sup> Matth. xxvi, 2.

tionem : congrua nimurum prudentia , ac divina Spiritus providentia dirigente. Nam si testem resurrectionis eam produxisserent, quæ videri posset suam ipsa quærere gloriam, in causa fuissent ut resurrectioni astructa fides incredulis suspecta videatur. Quamobrem etiam merito hic, quæ ad eam spectant omittunt ac tacent.

Porro fuerit cum primis congruum hodiernæ lætitiae , ut quos illa per id tempus sepulcro assidens, gratiarum actionis monumento sermones obtulit, nunc resumentes, una cum illa ordiamur. Tempus enim quod resurrectionem præcessit silentio exigens, mirabile illud considerans, meditanisque mysterium, solitarioque cum alloquens, qui horrendam illam œconomiam implebat, ejusmodi sermones submisse ac seorsim secum disserebat : « Tu, inquit, Domine , qui impatibilem ac immortalem deitatis haberes naturam, assumpta carne ut homo passus es. Tu, inquit, non deserens paternum sinum, in terræ utero demoraris. Tu, qui in universo incircumscripturn deitate exsistas, corpore in monumento circumscriberis. Sic te justorum animæ suscipientes choros ducunt. Eiusmodi vocibus te redemptorem salutant. Sic ineffabili tua illustrati lætitia, inenarrabilem clementiam prædicant. Enimvero mundi quoque civibus victoriæ trophæa exhibe. Appare, qui invisibili ratione ades, cum decenti ac congrua specie. Splende in orbis finibus resurrectionis fulgores. Resurge corpore, qui ne quis teneri deitate. Excitare ergo, qui in sæcula absque somno es. Exsurge, quem laudantium populorum synagogæ sint circumdaturæ <sup>90</sup>. Exsurge ad vindictam quidem tuorum pauperum, utque adversarias virtutes ad exterminium dissipes <sup>91</sup>. Tu justitiae Sol, resurrectionis ostende radios. Apparent terrarum orbi victoriæ fulgores. Innotescat universis ejusmodi salus. Videant pauperes, et latentur <sup>92</sup>. Videam ego quoque desideratum desideratissimi Domini aspectum. Videam eximie præstantis Filii pulchritudinem omni specie majorem. Aspectem glorificati Dei orientem gloriam. Audiam dulcem illam vocem, dulcia omniq[ue] gratia plena verba emittentem. Ut adventus, ita et resurrectionis gaudium, primæ omnium Matri annuntiaturus appare. Appare, inquam, qui semper sis cum illa, servesque invincibilem. » Hoc modo divinorum magistræ ac unguentiferae Virgini, laudantique ac supplicant, primæ Filius resurrectionis claritatem ostendit, utque licebat doceri Matrem ac honorari, apparitionis sue prima præsentia honorat. Quanquam enim scriptum est, primum apparuisse Magdalena <sup>93</sup>, ita tamè intelligas, ut quod ad apostolos, aut mulieres alias unguenta afferentes, spectat. Sane enim Virgo paréns, ante etiam spiritalem angelorum initiationem, nati ex se mysteria pervidet. Supra omnes enim desiderio deflagrans, certansque, ac perseverans, sola prima quoque

condigna recipit munera. Par quippe erat, ut omnium prima mundi totius acciperet gaudium, quæ ejus nobis tantæ lætitiae plenitudinis causa extitisset : cui soli arcana credita essent; que innumerabiles passionis perpessa esset gladios. Par erat, ut quæ sola tristum Filio socia fuisset, sola quoque prior omnibus voluptatem illam perciperet.

Enimvero quisnam animus tantam quam suscepit, Domine, tuam gloriam, conjicere valeat? Quænam vero intellectualis natura, immensam illam pulchritudinem, quam velut Matri tunc revelasti, intellectu perspiciat? O quanta ei lætitia apparuisti! Quanta vero luce, creata universa id temporis illustrasti! Quali luminoso aspectu visus es mundi civibus! Qualis dulcis illius ac præconis resurrectionis terrænotus fragrantia omnia perspiravit! Qualia unguenta, inexhausto tuo illo unguento copia supra modum scaturiente, terra reddidit! O quomodo in novam quamdam speciem universa rerum distributio tunc temporis transfigurata est! Quomodo elementa in compositionem quemdam ordinem demutata sunt! Quomodo aer sedatis dulcibusque ornatus est flatibus! Quantus orien decor chori stellarum! Quales solarium radiorum lucidissimi jactus! Quænam grata species cælestis ornatus! Quis tantus angelorum coactus chorus ac tripodium! Quis eorum laudationis suavis sonus! O qualibus tunc venustabantur divitis splendoribus! Quam tuæ resurrectionis præcones induiti erant lætitiam! Qualem ostenderunt, quam gloriam ac speciem viderant! O voces illas ac sermones eorum, qui victoriæ de hoste reportatæ nuntii fuerunt! qui prædicaverunt prostrata mortem; qui vitam te ac resurrectionem terrenis evangelizarunt! O dulcem, ac supra omne desiderabilem vocem tuam! quæ per unguentiferas mulieres gaudium insonuit mundo: quæ tristia mortis disrupti viacula; quæ omnium auribus jucunditatem immisit. Oportebat enim ipsum per sé gaudiu[m] ac jucunditatem, prævia ejusmodi prædicatione, hominum ordiri vocationem: ejusmodi plena gaudii compellatione, eos affari, qui tristi peccati reatu tenebantur: ut talia adventus tui ac beneficiorum præcurrerent fausta nuntia. Tripudio gestivit creatura omnis.

Tunc cœli aperuerunt portas, ac velut propriam, terrenorum admirerunt annuntiationem. Exsultarunt spiritales virtutes, parique cum hominibus jucunditate gaudentes, tripodium omni majus lætitia coegerunt. Perfusus est lumine cum spiritualis mundus, tum sensilis. Pulsæ sunt ab orbis finibus mœstitiæ nubes; lætitiae radii omnia occuparunt. Natura rea habitum mœstitiæ exuit, ac lumen induit stolam. Disruptum est maledictionis chiropædium, ejusque loco reprobationes conscriptæ sunt. Omnia, nova illa vocis *Avete compellatione*, dulcissimo tuo ac indefectibili gaudio sunt impleta.

<sup>90</sup> Psal. vii, 8. <sup>91</sup> Psal. lxvii, 1. <sup>92</sup> Psal. lxviii, 53. <sup>93</sup> Marc. xvi, 9.

Tu enim totius lætitiae exsultatio es, præcoque ac causa; bonorum conciliatio, ac jucunditatis præbitio; vita, et resurrectio, gloriatioque inauferibilis: dulce lumen, ac spectaculum supra modum desiderabile: tranquillitas mente concepta, paxque adveniens: ipsa per se sapientia, ac virtus, subministratioque prudentiae; incorruptio et æternitas; incolumitas pariter ac jucunditas, constansque ac invariabilis venustas. Pulchritudo intellectu major, ac decor immensus: ipsa per se sanctitas, honorque, et justitia, ac supra modum glorificata gloria. Solus es cupiditas numeris omnibus absoluta, ac desiderium modum nesciens: innominabilis pariter, multisque insignita nominibus, ac supra modum appetibilis species. Quam multa animus, cum tua illa inenarrabili pulchritudini, nomina titulosque avet parturire! Enimvero prohibetur, cum propria imbecillitate, tum sermonis inopia. Tu autem qui bonum sis innumerabilibus, ac nullo nominabile, atque a subtili omni cogitatu inveniendarum appellationum remotum, haudquaquam sermonem spectans, sed magis accensum animum, gaudium illud nobis annuntiatur venis, quod per mulieres unguentiferas olim annuntiasti. Nunc quoque nobis illuceat lætissimum jubar tuæ apparitionis. Liceat utinam spiritualibus oculis, spiritualis solis omni majorem specie decorem aspicere. Desiderio fruamur Domini aspectu omne superante desiderium. Audierimus divinam vocem, dulce quid ac plenam gaudio prædicationem in clamantem. Acceperimus clementiam tuæ lætissimam annuntiationem. Habeamus unguentiferam illam, per quam nobis inviolabile annunties gaudium; per quam tuorum ad nos beneficiorum derives fragrantiam; eam nimurum quæ te portavit unguentum inexhaustum; quæ te, exultationem, vitamque, ac resurrectionem, cum nobis conciliavit, tum prædicavit: cuius ubi puritatis aromata supra omnem odoris fragrantiam fuisses odoratus; in ea quidem habitasti, atque ad nos per eam venisti.

Qui porro per eam, o benigne, letæ tuæ reconciliations prædicasti adventum, veni, ut nos ab huminis ac hujus sæculi rebus eruas, velut ab infimis terræ sinibus; atque ad senii nesciam vitam illam nobis muniens iter, supernis epulantum accense choris. Tu enim es lumen, vita, et resurrectio, ac in cœlis lætantium voluptas; teque decet gloria, honor ac adoratio, cum Patre ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sœcula sœculorum. Amen.

## EJUSDEM IDIOMELA

*In sanctissimæ Dei Genitricis ingressum.*

Exsultet hodie cœlum desuper, et nubes spargant justitiam, pro Dei nostri novis maxime, insolitisque magnaliis. Ecce enim porta ad orientem respiciens, ex infuso sterilis utero ex promissione partu edita, Deoque in habitaculum consecrata, in templo hodie immaculatae instar victimæ offertur, (Exsultet David pulsans citharam: *Afferentur, nquit, Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur*), in Dei tabernaculo, in ejus loco propitiatorii; ut in ejus domicilium educetur, qui ante sœcula ex Patre nulla fluxione natus est; in salutem animorum nostrorum.

Hodie Dei capax templum. Dei Genitrix in Domini templo offertur, eamque Zacharias suscepit. Exsultant hodie Sancta sanctorum, ac angelorum chorus mystica ratione conventum, ac diem festum agit: cum quibus nos quoque hodie celebrantes, consertis cum Gabriele vocibus clamemus: *Ave, gratia plena; Dominus tecum*, cuius magna est misericordia.

Eia agite, populi omnes, laudum eam cantibus celebremus, quæ sola immaculata est: quam prædixerant prophetæ, ac quæ in templo oblata est: illam, inquam, quæ ante sœcula prædestinata mater, novissimis temporibus Dei Genitrix effecta est. Ejus nobis, Domine, intercessionibus, pacem tuam, ac magnam misericordiam præbe.

## WALAFRIDUS STRABUS.

I. — *In Nativitate Christi. — Virgo Deipara.*

Natus enim est hodie sator atque redemptor,  
Christus de Maria Virgine factus homo:  
Ut nos consortes sanctæ Deitatis haberet,  
Mundatos vitiis et placitos meritis.

II. — *In Yppapanti [Hypapante].*

Qui sine peccato in templo est oblatus ad aram,  
Nos peccatores ad sua tecta vocat.  
Cujus mater adest, mater, sed virgo perennis  
Permanet a nato glorificata suo.

III. — *In Assumptione sanctæ Mariæ.*

Virgo Dei genitrix de corpore ducta pudico  
In requiem Domini transiit ecce sui.  
Ad quam nos precibus transire juvantibus ejus  
Æternæ proles virginis alma velit.

IV. — *Hymnus de Natali Domini et de Virgine Dei Genitrice.*

Gloriam nato cecinere Christo,  
Angeli, famam retulere, clara  
Voce pastores nova concrepabant  
Gaudia mundo.

Laus in excelsis, pia pax in arvis,  
Dicitur magnis celebranda votis,  
Omnis adventu Domini movetur  
Machina rerum.

Virgo conceptu gravidatur almo.  
Conjugum mutæ sterilesque fibræ  
Jam vigent donis uteri, prophetat  
Carcere vates.  
Splendidam cœli faculam dedere,  
Movit ardorem sacra lux Magorum,

Territans s̄evam nova Judæorum  
Nuntia plebem.  
Sera longævus Simeon videndo  
Vota, tam longe prius expetitam  
Predicat eunctis Domini salutem  
Patris adesse.  
Anna, jam natu gravior, repente  
Lucis attactu penetrata sanctæ,  
Quod diu traxit toleranter ævum  
Læta peregit.  
Martyrum flores ferus interemptor  
Milibus multis, avide cruento  
Quæritans Christi, cruciat malignæ  
Frigore mentis.  
Ergo quam nostræ caput optionis  
Novimus lucem celebrare plenis  
Gaudiis, omni studeamus almæ  
Pacis amore.  
Editus sacro Patris ore semper  
Virginis casta voluit sub alvo  
Arta naturæ tolerare factor,  
Munia nostræ.  
Virgo portantem veneranda portat,  
Lactat altorem, vehit et parentem,  
Spiritu prægnans operantis in se  
Mater opusque.  
Veritas terra pietasque nata est,  
Solvit et primæ maledictionis  
Damna, pro spinis tribulisque fructum  
Terra ministrat :  
Fructus hic terræ, prius a propheta  
Valde sublimis fuit indicatus,  
Qui greges sanctos saturare vivo  
Pane valeret.  
Hic sub humanâ specie coruscans,

Vile præsepis voluit cubile  
Ferre, quo sese dare nuntiaret  
Pascua pastor.  
Gaudet cœli chorus; ut Creator  
Ejus antiquum numerum novaret,  
Ipse descendit, simul et superbum  
Sternere hostem.  
Terra læetur, radiata tanti  
Luminis tractu; genus et redemptum  
Vota gratanti voeat feratque  
Debita mente.  
Christe, regnorum dominator, auge  
Principi nostro decus et triumphos,  
Ejus et prolem bene cum pudica  
Conjuge salva.  
Sponsa quo felix tua sub patronis  
Polleat tantis merito locoque  
Præminens mundo, maneatque longa  
Pace fidelis.  
Christe, da nobis tua jussa vero  
Corde sectari, simul et beatis  
Actibus vitæ nitidum mereri  
Stemma perennis.  
Præstet hæc nobis Deitas beata  
Patris et Nati, pariterque sancti  
Spiritus summa pietate regnans  
Omne per ævum.

V. — *De Maria Virgine.*

Sit Dominus tecum, semper tua gratia mecum  
Pacis et indicium, porrige daque manum.  
Ad te clamantes lacrymis et voce precantes  
Auxilio tutos, undique redde tuos  
Exhilara tristes, solare, piissima, flentes,  
Nostraque turbata tergito pace tua.

## HAYMO, HALBERSTADENSIS EPISCOPUS.

## HOMILIA

IN SOLEMNITATE PERPETUÆ VIRGINIS MARIE.

*Lectio libri Ecclesiastici, omnibus festis diebus beatæ  
Virgini dicatis communis.*

(Eccli. xxiv.) « Ab initio et ante sæcula creatæ  
sum, et usque ad futurum sæculum non desinam. »  
Et reliqua. Lectionis hujus capitulum, quod ex libro  
Sapientiæ sumptum cognoscitur, specialiter laudem  
æternæ sapientiæ, per quem omnia creatæ sunt,  
commendare videtur. Sed hæc particula a catholicis  
et eruditis Patribus in solemnitate perpetuæ virginis  
Marie, de qua eadem Dei sapientia carnem assump-  
psit, ad legendum ordinata est. Potest pars quædam  
illius non incongrue eidem Dei genitrici aptari, quæ  
ab ipsa Dei sapientia talis creatæ est, ut per illam ad  
redimendam humanam naturam Dei Filius sine hu-  
mana concupiscentia crearetur. Quid enim absurdum,  
quod contrarium est, si hoc quod ait :

« In omnibus requiem quæsivi et in hæreditate  
Domini morabor, » Dei genitrici convenire dicamus?

ipsa quippe in omnibus requiem quæsivit, quæ ut in  
reue semperna patrem invenire posset, prima  
omnium virginitatem suam sine macula servare de-  
vovit, sicut angelo Gabrieli Domini conceptionem  
nuntianti respondit : « Quomodo fiet istud, quoniam  
virum non cognosco? » (Luc. 1.) id est, ne cognosce-  
rem disposui. Ipsa in hæreditate Domini morata est,  
quæ non peccando a passione Domini discessit, sed  
integralm suam animam a concupiscentia, et carnem  
a corruptione servans, portio hæreditatis Dei effecta  
est, cantans cum Propheta, et dicens : « Etenim hæ-  
reditas mea præclara est mihi (Psal. xv). » Cujus  
personæ convenire videtur quod sequitur :

« Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium,  
« et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. »  
Quis autem Creator omnium credendus sit, Joannes  
in Evangeliō declarat, qui cum dixisset : « In prin-  
cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » adje-  
cit : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum  
est nihil (Joan. i). » Et David : « Omnia in sapientia  
fecisti (Ps. ciii). » Iste igitur Creator omnium in ejus

tabernaculo requievit, quando Verbum Dei per quod omnia facta sunt, ut homo verus fieret, intra virginis uterum carnem suscepit. Quapropter cesset latrare Manichaeorum haeretico grunniu presumpcio, qui ausi sunt dicere Christum ex virgine veram non assumpsisse carnem. Dicat autem ipsa Dei sapientia in persona Virginis : « Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Jacob inhabita et in Israel haereditare. » Jacob qui *supplantator* interpretatur, illorum significat actiones, qui ut in virtutibus anime proficere valeant, viriliter viatorum blandimenta calcant. In illis ergo habet Dei sapientia habitaculum, qui vitia supplantantes, hoc habent in opere, quod Jacob signat in nomine. Sicut ipse dicit : « Et inhabitabo in illis, et in ambulaboh (II Cor. vi). » Israel vero idem Jacob appellatus est, postquam angelum superans, Deum videre meruit. Unde merito *vir videns Deum* interpretatur. Igitur post supplationem vitiorum, ad contemplationem Dei tendens anima, haereditas efficitur Dei sapientiae, id est Christi, juxta illud Apostoli : « Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi (Rom. viii). » Jubetur nihilominus et in electis mittere radices, id est cogitationum suarum semina illorum mentibus occulta inspiratione immittere, quos novit fructum boni operis germinare. Non ergo in reprobis, sed in electis radices mittit, in quorum cordibus ita radicalibus spiritualibus bona ligatur voluntas, ut antequam ad maturitatis fructum perveniat, non arescant. Sed qui modo euntes et flentes mittunt semina sua, in furore venientes, venient cum exultatione portantes manipulos (Psal. cxxv), etc., a pio judge audientes : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum, etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare (Matth. xxv), etc. Sequitur . . .

« Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. » Sion in ipsa Jerusalēm posita est, non solum ad defensionem munitor, sed etiam ad contemplandum sublimior, unde congrue *speculum vel speculatio* interpretatur. Cuius nominis interpretatio

congruit Ecclesiæ, quæ ne invisibilium hostium insidiis pateat, superior per spiritale desiderium petit, atque cœlestia per mentis munditiam contemplatur, orans cum Propheta et dicens : « Esto mihi, Domine, turris fortitudinis (Psal. lx). » Civitas autem sanctificata sancta Ecclesia est, quæ ab illo sanctificari se optat, cui quotidie, in oratione dicit : « Sanctificetur nomen tuum (Matth. viii), » considerans sollicite admonitionem Domini, dicentis : « Sancti estote, quia ego sanctus sum Deus vester (Lev. xi). » In civitate ergo sanctificata Dei sapientia requiescit, quia in illorum mentibus requiescit, qui sanctimoniam diligunt. Quod vero subditur : « Et in Jerusalem potestas mea. » Ad hoc pertinet, quia quondam protestatem in illorum cordibus tenet, qui visionem intentione pacis toto affectu diligunt. Sequitur :

« Et radicavi in populo honorificato, et in partes Dei mei haereditas illius. » Populum honorificatum, populum dicit sanctum. Quia, ut ait Apostolus : « Gloria, honor et pax in omnem animam hominis operantis bonum (Rom. ii). » In tali ergo populo radicasse dicitur, qui non flatu tentationis flevit favilla rapiuntur, sed firmiter in amore Dei radicati perseverant, juxta admonitionem Apostoli, dicentis : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo et sublimitas et profundum (Ephes. iii). » Hujus igitur populi partes Dei haereditas est, qui ejus amori nil anteponunt, et in ejus comparatione nihil charum estimant, de quibus in lege dicitur : « Tribui autem Levi non dabis haereditatem, ego enim pars et haereditas illius (Num. xviii). » Et de quibus ait Psalmista : « Beata gens cuius est Dominus Deus ejus (Psal. cxliii), » etc. Et ipse clamans dixit ad illum : « Dominus, pars haereditatis meæ et calicis mei, tu es (Psal. xv), » etc. Qui ergo tales sunt, ad perseverantiam tendere debent, unde et subditur : « Et in plenitudine sanctorum detentio mea. » Plenitudo sanctorum, perfectio est operum. Plenitudinem habent, qui in bonis operibus consummantur, quam plenitudinem concedere nobis dignetur, qui est benedictus in sœcula sœculorum. Amen.

### S. PASCHASII RADBERTUS, CORBEIENSIS ABBAS.

#### DE PARTU SANCTISSIMÆ VIRGINIS.

##### LITERA PRIMUS.

Venerabili matronæ Christi, una cum sacris virginibus Vesona monastice degentibus PASCHASII RADBERTUS, monachorum omnium peripsema.

Quæstionem, charissimæ, de partu beatæ Marie Virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi; quoniam vos eam plurimum amare non ambigo; ut ex hoc sciatis quantum jam, longe diu a puero vester alumnus, multo jam senio confectus.

Quamvis omnium Ecclesiarum virginitas beatæ et gloriose Genitricis Dei Mariae sit decus, honor et forma virtutis, maxime tamen sanctimonialium vir-

ginum, quarum castitatis ejus specialius illustratur virtutibus, informatur exemplis, corroboratur et meritis. Unde sacratissimum ejus puerperium animo et corde devotissime venerari ac retexere, divini munieris est gratia. Propterea vero contra haereticam pravitatem dimicare ac vincere opus est Spiritus sancti et virtus Altissimi, qui eam obumbravit; ut sine coitu viri, et sine ulla corruptione Dominum et hominem pareret, virgoque semper maneret. Pro qua jam olim beatum Hieronymum contra Helvidium haereticum et contra ejus complices scripsisse legimus; quos ita debellavit ac devicit, ut deinceps usque ad presens nihil recidivum erroris contra eam surrexit.

1. Sed quia nunc quorundam fratrum rursus im-

pudica quasi percunctando laborat temeritas, de-  
crevi ad vos, matronæ Christi, de his scribere, que  
ipsi curiosius contra ejus pudicitiam, quam religio-  
sius conantur explorare; explorando vero partum  
virginitatis ejus, et uterum pudicitiae, introducunt  
[ac si] peritissimi physiologi callide satis disputa-  
tione sua colluvionem vitiiorum, in qua concurrunt  
plurima erroris discrimina.

2. Dieunt enim non aliter beatam Virginem Ma-  
riam parere potuisse, neque aliter debuisse quam  
communi lege naturæ, et sicut mos est omnium  
seminarum, ut vera nativitas Christi diei possit.  
Alias autem, inquiunt, si non ita natus est ut ex-  
teri nascuntur infantes, vera nativitas non est. Et  
ideo ne phantasia putetur, aut ne sicut aqua per al-  
veum transisse, ita per uterum Virginis absque na-  
scientis ordine natus credatur, pium est sentire, sic  
eum lege naturæ natum fuisse, quomodo nascuntur  
caeteri infantes, et eam sic peperisse sicut reliquæ  
pariunt mulieres.

O cæxa pietas, quæ tam impie sentit de Maria  
Virgine, et cæxa præsumptio, quæ tam impie lo-  
quitur de Christo. Non dieo quod dicant virginitatem  
amisisse, quæ nesciens virum Virgo concepit,  
Virgo peperit, et Virgo permanxit; sed quia idip-  
sum quod confitentur negant, dum dicunt eam  
communi lege naturæ pueroram filium edidisse.  
Quod si ita est ut astruunt et affirmant, quod ab-  
sit, jam Maria virgo non est, Christus sub ma-  
ledicto natus est, iræ filius de carne peccati, et ipsa  
quæ benedicta ab angelo prædicatur in maledic-  
tione adhuc permanens sub maledicto peperit. Alio-  
quin quid est quod legem naturæ requirunt in Ma-  
ria, ubi totum quidquid in ea fuit possedit Spiritus  
sanetus? quam virtus Altissimi obumbravit? Quod  
si virtus Altissimi ab omni æstu peccati eam obum-  
bravit, in conceptu et in partu sicut ab omni æstu  
libidinis libera fuit, ita et ab omni pressura male-  
dictionis, non ex sese, sed ex virtute Altissimi im-  
munis et aliena fuit. Quapropter cogitent et divi-  
narum rerum jura, quia non ex natura rerum di-  
vine leges pendent, sed ex divinis legibus natura-  
rum rerum leges manare probabantur. Idecirco teme-  
rarium est asserere de Christo quod secundum com-  
munem legis naturam sit natus, qui non secundum  
usum naturæ in utero de carne Virginis est procrea-  
tus. Nam et ipsa lex naturæ, sub qua nunc mulieres  
concepunt et pariunt, ut ita dicam, vere non est  
lex naturæ quodammodo, sed maledictionis et cul-  
pæ; quoniام, nisi Adam et Eva primum peccassent  
in paradiso, nemo deinceps nasceretur sub culpa  
peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non  
naturæ est, sed corruptionis et vitii. Maria autem,  
quia benedicta culpam corruptionis non habuit,  
propterea Christum non in dolore neque sub corru-  
ptione genuit. Quod si ex corruptione aut cum do-  
lore natus est Christus, jam ex maledicto natus est.  
De quo maledicto Genesis testatur quod dixerit Do-  
minus Evæ: *Multiplicans, inquit, multiplicabo dolores*

*tuos et conceptus tuos* (*Gen. iii, 16*). Pro quo Sym-  
machus *afflictiones tuas* dixit. Origenes vero et  
Theodotion necnon et Septuaginta, *tristitia tuas*  
dixerunt, *et gemitus*. Ubi et Theodotion et Symmachus  
pro gemitibus ærumnas posnerunt, in quibus omni-  
bus non lex naturæ designatur, ut isti physiologi vo-  
lunt imperite satis, sed lex vindictæ multiplicatur,  
et augetur causa peccati, labores in partu, afflictio-  
nes, tristitia et ærumnæ atque gemitus. Pro quo in  
Hebreo habetur: *הָרְבָה אֶרְבָּה עַצְבֹּן וְהַרְקָן*.

Unde omnes que pariunt non ex natura primæ  
originis sic pariunt, sed ex vitio culpæ, et ex ma-  
ledicto juste vindictæ Dei. At vero benedicta et  
gloriosissima Virgo Maria, non dico quod non ex  
communi lege naturæ, verum etiam nec ex natura  
prima originis filium, neque ex semine viri, sed de  
Spiritu sancto ex sua carne divinitus procreatum, sine  
ulla vitiiorum colluvione Deum et hominem pro-  
fudit. Et ideo partus ejus non sic tractandus est ut  
caeteri nascuntur quoniam sicut docto egregius  
Athanasius ait inter caetera in libello Fidei suæ (*lib.*  
*ix*) quem quasi sub dialogo edidit: Incarnatus et Uni-  
genitus secreto suo mysterio quod ipse novit. Unde  
prosequitur: *Nostrum est*, inquit, credere, et illius  
nosse. Audiant quapropter quia solummodo illius  
est nosse quomodo conceptus, quomodo in utero  
conversatus, quomodo Verbum Deus et homo de  
virgine natus sit unus Christus: quia, ut ipse ait,  
Deus Verbum totum suscipiens quod est hominis, ut  
homo sit, et assumptus homo totum accipiendo quod  
Dei est, utique Deus est. Quod si ita est, ut iste  
confessus est, imo quia est, ubi, quæso, communis  
est lex in nascendo, ubi colluvio vitiiorum? Nam  
Christus Deus, qui nunquam non fuit, ex quo  
homo factus est et assumptus in unitate personæ,  
semper mansit et permanet verus Deus et homo,  
non duo quidem ut esset alter Deus, et alter homo,  
sed unus idemque Deus et homo. Qnamvis enim  
aliud per quod Deus, et aliud per quod homo, in  
utroque tamen unus Deus et homo, quia non fuit  
aliquando purus sine Deo conceptus vel natus homo.  
Sed quia conceptus est de Spiritu sancto ex virginæ  
carne, et natus homo vere, mox ex ipsa conceptione  
ineffabili nativitate Deus verus processit, et natus  
est homo. Quomodo ergo commune dicitur quod  
est ineffabile? Vel quomodo non semper totus est  
verus Deus Christus, quicunque sine vero Deo nec  
conceptus est nec natus? Et ideo sicut clavis viser-  
ribus jure creditur conceptus, ita omnino et clauso  
utero natus. Nec enim illi accessit de homine im-  
potentia quomodo nasceretur ex virginæ, sicut nec  
aliquando ei accessit ne esset Deus et unus Christus,  
qui voluit sic nasci in unitate veri Dei et hominis,  
ut esset totum veritas quod nascebat, et esset  
ineffabile prout nasciebatur, atque totum credibile  
quod ex virginæ nasciebatur sine colluvione peccati,  
sicut ex nulla contagione priuæ originis.

Quapropter audiunt temerarii perserutatores tanti  
mysterii, et intelligent quod non sunt haec huma-

nitatē jura in nascendo, neque lex non dico damnatę naturę, verum etiam nec lex primae originis ante peccatum, ut Deus et homo unus de virginē sic Christus nascereatur; quia, ut ait beatus Cyrillus in Epistola ad Nestorium, non est natus communis homo de sancta Virgine, quia in ipsa vulva virginis, ut ipse fatetur, utero virginali se Verbum cum carne conjunxit, et sustinuit generationem carnalem, quia carnis suę nativitatem suam fecit, et qui in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo: sed utrumquę Deus de potentia suscipiens, et utrumquę homo de humilitate suscepti; ac per hoc talis partus non est communis lege naturę, sed sicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus et homo natus. Ergo non illum, ut cæteros adoptio filios Dei, fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip. 11*), ut esset totus Dei Filius homo et Verbum, quia nunquam non fuit Dei Filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, neque natus sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia aut ex emolumenō virtutum prærogativa filii præstaretur; sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius, non ex dono gratiae renascendo ut cæteri, sed salva proprietate utriusque naturę. Personam vero hominis ideo non assumpsit, sed tantum hominem, quia ipse persona tertia cum Patre et Spiritu in Trinitate Deus unus semper fuit. Idcirco jure quod habuit in æternitate personam non assumpsit, sed hominem in tempore antea quem non habuit, ita ut qui suscepit, et quod susceptum est, sicut ait beatus Augustinus in libro de Prædestinatione, una esset in Trinitate persona; quia, sicut ipse alibi ait, natus est de Patre Deus Verbum, natus est de matre Verbum caro factum, unus atque idem Deus Dei Filius natus ante sæcula, et natus in sæculo, et utraque nativitas unius est Filii Dei; ac per hoc Virgo Maria jure Dei Genitrix vocatur, quia genuit Deum et hominem. Verbum caro factum, non ut cæteri nascuntur infantes, aut ut ex dono gratiae sunt homines, sed, sicut beatus Gregorius ait in Moralibus, salva proprietate utriusque naturę essentialiter in suam assumpsit personam hominem, per quod mirabile sacramentum et æternus ex Patre et temporalis ex matre, unus idemque esset verus Dei hominis filius; quoniam, sicut ipse ait in eisdem Moralibus, aliud est natos homines gratiam adoptionis per eum accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodisse.

Quapropter, quæso, cessent isti dicere sic eum esse natum ut cæteri nascuntur; quia non genuit rum virgo Dei Genitrix ex origine primæ prævaricationis ut renascatur, sed de Spiritu sancto ut Deus creditur, sine dolore et sine gemitu, sine molestia et ærumna, sine tristitia et afflictione, quoniam

hæc omnia justissime damnatae carnis in prima origine retribuciones sunt et vindictæ. At vero beata Maria licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam quando præveniente Spiritus sancti gratia ab angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1, 35*). Alioquin si non eodem Spiritu sancto sanctificata est et emundata, quomodo caro ejus non caro peccati fuit? et si caro ejus de massa primæ prævaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit, nisi quia Verbum quod caro factum est eam primum obumbravit, in quam Spiritus sanctus supervenit et virtus Altissimi eam totam possedit? Propterea vere caro jam non caro peccati fuit; in qua Deus se totum infudit et Verbum quod caro factum est sine peccato ad nos venit, qui jure non solum legem naturę vitiatę in nascendo non tenuit, verum nec legem primæ originis quam haberent feminę, si mandatum servasset mater omnium Eva in paradiſo. Alias autem quomodo Spiritu sancto eam replente non sine originali peccato fuit, cuius etiam nativitas gloria catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata prædicatur; enimvero si non beata esset et gloria, nequaquam ejus festivitas celebraretur ubique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale peccatum. Unde et si Jeremie dies atque Job maledicta pronuntiatur, dies, inquam, nativitatis eorum, dies tamen, quando inchoata est felix Mariæ nativitas, beata pronuntiatur, et colitur religiose satis. Quod si in peccato esset, jure maledicta diceretur, et gemebunda potius quam benedicta, quando nuntiatum est patri ejus quod nata esset in sæculo. Nunc autem quia universam benedictione sua beata Virgo Maria illustrat Ecclesiam, num merito sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda? Nullius igitur nativitas celebratur in mundo nisi Christi, et ejus atque beati Joannis. Sic et beata Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime nativitas ejus collenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur. Quod si præclara sacratissimæ Virginis nativitas universaliter tam sancta et tam gloria jure colitur et veneratur, quanto magis ipsa quando ab angelo jam gratia plena officiosissime salutatur? Nam cum dicit ei (*Luc. 1, 28*) *Ave, cœleste venerationis obsequium exhibet*; cum autem dicit *Gratia plena*, ex integro iram expulsam ostendit, et restitutam gratiam declarat; cum dicit, *Benedicta tu*, fructum benedictionis demonstrat, quia quando Spiritus sanctus in eam advenit, totam defecavit a sordibus virginem et decoxit, ut esset

sanctior quam astra cœli. Porro quando virtus Altissimi totam eam obumbravit, statim ejus in utero veniens Verbum, quod erat in principio semper eternum apud Patrem, ut caro fieret ex tempore et habitaret in nobis.

Audiant igitur novi disputatores et investigatores novi et inauditi partus; audiant et intelligent prius quia viri sunt, quomodo bene disputare queant de natura et sexu mulierum. Deinde recognitent, ut qui naturam requirunt et communem legem nascendi, ubi totum divinum est et ineffabile, divina virtus quod operatur: *Generationem ejus, inquit, quis enarrabit?* (*Isa. LIII, 8.*) Nam quis hoc loco pro impossibili accipitur; quia nemo sanctorum est, non dico divinam, verum etiam qui humanitatis ejus generationem ad liquidum queat enarrare, quamvis utrasque omnes debeant credere? Hinc ergo colligitur quod superstitionis sit istorum cunctatio et superflua disputatio, quia dicunt ostia ventris et vulvae eum aperuisse, et colluvionem sanguinis ut cæteri omnes, et secundarum spurcias post se traxisse, in quibus omnibus gemitus et dolor multiplicatur, tristitia et ærumnæ augmentur, ut nemo sine his pariat filium. Sed absit a cordibus fidelium ut tale aliquid suspicentur de Maria virgine, quæ pro maledictione primæ originis benedictionem attulit mundo. Unde et ipsa si quidem, ut dixi, ab angelo benedicta predicitur in mulieribus, et saltatur officiosissime ut mater Domini præ omnibus gloria, necnon et ab Elisabeth in spiritu prophetice benedicta pronuntiatur, et benedictus fructus ventris ejus creditur et veneratur. Ergo in qua et per quam tanta benedictio efflouret et gratia manavit, non est credendum quod ejus puerperium doloribus et gemitis more feminarum subjacerit. Et quia beata Dei Genitrix tristitia non subjacuit et ærumnis, libera ab omni maledictionis nævo fuit, quam Spiritus sanctus adimplevit et totam Domino dedicavit, quam virtus Altissimi obumbravit, et ex sanctificate carne virginis Verbum carnem assumpsit et coniavit in unitate personæ. Et hoc est quod dicuntur, Verbum caro factum est, non commixtione naturæ, sed ex unitate personæ. Et ideo etiam de hac nativitate, ut dixi, jure dictum credimus: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia et ista ineffabilis est mira nativitas carnis, non sicut isti cœcutiunt communis ex lege naturæ, sed sacramento gratiae. Nam quod nascitur Deus homo ex Virgine non est consuetudo, sed mysterium; non est natura, sed virtus, sed dignatio; non est ordo nascendi, sed potestas. Et ideo non est quod requirat humana sapientia in hac nativitate, nisi quia Verbum caro factum est et natus est ut voluit, vel quando et quomodo voluit. Alioquin quis capiat quod inauditum et ineffabile est, vel quid intelligentia carnis jure in eo requirit, ubi totum et divinum et incomprehensibile quod narratur? Ait namque Evangelista: *Generatio Christi sic erat* (*Math. I, 18.*). Utique generatio ista carnalis sic erat, de qua non dixit sic facta est; sed sic erat, quia Christi generatio

erat apud Patrem ineffabilis, quando per hanc præscriptam et ineffabilem generatus est ex matre. Unde quod erat, utique semper erat. Et quod semper erat ex aeternitate potuit fieri ex tempore; quidquid factum est in eo non mirabile.

Unde plurimum desipiant, qui dicunt eum coniuncti lege naturæ esse natum qui non ea lege constat esse conceptus; quoniam haec lex nascendi, quæ nunc lex naturæ vocatur, ex vitio primæ damnationis est. Et ideo ait Apostolus: *Fuimus nos omnes aliquando filii iræ sicut et cæteri* (*Eph. II, 3.*) Sed absit a fidelium cordibus ut ita Christus natus creditur filius iræ, sicut cæteri nascuntur in vitio corruptionis, de qua corruptione dolor et gemitus multiplicatur. Alias autem secundum carnem nec gemitus, nec dolor sine corruptione viscerum, nec corruptio sine dolore et gemitu: gemitus et corruptio in partu seminarum non nisi ex delicto et maledictione primæ originis veniunt. Unde interrogemus istos sequaces Helvidii haereticorum, qui, etsi virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant et gratiam quæ plena praedicatur, quando communi lege vitiæ naturæ dicunt eam peperisse. Quod si ita peperit, ergo adhuc [ac si] in massa primæ damnationis contra angeli vocem maledictioni subjacuit, et Verbum Patris de carne peccati, quod absit, ut caro fieret hominem assumpsit. Sed quia contra fidem catholicam est sic sapere, beata Virgo plena gratia neque dolorem sensit, neque corruptionem viscerum pertulit, quia quantum aliena fuit a culpa, Spiritu sancto in ea cooperante et virtute Altissimi quæ adumbrabatur, in tantum extranea a maledicto primæ damnationis, nec non et a gemitu et doloribus, quibus vexantur omnes filiae Evæ cum pariunt. Unde Propheta in persona Christi ad Patrem: *Tu es, inquit, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ* (*Psalm. XXI, 10.*) Ergo cum dicit, tu es qui extraxisti me, singularem suam declarat nativitatem, snavitatem de utero enixus. Alias autem, omnis qui de ventre matris venit ad lucem in mundo, non nisi nutu et operatione Dei procreatus venit. Christus autem de Virgine speciali et ineffabili quodam modo procreatus, absque vexatione matris ingressus est mundum. Et ideo pius est credere, quod non sicut cæteri, sed novo et admirabili ordine Dens et homo natus est in mundo. Hinc ergo est quod Jeremiah testatur: *Faciet Dominus novum super terram; mulier circumdabit virum* (*Jer. XXXI, 22.*) Quod si utique novum fuit et admirabile quod virgo concepit sine semine et sine corruptione viri, vetustas esse non potuit in partu, et ideo nihilominus credendum quod simili modo, novo et admirabili ordine natus sit in mundo sine dolore, et sine gemitu, et sine ulla corruptione carnis. Et hinc est [ac si] pro gratiarum actione, quod speciali modo in psalmo, qui de ipso totus est, ad Patrem ait: *Tu es qui extraxisti me de ventre, ac si patenter dicat: Extraxisti me, quia non eo ordine sum egressus de utero ut cæteri nascuntur cum ingenti vexatione matris, sed novo*

egressu sine corruptione pudoris. Extraxisti me quidem de ventre matris, et non ego viscera corrupi integratatis. Et ne putaremus phantasma fuisse, ut multi hæreticorum dixerunt, addidit : *Spes mea ab uberibus matris meæ*. Ergo ubi mater et ubera narrantur, veritas carnis et non phantasma prædicatur, qui licet clauso utero sit natus, quem ipse sibi pervium fecit salvo sigillo pudoris, sicut et conceptus, tamen de carne Virginis procreatus est, et ideo uberibus jure lactatus commemoratur. Sic itaque totum factum est, ut fieret novum super terram quando Verbum caro factum est, vocatum est *Emmanuel*, quod est *nobiscum Deus* (*Matth. 1, 23*). Hic est itaque hortus ille conclusus in Canticis, fons signatus (*Cant. iv*) : hortus siquidem conclusus, quia quando Deus ingressus est et eam incorruptam invenit; sed fons signatus permansit, quando Deus et homo natus est ex ea; nec tamen fontem pudoris aut sanguinis integratatem violavit. Nam sanguis et fons pudoris qui corruptus non fuit in conceptione prolis ex coitu viri, non credo quod corrumpi debuerit in nativitate, quod cruciationem matris et contaminationem honestatis habuerit. Hinc est sane quod Ecclesia ex auctoritate sanctorum Patrum canit de nativitate ejus : *Et gaudium matris habet*, inquit, *cum virginitate pudoris*. Ubi alii quam egregii viri emendarunt, cum virginitate honoris. Virginitatis autem honor per maximus est, si et virgo Deum pariat et hominem, et tamen ex homine nato nullis affligatur kakiis sigillum pudoris. *Kakia* namque dicuntur Graece *vexationes*, quibus quam dire affligit corpus et animus. Sed beata Maria nihil horum pertulit, quæ et gaudium habuit in fructu, et honorem in partu. Hinc quoque dicitur concepisse Virgo et peperisse et permanisse. *Aequa* igitur conditione dicitur concepisse ac peperisse, æqua et permansisse. Non enim in partu solent coire puerperæ cum viris, ut virgo tunc negetur virginitatem perdidisse, quando nullus est appetitus, neque ulla possilitas cœundi, sed integritas commendatur virginis, et honor atque incorruptione carnis. Alioquin nos viri quia nescimus illius sexus naturam, interrogemus virgines, interrogeamus æque et matronas conjugio copulatas. Virgines quidem, ut sciamus quid sit integritas carnis et sanguinis; conjugatas vero, si est ulla corruptio in partu aut dolor, nisi processerit sanguinis contaminatione et seminis susceptio. Non enim libenter vobis verecundiam incutimus, charissime, qui non sine magno pudore de his loquimur, sed eximiæ pietatis honor est vobis et decus virtutis, beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primæ originis confiteri alienam. De qua si interrogemus virgines, norunt incorruptionis gratiam, sed nesciunt secunditatem prolis. Si vero queramus apud conjugio sedecatas, sciunt quidem maledictionis Evæ pressuras et gemitus, sciunt et inter ærumnas et tristitias secunditatem seminis, sed nesciunt integratem virginitatis, nec in conceptu nec in partu.

Beata vero Mater Domini in utroque virgo permanens, id est et in conceptu mater, et in partu virgo, quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo seminarum fuit, quæ nec Adam ad se admisit, nec ex Evæ colluvione filium suscepit, nec sub maledicto in doloribus et angustiis enixa Dominum peperit. Unde constat quia sicut clauso utero concepit, ita et clauso peperit, non communis lege naturæ vitia et maledictionibus damnata, sed Spiritus sancti gratia, et virtute Altissimi qua legitur adumbrata.

At vero isti nisu quo possunt conantur astupulare Virginem in vitio peperisse, et pudicitiae contumelias inferre. Unde assumunt illud ex Evangelio : *Cum impleti essent dies purgationes ejus, quod obtulerunt Iesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (*Luc. 11, 22, 23*). Ecce, inquit, cum dicit completos dies purgationis ejus, ostendit evangelista legi nature eam subiacuisse, et sordibus coquinatam fuisse, simul et Jesum vulvam matris aperuisse. Qui profecto temerarii assertores dum ita sentiunt, totum desipiunt et destruunt quod sanctæ doctrinæ est, quod rudimenta fidei de Christo ecclesiis commendarunt, quod gratia Spiritus sancti in mysterio promulgavit. Non enim sic completi dies purgationis ejus dicuntur, quasi beata Virgo purgatione egerit ullius delicti, quia peperit Dominum Iesum Christum de Spiritu sancto procreat, sed quia ipsa sub rege erat, et Dominus Jesus Christus sub lege factus, factus de muliere, legis precepta et instituta veterum in eo servantur jure ad tempus, quousque cessante lege gratia succederet. Et haec est completio dierum secundum consuetudinem legis et non secundum necessitatem purificationis, quia beata et intemerata virginitas immaculata et incorrupta permansit, nullis coquinata sordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus. Non potest fieri, juxta angelici vocem qui gaudium universorum afferit, ut ipse Christus tormenta in ortu suo matri attulerit. Inter angelorum excubias et laudes non credo quod matri gemitus et dolores tristitiasque Evæ contraxerit; et ideo alia erat purgatio illa feminarum, in qua purgabantur non minus delicta animarum quam et vitia corporum; et alia purgatio Mariæ, in qua non ob aliud quam pro mysterio consuetudo legis servatur, quia nullis egebat purgamentis quæ Deum de se omnium purificatorem genuit incarnationem. Porro completio dierum purgationis ejus nulla alia causa est quam expletio et consuetudo legis. Purgatio vero et separatio reliquarum seminarum multis ex causis est, in qua et vitia purgantur animarum et vitia corporum. Unde septem deputantur dies immundi, quibus sedere jubetur mulier in sanguine immundo, immundissima juxta dies separationis ejus, et triginta tres ut sedeat in sanguine puro. Omnibus tamen diebus istis mulier immunda erat et sordida multis ex viis, donec redintegraretur status

totius corporis, et sanarentur corpora sanguisque cessaret a fervore vitiatus ; sieque emundatis sordibus, mulier divinis purgaretur hostiis et muneribus. Sed beata Maria non talibus eguit sacrificiis, quæ sanctam de se genuit hostiam, per quam mundus purgatus est. Nam quod dicit evangelista, *Quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, non ideo dicit, ut nos cogat credere quod Christus vulvam matris aperuit, ut alii, sed ut doceret quod ideo sistunt eum Domino ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; *quia omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, in mysterio legis et sacramento sacrae prævaricationis. Non enim evangelistæ hoc testimonium de lege ideo adhibuit, ut monstraret Christum vulvam virginis reserasse, sicut cæteri primogeniti, sed ut ostenderet eum sub lege factum, et de vulva virginis prodisse, non qui vocaretur tantum, sed qui esset essentialiter sanctus, cui jure patet omne clausum. Quod testimonium beatus Ambrosius exponens in Evangelio ait (*lib. II, cap. 2 in Luc.*) : « Non enim virilis coitus vulvæ virginis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Quod sane semen præfatus doctor non sic dicit infusum, ut aliunde sit quam ex carne Virginis et sanguine, neque ut Spiritus sanctus sementivum esse credatur carnis, ut Irenæus vult, sed per hoc verbum Spiritus sancti operatio designatur. » Deinde addidit : Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrena contagia corrupte immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Et paulo post : Illic ergo, inquit, solus sibi aperuit vulvam ; nec mirum. Qui enim dixerat ad prophetam : *Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te* (*Jer. 1, 5*). Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.

Quibus profecto verbis non mihi videtur sibi contrarius, aut cæteris doctoribus sanctis, quia dicit quod solus sibi aperuit vulvam. Aperuit siquidem sibi sua potentia mirabiliter, ut esset et pervium iter, ita ut virginus clausus maneret uterus, sicut fuerunt januae clausæ, et tamen per easdem ingressus est ad discipulos, sicut etiam sepulcrum signatum et clausum quando resurgens egressus est per illud ; hinc quoque alibi ipse ait :

Fit porta Christi pervia,  
Referta plena gratia,  
Transitque rex et permanet  
Clausæ.....

Non hoc sic dicit ut intelligas quod contra se sentiat, sed sic utique ut plenissime cognoscas eum de utero et per uterum Virginis natum, quem ipse sibi fecit pervium, ac per hoc ipse sibi vulvam aperuit. Sibi quidem, quia vulva virginis licet clausa ei penetrabilis patuit, tamen cum enixus intraret mundum clausam reliquit et signatam sigillo pudoris. Omnino quia Deo nihil difficile est, eo quod, ut qui-

dam ait, subditur omnis natura ejus imperiis, ritu solito ; idecirco constat eum absque ambiguo ita natum, ut esset secretum genitale matris et clausum, quod sibi ipse sua virtute fecit apertum. Alias autem, ipse solus sanctæ Ecclesiæ, quam sibi sponsam dedicavit ad generandos populos, aperuit vulvam virginitatis. De qua nimur vulva David Propheta canit dicens : *Alienati sunt peccatores a vulva ; erraverunt ab utero ; locuti sunt falsa* (*Psal. LVII, 4*) ; personam hæreticorum declarans, qui alienantur a vulva integratæ Ecclesiæ ; quam sane immaculatam servare contendit Apostolus et virginem custodire, cum dicit : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor. XI, 2*). Cujus genitale secretum tunc aperuit, quando per aquam et Spiritum sanctum renascendi gratiam concessit. Cui propheta : *Lætare*, inquit, *sterilis que non paris, erumpet et clama quæ non parturis ; quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa. LIV, 4*). Unde et Anna in Cantico suo : *Donec sterilis, inquit, peperit plurimos ; et quæ multos habebat filios, infirmata est* (*I Reg. II, 5*). Iste est ergo solus essentialiter sanctus, non per quem mater corrumpatur, sed per quem vulva reseretur Ecclesiæ, primogenitus ex multis fratribus. Quem in figura futuri mysterii per ora legis divinæ præscripta signabant in primogenitus suis. Non quod essent vere sancta, sed quia vocabantur ex mysterio legis. Alioquin si litteram sequimur, quomodo sanctus erat omnis masculus aperiens vulvam, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat. Nunquid sanctus Achab, aut Joram, seu cæteri ? Nunquid pseudoprophetae quos ad Eliæ preces ulti cœlestis injuria ignis absumpsi ? Non utique ; sed in sacramento futuræ præfigurationis vocabantur sancti cum non essent, donec veniret Christus essentialiter sanctus, qui et sponsæ suæ vulvam aperiret, secunditatemque pariendi filios refunderet. Ipse namque Dominico dignus judicatus est obtutu ; cæteros omnes juxta legem seriem typum fuisse futuri nemo qui ambigat. Et ideo sistunt eum Domino, quoniam ipse est purgatio per resurrectionem octavi diei in Jerusalem, ut in eo condonetur et offeratur omnis adoptio filiorum Dei. In eo namque quod lex ait : *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, promittebatur Virginis partus vere sanctus, quia immaculatus, qui aperiret vulvam Ecclesiæ, ut in eo sanctificarentur reliqua omnia, et essent primogenita. Unde signanter angelus ad Mariam : *Et quod nasceretur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. II, 53*). Non quod corruperit matrem nascendo, quam integrum et inviolatam reliquit virginem, sed quia ex ea natus Deus homo aperuit Ecclesiæ vulvam, et in carne sua pervium sibi fecit iter, ita ut Virginis aulam clausam servaret, quatenus ex matre Virginem sibi duxisse sponsam ostenderet, quam tali tantoque fôdere nascendi virginem permansuram et immaculatam monstrabat.

Unde constat legaliter eum oblatum, sicut et cir-

cum eius; alioquin circumcisio non eguit, quia originale peccatum nullum traxit, quo delendus esset ipse Christus de populo suo nisi circumcidetur. Et tamen circumcisus est, quia volens sub lege fuit, ut eos qui sub lege erant redimeret, sicut et oblatus, ut nos qui rei eramus sacrificium Deo Patri in se offerret. Alias autem si ipse, quod absit, immundus esset ut matrem coiquinaret, quomodo nos emundaret in sua oblatione, et faceret hostiam Deo in odorem suavitatis? Idcirco etsi ipse dolores nostros et infirmitates in se pertulit et portavit languores, absit ut matris pudorem ullis vexaverit injuriarium molestiis. Absit per quam omnis maledictio Evæ soluta est, ut ipsa in partu maledictionibus subjacerit primæ damnationis. Absit ubi virtus nascitur, ut ibi tanta colluvio vitiorum credatur; ubi gaudium omnium prædicatur, quod tanta tristitia et gemitus intervenerit; inter angelorum discursus quod immunda septem diebus in sanguine immundo sederit. Ad quam si ita esset, nec pastores mane juxta legem, ut ita dicam, ingredi liceret; nunc autem quia angelus eos evangelizandi gratia devotus invitat, veniunt et vident, inveniunt et intelligunt de Verbo quod eis prædictum fuerat. Nequaquam igitur credendum quod invenerint Mariam in tantis spurcitiis, solam, multis miseriis, ut assolent pueræ, consternatam et obvolutam; ad cuius partum multitudine angelorum canit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (*Luc. 11, 14*). Ergo ubi et per quem tanta pax prædicatur, non credo quod illæ ignominiae immaculatæ matri contigerint aut dolores carnis.

Sed et Magi venerabiliter deinceps intrant domum, et inveniunt quod pas'ores inveniunt, Mariam, Joseph et puerum; inveniunt non vexataum doloribus, sed obsequentem puero; deinde procedunt et adorant oblatis muneribus quem cum matre inveniunt. Adorant, inquam, ejus primogenitum. Primogenitum autem, non eum quem sequantur fratres, sed quem nullus antecedit. Quamvis enim quidam voluerint potius unigenitum dici debere quam primogenitum, tamen quia idioma Scripturarum est quidquid primum aperit vulvam primogenitum vocari, sanctificatumque esse Dominum, maluit Evangelista secundum euandem ritum primogenitum quam unigenitum dicere, non quod aperuit vulvam lege naturæ, ut mos est cæterarum feminarum, sicut isti aiunt, sed quia ex ea natus est tam primogenitus quam et unigenitus, lege divina factus sub lege, ut per eum lex tota impletur in spiritu et ad litteram. Nam et ipse primogenitus ex resurrectione appellatur ex multis fratribus. Unde quia colligitur in specie genus, quamvis unigenitus dici posset per naturam, magis tamen hic primogenitus debuit dici, ut esset indicium quod jam in eo et per eum alii quam multi fratres colligebantur filii Ecclesie per gratiam, cuius aperuit vulvam. In Veteri quoque Testamento illis primogenita dabantur quam sæpe, qui Dei gratia præelecti

sunt, quorum non ex natura dignitas, sed ex gratia meritum antefertur. Idcirco dicimus et nos quod primogenitus hic significantius dicitur quam unigenitus, ut per eum omnes qui ex gratia colliguntur, illi solummodo coadunati in cœlestibus habeantur. Hanc quippe figuram gerebant omnia illa primogenita sub lege Domino consecrata. Et ideo justum erat ex his omnibus primogenitis qui vulvam Domino aperiebant, ut Dominus inter eos legaliter offerretur, cujus formam illa omnia præferebant, ut esset ipse primogenitus in omnibus primatum tenens. Non qui vulvam vexaret matris, sed qui vulvam aperiret Ecclesiæ. Hæc idcirco dixerim ut intelligat prudens lector, quia primogenitum non sequentes fratres faciunt, sed ideo certe primogenitus Christus vocatur, quia omnes unigeniti, sicut ipse unigenitus fuit matris, primogeniti dici queunt, non tamen omnes primogeniti jure queunt unigeniti vocari. Ex quo colligitur primogenitum eum vocari debere, ante quem nullus et post quem nullus, et non eum tantum quem fratres sequuntur. Jure igitur Christus primogenitus appellatur ex virgine, non quod vulvam vexaverit virginis et aulam reseraverit pudoris, sed quia qui erat ab initio primogenitus totius creature, natus est ex ea et ipse tam unigenitus quam et primogenitus eo quo voluit modo, sine gemitu et sine dolore parientis. Nam et de baptismo primogenitus recte vocatur, qui et in resurrectione primogenitus resurrexisse dicatur. In utraque tamen natura et nativitate quamvis primogenitus dicatur, jure unigenitus esse creditur, quoniam idem est hominis et Dei Filius; non aliud et aliud, sed unus et in utraque unus.

Quibus profecto catholicæ veritatis regulis hinc inde patet sensus, quod nemo nisi hæreticus dicit Christum nonnisi communi lege nature natum, neque aliter quam ut cæteri nascuntur infantes. Quamvis enim præfatus doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Helvidium ex hoc egit, videatur ei cessisse, et eo in loco ubi ait de hospitio vulvæ novem mensium, et de vilitate nascendi quod ille hæreticus insultando proposuerat, quasi indignum esset divine majestati ad tantam dignationem se humiliasse, ut inter viscera in utero versaretur Virginis, aut inter femora feminea nasceretur tam soridus. Sic enim omnia in contrarium opponens quasi hæreticus, ut destrueret fidei catholicæ veritatem. Cui e contrario egregius ille veritatis assertor non cedendo, ut isti volunt, sed dignitatem gloriissimæ humilitatis Dei amplius commendando ait; quod quanto viliora et in honestiora pro nobis illa majestas divina suscepit aut sustinuit, tanto charius nos redemit, et propensius honorandus est. Tali namque sensu, etsi non eisdem verbis in quantum recolo, eisdem respondens hæretico videtur beatæ Virgini non infamiam ullius colluvionis, aut poenam peccati intulisse, sed dignationem divinam et eximationem immensam in forma servi reverenter satis commendasse, non ut virginem vexatam a Domino

et ex honoratam ostenderet, sed ut clementiam pii Conditoris etiam hujusmodi haereticis demonstraret. Idecirco non cessit istis cum Helvidio errantibus, sed corripuit ut discenter non infamare virginem, et Deum non derogare in forma servi humilitatem. Non enim pudicitiam ejus in aliquo laesam docet, qui tantum in ejus laude triumphat, neque ad horam cessit ejus adversariis, qui pro ea tantum et tandem dimicavit verbi gladio. Cui Deus contra hostes ejus tantam resistendi contulit gratiam, et revincendi præbuit virtutem, ut nemo contra eum audeat insurgere.

Oro autem, sacratissimæ virgines Christi, vestris intervenientibus meritis, ut qui illi tantam præstitit dicendi peritiam et debellandi adversarios fortitudinem, mihi quoque dare dignetur loquendi gratiam, et quæ digna sunt huic mysterio aperire in Spiritu veritatis, quatenus hinc inde per vos et propter vos, o matronæ Christi, dignus inveniar tantopere, qui meis nullis suffragor meritis, ut apte defendere queam matris Domini mei pudicitiam, et non sane credentibus pandere veritatem, ut resipiscant et cessent jam ultra loqui falsitatem.

Dicunt autem quod non aliter natus dici queat Christus nisi æqua sorte naturæ ut cæteri; quasi æqua conditione in Scripturis divinis semper nativitas esse dicatur, cum longe alia sit ista nativitas omnium qua sub sorte maledictionis nascuntur, et alia si Eva non peccasset: quia ista sub maledicto est et ærumpa; illa autem tota in flore benedictionis fructum afferret sine gemitu et dolore. Unde, quæso, saltem illam isti concedant nativitatem Christo de Maria Virgine, qua nascerentur communi lege omnes si non peccasset Eva, quæ nunc nativitas nota est soli Deo, et ignota forte hominibus; et non ascribant ei maledicta, gemitus, et ærumpnas pro gaudio matri attulisse. Quæ tanto magis Virgo libera fuit a corruptione passionis, a dolore carnis, a sordibus ignominiae, quanto gratia plena et incorrupta, quanto Spiritu sancto dedicata et virtute divina adumbrata. Habet enim Spiritus sanctus in se recessus suos, quibus modis dicatur nativitas in Scripturis sacris, et quibus occultetur legibus semi-piternis. Alia namque est nativitas carnis de carne, alia Dei de Deo, et alia quarumlibet rerum innumerabilium. Et tamen eorum omnium non unus est modus nascendi, neque unus eorum ordo existendi, quamvis nativitas in singulis æque dicatur quibus est jure attributum, ut nati de altero dicantur, ac per hoc quolibet modo de Maria Virgine Christus recte natus creditur, quia ex ea carnem assumpsit. Nativitas vero ipsa quomodo ad nos exierit, utrumne ea conditione qua Eva peperisset si non peccasset, an gloriosus, quia Deum et hominem genuit et virgo permansit, quod illa non esset, neque reliquæ dum parerent, superflue queritur. In quo

opere nemo sanctorum voluit dubitare, sed catholica fide hoc certum omnes prædicant, quia nec in delicto concepit, nec in delicto et dolore cum corruptione peperit, neque Christus ex ea ullum peccatum traxit. Quod si ex ea peccatum non traxit, nec admisit, quia nullis cruciatibus in nascendo matris vexavit pudorem, neque in aliquo ejus commaculavit virginitatem.

Non dicimus itaque, ut aiunt, quod monstruose sit natus, sed sicut præsignatum est olim in prophetis, et traditum est nobis a sanctis Patribus, quod ipsa sit porta quæ ostensa est Ezechielii, de qua dicit: *Vidi portam in domo Domini, et hæc erat clausa; et vir non transiet per eam; quia Dominus Deus exercituum ingressus est per eam* (*Ezech. XLIV, 2*). De qua porta beatus Ambrosius in eodem hymno, de quo dixi, quem in honore sacratissimæ Virginis componuit: *Fit porta, inquit, Christi pervia, referta plena gratia, transitque Rex et permanet clausa, ut fuit, per sæcula.* Ergo cum dicit fit pervia, semetipsum exponit et ostendit transitum nativitatis ejus; cum dicit permanet clausa, ostendit adimpletum quod erat in prophetis. Clausa igitur non diceretur, si in aliquo læsa esset ejus integritas. Sed quia in nullo est violatus pudor virgineus, neque sens in aliquo resignatus, procul dubio patet sensus, quia clauso utero ad nos venit, sicut januæ clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet quod et fores clausæ essent, et quod Dominus per easdem introiens coram eis præcessu astaret, sic et fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet, quod et pervia fecerit ejus integritas nascente Domino ex ea, et tamen uterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansiisse quod violatum est? Aut quomodo sine dolore et sine gemitu puerpera peperit, si more cæterorum feminarum vexatis visceribus filium edidit? Et si ita patuit, ut aiunt, quomodo clausa permansit ut fuit antequam pareret? Nec enim januæ illæ penetrabiliores erant clausæ, quam uterus virginis incorruptus. Idecirco non abs re creditur ad nos Dominum sic exisse, ut nativitas Christi de carne Virginis probaretur, et virgo nullis cruciatibus vexaretur.

Forte dicturi sunt isti, quod corpus jam incorruptibile et immortale exilius esset ad penetrandum quo vellet, quam esset prius antequam resurgeret. Nequaquam igitur hoc dicit quisque qui sane sapit: quia ex quo conceptus est homo, idem semper qui ante Deus fuit. Unde quando super undas æquoreas ambulavit ante passionem, non minus homo quam Deus fuit. Quod si ad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut undas sua potentia quo sustinerent pondus corporis solidius, confirmavit. Et ideo, ut beatus Gregorius ait in homiliis suis (*Homil. xxvi*), Redemptoris nostri opera

quæ ex semetipsis comprehendendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intravit ad discipulos, januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero virginis. Deinde addit: Quid ergo mirum si clausis jannis post resurrectionem suam in aeternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit? Ecce tantus talisque doctor et summus pontifex de hoc quid sensrit, qui orantes ante se legerat tam Latinos quam et Graecos eximios tractatores. Ecce ex hoc uno quod nulli dubium esse credidit, approbat quod forte dubium esse poterat. Nemo igitur qui sane sapit, de re multum dubia incertum aliquid affirmare contendit. Unde quia de illo corpore quod videri poterat, fides intuentum dubitabat dum fores cernebant clausas, magister veritatis ab eis omnem aufert dubietatem, cum eis manus et latus palpare et videre jubet. Ita et hic auctor egregius de hoc quod omnibus in commune certum esse credidit, rem valde difficilem astruxit et firmavit, quod corpus Dominicum post resurrectionem januis clausis introierit, fueritque incorruptibile pari modo et palpabile. Tamen quolibet pæcto ingressus ex Evangelio ad discipulos januis clausis probatur, sicut et clauso utero virginis natus. Quod si natus sic per vulvam jure dici non potest, ut isti volunt, omnino nec ingressus per januas; et tamen ingressus ad eos convincitur, quando in medio eorum stetisse legitur. Sicut et de sepulcro egressus signato monumento monstratur, quando angelus revolvit lapidem et vacuum ostendit monumentum. Unde liquido constat, quod sicut saxeum illud ostium ei pervium et penetrabile fuit, nec potuit cohibere vivum quem prius claudebat sub sigillo mortuum, ita et claustrum matricis atque genitale virginis cum esset clausum et signatum sigillo pudoris, cum impleti essent dies parandi non potuit obstar parturi integritas corporis, nec tamen eguit reserari, quia non oportuit ut esset tormentum ei qui erat honor matris et gaudium, quia Deo totum erat pervium in ea quidquid erat clausum, honor vero quia totum erat Deificum quod natum.....

Fateor plane quod non tanta materies disputandi valeat inveniri, cur signato sepulcro exierit, vel cur clausis januis introierit ad discipulos, quanta quod de Maria Virgine clauso exierit utero. In illis siquidem declaratur divina majestas, in hac autem monstratur divina dignatio, et secundum humilitatem debitus honor matris et reverentia pudoris. Hinc quoque beatus Ambrosius hymnidicis laudibus testatur (*in hymno in natali Domini*), quod claustrum pudoris permanserit, et vexilla virtutum in ea fulserint, in qua tota majestas Deitatis versatur, quoisque plenitudo temporis advenit pariendi. Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio intervenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis.

Et in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis ut cruciaretur, viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando virgo concepit sine semine, virgo peperit sine dolore et gemitu, et permanxit virgo secunda prole. Hoc quippe est claustrum permanere pudoris, in nullo violatum esse genitale secretum quod ei fuit apertum. Non in conceptu, non in partu, non in ulla confusione parturitionis. Nam et Ecclesia Christi omnis tam Romana quam et Graeca sic sua et divina fidenter canit auctoritate quod peperit Virgo sine dolore, quod permanxit inviolata, quoniam eam in omnibus illæsam servavit Spiritus sanctus, ut virgo haberet filium, et servaretur ei honor tanto munere dignus, quanta sanctificatione uterus Deo fuerit dedicatus.

#### LIBER SECUNDUS.

Inter sacrarum Scripturarum eloquia cavenda est semper vana et superstitionis intelligentia; quia sicut in proverbiis legitur, *perversi difficile corruguntur; et stultorum infinitus est numerus (Eccli. 1, 15).* Et ideo quorundam fratrum temeritas, quia semel coepit sacramenta divini muneric procaci disputatione commaculare, et mysterium sacri partus superflua inquisitione discutere, malunt cum haereticis errare, quam cum catholicis quæ male sentiunt corriger. Unde sibi quia rimæ vanæ disputationis inveniunt, sentinam prævae colluvionis ad submersiōnem animarum foetidam nimis in Ecclesiis introducunt, dum dicunt mendose Mariam Virginem naturali lege Dominum peperisse sicut reliquæ pariunt feminæ, et non aliunde in partu incorruptam fuisse solummodo, nisi quia ex viri coitu non conceperit. De cuius incorruptione jam me supra satis in priori tomo dixisse credo. Sed quia isti nostris non acquiescent dictis, pervicaci insultatione diffiniunt virginitatem non aliunde quam ex coitu viri corrupti posse, neque corruptam vocari debere Mariam, licet iuxta legem pepererit omnium feminarum, eo quod, inquiunt, etsi viscera vel genitale secretum more cæterarum seminarum patuit ut nasceretur Christus, virginitas tamen corrupti non potuit; propterea Dei Genitrix sola virgo post partum et incorrupta fuit. Talibus igitur et hujusmodi vaniloquii dum suas diffundunt nenias, sanctorum Patrum præmittunt auctoritatem, et commaculant catholicam fidem. Unde, queso, quia nostra dignantur audire, audiunt beatum Augustinum, cui contradicere fas non est, de hac re in libro Enchiridii (*cap. 34*) inter cæteram disputantem. Ait enim: *Nihil humanæ naturæ in illa susceptione fas est dicere defuisse. Non qualis de utroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur, sed qualis de virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat; quoniam si vel per nascentem corrupteretur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso,*

quod absit, natum de Virgine Maria tota confitetur Ecclesia, quæ imitans ejus matrem, quotidie parit membra ejus, et virgo est. De quo sane Opere ad Volusianum satis eleganter scribit, ad quem etiam librum nos legendum pro hoc remittit. Sed isti quia nec illum librum, nec hunc locum legere volunt, errant sua temeritate decepti. Alioquin, ut hic egregius doctor fatetur, si vel per nascentem corrumperetur integritas virginalis, non fas esset eam dicere virginem, corrupta a nascente virginitate. Et si corrupta esset vel per nascentem, quomodo integra esset et illæsa virgo? Audiant itaque hic vaniloquuntur doctorem, et resipiscant, ne forte introducant per suam falsam assertionem Christum in delictis conceptum, et iniquitatibus natum. Quia et si de virgine non est natus, falsum est quod Ecclesia confitetur, ut hic ait; falsum et quod omnis Scriptura Novi ac Veteris Testamenti de illa testatur. Sed quia omnino virgo permansit, nullis pressa est doloribus, in nullo corrupta fuit; et ideo non secundarum spurcias traxit, non sanguinis fluxum emisit, non corruptiones viscerum infra extraque pertulit. Quod si talibus et hujuscemodi pateretur puerpera tormenta, procul dubio virgo non esset, quia virginis integritas violata esset. Hinc Sedulius, rhetor Romanae Ecclesiæ, in Paschali suo opere (*cap. 3, init.*) ait: *Iufans namque parvus ac maximus, membris scilicet exiguis, deitate præcelsus, per hospitalis templi sinceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens quod non læserat cum venisset. Quod si ita est, imo quia ita est, non ita natus est ut cæteri nascuntur corrupto corpore, sed illæsis visceribus Deus et homo natus est. Unde adhuc idem vere divinæ generationis hoc secretum testis virginis partus ostenditur, qui materni pudoris custos ingressus clausis visceribus conceptus est et creatus. Nihil ergo apertius dicere queunt, nihil manifestius hic sancti doctores de parti Virginis, quod integra virgo clausaque permanserit, ut fuit antequam pareret, quod omnino non esset si in partu more cæterarum seminarum, corruptioni subjaceret. Nulla igitur virgo hujusmodi subjacet passionibus; et ideo vere virgo, quia integra et incorrupta est, jure dicitur. Sic et beata Dei Genitrix ut vere virgo dicatur dum parit, ex toto recte clausa more virginum et incorrupta creditur. Quod si non ita manaret incontaminata ut reliquæ virgines, vere virgo non esset. Quod ut ostenderet David propheta, vaticinans de ea satis congruo exemplo ita ait: *Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillacidia stillantia super terram* (*Psal. lxxi, 6*). Quem versum Cassiodorus senator in Expositione psalmorum pertrahens, vellus sacratissimam Virginem Mariam intel-*

ligit detonsam ex oibis Israel; pluviae vero divinitatem Verbi comparat, quia sicut pluvia in vellus cum summo silentio venit, ita perfudit ac replevit virginem corpus, et possedit virginem mentem. Miro itaque modo miroque comparationis exemplo firmavit vaticinando descensionis ejus in uterum virginis adventum, quia sicut pluvia integrum et inviolatum perfundit vellus, ita et divinitas Verbi incontaminata et illæsa servavit virginem. Integrum quidem eam invenit et incorruptam, quando descendit sicut pluvia in vellus, et ingressus est virginis viscera, descendit autem et sicut stillacidia stillantia super terram. Unde idem Propheta in duabus istis prophetiæ sententiis perfectam Christi incarnationem explanat. Per stillacidia namque terram germinare cerninus, ex qua ad infusionem et ad humorem pluviae omne virgultum agri germinatur, et omnis terræ viror nascitur. Sic et divinitas Verbi descendens in Mariam sicut stillacidia super terram, geruinare eam fecit germen vite; et non aliunde quam ex seipsa idem de carne virginis per infusionem divinæ majestatis. Et ideo æque quod natum est ex ea divinum et humanum fuit, ita ut ex Maria neque divinitas Verbi nata credatur sine homine, neque homo sine Verbo, quia Verbum caro factum est, ac per hoc Deus et homo unus est Christus. Porro per pluviam quæ descendit in vellus, non germinandi naturam expressit ex vellere, sed modum nascendi ex virginem. Nam pluvia sereno tempore quando perfundit vellus æque ad ingressum servat integratem ejus, æque ad egressum quando refunditur, quia in nullo a pluvia velleris integritas violatur. Sic quippe de Maria Virgine præfatus ille cœlestis orator sentit, sique confitetur quod nec ad ingressum Filii Dei sit corrupta, nec ad egressum violata, sed in omnibus plena gratia, integra et illæsa est servata; nec cum ingreditur, uterus aut viscera corrumpuntur, nec cum evacuat, reserantur. Manet quidem genitale secretum, sed clausum et immutatum; evacuat uterus, ut vellus a pluvia, sed non quassatur viscera. Duabus itaque istis sententiis, ut præfatus doctor insinuat, Spiritus sanctus voluit declarare quod demum Isaias de Christo testatur, dicens: *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit; sic erit Verbum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui: et prosperabit in his ad quæ misi illud.* Ecce quid per pluviam David voluerit significare, et quid per stillacidia, profecto Spiritus sancti infusionem, et Verbi divinitatem.

### RATRAMNUS, CORBEIENSIS MONACHUS.

#### DE EO QUOD CHRISTUS EX VIRGINE NATUS EST.

##### PRÆFATIO.

Si uno sub magistro Christo omnes Christiani censemur, si uno cœlesti Patre universi creden-

tes gloriamur, si unius Spiritus fœdere in unius charitatis compage solidamur, non est quod me a tua dignatione sejunctum verear, quominus re-

ligioni tue familiaria scripta procudam. Non enim vel sanguinis propinquitas tanta est quanta Spiritus. Terrena scilicet propago inferior multo est quam divina , nec officia temporalis obsequiae tantam parinunt gratiam dilectionis quantam divinis ignis generat charitatem. Perinde cesset hic vel facies invisa , vel nomen ignotum , vel familiaritatis comparatio nulla , ubi in copulae socialis deviunctionem tanta , tam magna tamque necessaria conveniunt jura societatum. Non igitur velut alienum refutes , quem superna conditio tibi fratrem conciliavit propinquum. Cum haec ita se habeant , obsecro reverentiam tuam ut ad suggestionem parvitas nostræ respondere non graveris.

#### CAPUT PRIMUM.

*De Christi nativitate in Germania errores. Rationes affert auctor quare nasci ut cæteri debuit Christus.*

Fama est, et quorundam non contempnenda cognovimus relatione, quod per Germaniae partes serpens antiquus perfidiae novæ venena diffundat, et catholicam super nativitate Salvatoris fidem, nescio qua fraudis subtilitate subverttere molitur; dogmatizans Christi infantiam per virginis januam vulvae, humanæ nativitatis verum non habuisse ortum, sed monstruose de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exisse, quod non est nasci, sed erumpi. Quod enim vias uteri nascendo non est secutum, sed quacunque versum tanquam per parietem domus erupit, non jure natum esse, sed violenter egressum. Jam ergo nec vere natus Christus, nec vere genuit Maria. At vero fides habet catholica Jesum natum ex Maria Virgine. Quod Angelus ad eam missus signatis enuntiat verbis : « Ecce, inquiens, concipies in utero, et paries filium (Luc. 1, 31). » Vide quam evidenter sectam depulit nefandam. Non ait : Concipies filium, et egredietur tuo de utero, sed, « concipies et paries, » utrumque referens ad Mariam, ut virginitate inviolata et conciperet tanquam feminina, et pareret tanquam mater, ne genitrix divinitatis de conceptu fieret gloria, et de partu redderetur in honora. Alterum velut ad suum penderet officium, alterum ad illius qui concipiebatur effectum : ita nec ipsa mater diceretur integra, nec Salvatoris nativitas ex matre perfecta. Quamvis etiam ad Mariam directus angelus si sic foret locutus, non propterea necessario cogereret intellectum, quo nativitas de matre Christi extraordinaria crederetur. Qui enim de femina virgine concipi de legit, non nisi nasci de femina virgine credi facile quivisset, quoniam de sexu fragiliori humanitatis qui delegit exortum, nequaquam humanæ nativitatis modum, salva virginitatis integritate, contemneret.

Inconveniens nempe Divinitatis erat consilio, ut in virgineo corpore uterum, quo conciperetur, quo formaretur, quo novem mensium dilatione portaretur eligeret, et uteri viam, qua de virginea procederet aula, repudiaret. Aut aliam igitur viam,

qua feminæ parientes partus suos emittant jure natitatis præter solemnum parturitionis viam, talia quicunque garriunt, edoceant, aut eum habuisse de utero virginis exitum, Christum, quem lex monstrat naturæ, præter integratatis violatum pudorem, necesse esse confiteantur. Viperæ priusquam parturitionis ad tempus perveniant catuli, traditur quod maturam nature completionem non exspectantes, corrosis matris lateribus, exeunt cum genitricis interitu. Est quoque vulgaris opinio mustelam ore concepere, aure partum effundere. Forsitan quisquis humanae viam nativitatis denegas Christo, aut viperinam maternis exitiosam conceptibus concedis, aut mustelinam fabulosis effictam commentis. Ut maluerit potius hominum Redemptor de Virgine conceptus, vel serpentinam naturæ contrariam, vel peccualem confitam nativitatem suspicere quam humanam. Isto itaque modo, jam quidquid libenter poterit excogitari, vel undecunque, vel per quocunque placuerit natum fuisse Christum blasphemari, ut non sit virgineus partus Verbum caro factum, sed prodigialis egressus.

#### CAPUT II.

*Objicitur, violatam matris integratatem. Respondetur, Mariam semper virginem permansiisse.*

Sed, quæso, cur refugis ascribere Christo naturalem virginalis portæ progressum ? Propterea, inquis, quoniam si uteri portam exivit, non est Virginis integritas intemerata. Evidem per quemcunque fuerit locum egressus, consequenter secundum tuam sententiam integritas est violata. Si enim Salvatoris ortus viam naturæ necessario fuerat corrupturus, necessario quoque quacunque exivit, sive per latus, sive per ventrem, sive per renes, sive per superiores inferiores res corporis partes, non absque integratatis damno processit. Absit vero catholicis sensibus, ut nativitas, per quam restaurata fuerunt corrupta, quod corrupserit integra credatur. Intellige tandem vecors præsumptio, quoniam si per quacunque virginei corporis partem ortus Salvatoris potuit fieri sine damno integratatis, consequenter et hoc potuit per januam vulvae. Quod si haec fuerat violaturus, nihilominus quacunque est egressus, violavit. At catholicæ fides de Virgine Salvatoris matre confitetur, quod virgo fuerit ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Utrumque vides credi, utremque confiteri, et matris virginitatem, et infantis exortum.

Propter namque inviolatam pudoris aulam, virginitatem prædicat et ante partum, et in partu, et post partum : et propter veræ nativitatis exortum, verum parientis partum confitetur. Quid enim virgo ante partum, ni imprægnata virginitas? Quid est virgo in partu, ni pariens virgo? Et quid virgo post partum, nisi virgo perseverans post partum? Ubi ergo virgo pariens, si partus negatur? [Negatur] porro cum prædicatur virginitas non peperisse, non pe-

perit autem si partus aliter quam per naturæ januam processit. Siquidem jam talis ortus non virginis est partus, sed proprius videlicet ipsius infantis egressus. Obmutescat igitur hujuscem commentum falsitatis, et catholica fides inconcussa teneatur, quæ et vere natum de matre confitetur Christum, et vere Virginem Mariam concepisse, peperisse, et post partum, id est post editum filium, credit, prædicat et veneratur permansisse virginem.

## CAPUT III.

*Per vulvam exisse Christum probat auctor. — Partes corporis minime turpæ. Qui partes corporis deturpantur. — Spiritus sanctus beatam Virginem ab omni contagio sanctificavit. — Partes quædam corporis quare in honestæ.*

Dicis turpe fuisse Dei Filio per vulvam processisse. Turpe hoc aut de natura aut de peccato. Sed per naturam nihil turpe; testatur enim Geneseos lectio quod omissis creatura bona. Quod bonum, et honestum est; quodque honestum est, non turpe. Igitur omissis creatura secundum quod creata est, nequaquam turpis. Igitur et mulieris vulva non turpis, sed honesta; siquidem partes omnes creaturæ honestæ. Non ergo nascituro Christo semita vulvæ declinanda, velut turpe aliquod, imo suscipienda tanquam nativitatis ministra. Quomodo namque matricem, qua conceptus formaretur, non contempsit, ita nec vulvam, qua formatus exciperetur, repudiavit.

Porro tu sensus corporis interrogans, aestimas eas uteri partes indecoras. Noli sensibus fallentibus, id est corporeis, de rerum veritate assentiri, mentis iudicium disquire, et reprehendes fore pulchra quæ videntur turpia. Nulla denique creaturæ pars, aut membrum, ni pulchrum est; redditur autem indecens, cum inordinatus et illicitus eum motus deturpaverit. Etenim ante prævaricationem Adam et Eva non erubescabant, utpote motum inordinatum suis in membris nullum sentientes; ast ubi prævaricati sunt, erubescere coeperunt. Non quidem propterea membra, quæ nunc peccati culpa pudenda vocamus; siquidem et priusquam deliquerint, super eis non confundebantur. Ubi vero in honestus accessit motus genitalibus ante pudicis, sed de peccato jam non pudicis, secuta confusio est, non propter turpitudinem honestarum corporis partium, sed propter turpes irrationalibilis motus passionis. In quo autem per sancti Spiritus ignem, vel in hoc corpore caduco, vel in futura vita jam per resurrectionem incorruptibili, fuerit iste passibilis motus ad naturæ dignissimam redactus musicam, infirmitate depulsa, nihil habebunt membra naturæ quod sit confusionis, quod turpitudinis, quod in honesti.

Interea vero lex quæ est in membris nostris donec repugnat legi mentis, et captivat nos in legem peccati, et erubescimus et confundimur. Sed non propter hanc legem peccati dominantem in membris

nostris opus fuit Salvatori declinare viam nativitatis lege constitutam; quandoquidem Spiritus sanctus, qui Virginis uterum, quo Dei Filius incarnaretur, ab omni contagio sanctificavit, ipse quoque et vulvam qua nasceretur purgavit. Nisi forte credibile videatur, quod eum locum divino conceptu reddiderit dignum, qui magis libidinis æstu succeditur, et quem minoris flammæ temperamentum pertinet, mundare nequiviter. Quod enim mulieribus in umbilico, cui matrix subjacet, libido dominetur, verbis Scripturæ sanctæ didicimus. Tibi autem non propter legem peccati, sed propter deformitatem nature, genitale membrum videtur in honestum. Cur hoc? Quoniam sensum carnis in rebus cognoscendis percunctaris, quem nemo sapiens de veri perceptione secutus est. Non mirum si falleris, qui falsitatis auctore perderis. Eum denique sequuntur omnes, qui verisimilia pro veris, id est, corruptibilia pro æternis amplexuntur. Revoca magis oculos a temporalibus, quæ docet Ecclesiastes non tantum vanitatem, verum vanitates vanitatum; et disce veri perceptionem de sensibus veri participantibus. Quod cum feceris, nihil in naturis turpe præter inordinatos motus videbis, quos non de creatis sapientia, sed de peccati culpa contraxere, et deinceps non indignam judicabis Incarnatione Verbi ad nascendum virginem vulvam. Equidem pervidebis nihil dignius Creatoris humanitate, quam suæ dispositionem fabricæ comprobare. Ut sicut approbat uterum quo concipetur, ita non approbarit uteri januam sui natalis abrogatione; ne quam constituit nascendi viam, suæ refutaret humanationis egressu.

Ista ducas cum impia, novum quiddam moliris, ut Salvatori quo nasceretur nihil fuisse clausum clamis, quod Conditori nil creaturarum queat obsertere: verum quidquid subsistit, sit ei apertum et permeabile. Ita plane si sentis, prudentissime sentis. Hac vero regula cum nativitatis Christi primordia mancipare disponis, quod ad potentiam spectat, clarissime dogmatizas. Quod autem ad corporis proprietatem suscepti, et nativitatis pertinet humanae, a veritatis calle longissime recessis. Virtuti siquidem voluntatis Christi nihil est clausum, nihil non penetrabile. Humanitas autem quæ suscepta est, sicut intra sinus matricis collecta est, ita quandiu mansit illuc, ventris exteriora non experta [est]. At vero mox virginei thalamum reliquit secreti, et foris exstitit, et intus esse cessavit. Hac loci quid alternatione monstravit, nisi quod quamvis secundum divinitatis proprietatem sit ubique, juxta corporis circonscriptiōnēm localis exstitit? Igitur quod locale est, sicut ubique non est semper, sed tunc ad alium migrat, cum locum deseruit primum; ita etiam cum transitum facit, non simul dextrum ac sinistrum tenet, quemadmodum simul ante et retro non graditur, nec supra pariter et deorsum. Certe et Salvator sicut alio tempore fuit in utero secundum corpus, et alio foris, ita in egrediendo quamvis egressionis voluntati nil fuerit clausum, unam

tamen tenuit egressionis viam, non per omnes corporis, in quo formatus fuerat, partes exivit.

Constitue certe quam volueris corporis partem erit Salvatoris. Non enim per omne corpus egressus est, quamvis voluntati ejus ad egressum nulla corporis pars fuerit clausa. Nec illocaliter egressus, hoc est enim incorporeæ proprium naturæ, longe vero a corporeo remotum. Constitue certe quam delegeris partem. Vulvam renuis, umbilicum attribue; vel, si malueris, honestius quodecumque corporis ostium: ac si ostia quæ dedit natura displicant, dissecata ventrem, nuda costas, spinam rumpe, vel quemadmodum nescio qui stultissimi delirant, aperi ascellam, et ita de monte umbroso et condenso nativitate contestare Salvatoris. Num igitur talis janua dominatoris ortu digna probabitur, quam stultorum opinio ementitur, et quam Creatoris sapientia naturæ dedit conceptibili, disputetur? An certe Bragmanorum sequemur opinionem, ut quemadmodum illi sectae suæ auctorem Bubdam per virginis latus narrant exortum, ita nos Christum fuisse prædicemus? Vel magis sic nascitur Dei sapientia de Virginis cerebro, quomodo Minerva de Jovis vertice, tanquam Liber pater de femore? Ut Christicolum de Virginis partu non solemnis natura, vel auctoritas sacrae lectionis, sed superstitionis gentilis et commenta perdoceant fabulosa.

#### CAPUT IV.

*Auctor profert testimonia ex Veteri Testamento, ut suadeat Christum per vulvam Virginis exisse.*

Sed jam nunc testimonia procedant in medium divina, et ex eis ortum discamus Salvatoris, ne fabulis discipiamur vanis et falsis opinionibus eludamus. Isaías vates, ortus hujus arcum retexens, « Dabit Dominus, inquit, ipse vobis signum. Ecce virgo concepit et pariet filium (Isa. vii, 14). » Virginem confitetur concepturam, Virginem parturam, et hoc a Domino signum fore dandum, quod utrumque mirabiliter sit factura virgo, non quod preter viam naturæ partus sit exiturus. Quod si esset futurum, oportuerat hoc prophetico nuntiari mysterio, quemadmodum virgineus nuntiatus est conceptus et partus. Nec enim talis editio minus divinæ operationis proferret insigne, quando naturæ viam in alios transposuisset fines. Nunc autem virilem segregans operam, et integratatis insinuans donum, hoc docet a Domino signum, quod editura sit virgo Salvatorem. Non enim præter naturam novum parturiendi designat iter virginis matri, sed a natura datum cum incorruptionis palma nativitatis dedicat sublimitate.

Non puto necessarium, nec brevitas concedit, ut de toto Scripturarum corpore subjiciantur exempla quibus fiat manifestum parere et generare mulieribus non nisi legitimo ventris orificio concedi; ut illud: « Mulier quæ concepto semine peperit masculinum (Lev. xii, 2). » Item: « Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel (Exod. xiii, 1). » Si enim mulier aliter quam per

vulvam, id est os uteri, generat, iam non omne primogenitum sanctificatur Domino; sed quoniam hoc stultum dicere, non virgo genuit, nisi per vulvam; et ipsius verbi vis significatioque manifeste dat intelligentie argumentum: ut enim videre ad oculos, audire ad aures, olfacere ad nares, gustare ad fauces, ita parere refertur ad vulvam. Alioquin si pro arbitrio singulorum licet intellectus verborum variari, erunt universa confusa, et parere concipereque de viris etiam suscipietur. Cur non certe haec verborum officia de viris prædicentur, si partus Salvatoris non viam tenuit uteri, sed exivit quacunque. Habes, et superbis, patrocinium poetarum signum, ut et concepit vir et peperit. Quod, quia Christianus es, et eloquii instructus veritatis, non dubito, repellis. Quia de re legitimum naturæ cursum vocibus prædictatum consuetis, non opinione nova pervertas, sed vera et usitata receptes interpretatione. Et cum legeris, audieris, pronuntiaveris, vel Virginem peperisse Christum, vel natum de Virgine Christum, illico tibi semita naturæ janua vulvæ occurrat. Sieque te non error per devia ducet, sed verus intellectus in tramite recto tenebit. Ne autem argumentis haec videamur tantum comprobare, testimonii disce vera de ortu Salvatoris quæ asserimus esse.

Idem propheta Isaías: « Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium: et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere, festina prædari (Isa. viii, 3). » Adverte partum virginis prophetali signatum ministerio. Propheta accessit ad prophetissam, quia Spiritus sanctus venit ad Mariam: concepit illa, et peperit filium, magis Spiritus sancti dono, quam sementivo virili. Quemadmodum Sara et sterilitate infecunda, et senio jam frigida, ut mater virgo de Spiritu sancto et imprægnanda et generata prophetaretur. Et conceptus ergo et partus in prophetissa processit ut heres futura damnaretur, asserens Mariam concepisse, nec ut feminam generasse. Sed prophetissa non in altero fallit, in altero verum præfigurat; quoniam genitrix Salvatoris et virgo de Spiritu sancto concepit, et sicut femina salvo pudore generavit.

Item alibi: « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem (Isa. xv, 8). » Admirabili sane brevitate propheticus sermo, et annuntiationem angeli et prophetarum vaticinia, et conceptum virginis, et modum generacionis exposuit. Ortum denique Christi et angelus insinuat, nec prophetæ tacent, et uterus virginis aperitur ad sobolem, et pudoris claustrum germinat Salvatorem, ut in apertione videoas conceptum virginis, in germine intelligas partum pudoris; ut enim germen venam servat natalem, nec alieno semine concretum, sed genitricis est propriæ sementivum, juxta quod Genesis testatur de arboribus et herbis loquens: « Cujus semen sit, inquiens, in semetipso (Gen. i, 11): » sic virgo Maria non de virili, sed de proprio semine concepit, et genitali rivo exposuit conceptum. Propterea virga Aaron aperitur in germe, crumpit

in flores, qui solis dilatatis formantur in amygdalas, ut insinuetur coagulum semenis, concretio conceptus, expositio partus. Et quemadmodum virga Aaron protulit telluris absque subministrione et humoris irrigatione, nativas tamen per semitas, germen, flores et fructum; sic mater virgo non de voluptatis rivo, nec de maritali commercio, genitalem tamen per semitam genuit carnem Verbum factum.

## CAPUT V.

*Testimonia alia.*

Jeremias, quoque hunc sacrum Virginis partum præsagiens, ait : « Creabit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum (*Jer. xxxi, 22*). » Disceerne quid novum dixerit creatum iri, scilicet quod femineo tantum semine sancti Spiritus per ministerium, matricis in gremio habitus configuretur virilis. Et quoniam nascendo talis conceptus uteri semitas non præteriret, qui cursus nativitatis cunctis datur mortalibus, merito illud siluit, in quo præter inviolatum pudorem sub nascendi lege nihil afferret novi.

Ezechiel quoque : « Et converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem; et erat clausa : et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi. Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur (*Ezech. xxxiv, 5*). » Estimo quod hic locus omnem solvat hujus nodum quæstionis. Etenim portam quam describit propheta maiores intellexerunt Virginem Mariam, quæ bene monstratur clausa, quia virgo semper manet intacta, et vir non transiet per eam. Intende diligenter cui negatur transitus, et qua negatur. Negatur prorsus viro, qui poterat violare, et ab eo removetur, quod poterat per coitum corrumphi. Nemo enim removet ingressum, quia ratio naturæ nec viam admittit, nec transitum, qua de re quando dicitur : « Vir non transiet per eam, » nou de latere, nec de cerebro, nec de femore dicitur, quoniam transitus conjugalis ad alias refertur corporis partes, quibus natura ad coitum viam præbevit et transitum. Quoniam vero qua virilis removetur transitus, illac Dominus Deus Israel est ingressus, subsequens sermo demonstrat, dicendo : « Dominus Deus Israel ingressus est per eam. » Utque omne demat ambiguum, subjicit : « Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur. » Nolit jam de via Salvatoris, quam nascendo secutus est, hæresis nova dubitare. En tibi propheta tanquam sub oculis metaphorice muliebris vulvæ et vestibulum et viam ponit. « Ingressus est » denique « dominus Deus Israel per viam vestibuli hujus portæ, » quia per incarnationis mysterium virginale introivit gremium; et per viam hujus portæ egressus est, quoniam humilitate suscepta in domum mundi per incontaminatam exiit vulvam. Non igitur nescio quem Dei

Filio de utero matris consingas egressum. Spiritus sanctus te doceat veritatem, qui et thalamum tanto dignum sponso sanctificavit et portam. Sed quid in difficilioribus et mysticis locis immorarim? ad aperta veniamus, et de domorum claustris, id est secretorum figuris ad portarum latitudinem migremus, quatenus vestigia sponsi, et emissiones sponsæ, sub diu contemplemur.

In lege omne primogenitum sanctificatum erat Domino, significans cum qui solus sanctus et sine peccato natus est. Sic enim super hoc habes scriptum : « Sanctificate mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in Israel (*Exod. xiii, 1*). » Item : « Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæ, sicut juravit tibi et patribus tuis; et dederit eam tibi, separabis omne quod aperit vulvam Domino (*Ibid., 11, 12*). » Item : « Nam cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Idcirco immola Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum in eorum redime (*Ibid., 13 - 15*). » Nota quod primogeniti sunt qui vulvam nascendo primi aperient, ut consequenter accipias hoc esse nasci de femina, quod est oriendo vulvam exire. In catalogo preceptorum : « Primogenitum filiorum dabis mihi (*Exod. xxii, 29*). » Alibi : « Omne quod aperit vulvam generis masculini meum erit (*Exod. xiii, 2*). » In Levitico : « Mulier si suscepito semine peperit masculum, » et reliqua (*Lev. xii, 1*). Item : « Sin autem feminam peperit (*Ibid., v. 5*), » etc.; et generare et parere docet feminas, non aliud esse quam per vulvam emittere partum. In Numeris : « Meum est omne primogenitum ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti. Sanctifica mihi quidquid primum nascitur in Israel (*Num. iii, 15*). » Et superius : « Ego tuli Levitas a filiis Israel pro primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel (*Ibid., 12*). » Et in sequentibus : « Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel a mense uno (*Ibid., 40*). » Et supra . « Tollesque Levitas mihi pro primogenito filiorum Israel (*Ibid., 41*). » Et infra : « Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel accepi eos (*Num. viii, 16*); » nimis Levitas. Mea sunt omnia primogenita filiorum Israel. Alibi : « Quilquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis quam offerunt Domino, sive de hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit (*Num. xviii, 15*). » Ergo omnis partus, tam hominum quam jumentorum, per vulvam erumpit. Qua de re omnis de femina nascens per vulvam egreditur. Non ergo nobis incertam generent quæstionem verba quæ consuetudine sua et usu Scripturarum certam suæ significationis subministrant notionem; ut enim ambulare de pedis officio, sic parere de vulvæ ministerio prædicamus. Non igitur confundat dubetas quod intellectus manifesti significatio declarat. Ut autem sine viæ directione non pervenitur ad limitem destinatum, sic nisi per verborum significantiam veram, locutionis veritas

non aperitur. Partum igitur aut natum, vel si quo alio nomine talis actio nominatur, feminarum, docti et naturae veritate, et consuetudine nascendi, et auctoritate Scripturarum, non aliud praeter verba significatarum rerum de rebus significatis intelligamus, ne procul a veritate evagemur, dum veritatis signa vel non cognoscimus, vel prava interpretatione pervertere molimur. Secundum datam regulam Evangeliorum super Salvatoris nativitate dicta contemplemur.

In Matthæo sic scriptum legimus : « Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens : Joseph fili David : noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis ejus nomen Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum : hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Ecce in utero habebit et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut ei præcepit angelus Domini : et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum (*Matt. 1, 20 et seq.*). » Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Iudeæ, toties nativitas prædicata Salvatoris, toties narratus Virginis partus, virginitas perdocetur, virilis removetur amplexus, non tamen vulvae transitus abnegatur. Verum et evagelistæ dictis, et prophete vaticinio Salvatoris ortus per vulvam exstitisse monstratur; quoniam non parit femina, nisi per vulvam, non exit infans, nisi per uteri januam.

Lucas taliter super hac loquitur nativitate : « Ingressus angelus ad Mariam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Quæ cum audisset turbata est, et cogitabat qualis esset ista salutatio, et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. » Et infra : « Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fieri istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc. 1, 28 et seq.*). » Si nondum vel naturæ solemnitate, vel exemplo nascientium quid sit parere acquiescis, saltem missus ad Zachariam angelus ex ipso Evangelio te instruat. Ait autem illi angelus : « Ne timeas, Zacharia, quoniam audita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium (*Luc. 1, 43*). » Unum verbum super utroque promittitur partu, et quomodo non idem ventris ostium significatur? Dispar conceptionis ordo, non dispar est lex nascendi, quoniam Joannæ de semine viri, Jesus de Spiritu sancto concipiatur; et ille per portam per quam transivit vir, exponitur, iste per intemeratam pudoris aulam generatur: ambo tamen pariuntur, quoniam uterque per vulvæ januam excipitur. Attestatur etiam nostræ orationi evangelista, quando

ait : « Ideo quod nascetur ex te sanctum. » Memento quid de primogenitis, id est qui aperiunt vulvam, legifer mandaverit, et intelligas sanctum primogenitum vocari, et primogenitum qui aperit vulvam, quare et Jesus cum sanctum Domino dicitur, et primogenitus appellatur. Et si primogenitus, utique vulvam aperuit, non ut clausam corrumperet, sed ut per eam sue nativitatis ostium aperiret, sicut et in Ezechiel porta et clausa describitur, et tamen Domino Israeli narratur aperta, non quod liminis sui fores dimoverit ad ejus egressum, sed quod sic clausa pateret dominanti.

Idem evangelista rursus : « Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum (*Luc. 1, 6*). » Et de Elisabeth fere eadem scribuntur : « Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium (*Luc. 1, 57*). » Sicut utriusque feminæ tempus ut pareret assignatur, sic ambobus nascentibus infantibus eodem verbo idem ventris ostium monstratur. Et deinceps : « Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc. 1, 22*). » Si tibi minus satisfecerant verba quibus genuisse Maria perdocetur, ut propterea aliunde quam per vulvam de Virginis aula processisse Jesum garrias, quoniam honestiori sermone pudendum mulieris fuerat obvelandum, tandem verbis evangelistæ acquiescens, disce non translato, sed suo proprio vocabulo os feminei ventris insinuatum, atque per illud Salvatorem nascendi subisse progressum. Nam si fuit aliud Mariam peperisse quam masculinum ejus vulvam aperuisse, non secundum legis præceptum sisti Domino, nec sanctum Domino debuerat vocari : « Quoniam omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Ibid. 23*). » Nunc vero et peperit eum Maria virgo, et per vulvam ejus egressus est Salvator, et tanquam primogenitus adaperuit eam, non quo violaret integritatem uteri, sed quo ventris palatum vacuaret; unde et mater, quoniam non suscepto semine genuerit, quia vero illi masculus adaperuerit vulvam, secundum legem et purgationis dies implet, et hostiam ad templum cum puer Domino sistendo, defert.

#### CAPUT VI.

*Ex Patribus suam asserit sententiam.*

Verum quoniam breviter ista de divinæ auctoritatis collegimus libris, quibus Salvatoris ortum per intemeratæ vulvam Virginis doceremus, libet etiam majorum traditionibus firmare sententiam nostram, quatenus multitudine testum et adversarius confutetur, et fideles uberioris instruantur. Locos tamen in medium deducemus, et eorum ipsorum testimonia pauca, ut propositæ modum brevitätis custodiamus. Alioquin si unius eorum, ne dicam omnium, super hoc dicta in unum conferre

voluerimus, multorum corpus voluminum conficiemus. Ambrosius cœlestis tuba, specimen sanctitatis, fidei robur inexpugnabile, dum de humano Salvatoris exortu tractaret (*in Luc. l. xi, c. 2*), ita fatus est : « Au mediocribus signis Deus probatur, quod angeli ministrant, quod magi adorant, quod martyres constinentur? Ex utero funditur, sed coruscat e cœlo : terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine viget. Nupta peperit, sed virgo concepit. Nupta concepit, sed virgo generavit. » Quam subtiliter inviolati pudoris coloet secretum, quam magnifice virginem describit, et matrem nuptam prædicat et intactam! Fusum narrat ex utero Christum, ut eum per nature viam sentias processisse, nec æstimes peregrinos ortus sui exitus requisisse, quem vena uteri naturali fluxu emisit in lucem. Quod ut clarius commendaret, adjecit, nuptam peperisse, sed virginem concepisse, et nuptam concepisse, sed virginem peperisse; ut in conceptu virginis et partu removeas virile consortium. Animadvertis autem membra suis a natura ministeriis deputata, ut conceptus ad matricem, partus ad orisclum referatur. Quibus denique membris mulier nupta concepit et parit, eisdem virginem et secundatam credas et enixam.

Rursus in sequentibus : « Omne masculinum adapriens vulvam, sanctum Domino vocabitur. » Verbis enim legis promittebatur Virginis partus. Et vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse qui lege signetur, in eumdem modum ab angelo repetita verba declarant : « Quia quod nasceretur, » inquit, « sanctum, vocabitur Filius Dei. » Non enim virilis coitus vulvae virginis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus effudit. Solus enim per omnia ex natis de semina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corrupte immaculati partus nativitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Nam si litteram sequamur, quonodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? Nunquid sanctus Achab? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuria ignis absumpsit? Sed ille sanctus, per quem figuram mysterii pia legis divinae prescripta signabant. Et quod solus sanctæ Ecclesiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatae fecunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum : qui enim dixerat per prophetam : « Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te (*Jer. 1*). » Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris sue vulvam, ut immaculatus exiret. (S. Ambros., l. ii *in Luc.*, c. 2; S. Aug., l. ii *de Peccat. orig.*, c. 40, et lib. i *cont. Jul.*, c. 2.)

Orator insignis hac oratione primo antiquæ legis explanans edictum, dogmatizat sanctum legale unius veri sancti mysterium signasse, qui sæculi sub sine natus de Virgine, terrenæ contagia corruptæ immaculati partus novitate non senserit, sic aperiens virginalem vulvam *nascedo*, ut tamen eam relin-

queret clausam non violando. Alioquin si non illum Scriptura significavit, quæ de masculis sancivit ut habeantur sancti, ostendit verum non esse decretum multorum pravitas masculorum. Sed lex Domini immaculata et testimonium fidele. Qua de re querendus est intellectus qui possit aptari merito veritati ; ubi sanctus ille solus repetitur, qui sine peccato conceptus, sine delicto genitus, sancte Ecclesiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatae fecunditatis aperuit genitale secretum. [b] Quo mystico dicto testatur, matris virginis quod immaculatae fecunditatis aperuit genitale secretum.] Non enim hoc genus narrationis ad Ecclesiam per mysterium coaptaret, nisi rei veritate de virginis vulvæ reseratione factum fuisse docere voluisse. Quem sequentia comprobant intellectum ; ait enim : Hic ergo solus aperuit sibi vulvam. Quid amplius requiris, quando signatis attestatur quod dicimus verbis? Et aperuit enim, et vulvam dixit, quo nihil per figuram reputes dictum. Igitur manifesta confirmat sententia, quod olim vetus Scriptura loquebatur : « Omne scilicet masculinum quod aperiret vulvam, sanctum Domino vocari, » ut non moderno sed antiquissimo discas tempore signatum fuisse, non solum quod de Virgine nasceretur Jesus, verum quod per intemerati pudoris vulvam nasceretur.

Utque nativitas ista impolluta de inviolato, non coinquinata de corrupto egressu putaretur, docet sub exemplo adhuc in vulva sanctificati prophetæ. Subjungit autem : Qui enim dixerat ad prophetam : « Priusquam te formarem in utero, novi te, et in vulva matris sanctificavi te ; » qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris sue vulvam, ut immaculatus exiret. Cessent jam verba nostra, ubi tanti doctoris verbis instruimur quid de Salvatoris ortu sentire debeamus. Non enim explicare debemus quid dixerit, cum potius involvere quam manifestius aperire queamus : nisi forte quis adeo rudis exstiterit, ut vulvam fore pudendum mulieris ignoret.

## CAPUT VII.

### *Testimonia ex Augustino et Hilario.*

Procedat sed in conspectum Augustinus, fluvius eloquentie, prescurtator secretorum, occultorum revelator, propugnator Ecclesiæ, hæreticorum debellator ; et quid super Salvatoris sentiat exortu palam profiteatur. In sermone de Natali Domini, dum de modestia Virginis, et mirabili Salvatoris conceptu declamaret, sic ait : « Pronuntiato per angelum partucepit Verbum formari, conceptione colligitur in homine Deus, et eum sustinet venter cui parvus fuerat mundus, et intra breve virginei corporis spatium pro nobis est incarnata majestas ; secunda viscera Verbo auctore tenduntur ; completisque novem mensibus venter cœlestem hominem fudit : natum Dominum publicat angelicus sermo. » Diligenti descriptione quam brevissime prosecutus est, et principia conceptus, et constructionem soliditatis, et augmen-

tum corporis. Mensium quoque spatium quo intra secreta ventris infantilis coaluit successus, inde progressus in auras, et in nativitatem Dei angelica clamatio. Vide profecto quoniam et conceptum dicitur, et concretum, et fusum, id est non per peregrinam irruptionem egressum, sed per vestibulum ventris virginis fusum.

Item in alio sermone super eadem nativitate : « Natus ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali : natus ut homo, sed non genitus ut homo. Ita suscepit carnem, ut servaret majestatis honorem ; et sic segregavit puritatem nativitatis suæ a colluvione concretionis humanæ. Peregit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed Dei tamen non deseruit dignitatem. » Vides a docto viro et divinitatem Filii Dei, et humanæ nativitatis ordinem designari. Dicit enim eum natum ex carne, scilicet de membris et humanitatè virginis, lege quidem carnis, sed præter corruptionem carnis ; utque manifestius quid dicitur animadvertis, ait : « Natus ut homo, sed non genitus ut homo. » Cerne quam plenissime nativitatis Christi mysterium reseravit : Ait namque : « Natus ut homo, sed non genitus ut homo. » Quid est, natus ut homo ? Quia per vulvam, per quam nascitur omnis homo, de virginis utero egressus est. Et quid est non genitus ut homo ? Quoniam non de semine viri, sed de Spiritu sancto est incarnatus. Fac ut non fuerit egressus per ostium ventris, non erit verum quod natus fuerit ut homo : sed natus est ut homo, igitur per ventris ostium, id est vulvam, natus est.

Hilarins, vir virtutum omnium atque ornamento rum, et sicut vita ita etiam eloquentia insignis, in libro Fidei secundo (*de Trinitate lib. n, sub med.*) : « Unus unigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. » Docet eum et corporis habitum ex Virgine et intra Virginem induisse, et de more nativitatis humanæ, virginis vulvæ penetrasse secreta. Commutatis siquidem verbis idem quod Pater Augustinus protestatur : ille namque quod natus sit ut homo testificatur ; at iste quod humani partus lege prelatus est, intonuit. Quatenus uterque dum Salvatoris processum de Virgine consona Scripturis sacris voce profitentur, et veritas doceatur, et falsitas subruatur.

### CAPUT VIII.

*Item ex Gregorio papa et venerabili Beda.*

Ut autem nullus adversario locus relinquatur contradictionis, procedat in medium Gregorius, speculum sanctitatis, eloquium lacteum, regula morum, et Dominici partus genitiram verbis doceat veritatis. In homilia 26, dum propositam solveret quæstionem, quod corpus Domini et verum fuit, et clausis januis ad discipulos introiit, tali sub exemplo comprobavit. « Illud enim corpus Domini introiit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos

ceulos per nativitatem suam clauso exiit utero. » Dicitur quod quemadmodum Dominus Jesus Christus post resurrectionis gloriam cum corporis veritate diversorum discipulorum, non per parietem, nec per postica, sed per januam, non tamen reseratam, ingressus est, ita de matris alvo procedens, non aliunde, sed per vulvam, clausam tamen, exiit. Dicis forte clausis ad discipulos januis Dominum introisse, non tamen per locum januarum, sed per quamcumque penetrasse partem. Primo quid ad divinum miraculum spectat clausis ostiis aliunde ingressum ? Aut quid dignum evangelistæ commendatione, inde introisse Dominatorem, per quod quislibet ingressum sibi poterat reperire mortalium ? Aut Omnipotenti si nihil esse clausum quiret ad introitum, cur non idem super januarum aditu suscipiatur, ut et illis clausis, attamen suo adventui reseratis ad discipulos foret ingressus ? Sed quid respondebis de sepulcro, quandoquidem non solum clauso, verum etiam obsignato illo, corpus redivivum reposuit sub auras ? An dices quod tantæ subtilitatis corpus illud substiterit Jesu, ut tenuius ventis, exilius aere nequiverit tumuli parietibus coereri ? Sed quanquam sit impium ista sentire de Salvatoris corpore, cum post resurrectionem dixerit ad discipulos : « Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere : » et natura non patitur ut et ossium et carnis soliditate duratum sit crassum; et subtilitatis exilitate deductum sit tenue : nec catholica fides naturæ corporis aut qualitatæ ascribit quod clausum exierit sepulcrum, quod obseratis foribus penetraverit ad discipulos, sed Divinitatis potentiae et resurrectionis gloriae. Alioquin non erit jam miraculum Deitatis commendans insigne, quod naturæ ratione tenebitur astriatum. Attamen concedimus et ista, quanvis impia, quanvis contra fidem. Nunquid non idem de januis confiteberis clausis ? Velis, nolis, hoc laqueo illigaberis. Ergo exiit clauso sepulcro, et ingressus foribus obseratis. Tantumdem igitur licet invitus, licet resultans, concedis virginali vulvæ, nec infirmior, nec inhumanior superni numinis proles exstitit circa maternæ claustra vulvæ, ut et clausam relinqueret, et per eam transiret, quemadmodum tumuli sui signa, et discipulorum domus ostium vel exiit, vel introiit, nec transeundo patefecit.

Beda, presbyter Anglorum, Christi membrum non reprobum, de hac quæstione non dissimilem superioribus profert sententiam in *Commentario Luce* (*in cap. ii*), dum de Salvatoris nativitate et partu virginis loqueretur, sic ait : « Quod autem Filium suum primogenitum Maria peperisse describitur, non juxta Helvidium nobis accipendum est, alios quoque filios eam procreasse, quasi nequeat primogenitus dici, nisi qui habeat fratres, sicut non unigenitus, nisi qui caret fratribus, solet appellari : quia et testimoniū legis, et aperta ratio declarat omnes unigenitos, etiam primogenitos, non autem omnes primogenitos etiam unigenitos posse vocari. Hoc est non solum primogenitum post quem alii, sed omnes

antequam nullus e vulva processerit. Denique quia omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum Dominum vocari praecepitur, sive fratres sequantur, sive non sequantur, quod primum de vulva nascitur, primogeniti est jure consecrandum. » His verbis et virginitatem defendit Mariæ, et humani partus lege Salvatoris insinuat ortum. Nam dum primogenitus et unigenitus perdocetur, fratres eum habere potuisse monstratur, quod nequaquam poterat esse verum, si Christus humana natus non fuerit lege. Nec enim merito tunc vel primogenitus, vel unigenitus diceretur, quia non genitus, genitus autem, est nativitatis humanæ lege prolatus. Qua de re Christus non est natus sicut homo, nec si genuisset Maria praeter Christum, potuisse Christus primogenitus vocari; quoniam non esset genitus, sed adversus jura naturæ vel ejectus, vel egressus. Nunc vero et legis auctoritate, et Evangelii veritate hic docto instructus dogmatizat Jesum primogenitum sacrae Virginis, quoniam et primus et solus natus est ex ea humani partus jure; quoniam nascendo aperuit vulvam, non ut violaverit uteri pudorem, verum quo per signatam et intemeratam procederet januam, de secreto ventris ad humanos oculos. Et idcirco quod primus de vulva natus est, primogeniti jure consecratur. Nescio quid amplius ad hujus questionis comprobationem congerere sit necessarium testes. Tot enim et tam magna auctoritatis viri, non solum euilibet sufficere catholico possunt, verum quemvis hereticum, et fidei gravitate, et sapientiae lumine conterere queant.

## CAPUT IX.

*Item ex Hieronymo.*

Ne autem sibi quidquam commentum novitatis dcesse queratur, iam nunc ipsa Virginis pudenda nudo nomine dicta, et per ea genitum Salvatorem in medium constituamus. Hieronymus, saeræ legis interpres, omnium peritissimus disciplinarum, fidei turris inconcussa, sapientiae lampade splendidissimus, eloquio facundissimus, Latini, Græci Hebraique sermonis doctissimus, in libello adversus Helvidium, constituens primo ipsius Helvidii super hac re dicta, postea suam sententian profert, qua bene ab haeretico insinuata confirmat. Sic enim legitur: « Nunc quid non quotidie Dei manibus parvuli singuntur in ventribus, ut merito erubescere debeamus Mariam nupsisse post partum? Quod si hoc illis turpe videatur, superstis ut non credamus etiam Deum per genitalia Virginis natum. Turpius est enim juxta eos Deum per Virginis pudenda genitum, quam Virginem viro suo nupsisse post partum. » Hactenus haeticus de nupti Virginis post partum nefandissima latrat. Sed de generatione Filii Dei per hominem verissima narrat, quod sequens oratio doctoris nostri declarat manifeste. Talis enim est: « Junge, si libet, alias nature contumelias, novem mensibus uterum insolecentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans tegmine mem-

branarum solito convolutus: ingeantur dura præsepio, vagitus parvuli, octavi dici circumcisio, tempus purgationis, ut probetur immundus, non erubescimus, non silemus. Quanto sunt humiliora quæ pro me passus est, tanto illi plus debeo. Et cum omnia replicaveris, nihil cruce contumeliosius proferes, quam profitemur, et credimus, et in quæ de hostibus triumphamus. Sed ut hæc quæ scripta sunt, non negamus, ita ea quæ non sunt scripta, renuius: natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus. »

Distinctione prudenti vir doctissimus quæ fuerant ab adversario male ingesta removit, et quæ catholice prolata suscepit; quæ vere dicta confirmavit, et quæ ore blasphemico jaculata redarguit. Per genitalia Virginis natum esse Deum confessus est: post partum nupsisse Mariam reprobavit: quod genitalia et pudenda in injuriam sacri partus depropserit, exsecratus est; quod Verbum caro factum per secretam ventris januam exire non repudiaverit, approbavit. Inde est quod et alias nature depositiones annexuit, novem mensibus uterum insolecentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos, infantem tegmine membranarum solito convolutum, dura præsepio, vagitus, circumcisio, tempus purgationis, novissime crucis contumeliam; hæc universa tanquam catholicus amplexatur, suscipit, veneratur. Quanto namque humiliora pro electis passus est Creator, tanto plus illi debent hac oratione doctoris egregii considerare, quia non pauca dinumerat, quæ parvulus nequiverit sustinere, si non humani partus lege natus est, ut partum, sanguinem, pannos, membranarum convolutionem, vagitus. Universa hæc et genitalis virginei secretum, et humanæ nativitatis legem protestantur.

Pariter quoque disce Spiritum sanctum hanc sacrosanctum qui protestatus est ortum, et sanctos doctosque homines, qui eum postea verbis scriptisque suis commendavere populis, magis illum voluisse sermonis honestioris insinuare circuitu, quam simplicis eloquii servando proprietatem, aliquid quod offendaret audientes, in medium proferre: decebat enim tantam rem non humiliibus, sed magnis, non sordidis, sed honestis exponere verbis, ut illud: « Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel, et exiet virga de radice Jesse, et flos de radice eius descendet. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem (*Num. xxiv, 17; Isa. i et xlvi, 8*). » Neque enim defuere Spiritui sancto verba, quibus genitale virginum valuerit aperire, sed rem præclaram atque magnificam præclaris magnificisque delegit figuris edocere. Accessit tamen et proprius, et legitimis propriisque decoris adapseruit sermonibus: propterea Propheta: « Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium (*Isa. vii, 14*). » Et: « Puer natus est nobis; filius datus est nobis. » Et angelus ad Mariam: « Ecce concipies et paries filium (*Luc. i, 31*), »

et multa horum similia : in omnibus istis et naturalibus et decentibus Christi nativitas commendatur verbis.

Vitatur tamen suo vocabulo pars illa membrorum qua partus egreditur, commemorari, utpote nec honestum, nec necessarium. Alioquin quando nomina ponuntur officiorum et verba, quis non et ea membra quibus illa peragantur officia, statim intelligit? Si quidem et videre per oculos, et audire per aures, et ambulare per pedes intelligimus, nec quando de aliquo prædicatur, ut vidit, audivit, ambulavit, ponuntur pariter oculi, aures, pedes, nisi distinctionis et intelligentiae gratia, nec sic nos significata verborum advertimus, ut non partem, etiam membra illa sine quibus talia ministeria non explicantur, sentiamus. Qua de re quod superfluum et turpe erat super saeri partus actu refugit enuntiare oraculum cœleste, refugerunt et sancti homines. Porro quod plenum significationis et commendationis modestiam habebat, exposuere. Nec tamen et hoc usquequaque vitarunt, sive propter futuros veritatis inimicos, sive propter tollendæ dubietatis occasionem. Inde est quod ait Lucas evangelista : « Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem ut sistrent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc. 11, 22*). » Nec mirum si noluerint graves et reverendi doctores talia super gloriosissimæ nativitatis contumeliam referre, qualia nec vulgus super cuiuslibet paupercula partu non erubescit confiteri.

Ergo et iste doctor insignis, cuius hic testimonium protulimus, cum recepisset ab inimico veritatis testimonium veritatis super divina generatione, indignatur tamen verborum injurias in Virginis contumelias, quod illis verbis quanquam naturalibus, quanquam propriis, humiliibus tamen minusque modestis virginis narraverit partum.

#### CAPUT X.

*In medium adducuntur poetarum Christianorum suffragia.*

Amplius ergo jam non est quid requiras, quando nil superat de sancto partu quid discutias : siquidem pervenimus jam ad genitalia Virginis, transivimus ad pudenda puerperæ, ut cui non dabant intelligentiam conceptus, partus, generatio, nativitas, apertio vulvæ, tandem doceant pudenda, erudiant genitalia; non dederint intellectum naturalia et honesta, dent saltem turpia et figurata. Quoniam tantum docti sunt nostri secretorum pervestigatores, ut potius obscuris et alienis, quam claris et propriis assentiantur significationibus.

Verum poetarum jam suffragia convocemus, ut omnis eloquentia testimonium ferat veritati. Prudentius, vir liberalium studiorum non ignarus, in Apotheosi dum de injuriis quas passa est vita mundi pro libertate mundi disputaret, atque ab eis invio-

labilē naturam, id est divinam, segregaret, easque passibili substantiæ, id est humanæ, assignaret, sic ait :

His affecta est caro hominis, quam femina prægnans  
Enixa est sub lege veteri, sine lege mariti.

Fideli prorsus et sapienti narratione et concubitu secrevit, et prolem naturaliter enixam dissernit. Legem removit mariti, et legem substituit uteri; ut de Spiritu sancto concepisse monstraret, per vulvam peperisse non taceret. Huic simile Fortunatus presbyter peregrinus, sed cœlestis civis, pauper rebus, censu fidei dives, in laude virginis Mariae sic fatur (*Carm. lib. viii, poem. 5, post init.*) :

Sed redeo qua Virgo trahit mihi laude canenda,  
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.  
Quemque pluunt nubes justum de ore serenum,  
Haec Salvatorem germine terra dedit.  
Haec porta est clausa, in quam intrat vir nemo, nec exit,  
Ni Dominus solus, cui quoque clausa patent.

Non disconvenit superiori, imo aliis verbis hoc idem designat; nam gemina periodo eamdem sententiam commendans, et virginitatis prædicat integritatem, et humano de more nativitatis indicat expositionem, et Salvatorem conceptum divinitus narrat, et naturalis semite vena germinatum; utque clarius eliqueret quod loquebatur, attestatur Mariam portam exstitisse Ezechieliticam, per quam virilis nullus est introitus, vel exitus; solus vero omnipotens, cui nihil est clausum, per eam transit, ut qui concipi decrevit ex Virgine, humani partus lege de ea nasceretur.

Post omnes Athanasius Alexandrinus veniat, ut qui dote virtutum, constantia probatæ fidei, sapientiæ doctrina, perseverantia confessionis, solus, ut ita dixerim, Arianæ perfidiæ subvertit multitudinem numerosam, et vexillum veræ credulitatis propugnator gerens invictus Ecclesiæ restauravit murum, roboravit statum; nostræ quoque disputacionis confirmator assistat, et erroris sectam valenter evertat. Ad Epictetum adversus eos agens qui unius substantiæ Verbum et corpus quod assumpsit pro nostra redemptione dogmatizabant, cum fides teneat Christiana duas substantias, divinam scilicet humanaque in Christo conjunctas, ut in una persona utraque natura suam possideat distinctionem; sic insit inter reliqua : « Propterea ergo necessaria Maria, ut ex ipsa corpus assumeret, et ut suum pro nobis corpus offerret; et hanc Isaia propheticans ostendit, dicens : Ecce Virgo. Gabriel autem mittitur ad ipsam non transitorie virginem, sed ad virginem despontalam viro, ut sponso ostenderet Mariam vere hominem fuisse. Et partus meminit Scriptura, et dicitur : Involvit puerum. Et : Beata sunt ubera quæ suxit. Et, oblatum est sacrificium, quoniam aperuit qui natus est vulvam. Haec autem omnia parturientis virginis erant indicia, et Gabriel certissime evangelizavit ipse dicens non transitorie, quod nasceretur ex te; ut non de foris inditum ei corpus videretur, sed, ex te; ut ex ipsa, naturaliter quod natum est, esse manifeste credatur; et hoc natura

demonstrante, quia impossibile est virginem lac proferre, et impossibile est lacte nutriti corpus et pannis involvi non ante naturaliter natum. »

Orthodoxæ fidei constantissimus, quem Dominus posuerat in civitatem munitam, in murum æneum, et in columnam ferream regibus Judæ, principibus ejus et omni populo terræ, non aliter de Virginis partu aut sentire potuit, aut effari, quam sentit et prædicat Ecclesia, quæ est domus ædificata super solidissimam petram, columna et firmamentum veritatis; propter quod cum enumeret plura quibus approbat incarnatum natum Christum de Virgine, ut etiam novam depellat hæresim, dicitur quoniam qui natus est apergit vulvam. Hanc veræ confessio[n]is doctrinam magis ac magis inculcans, inferius annexit: « Impossibile esset virginem lac proferre, et impossibile esset lacte nutriti corpus, et pannis involvi, non ante naturaliter natum. » Quid amplius vultis, novæ et inauditæ præteritis sacerulis hæreseos, vel auctores, vel defensores? En consistit adversum cuneum vestrum Athanasius ille, qui olim contra perfidiam Arianam dimicavit. Illo certamine divinitatem Verbi defendit, hoc agone humanitatem pro-pugnat. Tunc nativitatis quæ est de Patre veritati contradicebatur, nunc nativitatis quæ est de matre veritati resistitur. Hostes illi confligeant non esse natum Filium de substantia Patris, sed ex nihilo factum, isti oppugnant non naturaliter ortum Christum de matris utero, sed prodigaliter exceptum. Ubique Christo contradicuntur, ubique mundi liberatio maledictorum linguis injuriatur, sed propugnator doctus vincere, nesciens cedere, non de se tamen præstans, sed in ipso pro quo pugnat confidens, accedit, et catervam superbia tumidam, vanitate sub-nixam, veritatis mucrone concidat.

Intorques pars adversa telum, et jactas: Non est natus Deus per naturam mulieris. Opponit fidei scutum vir fidelis, et refert gladium verbi Dei. « Oblatum est sacrificium, quoniam qui natus est, aperit vulvam. » Quid stupes falsitatis commentum? Non mucrone stimulatus, sed validissimo telo percussus es; oblatum est sacrificium, non vales negare; qua de re et apertam vulvam cogeris confiteri. Quod si aperuit vulvam, natus est per naturam mulieris sanguineam. Veternosus anguis quo convertis aciem? quo lubricum captas caput objectare? An adhuc con-naris in vulnus et insibilas ore trisulco; si aperuit

vulvam, corruptit? Sed os pestiferum obice Danieli-tico jam nunc oppiletur, ut squamosus draco per par-tes disjectus cesseret dementare Chaldæos. « Isaías propheta: Ecce Virgo: et Gabriel mittitur non transitorie ad virginem, sed ad virginem desponta-tam viro, » et post, partum, post, involutionem par-vuli, post, lactationem, post, oblatum, quoniam aper-ruit qui natus est vulvam, inclamat. Haec omnia par-turientis virginis erant indicia. Ergo virgo parit, non corrupitur, virgini matri nascens Deus aperuit vulvam, nec violavit pudoris sigillum.

Nec ad hæc forsitan penitus conquiescis, sed au-des rursus confractam concisamque in ictus manum moliri: Deo nascituro nihil fuit clausum, sed voluntas ut exstitit nascendi, affluit mox egressus, nec moras passus est nativitatis, cui sine processu factus est ortus. Et hanc perfidiae calumniam sic elidit de-fensor fidei, non quo Divinitatis subroget potentia quidquam, sed quo humanæ nativitatis homini Deo contestetur veritatem; ut ex ipsa, naturaliter quod natum est, esse manifeste credatur. Igitur naturaliter natum esse Deum hominem factum prædicat, ut per naturæ vulvam humani partus lege processisse cognoscas. Inde quoque docet haud aliter Virginem lege naturæ potuisse lac proferre, vel lacte nutritre corpus; vel consequenter pannis involvere non ante naturaliter natum.

Ergo omnifariam, adversario devicto, teneamus vera fide, confiteamur ore veridico, Verbum carnem factum per ministerium vulvæ naturaliter natum, et secundum rationis consequentiam, et secundum di-vinarum testimonia Scripturarum, et secundum do-ctorum non contemnendam auctoritatem: satis abun-deque, ut aestimo, monstratum est, Dominum Salva-torem de Virgine sicut hominem natum, non ut integritatem violaret, illa nativitas, quia Maria virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo mansit et post partum. Sed ut qui de virgine corpus assumpsit, et intra gremium virginale concrèvit, per aulam quoque virginem naturaliter nasceretur. Quod si alicui ista non sufficeriat, vel tarditate sensus, vel contradicendi studio, non deerit unde utrique sub-veniatur. Si tamen et vulnus aperire suum maluerint, et contentionis perniciem non amare. Lusimus hæc de more studentum: quæ si quis contemnet, exer-citia nobis nostra complacebunt.

### HINCMARUS, REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

#### I. — B. *Maria simul et mater exstitit, et perpetuo ac semper virgo permansi[t].*

A sæculo non est auditum, nec desub isto celo in Scriptura veritatis est lectum, ut vulva feminæ sine coitu semen suscepérít atque conceperít, et clauso utero, et inaperta vulva, seu integræ carne, vivum vel abortivum pepererít, excepta sola singu-lariter beata et benedicta Virgine Maria, cuius

conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ali-eam archangelo: *Ave, gratia plena (Luc. 1, 28)*, in quam Spiritus sanctus supervenit, qui ei ex virgi-neo semine, virgineoque sanguine, sine voluntate viri, fecunditatem prolis contulit, virginitatem non abstulit: quæ sicut in carne integræ, et vulva non adaperta, id est clauso utero, concepit, ita non aperta vulva, sed clauso utero peperit, simulque et mater

exstitit, et perpetuo ac semper virgo permanxit. (*De dior. Lotharii et Tetbergae, ad interrog. xii resp.*)

II. — *Ad imaginem Dei Genitricis in ipso altari positam.*

Virgo Maria tenet regemque, Deumque,  
Visceribus propriis natum de Flamine sancto.

III. — *Carmen inscriptum in libro Evangelii quem Hinemarus donavit ad usum altaris B. Marie.*

Sancta Dei Genitrix, et semper Virgo Maria,  
Hinemarus præsul defero dona tibi,  
Hæc pia quæ gessit, docuit nos Christus Iesus  
Editus ex utero, casta puella, tuo.

### REMIGIUS, ANTISSIODORENSIS EPISCOPUS.

#### HOMILIA IV.

**IN ILLUD MATTHÆI :** *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Nativitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, qua Dei Filius homo fieri dignatus est, Matthæus evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate descripsit. Cœpit namque ab Abraham generationem patrum describere, et perduxit eas usque ad Christum, et, ut ostenderet quantum distaret Nativitas Domini nostri Iesu Christi a cæterorum hominum nativitate, subjunxit : « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph. » Ostendit enim illos secundum solitam copulam maris et feminæ generantes et generatos; Justum vero nec generantem nec generatum, sed de Spiritu sancto ex Virgine conceptum et natum. Et quia Dei Filius nasciturus erat in carne, decebat ut non ex alia nasceretur, quam ex illa quæ virgo erat : et quia Virgo paritura erat, decebat ut non aliud pareret quam qui Dei Filius esset. Sed sciendum quod beatus Matthæus non tempus, non locum, non ordinem conceptionis narrat, quæ omnia manifestissime beatus Lucas demonstrat cum dicit : « In mense sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileeæ, cui nomen Nazareth, ad virginem despontatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria. » Et quia Virgo paritura erat Dei Filium, decebat ut prius ab angelo salutaretur, deinde divina virtute illustraretur, ac sic demum Dei Filium in se susciperet. Quærendum nunc est quare Dominus noster Jesus Christus non de simplici virgine, sed ex despontata nasci voluerit, et sciendum quod plurimæ rationabiles causæ a sanctis Patribus traduntur; verumtamen præcipuae hæ sunt : Prima est ut per Joseph origo demonstraretur beatæ Mariæ, cum ambo de una eademque tribu fuerint; secunda, ne quasi adultera lapidaretur ab Iudaïs, si virum non haberet et filium procreasset; tertia, ut fugiens in Ægyptum haberet maritale solatium, quo sustentaretur, hoc est haberet virum qui Dominum in Ægyptum ferret et referret, et necessaria feminæ fragilitati subministraret, et fidelis custos et tutor integerrimæ virginitatis, et testis certissimus, et nutritius esset Domini fidissimus; quarta, quam addidit martyr Ignatius, ut partus ejus celaretur diabolo, id est ut non haberet diabolus suspectum partum, dum videret eum ex coniuge natum. Si enim de simplici virgine nasceretur, facile diabolus eum Dei Filium agnoscerebat, et nunquam crucigeretur; unde est illud Apostoli : « Si enim agnoscisset, nun-

quam majestatis dominum crucifixissent. » Sequitur : « antequam convenienter. » Hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, id est quando ea quæ fuerat sponsa incipit esse uxor; et est sensus : antequam convenienter, id est antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent; nam quod postea accepit eam, evangelista in subsequentibus manifestat cum dicit, quia monente angelo accepit eam Joseph, et quia non concubebant, idcirco subiungit : « et non cognoscebat eam. » Tamen « inventa est habens in utero, » et certe a nullo alio nisi ab Joseph, quia maritali sententia pene omnia futuræ conjugis noverat, et idcirco tumentem ejus uterum curioso deprehendebat intuitu. « Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. » Bene justus, quoniam justitiae custos erat, videbat namque sponsam concepisse suam, quam noverat a nullo viro fuisse attactam; videbat gravidam, quam vere noverat castam, et quia legerat in propheta « de radice Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet, » et noverat beatam Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit filius Jesse, legeratque etiam : « Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, » idcirco non discrederebat, vel diffidebat hanc prophetiam esse implendam in ea; et cum esset justus, et omnia juste vellet agere, dignum existimat ut hæc nulli proderet, et tamen eam non acciperet uxorem, sed, mutato proposito nuptiarum, dimitteret eam, ut maneret sponsa sicuti fuerat. Et hoc est quod dicit evangelista, « et nollet eam traducere, » id est palam facere, sed occulte voluit dimittere, id est tempus nuptiarum mutare; quod si fecisset, perpauci essent qui non magis autumarent eam meretricem quam virginem, et idcirco repente consilium Josephi divino mutatum est consilio, nam « hæc eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei. » Justo Joseph, juste omnia cogitanti, et disponenti bene justus directus est nuntius, qui ad conservandam Virginis famam monuit ut eam acciperet uxorem. Hinc beatissimus Ambrosius ait : Maluit Dominus quosdam de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; maluit aliquos modum suæ conceptionis ignorare, quam castitatem suæ Genitricis infamare; hoc est magis elegit ut filius fabri diceretur, quam ut ejus mater adultera vocaretur. Per hoc vero quod angelus in somnis apparuit Joseph, requies designatur mentis, et quia requiecebata curis secularibus, idcirco angelica visitatione pariter et locutione meruit perfriu. « Joseph, fili David, noli timere. » Blandientis affectu angelus allo-

quitur Joseph, cum eum proprio nomine, et filium David, vocet; erat enim filius David non tantum genere, sed fide et imitatione. « Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. » Monnit ut acciperet ad nomen conjugii, non ad operis officium; « quod enim natum est in ea de Spiritu sancto est; » et ut dignitas partus ostendatur ait: « Paret autem filium et vocabis nomen ejus Jesum, » hoc est totius mundi Salvatorem, et universorum salutis Auctorem. Salvat ipse quidem non infideles, non incredulos, sed populum suum, hoc est, in se credenteum; salvat non tam a visibilibus hostibus, quam potius ab invisibilibus, hoc est a peccatis; salvat non armis pugnando, sed peccata relaxando. Quod autem tali nomine nunquam cupari debuisset, longe ante praedixerat per Isaiam cum ait: « Justus et salvans Dominus non est praeter me. » Et quod tali nomine vocari debuisset, etiam antequam nasceretur ipse praedixit per prophetam: « De ventre matris meae vocavit me Dominus nomine meo. » Sequitur: « Hoc totum autem factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam. » Quærendum est in hoc loco quare dixerit sanctus evangelista totum factum esse, cum superius solam narraverit conceptionem. Sciendum tamen quod idecirco sanctus evangelista totum factum esse dixit, ut per hoc demonstraret, quod ante in præscientia Dei totum factum fuit quam fieret apud homines, sive quia præteriorum rerum erat narrator, et ideo totum factum erat: mos namque fuit hujus sancti evangelistæ pene omnia quæ dixit exemplis Veteris Testamenti confirmare, maxime propter illos Judæos qui ita crediderunt in Dominum Jesum Christum, ut timerent recedere a carnali observatione legis, ut tanto facilius retraheret eos ab ipso timore, quanto jam viderent et agnoscerent ea esse completa in gratiam Evangelii, quæ prædicta vel gesta fuerant in Veteri Testamento: « Ecce Virgo in utero habebit. » Quod Virgo esset conceptura, et Dei Filium paritura multis demonstratur exemplis; Salomon enim dicit: « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. » Sapientia Christus est, de quo Apostolus dicit: « Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. » Hæc sapientia itaque ædificavit sibi domum, vel matrem de qua sumpsit carnem, vel corpus in Virgine, in quo apparuit visibiliter inter homines. Et Psalmista dicit: « Mater Sion dicet: Homo, » etc. Mater Sion ipsa est beata virgo Maria, et Christus homo factus est in ea, quia Filius Dei carnem sumpsit ex ea; « et ipse fundavit eam Altissimus, » quia ipse Altissimus, qui homo factus est, fecit sibi matrem, de qua nasceretur secundum humanitatem. Ille et Isaías: « De radice, inquit, Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet. » De radice Jesse exivit virga, quia de stirpe David qui filius Jesse fuit, ut diximus, originem duxit beata Maria, quæ florem munditiae, id est Dominum Jesum Christum, absque macula peccati concepit et genuit. Hæc est virga illa Aaron quæ fronduit, et frondes in amygdalum produxit; nam sicut illa absque humore ullo

terræ flores et frondes in amygdalum produxit, ita et beata virgo Maria absque ullo humano semine concepit, et peperit Christum. Et bene Dominus noster Jesus Christus similatur amygdalo: nam sicut amygdalum constat ex osse, cortice, et medulla, ita Dominus noster Jesus Christus constat ex divinitate et humanitate, carne scilicet et anima, et qui absque humano semine natus est de Virgine, ideo per Prophetam loquitur dicens: « Ego autem sum vermis et non homo. » Nam sicut vermis ex ligno absque ullo semine nascitur, ita et Christus de Virgine. Inde est etiam quod secundum septuaginta Interpretes scarabeus de ligno elamat. Quærendum est etiam quare dicat sanctus evangelista « habebit » cum propheta dicat « concipiet; » et sciendum quod quia propheta futura prædicabat, idecirco posuit « concipiet, » nam illud concipiatur quod non habetur. Evangelista vero quia de præterito narrabat historiam, ideo mutavit « concipiet, » et posuit « habebit; » quoniam illud quod habetur jam non concipiatur, sed tenetur. Quod autem dicit: « Vocabitur nomen ejus Emmanuel, » putandum est hoc nomen sic interpretatum fuisse ab aliquo translatore, non a propheta vel evangelista, ne hoc haberetur obscurum vel confusum apud Latinos. Hoc namque nomine due substantiae Domini nostri Iesu Christi, divinitatis scilicet et humanitatis in una persona designantur, quia qui ante omnia sæcula ineffabiliter genitus est a Deo Patre, idem ipse in fine temporum factus est Emmanuel, id est « Nobiscum Deus » ex Virgine matre. Quod autem dicitur « Nobiscum Deus, » potest intelligi hec modo: Nobiscum factus est, hoc est passibilis, mortalis, esuriens, sitiens, lassescens, et per omnia nostri similis absque peccati affectione: sive « Emmanuel, » hoc est nobiscum Deus factus est, quia substantiam nostræ fragilitatis, quam assumpsit, substantiam suæ divinitatis in unitate personæ univit et conjunxit, quando « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; » ut mirum in modum inciperet esse quod nos sumus, nec tamen desineret esse quod erat. « Exsurgens autem a somno Joseph fecit quod præcepit ei angelus Domini. » Eo ipso aditu redit vita, quo ingressa est nörs, id est per virginem feminam, et per obedientem virum. De virgine terra creatus est Adam, de virgine femina natus est Christus. Per inobedientiam Adæ omnes perditum sumus, per bonam obedientiam Joseph omnes ad pristinum statum revocamus; nam his verbis magna nobis virtus obedientiæ commendatur, quibus dicitur: fecit sicut præcepit ei angelus Domini; accepit videlicet Mariam celebratis nuptiis, atque accepit, ut ea conjux vocaretur, non ut tamen concumberent, quia sequitur: « et non cognoscebat eam. » Fuerunt quoque nonnulli qui dixerant quod Joseph non celebratis nuptiis beatam Mariam accepit, sed bene ait Beda: Ille qui hoc didicit ostendat ubi licitum fuit unquam apud Judæos quod sponsi et sponsæ simul convenirent absque celebratione nuptiarum, et si ostenderit, nos

sano ejus sensui cedimus; tantum videat ne atiquid tale proferat, quod matrem Domini infamet; et cum hoc ostendere non potuerit, nostrae credit assertioni. Et « non cognoscebat eam. » Hoc verbum *cognosco* aliquando in sacris Scripturis pro cognitione ponitur, ut illud: « Cognovit Joseph fratres suos, ipse tamen non est agnitus ab eis: » et item: « Remansit pater Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. » Pro concubitu etiam ponitur, ut illud: « Cognovit Adam adhuc etiam uxorem suam, et genuit ex ea filios et filias. » Sic et in hoc loco pro concebitu ponitur et « non cognoscebat eam, » id est non concubebat cum ea « donec peperit filium suum primogenitum. » Fuerunt præterea nonnulli hæretici qui dixerunt quod Joseph et beata Maria post natum Dominum simul convenienter, et filios eos procreassent, quos sancti evangelistæ fratres Domini appellant, et ad suum errorem confirmandum sumpserunt hoc testimonium dicentes, quod nequaquam sanctus evangelista dixisset « donec, » nisi post Dominum natum simul convenienter. Sed procul repellat Deus hunc errorem a cordibus fidelium; sciendum namque est quod sanctus evangelista illo tempore, scilicet ante partum, negare studuit quod Joseph non cognovit eam, ne aliqua suspicio posset oriri; post partum vero nullum dubium esse credit quod non convenerint, ideoque negare non curaverit. Si enim illa legalis Maria, postquam divino mernit perfrui eloquio, carnali non legitur copulae permista; Noe etiam et Moyses postquam divinis perfrui eloquii meruerunt non concubuisse leguntur, quis sanæ fidei audeat dicere hanc evangelicam Mariam, et hunc evangelicum virum Joseph scilicet post natum Dominum convenienter, præsertim cum illis in castitate permanentibus singulari gratia natus est Dei Filius? Verumtamen sciendum quia solet « donec » pro infinito accipi, ut est illud: « donec senescaris ego sum. » Nunquid, postquam ille scuerit, desiit esse Deus? Non; sed sic est intelligendum: Ego semper ero etiam postquam vos scueritis. Et item: « Vivo ego, dicit Dominus; non delebitur hoc peccatum vestrum donec moriamini. » Nunquid postquam mortui erunt, deletum est peccatum eorum? Non; si enim ante non est deletum, post mortem minime. Et Psalmista inquit: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. » Nunquid postquam facti sunt inimici illius scabellum pedum ejus, desiit Filius sedere a dextris Patris? Non; sed talis est sensus: Inimici quidem tui pedibus tuis subjiciuntur, et tu a dextris meis semper sedebis. Et in Evangelio legitur: « Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Et est sensus: quia nunquam reddes, nunquam exies. Sic et in hoc loco pro infinito accipitur: « et non cognoscebat eam donec peperit filium suum, » id est nunquam cognoscebat. Sciendum est præterea quia fuerunt nonnulli hæretici qui dixerunt Dei Filium non veram carnem ex Virgine

sumpsisse, sed imaginarium corpus habuisse, ideoque addidit « suum, » hoc est proprium, non adoptivum, non aliunde, neque ex nihilo, sed ex sua substantia, et sancto Spiritu conceptum et natum. Sequitur « primogenitum. » Non etiam defuere hæretici qui ad confirmandam sententiam sui erroris hoc verbum asumpserunt dicentes, quod nequaquam sanctus evangelista dixisset « primogenitum, » nisi is habuisset fratres; falso tamen, nam primogenitus dicitur non ille solummodo quem fratres sequuntur, sed qui primus nascitur, sive non. Legis namque preceptum fuit ut « omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocaretur, et omnia primogenita Deo in templo offerrentur, et septem diebus essent sub uberibus matrum, octava die vero offerrentur Domino. » Et nunquid illa solummodo primogenita offerebantur quæ fratres sequebantur? Non, sed omnia quæ primo nascebantur. Et item legitur quia « percussit Deus primogenitum in terra Ægypti: » et nunquid illa solummodo primogenita percussit, quæ fratres fuerant secuti? Non, sed omnia quæ primo nata sunt tam de hominibus quam de animalibus. Ergo omnis unigenitus recte potest dici primogenitus; verumtamen non omnis primogenitus dicitur unigenitus. Dominus igitur Jesus Christus cum sit unigenitus bene dicitur primogenitus, quia primus de Virgine est natus, et natus quidem non devirginavit matrem, quæ virgo semper permansit; de ea namque scriptum est: Porta hæc clausa erit, et vir non transibit per eam: solus Dominus egredietur per eam, et erit semper clausa. Et quid mirum si unigenitus Dei Filius primogenitus dicitur eo quod primus natus sit de Virgine? cum etiam primogenitus mortuorum dicatur, unde est illud: « Ipse est testis fidelis primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ. » Bene quidem primogenitus mortuorum dicitur, quia ipse primus a mortuis resurrexit, et nobis aditum resurgendi de morte ad vitam dedit. Dicitur etiam primogenitus in multis fratribus, » ut illud Apostoli: « Quos autem prescivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » In quibus multis? In illis videlicet de quibus Joannes apostolus ait: « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Et sciendum quia non solum dicitur primogenitus in illis qui post eum fuerunt, sed etiam in illis qui ante ejus nativitatem exstiterunt, qui bene utique possent dicere cum Joanne: « Post nos venit vir qui ante nos factus est, » atque etsi post nos natus est, tamen potentia sua divinitatis nos præcessit. Primogenitus etiam dici potest secundum ipsam naturam divinitatis, ut illud: « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. » Sapientia loquitur, et sapientia Christus est, de quo Apostolus: « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. » Hunc Christum Dei virtutem et Dei sapientiam Virgo mater in fine temporum concepit et peperit, quem Deus Pater ante omnia sæcula ineffabiliter genuit. Præterea

dicitur primogenitus eo quod ipse primus aperuit vulvam sanctæ Matris Ecclesiæ ad procreandos Deo filios per aquam baptismatis. « Et vocavit nomen ejus Jesum. » Lignet hoc nomen fuisse notissimum sanctis Patribus et Dei prophetis, et maxime illi qui dicebat: « Defecit in salutare tuum anima mea; » id est, in considerando salutare tuum anima mea

defecit; et item : « Exsultavit cor meum in salutari tuo; » nec non illi qui dicebat : « Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. » Et per maximum est illud : « Deus, in nomine tuo salvum me fac, » id est, gloriam tui nominis quo Salvator diceris, in me salvando glorifica, ut tuum nomen sit super me.

## ATTO, VERCELLENSIS EPISCOPUS.

*Sermo in Assumptione beatar Dei Genitricis semper Virginis Mariae.*

Assumptionem gloriosæ Mariæ semper Virginis hodie celebramus, quam in cœlesti throno colloquiam devotis mentibus adoramus. Nam ipse Deus et Dominus, enjus eam Genitricem colimus, ait in Evangelio: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illuc et minister meus erit* (*Joan. xii, 26*). Præ cunctis enim mortalibus sancta Dei Genitrix Christo Domino ministravit; quem adeo est secuta, ut cum tristante tristaretur, cum paciente pateretur: de cuius tamen passione ei prædictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc. ii, 35*). Vere ergo cum ipso manet in cœlis, cui sedulo servivit in terris. Item discipulis suis ipse alibi ait: *In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (*Joan. xiv, 20*). Item: *Sicut ego et Pater unus sumus* (*Joan. x, 50*), sic vos et ego unum manebimus: quod enim ait apostolis, hoc sentiendum est et de cæteris justis. Quid ergo mirum qui in eo sunt, si in cœlis consistunt? Aut quid etiam magnum, si beata Maria cœlestis esse meruit, cum beatus Apostolus de omnibus justis dixerit: *Qualis cœlestis, tales et cœlestes?* (*I Cor. xv, 48*.) Cœlestis enim Christus est, qui de cœlo descendit, quem etiam imitando ejus participatione cæteri quoque justi cœlestes esse merentur. Nec videatur contrarium quod Dominus ait in Evangelio: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* *Filius hominis* (*Joan. iii, 13*). Deus enim Christus est Dei Filius et hominis, qui solus de cœlo descendit, imo qui et solus ascendit. Cæteri autem qui in ipso sunt, unum sunt, et jam diversi non sunt, sed ejus membra sunt. Et ideo solus ascendit, dum ea quæ in se sunt, vel quæ... habitare in cœlo. Nam apostatae angeli, qui in cœlo fuerunt, qui a Deo recesserunt inde... homines si Deo adhæserint, in cœlum sublimabuntur; quod imo de beata Maria dicendum est, quod præ cunctis mortalibus in ea mansit Dominus. Et ideo in ipso eam manere nullo modo diffidimus; de cuius etiam corpore corpus assumere dignatus est, eam sibi membrum coaptasse non dubium est; et cui præ omnibus adhæsit in terris, ipsam sibi præ cunctis applicavit in cœlis. Corporis vero ejus jam factam resurrectionem affirmare minime audemus, quia nec a sanctis Patribus

hoc declaratum esse cognoscimus. Denique in valle Josaphat ejus sepulturæ manet locus, ubi tamen ejus non reperitur corpus. Sed qui de ea inessabiliiter carnem eduxit, ipse quid de ejus sit corpore novit. Tamen sive in corpore, sive extra corpus, super choros angelorum in cœlis exaltatam confitemur: si enim veraciter omnes justos resurrecturos cum propriis corporibus quandoque credimus, eosque in aera occursuros Deo, et sic semper postmodum cum ipso mansuros confidimus, secundum quod beatus Paulus ait apostolus (*I Thess. iv, 16*): quid mirum si Matri per quenam miserationis effectum Dominus anticipando præstitit, quod omnibus in fine sæculi sanctis donabit, cum mortalia corpora immortalitate induerit? Denique scriptum est: *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum* (*I Cor. xv, 41*): per claritatem namque solis resurrectionem Apostolus docuit Salvatoris, de quo scriptum est: *Vobis, qui timetis Deum, oriebitur Sol justitiae* (*Malach. iv, 2*). Per lunæ intelligere possumus etiam Matris suæ: nam sicut luna a sole præcipue inter sidera illuminatur, sicut et ipsa a Domino inter cæteros justos divino procul dubio lumine potius illustratur. Cum vero stellarum subiunxit, cæterorum sanctorum resurrectionem innotuit. Sequitur: *Sicut stella a stella differt in claritate, sic et resurrectione mortuorum* (*I Cor. xv, 41, 42*): nam discretio vitæ varietatem gignit resurrectionis. Poterat forte resurrectione Dei Genitricis præcedere aliorum anticipando, quos per vitæ meritum in terris præcesserat vivendo. De morte quoque ipsius nullam singamus dubietatem, quam et in sui Filii cognovimus humanitatem. Morti tamen succumbere diu non meruit, quam ex ea sumpta caro jam resurgendo devicit: nempe cuius filius cœlos ascendit per maiestatem, matrem illuc assumere poterat per pietatem. Nec dubium est ei suam impertisse gloriam, eamque totius mundi constituisse dominam. Nam qui patrem et matrem... implere... Scripturarum exemplis possumus approbare... igitur sancta Virgo adepta est dignitatem, dum Dei meruit effici Mater. Virgo peperit puerum, mulier Deum, Spiritu sancto gravida est, auctore mundi fecundata est, super choros angelorum in cœlestibus exaltata est, quo nos pius Dominus, ejusdem Virginis interventu, perducere dignetur, cuius, etc.

## RATHERIUS, EPISCOPUS VERONENSIS.

I. — *Hæc verba : « Maria optimam partem sibi elegit, » B. Dei Genitrici convenienti. — B. Maria Virgo perpetua. — Ejusdem intercessiois potentia apud Filium.*

Reminisci utinam dignaremini, fratres, præterita sancte Dei Genitricis Marie solemnitate in oris nostri obsequium vestro persolvisse collegio, quo ex evangelica lectione monstraremus, non minus beatæ Dei Genitrici illud convenire, quod ei ita est prolatum in fine : *Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea; quam ei, cui hoc vox ipsa deproprompsit Dominica.* . . . . .

Verum his alio reservatis, dicendum quod jam diximus, lectionem utique hanc hodie ideo lectam, quia quod Maria hæc tunc temporis faciebat, quando pedibus Domini assidebat, aequivoca ejus Mater Domini a die ortus sui facere cooperat, optimam utique partem eligens ; id est, quod optimum in existentibus est, utique Dominum visceratim desiderans, quem quia præ omnibus dilexit, in tantum præ omnibus eo perfici meruit, ut eum prius mente, postea et mente gestaret et ventre. Quæ pars scilicet neque ab ea est unquam ablata, neque in æternum anseretur ab illa ; quandoquidem virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo mansit post partum. Quæ nobis piissimis suis precibus placatum suum dignetur efficere Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. (Ex serm. *De Maria et Martha.*)

II. — *B. Mariæ incomparabilis humilitas.* — *Virgo fuit ante partum, in partu et post partum.* — *Sanctorum intercessio apud sanctam Genitricem.*

. . . Ecce in qua schola educabaris, discipule obedientissime ac verecundissime Christi ; quæ exercebaris palestra, regis illius cœlestis athleta ; quo holocaustabarlis incendio, acceptissima hostia Christo. Quid cogitas, sanctissime, quid loquebaris contra eum tamen, qui, tuæ invidens saluti, te ad hæc impulerat, propter quod mille mortibus simile aggredi es compulsus tormentum ? Nimirum revocabas in eum, quæ pati jubebaris, tormenta, cum de tibi misericordia Dei pro ventura victoria indicibili urebas invidia. Quid quod ursorum, leonum, pantherarum, vel Hyrcanarum tigrum more catena in propatulo constrictus, spectaculum angelis et hominibus factus, circa te multitudinem videbas, vel audiebas ludentium, gaudentium, nuptias sæpe, prandia incessanter celebrantium, symbola frequentissima comessationum illeccbras actitantium, cachinos et ludicra moris longe alterius tibi nimium importuna ? Surdo hæc sirenarum quondam ille cantus ut alter, percipiebas, credo, auditu. Ad hæc omnia quis tibi sensus ? quæ passio? quod erat martyrium ? Scio tamen, scio et incun-

stanter, sciant ut alii, proferre quid agebas non metuo. Nimirum precibus angelos, lacrymis ad auxiliandum ciebas archangulos, apostolos gemitibus advocabas, martyres, confessores ac virgines, ut pro te invidissimo cum hoste confligerent, exorabas, Quid de illa universorum illorum Regina ? Subseriente, reor, verecundia, quæ inter bonos imprestationis innegabile possidet robur, tanto eam exaudibilis, quanto humilius ac verecundius supplicabas. Puto enim, quod nemo carnali oblectamento (cohors ut nostra) pollutus, ejus sine pudore inviolabilissimes pulset, nisi demens, auditus. Dei enim hominem induiti per unitatem in duabus naturis personæ Mater ideo fieri meruit, quia respecta ipsius a Deo incomparabili cœteris humilitate, quæ statum bonorum sola potis est perseverantissimum custodire, ut ante partum, ita in partu, nec minus post partum virgo potuit permanere. Morale est omnibus sane, ut huic rei, quam amplius diligunt, detestentur contrarium. Sancta ergo Dei Genitrix, quia castitatem ultra omnes dilexit, contrariam illi libidinem in omnibus Christicolis, credo, magis habet exosam. Labia igitur osculo illeccbroso polluta, lingua turpiloqua obscenitate sordidata, castissime Virginis (præter id quoj Mater interni est etiam judicis) nomen qua temeritate inverecunde audeant nominare ? Cor lasciva meditatione pollutum, ejus recolere qualiter præsumat saltem vocabulum ipsis angelis venerandum ? Sed quod facinorosa refugit conscientia, præsumere facit clementissimi Fili ejus pietas, atque incarnationis ipsius ratio fidelissime considerata. Indignari enim eam, misericorditer, reor, contradicit, sceleratissimus etiam famulus dum carnem illi repræsentat, quam ex ea clementer assumpsit pro emundandis reorum delictis : ac per hoc de te jam martyr secnre, pro nobis apud eamdem Dei Genitricem eademi verecundia usus, precamur, humiliiter intercede. (*Invect. De translat. S. Metronis*, n. 8.)

III. — *Contra Judæos negantes virginitatem B. Mariæ.* — *Fuit autem Virgo perpetua et Dei Genitrix.*

Cum omnibus vero sit malus, Judæis est pessimus : non quia eos flagellet, quia non audet; non quod bona eorum diripiatur, sed [subaudi quod] indesinenter eis conviciari non cessat. Reprehendit omnes qui super Christianos eos extollunt, qui Dominum Jesum Christum, et ipsius sanctam Genitricem eos blasphemare permittunt. Dat exemplum de regibus, utrumne velint eum pro fidei tenere, qui patienter tolerat, si audit quod aliquis de illis malum aut exhortationem aliquam dicat. Reprehendit eum, qui eos saltum salutat, aut salutantibus respondet, nedum eis osculum donet, vel cum eis manducet. Dat auctoritatem de Apostolo dicente : *Si quis non amat Dominum Jesum Christum (I Cor. vi, 22), cum ejusmodi nec cibum sumere (I Cor.*

v. 11); et qui dicit: *Ave, communicat operibus ejus malignis (II Joan. 1, 11).* Reprehendit omnes qui ibentius cum eis negotiantur, quam cum Christianis. Dat testimonium de maledictionibus in Pentateuco super eos prolati, ubi etiam maledicta dicitur negotiatio eorum. Non reprehendit vero, si defendantur a regibus et principibus Christianis. Dicit sub persona illorum Isaiam Christo dixisse: *Sub umbra tua vivemus in gentibus (Thren. iv, 20).* Et Psalmistam: *Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos (Psal. cv, 46).* Tantummodo reprehendit quod sinuntur vituperare nomen Domini Jesu Christi, et astruere quod non sit Deus, et sancta ejus Genitrix non fuerit virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum, neque genuerit Deum. Quis enim, ait, patienter hoc ferat, nisi ipse diabolus? Cum nemo possit ferre, ut malum audiat aliquem dicere de suo seniore, nisi qui maximus fello convincitur esse. Filius diaboli dicit quod Dominus Iesu Christus, qui me creavit, qui me redemit, qui me contineat, pascit, defendit, vitam æternam postremo mihi promittit, non sit Filius Dei; et ego non irascar ei? Quod Mater ejus non peperit Filium de Spiritu sancto, cui, *Domine, adjutor meus, et redemptor meus (Psal. xviii, 15)*, clamare non cesso, dicit malignissimus fello; non indignar, imo insaniam ego? Dicit quod anima sancti Petri illie sit ubi anima patris sui; et ego qui sum servus sancti Petri, amicus sim ei? Idola me diecit adorare; et ego illi non dedigner osculum porrigerem, etsi non audeam colaphum dare? Pejor ipso Judæo, consimilis ipse est diabolo, qui proprie nou irascatur tali. Negat Deum, qui negantem Deum amat Judæum. Non est Christianus, cui blasphemator Christi placet Judæus. Non est Dei amicus, cui Dei complacet inimicus. Non est regi fidelis, cui regi non displicet infidelis. Si sic judicant reges de seipsis et infidelibus suis, quare idem de Christo et ipsis non judicant inimicis? Cum ipse sit Rex regum, et ipse eis dederit quod ipsi sub se possidere et regere debeant regnum; quare genus Deo inimicum intra sibi commissum regnum contra eum latrare permittunt? Sufficerat si eos vivere sinerent uteunque, non permetterent eos Dominum Iesum Christum tam publice blasphemare: *Sub umbra enim tua vivemus (Thren. iv, 20)*, dicit de eis propheta. Vivemus, inquit, non oblectabimur: *Et dedit eos in misericordias (Psal. cv, 46)*, non in extollentias, non in amicitiam, non in ullum honorem. Quale est autem, quod clericò contendente pro Christo, Judæo blasphemante Christum, pugna conserta, clericus Judæum, Judæus si percutit clericum, imo in clericò Christum, sic enim Saulo est dictum (*Act. ix, 4*), Erimbertus noster verborum consertor, legum distortor, dicit triplam compositionem de Judæi percussione regi cedere, de clericis nullam alicui? O sancte Josaphat, rex in ceteris optime, utinam hic fuisses! dices quid tibi mandaverit per suum Dominum quondam prophetam, *Impio, ait, præbes auxilium, et qui oderunt*

*Dominum, amicitia jungeris (II Paral. xix).* Quid est hoc? Hoc enim iisdemque verbis solent reges dicere de se et illis qui amici sunt infidelibus suis. Quid, rogo, tunc de Christo, de se et de Judæis Christi regis cogitant inimicis? Cum vero veracissime sciant quod Judæi semper male de Domino dicant, et eos saltem non prohibent, quid de eo, quod dicit Apostolus, censem: *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, digni sunt morte (Rom. i, 52)*, legimus illum dixisse? Et hæc quidem de Judæis rata atque justa, Deoque placens illi dum videatur sententia, cum sit imo garritio cassa.

#### IV. — *Christus subditus Virgini Matri sue.*

Filius vel filia es? Memento te reverentiam debere parentibus; ipse enim Unigenitus, qui non ex peccato ut tu, sed ex Spiritu sancto conceptus, de Virgine natus est; postquam in templo inventus, parentes, id est Matrem Virginem, et nutritum castissimum, et ideo patrem nominatum, de divinitatis sue potentia, qua cum Patre omnia possidens inhabitat, edocuissest: et illi non intellexissent, *Descendit, inquit evangelista, cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis (Luc. ii, 51)*. Cur ergo tu dedigneris subdi parentibus, cum et nutritio suo subdi non dedignatus sit cuncta creans et nutriendis Dominus? Et saepe contingit ut, paupere patre existente, dives sit filius. Quid, rogo, in rerum natura foedius? Et cum alii de fastu paternæ nobilitatis soleant superbire, tu ad ignominiam tui ipsius, patrem nota paupertatis adustum, per plateas dimittis mendicando incedere. Quid enim mendicans clamitat, nisi te novitum, te assumptum, te illud, quod nuper ab his inventum est, qui se homines facere jactant, id est factitum, te allevatitum, te notitum, spuriisque demonstrat? Cui si aliquis id vel mentiens improperaret, nonne causa commotionis hæc magna esse potuisset? Et hæc quidem quantum ad saculum. Secundum vero Deum, cum ipse in Psalmo dicat: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (Psal. xl, 2)*; super quem tu, rogo, intelleges, qui nec ipsum mendicatum miserando patrem recognoscis? Cui, rogo, porrigit eleemosynam, qui nec ipsam in patre agnoscis naturam? Et si omnibus misericordia impendenda, etiam a fide extraneis, maxime autem, ut ait Apostolus, ad domesticos fidei (*Gal. vi, 10*), quid his, qui non solum domestici fidei, sed etiam domestici sanguinis, vel origo sunt generis, vel, sicut quidam pulchre in Decachordo ait: Qui suis parentibus non desert honorem, quibus parere poterit? Omnibus igitur aliiquid dandum est, patri totum committendum, ejus dominio totum mancipandum. Pater itaque sis, filius sis, cui libet consanguineus sis, audi Apostolum: *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. (I Tim. v, 8.) (Prælog., lib. ii, 7. De filiis.)*

#### V. — *Maria est pudicitiae speculum, virginitatis titulus, humilitatis insigne, decus innocentiae.*

Virgo es? Gande in Domino humiliter, et cave ne perdas esse, quod es. Habes Mariam, pudicitiae

speculum, virginitatis titulum, humilitatis insigne, dilectio innocentiae. Scrutare ejus canticum, potest tibi sufficere ad compositionem morum. Intuere qua maxima virtute nisi est illa, ut iugis tam excelsi et sublimis, nulli post, nec antea concessi munera meruerit prærogativa ditari, et stude quantum potes et tu eam imitari: quod ut querenti tibi facile occurrat, interrogata humiliiter ipsi respondeat sapienter, *Quia respexit, inquiens, humilitatem ancillæ suæ (Luc. 1, 48).* Ecce causa, nam et hoc idem jam totum promiserat per prophetam: *Ad quem respiciam, inquiens, nisi ad humilem et quietum et trementem sermones meos? (Isa. LXVI, 2.)* Tota itaque causa

perditionis nostræ, superbia; tota recuperationis, humilitas. Humilitas mater virtutum, morum est omnium ornamentum; sine hac virtus nulla; absque ea omnes virtutes non virtutes sunt, sed via, Denique profero tibi tres uno ordine, de quibus non valeas dubitare, utrique doctores mirifici, utrique pontifices summi, utrique toti mirabiles orbi, Romæ unus, Mediolani alter, Hippone præfuit tertius. Nulla, inquit prior (Greg.), *virginitas carnis, quam non commendat suavitas mentis. Decet, ait aiter (Ambr.), ut quo castior virgo, tanto humilior sit. Melius, inquit tertius (Aug.), est humile conjugium, quam superba virginitas. (Loc. cit., tit. 9, De virg.).*

### S. ODILO, ABBAS CLUNIACENSIS.

#### I. — *De Nativitate Domini Salvatoris. — Laudes Virginis Deiparæ.*

Dominice nativitatis sacratissimum diem celebrantes, oportet nos, dilectissimi fratres, ad illius divinam æternitatem et eternam divinitatem, et, ut ita dicam, ex Deo Patre inimitabilem et ineffabilem aciem mentis dirigere: in cuius temporali ortu, ea quæ in cœlis sunt et quæ in terris necessario ac singulariter spirituali jubilatione constat exultare. Non immerito ea quæ in cœlis et quæ in terris sunt in adventu Conditoris sui exultare diximus, quia duas ad intelligendum et laudandum se creaturas, angelicam videlicet et humanam, in primordio Deum fecisse cognoscimus. Eæ vero creaturæ auctori comparatæ, licet nihil sint, multo tamen præstantius et felicius cæteris creaturis subsistunt, quia ut Creatorem suum laudarent et cognoscerent, ab ipso specialiter meruerunt. Cætera vero mundi machina, non per se, sed per nos Deum laudat, dum ipsam considerantes, vel ejus pulchritudinem, vel Artificis miramur sapientiam. Et dum cuncta quæ creata sunt cernimus, in Creatoris admirationem sublevamur. Nos vero qui ad cognoscendum et collaudandum Deum, ipsius dono gratia, angelis socii effecti sumus, nato Domino Christo, et cum angelis, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bone voluntatis, cantemus et cum Prophetâ dicamus: Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Ad contemplandum quippe Cætorem suum homo conditus fuerat, ut ejus imper speciem querendo cerneret, et cernendo quereret, atque in solemnitate illius amoris, sine defectu permaneret. Postquam enim humanæ naturæ conditio, suadente apostata angelo, in primo parente lucem in visibilia perdidit, et totam se in anorem visibilium fudit, tanto est ab interna speculatione execata, quanto foris deformiter sparsa; et quæ futura erat, si servare voluisset præceptum Conditoris, carne spiritualis, deserendo Auctorem facta est mente carnalis. Unde fit ut nulla noverit nisi ea quæ corporis oculis, ut ita dixerim, palpando cognoscit, et ea sola cogitet quæ ad animum per imagines corporum trahit. In quibus, dum totam se dilatata mens prospicit, ab internæ intelligentiæ

subtilitate grossescit. Et quia jam erigere ad summa se non valet, cœlesti pulchritudine perdita, in his deformiter libenter jacet.

Sed Deus omnipotens, qui hominem ad imaginem suam condidit, noluit illum in sua deformitate æternaliter perire, misit Filium suum, qui etiam apparuit inter homines speciosus forma præ filii hominum, ut hominem quem potestate suæ divinitatis mirabiliter formaverat, humanitatis suæ præsentia misericorditer reformaret, et de informi forma formosam in formam transformaret. Suscepit Dominus formam servi, ut reconciliaret nos Deo Patri. In nostra carne visibilis voluit apparere, ut ad amorem invisibilium ipso duce possemus redire. O magna pietatis iudicium! o ineffabile divina misericordia sacramentum! Omnipotens Deus hominem decrevit redimere, et redimendo homini etiam se corporaliter ostendit, et ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad rediendum quem amiserat hominem locus venit. Si enim appellari locus nequaque Conditor posset, Deum laudans nequam Psalmista dixisset: *Filiis servorum tuorum habitabunt ibi.* Ibi enim non dicimus, nisi cum specialiter locum designamus. Conditor etenim noster, cum sit omnium rerum locus, sed illocalis, veniens in mundum, non habuit proprium locum in terris, sicut ipse dixit: *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et secundum Lucam evangelistam, *positus est in præsepio,* quia non erat integerim genitrici ejus locus in diversorio. Quis vidiit unquam tale? Quis audivit huic simile? Tanta enim erat in assumpta humanitate humilitas, quanta in divina majestate sublimitas. Quam sublimis in suis, quam humilis in nostris, in præsepe jacebat, in celo residebat. Jacens in sinu matris, sedens in dextera Patris. Cum esset Dei Patris ante tempora unicus, factus est Virginis in tempore filius. Non amittens quod erat, factus est quod non erat. Factus est particeps mortaliatis nostræ, ut nos vite suæ participes faceret. Hodie impletum est vaticinium illud Isaiae prophete dicentis: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos deradice ejus ascendet.* Item ipse apertius: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Item idem ipse propheta: *Parrulus natus est nobis, filius datus est nobis.*

Nimis dulce quod natus est; nimium salubre quod datus est. Cum audis Christum tibi natum, gaudie. Cum audis etiam tibi datum, multo magis laetare. Sed inter patrem et natum, et inter datorem et datum, secundum divinam naturam non contingat tibi ullam tibi credere differentiam. Unius enim substantiae sunt secundum deitatis essentiam pater et natus, dator et datus. Tantus est ille qui datus est quantus est ille a quo datus est. Et qualis est ille qui genitus est, talis est ille a quo genitus est. Non præcessit tempore genitor; non est genitore genitus inferior. Eiusdemque naturæ, potentie et majestatis creditur et prædicatur Spiritus sanctus, quo superveniente suscepit Verbum Dei sanctissimæ et semper Virginis uterus, cuius singularem partum universus hodie recolit mundus. Tante enim rei tanquam divinissimi mysterii et ineffabilis sacramenti gratia, non solum in terris exsultant justi; sed etiam summae divinitatis in excelsis tripudiant ministri.

Nos ergo licet propriis excessibus gravati, præoccupemus faciem in confessione Domini, et in psalmis jubilemus ei. Assistamus ei humili devotione, ut ipse nobis adsit pia miseratione, ut fidenter dicamus. Adest utique nobis qui, ut dictum est, natus et datus est nobis. Aderit procul dubio nobis Dominus, idemque totus ubique secundum divinam naturam omnibus habetur in locis. Qui enim secundum incircumspectam substantiam semper habet esse, non potest nobis famulantibus non adesse, sicut ipse discipulis suis dixit: *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Si omnibus diebus, fidelibus suis se promisit ad futurum, quanto magis die sui natalis nobis erit præsentior, si nostri famulaminis servitus ei fuerit promptior! Qui per Salomonem loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodigi, primogenita ante omnem creaturam;* Et iterum: *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam ficeret a principio, ante sacula, ordinata sum.* Et qui per Isaianam dicit: *Cælum et terram ego impleo,* mirabili sue dispositionis mysterio natus hodie ponitur in præsatio. Quem Salomon ostendit ante sæcula aeternaliter existuisse, Isaías affirmat nullo loco deesse. Ille qui semper est et ubique non potest nobis deesse. Audenter dixi: non potest. Potenter hoc non potest. Talis impotentia est omnipotentia. Ista impossibilitas est summa possibilitas. Quam sint vera et fidelia antiquorum votum testimonia de aeternitate Christi ejusque divina et incircumspecta præsentia, ductilis illa cœlestis magnivoce concurrebat tuba. *Iesus Christus,* inquit, *heri et hodie, ipse et in sæcula.* Et in alio loco Davidico usus testimonio. *Tu autem,* inquit, *idem ipse es, et anni tui non deficiens.* Et ipse Salvator in Evangelio ad Judæos. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Sed quia ante Abraham, et ut verius dicam, ante omnem creaturam semper cum Deo Patre esse aeternaliter habuit, de semine tamen Abrahæ nasci temporaliter voluit. Abrahæ namque a Deo Patre dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.*

Hujuscemodi etiam præmissionis insigne privilegium beatus David patriarcha promeruit, cui Deus Pater, incerta et occulta sapientia sue manifestando, dixit: *De fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Hoc ipsum Jeremias propheta asservit ubi dieit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David gerumen justum.* Hujus enim nobilissimi germinis magnificentiam, et dulcissimi fructus sublimitatem et excellentiam, Isaías propheta considerans, Spiritu sancto præventus prænuntiabat, dicens: *In die illa erit germen domus Domini in magnificentia et fructus terræ sublimis.* Hi vero duo, qui præ cæteris patribus de adventu Salvatoris præmissionem apertissime acceperunt, in descriptione Dominicæ generationis, secundum evangelistam Matthæum, primum et principalem locum digne promeruerunt, cuius exordium tale est: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* His sacris evangelistæ verbis convenient et prophetarum oracula et apostolica verba. Quod Mediator Dei et hominum ex semine Abrahæ secundum carnem natus sit, Isaías propheta manifestissime commendare studuit, ex persona Dei Patris dicens: *Et sic, Israel, serve meus, Jacob quem elegi, semen Abrahæ amici mei, in quo apprehendi te.* Et egregius præparator in Epistola ad Hebreos ita scribit, dicens: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et quod de semine David natus sit, ipse doctor egregius ad Romanos scribens ita exorsus est, inquiens: *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Et ad Timotheum scribens ait: *Memor esto Dominum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.* Quisquis ignorantiae tenebris liberatus et fidei lumine illustratus, in Evangelio Filium Dei filium David appellavit, non solum spirituale, sed etiam corporale lumen recipere meruit. Vult se Dominus Christus tali nomine vocari, quia scit non esse aliud nomen in quo possit mundus salvare. Nos ergo, dilectissimi fratres, ut ab ipso qui est Salvator mereamur salvari, dicamus omnes, dicamus singuli: *Domine, fili David, miserere nostri. Amen.*

## II. — *De Epiphania Domini. — De Virgine Matre.*

O fraterna charitas et Deo grata societas, scire nos oportet quia præsentis diei festivitas, quæ de affectu Magorum devotionem jam declarabat gentilium, aliis est etiam decorata mysteriis, ac multiplicibus subnixa privilegiis, et ideo per totum orbem merito prædicatur celebris. Hodie namque ministerium virginis partus, et gaudium Dominicæ natalis declaratur aperte, signo novi et perspicui sideris. Claritas enim Dei, quæ, sicut Evangelium loquitur, nato Christo pastores circumfulsit, de remotis terræ partibus ad præsepium illud hodie Magos adduxit, in quo Virgo puerpera Deum infantem posuit. Deus est qui tunc in homine nascetur, homo est qui a Deo assumptus, hodie a Magis adoratur. Miraris forsitan dixisse

me Deum in homine natum, vel hominem a Deo assumptum. Audi Apostolum dicentem, Vas electionis Deo plenum. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* De hoc B. Augustinus ita sentit, et in suis litteris scriptum reliquit. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Deus oecultus ex Deo Patre; homo manifestus ex homine virgine. Quem cognoverunt pastores, angelo doeente, adoraverunt Magi, stella nova ducente. Quod pastores angelos vident, Bethleem adenit, infantem, ut eis dietum fuerat, in præsepio positum et pannis involutum inveniunt; admonet ut illi qui pastores sunt spiritualium ovium, per cœlestis vitæ contemplationem, semper Deo adhærent, et de Pane illo qui in Bethleem natus est edant, et subditis ipsum panem vitæ ministrent. *Quod Magi novum sidus cernentes ab oriente veniunt, Regem natum querunt, querendo cum Maria matre ejus inveniunt et apertis thesauris suis munera offerunt, admonet ut fideles omnes per sanctæ conversationis exhibitionem et activæ vite sanctam operationem semper Deo plaeere studeant.*

Suceidunt, dilectissimi fratres, spiritualibus gaudiis spiritualia gaudia, saeris junguntur solemnis saera solemnia. Inde eumulantur fidelibus, si bene considerant, virtutes et præmia. Doctissimus ille Gregorius, qui apud Graecos vocatur Theologus, sermonem faciens de hac solemnitate, ita inchoavit, dicens: *Jesus meus, et iterum mysterium.* Non ante multum temporis spatium celebravimus diem, in quo die homo factus exivit de virginali utero *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Hodie illum celebramus diem in quo scipsum manifeste innotuit mundo. In illo die cantibus angelorum est acclamat⁹; in isto die Magorum muneribus est honoratus. Sicut in illo die ab angelis hominibus bonæ voluntatis, teste Evangelio, est pax annuntiata, ita hodie, Davidico asserente oraculo, *lux orta est justis et rectis corde lætitia.* Si vero rectis corde et justis, pastoribus videlicet et Magis, Zæcharie et Elizabeth, Simeoni et Anne, et multis aliis mundi salutem devote prestolantibus, adveniente Christo exorta est lux et lætitia; *injustis et iniquis, Herodi seilicet, Scribis et Pharisæis ipsius crudelitati consentientibus,* advenit ingens mœror atque tristitia. Quale fuit gaudium, dilectissimi fratres, de adventu Christi justis, et exsultatio, si vultis ad plenum scire, beati Lueæ evangelistæ fidelissima et sineira præmonstrabit descriptio. Qualis e diverso aeeidit *injustis et iniquis ira et indignatio,* hodierna sancti Evangelii saera manifestat lectio. Quam timida fuit de rege nato Herodis iniqui et auhela suspicio, testatur ad Magos ipsius nefandi subdola et formidolosa loeutio. Dicebat eis: *Ite et interrogate diligenter de puero,* etc. Promittit se Christum subdolus adorare, quem oeculte moliebatnr oceidere, quærebatur impius interficere, per quem omnis justus desiderat vivere et sine quo nemo potest subsistere. Multos interimendo perdidit, sed unum quem quærebat invenire non potuit, non intelligens, miser,

contra se dictum: *Non est sapientia, non est prudenter, non est consilium contra Dominum.* Et beatus papa Gregorius adeo coneionator festivus, in homilia præsentis diei, ad exprobrandam calliditatem Herodis suorumque similium, ita affatus est, dicens: Qui Deum fecit querunt, invenire minime possunt. Quomodo ille illusus angelo monente, per aliam viam declarat Magorum reditus. Qualiter post illusionem iratus, parvorum ac matrum manifestat luctus et gemitus. Quanitum nide se extulit contra Dominum, declarat mors pretiosa sanctorum. Quantum sibi malus, quantum suis pessimus, sui snoruimque, ut patrum dicta referam, infelicissimus demonstrat exitus. Testium Christi lætitiam, et piorum innocentum exultationem et gaudium, Herodis etiam iniquorumque omnium pœnas et interitum Isaías propheta prævidens, brevi sententia comprehendit, dicens. *Addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam defecit qui prævalebat. Confusus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.*

Quam felix vates qui prophetica auctoritate impios damnat, et divina promissione pios remunerat, et, ut ita dicam, utramque partem hominum bonorum et malorum condigno charactere notat. O propheta mirabilis, qui ut B. Hieronymus dicit, non tam propheta dicendus est quam evangelista, qui etiam omnia nostra salutis mysteria ad liquidum pandit, alia adhuc futura vaticinando pronuntiat, alia quasi jam peracta evangelizando prædicat. Virginem patituram promittit, virginem de radice Jesse processu ram introducit, parvulum nobis natum asserit, et filium nobis datum ostendit, et quod ipse sit Deus talia ei nomina insernit per docuit. *Et vocabitur, inquit, nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Quod super solium David sedeat, et regnum ipsius in iudicio et justitia, modo et in æternum confirmet et corroboret, aperta voce declarat. Hierusalem hortatur ut surgat, lumen suum iam sibi venisse denuntiat; jubet ut oculos levet et videat, omnes in sive congregatos sibi iam venisse congaudeat; processuras gentes in lumine suo, et reges in splendorē ortus sui clara voce pronuntiat, quod hodie totus mundus impletum concelebrat. David nempe rex, ex quo, ut Cyprianus vitoriōsissimus dicit, secundum carnem Christi nativitas oritur, et qui tantam gratiam meruit, sicut B. Ambrosius scribit, ut ex ejus familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet; in psalmo qui recitatus est, saeratissimos Epiphaniarum dies devote celebrantibus favet, et quid unicuique festivitat⁹ prospiciat plenissime intonat. Dominicæ incarnationis mysteria enarrare cupiens, ita exorsus est inquiens: *Descendet sicut pluvia in vellus,* etc. Prævidens quoque tempore nativitatis cum justitia pacem mundo venturam dieit: *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis.* Seiebat enim quia per assumptam humanitatem decrevit Deus totum sibi subdere mun-

dam, et dominabitur a mari usque ad mare, etc. Et quia non solum Judæi, sed etiam gentiles ad fidem vocandi erant, et nigredine peccatorum tecti, ad lucem veritatis convertendi, subdidit, dicens: *Coram illo procident Æthiopes.* Sacramentum præsentis diei considerans voce clara pronuntiat dicens: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent,* etc. Adhuc etiam magnitudinem potestatis ejus admirans, ait; *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.*

In hujus enim, paupereula nostræ declamationis exordio, præfati sunus hujus diei festum multis divinorum mysteriorum privilegiis consecratum, et ut verum esse sciat vestra fraternitas, multifarie catholicæ fidei commendat auctoritas. Hodie Christus mundo manifestus apparuit, hodie baptismatis sacramentum suscepit, et suscipiendo sua præsentia consecravit. Hodie, ut fides credentium credit, aquas ad nuptias in vinum convertit. Fit spiritualiter vinum ex aqua, quenam cessante legis littera, fulget per Christum Evangelii gratia. Baptizatur Christus, renovatur mundus. Christus baptizatur, vetus homo exiit, novus homo induitur. Expellitur ille primus homo de terra terrenus; secundus induitur de cœlo cœlestis. Quando Christus baptizatus est, mysterium sacri baptismatis consecratum est præsentia totius Trinitatis, vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* in specie columbae Spiritus sanctus apparuit, et sicut solus filius a beato Joanne baptizari voluit. De hæ vero sententia beatus Hilarius tam pulchre scribit quam sane sentit. Et licet tota Trinitas incarnationem Verbi et mysterium baptismi operata sit, tamen solus filius baptizatus est a Joanne, sicut solus natus est de Virgine, et omnes assumptæ mortalitatis passiones sine peccato transcurrit, et secundum divinitatis naturam semper impossibilis mansit.

Sed ut ad priora redeamus. Est hic dies, ut saepe diximus, satis per se festivus, sed ideo nimis perspicuus, quoniam natali Dominico dignoseitur esse contiguus. Cum Deus in puerò adoratur, virginæ partus honor excollitur. Cum homini Deo munera deferuntur, divini puererii dignitas adoratur. Dum Maria cum puerò invenitur, vera Christi humilitas et Dei genitricis prædicatur integritas. Sic enim dicit evangelista: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Ea que Magi offerunt munera, secreta de Christo produnt sacramenta. Dantes aurum, regem prædicant, thus offerentes, Denū adorant; myrrham ostendentes, mortalem agnoscent. Nos ergo ita eredamus Christum assumisse mortalitatem nostram ut per ejus simplicam mortem duplam nostram cognoscamus abolitam. Quomodo Christus mortalis apparuit, et mortis debitum solvit, habes scriptum in Isaia: *Sicut oris ad occisionem ductus est.* Et sub persona Jeremiæ de ipso a Judæis dictum legimus: *Morte turpissima*

*condemnemus eum.* De morte turpissima, id est de morte crucis, Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et in alio loco: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur;* et: *Quia mortuus est percato, mortuus est semel;* et: *Quia mortuus est propter delicta nostra.* Et B. Petrus de passione ejus dicit: *Christus passus est pro nobis; qui cum pateretur, non comminabatur.* Quomodo Christum regem esse eredamus, divina auctoritate approbamus. Ipse enim de se dicit in psalmo: *Ego autem constitutus sum rex ab eo,* id est a Deo-Patre; et David patriarcha: *Deus, judicium tuum regi da.* Et quod sit Rex regum, ipse dicit per Sapientiam: *Per me reges regnant, et principes legum jura decernunt.* Et quod vere sit Christus Deus et Dominus, testatur per ipsum conditus totus undique mundus. Ipse enim dicit in Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Et Apostolus asserit ei a Deo Patre datum nomen quod est super omne nomen, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum.* Et in alio loco Apostolus: *Quoniam per ipsum, et in ipso creata sunt omnia, et ipse ante omnes et omnia in ipsis constant.* Et beatus evangelista: *Omnia per ipsam facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Si omnia per ipsum facta esse et in ipso constare noseuntur, consequens est ut aduentum omnia cognovisse credantur.

Quid de rationabili creatura, angelica videlicet et humana dicam? Quæ quantum Creatori suo per cogitationem est vicinior, tantum de adventu ejus exstitit letior. Et non solum illa quæ rationabilis est, Denū in earne venisse cogrovit, sed etiam irrationalibilis quibusdam nutibus Auctorem suum ipsum esse declaravit, et ei servitutis obsequium quodammodo præbuit. Et, ut pauca de multis dicam, ut majorum tradit auctoritas, eo rasecente, cœlum novum sidus produxit. Pedibus ejus mare secaleabile præbuit, ventus, eo jubente, conticuit; eo moriente, terra contremuit. Sol radios lucis suas retraxit, saxa et monumenta patuerunt, mortui surrexerunt, multi qui tenebantur captivi ab inferis liberi exierunt. De his Joannes satis convenienter Chrysostomus. Omne quod est necessario famulatur ei a quo ut esset accepit originem. Idcirco, fratres, de divinitate Christi tanta diximus et adhuc dieere voluntus ut, dum illum in præsepio positum, pannis involutum, humiliè hominem inter omnia cernimus, Deum verum et Dominum super omnia esse non dubitemus. Illud vero singulare nomen deitatis quod est Deus, multoties in divinis litteris ad Patrem referatur, aliquoties ad Filium. Quoties ad Patrem referatur, nullo modo mens humana potest colligere, et quod aliquando ad Filium referatur, multis testimoniosis edocemur. Unde est illud: *Deus, judex justus.* Cum dicimus, *Deus, judex justus,* de Filio dictum esse non dubitamus. Ipse enim dixit: *Pater non judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Et in alio loco Psalmista, postquam dixit, *Domine, addidit: Deus salutis meæ.* Jesus Salvator

sive *salutaris* interpretatur. Item Scriptura clamitat : *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Quam frequenter Christus Jesus Dominus vocetur, omnis pagina divina testatur : *Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi, et Psalmista : Dominus illuminatio mea et salus mea. Illuminatio nostra est, quia sicut evangelista dixit : Ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et sicut B. Petrus apostolus ait : *Ipse eduxit nos de tenebris in admirabile lumen suum. Salus nostra est Christus, sicut idem ipse pastor Ecclesiae dicit, Isaiae usas testimonio : Cujus livore sanati sumus.* Et B. Petrus : *Domine, ad quem ibimus?* Et ipse in alio loco : *Domine, bonum est nos hic esse.* Et Themas post resurrectionem ejus : *Dominus mens et Deus meus.* Sicut s̄epissime Christus Jesus Dominus simul et Deus vocatur, ita aliquando rex et Deus, aliquando vero Dominus et rex appellatur. Rex et Deus, in quinto psalmo : *Rex meus et Deus meus, Dominus et rex, sicut in vicesimo tertio : Dominus virtutum ipse est rex gloriae.*

His ergo et aliis, fratres dilectissimi, Scripturæ divinæ testimoniis eruditæ, si credimus Dominum nostrum Jesum Christum, mediatorem Dei et hominum, Deique et hominis filium in nostra fuisse carnem mortalem, et prædicamus illum Regem regum, et adoramus illum Deum deorum, et Dominum dominorum, recte credendo et bene operando, vitiorum errores declinando, per justitiae vias incedendo, carnem nostram cum virtutis et concupiscentiis mortificando, visibilia contemnendo, invisibilia concupiscendo, cum illis tribus Magis tres supradictas species munerum, quotidie spiritualiter ad ejus portamus præsepium. Cui sit gloria et potestas, honor et imperium, cum Patre et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

### III. — *De Purificatione sanctæ Dei Genitricis Mariæ.*

Omnipotentis Dei Patris omnipotens Sermo, a regalibus sedibus veniens, hominibus homo factus apparet, indutus amictu corporeo, Mosaicæ legis voluit adimplere decretum, ut antiquæ prævaricationis deleret chirographum. Sicut enim octava die sui ortus Dominus noster legaliter voluit a parentibus circumcidiri, ita, quaterdeno numero dierum deducto, cum legalibus hostiis a matre Virgine voluit in templo præsentari. Circumcisio tunc temporis ab originali peccato circumcisos purgabat, et legalis oblatio pueris et matribus purificatione indigentibus et radice Adæ pollutis purificationem præstabat. Sed nihil horum noster parvulus, nec ejus sanctissima et mundissima genitrix indigebat. Vere non indigebat Dei Filius legali circumcisione, qui non erat carnali admistione concretus, sed adventu Spiritus sancti et Altissimi virtute, angelo nuntiante, in utero virginali conceptus. Ipse enim est lapis, quem Daniel vidit præcsum de monte sine manibus, Christus videlicet natus de Iudeorum gente, nullo humano opere interveniente. Non indigebat etiam Dei genitrix purificatione carnali, quæ

concepit non operatione virili, sed virtute Altissimi, et illustratione Spiritus sancti. Sed ideo voluit se suamque genitricem decretis legalibus subdere, ne videretur esse legis contemptor, qui erat utriusque Testamenti largitor et conditor. Urgebat enim legis jussio, ut parvulus octava die circumcideretur, et quadragesimo die, ut dictum est, in templo præsentaretur, et parentes ejus pro eo par turturum aut daos pullos columbarum offerrent, si agnum invenire non possent. In utroque vero animali, præfulgebat gratia salutaris mysterii. Turtur, ut illi volunt qui de naturis animalium disputant, castissimum est animal; columba mansuetissimum et patientissimum. Bene pro Christo turtur sive columba offertur, quia ipse est patientia et mansuetudinis auctor, ipse virginitatis custos et castitatis amator. Ipse ad nos veniens, ex Virgine verum corpus assumens, virginitatem in matre conseravit; pro nobis moriens patientia nobis exemplum reliquit.

Sistitur hodie, sicut Lucas refert, præsentia carnis puer Jesus Domino, qui nunquam per præsentiam divinitatis a paterno solio discessit. Dives in suo, pauper in nostro, recolitur hodie præsentatus in templo, quod olim sibi præparaverat Davidis prudentia et Salomonis industria. Jure ab illis colum sibi condere decrevit, de quorum stirpe matrem eligere voluit. Convenienter ditissimorum, sapientissimorum et fortissimorum omnium regum propagine generatur Dei genitrix et semper virgo, Maria, quia illum erat paritura, qui est Dei virtus, sicut apostolus Paulus intonat, et Dei sapientia, et ut ipse Paulus testatur : *In quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie absconditi.* Erat enim eadem nostra puerpera, pauper terrena possessione, sed plena coelesti benedictione. Erat progenita stemmate regali, sed pauper adeo stipendio temporali. Pauper rebus, referta divinis munieribus. In tantum pauper ut agnum, qui pro peccato offerebatur, non habebat; in tantum dives ut Agnum, peccata mundi tollentem, salva virginitate, generare posset. Una eademque res fuit, et quod de paupere matre, et quod de desponsata Virgine Christus nasci veluit, ut videlicet Virginis partu divinitas quæ erat in homine, usque ad tempus præfinitum a Deo, diabolo et mundi principibus celaretur. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent; quod pernecessarium erat. Si Christus non crucifigeretur, homo non liberaretur. Ipse enim Dei Filius paulominus minoratus ab angelis, pro nobis etiam egenus factus est, ut nos sua paupertate ditaret. O beata paupertas, quæ nos divites reddidit! o felix inopia, quæ nos locupletes effecit! Quanta et qualis est ista paupertas quæ ab angelis inmitiatur, a pastoribus veneratur, a Magis officiosissime salutatur et adoratur, et cui omne genu flectitur! Quales et quantas divitias in illo puero grandevus ille Simeon justus et timoratus intuitu mentis agnovit, quem postquam videre meruit, nihil praeter ipsum concupivit videre, nec etiam in hac vita desideravit vivere! Nisi cognosceret senex ille

Simeon in Christo et per Christum posse consequi perpetuam vitam, non tam libenter eo cognito appeteret temporalem mortem. *Responsum acceperat*, ut Lucas Evangelista testatur, *a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*. Postquam Christum Domini secundum promissionem Spiritus sancti Simeon ille senex vidit, et salutare lamen mundo venisse cognovit, benedixit Deum et dixit : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*.

Nos ergo, dilectissimi fratres, hujus sanctissimi sensi Simeonis exemplum sequentes, Dominum Christum in mundum venisse credamus, ulnis sincerissimæ dilectionis adventus ejus memoriam fideliter amplectentes, ei utpote membra capiti conjungamur, ita ut non ab eo separemur, usque dum eum in templo gloriæ suæ videre mereamur. Vitam quoque istam fallacem et caducam fugientes, ad illam quæ vera et permanens est, toto mentis desiderio tendamus, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui est, ut ipse dicit, via, veritas et vita: via, videlicet recte gradientium; veritas, veritatem amantium; vita, bene viventium. Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### IV. — *De Incarnatione Dominica.*

Dominicæ incarnationis et nostræ reparacionis, quod fides fidelium hodierna die recolit, sacramentum, licet granditate sui et excellentia humanum et angelicum excedat intellectum, tamen quidquid de eodem potuit vel debuit comprehendere et scire electorum devotione, totum per antiquos patres, Veteris videlicet Testamenti patriarchas et vates disposuit nuntiare, et per apostolos et evangelistas, idoneos novæ legis ministros, dignata est enarrare divinæ dignationis Majestas. Quanta enim et qualia præfulserunt in serie veteris Instrumenti testimonia, huic sacro mysterio adeo faventia et apertissime congruentia, non potest ad plenum colligere nostre parvitatis iguorantia. Quisquid vero Evangelia, apostolorum Epistolæ et Actus loquuntur, totum ad homines Christum per Virginem venisse fateatur. Ex dictis igitur majorum, catholicorum doctorum cognoscimus, ntriusque Testamenti patres, licet essent locis et temporibus divisi, unanipler tamen sensisse de gloria adventus Dominicæ. Et ut hoc sine dubio cognoscamus, beatus papa Gregorius, ad instar cœlestis sideris, quod septem stellis non simul stantibus, sed simul micantibus, quas divina pagina Pleiades nominat, divinos antores ad enarranda nostræ salutis mysteria, etsi discretos locis et temporibus, in una tamen fide et veritate refusisse deputavit.

Hos non solum stellas, sed etiam cœlos, Davidici sermonis vocatauctoritas, dicens : *Cœli enarrant gloriam Dei*. Hi etenim cœli, hæ stellæ, cæteraque spiritualia et rationabilia astra verbo lucentia, amore ardentia, non a se, sed ab auctore suo habuerunt ut sermone lucerent, dilectione arderent, et ea quæ de ipso senserunt, Spiritu sancto docente, narrarent.

Quorum alii diffusius, alii compendiosius, alii aperi-  
tius, alii obscurius de divinis sibi revelatis mysteriis  
locuti sunt. Ex quibus sicut inter veteres patres ad  
prænuntianda divina beneficia, insigne quoddam no-  
bilissimus prophetarum privilegium obtinuit Isaías,  
ita ad enarranda incarnati Verbi et virginei partus,  
arcana mysteria, principalem locum obtinere pro-  
meruit Lucas. Ille vir divinissimus et, ut omnis ejus  
descriptio patefecit, omni sapientia et scientia erudi-  
tissimus, non in primis ad ea de quibus magis dic-  
torus erat, et ad quæ ipsius tota tendebat devotio,  
ordinem narrationis incipere voluit, sed circumstan-  
tia miracula, generationem vi. velicet Dominici pre-  
cursoris et ortum, vitam ejus mirabilem, conversa-  
tionem sanctam, et inauditam a sæculis in vicu et  
vestitu abstinentiam, et in omni genere perseveran-  
tem constantiam et constantem perseverantiam, et  
ad reprehendenda virtus robustissimam liberalitatem.  
Parentum etiam ejus nobilissimam et sine  
omni querela justitiam ad liquidum describere  
voluit. Postquam vero de his sufficienter dixisse  
se creditit, ad disserenda ea que in voto habebat,  
præeunte lumine cœlestis gratiae, se totum dedit,  
inquit : *Missus est angelus Gabriel a Deo in civi-  
tatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem  
desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo  
David, et nomine virginis, Maria*.

Audivimus, fratres, angelum a Deo Patre ad Virginem missum, audivimus Virginem novo salutatio-  
nis famine salutatam, et in ipsa salutatione, ut Evan-  
gelium loquitur, fuisse turbatam. Audivimus Gabrie-  
lem archangelum verbis consolatoriis, ne timeret  
allocutum, eo quod invenisset gratiam apud Domi-  
num, deinde generaturam et paritaram asseruit filium  
quem præcepit ut vocaret Jesum. Huncesse magnum  
et filium Altissimi, sedem David, et domum Jacob,  
et regnum sempiternum sine fine secundum huma-  
nitatem adeptorum predixit. Quod semper secundum  
divinitatem cum Deo Patre et Spiritu sancto aeterna-  
liter, antequam mundus fieret, in æternæ sua pre-  
scientia habuit et disposuit. Post consolationis offi-  
ciosissima et jucundissima famina, Virgo sanctissima  
interrogando et potius in cunctando cœpit inquirere  
quomodo fieri posset quod angelus insolitam et inau-  
ditam rem tanta auctoritate nuntiare presumeret;  
hujus rei factum, quod natura non habuit, quod  
exemplo caruit, Spiritu sancto superveniente et vi-  
tute Altissimi obumbrante angelus fieri posse perdo-  
cuit. O inauditum et admirabile singularis humili-  
tatis exemplum! Ea que se Dominum et Creatorem  
sum concepisse gaudebat et de se nasciturum non  
dubitabat, cum posset se cognoscere sine dispendio  
sæcæ sincerissimæ humilitatis omnium fidelium do-  
minam, non distulit se vocare Domini sui ancillam,  
dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum  
verbum tuum*.

Videte, fratres, humilitatem Virginis Verbum  
Dei concipientis. Videte obedientiam Domini ad nos  
per Virginem venientis. Videte claritatem et dile-

ctionem, circa humanum genus, Dei Patris angelum ad Virginem, nomine Mariam, mittentis. Hujus nobilissimi nominis praeuleis interpretatio claritudinem meritorum illius atque virtutum aperta ratione demonstrat. Interpretatur enim Maria *stella maris sive domina*. Merito vocatur Domina, quia Dominum totius creaturæ, salva perpetua sua virginitate, hodierna die concepere et certo tempore gignere meruit. Cui Deus Pater, ut David patriarcha testatur in psalmo, dicens : *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra*, etc. De quo idem Prophet : *Domini est terra et plenitudo ejus*. Item in eadem psalmo : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio*. Et ut illum fortem et potentem credamus, Gabriel archangelus qui *fortitudo Dei* dicitur, nasciturum de Virgine evangelizare debuit, quem ad debellandum perditionis principem et mortis imperium destruendum, velut gemina gigantem substantiae omnipotens Pater unicum Filium eum transmisit. Consequens etsim est ut Dei genitrix et semper virgo Maria maris stella vocetur, quia sicut illi qui inter fluctus maris exercitatione navigii laborant, stellis sibi Deo auctore famulantibus, ad portum quietis venire desiderant ; ita quisquis in hujus saeculi periculoso naufragio, fluctibus perniciose irruentibus, sive de animæ, sive de corporis vita periclitatur, necesse est ad contemplationem istius stellæ aciem inentis dirigat, per cuius meritum et gratiam posse se ab omni periculo liberari non dubitat.

Stelle enim, ut scitis, divino natu ordinantur quæd in nocte luceant et solem diei præcedant. Et hæc nostra stella splendida et matutina, adhuc incumbentibus ignorantie tenebris et iam jamque Deo proprio deficientibus, præparabatur, ut per illam ad nos procederet sol iustitiae Christus Dens noster, de quo scriptum est : *Ecce vir Oriens nomen ejus*. Hunc, Zacharia propheta testante, promitterebat se Deus Pater missurum ad illuminationem fidelium, dicens : *Ecce ego mitto vobis Orientem servum meum*. Quis audivit unquam tale? Aut quis vidit huic simile? Virgo, Dominum paritura, ancillam se Domini vocat; Deus Pater hominem nasciturum servum et Orientem appellat. In quantum homo, servus; in quantum Oriens, Filius coæternus, consubstantialis et unicus. De quo Malachias propheta : *Vobis timentibus Deum, orientur sol iustitiae*. Et Zacharias in Evangelio : *Visitavit nos Oriens ex alto*. O quanta qualisque stella Dei genitrix et semper virgo Maria exstitit! Ex qua illa claritas, illa lux illudque lumen, Verbum caro factum ad nos processit. Qui non solum, ut evangelista Joannes prædicat : *Omnem hominem venientem in mundum illuminat*; sed etiam stellas, lunam et solem et omnem creaturam quam condidit, regit, disponit et ordinat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V. — *De Assumptione sanctæ Dei Genitricis Mariæ*.  
Congru satis et convenerter videtur a Patribus

fuisse sanctum, ut in memoria Domini Genitricis ea recitetur evangelica lectio, quæ narrat illas duas mente et carne sorores Dominum Jesumcepisse hospitio. Cui enim illa venienti in mundum templum præparavit virtute cœlesti saeratum et perpetuae virginitati dedicatum, huic istæ, ut Evangelium loquitur, temporalis habitationis præparaverunt domum, et piæ humanitatis ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita et actus ita fuerunt mirabiles et fidelium recordatione celebres, ut ducarum vitarum figuram eas retinere assenserunt divinarum litterarum catholici et doctissimi tractatores. Martha igitur quæ curam domus gerebat, et tanto talique hospi i ejusque discipulis, quæ necessaria erant præbebat, activæ vitae figuram, ut diximus, præferebat. Per Mariam vero, quæ ad pedes Domini sedens, instantissime sermonis ejus audiens, colloquia, vita perspicue premonstrabatur contemplativa. Eia, fratres charissimi, videamus si dominia nostra in domo Domini et Dei Genitrix, et semper virgo Maria, utramque vitam ad plenum exercuit, et activam vitam landabilem quam opere Martha excoluit, et contemplativam optimam quam Maria audiendo et eligendo obtinuit. Sane sicut dilectum Domini Joannem theologum de humanis et corporalibus actibus Domini Jesu pauca dixisse, et multa de natura divinitatis ejus, potentia et majestate dixisse et scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis ejus cognoscimus ; ita Domini Genitricem non adeo fuisse credimus intentam activæ conversationi, quam se totam contulit divinæ conspeculationi. Non enim ad activam ultra quam matrem Domini decuit se contraxit, sed toto mentis affectu et desiderio, ad vitam se contemplativam erexit : et ne ex toto esset vitae exsors activæ, postquam est electa a Domino, salutata ab angelo, obumbrata a Spiritu sancto, secundata Dei verbo, exsurgens de loco, per iter devium et abrupta montium veniens et deferret amicis actualis vite laboriosum officium, Zacharie vatis ingreditur dominum Elisabeth salutans. Cognovit in spiritu in sinum ejus nobile pignus depositum, et in his paucis, ut diximus, Marthæ complevit actum. Si Martha felix, quæ activæ vite præferebat figuram, quanto magis istæ sanctissimæ, de quibus loquimur, personæ exstiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum et munierum meruerunt fieri compotes? Quæ major potest esse felicitas quam cum in matre Domini et, ut ita dicam, in aula regali, in alvo virginali fecunditas regnat et virginitas? quam cum infecunda et vetusta generat et parit sterilitas, et cum actas senectus et antiquitas nornæ promeruit novæ paternitatis? Et ut B. Hieronymus jucundo sermone prosequitur, Joannes etiam ad introitum Mariæ exsultavit et lusit : et per os Virginis audiebat verba Domini pertinantis, et de utero matris gestiebat in oculorum ejus erupere. Quomodo, quantum et qualiter officiis et obsequiis speculativæ vitae cum altera Maria se subdidit, Gabrielis archangeli profiteatur assertio, sermonis

evangelici prosequatur oratio, quia ad hæc narranda nostræ parvitatis deficit sermo. Unum prefecto scimus, quia omnis ejus vita et actio intenta semper fuit in Domino. Et sicut de altera Maria dictum est : *Ista optimam partem elegit*, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit; et idcirco promeruit ut Dei Filius angelo nuntiante ex ea corpus nostræ redemptoris susciperet. Diximus eam semper intentam fuisse speculationi divine, sed oportet nos hoc ipsum catholicis verbis astruere. Ut enim humano usu loquar, ubi erat corpore quando a Dominio mittebatur angelus ad eam? utique in domo parentum. Ubi erat spiritu? vere, ut diximus, in illo divinæ speculationis intuitu. Quid agebat? Sine præjudicio alicuius irreprehensibiliter vivens, ut suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? Canticum quod cecinit tympanizans, exclamat : *Magnificat anima mea Dominum*. Quid legebat? Forsitan occurrabant ei divinae Scripturæ testimonia ad illud ineffabile sacramentum quod in ea gerebatur sine dubio pertinentia. Nonne in pignore quod gerebat illud impleri posse credebat Mosaiicum : *Prophetam, inquit, suscitabit Dominus de fratribus vestris tanquam meipsum audietis?* Et multas alias in aperto cernebat prophetarum sententias, in quibus tanti sacramenti ac mysterii præmonstrabatur et ad liquidum declarabatur veritas. Nonne ad hoc pertinere videbatur illud Jacob patriarchæ testimonium dicentis : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Quid manifestius quam quod ille fatebatur Balaam ariolus, ex se falsiloquus, Dei nutu veridicus : *Orietur, inquit, stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel?* Sciebat enim Dei Genitrix in arce divinae contemplationis assumpta, Davidicis edocta testimoniosis, processurum de se Dominum, tanquam de thalamo suo sponsum eundemque speciosum, ut idem propheta precinuit, p̄ se filiis hominum. Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam prophetam recolebat dixisse : *Ecce Virgo concipit et pariet filium;* et : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Quid apertius? quid jucundius? et Virginem paritum, et virgam de radice Jesse processuram nobilissimus prophetarum pronuntiat.

Placuit igitur inserere huic nostræ declamatione sententiam psalmi octogesimi sexti quam ad memoriam Domini Genitricis, et mysterium Dominicæ incarnationis et nativitatis, B. Ambrosius, vir per cuncta laudabilis et verus assertor fidei catholice, adeo festive voluit exponere, et idcirco, ut dixi, sententiam tanti pontificis pauperculo nostro operi apponere volui, ut quod digne non potuit persequi ingeniali nostri paupertas, sententia tanti pontificis nobilitet et commendet auctoritas. Ait enim secundum antiquam interpretationem jam dictus doctissimus doctor : *Mater Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissi-*

*mus.* Matrem autem secundum divinitatem habere non potuit, quia auctor est Matris. Ille factus est non divina generatione, sed humana. Quia homo factus est, Deus natus est. Sic et alibi habes : *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* In Puerο enim nomen ætatis, in Filio plenitudo est divinitatis. Factus ex matre, natus ex patre. Idem tamen et natus et datus, non diversum, sed unum putes. Unus enim Dei filius, et natus ex patre, et ortus ex Virgine. Distanti ordine, sed in uno concurrit nomine, sicut et præseas lectio docet quia *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Homo utique corpore, Altissimus potestate. Etsi Deus et homo diversitate naturæ, idem tamen non alter in utroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud nobiscum commune, sed in utroque unus et in utroque perfectus. Non igitur mirandum est quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus. Fecit ergo Jesum. Eum utique qui ex corpore nomen accepit, fecit eum a quo etiam patriarcha scribit David : *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea :* dissimilis utique non divinitate, sed corpore. Nec discretus a Patre, sed exceptus in munere. Hujus etenim muneric gratiam angelo nuntiante virgo Maria Dominum concipiendo proineruit, p̄serendo obtinuit, et post partum virgo perpetuo permanens incorruptam possedit. Ejusdem gratiæ innneribus conferta, ut fas est credere, omne tempus Dominicæ infantiae, pueritiae et adolescentiae cum ipso peregit, et obsequium maternæ dulcedinis, ut vera mater, vero humanitatis suæ filio ministravit. Quæ fuerunt illorum inter se colloquia, quam dulcia, quam amabilia, quando in matre fulgebat virginitas et lætabatur fecunditas! In filio apparebat humanitas et latebat divinitas. Quantum vel quale illud erat Deificum ac virginale consortium? non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde idem ipse qui erat unigenitus Virginis matris, eum voluit apparere unicrus Dei Patris, tempore sui baptismatis hæc ipsum ostendit majestas Trinitatis. Cum Pater auditur in voce, Filius videtur in homine, Spiritus dignatus est in specie apparere columbae. Est enim hujus magnitudinis testis, magnus p̄ exeteris homo nomine Joannes a Deo missus. Iste vero tantus homo, qui hactenus erat Dominicæ incarnationis et nativitatis arcani mirabiliter conscientius, factus est minister mirabilis mysterii hujus.

Nos ergo, fratres, ut corde credamus et ore confiteamur tres denominativas et discretas personas, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius esse divinitatis, Deitatis, dominationis, essentiae, simplicisque substantiae, æqualis etiam majestatis, virtutis, honoris, potestatis, æternitatis, immensitatis et gloriae, adinoneant nos et doceant veritatis veracissima verba, prophetarumque, apostolorum et evangelistarum veridica testimonia. Et ut in tribus personis summa, simplex, æterna et incomprehensibilis creditur, confiteatur et adoretur unitas, summa etiam, simplex, æterna et incomprehensibilis creditur, confiteatur et adoretur Trinitas: invitet nos sancta-

rum divinarum Scripturarum sinceritas et catholico-  
rum Patrum, eorum videlicet fidelis auctoritas nos  
doceat, in quorum intellectu et scriptis fidei pietas  
et veritas non vacillat. Mysterio itaque baptismatis  
peracto ac praesentia totius Trinitatis consecrato,  
Dominus Jesus non alieno, sed suo spiritu et propria  
voluntate desertum petiit, ubi ad tentandum eum  
malignus spiritus inventit. Qui ipsius virtute super-  
ratus, angelis ministrantibus recessit ab eo confusus.  
Postea a B. Joanne invenitur, et ob incomparabilem  
innocentiam ab eo Agnus Dei mundi peccata  
tollens appellatur. Et ne lumen divinitus accensum  
sub modio poneret, sed nec diutius celaretur, exivit  
ad publicum. Et quia totum invenit mundum peccata-  
tis obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium,  
et in suo adventu appropinquare dixit regnum cœ-  
lorum. Et ut illud Isaiae impleretur vaticinium : *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Deinde ipso divinitatis sue lumine præeunte,  
ex diversis hujus vitæ conversationibus et officiis,  
ut Evangelia loquuntur, discipulos vocavit et ex iis  
duodecim elegit, quos et apostolos vocavit, per quos  
humano generi salutis iter ostendit. Quorun sacro  
conventui et nobili contubernio semper adhærebat  
sanctissima Virgo. Cum illis semper habitabat se-  
que Dominicis conspectibus frequenter praesentari  
gaudebat. Eam vero optimam partem quam seror  
Marthæ Maria in spe et figura gerebat, Dei Genitrix  
in re vera firmissime retinebat, et cum apostolis  
de humanis Christi actibus, ut verius ac specialius  
cognoscebat, verius ac specialiter conferebat, ut ab  
ea discerent qualiter arcanum tanti mysterii et ipsi  
crederent et lucidius aliis enarrarent. Et cum oppor-  
tunum fieret, sine omni ambiguitate scriptis mundo  
transmitterent. Ipsa vero, ut sanctus evangelista  
Joannes refert, Domini miraculis nonnunquam in-  
terfuit. In his et in cæteris divinitatis ejus operibus  
et virtutibus ultra quam dici potest gloriabatur. Et  
si Maria quandam peccatrix, cui donando peccata  
erat propitius, intente audiebat verba ex ore ejus,  
quanto magis hæc, que erat mente et corpore sancta,  
audiebat ardenter cuius idem ipse et Dominus  
erat et filius? Cæterum ut Simeonis justi prophetia  
imploretur dicentis : *Et tuam ipsius animam pertransi-  
bit gladius, tempore Dominicæ passionis cum di-  
lecto discipulo de ea dictum est : Ecce mater tua.* Circa sepulturam vero Dominicam multo magis  
quam mulieres illas sanctas quidem dicunt fuisse  
sollicitam, quorum opinionem, ni fallor, astruere  
videtur bonus ille Sedulius poeta evangelicus, ora-  
tor facundus, scriptor catholicus.

Si enim scire volumus quid Dei Genitrix, post re-  
surrectionem Domini, antequam ipse cœlos ascen-  
deret, agebat, sine dubio loca Dominicæ nativita-  
tis, passionis, sepulturae et resurrectionis frequenter  
circuiens, invisere cupiebat. In eisdem etiam locis  
lacrymas fundebat et sanctissimi oris sui oscula dul-  
cissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium,

apostolicum videlicet contubernium, pasta intuitu  
Dominicorum locorum cum gadio remeabat. Cre-  
dimus eam interfuisse gaudiis Dominicæ Ascensionis,  
in die sancto Pentecostes cum sanctis apostolis  
percepisse eam gratiam Spiritus sancti, quam con-  
stat esse plenissime habere ab ipsa conceptione  
Christi. Si quis vero adhuc studio pietatis vel piæ  
curiositatis affectu indagare voluerit quid post As-  
censionem Domini egerit, quam sanete et juste  
vixerit et cum quibus habitaverit, soli Deo co-  
gnitum esse videtur et Gabrieli archangelo, cui  
ejus causa tota commissa esse prædicatur a Domi-  
no, et angelis sibi collætantibus secumque collo-  
quentibus, Joanni etiam dilecto Domini discipulo  
qui ab ipsa cruce suscepit in sua sollicitudine et  
cura, videlicet ut Virgo virginis deseruiret, et Do-  
mini matri rependeret servitutis et dilectionis obse-  
quium, qui eum præ cæteris sua dilectione fecerat  
dignum. Beatissimo etenim Petro apostolorum prin-  
cipi cæterisque apostolis non incognita fuit ejus  
purissima vita et actio; sancta quoque et admirabilis  
et prædicabilis conversatio. Quippe quia cum  
eis semper fuit ab ipsorum conversionis initio, us-  
que ad illum diem in quo unigenitus Dei Filius,  
homo ex ea vera fide genitus, a laboribus hujus  
vitæ voluit eripere, et ad gloriam sibi a sæculis  
præparatam, ut creditur et prædicatur, super cho-  
ros angelorum dignatus est elevare.

Hujus diei lætitiam hodie totus mundus concele-  
brat, hodie namque ob venerationem Assumptionis  
Domini Genitricis angeli lætantur, virgines gratu-  
lantur, patriarchæ et prophetae Deo gratias refe-  
runt, quia præsagia et vaticinia sua per eamdem  
Dominii Genitricem completa esse cognoscunt, apo-  
stoli et evangelistæ tripudiant, cum in carne Domini  
num venisse, et de Virgine natum vera fide scriptis  
suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie martyres,  
Genitricis Domini sui solemnia dignis laudibus cele-  
brantes. Gaudent summi pontifices, confessores et  
doctores catholici, dum per eorum doctrinam fide-  
les Dei credunt et colunt Dei Filium suscepisse  
quod non erat, et non anisisse quod erat; et Geni-  
tricem Domini prædicant virginem peperisse, et  
post partum virginem exstisset. Dicam aliquid  
plus, si audeo; dicam fideli presumptione, dicam  
pia temeritate. Toton mundus hodie condigna ju-  
bilatione lætatur et gaudet, tartarus tantummodo  
ululat, frenit et submurmurat, quoniam gaudium  
et lætitia hujus diei, claustris infernalibus inclusis,  
a'iquid remedium et refrigerium præstat. Non au-  
dent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere  
suos captivos, quos recolunt redemptos illius san-  
guine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de  
Virgine. De cuius Virginis meritis et glorioissima  
hodierna ejus Assumptione, divinae legis interpres,  
sanctus videlicet Hieronymus et alii doctores egre-  
gii talia ac tanta potuerunt et voluerunt dicere,  
quibus nos nec audemus aliquid, nec debemus ad-  
dicere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriam

solemnitatis hodiernae, legat sermonem quem supradictus Pater Hieronymus edidit, et ad sanctam Paulam, et ad Eustochium filiam ejus virginem, et ad cæteras virgines non solum præsentes, sed etiam ad superventuras transmisit. In eodem vero sermone possunt addiscere virgines feminæ, et non solum virgines feminæ, sed etiam virgines masculi, quomodo debeant virginum virginis, virginaliter ac viriliter militare. Hodie, reverendissimi Patres et charissimi fratres, domini et seniores, matres et sorores devotissimæ, beatæ Dei Genitricis et semper virginis Mariæ celebremus festum, ut per ejus singulare meritum, et orationes omnium sanctorum sanctarumque virginum, pluri mereamur habere atque propitium Virginis filium, et virginum sponsum, Dominum nostrum Jesum Christum. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Dei vero Genitrix, quæ hodie ad cœlorum gloriam, super choros angelorum et usque ad summæ divinitatis præsentiam assumpta esse creditur, veneratur et colitur, ipsa est, ut quidam ex nostris humili devotione alloquentes soliti sunt dicere : Tu es enim aula regalis, forma pudoris, id est verecundiae, quæ semper est comes individua integræ virginitatis et continue castitatis. Tu es enim post Deum causa præcipua humanæ salutis. Tu mater singularis, tu virgo perennis. Tu mater intacta, tu virgo secunda. Tu mater sine viro, tu virgo sine exemplo. Tu puerpera sine tuae integratatis dispensilio. Tu tot divinis numeribus functa, tu tantis numeribus cœlestibus compta. Tu tam granditer gratia Dei es referta, ut per florem tui virginalis uteri omnipotens Pater superaret tenebrarum principem, mortis auctorem, et amoveret a paradisi aditu gladium flammneum atque versatilem : et per eum, quem tua generavit virginitas, cœlestis regni fidelibus aperiret portas, quas clauserat hostis antiqui callidas et priorum parentum præsumptuosa temeritas. Per has itaque portas, ut credit fidelium fidei firmitas, assumpsit te ad æternitatis suæ solium cum multitudine angelorum, occurrrens tibi festive ex te incarnata Divinitas, sicut universo orbi hodie tuae gloriose Assumptionis representat celebritas. Nos vero ad hujus paupereulae declamationis cumulum, non hymnum, sed ad instar hymnorum, tenuem satis et paupereum compositius dictionem.

#### VI. — *De Nativitate beatæ Mariæ Virginis.*

(Deest init.) partum. Talibus enim obsequiis angelus intentam invenit atque salutavit. Utpote virgo verecunda erubuit; a quo confortata, quæ dicebantur creditit, et credendo auctorem nostræ salutis edidit Jesum Christum Dominum nostrum, quem patriarchæ et prophetæ præviderunt et prædixerunt de virginie nasciturum. Apostoli viderunt et prædicaverunt vera fide jam de Virgine natum, et ipsum factum esse secundum humanitatem, qui semper erat secundum divinitatem. Quid erat? Quid factus est? Deus erat, homo factus est. Suscepit

humanitatem, non amisit deitatem. Factus humilis, mansit sublimis. Natus est homo, non destitit esse Deus. Natus est parvulus, latens magnus. Qui libenter amplectitur Deum natum, non horret Virginis partum. Dicit Deus creator hominis, filius hominis. Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate, ego matrem de qua nascerer feci, ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc quam despicias, Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facarem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic et mea nou est ibi maculata majestas. Si solis radius cloacæ sordes excicare novit, inquinari non novit, quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinatum occurrit? Quocunque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest. Stulte, unde sordes in Virgine, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in eam quæ nec concupiendo [concipiendo] libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Unde sordes in domo ad quam nullus hospes accessit? Solus ad eam Dominus et fabricator venit; vestem quam non dabebat induit, eamque sicut invenit clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius ex qua natus est matris pudor solus permanit integer. Eva inobediens meruit poenam, Maria obediens consecuta est gratiam. Illa gustans prohibitum maledicta fuit. Haec credens angelo est benedicta. Illa nobis mortem contulit, haec vitam nobis peperit. Quid agis, Manichæe? Christi matrem opprimis, non Christum defendis. Taceat immunda..... quia de mundissima Virgine natus est mundi..... Cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto æqualis honor..... nec differens gloria, coæterna majestas. Per infinita sæcula sæculorum. Amen.

#### VII. — *Item de Nativitate beatæ Mariæ.*

Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas, vita Mariæ, e qua velut speculo resulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quod tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilis Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in parte pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermoni, arbitrium mentis non hominum, sed Deum quereret. Nulli laedere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsi,

parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit inopem? eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia nou erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestu fractior, non incessu solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosciri, ac primo pretendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris laceat. Quid ergo exsequar, ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfluisse, alterum pene ipsi nature defuisse. Illic nulla intermissa fuisse tempora, hic congerminatos jejuniorum dies, et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque habitus, qui mortem arceret, non delicias ministraret, dormire nos prius cupiditas, quam necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: quæ frequenter insomnis aetlecta repetit, aut sonno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat, prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conveniret. Et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen custode quam seipsa, quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedum tolleret, quam gradum virtutis attolleret, et tamen alias habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat custodem ipsam. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quæ virtutis magistras habet, quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omniibus, quasi a pluribus moneretur. Sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret quam doceret. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? ut eam parentes dilexerint, ex ranei prædicarint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius naseretur. Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domo in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet neque obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat, quin etiam sibi minus sola videbatur cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent? tot archangeli, tot prophetæ? Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat invenit, et angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum auditio nomine recognovit; ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit et appellata respondit. Sed quæ primo turbaverat affectum, postea promisit obsequium. Quam vero religiosa in propinquas fuerat Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est ubi a Deo se cognovit electam, et statim ad conuagatam suam ad mentana processit. Non utique ut exemplo crederet quæ iam crediderat oraculo. Beata

enim, inquit, quæ credidisti, et tribus mensibus cum ea mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides queritur, sed pietas exhibetur. Et hoc postea quam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini..... *Cætera desunt.*

### VIII. — *De sancta Cruce. — Mariæ Virginis encomium.*

Post illum singularem, et admirabilem, et toto mundo prædicabilem, et salutarem Dominicæ passionis triumphum, et ejusdem Domini nostri resurrectionis gloriam, et sacrosancta festa paschalia, dignissime satis et convenienter illa dies recolitur celeberrima, in qua Dominicæ passionis ad honorem et gloriam nominis Dei et ad salutem generis humani reperiuntur insignia; crux videlicet, in qua nostræ salutis auctor peperit, et clavi quibus confixum est illud sacratissimum corpus, quod ex intemerata Virgine assumere dignatus est Dei Filius ante omnia tempora sæcularia ab ipso Deo Patre ineffabiliter genitus. Merito igitur celeberrime recolit totius Ecclesiæ fidelis familia per diversa annorum spatia salutaris patibili inventionem et exaltationem, quia per crucem didicit destructum mortis imperium, per crucem se recolit evasisse perpetuae mortis interitum, et per crucem se gaudet invenisse æternæ vitæ subsidiuni. Cum enim Dominicæ et victoriosissimæ crucis celebratur inventio, manifestissime Domini crucifixi recolitur resurrectio; et cum ejusdem crucis exaltatio colitur, in ea crucifixus Dominus Jesus Christus ad caelos ascendisse dignoscitur. Ad confirmanda hujus rei magnalia, quedam in Scripturis paria inveniuntur præconia, ut cum similia junguntur similibus, in his quæ dicuntur de Deo nullus inveniatur incredulus. Mulier serpentino delusa mendacio mortem propinavit viro, imo etiam omni generi humano: mulierum sanctorum humilis devotione, angelico asserente sermone veridico, Domini resurrexisse apostolico nuntiavit collegio. Auditis hominem inobedientem per ligni gustum a paradiso expulsum; auditis latronem confitentem per humiliem confessionem in paradisum inductum. Lasciva femina divortium male suadendo insinuavit viam ad inferos, integra virgo iter rectum direxit ad superos. Mulier corrupta suæ propagini mortem intulit, virgo intemerata humano generi vitam perpetuam contulit. Maria Magdalena, quondam peccatrix, de ejusdem resurrectione gaudium attulit; Helena imperatrix de inventione crucis et cæterorum insignium Dominicæ passionis gaudium et laetitiam ostendit præsentibus et superventuris fidelium populis. Maria genitrix Domini, tempore quo patiebatur unigenitus Filius ejus Dominus, ante crucem stabat, et piis oculis, ut doctor catholicens scribit Ambrosius, exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem, quam etiam ille vir Sedilius poeta evangelicus asserit circa Domini sepulturam plus cæteris mulieribus fuisse sollicitam: Helena vero econtra princeps Romani imperii ad

inquirenda et reperienda Domini corporis supplicia et nostræ salutis insignia, solerter et studiosissime insistebat, et pio affectu et sincero effectu votis omnibus laborabat, ut invenire posset quod quærebat; et inventum ad honorem et gloriam Domini honorare gestiebat. Ad quod negotium peragendum adjutorem habebat strenuissimum filium suum, Romani imperii principem Constantium, qui primus inter saeculi principes eum consilio et studio matris supradictæ et saepedieendæ Helenæ libertatem et privilegium Romanæ concessit Ecclesie. Inde coepit praedicari publice, Domino annuente, et supradicto principe faciente, nullo contradicente, honor et virtus Christi, fides et Victoria Domini crucifixi per spatia cuncta mundi quoque tendebat potestas Romani imperii, et non dieam usque ad terminos Romani imperii, sed quoque prædictetur majestas divini et incarnati Verbi, et auctoritas mundi salutaris sancti Evangelii, quæ viva et libera voce intonat honorem et gloriam crucis et actus et mirabilia Domini crucifixi. Quid nos miseri, ad laudem crucis dicere tentamus, et quid indocti fari præsumimus, qui tanta ae talia a majoribus et melioribus nostris quotidie dicta cognoscimus, ut et notum et angelis et hominibus, et omnium fidelium firmissime credi prædicabat et novi fidelis prudentia? Dei Filius misericorditer hominem ex Virgine dignatus est suscipere, homo factus, hominibus voluit apparere, et per ipsum hominem quem suscepit, genus humanum a perpetua mortis interitu voluit liberare, et de tenebris ad lucem, de morte ad vitam reducere, et scivit sicut omnia scit, quia non posset corrigi priorum parentum præsumptio, nisi humanitatem nostram susciperet divina dignatio; sed semper regnaret in mundo, ut diximus, priorum parentum superba temeritas, nec culpa solveretur quæ mundo creverat per illicitum ligni gustum, nisi Christus in ligno crucis pendens sanguine suo deleret mortalis præscriptionis chirographum. Necessè est, fratres charissimi, ut qui se gaudet redemptum Christi sanguine pretioso, studeat se munire Dominicæ crucis signaculo, et ut B. Hieronymus imperat, ad eniem actum, ad omnem incessum contra omne periculum manus pingat crucem, sicut omnes faciunt qui per crucis mysterium se Deo fideliter dedicant. Et in alio loco idem orator facundissimus in laudem crucis luculenter perorat vexilla militum, et purpuræ regum, et diademata Cæsarum supplicii salutaris pictura condecorat. Omnis qui se a tempore Dominicæ passionis pati vel mori pro Christo disposuit, per crucis supplicium ad Christum pervenire optavit. Petrus per crucis martyrium optabat pervenire ad Christum. Idecirco Christus illi prædictit qualiter ad regnum pervenire debuit: *Cum esses junior cingebaste, inquit, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas.* In extensione manuum significavit eum adepturum, ut desiderabat, crucis patibulum. Andreas fideliter prædicavit crucis mysterium, et per crucis supplicium perverpedit ad trium-

phum. Paulus vero si non est crucifixus corpore, crucem Domini gemino affectu, ut beatus papa Gregorius docet, corde gestabat et corpore, qui dicebat: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi;* qui etiam se ideo gaudiebat pervenisse ad scientie et sapientie cumulum, cum gloriabatur nihil se seire nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Quidquid enim pro Christo quis patitur ad exemplum Dominicæ passionis, causa honoris et gloriae eadem passio cruciatus vocatur. Illa mulier de libro Regnum, quæ prophetante Elia ad speciem erueis duo studuit ligna colligere, ut divinarum litterarum tractatores volunt, figuram preferebat Ecclesie. Duo enim ligna a muliere jam dicta collecta ad figuram erueis a Patribus, ut diximus, sunt spiritualiter intellecta. Ad hujus igitur erueis sacrosancta mysteria spiritualiter intelligenda illos alloquitur, et alloquendo admonet Pauli optabilis illa sententia, quibus inerat et inest amor et studium et honor et gloria sub ejus consistere disciplina, et ejus desiderant pereipere saluberrima monita: *Det vobis, inquit, Dominus Deus secundum divitias glorie sue, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorum hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum* (Ephes. iii, 16), secundum Apostoli dictum ad crucis Dominicæ credimus pertinere mysterium. Latitudinem crucis a summitate unius usque ad summitatem brachii alterius, ut reor, sine periculo simplicis intelligentie intelligere possumus. Altitudinem namque a erucis crepidine usque ad lignum in transverso positum dicimus secundum majorum seniorum fidele documentum. Profunditas vero est ultima pars crucis, quæ in terris defixa non potest videri luce corporea. Sublimitatem credimus esse excellentiam summæ et principialis virtutis, quæ est fides in Deo et de Deo, sine cuius sinceritate et integritate impossibile est ei placere. Alter in latitudine bona opera charitatis, in longitudine perseverantiam usque in finem, in altitudine spem eelestium præmiorum, in profundo inscrutabili judicia Dei possumus intelligere, ut Patrum resert fidelis et amplissime opinata relatio. Imperante Helena Augusta cum Augustissimo ejus filio Constantino, crux inventa predicatur et creditur, et regnante Eraclio victoriosissimo rege et Christianissimo principe ejusdem Dominicæ adoratur et colitur triumphalis et celebris exaltatio. Nos quid sumus qui aliquid ad laudem crucis imperiti scientia, indocti sapientia, lingua balbutiente, vel parum præsumimus dicere? Quot et quanti et quales illi fuerunt qui de tam grande granditer dicere potuerunt? Ad enarranda eorum merita et studia non sufficit nostræ parvitas ignavia, neque eorum numerositatem nobilium dictiorum, ignorantia obsidente, tenuitas nostræ memoriarum valet etiam quæ dicunt ad plenum agnoscere. Omnes etiam catholici doctores Ecclesie studuerunt

de mysterio crucis et passionis Dominice quantum necesse tunc fuit edicere, alii occultius, alii manifestius, alii diffusius. Inter quos Joannes Chrysostomus locutus est multo ceteris abundantius. Multo post illum tempore eluxit quidam monachus, post monachum Moguntinæ civitatis episcopus, nomine Rabanus, sacerdotali scientia affatim eruditus, fide catholicus, speciali scientia ad plenum eductus. Hie tale de laude crucis orditus est opus et texuit, et texendo perfecit, quo pretiosius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, nec laboriosius ad scribendum potest inveniri nec poterit. Placuit beatissimi Joannis cognomento Chrysostomi, regiae civitatis nobilissimi patriarchæ, sententiam de laude crucis hinc exiguae declamatiunculae integrum inserere, eo tenore ut quod nostra non potuit digne enarrare rusticitas, ejus nobilitet simplex et sublimis auctoritas. Scripsit enim aliquando jam dictus vir sententiam de cruce Dominicæ, in qua allocutus est quendam suum amicum dicens inter cetera : « Et si nosse desideras, charissime, virtutem crucis, et quanta, ut possum, ad ejus laudem dicere, audi : crux est spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux cæcorum dux, crux desperatorum via, crux claudorum baculus, crux destructio superborum, crux consolatio pauperum, crux refrenatio divitium, crux male viventium pena, crux adversus daemones triumphus, crux devictio

diaboli, crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navingantum gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus, crux pater orphanorum, crux defensor viduarum, crux justorum consiliarius, crux tribulatorum requies, crux parvolorum custos, crux virorum caput, crux senum finis, crux lumen in tenebris sedentium, crux regum magnificentia, crux scutum perpetuum, crux insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux imperatorum philosophia, crux lex impiorum, crux prophetarum pæronatio, crux adnuntiatio apostolorum, crux martyrum gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum, crux orbis terræ cautela crux templorum destructio, crux idolorum repulsio, crux scandalum Judæorum, crux perditio impiorum, crux invalidorum virtus, crux agrotantium medicus, crux emundatio leprosorum, crux paralyticorum requies, crux esurientium panis, crux sitientium fons, crux nudorum protectio. » Sit nobis via, vita, salus Christus crucifixus, qui nos semper salvet, qui sæcula cuncta gubernet. Sit crux nostrorum omnium virtus et refugium, auxiliante eo qui pro salute hominum tulit crucis supplicium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæculorum. Amen.

### S. FULBERTUS, CARNOTENSIS EPISCOPUS.

#### 1. — *De Purificatione beatæ Mariæ.*

Volumus vobis breviter exponere, fratres, unde cœpit solemnitas Purificationis, quam hodie celebratis, et quid cerei significant quos offertis. Solemnitas ergo ista processit ex lege. Præcepit enim Deus in lege ut mulier quæ de viri sui conceptu primogenitum pareret, quadragesimo die nativitat's præsentaret eum Domino in templo, cum hostiis : et hic dies Purificationis vocatur. Quod præceptum Purificationis et oblationis impleverunt aliæ matres ex necessitate, quia polluta et peccatrices erant : quando vero Christus natus est de beatissima Virgine Maria, ipsa non indigebat legali purificatione, quia munda erat et sancta. Humilitatis tamen et obedientiae causa legi se subdens, obediens legi quainvis non indigeret, obtulit in templo Dei filium suum cum hostiis quadragesimo die nativitat's, sicut est hodie. Sed præsentatio illa insignis et gloria fuit : movente enim Spiritu sancto, occurserunt ei sanctus propheta Simeon et Anna sancta vidua et prophetissa, laudantes et benedicentes Dominum de adventu Christi, sicut legitur in Evangelio, miracula præbentes. Christus namque in carne veniens, fratres, ostendebat pariter et humilitatis exemplum, et divinæ pietatis indicia. Sicut in nativitat's sua, cum jaceret humilius in præsepio, nova stella, et laudibus angelicis celebrabatur in cœlo : sic et modo cum parvulus infantulus præsentaretur in templo, ad de-

clarandam divinitatem suam in carne latitante corda prophetarum illuminabat Spiritus sanctus. Nos ergo qui illum verum Dominum et hominem adoramus, in memoriam Præsentationis ejus in templo celebramus hunc diem cum oblatione cereorum : per lumen cerei, divinitatem, per ceram significantes carnem ipsius virginalem. Apis enim et mellis, et ceræ opifex sine coitu maris et feminæ procreatur. Patet ergo quia Præsentatio Christi in templo processit ex obedientia legis, et nostra significativa oblatio est, ex dulci et venerabili memoria suæ præsentationis. Nunc ergo scientes, quam ex bonis principiis solemitatis ista prodit, et quam piæ sanctamque significationem nostra oblatio gerit, solemitatem divinis laudibus et operibus exornemus, et oblationem pio celebremus affectu, rogantes piissimam Dei Matrem ut ipsa nos, et munera nostra, Filio suo gratificare dignetur, et ad similitudinem oblationis nostræ, quæ munda, clara et fervida esse videtur, depositat nobis ab ipso munditium cordis et corporis, lumen scientiæ, fervorem fidei et charitatis, quatenus suæ gratiæ dono accensi, per Spiritum sanctum illuminati, purificatis mentibus in templo sancto gloriæ suæ valeamus apparere, per euindem Dominum nostrum Jesum Christum.

#### II. — *De Nativitate beatissimæ Mariæ Virginis.*

Approbatae consuetudinis est apud Christianos sanctorum Patrum dies natalitios observare diligenter

ter, et præcipue virtutes eorum assignatas litteris in Ecclesia recitare ad laudem Dei, ex ejus munere sunt, et ad instrumenta minorum. Inter omnes sanctos, memoria beatissimæ Virginis eo frequentius agitur atque festivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur invenisse. Unde post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, non fuit contenta devotio fidelium, quin nativitatis solemne superadderet hodiernum. Hac itaque die peculiariter in Ecclesia recitandus esse videtur ille liber, qui de ortu ejus et vita scriptus inveniebatur, si non judicassent eum Patres inter apoerypha numerandum. At quoniam magnis ac sapientibus viris ita visum est, nos alia quædam, sed non aliena legentes, ecclesiasticum morem debitissimè exsequamur. Beata ergo Domini Mater et perpetua Virgo Maria, priusquam nasceretur oraculis enuntiata est, et designata miraculis, nata vero progenie divinitus ordinata, privilegio virtutum insignis enituit, Salvatorem elidit a quo glorificata in celo, nunquam terrigenis patrocinari desistit. Propositionem sequatur ordine sua narratio. Jamque referamus unum de prætaxatis oraculis, ac deinde paucis expediamus. Dixit Æternus ad veterem, Deus ad serpentem : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius* (Gen. iii, 15). Quid est, fratres, in hoc loco serpentis caput contenerere, nisi principalem diaboli suggestionem, id est concupiscentiam, resistendo superare? Si ergo queratur quænam mulier hujusmodi victorianam operata sit? profecto non reperitur in linea generationis humanæ, donec perveniat ad illam de qua agimus sanctorum sanctan. At si interrogetur, in quo serpentis caput vel ipsa contriverit? nimis in eum quod virginitatem simul et humilitatem Deo sacrificavit. Virginitate namque servata probatur extinxisse concupiscentiam carnis; humilitate, quæ facit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Sieque principali suggestione diaboli vieta, vitosum caput virtutis pede contrivit. Non tamen hoc solo, sed eo quam maxime triumphavit, quod de sua mundissima carne corporata sapientia dicit, Usqueque malitiam attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (*Sap. viii, 1*). Hæc est ergo mulier ad quam divinum illud intendebat oraculum, hanc quandoque nascituram innuebat, hanc singulariter intimabat. Expedito quam paucis oraculo, unum quodque de miraculis absolvatur.

Acceptæ sunt a sancto Moyse singulæ virgæ de singulis tribubus Israel, nominibus earum inscriptæ, jubente Domino, et posite in tabernaculo ejus: inter quas una quæ fuerat Aaroni inventa est sequenti die germinasse, floruisse, fronduisse, et perperisse amygdala. Sciens ergo Dominus hoc opus suum magni esse mysterii, jussit servari virgam ad monumentum. Monobantur enim filii Israel præsentia virgæ, querere sollicite quid significaret tam mirabile factum, quod longo post aperiens divinus Isaías : *Egreditur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum*

*Spiritus Domini* (*Isa. xi, 1*). Ad hæc verba tanquam auditores ejus dicerent: Opater Isaia, obseure loquaris, dic nobis, quæso, ipsam rem manifeste, adjecit claritatem et ait: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa. vii, 14*). Filium quoque Virginis, id est Emmanuelem, præclare describens: *Puer, inquit, natus est nobis, filius datum est nobis, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium et regni ejus non erit finis* (*Isa. ix, 6*). Quod ergo Deus designavit miraculo, hoc a seereto Isaia prodit vaticinio. Et quod vates cecinit, consequenter rei exitus approbat. Nam sicut illa virga sine radice, sine quolibet naturæ vel artis admixtculo fructificavit: ita Virgo Maria sine conjugali opere filium procreavit, filium sane flore designatum et fructu; flore, propter speciem, fructu, propter utilitatem. Est enim *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal. xliv, 3*), et vitalis refectio non solum hominum, sed etiam angelorum. Hinc breviter asserta propositionis particula prima, quod sequitur attingamus.

Nata est igitur beatissima Virgo, sicut legimus, patre Nazareno, matre Bethlehemita, quas urbes Christi nativitati vel conversationi destinatas esse prophetæ non tacuerant. Descendit autem ab radice illius fide præclaræ Abrahæ, cui superne promissa fuerat benedictio omnium gentium in semine suo, et ab stirpe David, quem Deus propter notam sibi probitatem egregia laude sublimavit, dicens : *Inveni virum secundum cor meum* (*Act. xiii, 22*). De regali nempe tribu simul et sacerdotali duxit originem, quæ summum Regem atque Pontificem erat paritura. Non tamen hæc idcireo dixerimus, quod Dominus qui peccatores vocare venit, designatus sit matrem suam peccatores habere cognatos, inter quos speciosa velut inter spinas lily appareret. Hæc itaque electa et insignis inter filias, non fortuitu quidem, aut solo placito parentum ut plerique, sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam innueret: interpretatur enim *maris stella*. Quid ergo mysticum hæc interpretatio gerat, per similitudinem ostendantus. Nautis quippe mare transeuntibus, notare opus est stellam hanc, longe a summo cœli cardine coruscantem, et ex respectu illius astimare atque dirigere cursum suum, ut portum destinatum apprehendere possint. Simili modo, fratres, oportet universos Christicolas, inter fluctus hujus sæculi remigantes, attendere maris stellam hanc, id est Mariam, quæ supremo rerum cardini Deo proxima est, et respectu exempli ejus cursum vite dirigere. Quod qui fecerit noui jactabitur vanæ glorie vento, nec frangetur scopolis aduersorum, nec absorbebitur scyllæ voragine voluptatum, sed prospere veniet ad portum quietis æternæ. Hic si quis interroget dicens, quid ergo putas qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit, hæc persona, quæ sie omnibus sanctis spectacula atque imitanda proponitur? veraciter respondemus,

quia longe perfectior quam nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, ubi major affluit copia dicendorum, reservantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus super hoc, et qua facile probentur audit. Hoc igitur in primis astruere fas est, quod anima ipsius et caro quam elegit, et habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia et immunditia purissimae fuerunt, affirmante Scriptura: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subditu peccatis* (*Sap. 1, 4*). Item econtra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiae Dei nuntius asserebat inesse. Quod, attestante archangelo, quamvis nemo sana mente discredat, tamen si quis a thuce pio desiderio querat argumenta virtutum ex verbis et factis ejus quæ Scriptura commemorat, tanto sibi facilius occurrit, quanto ipse in querendo fidelior erit. Sunt autem ex eis quædam omni fere Christiano perspicua. Quis enim est qui cum jucunda admiratione non speculetur ipsius mature adolescentis fortitudinem, et prudentiam, et fidem in colloquio angelico, ubi tam constanter eloquitur, tam prudenter interrogat, tam facile credit? Quis enim non videat ac videndo miretur justitiam ejus, qua sic universa præcepta divinae legis satagebat implere, ut nec ad se pertinencia inexpleta relinqueret? Verbi gratia: post partum enim purificatione legali quam agebat, non egebat, quia virum in concepiente non noverat. De temperantia quoque ipsius superius dictum est, quæ Deo virginitatis liliui in humilitatis valle produxit. Cum ergo virtutibus supradictis facta ejus plena sunt atque dicta, manifestum est non solum attestatione angelica, sed etiam rerum argumento nullum virtutis beatissimæ Virgini defuisse. Depromebant itaque virtutes in cogitatione et affectu cordis ejus ineffabilem harmoniam, quam ipsa creatrix et inhabitatrix ejus Dei sapientia delectabatur audire, coruscabant foris in superficie sermonis et actus, unde merito possent homines glorificare Deum, et exempla salutis accipere. Tali ergo tantæque personæ, quid tandem ad honoris cumulum potuit accedere magis: eç quod Dei Filium Virgo concepit, Virgo mater edidit, hac nempe dignitate venerabilis facta est ipsis quoque sanctorum ordinibus angelorum. Quod opere manifesto declaravit ille magnus atque fortis archangelus Gabriel, qui eam antequam Dei mater fieret, quia futuram noverat, tanta veneratione salutando prævenit, hac eadem dignitate facta est etiam imperiosa, secundum charitatem erga supereros, ac super inferos per discretionem. Unde plurima scripta sunt exemplorum argumenta, de quibus ad præsens quædam sufficiat memorare. Illa igitur olim in auxilium magni Patris Basilii misit sanctum angelum, et mortuum suscitavit, qui male vivente pessimum dedit persecutorem ejus Julianum apostatam, et hæc historia notissima est. Illa etiam te, o peccator quondam Theophile, pœnitentem et suppliæ invocantem ab ipsis diaboli faucibus potenter

eripuit. Sed quid gravemur hujus lapsi reparationem paucis effari, cum audire sit operæ pretium?

Is ergo Theophilus incedens olim in patria ejusdam episcopi ciliciorum, ut scriptura quedam testatur, propter infortunia sua in tristitiam cecidit, unde contulit sese ad quendam Judæum maleficum, ejus consilium et auxilium petens. Ille mediatore locutus cum diabolo Christianitatem abnegavit, diabolum adoravit, eique de sua mancipazione chirographum tradidit annulo suo signatum. Postea vero facti pœnitens, multumque se animo angens quid faceret, quo se verteret, tandem collectis fidei et spei viribus, confugit ad ecclesiam quamdam beatæ Mariæ matris Domini memoriae dedicatam, ubi quadraginta dierum afflictione mactatus animo contrito nomine ejus invocabat jugiter, ac patroclium implorabat. Quid multa? Respxit hunc propitia misericordie Mater, et per visionem illi apparens de impietate coarguit, ad Christi confessionem excitans. Consolata est dolentem pollicendo veniam, et ne dubitaret de promisso, supradictum chirographum diabolo potenter ereptum captivo reddidit in pignus libertatis. Quod cum evigilans supra pectus suum positum inveniret, quam lætus extiterit, quam pio affectu voces exultationis et confessionis ediderit, non est facile dictu. Noctem vero illam consecuta est Dominica dies, qua Theophilus, quasi eum Dominio a mortuis resurgens, episcopo se coram populo præsentavit, et rem sicut erat exposuit. Videres populum modo ex auditu tam horrendi seeleris expavere, modo considerata macie vultuque pœnitentis conacrymari. Sed auditio quantam et quam celerem misericordiam fuerat consecutus, omnes qui mala conscientia territi pene defecerant, ad spem venie cum gaudio respirabant. Jam vero ut rem brevi fine concludamuš, episcopo jubente male caustum chirographum Theophilus igne cremavit. Deinde suffragante clero et populo ductus ad altare, cum sacro-sanctam communioneum de manu episcopi ore susciperet, facies refulsi ut sol. Peractoque deinceps triduo, cum laudibus in ecclesia piæ Matris Domini, per quam reconciliatus fuerat, a laboribus suis beato fine quievit.

Talibus ergo factis approbatur quia Domini Mater ubique imperiosa est, ubique magnifica, certe cui primum est sanctos angelos in ministerium mittere, et ad beneplacitum suum inferorum pacta cassare; his quoque et aliis infiniti numeri beneficiis quæ vel scripta sunt, vel passim jugi sentiuntur effectu, quod et justis et peccatoribus fideliter invocantibus se presto est, et nunquam eis opitulari desistit. Veniant igitur ad eam justi cum Basilio laudantes ac benedicentes, effectuunque celerem suis sanctis desideriis postulantes sine dubio percepturi. Veniant peccatores cum Theophilo tundentes rea pectora cum interno fletu, ipsi quoque, si vere pœnitentiant, desideratau veniam adepturi, de quorum numero tibi assistentibus nobis ut subvenire jam et auxiliari digneris, implorauis, o pœfecta! o sancta! vene-

rabilis et imperiosa ! o clemens et propitia Domina nostra , quo possimus recuperare et habere perpetuam gratiam Filii tui Jesu Christi Domini nostri , qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus in æternum . Amen .

III. — *Item de Nativitate Mariæ Virginis.*

Fratres charissimi , in hac die celebramus natale gloriæ Domini nostræ Mariæ videlicet Redemptoris nostri Matris . Volumus vobis aliquid referre breviter de natalibus ejus , et vita et fine , et adjutoriis quæ ipsa Christianis et justis et peccatoribus impendere solet . Hæc itaque nata est de stirpe Abrahæ atque David regis , quibus a Deo promissio facta est , quod in semine ipsorum , id est in Christo , benedicendæ forent omnes tribus terræ . Nata est autem juxta relationem et scripturas sanctorum Patrum in civitate Nazareth , patre nomine Joachim ex eadem urbe oriundo , matre vero Anna nomine oriunda ex civitate Bethlehem . Vita quorum simplex et recta ante Dominum , apud homines irreprehensibilis et pia erat . Nam omnem substantiam suam trifarie dividebant , unam partem templo et templi servitoribus impendebant , aliam peregrinis et pauperibus erogabant , tertiam sibi et suæ familiae iubibus reservabant . Ita justi Deo , et hominibus panperes , annos circiter viginti , castum Domini conjugium , sine liberorum procreatione exercabant . Voverunt tamen , si forte Deus donaret eis sobolem , eam se Domini servitio mancipaturos . Evolutis ergo tot annorum curriculis , missus est angelus Domini prius ad Joachim , demum ad Annam , nuntians eis nascituram filiam nomine Mariam , cui similis sanctitatem nec antea nata fuerit nec postea nasceretur . Factum est itaque juxta verbum angeli : nata est in civitate Nazareth sanctissima Virgo Maria , et mansit ibi tribus annis in paterna domo ; postea vero , sicut parentes illam Deo voverant , ducta Hierosolymis in templo Domini conservata est usque ad quartum decimum annum , jejuniis et orationibus serviens die ac nocte , et virginitatem suam vovens , quod ante virgo ulla non fecerat , angelicis colloquiis frequenter utens . Deinde cum esset reversa ad dominum parentum suorum in civitatem Nazareth , missus est ad eam angelus Gabriel a Deo nuntians ei conceptionem Filii Dei . Fuit ergo conceptus Dei Filius in Nazareth , natus in Bethlehem . Post nativitatem vero Christi mansit cum filio usque ad passionem crucis , ubi Christus Virginem matrem virginis discipulo Joanni apostolo commendavit . Hic ministravit ei post passionem et resurrectionem et ascensionem Domini in finem . Fuit autem sepulta sanctissima in valle Josaphat , ubi est aedificata ecclesia in honorem ejus , et sanctus Joannes sepultus est Epheso . Post vero cum religiosi Christiani reliquias matris ejus , videlicet Domini , respicere vellent , sepulcrum vacuum invenerunt ; sed et in sepulcro beati Joannis respicientes , non invenerunt nisi manna . Credit itaque Christiana pietas quia Christus Deus Dei Filius Matrem suam glo-

riose resuscitaverit et exaltaverit super cœlos , et quod beatus Joannes virgo et evangelista , qui ei ministravit in terra , gloriam ejus participare mereatur in cœlo . Est autem ineffabile quam gratiam et gloriam dederit Dominus Matri sue ; hoc tamen certo scimus quia justi quidquid ab eo postulant , per intercessionem Matris celerius impetrant , peccatores quoque sœpius misericordiam sunt consequuti : habemus plura exempla de utrisque , sed ad præsens hæc sufficiant .

IV. — *In Ortu almæ Virginis Mariæ inviolatæ.*

Mutua dilectionis amore et seduke adhortationis mutu a quibusdam Deo sacratissimis et dilectis cogimur de sanctissima , et ultra quam dici possit dilecta Virgine , sposa scilicet et matre Domini Maria , aliquam allocutionem facere , de ortu vide- licet ejus , non historialiter texere , sed mysticis exornare laudibus , et beneficiis congratulari , ad ejus tanti mysterii materiam nec omnis potest sufficere mundus , si in unum etiam coeat ordinem . Erit autem eis inceptum , et executio meritum , quorum obtentu pervenerit ad portum sine naufragio remigium . Igitur nimis amabilem ac salutiferam omnibus sæculis et terricolis veri aeternique Regis ac Domini nostri nativitatem cernua humilitate recensentes , et annua orbita recolentes solemnia , primo ratum duximus utrorumque sexum collegia etiam ad divinam et gloriosam festivitatem quibusdam adhortationibus invitare , ut dum utramque partium devotio his sacris festis nefas duxerit non interesse , una omnium vota capacius ejusdem sacræ Virginis circa se persentiant adesse invamina .

Est enim ista suspecta festivitas , non modicis nec paucis præfulgens mysteriis , aut reliquorum sanctorum festivitatibus coequanda , sed tantum est excellentior , quantum constat eam omnibus hominibus præfrendam , cuius hodie prælucida recitantur nativitatis initia . Ad cuius ergo magnificientiam collaudandam , et gloriam perferendam , tanta valeant exuberare preconia , quantum illi congruit , quæ cunctas superexcellit in præminendo creaturas , et angelicam dignitatem . Et ubi usquam inveniri poterat locus , qui infra se concluderet maiestate in coequalem Patri , auctorem omnium rerum , nisi ictus Mariæ ante sæcula præscitus ? in hunc siquidem tota divinitas cum humanitate versata est . Et qui in coequalitate cuncta disponebat cœlestia , et terrestria , in virginis perangusta septa venturam et promissam præparabat carnis suæ redemptionem .

Felix talis partus et ortus , de cuius substantia assumpta est talis virgo , quæ tolleret veterinas parentum offensas , et relevaret concussum orbem qui sub sævo duri erat hostis dominio . Cujus itaque partus , ut censemus , ad nihil exstitit , nisi ut fieret ejus sancta pudicitia domus et susceptio Filii Altissimi . Ad quid enim aliud ? ergone liujus castitas aut ante partum , vel post dignum pignus genitum ,

fœdata est aliquo contagio? Hanc enim nulla gravitas aut effeta successio filiorum fregit, ut solet eis contingere quæ humanam sobolem maternis egerunt visceribus. Felix enim culpa, sed sancta conjugalis societas, quæ tale ac tantum specialeque vel singulare decus profudit in orbe, de concesso nuptiali contubernio.

Denique in hujus conceptione necessaria haud dubium est quin utrumque parentem vivisca et ardens Spiritus singulari munere repleverit, quodque ab eis sanctorum angelorum custodia seu visitatio nunquam absuerit. Merito si quidem hujus sancte Virginis multum adeo laudandi sunt et extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, ut non immerito de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret et priscis ætatibus et subsequentibus exemplum totius bonitatis. Felix, et præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari patrator. Felix etiam qui non plures, sed unam promeruit suscipere natam, quæ unicum conciperet et proferret Dei Filium. Nec enim decebat ut hujus singularis Virginis sanctissimi progenitores foedarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri unicæ matris Domini provisores et educatores egregii. Vere beata et omni veneratione habenda, et quodam privilegio sacro prædicanda, mater hujus sanctæ, quæ omnium antecessit matres in concipiendo et generando eam quæ suum et omnium generaret creatorem. Gaude et letare, o felix pro tali filia, quoniam tali dote donata es, qua nulla ante te postea meruit antecelli. Quanta putamus provisio fuerit sanctorum angelorum, circa tam Deo gratissimos parentes, ab initio susæ procreationis, et excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Nulli enim fidelium dubium est quod circa eam omnis frequentia cœlestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minime ambigebant. O nimis superque beata Virgo, quæ nulli comparanda est merito, nec coæqua castitatis titulus? Vere etenim beata illa sæcula, quæ ex sacro utero te meruerint excipere suo in tempore. Sane si qui sollicita mente et studiosa investigatione perquirant cur sanctorum præcedentium memoriae hujus præfatae Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornaverunt, ut ad omnium notitiam vulgarent, neverint non ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni et admirando hujus sacre pueræ præconio exortura erat, et ob id, si quid ex ejus ortu protulerunt, sagaci industria celandum æmulis et infidelibus decreverunt, ne inventiret cæca garrulitas perfidorum unde maternum sinum Ecclesie verberaret sua multiplici fallacia. Nam et hoc quod levi et subtili relatione, aut forsitan conscriptione de matris Domini nativitate et infantia ejusdem Domini perceperunt, ita versuta et argumentosa fallacia deturparunt, ut nec vera deinceps

cepis a quibusdam ecclesiasticis doctoribus recitentur, quamvis minime repudiantur.

Exstat vero quædam non usitata relatio, quæ clarissimi interpres Hieronymi prenotatur nomine, referens beatum Matthæum post editum Evangelium ortum præfatae Virginis atque initia puerilia Jesu Christi, ita obscuris manu propria obsignata literis Hebraicis ut nullis infidelium illud vellet patere superfluis et mordacibus rietibus, quæ tunc a prælibato interprete feruntur transportata quibusdam omnibus potentibus ad Latinæ linguae notitiam. Et quia hæc relatio inter sacra Scripturæ canones non habet etur inserta, ideo unanimis Ecclesiæ conventus in recitando aperte nec omnino eligit, nec in non recipiendo rejicit, cum nonnulla reperiantur dicta vel facta quæ in præfata serie impossibilia videantur, quæ tamen volentibus et amantibus legere, non denegat fidelium industria. Nobis autem et omnibus Ecclesiæ filiis, satis superque sit fides et devota credulitas, qua vere eam confitemur Virginem et in ortu et in omni sua operatione. Hujus namque pater et mater carnales fuisse feruntur, Joachim et Anna, quæ bene sibi de nominis interpretatione competent: Joachim quippe *præparatio Domini* dicitur, Anna vero *gratia Dei* interpretatur. In horum duorum nominum interpretatione quid innuitur, nisi gratia quam simul adepti sunt? ubi namque poterit esse gratia, nisi ubi famulatur præparatio conscientiæ? et ubi locum habebit præparatio operationis, nisi ubi ante præcesserit Dei largita gratia? Sic ergo in unum duæ compactæ gratiæ, disponente Dei nutu, priferunt ex se gratiam non parvam, profuturam valde cunctis hominibus.

Hæc paucis dicta de sanctorum parentum digna commemoratione satis sint. Nunc ad evolvenda ea quæ Christus dederit veniamus. Propterea honorificissime summi Auctoris et Creatoris Genitricem cum mentis jubilatione recipientes, omni conatu elaborate, ut tanta hodierni dici jucunditas, dum mundanis excolitur et honoratur obsequiis, hanc interior et pura conscientia justis et consequentibus prosequatur servitiis. Namque qui piorum venerantur sacra merita, quique omnimodis interesse peroptant supernorum agminum festis, sic in præsentibus exerceantur sanctorum natalitiis, ut non contingat illic eis abesse deinceps de quorum hic congratulantur triumphis. Quapropter præsenti celebratione, omnium prudentium virginum reginam sedulis exposcite precibus, quæ principatum obtinet inter choros sanctarum virginum, suo interventu officiat possibile quo sanctæ Ecclesiæ concentus, cum eam humili qua valet operatione, percolit in terris, demum in lætitia perenni, de ejus utraque congaudeat sublimatione et gloria. Ista est enim præcipua festivitas, in qua omnis angelorum militia exultat, in qua prophetarum panduntur vaticinia, in qua etiam gentilium reserantur prænuntia scripta, in qua oritur sponsa sine exemplo Dei conjuncta, de cuius casta corpo-

ris materia erit lumen in tenebris ad exturban das veterum piaculorum nebulas. Hæc est, inquam, dies in qua prælucida stella, imo lumen inseparabile maris, hoc est hujus mundi, velut Eous, cum decoris amoenitate ex mortali genitura cunctis qui salvandi sunt illuxit. Hæc est honoranda dies lætitiae, in qua juxta mundi qualitates preparatur vas virgineum, divinis charismatibus ut margaritis infabiliter ornatum, in quo qualitas Dei mista homini compaginaret corporaliter, non secundum propagationem, sed secundum Spiritus sancti operationem. Quis, quæso, unquam aut ante hanc Virginem, aut post hanc, in omni terrarum spatio audire valuit, ut factor omnium rerum, possessor cœli et terræ, Rex regum et Dominus dominorum, Sol iustitiae, lumen insuperabile, intra Virginis se areta concluderet septa ! O magna et admirabilis ipsis Dei distributio, imo miseratio ! ut enim protoplasm parentem et successionem filiorum ejus innovaret, quem constat ob hoc editum, ut superbientium angelorum suppleret numerum et ordinem, non indigne pertulit intra Virginis alvum cœlitus se corporari, ut consocialem formam non secundum divinæ substantiae quantitatem vel qualitatem, sed juxta corporeum incrementum absque macula peccati sibi compactum eo erigeret unde et suasor et ille succubuit, perfida fraudatione præcepti uterque ejectus est. Ecce itaque cuncti qui ad sacram convenitis Virginis nativitatem, omnes corporeos vobis affectis sensus, fortassis et jam non desunt vobis interiores cordis intellectus. Haud dubium enim, cum dispertitor suarum virtutum unumquemque vestrum suo donaverit dono, qui seit in siugulis ita dispertire sua dona et munera prout quisque laborat, ut efficiatur ejus habitaculum. Operatur autem hoc, ut ait Apostolus, unus atque idem Spiritus, qui in cunctis secundum gratiarum rationem spargitur, et in singulis unice invenitur. Erigit ergo mentes vestras ad præsentis matris festivitatem, ut nullum mentis vel corporis domicilium seu jubilatio inveniatur, que non tota concrepet in tam præclara procreatione. Congaudeat in hac celebritate uterque sexus et conditio dominorum seu subjectorum, quia per hanc Virginem utrorumque venit redemptio, scilicet. immaculatus Dominus carnaliter prodiens de illius utero. Gaudeant senes Deo placentes, quoniam ab aula cœli descendit ille in ejus pueræ viscera, qui novit non modo animas tantum, verum etiam corpora, ad meliorem juventutem referre a veteri ruina, juxta sententiam Davidicam, *Renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal. cx, 5*). Imitentur etiam fidem antiquorum Patrum, ex qua constat illos placuisse Deo, nec a memoria illorum refugiat, quoniam per hujus Virginis partum etiam in extrema eorum sorte conceditur illis repetitio veræ salutis. Lætentur juvenes fortes in hac die, quoniam hodie prodit in hanc lucem Virgo, ex cuius secretis natus est juvenis, speciosus prænatis hominum, de cuius labiis diffusa est omnis

gratia perlata per quadripartita mundi climata. Virtutem quoque corporis in animi vigorem transmutent, et per hujus sacræ Virginis obtentum suam Christo commendent juventutem. Congratulentur etiam pueri et infantes in hujus maxime pueræ initio, sua Christo et Mariæ dicantes crescentia membra, quoniam habent puerum castitatis, et puritatis ministrum, et Mariam singularis pudicitię, ex cujus utero sancto Christi infantia est suscepcta. Psallant spirituali letitia in hac die et illi qui forte exercerunt dominatum super sæculi negotia, quoniam per Virginem venit Dominus omnium potestatum et virtutum et dominationum. Gaudeant subditi, et si quos premit alienum jugum, quoniam quandoque exsolvet Filius Virginis, imo Dei, si ei placuerint, iniqua juga a cervicibus illorum depellere, ac superiores efficiet eos Dominus suis et per suæ Matris suffragium.

Cum ergo ad omnium virorum etates nostra collectio atque exhortatio pervenerit, rectuni videtur ut ad illum sexum nostra denuo dirigatur oratio, ex quo scimus Dominum carnalia initia sumpsisse. Ille enim maledictionis notam primæ virginis in benedictionem secundæ transmutavit Virginis, qui ante rerum formam præseverat ex eodem sexu suum in fine temporum procreandum fore Filium, qui universis omne afferret gaudium. Vere beata collaudanda Dei beneficia, quæ per illum sexum decreverunt provenire nostra in tempora, a quo primo terrigenæ propinatum est iniquæ suasionis medicamentum. O Eva tunc infelix ! non solum pro inobedientiæ piaculo, verum etiam pro maledictionis titulo, nunc vero felix pro immutationis largifluo dono. Lætare tu, mater omnium, non solum quia evasisti proscriptionis excidium, sed etiam quia de tua consimili prole profudisti eum in sæculum, qui te tuamque progeniem mortis de compede misericorditer eruit. Insultas denique ei modo qui te dudum suo venefico suasu inficerat, quia habes tuum plastem sive parentem propitium, qui suo triumpho nobili procacem exturbavit tui hostis dominatum. Exi nunc, o fallax et inventor antiqui criminis, a secundo noxio sexu, quia ipse qui sine carnali onere ab eodem pullulavit ordinae, suam hodie genitricem istam fecit prodire in lucem. Terreat te procul secundæ Virginis de cœlo collapsa benedictio, qui lætatus es in primæ virginis opprobrio. Namque qui gaudebas in articulo conditionis humanæ primos a suo felici incolatu exturbasse colonos, nunc a secundo homine filio Virginis æterna exsultatione nexus es.

Quocirca, habentes ob oculos sacratissimæ Virginis sanctissimam diei venerationem, non in mundanis lœtiis exerceete corda vestra, sed totum mentis ingenium figite in præclaræ Virginis superna illa festa, in quibus diutina laude ab angelis festivis honoratur servitiis. Procurate Principem vestram festivis ut valetis laudibus et benignis operibus prosequi, ut possitis cum ea absque coruscantium

defectione lampadarum Agnum sequi quoquaque ierit (*Apoc. xiv, 4*). Hodie primiticia et ductrix Virginum a sanctis prophetis vaticinata oritur, congratulentur ei cunctæ virgines, quia nascitur pudica puella, quæ amatorem peperit integræ castitatis. Felices illæ, quæ sine cognitionis ludibrio tam mirificam Dei Genitricem quantum in ipsis est, prosecutæ fuerint puritatis commercio. Ergo quia gaudenter suscipitis ejus ortum, ad cuius vos non hæsitatis pertinere colloquium, satagit vos ita exercere in cœlestibus negotiis, ut post exsuperatos eaduce pestis labores, dum ventum fuerit ad præoptatum divinae portæ spectaculum, pulsantes non repudiemini, cuo de ineptis virginibus dicitur, quæ a sponso reprobatae sunt propter suam inertiam, dum in vasis suis habere oleum, hoc est bona opera, neglexere; sed potius cum ipso ad cœlestia palatia simul, et cum beata Genitrix ejus progressi valeatis. Cum igitur ista solemnitas omnibus fidelibus congrua ab omnium conuenticulis catholicorum debito honore prosequatur, præcipue tunc a sacris virginibus valde prosequenda est, et percolenda, quia hodie decus prudentum virginum, flos campi, idem sancte Ecclesie, quæ pretiosissimis impletor marginatis, ex lilio convallium, idem humilium hominum processit ad ortum. Gaudete per omnem modum, omnes virgines, quæ vos tam sancto et prælucido dono Dei ditatas fore cognoscitis; sperate in ea, quæ hujus domi compos effecta est, et ante partum et post parturitionem. Magnificare eam indefessa morum exhibitione, quoniam pro perseverantia virginis, cum tympanis exultationis et letitiae, coram presentia Matris Domini, quia in sidereis cubilibus habebitis cum ea gratulari, si coepit animi corporisque integritatem sincera probitate servaveritis. Illares estote et vos, puellæ aeo teneræ, quia habetis et vos puellam angelorum Dominam quasi primis auspiciis nunc pubescentem. Advocate angelos ad custodiam puritatis vestræ, quia ipsa in tenera sorte mundialiter posita, cum regina ipsorum etiam futura secum eorum suffragia sedula oratione contrahebat. Lætamini etiam vos jam maturæ virgines, et quæ forte jam auiiles metas pervenistis, quia pro longava perseverantia vestra, non solum pollicita premia, verum laudem egregiam cum praesenti captabitis apud cœlestem auctorem. Ne subtrahatis vos a præ atæ matris jubilatione, conjugatæ, et conjugali jugo secessæ, quoniam qui sue Matri, et omnibus pli virginibus contribuit integratatis palmaræ, ipse vos naturali fœdere mutua copulatione junxit, quo decentem et genuinum servantes modum castitatis filios procreetis. Nec enim multum longe a castitatis munere aberitis, si filios non pro appetitione libidinis, sed pro amore successionis educatis. Ne desperetis, o viri vel feminæ quoquaque modo carnaliter corrupti, quoniam illa cœlestis mansio, non de virginico tantum ordine, sed et de quibusdam non solum justis, sed et publicanis, et ante peccatoribus impletur. Quantoque vos conspicitis apud

majestatem Domini ooxios existere, eo amplius respire ad Genitricem Domini plenam misericordiam: habetis apud Patrem advocationem ipsum Filium Virginis, et ipse propitiabitur peccatis vestris tantum, ut veniam de ipso ac matre ejus speretis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In natale tuo nobis, pia Mater, adesto,  
Virtutes augens, culparum pondera delens.

#### V. — *De Annuntiatione Dominicæ.*

*1. Evaë damna, et Mariaë beneficia.* Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper Virginis Mariæ: ideo enim summa exaltatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata die sollemni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lily convallium, per cuius partum mutatur natura, protoplastorumque deletur et culpa. Præcisum est in ea illud Eva: infelicitatis elogium quo dicitur, *In tristitia paries filios* (*Gen. iii, 16*): quia ista in laetitia Dominum parturivit. Eva enim luxit, ista exsultavit; Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Virgo quippe genuit, quia virgo concepit; inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobius miraculum, et sine corruptione gravida, et in partu virgo puerpera. Descendit angelus de cœlo missus a Patre Deo in nostre redemptoris exordium, ad beatam salutandam Mariam: *Ave, inquit angelus ad eam, gratia plena, Dominus tecum.* Impleta est ergo Maria gratia, et Eva vacuata est a culpa. Maledictio Eva in benedictionem mutatur Mariæ: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio.

*2. Maria omnem superat laudem.* Gratulare, beata Virgo: Christus rex e cœlo suo venit in uterum tuum, ex sinu Patris in uterum dignatur descendere matris. *Benedicta, inquit, tu, in mulieribus,* quæ vitam et viris et mulieribus peperisti. Mater generis nostri poenam intulit mundo; Genitrix Domini nostri saltem attulit mundo. Auctrix peccati Eva; anætrix meriti Maria; Eva occi lendo olfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit; ista savavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur filium, portat a quo portabatur. Nec fortitu, ut flagrant Sabelliani, reperit parvulum; sed decursis novem mensibus perperit Christum. Plaudat nunc organis Maria, et inter veloces articulos tympana puerperæ concipient. Concinant ketantes chori, et alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audite igitur quemadmodum tympanistria nostra cantaverit; ait enim: *Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ sue;* ecce enim ex hoc beatam medicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causa igitur tantæ invalescentis letitiae erat miraculum novum. Novus Marie partus par-

tum Evæ evicit, et Evæ planetum Mariæ cantus exclusit.

**3. Mundi salus ex Mariæ assensu pendet. Maria Mater et Virgo. Nupsit ipsi Deo. Jeremia de Maria prophetia.** Denique post illius benedictionis præsagium, dum tacita secum Virgo mentis altercatione confligeret, qualis esset ista salutatio, nuntius interim cœlestis exsequitur (*Luc. i*) : *Nelimeas, Maria; invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* At illa : *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et angelus ad eam : *Spiritus, ait, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Jám audisti quomodo fiet hoc, responde nunc verbum; ut quid turbaris modo? Audisti quomodo fiet hoc, quia *Spiritus sanctus superveniet in te, ut prolem gignas, et virginitatem non perdas; filium proferas, et post partum incorrupta permaneas.* O beata Maria, sæculum omne captivum tuum deprecatur assensum : te, Domina, mundus tuae fidei obsidem fecit. Noli morari, Virgo : nuntio festinanter responde verbum, et suscipe filium; da fidem, et senti virtutem. *Ecce, inquit, ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Nec mora, revertitur nuntius, et virginalem thalamum ingreditur Christus. Efficitur subito prægnans beata Dei genitrix, et cuncta per sæcula prædicatur hinc felix. Concepit mox ad credulitatem verbi, virilis ignara consortii : impletur uterus nullo humano pollutus amplexu. Exstat itaque virgo cum concipit, virgo gravida, virgo cum parit, et virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, et gloria secunditas. Exsultat Maria, et matrem se lata miratur, et de Spiritu sancto se peperisse gaudet : nec quia peperit iunupta, terretur ; sed quia genuerit, cum exultatione miratur. Gaudeamus ergo et nos, fratres, in die tantæ Virginis, quæ dum despontaretur fabro, cœli nupsit architecto. Promittitur enim ei filius per visitationem sancti Spiritus. Hæc illa audiens gaudet, cupitque effici mater. Quid igitur mirum, si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur : non enim decebat ut ille qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integratatis dignitatem. Nam qui terra, mari cœloque non capit, intra unius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa novitas Jeremiæ prophetæ vaticinio prænuntiata : *Faciet, inquit, Dominus novum super terram: femina circumdabit virum* (*Jerem. xxxi, 22*). O femina super feminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria angelo fidem dando; quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo.

**4. Angeli ad Mariam verba. Mariæ obedientiu-**

mendatur. Salutat angelus puellam viri salutationis ignaram; terretur Virgo novitatem verborum. Ad quam angelus, ut superioris protulimus, dixit : *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum.* Ne, inquit, a conspectu meo, Mater Domini mei, terreas: ego conceptionis tue minister adveni, non ut virginitatem amitteres interveni; ipse me misit ad te, qui est nasciturus ex te. *Concipes enim et paries filium;* non cuiuslibet meriti hominem, sed totius sæculi Salvatorem. Recole, Maria, in libro Isaiae prophetæ, virginem quam paritaram legisti (*Isa. viii, 14*); et gaude atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es Virgo, in ecce concipies in utero, non de viro, sed de Spiritu sancto: et gravida eris, et incorrupta permanebis. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum. Efficeris gravida, et eris mater semper intacta. Senties pondera ventris, et pudorem non perdes castitatis. Intumescent ubera tua, et intacta manent genitalia tua. At illa dixit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* O felix obedientia, o insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporavit! Implevit in ea Dominus, quod cœdum prædixerat : *Obedientiam malo quam sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta* (*Osee vi, 6*). Hæc fuit vera obedientia omni sacrificio gravior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior; hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum plausit : *Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

**5. Ad beatam Virginem precatio.** O beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum ac landum præconia impendere, que singulare tuo assensu mundo succurristi perditio? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, que solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus: fiat impenetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus; excusa quod timemus. (Quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum; et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum.) Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto semineo sexu. Sentiant omnes tuum juvamen, quiunque celebrant tuam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, et repende omnibus optatum effectum. Sit tibi studium assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta pretium ferre mundi qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. (Serm. 9.)

### S. PETRUS DAMIANUS.

**1. — Commisit Dominus Petro claves Ecclesie;** beato Joanni custodiam Mariæ delegavit. — Beatae Mariæ Virginis laudes.

Liber hic, fratres charissimi, pulchram varieta-

tem divinæ dispositionis coram charitate vestra perpendere, et egregios duos Redemptoris nostri discipulos qualiter inter se quadam dignitatis si-

militidine congruant comparare? Petrum vide-  
licet, et Joannem. Commisit namque Dominus Pe-  
tro claves Ecclesiae (*Matth. xvi*) ; voluit et beato  
Joanni custodiam Mariæ delegare (*Joan. xvi*).  
Utraque nimurum mater, mater Maria, mater  
Ecclesia. Sed Maria mater Christi, Ecclesia ma-  
ter populi Christiani. De Maria Christus car-  
nem suscepit, Ecclesiam vero de lateris sui  
carne produxit. Ex ista prodiit secundum carnem  
natus, illam protulit carne jam mortuus. Ex ista  
voluit nasci, pro illa dignatus est mori. Ex una semel  
natus est in persona sua, ex altera nascuntur quoti-  
die membra sua. Traxit ex altera quod pro altera  
moreretur, ut quo utraque communiter salvaretur.  
Magna igitur et felix mater et beata virgo Maria, ex  
eius visceribus caro Christi desumpta est, ex qua  
rursus per aquam et sanguinem profluxit Ecclesia.  
Hoc itaque modo et ex Maria produisse videtur Ec-  
clesia. Utraque tamen casta, utraque munda, utra-  
que perpetuae virginitatis cingulo præmunita.

Harum itaque duarum matrum, duarum perpetuo  
virginum, alteram Dominus Petro committere, alte-  
ram Joanni voluit commendare, ut perpenso diligen-  
ter utriusque pondere ministerii, excellentium meri-  
torum dignitas in duobus cœli senatoribus videatur  
æquari. Dicit Dominus Petro : « Tibi dabo claves  
regni cœlorum (*Matth. xvi*). » Nunquid et beata Vir-  
go, fratres mei, cœlum non fuit, in ejus utero vir-  
ginali novem mensibus tota divinitatis plenitudo  
permansit? Ex ipsis quippe castis mundisque vis-  
ceribus, Dei Verbum, per quod facta sunt omnia,  
immaculata se carne vestivit. In angusto scilicet la-  
tebat alvo conclusus, sed totius orbis jura regebat  
immeusus. In brevissimo, inquam, virginalis uteri  
domicilio constitutus, et cœli gubernabat imperium,  
et terrenorum omnium non amiserat principatum.  
Non ergo præsumptive cœlum dicitur venerabilis  
virgo Maria : atque ideo beatum Joannem Dominus  
quodammodo cœli clavicularium esse constituit, cum  
beatæ Genitricis suæ eum decrevit esse custodem.

Proinde ut beato Petro Joannes multiplicer com-  
paretur, cum discipulos suos Redemptor noster in-  
quireret qua circa se opinione homines ducerentur,  
illique protinus respondissent : alii Joannem Bapti-  
stam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut  
unum ex prophetis (*Matth. xvi*). Donec ad Petrum  
ventum est, nutabat assertio nec ambiguitatis vim-  
culum solvebatur. At ubi quid habeat discipulorum  
sensus exigitur, præcedit in veritatis confessione  
qui primus erat in apostolica dignitate, Petrus vi-  
delicit : « Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi  
(*Ibid.*). » Inter nutantis adhuc fidei sinuosa volumina,  
inter procellosas ambiguitatum fluctuantum  
tempestates pescator iste veritatis anchoram fixit, et  
naviculam fidei in tutissimo tranquilli portus gremio  
collocavit.

Sed videamus utrum Joannes et huic operi ali-  
quam cum B. Petro similitudinem teneat. Constan-  
tissime itaque prædicationis arguitur, siveque a Do-

mitiano tunc Cæsare in exsilium destinatur. Protin-  
us hæretici Marcion, Cerinthus, Ebion, cæterique  
quamplurimi, quos ipse convenienter Antichristos  
appellat, caulas ecclesiastici gregis irrumpunt, et  
veluti lupi graves super ovilia pastoris adminiculo  
destituta grassantur, Christum scilicet ante Mariam  
non fuisse dogmatizantes, et ita simplicem evange-  
licæ fidei puritatem perfidiæ suæ squaloribus  
corrumptentes. Confunditur mundus, turbatur Ec-  
clesia, vacillat fides, et velut inhorrescente tempe-  
state perfidiæ plurimi naufragantur. Quid plura? Tan-  
dem perempto Domitiano, duce divina gratia, rediit  
Joannes Ephesum, turbatamque gemit Ecclesiam.  
Sed quidquid invenit erroris turbine atque tempe-  
state turbatum, solidius atque robustius ad pristinæ  
fidei revocat fundamentum. Nam rogatus, ut ab his-  
toriographis traditur, a charitate fere totius univer-  
salis Ecclesiae, in illud tandem erupit divinæ inspi-  
rationis elogium : « In principio, inquiens, erat Ver-  
bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-  
bum (*Joan. i*). » Hoc itaque signaculo veritatis et  
hæreticorum tergiversationis metam fixit et catholi-  
corum fidem perpetua ex tunc et deinceps certitudine roborabit.

Petrus igitur petra : « Tu es, inquit, Petrus, et  
super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam  
(*Matth. xvi*). » Petra quoque factus est et Joannes,  
supra cuius fidei fundamentum totius Ecclesiae struc-  
tura consurgit, quam videlicet, sive hæreticorum  
furor impingat, sive tentationum irruat impetus non  
evertit. Hæc petra veri David implet fundam, qua  
Philisthæum Goliath signanter in fronte percutiat  
(*I Reg. xvii*), ubi videlicet crucis vexillum profanus  
et impius non habebat. Hæc siquidem petra omnes  
ecclesiastice doctrinæ adversarios destruxit, haec  
Judaicam perfidiam cum omni prorsus hæretica pra-  
vitate prostravit. Nec mirum si instar Petri et Joanne-  
nes petra dicatur, cum hæc ad Ezechielem Dominus  
dicat : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem facie-  
bus eorum et frontem tuam duriorem frontibus eo-  
rum, ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam  
(*Ezech. iii*). »

Plane quod uterque discipulus protulit de sacra-  
mento Dominicæ fidei, quanquam profundissimum  
sit atque omnino divinum, et utrumque pari modo  
vires humanae mentis excedat, nec videatur in ex-  
cellentiae dignitate diversum quod eodem est Spiritu  
dictante prolatum, illud tamen beati Joannis singula-  
ritatis locum sibi vindicare conspicitur, quia neque  
ante illum, neque post illum hoc idem scripsisse ali-  
quis inventitur. Nam illam B. Petri apostoli senten-  
tiam, et Martham sororem Lazari eisdem fere ver-  
bis legimus protulisse. Cui nimurum cum Salvator  
diceret : « Omnis qui vivit et credit in me non mo-  
rietur in eternum (*Joan. xi*) ; » atque subjungeret :  
« Credis hoc? » illico eodem Spiritu, quo et Petrus,  
inspirante respondit : « Ego credidi, inquit, quia tu  
es Christus Filius Dei vivi qui in hunc mundum ve-  
nisti (*Ibid.*). »

Quid autem mirum, si Joannem de divinitate loquentem, beato Petro preferimus, cum illud Evangelii sui singulare principium ipsa etiam verba Dominica, si dici liceat, exceedere videamus? Nec injuria fit Redemptori nostro, si dicatur ipse sublimius aliquid depromere per discipulum quam per semetipsum, et per illius linguam manifeste proferre quod per semetipsum liquido noluit aperire. Nam, ut et hic quædam adhuc inter eosdem beatos apostolos comparatio videatur, hoc beato Joanni Dominus concessit in verbis, quod et Petro constituit in miraculis, videlicet ut et iste altiora proferret et ille majoribus virtutum prodigiis coruscaret. In apostolorum enim Actibus invenimus quia in plateis ejiciebant infirmos, et ponebant in lectulis et grabbatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis (*Act. v.*); quod tamen Dominum fecisse nusquam legimus ut per umbram videlicet sui corporis remedium sanitatis alicui attulerit. Sed quod prædictum exhibuit, quod promisit implevit. Nam in eisdem Joannis Evangelio dicit: «Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem meum vado (*Joan. xiv.*).» Enimvero ipse operabatur in Petro, ipse locutus est in Joanne. «Non enim, inquit, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth. x.*).»

Merito nempe beatus Joannes et præcedentes omnes ac subsequentes divinorum scriptores volumen, gloria singularis præcedit eloquii, quem non luxuria polluit, non libido corrupit, sed virginalis integritas perpetua incorruptionis titulo decoravit. Qui nimurum nuptialis copulæ thalamum deserens, omnem illecebræ carnalis ardorem in cœlestium deliciarum transtulit voluptatem, arctissimeque se in sui Redemptoris ac dilectoris amore conjunxit, propter quem scilicet conjugalis tori fœdera abdicavit. Unde divinitus illi concessum est ut tanta cor ejus etiam circa fratres charitatis gratia repleretur, ut sacrosanctum pectoris ejus templum velut caminus quidam divini videretur incendii. Quod profecto in quibuslibet Scripturis ejus patenter agnoscitur, in quibus utique per omnem fere paginam, quasi per quasdam rimas, charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus æstuare. Modo enim patres nominatim ad charitatem provocat, modo non filios, sed filiolos, quasi tenere diligens appellat. Modo propriis ætatum vocabulis infantes, modo juvenes, modo sigillatim admonet adolescentes. Modo etiam mulieribus epistolas destinat, easque ad cautelam fidei et studium sinceræ dictionis invitat.

Sic itaque inenarrabili charitatis ardore succensus, hue illocque se vertens, undique circumiens, ubique discurrens omnia ad salutem hominum genera concitat, omnia ætatum incrementa perlustrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curiosæ

solicitudinis investigat, et tanquam Argus universalis Ecclesiæ factus, totius humani generis summam, ulnis paternæ dilectionis, amplectitur atque ad Redemptoris sui consortium trahere unumquemque sigillatim admonendo conatur. Amor quippe Domini, quo eum præ cunctis mortalibus dilexit et hoc ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, ut nimirum plus amaret qui plus amabantur, et qui primus erat in Redemptoris amore præcipuis in fraterna fieret charitate.

Quantum autem apud Dominum impetrandi letum, quam præcipue familiaritatis Joannes obtinuerit privilegium, hinc manifestius colligere possumus; quod idem beatus evangelista testatur, quia in ipso vitalis cœnæ convvio Jesus turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: «Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.» Deinde sequitur: «Aspiciebantero ad invicem discipuli hæsitantes, de quo dicere.» Moxque subiungit: «Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dicit ei: Quis est de quo dicit?» Atque ut historiæ stylo non teneat, Joanni inox interroganti Dominus respondit: «Ille est, cui ego intinctum panem porrexero (*Joan. xiii.*).»

O mirabilem atque incomparabilem virum, et omni Christianæ devotionis præconio præferendum! Ecce verbum profertur in medium, et totus tacet, ac sub silentii censura reprimitur senatus apostolorum; tanta siquidem magistri præsidentis videbatur auctoritas, ut sub districta se compesceret beata discipulorum concio disciplina. Hæsitant, ambigunt, atque inter se invicem oculorum nutibus quodammodo interrogantes aspiciunt; verumtamen lingua proferre quod gestiunt, vel Dominum consulente inquirere non præsumunt. Tacet Petrus, tacet cœli clavicularius. Tacet denique lingua, quæ clavis facta cœlorum, cœlum simul et terram ligat et solvit. Tacet is, inquam, cui portæ inferri non prævalent, qui ligandi animas atque solvendi obtinet principatum (*Matth. xvi.*). Silet Andreas, qui ipsi fratri ad fontem vitæ prævious fuit (*Joan. i.*). Non loquitur Thomas, qui viam se nescire professus, eumdem esse viam, veritatem et vitam, ipso referente, cognovit (*Joan. xiv.*). Non præsumit os aperire Philippus, qui dum Patrem sibi posposcit ostendi, profunda mysteria individuae Trinitatis audivit (*Ibid.*). Omnes tacent, omnes dubitant, et latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, sed tantum nutibus oculorum.

Sed cum res diu sub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quispiam absolveret, tandem Joannis patrocinium quæritur, et sic ad rei dubiæ notitiam pervenitur. Ille nimurum, condiscipulorum in se persona suscepta, consultor accedit, qui de ampliori familiaritatis, atque dictionis prærogativa confidit.

Unde considerandum est, fratres mei, quantæ devotionis instantia beati Joannis flagitare debemus

auxilium, quem sibimet interventorem, et ipsi apostoli quæsierunt. Quantum apud justum judicem pro peccatoribus poterit, qui et pro ipsis coelestis curia senatoribus intervenit? Et qui advocatus factus est summis, quam humiliter implorandus est a minimis? Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem angelus ille cognovit, qui se ab illo adorari prohibuit. « Vide, inquit, ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora (*Apoc. xxviii*). » Refugit obsequium ab illo suscipere, quem noverat apud communem judicem locum gratiae familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrem recognovit, socinum judicavit, subjectionis obedientiam non accepit. Quamvis enim in omnibus sanctis semper sit angelicæ munditiae contubernialis, et cognata virginitas; beatus tamen Joannes tanto reliquos virginines superat, quanto virginitati beatæ Mariae per sedulitatis ac perpetuae custodiae meritum appropinquat. A qua sola videlicet præceditur, quia secunditas virginalis, quæ est in Maria, nullis est omnino meritis comparanda, et non solum quia secunda est, sed quia Deifica. Virginem enim parere, novum ac singulare est; Deum vero parere, ita omnem novitatem singularitatis exsuperat, ita omnia quæ miranda sunt antecedit, atque incomparabiliter supereminet, ut nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenus explicari. Sed sicut venerandæ matris Domini virginitas, beati Joannis virginitatem excedit, sic ipse pro gloriose ejus contubernalio cæteros a mundi primordio virgines antecellit.

Huc accedit, quod ille recubitus in pectore Salvatoris, ille divinus ardor, quem ex arcana ejus inspiratione concepit, ita in ejus visceribus omnium libidinum fomenta decoxit ut corpus ejus, tanquam revera Spiritus sancti templum, a cunctis vernaret æstuantis luxuriae squaloribus defæcatum; nec ullum in eo locum vindicabat flamma libidinis, cuius templum gratia sancti Spiritus jugiter obumbrabat. Quocirca dignum fuit ut beatus Joannes apostolus archangelo Gabrieli ad custodiam matris Domini socius haberetur, quatenus ille coelestis olim paranymphus intactam Virginem invisibiliter custodiret, et iste forinsecus fragilitati feminæ obedientie suæ ministerium exhiberet. Et congruum erat ut quæ talem genuit, qui cœli simul et terræ Dominus esset, utrinsque patriæ cives in suo consortio haberet; ut in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum (*Matt. xviii*; *II Cor. xiii*). Quapropter beatus Joannes quanto familiarior cum matre Verbi conversatur, tanto et ipsi vicinior Verbo invenitur.

Et quoniam non ab alio, sed ab ipsa Veritate Mariæ dictus est filius: « Mulier, enim inquit, ecce filius tuus; » atque idipsum reiterando confirmat, ad discipulum dicens: « Ecce mater tua (*Joan. xix*), » nemo jure videtur major meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est Salvatoris.

Hujus igitur tam sublimis, tam purissima, tam casti, tamque præcellentissimi Deo dilecti, fratres charissimi, laboremus præcepta servare; per hujus vestigia, in quantum possumus, duce divina gratia studeamus incedere. Quod si omnes cum Joanne virginitatem habere jam in carne non possumus, quia post naufragium secunda restat tabula, studemus florere virtutibus, et sic virginitatis amissæ dispendium optime compensabimus. Non igitur nobis avaritiae ardor incandeat; non iracundia nos furor impellat. Non in nobis flamma libidinis æstuet; non turpis cogitatio pulchram animæ nostræ coram Deo speciem fœdet. Non nos terrena facultatis abundantia in superbiam erigit; non tenacitas misericordiae viscera pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua castitas, humilitas, patientia, sobrietas, justitia cum pietate, severitas cum mansuetudine.

Inter hæc, fratres charissimi, cæterarumque dona virtutum, charitas, quæ mater est omnium, in sacramento pectoris nostri semper teneat principatum; quia, sicut Joannes dicit, « Deus charitas est (*I Joan. iv*); » ut quia per charitatem Dei Filius descendit in Virginem, per eam nos exalteat ad paternæ gloriæ claritatem, qui vivit et regnat in Trinitate perfecta, unus et verus Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. (*Ex serm. 63, De S. Joann. apost. et evang.*)

## II. — *Felix Maria puerpera, quæ sic gaudet de secunditate prolis, ut nequaquam doleat de ammissione virginitatis.*

Postpositis igitur his quæ de saceratissima nativitate a Patribus nostris latius disputata sunt, libet, fratres charissimi, paulisper ad humilitatem Redemptoris nostri locutionis articulum flectere, et quid pro nostra salute jam in ipsa sua nativitate pertulerit, communi vobiscum discussione pensare. Quis enim digne mirari valeat? Quis non obstupescat quod is, qui cœli immensitate non capit, in angusto præsepio reclinatur? Qui electos suos stola immortalitatis induit, vilibus pannis contingit; non contempserit. In stramine recubuit animalium qui cibus est angelorum. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, raras de virgineo pectore guttas lactis exspectat. Exprimitur lac ex uberibus Virginis et in carnem vertitur Salvatoris. Felix ista puerpera, quæ sic gaudet de secunditate prolis, ut nequaquam doleat de ammissione virginitatis; quæ illum sovebat a quo sovebatur; illum in ulnis gestabat a quo totius mundi machina continetur. Stringitur a matre puerilibus fasciis infantulus qui cum Patre omnium rerum iura gubernat imminens.

O quanta tunc erant regum mundi turrita palatia, quanta miris lapidibus ornata triclinia! et tamen omnia illa contempsit, qui præsepium ad cunabula suæ nativitatis elegit. Non lectos petiti auratis vestibus obsitos, non purpura, vel pictis tapetibus adornatos; sed in stabulo recubuit animalium, qui innumeris vallatur angelorum agminibus; dejici voluit ut nos ad summa provsheret; pauper in hoc mundo

factus est, ut nos divitiarum suarum participes exhiberet. (Ex serm. 61, *in Nativit. Domini.*)

**III. — B. Mariæ partus omnia miracula antec. llit.**

Sed hic me quispiam fortasse redarguat, qui videbit, non tam quem vivendi ordinem Vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire festinat. Cui me breviter hoc respondere sufficiat, quoniam et Maria et Joannes Baptista miraculum fecisse non leguntur, cum tamen eorum vita non qualibet Scriptura, sed Evangelio testante, narretur. Quanquam Maria in solo partu quem edidit, omnium procul dubio sanctorum virtutes ac signa præcellit. Hoc etiam inseram, quia ubiorem fructum præbet audientibus sanctorum virorum mirabilis vita quam ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem, ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent quomodo illi sancti fuerunt; vita vero insinuat qualiter et nunc homines fieri valeant sancti. Præterea qui miraculum quærunt, nonne tibi videtur esse mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, ut ita loquar, angelitus vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia vix unum ejus similem valeas reperire? Et certe quam plures hodieque sunt inferioris vitæ per quos Deus omnipotens dignatur virtutes ostendere. (*Vit. SS. Rodulphi et Dominici Loric. cap. 11.*)

**IV. — Maria Theotocos prædicatur, sicut S. Joannes Theologus vocatur.**

Quia igitur hic beatus Joannes de Deo mirabiliter atque incomparabiliter cæteris mortalibus loquitur, jure factum est ut non solum a Græcis, sed etiam a Latinis undique Theologus appelletur. Theotocos Maria, quia Deum veraciter genuit; Theologus Joannes, quia Dei Verbum ante sæcula apud Patrem esse et Deum esse non solum inenarrabiliter vidiit, sed et profunda sublimitate descriptis.

**V. — B. Maria cur ab hominibus colenda.**

Domino STEPHANO religioso viro, PETRUS peccator monachus, salutem in Domino.

Cum in Psalmodiæ studiis et divinis laudibus te vigilanter exerceas, hortor, venerande frater, et moneo, ut quotidianum quoque B. Mariæ semper Virginis officium non omittas. Dignum quippe est, ut quæ laudum præconia fieret ab angelis, obsequuis etiam frequentetur humanis, eique post Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis auctorem. Optima sane spes est apud eam habere confugium, que scilicet inter omnes cœlestis curiæ senatores, impetrandi apud Deum primum obtinet locum. Nempe sororis meæ filius Damianus, religiosa videlicet indolis adolescentis, dum haec coram eo scriberem, retulit, quod apud Gallias, in litterarum studiis constitutus, fama vulgante, cognovit: Clericus quidam Nivernensis Ecclesiæ morbo depressus elanguit, jam jamque superexacente molestia, moribundus ad extrema pervenit. Hic plane regulam sibi sanctæ servitutis indixerat, ut beatæ Dei Genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolveret; cumque de

vita illius jam nemo pene consideret, et velut egresurus in ejus pectore spiritus anxius palpitaret, ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter astitit, et sacri uberis papilla lac exprimens, ejus labii instillavit; et divinæ virtutis antidoto protinus ille, resumptis viribus, ex infirmitate convaluit, et mox clericalibus ornamenti indutus, ecclesiam adiit, seseque choro psallentium fratrum letus intserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam, quod adhuc tunc in labiis ejus quædam lactis videbantur vestigia. Quæ autem sibi verba B. Virgo protulerit, quamvis mihi uternque dicantur, quia certus non sum, non adhibeo fidem, quoniam in veritatis linea vel leviter impingere pertimesco: quamvis per hoc conjici possit, quoniam iisdem labiis, quibus eam ille laudavit et coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulxit: ut per illud corporis membrum, quo sibi venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, congrua vicissitudine recuperandæ salutis suæ perciperet medicinam. (Epist. 29.)

**VI. — Sabbatum cur B. Virginis sit dicatum.**

Sabbatum, quod requies interpretatur, quo videlicet die ab operibus Deus requievisse legitur, satis congrue beatissimæ Virgini dedicatur. Quam nimirum sibi Sapientia domini ædificavit (*Prov. ix.*), atque in ea per humilitatis assumptæ mysterium, veluti in sacratissimo lectulo requievit. Cui profecto condignus honor impenditur, exhibentibus procul dubio certæ defensionis auxilium providetur.

Quocirea quod fratri mei Damiani tunc archipresbyteri, deinde monachi relatione didici, nisi me fallat obliviosa memoria, fideliter narro. Alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitus sed timoratus spiritu, ingravescente pulmonis ac pectoris valetudine, tandem ad extrema pervenit. Interea cuiusdam diei jam illuscente diluculo, repente coepit quasi cuilibet adventanti gratulabundus aggliscere, jucundanter hilarescere, et festiva serenitate fultus alacriter assultare: mox et in verba prorumpens, cum magno animadversionis impulsu circumsedentes alloquitur: Levate, inquit, levate, ac Dominæ meæ reverenter assurgite; deinde aliorum mutatae vocis eloquium dirigen, aiebat: Ita quid est, Domina mea, Regina cœli et terræ, quia visitare dignata es pauperculum servum tuum? Benedic me, Domina mea, et ne patiaris in tenebris ire, cui lucem tantæ præsentiae contulisti. Cum igitur hujusmodi sermones implesset, ecce Damianus, qui scilicet illi, sicut et mihi, erat germanitate coniunctus, persolutis Deo nocturnis officiis, ab ecclesia redit. Quid circa fratrem languidum ageretur inquirit. Ille vero certum se quidem de vicina morte testatur, sed adversus assidentes probrosa redagatione conqueritur. Heu, heu! frater, inquit, quam ignaros, quam imperitos, atque irreverentes habemus, et sine disciplina domesticos; et tu, vir strenue Bonizo (erat enim illuc inter eos dives quidam hujus vocabuli, ille negotiator), quomodo sedere potuisti ad Reginæ cœlestis adventum? Venit Regina mundi. et

vos assurgere neglexistis! Venit Mater Imperatoris æterni, et vos ejus præsentiam ignobilem deputastis! Ad quod Bonizo: Deliras, inquit, adhuc, et ægritudine dementatus hæc vana profundis; aut verum est forte quod loqueris? Nobis certe vana hæc videntur et frivola. Ad hoc ille: Num ignoratis, ait, quia languor iste, quem patior, nunquam alienare menes ægrotantium consuevit? Firmiter igitur et absque ulla prorsus ambiguitate cognoscite, quoniam angelicis comitata vestigiis beata Redemptoris nostri me Mater invisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit; benedixit me, et protinus abiit. Cumque paulo post ille defunctus esset, senex quidam presbyter, Severus nomine, qui nimirum spiritualis ejus pater exstiterat, reuolut, quoniam longe ante, dum vegetus adhuc et sanitatem floreret incolumis, depositis nudatus exuvii, collo corrigiam qua eingebatur involvit: altari se beatæ Dei Genitricis, velut servile mancipium, tradidit: mox se quasi servum malum coram Domina sua fecit verberibus affici, dicens: Domina mea gloriosa, virginalis munditiæ speculum, et omnium norma virtutum, quam ego te miser et infelix offendi per obscenam carnis meæ putredinem, et eam cuius tu mater, et auctores, violavi mei corporis castitatem; nunc itaque, quod solum remedii superest, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati corporis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem; nec tua pietas respuat delinquentem cuius intemperata virginitas peperit veræ pietatis auctorem. Per istud ergo munusculum servitutis meæ tibi tunc offero censem, et amodo, ac deinceps quoad vixerò, certi canonis appendam annualem tributum. Quamdam ergo pecuniæ summanam in altaris capidine posuit, et sic de misericordia, quam quæsierat, confusus abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed hujusmodi frater meus de fratre narravit historiam, cuius etsi præ oblivione verba non teneo, saltem in quantum mihi possibile est, a relatis quadam similitudine non recedo. Confessionis igitur iste versiculus ad relata, vel referenda mihi cuncta proficiat; meque in quibus ignoranter obero, coram supernis obtutibus excusabilem reddat. (Opusc. 53, *De bono suffrag. cap. 4.*)

#### VII. — B. Virgo Maria in suæ festivitatis Assumptione innumeros liberat a poenis Purgatorii.

Religiosus plane presbyter Joannes rem mihi reuolut ante paucos annos Roma contigisse, quam narro. In Assumptione scilicet beatæ Dei Genitricis Mariæ, cum nocturno tempore Romanus populus juxta morem orationibus et litanis insisteret, et accensis luminibus diversarum regionum ecclesias perlustraret, mulier quædam in basilica quæ est ad honorem ejusdem beatæ Virginis, in Capitulo [Capitolio vel Campitello f.] constituta, communatrem suam vidi, quæ scilicet ab anno fere fuerat iam defuneta. Cumque per multitudinem confluentium ad ejus attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cujusdam anguportus articulo præstolari, ut dubium non esset, quod egressa basilicam, ab ea de-

clinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisivit: Num, inquit, tu commater mea es, Marozia videlicet, quæ dudum defuncta es? Hoc illi vocabulum fuerat, dum adviveret. Qua respondente: Ipsa sum. Et quomodo, inquit, tibi nunc est? Ait: Usque hodie non levis me pœna constrinxit, quia videlicet per lasciviae petulantis illecebras cum coætaneis me puellis in tenera adhuc ætate fœdavi; et hoc ipsum, proh dolor! oblivioni quodammodo tradens, sacerdoti quidem confessa fui, sed judicium non accepi. Verum hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, meque cum multis aliis de locis pœnalibus liberavit, tantaque multitudo per interventionem ejus hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius Romanæ plebis excedat; unde sacra eidem Dominae nostræ gloriæ dicata passim loca visitamus, actionesque illi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficiis alacres exhibemus. Cumque super hoc commater illius ambigeret, nec fidei facile sermonibus adhiberet, subjunxit: Ut experiaris, inquit, pro certo verum esse quod loquor, scias te, transacto hoc anno, in hac eadem festivitate procul dubio morituram. Quod si, quod fieri non potest, ulterius vixeris, me protulisse mendacium liquido comprobabis. Et his dictis, ab oculis ejus evanuit. Mox illa cilicium induit, et de obitu suo sollicita, quæ audierat, vivere cautius cœpit. Quid plura? Peracto fero anno, pridianis cœpit ægrotare vigiliis; in ipso vero festivitatis die vitam, sicut ei demonstratum fuerat, terminavit. Ubi notandum, et non leviter expavescendum, quia de peracta culpa, quam præfata mulier oblivioni tradiderat, usque ad interventum intemperatae Dei Genitricis supplicia perferebat. (Opusc. 54, *De variis apparit. et miraculis, cap. 3.*)

#### SERMONES.

##### I. — In Epiphania Domini. — Laudes præclarissimæ B. Virginis Mariæ.

« Cum natus esset Jesus in Bethleem Iudeæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est rex Iudeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare eum (*Math. ii.*). » « Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate eum omnes populi (*Psal. cxvi.*). » Nam cum omnipotens sermo nondum a regalibus sedibus descendisset « et nox in suo cursu medium iter ageret (*Sap. xviii.*), » populus gentium ambulabat in tenebris (*Isa. ix.*), quia « dilexerunt magis tenebras quam lucem (*Joan. iii.*), » variosque seculi errores, « in circuitu impii ambulabant (*Psal. i.*), » eentes unusquisque, « alius ad villam, alius ad negotiationem suam (*Math. xxii.*); et obscuratum est insipiens cor eorum (*Rom. i.*), » quia incurvatus est unusquisque ad opus manuum suarum. Patres etiam illi antiqui omnes sub nube fuerunt (*I Cor. x.*), eo quod aspiciebant in visu noctis, nec claritatem vultus Moysi poterant intueri (*Exod. xxxiv; II Cor. iii.*), quia velamen erat positum super cor eorum, et erat aqua tenebrosa in nubibus aeris (*Psal. xvii.*, cum

videlicet illi Sion incliti conversi sunt in vasa testea, opus manuum signi; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum; argentum eorum versum est in scoriam, eo quod capones eorum miscebant aquam vino; quando obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (*Thren.* iv); nec erat de eis qui faceret bonum, nec etiam usque ad unum (*Psal.* xiii). Tunc ergo tenebrae factae sunt super universam terram (*Matth.* xxvii), quia Iudeus et gentilis in tenebris straverunt lectum suum, habitantes in tenebris et umbra mortis (*Luc.* i). Quia igitur tunc nox processit, ecce dies appropinquavit (*Rom.* xiii), et lumen resulsi in habitaculo carceris nostri, ex eo quod exortum est in tenebris lumen rectis corde (*Psalm.* cxi), cum visitavit nos oriens ex alto (*Luc.* i); et ortus est nobis Incifer matutinus, qui non novit occasum, quando lux illa vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris luxit, et tenebrae eam non comprehendenterunt (*Joan.* i).

Judæi itaque et gentiles in tenebris erant usque ad tempus plenitudinis. At ubi venit plenitudo temporis (*Galat.* iv), emisit Agnum Dominus dominatorem terræ de petra deserti ad montem filie Sion (*Isa.* xvi), et lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psalm.* cxvi). Et quia ad hoc venerat, ut oves dispersas congregaret in unum, licet non fuerit primo missus, nisi ad oves, quæ perierant domus Israel (*Matth.* xv); quia tamen alias oves habebat, quæ non erant ex hoc ovili, et illas oportebat eum adducere, ut fieret unum ovile et unus pastor (*Joan.* x), idcirco habitantibus in regione umbræ mortis tam Judæis quam gentibus lux orta est eis utrisque (*Isa.* ix), propter quod et in nativitate claritas Dei circumfulsit pastores, quia angelus evangelizavit eis gaudium magnum (*Luc.* ii); et hodierna die stellæ claritas natum denuntiat Salvatorem (*Matth.* ii). Judæis itaque tanquam ratione utentibus loquitur vox angelorum, gentibus vero quasi brutis et jumentis in campus silvæ loquitur lingua, sive stella cœlorum. Lux nostra itaque demonstrat lucem, creatura suum indicat Creatorem, suum loquitur factura factorem, et nova stella denuntiat verum solem. « Laudate ergo Dominum, omnes genites, et collaudate eum, omnes populi (*Psalm.* cxvi). Laetamini, gentes, simul cum plebe ejus (*Rom.* xv). » Gaudent gentiles, exsultent Judæi, quia ecce sol de stella emituit, et Factor Virginis factus est in Virgine factura sua. Homo enim, qui factus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus (*Psalm.* lxxxvi). Ortus est itaque sol de stella, sanitas ex ægritudine, ex morticinio vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, et spina rosa, pater ex filia, dominus ex ancilla, ex de exiguo rivulo « fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* iv). » Oriatur ergo sol de stella, et demonstratur sol per stellam.

Erat stella in aere, stella in terra, sol in præsepio. Stella in aere, corpus illud lucidum; stella in

terra virgo Mária; sol in præsepio, Christus noster. Stella in aere, de qua habuimus in Evangelio: « Videlicet enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum (*Matth.* ii). » Stella in terra, de qua Balaam prædictus in prophetia sua: « Orietur stella ex Jacob, et confringet omnes alienigenas (*Num.* xxiv). » Sol in præsepio de quo reprobi, secundum quod in libro Sapientiae legitur, dicturi sunt in futuro: « Eravimus a via veritatis, et sol justitiae non illuxit nobis (*Sap.* v). » De quo Apostolus: « Sol non occidat super iraeniam vestram (*Ephes.* iv). » An non ipse est, qui in sole posuit tabernaculum » sue carnis, quando fuit « tanquam sponsus procedens de thalamo suo? (*Psalm.* xviii). »

In stellâ, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneæ naturæ est; stella in se lucida est et clara; stella ex se radium emittit; stella in nocte lucet. Hæc eadem in stella nostra, id est, in virginе Mária, possumus invenire. Stella, ut diximus, igneæ naturæ est [apparet ignea], et ipsa virgo Mária igneæ naturæ fuit. Ipsa est enim rebus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quippe ardore, sed non comburebatur (*Exodus.* iii), quia gravida quidem apparuit Virgo, sed igne libidinis non est consumpta. Ipsa in se splendida est et clara, adeo ut de ea scriptum sit in Canticis canticorum: « Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? (*Cant.* vi.) » Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta. Scrutatur enim corda et renes (*Jer.* xvii; *Rom.* viii; *Apoc.* ii); eo quod vivus est sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio anticipi, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus (*Hebr.* iv); unde et merito congruit ei nominis interpretatio. Maria namque *stella maris* interpretatur, Mare hic mundus est, sicut scriptum est: « Hoc mare magnum et spatiosum, illuc reptilia quorum non est numerus (*Psalm.* ciu). » Merito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tanquam sidus singulare resulsi in mundo, et cuius splendor illuminat mundum, et ex se radium illum emisit, qui « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i). » Et sicut radius processit a stella, stella integra permanente; sic filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante, secundum quod et propheta Ezechiel inquit: « Porta, quam vides, semper erit clausa, et nullus transibit per eam, sed Dominus solus introibit per eam (*Ezech.* xliv). » Stella lucet in nocte, et ipsa Virgo in nocte hujus sæculi singulariter fulsit, secundum quod de ea scriptum est: « Quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. » Talis est stella nostra, fratres, talis est virgo Mária, talis est stella maris, et quia reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Peter.* ii), talis etiam debet esse anima nostra.

Simus ergo, fratres, igneæ naturæ, ut sit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram

(*Luc. xii*) : et ignis ille qui erat flammigerans in ossibus Jeremiæ, accendatur in conflatorio cordis nostri, juxta quem sedet Dominus purgans et mundans filios Levi (*Mal. iii*). Simus etiam et nos clari et fulgidi, ut aspiret nobis dies, et inclinentur umbras (*Cant. ii, iv*) : et deponentes veterem hominem cum actibus suis, induamur novum, qui secundum Deum creatus est (*Col. iii*) ; ut si fuimus aliquando tenebræ, nunc simus lux in Domino (*Ephes. v*) : et induit armis lucis, ambulemus honeste, sicut decet ambulare in die (*Rom. xiii*). Emitamus etiam ex nobis, fratres, radium bonæ operationis, quia scriptum est : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc. xii*). » (110) Lucernas quippe ardentes in manibus portamus, cum proximis nostris per exempla bonæ operationis lumenem, ut cortina cortinam trahat; « et qui audit, dicat : Veni (*Apoc. xxii*) ; » et « sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona glorifiscant Patrem, qui in cœlis est (*Matth. v*), » et currant multi in odorem unguentorum nostrorum (*Cant. i*).

Stella lucet etiam in nocte, et nos, fratres, in nocte hujus seculi luceamus, secundum quod scriptum est : « Inter quos lucetis, quasi luminaria fixa in firmamento (*Phil. ii*). » Contra haëreticorum tenebras sapientiae lumine splendeamus, quia scriptum est : « Capite nobis vulpeculas, que demolunt vineam Domini (*Cant. ii*). » Propter quod Dominus inquit : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae (*Matth. x*). » Sic ergo, fratres, ad verum solem poterimus pervenire, si Virgines et stelle nostræ vestigia fuerimus imitati.

In sole autem quinque principaliter attenduntur. Sol incommutabilis est in se, cum luna singulis mensibus commutetur. In sole est nulla macula, cum semper macula sit in luna. Sol habet plenitudinem luminis, a quo et alia luminaria lumen accipiunt. Sol licet sit immutabilis, interdum tamen patitur eclipsim. Sol semper lucet in die. Sed eadem in vero sole nostro sollicite investigemus. Sol in se incomutabilis est et ipse Christus secundum divinitatis potentiam semper incomutabilis perseverat. Unde ipse ait : « Ego sum Deus, et non mutor (*Mal. iii*) ; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac. 1*). » In sole nulla est macula; et ipse est, qui singulariter ingressus est mundum sine macula « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isai. LIII*). » Sol habet plenitudinem luminis; et in eo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter (*Col. ii*), cui non est datus Spiritus ad mensuram (*Joan. iii*), imo de plenitudine ejus acceptimus omnes gratiam pro gratia (*Joan. i*), quando unguentum a capite descendit usque ad barbam, et a barba stillavit in oram vestimenti (*Psal. cxxxii*). Sol interdum patitur eclipsim; et ipse Christus eclipsim mortis passus est in passione, quando recessit Pastor ovium, ponens animam pro ovibus suis (*Joan. x*), « et inclinato capite emisit spiritum (*Joan. xix*). »

Sol semper lucet in die; et ipse Dominus, postquam resurgendo consumpsit tenebras nostræ mortalitatis, « resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom. vi*). » Sed iucem habitat inaccessibilem (*I Tim. vi*), et in eo tenebre non sunt ullæ (*I Joan. i*). Hunc solus aquila Joannes irreverberatis luminibus intuitus est in rota sua, quando adeo alte volavit, quod si paulo altius intonuisset, totus mundus eum capere non potuisset, inquiens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan. i*). »

Magi ergo illuminati a sole veniunt ad Solem, qui illustrati per stellam, quæ lumen suum habet a sole, venerunt ad adorandum Solem; quorum gesta diligenter singula attendamus. Venerunt ergo ab oriente Hierosolymam, et cum venissent, inquisiverunt : « Ubi est qui natus est rex Iudeorum (*Matth. ii*)? » Cum pervenissent ad locum, prociderunt; cum procidissent, adoraverunt; cum adorassent, munera obtulerunt. Venerunt ergo infatigabili labore, inquisiverunt provida sollicitudine, prociderunt debita humillatione, adoraverunt mentis devotione, munera obtulerunt integra fidei religione; « et obtulerunt ei aurum, thus et myrrham (*Ibid.*). » Ecce primitæ gentium primo puram et integrum fidem offerunt. Obtulerunt enim thus Deo, myrrham mortali, aurum regi. Thus per fidem divinitatis, myrrham per fidem humanitatis, sive mortalitatis, aurum per fidem regiæ dignitatis. Fuit enim Deus et homo, Emmanuel, *nobiscum Deus*, cum factus est simul in unum dives et pauper, sicutque ex regia tribu, secundum quod in ejus genealogia describitur : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth. i*), » etc.

Vel obtulerunt haec tria humanitati Christi, aurum regi, sacerdoti thus, myrrham mortali. Fuit enim ex regia et sacerdotali tribu. Fuit rex, quia habuit in vestimento, et in femore suo scriptum : « Rex regum, et Dominus dominantium (*Apoc. xix*). » Fuit et sacerdos secundum ordinem Melchisedech (*Psal. cix*) regis Salem, qui sacerdos fuit Dei summi (*Genes. xiv; Hebr. vii*), quia non per sanguinem hincorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, æterna redemptio inventa (*Hebr. ix*). « Conversi enim sumus ad pastorem et episcopum animarum nostrarum (*I Petr. ii*). » Fuit etiam mortalis, quia « vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa. LIII*) », in corpore suo super lignum.

Hæc eadem ipsa Virgo, stella maris, obtulit Soli nato suo in persona sua. Obtulit enim aurum regiæ dignitatis, quia fuit ipsa de regia tribu, secundum quod in dicta genealogia legitur : « Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus (*Matth. i*). » Obtulit etiam thus et myrrham; unde in Cantico amoris hæc duo in ipsa junguntur, ubi dicitur : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula funi ex aromatibus myrræ, et thuris, universi pulvri pigmentarii? »

(Cant. iii.) Myrrha arect vermes a corporibus mortuorum , et ipsa corpora conservat a corruptione , propter quod Nicodeinus attulit misturam myrrae et aloes (Joan. xix), ut condiret corpus Jesu. Per myrrham ergo carnis integritas designatur , thus vero mentis exprimit devotionem. Bene ergo haec duæ species in stella, et virga nostra junguntur, quia in virgine Maria carnis integritas , et mentis devotionem semper indivisa manserunt. Et merito additur : « universi pulveris pigmentarii; » quia ipsa adeo fuit donis Spiritus sancti reservata , ut audire meruerit : « Ave, gratia plena , Dominus tecum , benedicta tu in mulieribus , et benedictus fructus ventris tui (Luc. i). » Sic ergo, fratres, obtulerunt magi, obtulit et virgo Maria stella nostra. Et quia exempla dederunt nobis, ergo et nos ita faciamus.

Venerunt magi, veniamus et nos, quia scriptum est : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis , et ego reficiam vos (Matth. xi). » Et alibi : « Venite ad me, qui concupiscitis me (Eccli. xxiv). » Inquisierunt magi, inquiramus et nos, quia scriptum est : « Quærite Dominum , dum inveniri potest. » Prociderunt magi, procidamus et nos, quia scriptum est : « Venite, adoremus , et procidamus ante Deum (Psal. xciv). » Adoraverunt magi, adoremus et nos, quia scriptum est : « Adorate Dominum in aula sancta ejus (Psal. xxviii). » Obtulerunt magi, offeramus et nos, quia scriptum est : « Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (Rom. xii). » Offeramus et nos illa tria, quæ obtulerunt magi, aliter tamen quam illi. Offeramus myrrham mortificationis, ut mortificantes corpora nostra, quæ sunt super terram (Col. iii), carnis curam non faciamus in desideriis, crucifigentes corpora nostra cum vitiis, et concupiscentiis (Gal. v); et in his tamen omnibus rationabile sit, ut dictum est, obsequium nostrum (Rom. xii). Offeramus thus devote orationis, secundum quod Apostolus ait : « Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente (I Cor. xiv), » ut, « dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu Domini (Psal. cxl). » Offeramus et aurum, splendorem sapientiae; aurum namque sapientiam designat, juxta illud : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (Prov. xxi), » ut simus parati omni poscenti de ea, que in nobis est, fide, et spe reddere rationem, et splendore sapientiae fulgeamus, et contra haereticorum tenebras intrepidi dimicemus, atque dicere possimus : « Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti (Psal. cxviii). » Et utinam non possetis dicere potius : Bonum mihi lex oris Justiniani super millia auri et argenti, « Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ita ut lex tua, Domine (Ibid.); » « dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum (Jer. xvii), » ut merito ipsa sapientia conqueratur , dicens : « Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ (Jer. ii). » Nam hi qui in legem Domini debent meditari die ac nocte a veritate ad

fabulas convertunt auditum. Custodes ergo super muros ecclesiæ constituti vigilantes sint, ne vulpes Samsonis incendant segetes nostras (Judic. xv); et ponatur turris David cum propugnaculis contra Damascum, ex qua dependeant clypei mille (Cantic. iv); turris namque fortissima nomen Domini ; ad eam confugiet justus et exaltabitur (Prov. xviii). Haec est scriptura, ubi nomen Domini invocatur, in qua propugnacula sunt prælati atque doctores, qui ejus terminos debent custodire, de quibus scribitur : « Non transgredieris terminos, quos tibi patres tui constiuerunt (Prov. xxix). » Statuit namque Moyses terminos contra montem Sinai, quo transgredi non licebat (Exod. xix). Et utinam istos terminos nulli transgrediantur, alioquin lapidibus erunt digni. Ex hac pendent clypei mille, perfectio videlicet auctoritatum, quæ est ad munimentum ipsius. Haec turris ponitur contra Damascum, scilicet contra robur haereticorum. Aliud fundamentum alias nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I Cor. iii), id est mysterium Christi

Immobile profecto et immutabile est Christi mysterium, quia multiplex habuit testimonium. Habuit enim testimonium hominum, testimonium mulierum, testimonium virorum, testimonium senum, testimonium terrenorum, testimonium cœlorum, testimonium gentilium, testimonium Judæorum, testimonium antiquorum, testimonium modernorum, testimonium lucis, testimonium tenebrarum, testimonium legis, testimonium prophetarum, testimonium regum, testimonium turbarum, testimonium vivorum, testimonium mortuorum, testimonium brutorum, testimonium solis, testimonium elementorum. Habuit testimonium hominum, quia pastores erant in regione illa, qui venientes invenerunt de verbo, sicut dictum erat ad eos de puer (Luc. ii). Testimonium angelorum, qui angelus Domini stetit juxta illos, et dixit eis : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David (Ibid.). » Et facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum, et dicentium : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis (Ibid.). » Habuit testimonium mulierum, quia Anna prophetissa filia Phanuel confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel (Ibid.). Habuit testimonium virorum, quia uno die conversi sunt tria millia, et alio quinque millia (Act. ii; iv), qui testimonium perhibebant de Jesu. Habuit testimonium senum, quia antiquus ille dierum Simeon, cuius capilli erant sicut lana alba, qui acceperat responsum a Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, accipiens eum in ulnas suas, dixit : « Nunc dimittis servum tuum , Domine, secundum verbum tuum, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum (Luc. ii). » Habuit testimonium parvulorum, quia innocentes illi, eum quamvis non loquendo, moriendo tamen confessi sunt (Matth. ii). Habuit tes-

timonium terrenorum, quia pax facta est in terra hominibus bonae voluntatis; tanta, ut ab uno homine Cesare Augusto totus orbis describeretur (*Luc. ii*); de cuius tranquillitate Isaías inquit: « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces (*Isa. ii*). » Habuit testimonium cœlorum, quia cœli miserunt novam stellam, secundum quod habuimus in Evangelio: « Et ecce stella, quam viderant magi in oriente, antecedebat eos usque dum veniens stare supra, ubi erat Puer (*Matth. ii*). » Habuit testimonium gentilium, quia magi venientes Hierosolymam dixerunt: « Ubi est, qui natus est rex Iudeorum (*Matth. ii*). » Habuit testimonium Iudeorum, quia Herodes principes sacerdotum et scribas populi conveniens, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur; et illi dixerunt: « In Bethlehem Iudeæ (*Ibid.*). » Habuit testimonium antiquorum, quia in manibus prophetarum assimilatus est (*Ose. xii*); ipse enim est Agnus occisus ab origine mundi (*Apoc. xiii*). Habuit testimonium modernorum, unde et ipse discipulis inquit: « Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudea, et Samaria et usque ad ultimum terræ (*Act. i*). » Habuit testimonium lucis, quia claritas Dei circumfusit pastores (*Luc. ii*), et claritas stellæ illustravit magos (*Matth. ii*). Testimonium tenebrarum quia in morte ejus tenebræ facte sunt super universam terram (*Matth. xxvii*; *Marc. xv*; *Luc. xxiii*). Habuit testimonium legis, quia Moyses dixit in lege: « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris; ipsum tanquam me audietis (*Deut. xviii*). » Et alibi: « Et erit vita tua pendens in ligno; videbis, et non cognosces (*Deut. xxviii*). » Testimonium prophetarum, quia Isaías ait: « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum spiritus Domini (*Isa. i*). » Et alibi: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa. viii*). » Baruch autem: Post hæc, inquit, in terris visus est et cum hominibus conservatus est (*Baruch. iii*). Ezechiel in ejus testimonio filius appellatus est (*Ezech. ii*). Daniel ait: « Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra (*Dan. ix*). » Oseas in ejus testimonio accepit uxorem fornicariam (*Ose. i*). Habacuc dicit: « Cornua sunt in manibus ejus (*Habac. iii*). » Jonas in ventre ceti ejus testimonium testatus est (*Jon. ii*). Et quid discurrant per singula? Nullus prophetarum extitit, qui ei testimonium non perhiberet. Testimonium regum; unde David rex: « Terra nostra dabit fructum suum (*Psal. LXXXIV*). » Et alibi: « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem (*Psal. XLV*). » Et Salomon: « Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis, » et: « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Cant. i*). » Testimonium turbarum, unde dixerunt in Evangelio: « Viditamus mirabilia hodie (*Luc. v*). » Et: « Nisi esset nunc a Deo, non posset facere quod facit (*Joan. ix*): propter quod voluerunt etiam eum rapere, et regem

facere (*Joan. vi*). Testimonium vivorum, quia illi duo, qui ibant in Emmaus, venerunt et narraverunt omnia quæ eis acciderant (*Luc. xxiv*). Testimonium mortuorum, quia « multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis (*Matth. xxvii*). » Testimonium brutorum, quia « cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui (*Isa. i*). » Testimonium solis, quando ipse obscuratus est (*Luc. xxiii*). Testimonium elementorum, quia testimonium perhibuit terra, quando terræmotus magnus factus est (*Matth. xxvii*). Testimonium perhibuit aqua, quando siccis pedilus ambulavit super aquas (*Joan. vi*). Testimonium perhibuit aer, quando nubes suscepit eum ab oculis eorum, scilicet discipulorum (*Act. i*). Testimonium perhibuit ignis, quando angelus Domini descendit de cœlo, et resplenduit facies ejus sicut fulgor (*Matth. xxviii*); fulgor enim ignæ naturæ est.

Quia ergo, fratres, mysterium crucis habuit testimonium omnium prædictorum, erubescat Iudeus infelix, qui negat Christum de Virgine natum; quia pastores Iudei invenerunt sicut dictum erat illis (*Luc. i*). Confundatur gentilis, qui dicit ligno: « Deus mens es; et lapidi: Tu me genuisti (*Jer. ii*); » quia magi gentiles ipsum adoraverunt. Obmutescat hæreticus, qui mysterio contradicit. Et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip. ii*). Ad quam gloriam nos perducat ipse Dominus noster Jesus, qui cum sit splendor luminum, flos florum, vita morum, schola virtutum, et corona sanctorum, super choros angelorum regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## II. — *De Annuntiatione beatissimæ Virginis Mariæ.* (25 Mart.)

Exsultate, fratres, in Domino, quia de domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vindicat principatum. Hæc est, ad cuius nomen corpus humili inclinatis, cuius horis reverenter assistitis, cuius memoriam jugiter frequentatis. Hæc est, quæ vestris affectibus suaviter indulescit, quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis; in qua dulcis Dominus, cum omni sua dulcedine supervenit. Cum enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona (*Gen. i*), hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus angelorum et hominum reclinaret, et requiem inveniret. Hoc est quod natura miratur, reveretur angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, infernus exhorret. In hujus utero majestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipè et pinguedine replevit terras, infudit cœlos, inferna respersit. Hic exanimavit semetipsum (*Philip. ii*) excelsus et immensus, mensuram bouam, et confertam et coagitatam mittens in sinum nostrum (*Luc. vi*). Hic divinis manibus unctionis est oleo lætitiae, et sicut ab altare in summum pontificem consecratus. De hoc altari ad aram crucis ascendens proprio cruore tanquam alterius

generis oleo perfusus, jam non solum consecratus, sed et consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiori ligamine copulavit. Fcessat igitur mœror, tristitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abscedat, ut liceat vacare et videre cum Moyse visionem hanc grandem (*Exod. iii*), qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, sed oratio deficit, et dives cogitatio vocis paupertate confunditur. Fervent interiora, et in undosam ebuliunt altitudinem, sed frigiditas linguae cumulos refrigerat exundantes.

Quid est, beatissima? Nunquid ita sensim taciturnus obdormiam, ut ibi mutus sim, ubi omnis loquitur creatura? Verumtamen non tacebo, et non quiescam, donec egrediatur ut splendor vultus tuus, et sermo de te conceptus, si non ut lampas, saltem ut scintilla accendatur (*Isai. lxii*). Movet me, fœtor, quod permittente Deo peccant rationabiles creaturæ, et multis annorum millibus tam cœlestia quam terrestria incassum stare videantur, servituis istis, illis dirutis. Stat illa magna civitas civium suorum numerositate fraudata, et a stellantibus palatiis multiplex habitantium multitudo propellitur; obscurantur stellarii [*f.*, stellarum] ignes, solem loquör, lunam et stellas, et multa sibi detracta luminis claritate multantur, terra maledicuntur, condemnatur hominum successio, et omnis creatura, juxta Apostolum, ingemiscit; et parturit (*Rom. iii*). Tacet Deus omnipotens, et ordinans ejus omnipotentia tantam dissimulat confusionem. Tandem nascitur Maria, et ad nubiles annos egrediens speciem induit speciosam, quæ ipsum alliciat Deum, et divinitatis oculos in se convertat. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator secretorum Dei: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupivit rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus (*Psal. xliv*). » Germinat igitur virga Jesse de tortuosa radice generis humani, et de patriarcharum arbore in altitudinem et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum [*f.*, foliorum] tenebras nescit, fructuosa [*f.*, infructuosa] quæque non habet. Videt et ardet ille vehemens amator, et totum epithalamium in laudibus ejus decantat, ubi manifeste sponsus inducitur spirans anorem sincerissimum, nec ultra valens dissimulare quod patitur. Evocatur statim cœlestis ille conuentus, et juxta prophetam init Deus consilium, cogit concilium (*Isai. xvi*), facit sermonem cum angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus et mirantibus præ gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariæ nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, incarnationis Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ,

gloriæ magnitudo, multitudo lætitiae continetur.

Missus est ergo angelus Gabriel a Deo ad Virginem, quæ, postquam ci locutus est, sensit Deum suis illapsum visceribus, majestatemque illius vaginalis ventris brevitate conclusam (*Luc. i*). O venter diffusior cœlis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia concludente, in quo Deus glorie reclinatur. Denique et archangelus ait: « Ave, gratia plena, Dominus tecum (*Ibid.*) : » quia a Deo electam et præelectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus et cœlestibus insignitus ornamenti. Jam consecranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille debebat ascendere, qui universam terræ superficiem irrigaret (*Gen. ii*).

Satis luc usque sparsimus verba, et volaticis sermonibus diversa preseminavimus; nunc insistamus hic, si forte aliiquid dignum elicere valeamus. « Fluvius, ait Scriptura, egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terræ: qui inde dividitur in quatuor capita (*Ibid.*). » Fluvius iste est Deus meus Jesus, qui a duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, ex utero Virg'nis. Unde Propheta: « Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exsiliens in terram sitientem (*Isai. lix*). » Sed ineffabilibus differentiis longe aliter a Patre quam a matre egreditur: quia etsi temporalis natalitas gloriosa est, multo gloriosior est æterna. Orantibus igitur vobis de utraque generatione volo aperire quod sentio, non quod aliiquid exponere præsumam, cum hoc ultra omnium vires (quanto magis meas?) sit, et extremæ dementiæ sit velle fari ineffabilia, maxime hominem imperitum. Non enim oblitus sum Salomonem dicentem: « Sicut qui nimium comedit mel evomit illud; sic qui scrutatore est majestatis opprimetur a gloria (*Prov. xxv*). » De utraque enim per prophetam dici puto: « Generationem ejus quis enarrabit? (*Isai. v*). » Quia sane illa Patris ineffabilis et inaccessible est et nulli creaturæ pervia; hoc sensu credo Apostoluni dixisse de Deo: « Qui solus habitat lucem inaccessibilem (*I Tim. i*), cum etiam puriores naturæ tanto reverberentur intuitu, nec possint irrumperet tantæ claritatis abyssum. Ipse etiam Filius protestatur: « Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Math. xi*): » Non sicut est, sed sicut capere potest, cui tanta dignatio revelatur. Unde et illa sublimis anima, quæ usque ad tertium cœlum in divitias gloriæ raptæ fuerat (*II Cor. xii*), dicit: « Ego me non arbitror comprehendisse (*Phil. iii*). » Verissima igitur definitio est quia illam gigantis, et geniti generationem nullus omnino penetrat intellectus. Hanc etiam de matre omni humanæ creaturæ reor inextricabilem: Nescio, utrum ab illa excellentiore natura valeat comprehendendi. Quis enim comprehendat conjunctiōnem carnis et Verbi; qualiter Deus, et homo in unam personam convenient salvis imperturbatisque proprietatibus naturarum? Unusquisque in suo sensu abundat; ego hanc omnem sensum supergredi credo,

veterum virorum vestigiis inhærens, qui super hoc sanas et inconcussas sententias reliquerunt.

Ad paternam igitur generationem recurrentes, locum voluptatis, Patrem esse censemus, cum Deus illocalis sit, sed efficientias rerum, nisi per vulgatos sermones, explicare non possumus. In ipso autem omnem voluptatem esse intelligit qui legit Apostolum dicentem : « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom. xi.*) », et alium ex illo duodeno apice similiter eructantem : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (*Jac. 1.*) ». Ipse etiam Filius dicit : « Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum (*Joan. xvii.*) ». Cognitio igitur Patris, vita æterna est; et ubi vita æterna, ibi semperita voluptas, quia gignitur de utero Patris Deus de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem identitate, quia idem est, quod Pater. Idem dico, secundum substantiam, non secundum personam. Egreditur et aequalitate, quia pars omnipotentia respicit Generantem, cum omnia, quæ potest Pater, possit et Filius, sicut ipse testatur : « Omnia quæ facit Pater, facit et Filius; nec potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem (*Joan. v.*) ». Egreditur et æternitate, quia licet generetur, non est posterior Generante, sed ambo unius antiquitatis sunt, si tamen vocabuli novitatem non exhortes. Quod licet quoquo modo significet, quæ dicuntur, longe tamen est a sententiæ majestate. Egreditur similitudine, quia similis est Patris, Patris imago, splendor gloriæ et figura substanciali ejus (*Hebr. i.*). Egreditur alternitate, quia aliis est ab illo, aliis dico, non aliud : « Ego, inquit, et Pater, unum sumus (*Joan. x.*) ». Unum dixit, non unus, quia unum significat substanciali unitatem, sumus vero personarum proprietatem. Sic igitur et longe excellentiori modo de Patre Filius egrediens inundat angelicas stationes, quia, juxta Salomonem, « fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis (*Ecli. i.*) ». Citharædus puer de hoc fonte pleno ventre potaverat, cum diceret : « Apud te est fons vitæ (*Psal. xxxv.*) », quia non solum tu vita, sed et Filius tuus fons vitæ est. Et, ut patenter quid sentiebat, ostenderet, subjunxit : « In lumine tuo videbimus lumen (*Ibid.*) ».

« Ad irrigandam universam superficiem terræ (*Gen. ii.*) ». Quænam terra est in illa cœlorum summitate reposita, quam non præterfluat, et irriget fluvius gloriosus? Regnum cœlorum terra viventium est, de qua dicit sanctus : « Portio mea, Domine, in terra viventium (*Psal. xiv.*) ». Et : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal. xxvi.*) ». Et, « Placebo Domino in regione vivorum (*cxlv.*) ». Irrigatio hæc indicibilis est. Inebriantur quippe angeli ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potantur. Hic quid dicam nescio, quia plurimus stupor sensum opprimit atque mentem. Ubi sunt orationis sermones, quos in fornace rhetorica omnis ille philosophorum conflavit chorus? Ubi sunt gigantes

a seculo nominati, qui ab initio fuerunt statuta magna, scientes bellum, languentes circa pugnas verborum? Nunquid non maximus ille gigas, Platonem loquor, ab intellectu tam purissimæ veritatis repulsus est? Nunquid non acerrimo mentis ingenio tangens, sed non attingens divinitatem Dei dicit: Unum inveni, quod cuncta operetur; et aliud, per quod cuncta efficiuntur; tertium autem invenire non potui? Recte de Spiritu sancto inscius, qui illi non erat infusus, qui sanctorum revelationum magister est, qui revelat Paulo quæ oculus non vidit, sicut idem Apostolus gloriatur : « Nobis, inquit, revelavit Deus (*I Cor. ii.*) ». Per quid, Apostole? « Per Spiritum suum (*Ibid.*) », non per spiritum nostrum, quem sequi philosophi, et seducti sunt et seduxerunt. Ille noster philosophus, qui super senes, et super omnes docentes se intellexit (*Psalm. cxviii.*), quid super hoc senserit, audiamus : « Rigans, inquit, montes de superioribus suis (*Psalm. cxi.*) ». De sublimioribus quippe angelis docet, qui non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam Dei substantiam luminibns indefessi spectant (*I Cor. xiii.*).

Sequitur : « Qui inde dividitur in quatuor capita. » In quæ quatuor capita dicamus breviter, quia grandis nobis restat via. In admirationem, qua tota obstat illa dignior creatura de Creatoris gloria et gloriæ ratione. In puritatem, quia non in vase testebo, vel fragilitate complexionis humanae bibunt de torrente voluptatis, sed remoto velamine, hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isai. xii.*). In satietatem, quia et si in eum desiderant prospicere, tamen non desiderium necessitatem, vel necessitas miseriam inducit, sed mirabiliori modo, et semper desiderant, ut semper satientur, et semper satiantur, ut semper desiderent. In securitatem, quia de sua stabilitate certi, pereunibus gaudiis immerguntur, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei (*Tit. ii.*), quando siet unum ovile et unus pastor (*Joan. x.*), et superna illa Hierusalem consummabitur in idipsum. Sic influit fluvius iste per angelicas officinas. Sed hæc omnia fides capit, nescit ratio, intellectus ignorat humananus. Hæc sunt fortassis illa quatuor, quæ vas electionis felici quaternario in Epistola ad Hebræos dividit, dicens : « Non accessistis ad montem fumantem, sed ad montem Sion, ad Hierusalem civitatem Dei viventis, ad multorum millium angelorum frequentiam, ad Ecclesiam primitivorum scriptam in cœlis. »

Nunc accingamus nos ad videndum qualiter egreditur de Virgine, quia egressio ista dulcior et affectuosa est humanæ misericordiæ, quæ intuentum pectora concutit, irrorat oculos, et beatis fontibus vultus amantium superfundit. Hic locum voluptatis uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius deliciis Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris Cantico sic eructat : « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? (*Cant. vi.*) ». Nunquid in angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem?

Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliæ convertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ in tenebras obscurantur? Nunquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus (*III Reg. xix.*) , si verax est ille qui curru igneo, et equis igneis est assumpitus in cœlum (*IV Reg. ii.*) . Nunquid in aquis, ubi furens et tortuosus Leviathan immoratur, aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit et tribulos? Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.

Ex hoc egreditur cum humanitate, quia vestitus cilio nostro mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit, et de Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, divinitatis hamum innexuit, quem carne opernit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem ferrum divini numinis subsentiret. Egreditur et cum novitate, quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse pascitur. Primus enim homo primo de terra formatur, secundo, mulier ex ejus latere fabricatur, tertio Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab utroque. Solus iste de sola virgine nascitur, et Virginis uterum novo et singulari partu divinitas humanata sigillat. Ubi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infecunda loquacitas? Si peperit, cum viro concubuit? Velit, nolit, vertitur in habitum privatio, nec astringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium parit natura, desnescit consuetudo. Egreditur etiam cum claritate. Nascente quippe illo, sepelitur omnis illa stellantium lumen luminosa serenitas, et stella candidior lucidioribus radiis præscintillans totam sibi cœli rapit positionem. Ambulant reges in splendore ortus ejus (*Isai. lx.*), quoniam ecce reges congregati sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic Deum et hominem nascentem, matrem et Virginem parientem, admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos (*Psal. xlviij.*) in tantorum luce miraculorum. Egreditur et cum paupertate, quia pannis vilissimis involutus et præsepi durissimo reclinatus (*Luc. ii.*) jam ex tunc sanctissimis membris legem martyrii præfigebat. Egreditur occulte, quia subtilissimus ille fraudum investigator ab altitudine tantæ dignationis excluditur. Hinc est quod ambiguis altercationibus fatigatus, nunc illum tentat, nunc tentatum Filium appellat Altissimi, nunc instruit cricem, nunc destruit, mandatis per mulierem consuetam sibi organum: « Nihil tibi, et justo illi (*Matth. xxvii.*) . »

Sequitur: « Ad irrigandam universam superficiem terræ. » Ad terrenam miseriam expiandam, quam nobis in hereditatem primus ille peccator reliquerat. Volo ut Apostolus hic eum mihi, sicut et superius, in quatuor capita distribuat, quia securius ejus expositionem suscipio. « Qui factus est, inquit, nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio (*I Cor. i.*) . » Ad nos quippe veniens, qui eramus in carcere, primo omnium tenebras ignorantiae nostræ

depulit luce sapientiae suæ, deinde per justitiam, quæ ex fide est (*Rom. x.*), solvit funes peccatorum nostrorum, sanctificans nos in suo corpore, redimens in corporis passione. « Dominus enim solvi, compeditos, Dominus illuminat cæcos (*Psal. cxlv.*); sanctificat tabernaculum suum (*Psal. xlvi.*); de manu redemit inimici (*Psal. cv.*). » Dividitur, et in patientiam, qua peccatores sustinet; in misericordiam, qua poenitentes sovet; in largitatem, qua proficientes exaltat; in fortitudinem, qua exaltatos conservat. De hoc secundo quaternario toto hoc adventu vestræ fraternitati confabulatus sum, per fluminum decurcionem et nominum interpretationem moralia mysticæ interneccens; utrum aliquid digne, vos videritis. Verum non omnia possumus præsenti sermone coarctare, fastidium evitantes.

Ego habeo quatuor capita dulciora prioribus, quæ fortassis vestræ cordibus suavius complacebunt. Dominus enim noster elevatus in cruce, largissimas sanguinis undas a quatuor sui corporis partibus abundantius emisit. Spinis enim pungentibus sanctissimum caput nivea cervice reflexum, et clavis pedes et manus, et lancea latus ejus transverberantibus, pretiosus sanguis emicuit, cujus aspersione judex transivit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captivitas in coronam. Christus ergo fons latens, et occultus in cœlis; fons patens, et aperitus in terris. Illic de utero Patris, hic egreditur de utero Virginis. Illic vivens terram irrigat viventium, hic moriens terram morientium. Illic dividitur in quaternarium admirabilem; hic in dulcem. Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Deus meus misericordia mea, hæc Domina mea misericordie porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filia ad Patrem, Sponsa ad Sponsum, qui est benedictus in saecula. Amen.

III. — *In Nativitate S. Joannis Baptistæ. (24 Jun.)*  
— *B. Virginis Mariæ virtutes et eminentes prærogative.*

Hodie, dilectissimi, dies illuxit insignis, tanto ceteris diebus sanctior, quanto sanctiorem hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille sanctorum splendor, justorum gloria, letitia angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus Sponsi, Sponsæ præparator. Unus est et secundum non habet, qui jchoris intertextus angelicis, sublimioris coronæ titulis universitatis humanae transcendit ascensum. Denique « inter natos milieum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth. xi.*) . » Felix homo, qui feliciter cœlorum perambulans officinas cursu velocissimo sequitur Redemptorem, nec alicuius intercluditur fastigio dignitatis, quem summæ felicitatis immensitas largius irroravit! Lætantur angeli, et utriusque naturæ numerositas admiratur hominem sic ingressum abyssum luminis et in æterne divinitatis pelagus absorptum, ut ipsam reverberet angelicæ puritatis originem. Eleventur omnes, et meritorum prærogativis ante consistorium majestatis exsultent; non erit tamen qui ad Baptistæ Joannis privilegium audeat aspirare.

Age, jam aggrediamur virtutum insignia, quæ Deus majestatis in amico suo gloriosa cumulatione signavit; sic enim ab ortu vitæ usque ad occasum cum hominibus conversatus est, ut forma vita morum informatio habeatur. Et licet hic sermonis aurei non rutilet pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicunque stylo perstringere, illud Sapiens attendentes: Prudentibus viris non placere phalerata, sed fortia (*Ecli. ix.*).

Primus ejus honor est gloria in annuntiatione. Non est dissimilanti silentio transeundum quam solemnii glorificatione pueri hujus in hunc mundum nuntiatus ingressus. Adest angelus Gabriel, et a superiori cœlorum cardine *Domini fortitudo* descendens, stat a dextris altaris incensi (*Luc. i.*), nec quilibet angelus, sed ille sublimior, qui beate Virginis nuntium attulit singulare, et electus est ut nuntiaret militem qui regem nuntiare debebat (*Ibid.*). Astat sacerdos sacerdotalibus indutus et multiplici vestimentorum varietate, cœlestium sacramentorum præfigurans imaginem, purgationem peccatorum mystici sanguinis aspersione præsignat. Consistit coram area fœderis et ante testamenti tabulas, urnam auream habentem manna, virginem Aaron, Cherubim et propitiatorium, solemniter insulatus, vultui Dei, gloriæ majestatis, rerum omnium Domino vota percelebrat. Dies instat solemnis, et cæteris diebus multititudini Iudeorum celebrior, Domini præcipientis attestacione sublimis, plane spectabilis et festiva, in qua sola soli pontifici licet introire in Sancta sanctorum, et aspergne multiformi summæ divinitatis iram refrigerare. Convenitur undique in sanctam civitatem, et populorum turba frequentior cumulat materiam gaudiorum. Inter hæc sacra consistens archangelus: « Ne timeas, inquit, Zæcharia (*Ibid.*), quia nasceretur tibi filius parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelii principium, mortis expulsio, janua vitæ, decus hominum, conversationis splendor, omnis justitiae principatus. Et ne diffusiore tractatu rerum excellentiam confundamus, nascentis et conversantis integritas in libris evangelicis plenius assignatur.

Considera nuntiantis sublimitatem, dignitatem loci, diei reverentian, et tunc intelligere poteris quam superexcellenti gloria Joannis Baptista genitura prædictetur. Salva igitur reverentia Redemptoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus, cum ille Dominus, hic servus; ille Creator, creatura iste; digniore præmonstratione Joannes nuntiatur quam Christus. Christus fortassis in thalamo, Joannes in templo; et non solum in templo, sed etiam ante Sancta sanctorum in insigni die solemnitatis eorum. Joannes ab eodem archangelo, in loco digniore, tempore sacratiore, apertiore miraculo prædicatur. Recole Isaac ab angelis nuntiatum (*Gen. xviii.*), Samsonem per angelum prædicatum (*Jud. xii.*), et universam Nazaræorum sectam circumspice, solunque Baptistam tam in hoc quam in aliis inveneries dignorem.

Secundus honor est sanctificatio in ventre matris. Quicunque de massa prevaricatrice mundum ingredimur, longam restem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille qui peccatum non fecit (*I Petr. ii.*) excipitur, quem Virginis thalamus ignorante viro terris effudit; longe quippe aliter et dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto tota majestate Virginem inundante atque mundante, superans usum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut peccatum nesciret qui peccata tollebat, ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint (*Psal. l.*), neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Jeremiam et Joannem Baptistam; quanquam et de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiore sanctificationis genere mundata sit, utpote sacrarium illud, in quo Deus, Dei Filius, carnem fuerat suscepturus. Sed longe minor Jeremiæ sanctificatio, quam Joannis. Ille quidem in matris utero sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus suis cognoscitur. Multo quippe excellentius est Spiritu sancto repleti quam sanctificari; ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat. Denique et apostoli, qui manibus suis tractaverunt de Verbo vite (*I Joan. i.*), cum Spiritum sanctum de Salvatoris accepissent afflatu (*Joan. xx.*), vix quinquagesimo a resurrectionis die ad illum gradum pervenire potuerunt ut diceretur de eis: « Repleti sunt omnes Spiritu sancto (*Act. ii.*). » Et licet Spiritus sanctus largiore tunc munere credentium corda repleverit, hoc tamen Joannes in utero legitur assecutus, quod apostolica celsitudo tandem largiore promissione meruit obtinere.

Attende, obsecro, diligenter, quam ordinata dispositione Spiritus ille multiplex Jeremiam sanctificat, implet Joannem, supervenit in Mariam. Et Jeremiæ quidem admiranda sanctificatio, quia etsi in peccato conceptus est, nascitur tamen sine peccato. Antequam enim exiret de ventre sanctificatus est, nec poterat nasci non sanctus, qui in matris utero erat sanctificatus. Mira res, et a retro transactis saeculis inaudita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato. Joannem vero longe gloriosior virtus implet, qui et sanctificatus est a peccato, ita et dominante Spiritu superfusus, ut et purgatus exeat et repletus. Vere magnus coram Domino, quem angelus nuntiat, sanctificat Deus, sanctus replet Spiritus, vita commendat. Ineffabiliore autem modo supervenit in Virginem, quam tota divinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit, ut totam caperet, qui fecit totum; ut non solum a peccatis abluta, repleta Spiritu, sed et de Spiritu sancto concepisse credatur, quia « quod in ea natum est, de Spiritu sancto est (*Matth. i.*). » Inde est quod singulari prærogativa fides catholica Filium Dei natum de Virgine, conceptum de Spiritu constitetur; ut deitatis et humanitatis in divisibilis admata connexio, vocabulorum in-

differentia designetur. Vides ergo quam remotoire privilegio et speciosus forma praे filiis hominum (*Psalm. XLIV.*), a filiis hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim de peccatis et in peccatis concepti sunt; hic in Spiritu, et de Spiritu sancto concipitur. Haec sane dicta sunt de conceptione Joannis, nihil præjudicantia sanius sapienti. Sed etsi in aliquo sanctorum auctoritatibus videntur obviare, volumus ut sine omni excusationum vel defensionum patrocinio subruantur.

Tertius est excellentia in exsultatione. A saeculo non est auditum quod exsultaverit quis in utero matris, cum hic in gaudio exsultasse legatur. Prorsus obstupenda dignatio, puerum vix conceptum in motum exsultationis erumpere, eique gratarum occurrere servitio dulciore quem virginali substantiae præsensit infusum. Beata anima, quæ in via peccatorum non stetit, sed secretiore semita de cœlestibus officiis egrediens, inaudita gratulationis est sortita dulcedinem. Felix Elisabeth, ad quam mater properat Redemptoris, quam salutatoriis obsequiis cœlorum imperatrix alloquitur. Sed puer multo felicior, qui salutantis majestatem agnoscens, intra viscera tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit. Et factum est, inquit, ut audivit salutationem Marie Elisabeth, exsultavit in gaudio infans in utero ejus (*Luc. 1.*). Ascendit Virgo cum festinatione in domum Zachariæ ad salutandam Elisabeth, portans in utero Filium Dei, Regem gloriae, Dominum majestatis. Occurrit Elisabeth, et antiquæ sterilitatis carens opprobriis, amicum Sponsi, præconem Verbi felicissimo ventre deportat. Junguntur amplexus, venitur ad oscula, copulantur felices uteri, Regemque et militem nonnisi duo tenerimi parietes abjungunt. Quid mirum, si miratur et exsultat puer ad tactum tam proximæ divinitatis afflatus? Poterat ne vacare a quounque miraculo cui præseus aderat Regis præsentia, regnantis Mater, mundi Redemptor? Quid quod non semel tam sanctorum amplexuum fuit celebrata conjunctio? Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, ait evangelista (*Ibid.*). Tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integratas, et nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Joannem puerum consecrat et insignit. Et fortassis usque in diem natitatis ejus gloria Virgo cum cognata sua morata est, donec puerum natum sibi beatissimo confovere, et uno pariete remoto, propinquorem redderet præsentiae Creatoris. Facile autem hoc ex Evangelio conjectare liquet, quia jam sex menses a conceptione Joannis defluxerant, cum ad Virginem archangelus missus est, qui renovationem mundi pudori virgineo nova salutatione portavit. Ex hinc Virgo festinat ad Elisabeth, et tribus mensibus præsentia sua cognatae dignatur hospitium, donec noni mensis fine concluso, nativitas imminet patriarchæ. Alii, qui librum justorum diligentioribus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei genitrix felicem puerum primum de terra levarit, et cognatae partum

omni prosecuta sit servitute. Quocunq[ue] autem modo rei hujus veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit pueru nascituro tam felix et morosum intemeratae Genitricis hospitium. (Ex Serm. 25.)

#### IV. — In Assumptione B. Mariæ Virginis. (15 Aug.)

Hic totum decurrat ingenium, et aureus sermo tota reluceat majestate. Voluntaria oris nostri beneplacita (*Psalm. cxviii.*) faciat sibi genitrix Dei, domina mundi, cœli regina. Ipsa sensum acuat, dirigat stylum, et linguam pauperis venustiori resperga eloquio. Illustrat lucem hanc lumine clariori, et suo conventui suam præsentiam donare dignetur. Sublimis ista dies, et splendidiore sole resplurgans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, et in ipsis Trinitatis sede reposita, naturam etiam angelicam sollicitat ad videndum. Tota conglomatur angelorum frequentia, ut videat reginam sedentem a dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato (*Psalm. XLIV.*), in corpore semper immaculato, circumdatam variate, virtutum multiplicitate distinctam.

Hæc est illa dies quæ cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, angelis continua, continuans homines angelis, et angelos hominibus felici fœderatione conjugens. Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, et Matrem assuuptam, et videbis aliiquid excellentius in Ascensione Filii exhiberi, et aliiquid gloriosius in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in cœlum potestativæ virtutis imperio, sicut Dominus, et Creator, angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in cœlum, sed gratiæ sublevantis judicio, comitantibus et auxiliantibus angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Assumptio, Ascensio illa vocatur; cum aliud sit potentia, aliud misericordia, solumque soli sit privilegium Creatori naturam rerum propria potestate supergredi. Hoc est illud excellentius, quod sibi vindicat super creaturam Creator, ubi etiam superabundans et singularis gratia non audeat aspirare.

Sed si diligenter attendamus Ascensionem Filii, et Matris Assumptionem, invenieimus profecto aliiquid quod nos invenisse gaudebimus. Ascendentis quippe Domino egressa est obviam omnis illa beatorum spirituum gloria societas, quando naturæ superiori prætulit inferiorem, et inconvertibili sacramento susceptum hominem in ipsa divinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem angelis, electorum animas, quas secum educebat, adjunxit, et sic utrorumque triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet ad dexteram majestatis. Attolle jam oculos ad Assumptionem Virginis, et, salva Filii majestate, invenies occursum hujus pompæ non mediocriter dignorem. Soli quippe angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri vero cœlorum palatia penetranti Filius ipse, cum tota curia tam angelorum quam justorum solemnititer occurrens, evexit ad beatæ

consistorium sessionis, et ait : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant. iv.*). » Tota pulchra, quia tota deificata; macula non est in te, quia Spiritus sanctus supervenit in te, qui te mundavit. Sed et Virgo gratiosis cumulata muneribus, tanta benignitate Davidico sermone respondet, summæ dignationis claritatem admirans : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal. lxxii.*). » Nota verborum positionem differenti graduum distinctione signatam. Tenuisti, inquit, manum dextram meam, quia et si lava tua sub capite meo, dextera tua jam amplectatur me. Et in voluntate tua deduxisti me, non in mea sublimitate, quia totum opus gratiae est, non naturæ. Et cum gloria suscepisti me; gloria utique gloria, quam non novit, nisi qui dedit, et cui donare dignatus est.

Attende autem diligentiam et consequentiam Scripturaram. Spiritus enim sanctus, in cuius fabrica, tam Veteris quam Novi Testamenti fuit compositi fabricata, Ascensionem Filii, et Matris Assumptionem simili stylo perambulans, ter interrogat : « Quis est iste ? » (*Psal. xxii.*) Et tertio repetit : « Quæ est ista ? » (*Cant. iii.*) Primum de Filio, postea de Matre videamus. In spiritu fortitudinis Salvator ad inferos descendens, contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit, et gehennalis olkæ dissipatis fragminibus, totum illud infelix habitaculum ruinosa concussione succussit, conclamantibus angelis : « Attollite portas principes vestras (*Psal. xxii.*); » illi, qui superbiæ lapsu irremediabili corruerunt, ignoratione dedignativa retorquent : « Quis est iste rex glorie ? » (*Ibid.*) Hic est ille insipiens, qui dixit in corde suo : « Non est Deus (*Psal. xiii.*). » Et : « Nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod. v.*). » Angeli pacis confidenter ingeminent : « Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio (*Psal. xxii.*); » fortis ad vestram fortitudinem insinuandam; potens ad vestram potentiam vacuandam; in prælio illo utique salutari, quo potestates acreas singulariter debellavit. Resurgens ab inferis, et solemnis victoriae vexilla reportans, hominem unitum sibi, quem nunquam dimisit, resuscitavit, et triumphatri palma cœlis invectus, Patri ovem centesimam, quam perdiderat (*Luc. xv.*), repræsentans, audit ab angelis : « Quis est iste rex glorie ? » sed et eisdem conclamantibus : « Dominus virtutum, ipse est rex glorie (*Psal. xxii.*); » cœlorum insonuere palatio, et tota super cœlestis domus profusionibus gaudiis inundavit. Vere Dominus virtutem in Resurrectione virtutem faciens, quam ante non fecerat, redimens servum, et pro servo filium efficiens. Clarissima autem Ascensionis die, quando, videntibus discipulis, est elevatus in cœlum (*Marc. xvii.*), summum illud, reverenduunque collegium venit obviā Redempiori, et omnis illa tam assistentium quam ministrantium angelorum auctoritas cucurrit ad Filium, et ascendentem demirans ait : « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? » (*Isa. lxiii.*) Videntes enim eum sanguinei ruboris unda perfusum, mirantur ejus patientiam, et saevi-

tiam Judæorum, qui non sunt veriti Filium Dei crucis ignominia condemnare. « Gradiens, inquiunt, in multitudine fortitudinis suæ (*Ibid.*) : » non solum in fortitudine, sed etiam in multitudine fortitudinis; quia nulla fortitudo fortior fuit, quam redimere servum, et in divinitatis dextera perpetuo collocare.

Hæ sunt illæ voces quæ descendenter ad inferos, ab inferis resurgentem, ascendentem ad cœlos, multiformi præconio prosequuntur. Sed jam vertendus est stylus ad sanctam sanctarum, et illorum verborum enodanda proprietas, quæ Virgini matri sunt specialiter dedicata. Sed uti superliminarem titulum in fronte futuri ædificii proponamus, dicamus breviter quia prima interrogatio convenit ejus Nativitatì, secunda ejus conversationi, tertia Assumptioni. « Quæ est ista, » inquit Spiritus sanctus de ejus Nativitate, « quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? » (*Cant. vi.*) Hæc est « quæ nescivit torum in delicto (*Sap. iii.*). » Virgo Dei Filio singulariter consecrata, specialiter sancto conjugata Spiritui. « Quæ progreditur, » inquit, « sicut aurora consurgens. » Quam elegans et clara similitudo, et ex illius disciplina descendens, qui summum sapientiæ fontem in Canticis affluenter inclusit !

In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus ad imaginem et similitudinem Conditoris. Quid enim clarius, quam creatum Creanti non esse dissimilem ? « Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen. 1.*). » Imaginem dedit ei in æternitate, similitudinem in moribus; ut sit similis Creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille, tanti privilegi dignitate rejecta, apostatæ spiritus falsa promissione definitus inhæsit, et se cum posteritate sua perpetuae morti destinavit, et tenebris. Ab illa hora tenebrae factæ sunt super universam terram usque ad Virginem; nec inventus est aliquis qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, donec in densissimam congregata nigredinem, humanum genus nocte terribili sepclivit. Hæc est illa nox solitaria, nec laude digna, de qua scriptum est : « Posuisti tenebras, et facta est nox (*Psal. cxi.*). » In ipsa pertransierant omnes bestiæ silvæ, quia crudeles et indomiti spiritus dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obriverunt. Sed nata Virgine surrexit aurora; quia Maria veri prævia luminis, nativitate sua mane clarissimum serenavit. Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Hæc est aurora, quam sequitur, imo de qua nascitur Sol justitiae, solius claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit qui vidit omnne sublime; et orat beatus Job ut ei multa suppressione claudatur, dicens : « Non videat ortum surgentis auroræ (*Job iii.*). » Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus; tua est nox, in qua Adam a die est ejectus; tu fabricatus es auroram, id est

Virginem matrem : et solem, Solem videlicet justitiae, qui de virginali thalamo consurrexit. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur, sic et Virgo noctem expulit scmpiternam, et de die diem, de terra suæ virginitatis exortum, terris infudit.

Prograditur, inquit, quasi procul egreditur, quia procul, et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov. xxxi*). Aurora, quia noctis finis, et lucis initium; consurgens, quia de cadente supersurgens materia. Pulchra ut luna. Quid luna pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quam stellarum et serena vibratio, quam luminosus fulgor circulare in orbem tanti sideris superfundat, ut aliorum lumen claritatem non mediocriter offuscat? Sic et Virgo inter animas sanctorum et angelorum choros supereminens et erecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ relluceant, luna tameu et magnitudine præeminet et splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiae et fulgore virtutum. Electa ut sol. Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellētiam Virginis compararet. Multo enim altius aliquid habet claritas solis quam lunæ; quia et si illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic vero lucidius incandescens, ita sibi siderum et lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint.

Similiter et virga Jesse, veri prævia luminis, in illa inaccessible luce perlucens, sic utrorumque spirituum hebet dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere. An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantæ dignitatis? Considera et quæ in cœlis, et quæ in terris in Virgine refabricata, Deum, qui cœlum palma metitur, virginea ventris brevitate conclusum, redemptionem hominum, angelorum restorationem, denique quidquid est, suit, et erit per Virginis uterum renovatum, et tunc tibi cogitatio suggestet quod locutio demonstrare non potest. Electa, inquit, sed et præelecta. Ut sol, quia sicut sol solus orbem illuminat; sic hæc sola solidiori lumine et angelos et homines illustrat. Terribilis ut castrorum acies ordinata, terribilis dæmonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum. Sequitur de ejus conversatione: «Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Ista est speciosa inter filias Jerusalem (*Cant. iii*).» Desertum est vastitas hujus mundi, in quo bestiæ agri frequentius ludunt, ubi princeps ille nequissimus omni fortitudine principatur. Desertum autem dicitur, quasi derelictum a virtutum administratione, cum earum conventus, abundante iniquitate, ad proprios ortus revolaverit. «Quæ ascendit,» inquit, in hujus sæculi vanitates omnes vel descendere vel cadere cognoscuntur, rarusque qui non vel descendat vel cadat in hujus turbulentissime profunditatis oceanum. Sola illa mōter et filia Creatoris nec descendit nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? sicut virgula, inquit, fumi. Sed et hæc operatio quam significanti similitudine sit signata, recollige. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, et quanto magis in aera extenditur, tanto amplius dilatatur. Sic et angelorum regina recta est in sublimitate conversationis, quia virga directionis, virga regni Domini (*Psal. xliv*). Subtilis in deitatis contemplatione, quia ipsa est quæ conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc. ii*). Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odorem unguentorum suorum (*Cant. i*). Angusta in temporibus, quia non erat ei locus in diversorio (*Luc. ii*). In spiritualibus dilatata, quia astigit regina a dextris Domini (*Psal. xlvi*). Hæc est virga illa qua retunduntur impetus adversantium dæmoniorum: virga Aaron, per quam sicut signa et mirabilia. Baculum autem crucis intellige, quo non solum verberatus est, sed et occisus ille, insanabilis [*f. insatiabilis*] homicida, qui mortibus hominum pascitur et nutritur. In Virgine virga et baculo cruce, miserorum spes et consolatio continetur. Sicut sublimis Propheta clara voce declarat: «Virga, inquit, tua, et baculus tuus ipse me consolata sunt (*Psal. xxii*).»

Sequitur: Ex aromatibus myrræ et thuris. Nominantur species, de quibus aromaticæ virgula sublevatur, myrræ et thuris. Myrrha corpora dissoluta consolidat, et cadaver exanime sibi vindicat, ne putrescat. Thus autem Deo in oratione accenditur, sicut multiplicibus Scripturarum testimoniis edocemur. In myrra continentiam, in thure devotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem lucis æternæ conversa est. Porro quis ejus devotionem votivis laudibus poterit adæquare, cum rememoret missum archangelum, supervenientem Spiritum, Filium conceptum, Deum natum, stellam novam, magorum gloriam, munera gratiam, et super hæc omnia testimonium conscientiæ sua? Hæc sunt duo quæ virginalem substantiam tota circumdedere virtute, continentia scilicet et devotio, quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, ut caro mundissima, mens purissima genitricem Domini singularius consecrarent.

Sed ne putares his duabus solis virtutibus insignitam dominam orbis et reginam cœlorum, subsequitur Scripturarum auctoritas: Et universi pulveris pigmentarii. Hic expressum est quidquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddit, sed non tantum, quantum confractæ. Crebris enim tensionibus supertritæ, remotiorem etiam locum odorifera conspersione refundunt. Sic et virtutes in pace quidem fortiter redolent, sed fortius in tribulatione, quia virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur, approbatur in victoria. Universus ergo pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in

ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, et si cæteris per partes Spiritus affluit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit. Nec integræ fuerunt in ea species, sed in subtilissimum comminutæ, quia ipsa est quæ, fortioribus tribulationum malleis supergressa, vedit suum et Dei Filium affigi cruci, militari lancea vulnerari, et inter duos latrones positum expirare (*Joan. xix.*).

Sequitur de ejus Assumptione : Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Hæc est regina illa, quam videntes filii Sion, « Beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam (*Cant. vi.*). » Ascendit autem hodie de deserto, id est de mundo, ad regalis throni celsitudinem sublimata. Deliciis, inquit, affluens. Vere affluens, quia « multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc supergressa est universas (*Prov. xxix.*). » Deliciarum autem ejus non est numerus, quia, dum Spiritum sanctum suscepit, concipit Dei Filium, Regem gloriæ generat, penetrat cœlos, cumulata divitiis, et deliciis affluens ad regnum evolat sempiternum suum. Innixa super dilectum suum. Rex virtutum dilecti Pater est, in quo sibi bene complacuit (*Matth. iii, xvii.*). Super hunc innititur Mater illa felicior, et in aureo reclinatorio divinæ majestatis incumbens, intra sponsi, imo Filii sui, brachia requiescit. O quanta dignitas, quam specialis potentia, inniti super illeum quem angelicæ potestates reverentur aspicere!

Hæc sunt ergo quæ præsenti festivitatì sub umbris et imaginibus dignanter allidunt, et sacraiore tegmine velata gratiosius luecent, cum potuerint revelari. Amen.

#### V.— I. In Nativitate beatissimæ Virginis Mariæ. (8 Sept.)

De gaudiis properamus ad gaudia, et ferventem stylam gloria materia facit ferventiorem. De Virgine venimus ad Virginem, et de Maria ad Mariam recurrimus. Bonum est nos hic esse, melius immortari, optimum permanere. Felices angelici spiritus, qui beatæ Virginis habent præsentiam! Nos interim memoriam abundantiaræ suavitatis tuæ eructamus. Illi præsentiam, nos memoriam. Sic si dulcis est memoria, quid est præsentia? Et illi quidem, abundantiori rore divinitatis infusi, Genitum et Genitricem visione mirabili contuentur, regis et reginæ gloria cumulati. Nos vero, quos carcerariæ mortali-tatis æternæ contorquet, memoria pascimur, Scripturis relevamur: et quod illi vident, nos legimus. Utinam veniat, qui nos in lucem reponat, dies ubi non legere liceat, sed videre. Iterum consolemur nos suavitate memoriae, donec dulcedine præsentiae satiemur. Hodie nata est illa, per quam omnes renascimur, cuius speciem concupivit Omnipotens, et in qua Deus posuit thronum suum (*Psal. xliv.*). Ipsa est thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum Historia legitur in hæc verba: « Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis. Per sex gradus ascendebat ad eum. Rotundus erat in posterioribus. Duodecim leunculi stabant super gradus, respicientes ad thronum.

Porro duæ manus tenebant hinc et inde sedile. Duo leones stabant juxta brachiola. Non est factum simile opus in universis regnis (*III Reg. x.*). »

Sed jam verba proposita producamus in lacem, et aquam eliciamus de petra, ipsa loquente in nobis, de qua loqui vobis proponimus. « Fecit, » inquit Scriptura, « Salomon rex thronum de ebore grandem. » Tribus nominibus in Scripturis Salomonem vocatum legimus, et ubique regio nomine titulatum, videlicet Salomonem, Ecclesiasten, Ididam. Filius regis, imo et rex, nec solum Filius Dei, sed etiam Deus, Salomon, id est *pacificus*, est nobis in hoc exsilio: Ecclesiastes, id est *concionator*, erit in judicio; Idida, id est *gloriosus*, erit in regno; in exsilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis; in exsilio pius, in judicio justus, in regno gloriosus. Vide autem si non ubique rex. In exsilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno præmiorum distributor; simulque considera quia non Ecclesiastes, non Idida, sed Salomon tam gloriosum opus facere prænotatur. Averte oculos tuos ab illius terreni regis deliciis, qui, licet fuerit sapientia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, non tamen tale opus facere potuerit quale factum non sit universis regnis. Nunquid sacrae scriptor historiæ omnia opera mundi et gloriam eorum intuitu diligenti prosplexerat, ut hoc statim tota deliberatione, non uni, sed omnibus anteficeret? Inania sunt hæc, si non recurramus ad intimos cœlestis disciplinæ recessus, si non deviemus a via litteratoriæ qualitatis. Salomon noster, non solum sapiens, sed et sapientia Patris; non solum pacificus, sed et pax nostra, qui fecit utraque unum, fecit thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa majestas, quæ nutu contutit orbem.

Hanc sessionem Filii et probavit et cognovit Pater, ipso dicente: « Tu cognovisti sessionem meam (*Psal. cxxxviii.*); » et: « Thronus tuus Deus in sæculum sæculi (*Psal. xliv.*); » et: « Thronus iste sicut sol in conspectu tuo (*Psal. lxxxviii.*). » « Sedes, » inquit Scriptura, « super thronum, qui judicas æquitatem (*Psal. ix.*). » Quid enim justius quam vilem et transfigam servum, et conservi sui sedulum deceptorem, perpetuis ignibus assignare, et illum, quem sefellerat, suo resignare principio? Ait ille alter filius Virginis: « Et vox de throne exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus (*Apoc. v.*). » Ex hoc throno laus angelorum prorumpit, et hominum, quia dum hic restituitur, et ille resarcitur, utriusque gratiarum debent devotionem. Nostri quidnam dicat qui sedet in throno? « Ecce, inquit, nova facio omnia (*Apoc. xi.*). » Felix thronus, in quo sedet dominator Dominus; in quo, et per quem non solum omnes, sed omnia renovantur! Parco verbis, quia quosdam vestrum sentio prævolare, et currentis styli prævenire pauperiem. Merito ergo tale opus non eloquenti, non glorioso, sed pacifico scribitur assignatum; quia venit Jesus instaurare et quæ in cœlis et quæ

in terris ; pacemque et concordiam inter homines et angelos, mediante Virgine, reformatum.

« De ebore, » inquit. Quid est quod auri, et argenti, et lapidum pretiosorum, et omnis denique pretiosioris materiae præmittitur gloria ? Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis, et fabricatur in ea quod omnibus operibus præferatur. Eborum enim et mirabili candore relucet, et multa præeminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia super cœlestem curiam allicit ad videndum ? Quid fortius illa fortitudine per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortioris ? Quid frigidius illa substantia quam obumbravit virtus Altissimi, et ab æstu peccati defendit supervenientis Spiritus plenitudo ? Ex hoc ebore, nisi fallor, fiunt illæ domus eburneæ, de quibus dicit Psalmista : « Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a dominibus eburneis (*Psal. XLIV.*). »

Sequitur : « Grandem. » Quid grandius Virgine Maria, que magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris concludit arcanum ? Attende Seraphim, et in illius superioris naturæ supervola dignitatem, et videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.

« Et vestivit eum auro fulvo nimis. » Aurum omnibus metallis pretiosius, intellige divinitatem Dei, omni præminentem mundo, omnia gubernantem. Hæc vestita est, imo supervestita Mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indivisibilis natura largiori gratia superfudit. Quid est autem quod dicit : fulvo nimis ? Illic aliiquid requirendum reliquit nobis Spiritus ille multiplex, et utinam possim explicare quod sentio. Quatuor modis inest Deus omnibus creaturis. Primo modo essentialiter tam bonis quam malis, nihilque intercludit deitatis essentiam, per quam esse omnia acceperunt. Inde est quod nusquam et in omni loco esse legitur, cum omnibus præstantialiter assistat, et a nullo comprehendatur. Habent etiam et mali Dei præsentiam, sed non gaudent, cum inanimata quælibet hec possint privilegio gloriari. Secundo modo inest bonis operatione, agit enim in eis virtus operativa, ut operentur opera Dei; nec otiose creati sunt inter creaturas, sicut et mali, qui elegerunt arescere, ut semper in ignibus alimenta ministrent. Inest et plerisque bonis illuminatione, quos de futurorum cognitione nobilitat et participes suorum efficit secretorum. Quarto modo inest uni creaturæ, videlicet Mariæ Virginis, identitate, quia idem est quod illa.

Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantæ dignitatis et dignationis immensitatem. « Dominus tecum (*Luc. 1.*), » inquit archangelus. Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cum illis ejusdem non est essentia. Habitat Deus in Virginem, habitat cum illa, cum qua unius naturæ habet identitatem. Hoc est ergo aurum fulvum nimis, quo thronus est vestitus, quia tali modo Deus Virginem induit et in Virginem induitus est, ut meliori non posset.

Sequitur : « Per sex gradus ascendebat ad eum. » Elige meditari quæ sancta sunt, quia perversæ cogitationes separant a Deo (*Sap. 1.*); » et primum gradum ascendisti. Insuesce linguam tuam bene loqui, et subsilisti ad secundum. Juste quod justum est operare, et tertium ascendere meruisti. Doce iniquos vias Domini et consolare omnes lugentes, et ad quarti sublimitatem raptatus es. Relinque mundum et eæ quæ in mundo sunt, et ad quinti cacumen evolasti. Teneat te perseverantia in motu, perseverantiam non relinquere, et sextum gradum viriliter attigisti. Ex hoc subsilire licet in cœlum, ad illam gloriam aspirare, in qua Regina glorirosior angelicam reverberat dignitatem.

Sequitur : « Rotundus erat in posterioribus. » Posteriora Virginis assumptionem ejus intellige, in qua finem vite mortalis accepit, quæ vitam redditum orbi. Et nota cum quanto sacramento transitum Virginis Scriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris invenire; ita et gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem exceptit, principium ignorat, nescit finem; de qua nil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te (*Psal. LXXXVI.*), gloria Dei.

Sequitur : « Duodecim leunculi stabant super gradus. » Duodecim leunculi, duodecim apostoli sunt, qui præfixis gradibus validius insistentes, Reginam cœli non sine maximo stupore demirantur, et dicunt : « Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? » (*Cant. vi.*) Porro duæ manus, quæ tenebant hinc et inde sedile, activam et contemplativam vitam significant, quæ matrem Virginem propensiōri diligentia ambierunt, adeo ut nec actio contemplationem minueret, et contemplatio non desereret actionem. Recordare, quia non erat ei locus in diversorio (*Luc. 11.*), quomodo filium suum propriis uberibus lactaverit, et omnes denique vagientis parvuli sustinuerit actiones, et tunc intelliges quia plurimum ministrait. Considera quia ipsa est que, in contemplativæ dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsis Dei substantiam lucidiores infixit obtutus. « Læva, inquit, ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant. II.*). »

« Duo leones stabant juxta brachiola. » Duo leones sunt Gabriel archangelus et Joannes evangelista, quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ custos deputatus est. Gabriel enim mentem, Joannes carnem pervigili sollicitudine servaverunt. Qui bene leones dicuntur, propter rugitum altisonæ vocis; duo enim verba nuntiaverunt orbi terræ qualia nec dicta sunt nec dicentur, et in quorum comparatione omnia muta debeant apparere. « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum (*Luc. 1.*), » ait archangelus. Audisne in hoc verbo incarnationem Dei, redemptionem hominum, renovationem mundi ? « In principio erat Verbum (*Joan. 1.*), » dixit evangelista. Animadvertis hic Verbi divinitatem, Ecclesiæ fidem, hereticorum silentium, locum quietis, secretum so-

litudinis, luminis arcanum, habitaculum pacis? Ob hanc fortassis causam vocavit Jacobum et Joannem Boanerges, id est, filios tonitrui (*Marc. i.*).

« Non est factum simile opus in universis regnis. » Nihil verius, nihil sublimius, nihil dulcius miseræ mortalitatì et mortali miserìæ. Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter: « Reverte, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te (*Cant. vi.*). » Tu benedicta, et super benedicta, revertere, primo per naturam. Nunquid quia ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui; non enim convenit tanta misericordia tantam miseriam oblivisci, quia, etsi subtrahit gloria, revocat natura: non enim ita memoraris justitiae Dei solius, ut misericordiam non habeas; neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam; et justum est ut de rore tantæ pietatis diffusius infundamur.

« Reverte, » secundo per potentiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in celo et in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare (114)? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto facis et miseriae sublevasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans, domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moneat, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle cum possit.

« Reverte, » tertio per amorem. Scio, domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te et per te Filius tuus et Dens tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refri- geras iram Iudicis, cum justitiae virtus a praesentia deitatis egreditur?

« Reverte, » quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, et sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit ut casset manus tua, cum occasionem quæras salvandi miseros et misericordiam effundendi! neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur. Reverte ergo, Sunamitis, id est, despecta, cuius animam pertransivit gladius (*Luc. ii.*), quæ fabri uxor appellata fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Sunna gloria est post Deum te videre, adhærere tibi, et in tua protectionis munimine demorari. Audi nos. Nam et Filius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Nativitas beatissimæ et intemeratæ Genitricis Dei, fratres charissimi, merito præcipuum et singulare præbet hominibus gaudium, quæ totius existit humanæ salutis exordium. Sicut enim omnipotens Deus, ineffabili providentiæ suæ intuitu, antequam homo fieret, hominem peritum diabolica machinatione prævidit, sed etiam redemptionis humanæ consilium ante saecula in immensæ pietatis suæ visceribus habuit. Et non solum qualiter redimeret, modum et ordinem in profundissima sapientiæ suæ ratione constituit, verum etiam quando redimeret, certum temporis articulum præsinivit. Sicut ergo impossibile erat ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nasceretur; ita etiam necessarium fuerat ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius aedificari domum, in quam descendens cœlestis Rex habere dignaretur hospitium. Illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov. ix.*). » Septem namque virginis hæc domus suffulta columnis existit, quia venerabilis Mater Domini septem sancti Spiritus donis, id est, sapientiæ, et intellectus; consilii, et fortitudinis; scientiæ, et pietatis, atque timoris Dei (*Isa. xi.*) dotata fuit. Quam utique aeterna Sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii.*), talem construxit quæ digna fieret illum suscipere, et de intemeratæ carnis suæ visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctæ Ecclesiæ susciperet Sponsum, cui David, exultans in spiritu, epithalamium canit, dicens: « Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo (*Psal. xvii.*). »

Merito ergo hocce profusis gaudiis totus ubique terrarum orbis exsultat, merito universa sancta Ecclesia, nascente Sponsi sui Genitrici, ut ita præ gaudio dixerim, fescennini carminis laudes alternat. Exsultemus igitur in hac die, charissimi, in qua dum beatissimæ veneramur Virginis ortum, cunctarum etiam Novi Testamenti festivitatum celebramus initium. Exsultemus, inquam, in hac die præcipua, et totis visceribus in Domino delectemur: in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum festivitatum celebramus originem. Quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam esse debet inferior dignitate. Nam si Salomon cum israelitico populo, in dedicatione templi ex lapidibus facti, tam copiosum et magnificum sacrificium soleimenter celebravit (*III Reg. viii.*); quale quantumque gaudium beatæ Mariæ nativitas populo Christiano debet afferre, in cuius uterum, velut revera sacratissimum templum, Deus ipse descendens, et humanam naturam ex ea suscipere, et eum hominibus dignatus est visibiliter habitare? Iacet enim et in illud Salomonis templum Deus descend-

disse credendus sit, in hoc tamen rationabili sanctuario, hoc est, in beatissimæ Virginis utero, multo mirabilius multoque felicius dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan. i.*). De illo quippe, antiquo videlicet templo, scriptum est : « Factum est, cum exissent sacerdotes de sanctuario, implevit nebula dominum Domini, et non poterant sacerdotes stare prope propter nebulam. Impleverat enim gloria Dominum domum Domini (*III Reg. x.*). »

Quæ omnia, sicut egregius prædictor dicit, in figura contingebant illis (*I Cor. x.*). Gloria quippe Domini intelligitur Christus, cuius fide repletus est inundus. De qua gloria cum pro eo adorato vitulo deprecaretur Dominum Moyses, ut parceret populo peccatori, respondit Dominus : « Propitius ero illi (*Num. xiv.*). » Verumtamen vivo ego, et vivit nonen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra (*Ib.*). » Et Psalmista : « Implebitur, inquit, gloria ejus omnis terra (*Psal. LXXI.*). » Quod autem nebula implevit domum Dei, et non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam; ea sententia superbos Judeorum pontifices ac doctores insinuat, qui, dum incarnationis Christi sacramenta investigare despiciunt, debitum fidei sue ministerium per erroris nebulam perdunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo replevit, ut, propriis exigentibus meritis, non agnoscat cultum credulitatis. Ad illud ergo templum Dominus in nebula descendit, ut cæcam Judaicæ infidelitatis caliginem designaret, in hoc, sicut scriptum, in sole posuit tabernaculum suum (*Psal. xviii.*) ut sedentes in tenebris et umbra mortis illuminaret. Illi denique templo Deus omnipotens gloriam quidem sui adventus contulit, sed nihil ex eo in sua natura suscepit; in beatissimæ autem Virginis uterum non solum dignatus est descendere, sed ex eo etiam perfectam sibi substantiam nostræ mortalitatis unire. Quanto igitur nostri templi major est dignitas, tanto gloriosior ejus debet esse solemnitas.

Sed quo pacto ejus festivitatem digne celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudium parere meruit angelorum? Qualiter cam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum? Quæ lingua in ejus laude invenitur idonea, quæ illum genuit cui omnia benedicunt, et cum tremore obedient elementa? Nam dum eujuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum ejus insignia ad Redemptoris nostri gloriam prædicamus; etiamsi ad cogitandum tardior sensus impedit, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat; verborum tamen copiam ipsius rei materia subministrat. Cum vero beatissimæ Genitricis Dei laudes scribere volamus, quia nova et inaudita sunt quæ tractanda suscipimus, nulla invenimus verba quibus ad hæc digne exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis. Quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cum cogitare cœperit quia Creator oritur ex creatura, factor sit ex factura? Quod in

virginea pueræ vulva concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur? Jacet intra materna viscera parvulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium jura gubernat imensus? O beata ubera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, angelorum cibum et hominum pascunt! Exiguum exprimunt liquorem, et mundi reficiunt Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeſicientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris ubique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis exspectat. Manat liquor ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris.

Hic, dilectissimi fratres mei, hic rogo, perpendite quam debitores simus huic beatissimæ Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redēptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovi, quod in fasciis cinctum, quod materna cura nutritivit: illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramentum nostræ redēptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fidelerit decet.

Nullus ego humanus sermo in laude ejus tamen invenitur idoneus, de qua mediator Dei et hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguae præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de semetipsa perhibet, dicens: « Ego sum panis vivus, qui de celo descendit: si quis ex hoc pane manducaverit, vivet in æternum (*Joan. vi.*). » Per cibum namque a paradisi suinus amoenitate dejecti, per cibum quoque ad paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quem nos æterni jejunii fame multavit; cibum Maria edidit, qui nobis celestis convivii aditum patfecit. Hic etiam, obsero, dilectissimi fratres, hic lineam nostræ redēptionis diligenter attendite, et quam circa nos divinæ pietatis viscera fuerint intenta, cordis aure pensate. Fecit Deus hominem, ut ita dixerim, mortaliter immortalem, videlicet ut si custodire vellet præceptum obedientiæ, in æternum viveret; si vero contemneret, mortis mox imperio subjaceret. Quid plura? Peccavit homo, diabolo suadente (*Gen. iii.*), et tota humani generis arbor venenata est in radice. Cecidit infelix pater per gulam, et niuersa ejus progenies rea facta est per naturam, dicente Apostolo: « Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes. ii.*). »

Factus est itaque Adam fermentum, et universam corruptit multitudinem filiorum; quia dum ille pestiferо serpentis veneno vitiatur, tota in illo humani generis massa corruptitur. Unde irradiante jam novæ gratiæ splendore, per egregium nobis prædictorem dicitur: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio (*I Cor. v.*). » Sed pius et misericors Deus noluit omnimodo perire creaturam suam, quam formaverat ad imaginem et similitudinem

suam. Ex omni itaque multitudine nationum unum sibi elegit, israeliticum videlicet populum, cui et legem dedit, et sacrificia sibi diversorum animalium offerre praecepit. Sed lex illa, ut homo per eam perfecte salvaretur, nequaquam erat idonea. Sicut enim per Paulum dicitur : « Nihil ad perfectum adducit lex (*Hebr. vii.*) ». Quia enim rufis adhuc ille populus, superbus, et rigidus erat, ad portandum perfectae legis jugum, cervicem cordis humiliare non poterat. De quo nimurum populo ad Moysen Dominus dicit : « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit (*Exod. xxxii.*) ». Danda ergo illi fuerat hujusmodi lex, quæ nec omnino a divinis obsequiis liberum ire permetteret, nec tamen præcipiendo summa et gravia deterret. Sacrificia autem, quæ tunc offerebantur, ad emundationem carnis aliquatenus prodesse poterant, ad conferendum vero animabus salutem sufficerent non valabant, dicente Apostolo : « Si enim sanguis taurorum, aut vitulorum, aut cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis ; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum se obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ad serviendum Deo viventi ? » (*Hebr. ix.*) Cum enim ad emundationem carnis sacrificia illa prodesse denuntiat, purgationem animalibus conferre nequaquam potuisse designat. Neque enim irrationalis creatura ad sanctificandam rationalem esse poterat valida. Sed nec ipsi sacerdotes sanctificare populum poterant, quia et ipsi pro suis realibus offerre hostias indigebant. Neque, delictis obnoxii, delictorum valebant vincula solvere, vel peccatores peccatorem justificare.

Necesse ergo erat ut talis sacerdos inveniretur, qui, dum in aliis peccatorum sordes ablueret, ipse in se abluendum aliquid non sentiret; et dum alieni reatus contagia tergeret, in semetipso aliquam lepræ maculam non haberet. Sed hujusmodi homo in humano genere inveniri non poterat, quia unusquisque cum Propheta hunc versiculum veraciter decantabat : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal. l.*) »; et, sicut per Apostolum dicitur : « Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom. iii.*) ».

Obsecro, dilectissimi fratres mei, hanc vestræ, innostræ salutis historiam diligenter attendite, et humanæ restorationis ordinem etiam in vestris cordibus ordinate. Corda vigilent, oculi non dormient. Cum igitur hujusmodi homo in humano genere inveniri non posset, ne in peccato suo periret homo, Creator hominum de beatissima Virgine carnem sumens, sine peccato factus est homo, sine peccato conceptus in Virginis utero, sine peccato est conservatus in mundo. Eia, fratres, intendite, intendite, inquam, et ineffabile redemptio nostræ mystérium vigilanter audite. Ecce iam sacerdos, fratres, nulla ipse habens peccata, et idcirco dignus et potens ut, sacrificium offerens, aliena mundaret peccata. Ille videlicet, cui per Prophetam dicitur : « Tu es

sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Psal. cix.*) ». Sed sicut per Paulum dicitur : « Necesse est sacerdotem aliquid habere quod offerat (*Hebr. viii.*) ». Verumtamen, sicut superius dictum est, impossibile erat ut brutorum carnes animalium sanctificarent animas hominum, et irrationalis hostia ratione utentium sufficeret abolere peccata. Unde ex persona Filii ad Patrem per Psalmistam dicitur : « Sacrificium et oblationem noluisti, holocausta etiam pro delicto non postulasti; tunc dixi : Ecce venio (*Psal. xxxix.*) ». Oportebat ergo ut rationalis hostia fieret, quæ creaturam rationabilem expiaret. Sed peccator aliquis homo, sicut indignus erat ut sacrificium offerret, sic etiam nihilominus ut ipse sacrificium fieret. Quid igitur sacerdos noster faceret? Quo se verteret? Quod redemptionis nostræ consilium inveniret? Unde mediator Dei et hominum placationis hostiam sumeret, qua pacem inter Deum, et hominem reformaret? Omnis quippe terrena creatura, si rationalis erat, peccati virus de primi parentis radice contraxerat; si irrationalis, rationalem justificare non poterat.

Quid ergo faceret mediator pacis, et ipse pax? Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceris solvens, inimicitias in carne sua : legem mandatorum decretis evanescens, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem; ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso : et veniens evangelizavit pacem his qui longe, et pacem his qui prope. (*Ephes. ii.*) Quid, inquam, faceret? Considerate, fratres mei, diligenter considerate ineffabilis viscera pietatis, perpendite immensum et inæstimabile pondus divinæ charitatis. Quia enim in rebus inveniri non poterat pretium nostræ redemptio, Redemptor noster semetipsum obtulit Patri pro nobis hostiam in odorem suavitatis. Sic ipse factus est sacerdos et sacrificium, ipse redemptor et pretium. Unde recte per Paulum dicitur : « Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus; qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdoles, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo : hoc enim fecit semel, se offerendo (*Hebr. vii.*) ». Dominus noster Jesus Christus.

Audistis itaque nunc, dilectissimi, breviter reparatiostris nostræ mirabile sacramentum, audite etiam salutis nostræ opportuuum valde consilium. Tradidit semetipsum pro nobis Christus ad mortem, mortificans et nos pro ejus amore omnem in nobis terrena concupiscentiae voluptatem. Quod enim subire crucis patibulum voluit, viam nobis, qua redire valeamus ad patriam, stravit; ut qui voluptibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus; et qui per illicita defluendo cecidimus, etiam a licitis noctemtipsos restringendo surgamus; et quos dejecerat elatio superbie, erigat dejectio humiliis vita. Unde et pastor Ecclesiæ clamat, dicens :

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr. ii.*); et Paulus: « Imitatores, inquit, Dei estote, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes. v.*). »

Degustemus ergo nunc, dilectissimi, cum Christo temporalem momentaneam mortis amaritudinem, ut ad æternam postmodum resurrectionis ejus mereamur pervenire dulcedinem. Quod enim fecit pro nobis, hoc etiam quererit a nobis, testante Prophetam, qui ait: « Quid, inquit, retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal. cxxv.*). » Pro nostra etenim redēptione non aurum dedit, non argentum appendit, non pecuniam numeravit; sed semetipsum tradidit, pretiosum sui corporis sanguinem fudit, propriam pro nobis animam posuit. Unde et Petrus ait: « Non corruptibilis auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati, et incontaminati Christi (*I Petr. i.*). »

Expedit ergo, ut Redemptori suo semetipsum offerat, quicunque ad ejus consoritum pervenire festinat. Illius vestigia imitetur in via, qui cum eo gaudere anhelat in patria. Illum sibi ducem faciat in itinere, qui ei particeps esse desiderat in perventione. « Si enim compatimur, et conregnabimus; si communorimur, et conviveamus (*Rom. viii.*). » Et iterum idem dicit Apostolus: « Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom. vi.*). » Nemo se, fratres mei, inaniter seducat, nemo se vanæ spei securitate decipiat. Non enim possumus hic gaudere de sæculo, et illuc regnare cum Christo. Ecce intemerata et gloria virgo Maria, cuius hodie splendidissima nativitate universa per orbem sancta illustratur Ecclesia, in lege præfigurata, in patriarcharum et prophetarum oraculis prænuntiata, ab angelo singulari honorificientiæ privilegio salutata, thronus Dei, solium divinitatis, palatum regis æterni, gazo-phylacium thesauri, quo sumus de cruenti prædounis servitio comparati, nobis proponitur in exemplum. Haec tam singularis, tam incomparabilis Virgo, si non sequeretur humiliatem Christi, nunquam pertingeret ad celsitudinem Christi: si injuncta mandata coniemneret, ad promissa præmia nullatenus perveniret. Nam dum, prædicante eo, quædam mulier extolleret vocem de turba, dicens: « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ susisti. » Respondit: « Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud (*Luc. xi.*). » Alibi etiam, cum quidam sibi in templo propinquos secundum carnem adesse nuntiaret, dicens: « Ecce mater tua et fratres tui foris stant, querentes te. » Respondit: « Quæ est mater mea et qui sunt fratres mei? » Et extendens manus in discipulos suos dixit: « Ecce mater mea et fratres mei. Quicum-

que enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est (*Math. xii.*). »

Notate, fratres, notate dignitatē vestram, si adimplentes voluntatem Dei frangitis voluntatem vestram. Ecce, beata et venerabilis virgo Maria secundum carnem quidem mater Christi fuit, frater non fuit, soror non fuit. Et quicunque aliquid horum alicui secundum carnalis jura propinquitatis exstiterit, aliud sibi esse omnino non valebit, ut nimisrum si mater fuerit, frater, vel soror esse non possit; si vero frater, vel soror exstiterit, mater non sit. Nos autem hæc simul omnia Christo per Spiritum sumus, si voluntatem Christi, que illi semper cum Patre communis est, adimplere satagimus. Sed quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (*Joan. iii.*), quia Deus Spiritus est. Ex illa ergo parte, qua Redemptor noster Deus est, propinqui sibi tam multiplicitate sumus, quantum illi beata Virgo, ex qua nasci dignatus est, secundum carnem esse non potuit. Proprium et singulare fuit illi beatissimæ Virginis Christum in vulva concipere; commune vero, et universale est omnibus electis in cordis eum devotione portare. Felix illa, et nimis beatam feminam, quæ illum novem mensibus gestavit in ventre; felices etiam nos, si illum assidue portare studeamus in mente. Mirabilis quidem fuit Christum concepi in vulva carnis; sed non est inferius si deferatur in ergastulo pectoris. Unde et per Joannem testatur, dicens: « Ego sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc. iii.*). »

Notandum vero quia prius se cœnaturum narrat, deinde cœnam daturum grata vice pronuntiat. Quia de cuius nunc bonis operibus pascitur, cum eo simul postmodum in æterni convivii dapiibus epulatur. Hinc etiam, dilectissimi, considerandum est quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis sit proportio cum Maria. Concepit Maria Christum in vulva carnis, deferimus et nos in visceribus mentis. Reficiebat Maria Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum; reficimus et nos variis honorum deliciis operum.

Libet autem nunc, dilectissimi, pro ædificatione nostra in regula divinæ justitiae parumper radios mentis infigere, et qualiter omnipotens Deus electos suos deprimi temporaliter sinat, quos extollere in æternum decreverit, indagare. Ut enim nunc de cœteris sileam, haec eadem beatissima Virgo, cuius hodiernam nativitatem debitis veneramur obsequiis, ante constitutionem mundi in consilio æternæ sapientiæ electa et præelecta, licet de regali fuerit stirpe progenita, nulla tamen humanae dignitatis altitudine floruit, nullis rerum temporalium divitiis abundavit. Præsepium quippe parturientis indicate, quia diversorum, in quo pareret, non habebat (*Luc. ii.*). Solent autem homines, nascentibus pueris, futuri successus lata promittere, et ex corum au-

spiciis prospera matribus nuntiare. Beata vero Maria, cum filium ad templum deferret et hunc Simeon in ulnis acciperet, audivit : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Ibid.*). » Ac si aperte diceret : Dum filius tuus senserit passionem crucis in corpore, te etiam transfiget gladius compassionis in mente.

Studeamus et nos, dilectissimi, saceruli hujus blandimenta desplicere, rerum terrenarum affluentiam devitare, carnis incentiva reprimere, crucem Christi assidue in mente portare; quatenus dum nunc anima nostra gladio Mariæ transfigitur, cum ipsa postmodum de æternæ felicitatis dulcedine satietur. Quod ipse præstare dignetur, qui ex Patre ante sæcula genitus ex ipsa nasci dignatus est in fine sæculorum. Amen.

VII. — *Homilia in Nativitate beatissimæ Virginis Mariæ.* (8 Sept.)

Initium sancti Evangelii secundum Matthæum : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam et fratres eius.* Et reliqua. (*Matth. I.*)

Audistis, fratres charissimi, Dominicæ incarnationis ineffabile sacramentum : audistis in genealogia beatissimæ genitricis Dei, reparationis mysterium; audistis, quia Creator angelorum dignatus est propagari de stirpe mortalium; audistis, quia proavos habere est dignatus in terris qui sons et origo omnium rerum jura gubernat in cœlis. Ait enim beatus evangelista : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth. I.*). »

Sed quærendum hic videtur cur tot patrum numerosa series intermittitur, ut horum solummodo duorum, David scilicet et Abraham Redemptor noster filius esse dicatur? Cur enim filius David, et mox filius Abraham, et non potius filius Jesse, vel filius Obeth, vel cæterorum deinceps in medio positorum?

Sed hæc quæstio facile solvitur, si facta divinitus utrisque promissio recensetur. Abrahæ quippe divina voce dictum est : « In semine tuo benedicuntur omnes tribus terræ (*Gen. xxii*). » Quod exponens Apostolus, ait : « Non dixit in seminibus, quasi in multis; sed in semine tuo uno, quod est Christus (*Gal. iii*). » Quia enim Abraham adhuc in præputio positus credidit, pater gentium; quia vero postmodum signum circumcisionis accepit, pater esse meruit Judæorum; et quia de ejus stirpe ille prodidit, per quem benedictio redditur olim maledictæ terræ; idcirco in semine ejus benedicuntur omnes tribus terræ. David vero dictum est : « De fructu ventris tui ponam super sedem meam (*Psalm. cxxxii*). » Quia igitur his duobus specialiter est promissus, non numerito utriusque præcipue filius esse dicitur Christus.

Sed et illud inquirendum est cur David Abrahæ in Christi generatione præponitur, cum Abraham multo ante eum tempore fuisse non dubitetur?

Sed, si modum factæ ad utrumque promissionis studiose perpendimus, non sine causa David fuisse præpositum invenimus. Quod enim Abrahæ semel legitur fuisse promissum, hoc David frequenter est pollicitatione firmatum. Abrahæ enim solummodo dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes. » David vero Christi pater dici speciali quodammodo privilegio meruit, qui plures de eo promissiones accepit; sicut est illud in psalmo : « De fructu ventris tui ponam super sedem meam. » Et iterum : « Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit (*Psalm. lxxxviii*). » Et in libro Regum, Nathan propheta in Spiritu sancto ad David loquitur, dicens : « Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur de lumbis tuis, et ipse erit mihi in filium, et ego ero ei in patrem (*II Reg. vii*). » Jure ergo David Abrahæ in Christi generatione præfertur, cui multiplicior ac per hoc omnino immobilis promissio prærogatur.

Illiud vero quosdam movere non irrationabiliter potest, cur sanctus evangelista reprehensibilem modum mulieres in Christi genealogia interponere studuit; sanctas vero et absque ulla contradictione laudabiles silentio præterivit?

Sed hoc idcirco factum est ut, dum Redemptor noster de peccatoribus natus esse describitur, pro peccatoribus de cœlo ad terram descendisse creditur. Descendit quippe ut peccata nostra ipse portaret; ascendit vero, ut divinitatis suæ nos participes faceret, sicut per Apostolum dicitur : « Qui mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom. iv*). » Hinc est enim quod Matthæus descendendo per Salomonem, cuius matrem concupiscendo David peccavit, quadraginta generationes enumerat, cum Lucas ascendendo per Nathan, per cuius nominis prophetam peccatum David Dominus expiavit, septuaginta et septem generationes describat. Per Matthæum quippe signatur quia idcirco Dei Filius ad nos peccatores descendit, ut mortalitatis nostræ participes fieret; per Lucam vero innuitur quia idcirco post resurrectionem ad Patrem ascendit, ut nos divinitatis suæ consortes efficeret. Sicut per egregium prædicatorem dicitur : « Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Ephes. iv*). » Per numerum namque, quem Matthæus ordinat, susceptio nostræ mortalitatis; per illum vero, quem Lucas posuit, humanæ ex-primitio abolitio pravitatis. Quadragenarius enim a quaternario, et denario nascitur; ipse quoque denarius a quaternario derivatur. Unus namque, et duo, et tres, et quatuor, auctis semper monadibus, in denarium crescent.

Per quadragenarium ergo numerum hoc præsens sæculum designatur, quia et annus iste, quem tem-

poraliter ducimus, per quatuor tempora volvitur, et mundus, in quo vivimus, quatuor hinc inde partibus terminatur. Hoc denique Moyses prævidit, hoc Elias intellexit: uterque enim quadraginta diebus continuis jejunavit. (*Exod. xxxiv; III Reg. xix.*) Redemptor etiam noster hoc idem jejenum diebus totidem consecravit (*Matth. iv.*). Hinc est quod filii Israel, qui per desertum laborem tanti itineris pertulerunt, post quadraginta annos terram repromotionis intrarunt (*Deut. 1; Jos. xi.*). Nos denique fratres, nos filii Israel sumus, qui prius laborem hujus æternitatis vitæ perferimus, et sic denum terram repromotionis, id est, stabilitatem regni cœlestis intramus. Hinc est etiam quod Jonas, qui ex divina jussione ad Niniven mittitur, immunitere sibi post quadraginta dies excidium comminatur. « Adhuc, inquit, quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*Jon. iii.*). » Quid, quia tunc non legitur historialiter factum, expectatur adhuc spiritualiter admplendum. Per Niniven quippe mundus iste designatur, per quadraginta ergo dies, omnis status vitæ presentis innuitur. Post quadraginta ergo dies Ninive subvertetur, quia post hujus mortalis vite decursum, completo videlicet electorum numero, mundus iste destruetur. Per septuagenarium vero numerum, quem Lucas posuit, remissio peccatorum exprimitur. Sieut ipse Dominus in Evangelio testatur. Cum enim Petrus interrogaret, dicens: « Domine, quoties peccaverit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? » Respondit: « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (*Matth. xviii.*). » Congruè autem per septuagenarium numerum peccatorum remissio designatur, qui ab undenario et septenario nascitur. Undecim namque si septies multiplicentur, septuaginta et septem numerum faciunt. Denarius autem numerus perfectus esse dignoscitur, per quem et Decalogus designatur. Sed si denarius est perfectus, restat necessario ut undenarius sit imperfectus.

Quid est autem peccatum, nisi transgressio legis? Si ergo per denarium lex intelligitur, recte per undenarium legis transgressio figuratur. Septenario vero numero tota sæculi hujus universitas continetur, quia septem diebus omnis decursus vitæ presentis evolvitur. Per undenariū ergo septies multiplicatum cuncta nostra peccata ad septuagesimum septimum deducuntur numerum, in quo vere omnium fit remissio peccatorum. Unde eleganter a Christi baptismo hæc secundum Lucam series inclinatur, et in Dei Patris persona finitur (*Luc. ii.*). In baptismo enim Christi omnium nobis peccatorum remissio provenit per Spiritum sanctum, qui super baptizatum Dominum in specie columbae descendit (*Matth. iii.*). Sic, sic per Christum redempti, et per Spiritus sancti gratiam abluti, reconciliamur Deo Patri. Quos utriusque evangelistæ sensus B. Paulus una sententia comprehendit, dicens: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne (*Rom. ix.*). »

Cum enim dicit: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, » peccatorum nostrorum susceptionem manifeste declarat; quam ostendit Matthæus, cum descendendo quadraginta generationes enuinerat. Cum vero sequitur: « Et de peccato damnavit peccatum in carne, » expiationem omnium nostrorum criminum indicat; quam Lucas exprimit, cum ascendendo septuaginta septem generationes describit.

Plurima quidem dilectionis vestræ, fratres charissimi, de lectione evangelica, que multis mysteriorum sacramentis est gravida, possemus exponere; sed eam idcirco succincte transcurrimus, ne ea, quæ a majoribus nostris de ea latius dicta sunt, superfluo repeterem videamur. Illud autem unum in ea non tam libet exponere quam mirari, quia persona Redemptoris nostri sic in fine hujus propaginis ponitur, ac si hamus in extremitate linea subnectatur: sic ordinate additur genealogie, sicut hamus productæ inseritur linea. Cum enim dicitur: « Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, » et cæteri progenitores bis numerantur, quasi lilium lilio inseritur, ut una ex pluribus in longum linea producatur. Cum vero subjungitur: « Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus (*Matth. 1*); » non jam directum, sed quasi ex oblique hamus apponitur, qui antiqui illius Leviathan fauibus infigatur. Hinc est quod ad beatum Job Dominus loquitur dicens: « Nunquid capies Leviathan hamo? » (*Job xl.*) Per Leviathan quippe, qui additamentum eorum dicitur, cetus ille devorator humani generis designatur, qui dum se divinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit (*Gen. iii.*); qui prævaricationis quoque culpam, quam primo hominui propinavit, dum se sequentibus pesima persuasione multiplicat, poenas eis sine cessatione coacervat. In hamo autem esca ostenditur, aculeus occultatur.

Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius unigeniti Filium incarnatum misit, in quo et caro passibilis videri posset, et divinitas impassibilis videri non posset. Cunque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis illam aculeus perforavit. Prius vero eum in miraculo Deum cognoverat, sed de cognitione ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidiit. Quasi hamus ergo fauces deglumentis tenuit, dum in illo esca carnis apparuit, quam devorator appeteret, et divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus est, quia, dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem duceret; ibi divinitas, quæ perforaret; ibi aperta infirmitas, quæ provocaret; ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interierit unde momordit, et quos jure tenebat mortales perdidit, quia eos, in quos jus non habuit mortis, appetere in morte præsumpsit.

Hinc, fratres, hinc, rogo, perpendite quibus laudibus digna sit beata et gloria virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, quinos de tam profundo gutture avidissimi draconis eripuit. Ad ejus namque digne efferenda præconia non rhetorariorum diserta facundia, non dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cum et ipsam generis humani naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille patriarcharum chorus, non providus prophetarum numerus, non judex apostolorum senatus, non martyrum vitor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimæ Virginis poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virginis deesse potuit, quæ totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo, dum salutaretur, audivit: « Ave, gratia plena, Dominus tecum (*Luc. i.*). » Quod, rogo, vitium, in ejus mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium? « In Christo » enim, sicut per Paulum dicitur; « habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col. iii.*). » Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ et ipsa super excedit celsitudinem angelorum.

Per hanc enim beatissimam Virginem, non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicæ sublimitatis augetur, quia, dum domo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur. Hoc nempe angelorum multitudo illa signaverat quæ pastoribus audiens in Redemptoris nostri nativitate clamabat: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc. ii.*). » Cum enim prius dicitur gloria esse Deo in excelsis, deinde additur et in terra pax, patenter ostenditur quia ineffabilis intemerata Virginis partus non solum terris, sed et ipsis nihilominus generabat gaudium cœlis. Hoc etiam illa beatorum puerorum indoles asserebat, qui, veniente ad passionem Domino, concordi voce cantabant: « Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini (*Matth. xxi.*). »

O mirabiliter secunda virginitas, quæ novo et inaudito miraculo et mater dici possit et virgo! Qui toto mundo non capit, pueræ iunupæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris quæ pudorem non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia quæ nulla noverat viri contagia. Erat spes in partu, cum non fuisse voluntas in coitu. Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante secula parturivit. Qui sibi et munus fecunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus. Qui antequam nascetur, talem creavit eam, ut ipse digne nasci potuisset ex ea, de qua propheta David multo ante prædixerat: « Mater

Sion dicet: Homo, et homo factus est ex ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psalm. lxxxvi.*). » Creatus est ex ea quam creavit, portatus est manibus quas formavit, suxit ubera quæ replevit, pueræ confovebatur in gremio quem vastissima cœli non recipit latitudo, puerilibus fascis eingebatur qui immensitatem orbis terræ pugillo complectitur, matris parbat arbitrio qui omnium rerum jura suo gubernabat imperio, vagiebat in cunabulis qui angelorum gaudium erat in cœlis, vilibus tegebatur crepundiis qui electos suos stola induit immortalitatis, imperabat illi puella cui cuneta obtuperant et obediunt elementa. Sic namque in Evangelio scriptum est: « Quia venit cum parentibus Nazareth, et erat subditus illis (*Luc. ii.*). »

Merito itaque beata Maria dicitur parens parentis, oriens orientis, fons fontis vivi, origo principii, quia ille ex ea prodit per materiam carnis qui caput est et initium omnium rerum per essentiam deitatis. Hæc est denique porta illa, de qua Ezechiel testatur, dicens: « Convertit me, inquit, ad viam portæ sanctuariorum exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et hæc erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides, clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, et semper erit clausa (*Ezech. xliv.*). » Vere semper clausa, quia semper incorrupta. Incorrupta ante partum, incorrupta post partum, concipiens virum, nesciens virum, sicut per Jeremiam dicitur: « Faciet Dominus novum super terram, et ecce mulier circumdabit virum (*Jer. xxxi.*). »

Gaudieamus itaque, dilectissimi, et exsultemus in nativitate beatissime Dei genitricis Mariæ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, et totius existit humanæ salutis exordium. Exsultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in nativitate Christi, ita etiam nihilominus gaudeamus in nativitate matris Christi. Hodie nata est regina mundi, fenestra cœli, janua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit; et homo, qui prostratus jacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundo, per quam Sol justitiae illuxit mundo. Illa videlicet, de qua per prophetam dicitur: « Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel (*Num. xxiv.*). » Hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit speciosus forma præ filiis hominum tanquam sponsus de thalamo suo (*Psalm. xliv.*). Hodie prodit ex utero matris, quæ templum fieri meruit divinitatis. Hodie impleta est prophetia illa, quam eximius prophetarum Isaias quasi præco factus ad adventum reginæ mundi, magna voce clamabat, dicens: « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa. xi.*). » Et bene hæc incomparabilis Virgo virga dicitur, quæ et per intentionem desiderii ad superna emicuit, et per sinceritatem boni operis distortæ nodositatis vitium non incurrit. De qua virga Redemptor noster quasi flos ascendit, qui martyribus et confessoribus

suis totius orbis campos velut rosis et liliis decoravit. Singularis namque flos sanctæ Ecclesie ipse est, sicut de semetipso in Canticis canticorum loquitur, dicens : « Ego flos campi, et lily convallium (*Cant. ii.*). » Hoc lily non in montibus, sed in convallibus nascitur, quia superbis Deus resistens, in humilium cordibus invenitur. Lily vocatur Christus, lily dicunt et mater Christi, sicut in eodem Cantico subinseritur : « Sicut lily inter spinas, sic amica mea inter filias (*Ibid.*). » Sicut lily inter spinas, sic beatissima virgo Maria eniuit inter filias ; quæ de spinosa propagine Judæorum nata, candescerat munditia virginæ castitatis in corpore, flammescerat autem ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.

Nomnuli autem, dum plus sapere quam oporteat sapere gestiunt, quis pater, vel quæ mater beatæ Mariæ fuerit, studio superflue curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis iunctiliter querit quod evangelista narrare superfluum duxit. Si enim huic notitiae utilitatem inesse cognosceret, nequaquam nobilis historicus rem necessariam silentio præteriret. Scendum vero est hunc esse morem scriptoribus sacri eloquii ut, sicut student semper silere quod obest, sic etiam referre despiciunt quod scire non prodest. Aliquando autem in sacra Scriptura certi causa mysterii aliquid prætermittitur, ut ipso quasi clamante silentio magnum aliquid sentiatur. Sicut est quod Melchisedech in veteris narratione historiæ, sine patre, sine matre, sine genealogia per Moysen introducitur (*Gen. xiv; Hebr. vii.*), ut videlicet Christus, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech (*Psal. cix.*), per eum significetur, de quo propheta dicit : « Generationem enim ejus quis enarrabit ? » (*Isa. lxxii.*) In generatione autem Christi illæ ordinari persone merito debuerunt, per quas ad Joseph descendisse fieret, non ad Mariam, quæ de una cum ipso tribu fuerat, declinaret. Consuetudo quippe fuerat veterum ut in genealogia virorum vix aliquando nomina ponerent feminarum. Si vero mulierum genus volassent describere, per mulieres illud curabant aliquando propagare. Attestatur nostræ assertioni Lucas evangelista, qui Zachariam patrem Joannis per virile genus ostendere, Elisabeth vero per sexum curavit muliebrem designare. Fuit, inquit, in diebus Herodis regis Judeæ, sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor illi de filiabus Aaron (*Luc. i.*). Ut nimis congrue vir a viris, femina propagari videretur a feminis.

Matthæus igitur, qui viri proposuerat genus describere, illius scilicet, de quo per prophetam dicitur : « Ecce vir Oriens nomen ejus (*Zach. vi.*), erudite per Joseph descendere voluit ; Mariæ vero parentes ponere superfluum judicavit.

Qui ergo parentum Mariæ notitiam habere desiderat, de semine eam Abrahæ, de tribu Juda, de regia stirpe David, descendisse cognoscat. No-

verit quoque eam cum sacerdotali Aaron genere cognationis habuisse propinquitatem. Unde ei per angelum dicitur : « Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua (*Luc. i.*). » Et jure Redemptor noster de sacerdotali, simul et regia generatione carnem suscipere voluit, qui Rex ante sæcula existens, utpote verus sacerdos, semetipsum Patri pro nobis suavitatis hostiam immolavit. Nam et rex David cum panes propositionis, quos non iicebat nisi solis edere sacerdotibus manducavit (*II Reg. xxii.*), in una eademque persona Jesu Christi Domini nostri utrumque futurum, id est, regnum et sacerdotium, figuravit. Nec solum Mediator Dei et hominum, homo Christus, Rex et Sacerdos congrue dicitur, sed et quicunque illi perfecto amore conjugitur, utriusque dignitatis vocabulum promeretur. Unde et per Petrum dicitur : « Vos estis genns electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus aquisitionis (*I Petr. ii.*). » Et in Apocalypsi Joannis : « Dignus es, Domine Deus, accipere librum et aperire signacula ejus ; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum, sacerdotes, et regnabimus super terram (*Apoc. v.*). » Reges enim per Christi gratiam sumus, quia crucis vexillum in fronte portamus. Sacerdotes autem jure dicinur, quia sancti Spiritus oleo, et chrismatis unctione linimur.

Inter cuncta autem hujus venerandæ solemnitatis insignia, fratres charissimi, illud etiam non sine profundi causa mysterii contigisse creditur ; ut Mater Domini sub ipso pene vindemiarum tempore nascetur. Nunc quippe vinearum palmites preventu onus fructuum ad ima defluunt ; nunc uvarum botri gradata maturitate turgescunt ; nunc agricultorum spes, quæ toto anni circulo suspensa fuerat, uberes transacti laboris se carpere fructus exsultat ; nunc arbores saporifera fructuum suavitate redolent, ut poma, quæ acerbitate sua hominum gustus exasperaverant, grata maturitate demulcent. Sed per hæc, quæ exterius cernimus, reflectere oculos ad interiora debemus. Vinea quippe synagoga erat, quæ legis et prophetarum dicta, quasi plantaria ad proferendos fructus accepérat. Unde et per prophetam dicitur : « Vinea autem Sabaoth, domus Israel est (*Isa. v.*). » Et Psalmista : « Vineam, inquit, ex Ægypto transtulisti (*Psal. lxxix.*). » Sicut autem vinearum fructus toto anno exspectatur, in solo vero autumno colligitur ; sic nimis Redemptor noster, quem lex præsignaverat, quem prophetæ prædixerant, quem sancti omnes ab Adam usque ad transactam quintam atatem summo desiderio exspectaverant, in solo Marie tempore venit ; et tunc quasi vinum ex spiritualibus uvis expressit, quia latentes\* sustempchia litteræ mysticos intellectus aperuit. Unde et per Apostolum dicitur : « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege (*Gal. iv.*) »

O quanti hæc vindemiam aridis mentium fauci-  
bus sitiebant, quanti ad mustum evangelice gratiæ  
pertingere inenarrabili desiderio flagitabant. Unde  
et discipulis Veritas dicit : « Amen deo vobis quod  
multi prophetæ, et reges voluerunt videre,  
quæ vos videtis, et non viderunt, et audire, quæ  
auditis, et non audierunt (*Luc. xix.*). » De hæc vinea  
sponsus in Canticis canticorum loquitur, dicens :  
« Descendi ad hortum nucum, ut viderem poma  
convallium, et inspicarem si florisset vinea, et ger-  
minasset mala punica (*Cant. vi.*). » Malum quippe  
punicum amara quidem cortice legitur, sed dulcis  
in ejus granulis suavitas occultatur. Sunt autem  
nonnulli, qui, dum per afflictionis amaritudinem, er-  
ucent Christi assidue patiuntur in corpore, per amoris  
desiderium dulcedine contemplationis intimæ refi-  
ciuntur in mente. Mala ergo punica sponsi vinea  
germinat, quia tales parere sancta Ecclesia nun-  
quam cessat. De hæc eadem vinea in eisdem Can-  
ticis sponsa ad sponsum loquitur, dicens : « Mane  
surgamus ad vineam, videamus si floruit vinea, si  
flores fructus parturiunt; si floruerunt mala punica  
(*Cant. vii.*). » Hujus vineæ ille vindemiator exstitit,  
qui in torculari passionis suæ pressus, mysticos  
nobis divini eloquii sensus aperuit, et vinum nobis  
evangelicæ gratiæ propinavit. De quo videlicet vino  
in eisdem Canticis sponsæ voce ad sponsum iterum  
dicitur : « Guttur tuum sicut vinum optimum, di-  
gnum dilecto meo ad potandum (*Ibid.*). »

Hunc vindemiatorem eruentum per erucent passionis sanguine longe ante Isaías prospexerat, cum propheticō plenus spiritu, sub interrogatione clama-  
bat : « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis ve-  
stibus de Bosra? » Et paulo post : « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum  
sicut calcantium in torculari? » (*Isa. lxiii.*) Indumen-  
tum quippe Christi nihil est aliud, nisi corpus quod sumpsit ex domina et virgine Maria. Nec tamen aliud est vestimentum ejus, atque illud ipse. Nam  
nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur. De hoc vestimento per Joannem dicitur : « Habebat in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium (*Apoc. xix.*). » Per femur  
quippe propagatio carnis sit. Qui ergo per propagati-  
onem generis humani in mundum hunc venit ex Vir-  
gine, et per incarnationis suæ mysterium, quia Rex  
esset, et Dominus, cunctis gentibus indieavit, in  
vestimento et in femore scriptum habuit : Rex regum  
et Dominus dominantium. Unde enim mundo inno-  
tuit, ibi scientiam suæ majestatis inscripsit. Hoc  
autem indumentum rubrum prophetæ apparuit, quia Redemptor noster proprium pro redemptione nostra  
sanguinem fudit. Cui ipse respondit : « Toreulai  
caleavi solus, et de gentibus non est vir tecum (*Isa. lxiii.*). » Solus enim torcular, in quo calcatus  
est, caleavit; quia sua potentia eam, quam sustinuit,  
passionem vicit. Nam qui usque ad mortem erucis  
patibulum pertulit, de morte ipsa cum gloria resur-

rexit. Bene autem dicitur, « et de gentibus non est  
vir tecum; » quia ii, pro quibus pati venerat, pas-  
sionis ejus esse participes debebant. Qui pro eo,  
quod needum crediderant, de ipsis in resurrectione  
conqueritur, quorum vita in ejus morte quærebatur.  
Ipse etiam vitis dicitur, sicut per semetipsum in  
Evangelio testatur : « Ego, inquit, sum vitis vera,  
et Pater meus agricola est (*Joan. xv.*). »

Hæc denique sacratissima vitis totum per orbem  
sarmenta tetendit, quia ubique dilatata fru-  
ctificans, quasi tot palmites misit, quot intra sanctam Ecclesiam sanctos per gratiam sue vocationis  
elegit. Unde item quoque inculcando subjungit :  
« Ego sum, inquit, vitis, vos antem palmites; qui  
manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum  
(*Ibid.*). » Hunc eudem mediatorem Dei et homi-  
num, hominem Christum Jesum, botrus ille signave-  
rat, quem de terra reprobmissionis exploratores  
in phalanga ad filios Israel deferebant (*Num. xiii.*).  
Duobus autem portitoribus hinc inde suppositis, al-  
tero videlicet præredente, altero subsequentे, bo-  
trus sin medio serebatur, quia Redemptor noster,  
dum a patribus Veteris Testamenti venturus esse  
prædictus, a Novi vero predicatoribus jam venisse  
nuntiatur, quasi botrus in phalanga defertur, ut ad  
capessendam supernæ reprobmissionis terram mens  
fidelium accendatur. Phalanga quippe delata humeri  
portitorum, divina lex est imposta cerviebus  
hominum. Cujus partes botrus ille medius conti-  
nuavit, quia Salvator noster, qui fecit utraque unum,  
cum evangelica doctrina legis et prophetarum manu-  
data conjuxit. Sed qui præcedebat, quod humeri  
portabat, oculis non videbat; qui autem sequebatur,  
onus suum semper intuebatur. Per illum ergo, qui  
præcedebat, populus Iudeorum; per illum vero, qui  
sequebatur, non incongrue designatur multitudo  
gentium. Ille enim per saecula Scripturæ paginas  
quasi in humeri Christum portavit; sed quia præ-  
sentem in carne, impediens infidelitatem sue cali-  
gine, non cognovit, dorsum ei quodammodo in  
faciem misit. Iste vero, qui sequitur, aspicit; quia  
gentilis populus Redemptorem suum, in quem fide-  
liter credit, manifeste cognoscit.

Potest etiam per reprobmissionis terram non in-  
congrue ipsum beatissimæ Dei Genitricis corpus  
intelligi, ex quo Redemptor noster velut singularis  
botrus voluit humanitus germinari. Juxta illud, quod  
scriptum est : « Veritas de terra orta est (*Psal. LXXXIV.*). » Et bene caro beatissimæ Virginis terra  
reprobmissionis est dieta, quæ longe ante paritura  
Salvatorem mundi a prophetis multifariam est pro-  
missa. Quæ vere lac et mel manavit; dum Denni,  
et hominem intemerata virginitate profudit. Unde  
et per Isaiam dicitur : « Ecce virgo in utero concipi-  
et, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel;  
butyrum et mel comedet, ut sciat repro-  
bare malum et eligere bonum (*Isa. vii.*). » Merito  
ergo beata virgo Maria sub ipso vindemiarnum tem-  
pore nascitur, ut jam novæ gratiæ mustum sie ex

variis sacrae Scripturæ sententiis, velut ex diversis uarum solliculis exprimatur. Merito autumnali tempore nascitur, ut jam, velut in autumno totius saeculi fructus spiritualium arborum comedatur. In plenitudine temporis venit, quæ gratia plena fuit : « Ave, » inquit angelus, « gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc. i.*). »

O dulce, o admirabile nuntium, o novum et inauditum angelicæ salutationis obsequium! Plenam appetat gratia, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia. « Dominus, inquit, tecum; » quia ille in te est, qui talem fecit te, ut et ipse fieret ex te. « Benedicta tu in mulieribus. » Per mulierem infusa est maledictio terræ, per mulierem redditur benedictio terræ. Per cuius manum potus mortis amaræ porrigitur, per eam quoque dulcis vitæ poculum exhibetur. Largissimum benedictionis novæ fluentum totum detersit, maledictionis antiquæ contagium. Sed quid ad hæc Maria? Nunquid delato sibi cœlitus nuntio, in immoderata se letitia risum solvit? Nunquid in superbiæ fastum cervicem mentis erexit? Nunquid non, antequam responderet, ipsum angelicæ salutationis pondus librata mentis lance pensavit? Ait enim evangelista : « Quæ cuni audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio (*Luc. i.*). » Ubi sunt illæ, quæ dicunt, ego sum virgo, ego sum virgo? Verbosæ, contentiosæ, suspectuosæ, superfluosæ, veste compositæ, moribus dissipatae? Ego sum virgo; nescio enim virum, ignoro conjugium. O virgo, quam felix es, si quod habes in carne, servares in mente, custodiens in actione! Quid enim prodest, solius carnis integritatem servare, et malignorum spirituum stupris mentis interiora corrumpere? Quid juvat virginem esse, et exigentibus actionum meritis nequaquam ad virginalem præmium pervenire? Virgo carne non animo, virginitatis præmio non potitur. Aliud quippe est tentationum fortiter illecebribus contraire, aliud eisdem blande irrepentibus, et si non corpore, mente tamen eneranter cedere.

Non ergo cuiquam sufficit ad capessenda præmia solus pudor virgineus, nisi et alii fuerit ditatus virtutibus. Joanni quippe in Apocalysi per angelum dicitur : « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coquinati. Virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque erit (*Apoc. xiv.*). » Agnus enim noster, ille videlicet, qui tollit peccata mundi, charitatem habuit, quia pro salute hominum proprium sanguinem fudit. Gratia humilitatis enieuit, quia humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Patientiam servavit, quia cum maledicerebatur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Mundanæ dignitatis altitudinem sprevit, quia, sicut per Joannem dicitur, cum vellent illum regem constituere, montis latibulū petiit (*Joan. vi.*). Inimicos dilexit, pro quibus et in cruce positus exoravit, dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc. xxiii.*). » Ille itaque Agnus quo-

cunque erit sequitur, qui non sola virginitate ejus vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas, in quantum prævalet, imitatur. Ille Agnum sequitur in perventionis requie, qui illum imitari studuit in itineris adversitate.

Sed plerumque conversatione conjugatorum vita confunditur virginum, cum et illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Unde et per prophetam dicitur : « Erubescere, Sidon, ait mare (*Isa. xxv.*). » Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sacerularium, atque in hoc mundo fluctuantium, ejus qui munitus, et quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominum post carnis peccata redeuntes, tanto se ardenter in bonis operibus exhibent, quanto damnabiores se de malis vident. Et sæpe quidam in carnis integritate perdurantes, dum minus se respiciunt habere, quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, atque ad fervorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit plerumque Deo gratiore ardens vita post culpam, quam securitate torpens virginis innocentia. Unde et voce Judicis dicitur : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum (*Luc. vii.*). » Et iterum : « Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (*Luc. xv.*). »

Illa ergo virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur. Quæ non solum illibatam se servat in carne, sed etiam pudicam custodit in ore. Unde et beata virgo Maria, auditio angelicæ legationis mysterio, solitum modesti silentii rigorem tenuit; et si ipsa enim intra se discutere non posset qualis esset illa salutatio, verbis tamen inquirere superfluum deputavit. Sed mox tacendo audire meruit, quod interrogando inquirere non præsumpsit. Ait enim angelus ei : « Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc. i.*). » Quod propheta multo ante futurum prædictit, hoc præsens adesse eisdem verbis angelus nuntiavit. Dicit enim, ut præmissum est, Isaías : « Ecce virgo in utero concipiet; et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa. vii.*). » Illic Jesus, qui *Saluator* dicitur; hic Emmanuel, qui *nobiscum Deus* interpretatur.

Qua letitia, quo tripudio, fratres mei, Maria mens repleta esse potuerat, quando hæc prophætica et evangelica verba inter se invicem conferebatur : « Maria enim, inquit evangelista, conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc. ii.*). » In quanta se excellentia super omne humanum genus sublimari conspexerat, quæ se Creatoris sui matrem fieri audiebat? Sed quæ tanto apud Deum fastigio crescere meruit, quanta se apud semetipsam humilitatis dejectione substravit? Ait enim :

« Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Ibid.*). » Dei mater ab angelo dicebatur, et ipsa se ancillam Domini fatebatur. Et vere mater, simul et ancilla. Ancilla siquidem per communem conditionis humanæ naturam, mater vero per ineffabilem divini muneris gratiam. Mater in eo quod genuit; ancilla in eo quod genita fuit. Needum Evangelium scriptum erat, et jam evangelica præcepta servabat. Precipit enim Dominus: « Quanto major es, humilia te in omnibus (*Math. xxiiij; Eccli. iii.*) ». Quia enim majus matre Domini? Quid humilius ancilla Domini? « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Unde bene in Canticis canticorum hæc sponsa, et mater Domini, sponsi sui voce laudatur, cum dicitur: « Quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrræ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » (*Cant. iii.*) Beata quippe Maria sicut virgula fumi ex aromatibus ascendet, quia ex vita suæ virtutibus in interni semper incensi rectitudinem proficere studuit; nec sparsa per cogitationes defluxit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constrinxit. Quæ ea, quæ egit, dum recognoscere semper ac retractare non destitit, myrrham quidem et thus habebat in opere, sed pulverem in cogitatione. Et bene virgula fumi hæc dieitur quæ per virgam quoque Aaron mystice figuratur. Illa enim amygdalinas nuces absque ullo humore terreni cespitis protulit; ista vero absque ullo virili semine Dei Filium generavit. Ipse quoque virgæ illius fructus, si studiose discutitur, aliquam cum Christo habere similitudinem invenitur. Sicut enim amygdalina nux ex nucleo constat, osse et cortice; ita Redemptor noster ex divinitate constat, et anima simul et carne.

Quia vero absque ullo virili semine de Virgine nasciturus erat, ipse multo ante per Prophetam dixerat: « Ego autem sum vermis et non homo (*Psal. xxii.*) ». Sicut enim vermis ex ligno absque alieno nascitur semine; ita et Christus absque ulla carnis concupiscentia de beata natus est Virgine. Hinc est enim, quod per prophetam alium dicitur: « Ecce Dominus ascendet super nubem levem (*Isa. xix.*) ». Sol quippe cum nube tegitur, ab humanis visibus occultatur. Sic nimis, sic Salvator noster, sumpta ex Virgine se carne vestivit, in qua divinitas latens humano intuitu videri non potuit. Quæ nubes idcirco levis dicitur, quia beatissima Virgo nullo viri semine gravida, sola sancti Spiritus gratia fecundatur. Quæ et dignitatem Genitricis obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit. Quæ sine contaminatione concepit, et sine dolore filium procreavit. Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Evæ: « In dolore paries filium (*Gen. iii.*) ». Quæ sententia in aliis matribus viguit, in Maria vero modum sui juris amisit. In mulieribus fixa persistit, in Virgine prevalere non potuit. Quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit patiendo. Ille quippe, qui ex ea ineffabiliter prodidit, claustrum

virginalis pudicitiae non corrupit. Virginem denique veniens, introivit, Virginem nihilominus exiens, dereliquit. Haec enim est hortus-conclusus, fons signatus (*Cant. iv.*), quæ et fructum fecunditatis edidit, et virginitatis meritum non imminuit.

O mirabilis, o singulariter nobilis caro beatissimæ Virginis, in qua muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur! Per coitum quidem est genita, sed per efficaciam coitus non enixa. Edita communi nascentium jure, edidit singularis gratiae novitate. In humano denique genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis insignitur; beata vero Maria, licet de generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, et per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem. Clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarius generositate prolixis. Filia siquidem regum; sed Mater Regis regum: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal. lxxxvi.*) ». Sed quidquid de te a mortali homine dicitur, celsitudinis tuae meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia super angelos elevat, ad ejus digne efferenda præconia humana fragilitas non aspirat. Rogamus te, clementissima, ipsius pietatis et misericordiæ mater, ut qui tuae laudis insignia frequentare gaudemus in terris, tuae intercessionis auxilium habere mereamur in cœlis; quatenus sicut per te Dei Filius dignatus est ad nostra descendere, ita et nos per te ad ejus valeamus consortium pervenire. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

### VIII. — *In sermone de Nativitate S. Mariæ.*

Hunc plane mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, qui per semetipsum in Evangelio testatur: « Ego sum, inquiens, vitis vera (*Joan. xv.*) », botrus ille signaverat quem de terra promissionis exploratores in phalanga ad filios Israel deserebant (*Num. xiii.*). Duobus autem portitoribus hinc inde suppositis, altero videlicet præcedente, altero subsequente, botrus in medio ferebatur, quia Redemptor noster, dum a Patribus Veteris Testamenti venturus esse prædictitur, a Novi vero præparatoribus jam venisse nuntiatur, quasi botrus in phalanga defertur, ut ad capessendam supernæ repromotionis terram mens fidelium accendatur. Phalanga quippe delata humeris portitorum, divina lex est imposta cervicibus hominum, cuius partes botrus ille medius continuavit; quia Salvator noster « qui fecit utraque unum (*Ephes. ii.*) », cum evangelica doctrina legis et prophetarum mandata coniunxit. Sed qui præcedebat, quod humeris portabat, oculis non videbat; qui autem sequebatur, onus suum semper intuebatur. Per illum ergo qui præcedebat, populus Judæorum; per illum vero qui sequebatur, non incongrue designatur multitudo gentium. Ille enim per sacrae Scripturæ paginas quasi in humeris Christum portavit, sed quia præ-

sentem in carne, impediente infidelitatis suæ caligine, non cognovit, dorsum ei quodammodo in faciem misit; iste vero qui sequitur, aspicit, quia gentilis populus Redemptorem suum, in quem fideliter credit, manifeste cognoscit. Potest etiam per reprobationis terram non incongrue ipsum beatissimæ Dei Genitricis corpus intelligi, ex quo Redemptor noster velut singularis botrys voluit Immanitus germinari, juxta illud quod scriptum est: « Veritas de terra orta est (*Psalm. LXXXIV.*). » Et bene caro beatissimæ Virginis terra reprobationis est dicta, quæ longe ante paritura Salvatorem mundi a prophetis multifariam est promissa. Quæ vere lac et mel manavit, dum Deum et hominem intemerata virginitate profundit. Unde et per Isaiam prophetam dicitur: « Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butirum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isa. VII.*). » (*Collectan. in vet. Test. in lib. Num. cap. V.*)

## IX. — In sermone de Nativitate S. Mariæ.

« Factum est, cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit dominum Domini, et non poterant sacerdotes stare prope propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini (*III Reg. VIII.*). » « Quæ omnia, » sicut egregius prædictor dicit, « in figura contingebant illis (*I Cor. X.*). » Gloria quippe Domini intelligitur Christus, cuius fide repletus est mundus; de qua gloria cum pro adorato vitulo deprecaretur Dominum Moyses ut parceret populo peccatori, respondit Dominus: « Propitius ero illi; verumtamen vivo ego, et vivit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnitempla (*Num. XXIV.*). » Quod autem nebula implevit dominum Dei, et non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam, hæc sententia superbos Iudaeorum pontifices ac doctores insinuat, qui dum incarnationis Christi sacramenta investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per erroris nebulam perdunt: ita enim eorum mentes infidelitatis caligo replevit, ut propriis exigentibus meritis non agnoscant cultum credulitatis. Ad illud ergo templum Dominus in nebula descendit, ut cæcam Judaicæ infidelitatis caliginem designaret. In hoc sic scriptum est: « In sole posuit tabernaculum suum (*Psalm. XVIII.*), ut sedentem in tenebris et umbra mortis illuminaret (*Luc. I.*). » Illi denique templo Deus omnipotens gloriam sui adventus contulit, sed nihil ex eo in sua natura suscepit. In beatissimæ antem Virginis uterum, non solum est dignatus descendere, sed ex eo etiam perfectam sibi substantialiam nostræ mortalitatis unire. Quanto igitur nostri templi major est dignitas, tanto gloriosior ejus debet esse solemnitas. Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinctum, quod materna cura nutritum, illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramentum nostræ redēptionis haurimus. Hoc

catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet. (*Ibid. in III Reg. cap. VII.*)

## X. — In homilia de Nativitate S. Mariæ Virginis.

« Quis est iste, qui venit de Edom, tinet vestibus de Bosra? » Et paulo post: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari? » (*Isa. LXIII.*) Indumentum quippe Christi nihil est aliud, nisi corpus quod sumpsit ex Domina et Virgine Maria. Nec tamen aliud est vestimentum ejus atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestiunur. De quo vestimento per Joannem dicitur: « Habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc. XIX.*). » Per femur quippe propagatio carnis sit. Qui ergo per propagationem generis humani in mundum hunc venit ex Virgine, et per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset et Dominus cunctis genitibus indicavit, in vestimento et femore scriptum habuit: « Rex regum et Dominus dominantium. » Unde enim mundo innotuit, ibi scientiam suæ majestatis inscripsit. Hoc autem indumentum rubrum prophetæ apparuit, quia Redemptor noster proprium pro redēptione nostra sanguinem fudit. Cui ipse respondit: « Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum (*Isai. LXIII.*). » Solus enim torcular, in quo calcatus est, calcavit, quia sua potentia eam, quam sustinuit, passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis patibulum pertulit, de morte ipsa cum gloria resurrexit. Bene autem dicitur: « Et de gentibus non est vir mecum; » quia ii, pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debebant; qui pro eo, quod needum crediderant, de ipsis in resurrectione conqueritur quorum vita in ejus morte quarebatur. (*Ibid. in Isaiam, cap. IX.*)

## XI. — In sermone de Nativitate sanctæ Mariæ.

Non cuiquam sufficit ad capessenda præmia solus pudor virgineus, nisi et aliis fuerit ditatus virtutibus; Joanni quippe in Apocalypsi per angelum dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coquinati, virgines enim sunt et sequuntur Agnum quoquequer ierit.* Agnus enim noster, ille videlicet qui tollit peccata mundi, charitatem habuit, quia pro salute hominum proprium sanguinem fudit; gratia humilitatis eminuit, quia humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis; patientiam servavit, quia cum malediceretur non maledicebat, cum patretur non comminabatur; mundanæ dignitatis altitudinem sprevit, quia sicut per Joannem dicitur, cum vellent illum regem constituere, montis latibulum petiit; inimicos dilexit, pro quibus et in cruce positus exoravit dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ille itaque Agnum quoquequer ierit sequitur,

qui non sola virginitate ejus vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas in quantum valet imitatur. Ille Agnum sequitur in perventionis requie qui illum imitari studuit in itineris adversitate. Illa namque virginitas perfecta est quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur, quæ non solum illibatam se servat in carne, sed etiam pudicam custodit in ore. Unde et beata Virgo Maria, auditio angelicæ legationis mysterio, solitum modesti

silentii rigorem tenuit, et si ipsa intra se discutere posset *qualis esset illa salutatio*, verbum inquire superfluum deputavit. Sed mox tacendo audire meruit quod interrogando inquirere non præsumpsit: ait enim angelus ei : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabitur nomen ejus Jesus.* (Additam. ex Nov. Test.)

## RADBODUS, NOVIOMENSIS EPISCOPUS.

### DE ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIAE VIRGINIS (1).

#### LECTIO PRIMA.

Audivimus, fratres dilectissimi, pastorem illum ovium de vili et servili ovium custodia in regni solio divinitus sublimatum, David, inquam, prophetam, imo psalmistam magnificum, ad Dei magnificam laudem intente omnia invitantem cum in extremo psalmorum dicit: « Onnis spiritus laudet Dominum. » Dixerat quidem in eodem psalmo superiorius: « Laudate Dominum in sanctis ejus. » Hortatur ergo psalmista David laudari Dominum in sanctis suis, corpus videlicet in membris, Dominum in servis, in creatura Creatorem, in militibus regem, in discipulis magistrum, in his quæ videntur, invisibilem Creatorem omnium nostrum. Ad hujus etiam laudationes omnem quoque spiritum invitat, rationabilia scilicet brutaque animalia; et bruta enim Deum collaudant, cum suo ipsorum jure naturæ secundum divinam dispositionem Domino creatori obtemperant. Laudatur siquidem Dominus in sanctis suis, cum per eos operans, corda illuminat perfidorum, virtutem largitur miraculorum, eorum beneficiis infirmi sustentantur, et prævaricatione prima a paradiso expulsi postmodum cœlestis regni hæredes revocantur.

#### LECTIO SECUNDA.

Cum ergo, sicut dictum est, in sanctis suis Domum suadeat laudari, in ea et per eam eum præcipue docet honorari per quam ipsorum omnium sanctorum redemptoris summa processit, sanctissima videlicet Maria genitrice Domini nostri Jesu Christi, quæ ad enervandam mortis violentiam, ad restituendam nobis regni cœlestis hæreditatem virgo concepit, virginitate manente peperit, virginitatis sigillum non in conceptu, non in partu, nec etiam post partum amisit. Mira et ineffabili Dei dispensatione, caro processit ex carne nulla carnali procreata commissione. Quid ergo, fratres; audiat charitas

vestra, quod refutat pravitas hæreticorum, quod contradicit infidelitas Judæorum, quod ex corde credere oportet catholicam Ecclesiam Christianorum. Sanctissima siquidem virgo Maria, sicut vos credere non diffidimus, de regali tribu orta, hodie salutata est ab angelo, hodie concepit in utero, obumbrata est hodie a Spiritu sancto; ait enim angelus ad eam: « Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. »

#### LECTIO TERTIA.

Benedictam virginem in mulieribus, id est inter mulieres, confitetur: quæ se post annuntiationem partus divini tanquam devota et humili ancillam se profiteri non veretur. « Et benedictus, inquit, fructus ventris tui. » Benedictum fructum ventris ejus prædicti: per eum enim primi parentis maledictione deleta, in omne genus credentium benedictio benedicenda descendit. Et vere benedicenda quæ dispersa congregat, fracta consolidat et perdita restaurat. (Indicibili autem admiratione visionis et salatationis angelicæ virgo turbata, humanæ fragilitatis subreptione aliquantulum tremefacta, quid intra se cogitaverit, quidve in corde suo revolverit divinum illum symmystam non sefellit, paronymplum angelicum latere non potuit.) Imo ad cogitata tanquam ad manifestata respondit. Ait enim, Times virgo? ne timeas; turbata es? ne turberis. Gratiani apud Dominum invenisti, per quem et benedictus est fructus ventris tui. « Ecce enim concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, » id est Salvatorem, Salvatorem videlicet omnium suorum. Ad hanc consolationem angelicam virgo puella paululum respirans, submisso vultu: Quomodo, inquit, fiet ut pariam, quæ pariendi nunquam experta sum materiam. Puerperii delectamenta non pertuli, muliebria nullo modo perpessa sum, virum insuper non cognovi? Quid, inquit angelus, frustra expaves? mirabilem mirabiliter concepices, quia « Spiritus san-

(1) Ce sermon se lisait autrefois, en forme de leçons, aux matines de l'Annonciation, dans plusieurs églises du diocèse de Noyon.

etus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. » Nascetur, inquit, Sanctum. Quid sanctum? Sanctum sanctorum. Quid est sanctum sanctorum? Filius, inquit, Dei. O promissio desiderata, conceptio immaculata, partus admirabilis et salutaris!

## LECTIO QUARTA.

Primum parenti nostrae dictum est : « In dolore concipies, et paries; » sanctissimae autem dictum est Virgini : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi; » sicut enim pluvia in vellus, sic in uterum virginis promissa Dei descendit virtus. Incarnatus est Filius Dei ex Spiritu sancto, filius hominis virginis factus in utero, processarius inde tanquam sponsus de thalamo suo. Quid ad haec tibi, Maria, cogitas? Quid mater inviolata tecum retractas? Age, qui credunt Dominicæ Annuntiationi congandeant sanctæ hujus puellulae devotissimæ responsioni. « Ecce, inquit, ancilla Domini. » Virgo es nec viro humiliata mater eligeris, matribus preferenda, mater Salvatoris et regis, et te ancillam profiteris. Humilitas vera humilitatem tuam respexit, ex te enim exiet sancta illa humilitas ad cuius imperium omnis ruet superbia, ruent portæ inferorum, et fideles suos introducat ad regna cœlorum, « Ecce, inquit Maria, ancilla Domini. » Cum se hujus sponte constet conditionis, non abnegat se Dominicæ jure subesse dominationi : « Ecce, inquit ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Fiat illud, optantis est et non imperantis. Fiat ut Redemptoris nostri præsentia per me ancillam suam suis subveniat fidelibus quos hactenus diabolicae sortis absorbuit interitus, diabolica trucidavit ferocitas, et ad ultimum in inferno inferiori malignorum spiritum insatiabilis degluttiv voracitas. Sic itaque verus veri Dei Filius annuntiatus ab angelo, virginis hodie conceptus est in utero, unde et festivitas haec hodierna Annuntiatio Domini est nominata.

## LECTIO QUINTA.

In hac igitur sancta celebritate, fratres charismi, redemptionis nostræ principia veneremur, devotissimas animarum nostrarum hostias Deo deo-sime offeramus, ut ad promissæ reparationis sanctæ sanctissima gaudia per eundem Christum securi pervenire valeamus. Hujus itaque festivitatibus solemnia certo in termino, octavo videlicet Kalendâ Aprilis, sicut prædictum, visitatio angelica dedicavit, Spiritus sancti obumbratio consecravit, sanctorum Patrum auctoritas in eodem sancto Spiritu celebrandam confirmavit. Sed quia plerunque diebus Dominicæ Passionis sive Resurrectionis, in quibus memoria sanctorum fieri prohibetur, eam contigit evenisse, a sanctis Patribus, in quodam Ecclesiæ Toletanæ concilio didicimus, statutum esse xv Kal. Januarii quoties sic evenerit solemniter reformatum. Quatenus et dies Dominicæ ex debito celebrentur, et sanctæ Annuntiationis devotissima solemnitas non negligatur. Ex hac igitur constitutione anno

Dominicæ Incarnat: 4081 ante Palmarum diem, quinta feria, festivitatis terminum contigit accidisse quam, ob decretum concilii, neque populus celebravit, neque sacerdotalis dignitas, prout sui est officii, celebrandam denuntiavit. Exiit ergo populus ad opus servile, hi agricultura, hi cultu vinearum, nonnulli artificio, alii fabricandi seu resarcendi officio insudantes, uterque sexus diversis laboribus studebant intendere. Verum quia haec virgo sanctissima indignanter pertulit, eadem ipsa die mirifice declaratum esse voluit. Poterat siquidem regina cœlorum violationem diei suæ, ignominiam solemnitatis suæ vehementius et in validiori masculorum sexu non imminister ulcisci; sed pia pietatis gratia, cum commota esset, iram refrenavit. Domina in ancillulam, regina in satis villem personam, quia operando deliquerat, misericorditer, ut alii castigarentur, propalavit.

## LECTIO SEXTA.

Erat quidem tunc temporis in Gallia, in suburbio scilicet Noviomagice urbis, quædam puellula, Eremburgis nomine, eodem nata in suburbio, eodem generata populo; pauper quippe orta de pauperibus, et ideo intente operabatur in laboribus suis. (Arte ac manu victum quærebat, textili opere secundum sui consuetudinem sexus illaborabat.) Dum vero eadem die, prout in nendo moris est mulieribus, filum saliva madefaceret, filum idem linguae inhæsit, utraque quasi convinclata distorsit. Labio intumescenti lingua pene obmotuit. Quid ageret? eveltere nitens incassum insudabat. Ab aliis amiculum clamans, nihil sibi proficiebat. Præ nimio jam dolore os ejus deturpaverat saliva coagulata in spumam, et labia linguae connexa vim naturaliter expundi amiserant. Flebat puerilla et vehementer augebatur. Dolebant et astantes qui ei ex animo compaticabantur. Ab hoc infelici spectaculo fortuita mater ejus aberat, sed viciniis concurrentibus evocata, ut filiam quasi jam examinem vidit, examinis et ipsa divino eam judicio talia pati denuntiabat, quia ei pater suus die præcedenti festivitatem sanctæ Mariæ propediem celebrem futuram innoverat. Conabantur vicini aliquod ei medicina ferre remedium, sed nesciebant sacratissimæ virginis quam ad indignationem provocaverat hujus eurationis reservari miraculum. Sapientiori tandem usi consilio, miserari illam ad impetrandam cœlitus indulgentiam sancto confessori præsentaverunt. Eligio, qui dum adviveret, doctrina et virtute mirabilis, hodieque frequentius Deo disponente, ut ipsi oculis nostris vidimus, virtutum declaratur miraculis. Ad ejus sepulcrum vota voentes preces Domino cum lacrimis offerentes, infecto negotio rediere. Quod tamen postmodum actum est in ea pio suo interventu credimus sanctum obtinuisse. In tanto igitur plebis conventu misericors ille solus qui revelat parvulis et abscondit sapientibus, miserorum miseratus miseriam, sua ipsis in missione, ad matris suæ matrem eos direxit ecclesiam, ut ejus liberaretur meritis in

q. am peccaverat, et ejus absolveretur precibus quan-  
temere offendere. Igitur itaque ad Sanctæ Marie  
principale monasterium, sit innumerabilis concursus  
civium, hi lacrymis profusi, tacitis illi precibus  
divinam exorant clementiam, ut a pauperecula illa  
removere dignetur tam severæ ultiōnis sententiam.  
Videres undique laborantium projici utensilia, la-  
bores manuum, et omnia penitus artificum abnegari  
opera, qui peccaverant emendationem culpæ pro-  
mittere, eos et alios solemnitatem se ulterius devo-  
tissime celebraturos ex toto corde vovere.

## LECTIO SEPTIMA.

Interea diuin et Sanctæ Mariae festinaat basilicam,  
sacerdos quidam non adeo sanæ mentis fortuitu si:  
eis obviam; inquisiti eum ei respondissent, simulatu-  
rum quasi pro quœstu aestimans: Ego, inquit,  
vestris condescendam gemitibus, et dolentis hujus  
puellulæ ad præsens fidelis ero medicus; et haec di-  
cens fili dependentia violenter arripuit, violentius  
traxit; sed cum attrahente pene jam lingua evelle-  
retur, ad gemitum puellulæ vehementer expavit, et  
in conspectu populi se peccasse confessus, ab in-  
cepto confusus abstinuit. Pervenirent interim ad  
pontificalem sedem sanctæ Noviomensis Ecclesie.  
Sistitur ante altare sacratissimæ semper Virginis  
lugens mater cum filia, sacerdotes cum populo,  
ejusdem Dei Genitricis compuncte sollicitant suffra-  
gia, ut postposita offensione, quod suum ipsius esse  
creditur, pietatis in eam convertat viscera, quo ad  
eius liberationem et gratiæ Deo per eam referantur,  
et solemnè hoc festum in sæcula sæculorum  
eo in urbe solemniter celebretur. Magna siquidem  
ntriusque sexus multitudo confluerat in ecclesiam  
obsecrantes et fideliter prestolantes super pusilla-  
nianis illius passione divinam cœlitus indulgentiam.  
In corde contrito et humiliato sacerdotes benedice-  
bant Dominum, imo concordi omnes unanimitate  
gloriosæ Virginis clementiam deprecabantur, quo  
eorum lacrymis benignitate solita compateretur, et  
præmortua jam puellulæ vincula dissolvere non  
dignaretur. (Tantis demum Virgo beatissima lacry-  
marum reflexa precibus) judicium verit in miseri-  
cordiam, apud eum qui per eam ad erexitonem mi-  
serorum in mundum venit. Oppressæ impetravit  
levamen et in conspectu astantium mirabili gratia  
vinculorum concessit resolutionem. Nam eam anxie-  
tate nimia exæstuantis gemitu tamen quo poterat ve-  
niā postulans, ejusdem sanctæ Marie virginis  
altare flebiliter deoscularetur, gratia divina exelitas  
adsumit, ad confirmandam fidem et devotionem fide-  
lium, quod sua ipsius puellulæ, quod saerdotis  
prædicti, seu parentum non potuit violentia, (in  
conspectu astantium labellulo vineulum misericor-  
diter excussit:) lingua tamen ad amplificandam  
Christi et Genitricis suæ gloriam, sub eodem ad-  
huc tortionis genere paulo postea cruciata remansit.  
Et ecce iterum populus ad lacrymas devotionis Deo  
pro perepta jam remissione reddunt gratias, cum-  
punctione devotiori Deum postulantes, ut qui be-

nigne cœpit, benignius et ipse perficiat. Benignitas  
tandem Salvatoris nostri preces suscepit humilium  
per intercessionem gloriose semper Virginis, remis-  
sionis immisit antidotum, et ad refrigerandum intu-  
mescientis linguae ardorem suavissimi roris clemen-  
ter insundit stillicidium.

## LECTIO OCTAVA.

Rejecto siquidem miseratione divina filo et reso-  
luta ex toto lingua, imo recepto ad plenum loquendi  
officio, gratiarum quam maxime actiones referuntur,  
lacrymæ in gaudia, gemitus in organa convertuntur.  
Fit lætitia magna in populo, undique laudes Domino  
personant, signis ecclesiæ concrepanibus, *Te Deum  
laudamus*, spirituales clericorum ordines devote  
jubilant, utriusque sexus viris et mulieribus Deum  
laudantibus voce qua poterant. (Quia igitur pro re-  
cepta sanitati quæ ad altare sanctissimæ Virginis  
offerret in promptu pauperecula non habuit, se ipsam  
eius amodo capitalitiam astantium consilio gratauer-  
dedit,) sieque post immensas gratiarum actiones qui  
prius pro compassionē compungebatur, postmodum  
præ gudio populis devote illacrymatus abscessit.  
Ex hinc itaque, fratres, quandoquidem de concep-  
tione Domini disseruimus, aliquantulum sua ipsius  
gratia ad ipsam de qua conceptus est virginem scri-  
bendi convertamus calamum, et in laudibus ejus  
saltē parum immoremar, de ejus intemerato  
utero mirifice tantum nos Redemptorem suscepisse  
gaudemus. Hanc enim virginem sanctam, Deo de-  
 votam, ineffabilem et omnibus preferendam fideles  
qui que ante adventum Domini votis fidelibus exspe-  
ctabant, prophetæ sanctissimi sancto in Spiritu ad-  
mirabilem ejus conceptionem prædicabant, et licet  
ventura glorificationis non nosset terminum, per  
eam tamen et sibi et futuris quibusque fidelibus  
(interminabile præstolabunt salutiferæ redemptio-  
nis suffragium.) De hujus enim glorificatione virginis  
propheta Isaías nos docet: « Egredietur, inquit,  
virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascen-  
det; » et iterum idem propheta expressius: « Ecce,  
inquit, virgo concipiet et pariet filium, » sic de Vir-  
gine propheta: « Ecce, inquit, virgo concipiet. »  
Angelus autem ad eamdem Virginem: « Ecce, inquit,  
concipies et paries filium, » etc. Audiant fideles non  
dissona prophetæ verba et evangeliste. Admirentur  
ineffabilem virginis fidem et ineffabilem concep-  
tionem Christi. Christi conceptionem dicam, an  
virginis? sed, ut verius fatear, et Christi dicam et  
virginis. Femina quidem concepit, et homo est con-  
ceptus, virgo eadem femina concepit, et conceptus  
est idem homo Christus. (Quicunque igitur hæ  
conceptione se redemptos non dæstimant,) in hæ  
solemnitate filio et matri congaudeant. Filii matrem  
venerentur in exultatione, collaudent filium matris  
in sancta devotione; ut siue laus discipuli honor  
est magistri, sic et veneratio virginis gloria sit  
Christi, et impleatur prophetæ David admonitio:  
« Laudate Dominum in sanctis suis. » Nunquid enim  
et in hoc nou condebet laudari Christum in sancta

sua Genitrix, cum post multa et innumerabilia quæ per eam operatus est miracula suæ ad honorem solemnitatis pueræ quam prætexuimus tam clementer dignatus est subvenire? Sed quia populus ille Noviomensis se ad augendam fidem credentium exanditum cognovit, quia in palam miracula mirabiliter ad honorem sanctæ Virginis perpetrata fideliter percepit, solemnitatem hodiernam usque ad diem Cœnae Dominicæ illo in loco in perpetuum novit celebrandam, sanctorum quidem Patrum conciliis non dissentientes, verum se Domino post tanti manifestationem miraculi plenus et in hoc servituros

non disfidentes. Celebremus igitur et nos, fratres, devotissime solemnitatem sanctæ hujus Annuntiationis. Credamus nobis per hanc provenisse plenissime bonum redemptionis, per eandem quoque fideles percepturos esse perpetuae gaudia resurrectionis, ad quæ nos perducat idem Filius Dei et hominis qui natus ex Deo Patre ante tempora Deus, ex Spiritu sancto in tempore a matre homo conceitus, cum eodem Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti, vivit et regnat per omnia sœculorum. Amen.

### S. BRUNO, CARTHUSIANORUM INSTITUTOR.

*S. Maria ab omni peccati contagione libera.*

Hæc generatio laudabit Dominum, quia ipse Dominus qui *alta a longe cognoscit* (*Psal. cxxxvii, 6*), non solum Iudeos qui prope esse videbantur, sed etiam gentiles prospexit, id est, de procul aspergit: de excelso scilicet sancto suo, dum per ejus incarnationem visitavit nos oriens ex alto, quod evidentius exponit, cum subiungit: *Dominus de*

*cœlo in terram aspergit*, dum de regalibus sedibus (*Sap. xviii, 15*) in uterum Virginis venit. Hæc est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitæ viam agnoscimus, et promissam veritatem accepimus. Quæ quia digna fuit, Dominus de cœlo in terram aspergit. (*In Psal. cl.*)

### S ANSELMUS, CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

#### I. — LIBER DE CONCEPTU VIRGINALI, ET ORIGINALI PECCATO. PROLOGUS.

Cum in omnibus religiosæ tuae voluntati velim, si possim, obsequi, et frater et fili charissime Bos, tunc utique maxime debitorem me judico, cum eam a me in te excitari intelligo. Certus autem sum cum in libro: *Cur Deus homo* (quem ut ederem tu maxime inter alios me impulisti, in quo te mecum disputantem assumpsi) legis alias præ illam quam ibi posui, posse videri rationem, quomodo Deus accepit hominem de massa peccatrice humani generis sine peccato: quia studiosa mens tua ad querendum quænam sit illa non parum provocatur. Quapropter injustus tibi videri timeo; si quid inde mihi videatur, dilectioni tuae absconde. Dicam igitur sic breviter de hoc quod sentio, ut nullius de eadem refidem improbum sententiam: nec meani (si veritati repugnare rationabiliter poterit ostendi, per vicaciter defendam). Nam tamen ejusdem rei rationem, quam in eodem opusculo posui, omnino raiam et sufficientem (si bene consideretur) existino: nihil enim prohibet ejusdem rei rationes plures esse, quarum unaquaque sola potest sufficiere.

#### CAPUT PRIMUM.

*Quæ sit originalis, et quæ personalis justitia vel iniquitas.*

Ad videndum igitur qualiter Deus hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice sine peccato, primum de originali peccato necesse est investigare, quia de hoc solo nascitur hæc quæstio. Nam si videtur quomodo Christus huic subjaceret non potuit, et qualiter assumptio sive conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit,

palam erit. Originale quidem ab origine denominari dubium non est. Si ergo originale peccatum non est nisi in homine, videtur dici aut ab originale humanæ naturæ, quod est ab ejus initio originale, eo quod ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur; aut ab origine, hec est, ab initio uniuscujusque personæ, quoniam in ipsa ejus trahitur origine. Sed quod ab initio humanæ naturæ descendat, non videtur; quoniam origo illius justa fuit, quando primi parentes justi facti sunt sine omni peccato. Videtur itaque dici originale ab ipsa origine uniuscujusque personæ humanæ: quamvis si quis dicat peccatum vocari originale, eo quod ab illis descendat in singulos, a quibus habent originem naturæ, non contradicam: si tamen non negetur originale peccatum cum ipsa uniuscujusque personæ trahi origine. Licet enim in uno quoque homine simul sint et natura quæ est homo sicut omnes alii, et persona, qua discernitur ab aliis; ut cum dicitur ille, vel iste: sive proprio nomine, ut Adam et Abel; et uniuscujusque peccatum sit in natura et persona: fuit enim peccatum Adæ in homine, quod est in natura; et in illo qui vocatus est Adam, quod est in persona. Est tamen peccatum, quod quisque trahit cum natura in ipsa sui origine: et est peccatum quod non trahit cum ipsa natura; sed ipse facit illud, post quam jam est persona discreta ab aliis personis. Illud quidem quod trahitur in ipsa origine, vocatur originale; quod potest etiam dici naturale, non quod sit ex essentia naturæ, sed quoniam propter ejus corruptionem cum illa assumitur. Peccatum autem quod quisque facit, postquam persona

est, personale potest nominari, quia vitio personae sit. Simili ratione potest dici originalis, et personalis justitia. Siquidem Adam et Eva originaliter, hoc est, in ipso sui initio, mox ut homines extiterunt, sine intervallo justi simul fuerunt. Personalis autem dici potest justitia, cum injustus accipit justitiam, quam ab origine non habuit.

### CAPUT II.

*Qualiter humana natura corrupta est.*

Ergo Adam et Eva si justitiam servassent originalem, qui de illis nascerentur originaliter, sicut illi, justi essent. Quoniam autem personaliter peccaverunt, cum originaliter fortes et incorrupti haberent potestatem semper servandi sine difficultate justitiam; totum, quod erant, infirmatum et corruptum est. Corpus quidem, quia tale post peccatum fuit, qualia sunt brutorum animalium corruptioni et carnalibus appetitibus subjacentia: anima vero, quia ex corruptione corporis et eisdem appetitibus, atque ex indigentia bonorum quae perdidit, carnalibus affectibus infecta est; et quia tota natura humana in illis erat, et extra illos de illa nihil erat, tota infirmata et corrupta est. Remansit igitur in ea debitum justitiae integrum sine omni injustitia, quam accepit; et debitum satisfaciendi, quia eam deseruit; cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Sicut itaque, si non peccasset, qualis facta est a Deo, talis propagaretur: ita post peccatum, qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniam igitur per se nec satisfacere pro peccato, nec justitiam derelictam recuperare valet, et *corpus, quod corruptum, aggravat animam* (*Sap. ix, 15*): et tunc maxime, quando infirmius est; ut in infantia, et in utero matris, ut nec intelligere justitiam possit: videtur esse necessaria eam in infantibus nasci cum debito satisfacieadi pro primo peccato, quod semper cavae potuit, et eam debito habendi originalem justitiam, quam semper servare valuit. Nec impotentia excusat eam in ipsis infantibus, quia in illis non solvit quod debet, quoniam ipsa sibi facit eam, deserendo justitiam in primis parentibus, in quibus tota erat: et semper debitrix est habere potestatem, quam ad servandam semper justitiam accepit: hoc esse videri potest in infantibus originale peccatum. Addamus etiam peccata proxinorum parentum, quae redundunt in tertiam et quartam generationem. Quamvis enim queri possit utrum haec omnia intelligentia sint in originali peccato, an non: tamen, ne propter hoc quod quero videar levigare illud, ponam istud esse tale, ut a nullo gravius ostendi possit.

### CAPUT III.

*Quod non sit peccatum nisi in voluntate rationali.*

Verum sive totum sit originale peccatum, sive aliquid minus: prout nullatenus illud posse asseri esse in infante antequam habeat animam rationalem; sicut nec in Adam fuisse justitiam, priusquam fieret homo rationalis. Nam si Adam et Eva generassent sine precedenti peccato, non tamen

eset in semine justitia, nec esse posset priusquam formarentur in viventem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile justitiae, priusquam fiat homo, non potest suscipere originale peccatum antequam homo sit. Nempe originale peccatum esse injustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est injustitia, et originale peccatum est peccatum; utique est et injustitia. Sed si dicit aliquis: Non est omne peccatum injustitia, dicat posse simul in a quo et esse aliquid peccatum, et nullam esse injustitiam: quod videtur incredibile. Si vero dicitur originale peccatum non esse absolute dicendum peccatum, sed eum additamento, originale peccatum; sicut pietus homo non vere est homo, sed vere est homo pietus; profecto sequitur quia infans, qui nullum habet peccatum nisi originale, mundus est a peccato: nec fuit solus inter homines filius Virginis in utero matris, et nascens de matre, sine peccato: et aut non damnatur infans qui moritur sine baptismo, nullum habens peccatum praeter originale; aut sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus. Quare omne peccatum est injustitia, et originale peccatum est absolute peccatum: unde sequitur quia est injustitia. Item si Deus non damnat nisi propter injustitiam, damnat autem aliquem propter originale peccatum: ergo non est aliud originale peccatum quam injustitia. Quod si ita est, et injustitia non est aliud quam absentia debitae justitiae: non enim videtur esse injustitia, nisi in natura, que, cum debet habere, justitiam non habet; utique originale peccatum clauditur sub eadem definitione injustitiae. At si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali natura: ergo non est nulla natura debitrix justitiae, nisi rationalis; sicut ulla natura susceptibilis est justitiae, praeter rationalem. Quare quoniam injustitia non potest esse nisi ubi justitia debet esse, originale peccatum, quod est injustitia, non est nisi in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi Deus, et angelus, et anima hominis per quam homo dicitur rationalis, et sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum nec in Deo nec in angelo, non est nisi in hominis anima rationali. Sciendum quoque est quia justitia non potest esse nisi in voluntate, si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata: quare nec injustitia. Non enim vocatur absentia justitiae, injustitia; nisi ubi debet esse justitia. Nihil itaque praeter ipsam justitiam vel injustitiam dicitur justum vel injustum, nisi voluntas, aut propter voluntatem justam vel injustam. Per hanc dicimus justum vel injustum hominem, vel angelum; justam vel injustam animam, sive actionem.

### CAPUT IV.

*Quod nihil per se sit justum aut injustum, nisi ipsa justitia, vel injustitia, et quod nihil puniatur nisi voluntas.*

Nihil enim, sive substantia, sive actio, sive aliquid aliud per se consideratum, est justum, nisi justitia;

aut injustum, vel peccatum, nisi injustitia, nec ipsa voluntas, in qua est justitia, sive injustitia. Aliud enim est vis illa animae qua ipsa anima vult aliquid: quae vis, instrumentum volendi potest dici 'sicut visus instrumentum videndi) quam voluntatem nominamus: et aliud est justitia: quam habendo, justa voluntas; et qua carente, injusta vocatur: dicuntur etiam voluntates ejusdem instrumenti, affectiones et usus: quod hic longum est inserere. Nec ipsi appetitus, quos Apostolus carnem vocat, quae concupiscit adversus spiritum (*Rom. viii*); et legem peccati, quae est in membris, repugnantem legi mentis (*Galat. v*) justi vel injusti sunt, per se considerati. Non enim hominem justum faciunt, vel injustum, sentientem; sed injustum, tantum voluntate, cum non debet, consentientem. Dicit enim Apostolus, nihil damnationis esse his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant (*Rom. viii*), id est, qui non carnis voluntate consentiunt. Nam si sentientem sine consensu, injustum facerent, sequeretur damnatio. Quare non eos sentire, sed eis consentire, peccatum est. Si enim per se injusti essent, quoties illis consentiretur, injustum facerent. Sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur injusta. Item: si peccata essent, auferrentur in baptismo, cum omne peccatum abstergitur: quod nequam fieri palam est. Quare non est in eorum essentia ulla injustitia; sed in voluntate rationali illos inordinate sequente. Cum enim illis resistit voluntas, condelectando legi Dei secundum interiorem hominem; tunc est justa voluntas. Justitiam enim, quam lex jubet, et legem Dei dicit, quia a Deo est; et legem mentis, quia per mentem intelligitur: sicut lex vetus lex Dei dicitur, quia a Deo est; et lex Moysi, quia per Moysen ministrata est. Quod quidem dixi nullam actionem per se injustam dici, sed propter injustam voluntatem; in illis planum est, quae non injuste possunt fieri aliquando: ut est, hominem occidere, sicut fecit Phinees (*Num. 25*): et utriusque sexus commissio, ut in conjugio: sive in bratis animalibus. In illis vero quae nunquam nisi injuste possunt esse, ut est perjurium, et quedam alia, quae nec sunt nominanda, non ita facile intelligitur. Sed si aliqua actio, qua sit aliquid: quae non est, nisi dum sit aliquid et peracto eo transit, ut jam non sit; aut opus, quod sit et remanet (verbi gratia: cum in scribendo quod scribiri debet, transit scriptio, qua fiunt scripturæ quae remanet) esset peccatum transiente actione, ut jam non sit; transiret similiter peccatum, nec jam esset; aut quando remaneret quod sit, nunquam deleretur peccatum: sed videamus peccata saepe et non deleri, actione delata; et deleri opere non deleta. Quare nec actio, quae transit; nec opus, quod remanet, est aliquando peccatum. Denique si de actionibus voluntariis quae injuste fiunt, arguentur membra et sensus quibus fiunt; respondere possunt: Deus nos, et potestatem quae in

nobis est, subjecit voluntati; ut ad imperium ejus non possimus non movere nos, et facere quod vult; imo illa movet nos, velut instrumenta sua, et facit opera quae videatur facere; nec nos possimus illi per nos resistere; nec opera, quae facit, possunt non fieri; dominæ, quam Deus nobis dedit, nec possumus, nec debemus non obedire; quando illi obedimus, Deo qui hanc legem nobis dedit, obedimus. Ergo quid peccant membra, vel sensus, vel opera, quae Deus sic subjecit voluntatis, si servant quod Deus illis ordinavit? Quidquid igitur faciunt, totum imputandum est voluntati. Quod cum ita sit, miratur forsitan quis cur pro culpa voluntatis membra puniantur et, sensus. Verum non ita est, non enim puniunt nisi voluntas. Nam nihil est alicui poena, nisi quod est contra voluntatem; et nulla res poenam sentit, nisi quae habet voluntatem: membra autem et sensus per se nihil volunt. Sieu igitur voluntas in membris et sensibus operatur; ita in illis ipsa torquetur aut delectatur. Quod si quis non accipit; sciat in sensibus et membris non nisi animam, in qua est voluntas, sentire et operari; et ideo in illis torqueri aut delectari: habet tamen usus ut actiones, quas facit injusta voluntas, vocemus peccata; quia in voluntate, qua fiunt, est peccatum. Dantur etiam quibusdam nomina, quibus significatur eas injuste fieri, ut fornicatio, mendacio. Sed aliud intelligitur, cum ipsa actio, vel prolatio; aliud, cum utrum, juste vel injuste fiat, consideratur.

## CAPUT V.

*Quod malum, quod est peccatum sive injustitia, nihil sit.*

Denique omnis essentia est a Deo, a quo nihil est injustum. Quare nulla essentia est injusta per se. Injustitia autem omnino nihil est, sicut exēitas. Non enim aliud est exēitas, quam absentia visus ubi debet esse; quae non magis est aliquid in oculo ubi debet esse visus, quam in ligno ubi non debet esse. Non enim est injustitia talis res qua inficiatur et corrumpatur anima, velut corpus veneno; et quae faciat aliquid, sicut videtur quando malitiosus homo mala facit opera. Nam quemadmodum cum indomita fera ruptis vinculis discurrendo sævit: et cum navis, si gubernator dimisso gubernaculo dimittat eam, ventis et montibus maris vagatur, et invehitur in quilibet pericula; dicimus quia hoc facit absentia catene, vel gubernaculi: non quod absentia eorum aliquid sit, aut quidquam faciat; sed quoniam si adessent, facherent ne sæviret fera, aut periret navis: ita cum malus homo sævit, et in quilibet animæ suæ pericula, quae sunt mala opera, impellitur; clamamus quia haec operatur injustitia, non quod ipsa ulla essentia sit, aut faciat aliquid; sed quoniam voluntas (cui subdit sunt omnes voluntarii motus totius hominis) absente justitia diversis appetitis impulsata, se et omnia sibi subdita in multimoda mala levis et effrenata et sine rectore præcipitat: quod tetum justitia,

si adasset, prohibet ne fieret. Ex his ergo facile cognoscitur quia *injustitia* nullam habet essentiam; quamvis *injustae voluntatis* affectus et actus, qui per se considerati aliquid sunt, usus *injustitiam* vocet. *Hæc ipsa ratione intelligimus malam nihil esse.* Sic ut enim *injustitia* non est aliud quam absentia debitæ *justitiae*, ita malum non est aliud quam absentia debiti boni. Nulla autem essentia (quamvis mala dicitur) est nihil, nec malam esse, est ulli esse aliquid. Nulli enim essentiae est aliud malam esse, quam deesse illi bonum quod debet habere, deesse vero bonum quod debet adesse, non est aliquid esse. Quare malam esse, non est ulli essentiae aliquid esse. *Hæc breviter de malo, quod semper est nihil, indubitanter quod est *injustitia*,* dixi. *Incommoditas enim est malum (unde *incommoda, mala dicuntur*) quæ aliquando nihil est ut surditas et cæcitas; aliquando videtur esse aliquid; ut dolor, et tristitia.* Quod autem *justitia* sit rectitudo voluntatis propter se servata: et *injustitia* non sit aliud quam absentia debitæ *justitiae*, et nullam habeat essentiam: quod etiam omnis essentia sit a Deo, et nihil sit a Deo nisi bonum, sufficienter me puto ostendisse in eo tractatu (cap. 4, 15, 16) quem fecit *De casu diaboli.* Sed de *justitia plenius in illo quem edidi de veritate* (cap. 15).

#### CAPUT VI.

*Quod cum punit Deus pro peccato, non puniat pro nihilo.*

Quidam cum audiunt peccatum nihil esse, solent dicere: Si peccatum nihil est, cur punit Deus hominem pro peccato, cum pro nihilo puniri nemo debat? Quibus, quamvis humilis sit *quæstio*, tamen quia quod querunt ignorant, aliquid breviter respondendum est. Licit pariter nihil sit absentia *justitiae*, et ubi debet esse *justitia*, et ubi non debet esse; punit tamen Deus recte peccatores non pro nihilo, sed propter aliquid, quia (ut in *præfato libro dixi*) et debitum sibi honorem, quem sponte reddere noluerunt, ab invitis exigit; et ne quid inordinatum sit in regno ejus, eos separatim a justis ordine competenti disponit. *Creaturas autem in quibus *justitia* non debet esse, non punit pro absentia *justitiae* hoc est pro nihilo:* quia non est aliquid, quod ab illis exigat; nec ordo congruus universitatis rerum hoc postulat. Sic itaque cum punit Deus pro peccato, quod est absentia debitæ *justitiae*, quæ nihil est; non omnino punit pro nihilo: et verum est quia nisi sit aliquid, propter quod punire debeat, omnino non punit pro nihilo. Jam peccatum et *injustitiam* nihil esse: et hæc non esse nisi in rationali voluntate, nec ullam essentiam proprie dici *injustam* nisi voluntatem: ex his quæ dicta sunt, apertum esse existimo.

#### CAPUT VII.

*Quomodo semen hominis dicitur immundum, et concipit in peccatis, quamvis in eo non sit peccatum.*

Videtur itaque sequi quod aut infans statim ab

ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere; aut in eo non est originale peccatum, mox cum conceptus est. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim ut quoties susceptum semen humanum, etiam ab ipso momento suspicionis perit antequam perveniat ad humanam figuram; toties damnetur in illo anima humana; quoniam non reconciliatur per Christum: quod est nimis absurdum. *Hæc igitur pars hujus divisionis penitus relinquenda est, sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum; quid est, quod dicit Job Deo: Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine: nonne tu qui solus es, o Deus?* (Job xiv, 4.) Et quomodo verum est, quod dicit David: *In iniuritatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Psal. l, 7). Quæratur igitur, si possum, quomodo, quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, immundo tamen semine in iniuritatibus et in peccatis concipi dicantur. Sæpe utique divina Scriptura asserit aliquid esse, quod modo non est, idcirco quia tamen est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit: *In quacunque die comedeleris ex eo, morte morieris* (Gen. ii, 7); non quod ea die mortuus sit corpore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi. Et Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando, ait: *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem* (Rom. viii, 10). Non enim corpora eorum, quibus loquebatur, mortua erant; sed moritura propter peccatum: quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors (Rom. v, 12). Sicut in Adam omnes peccavimus, quando ille peccavit: non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus: et tunc facta est illa necessitas ut cum essemus peccaremus: quoniam per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi (Ibid. v, 19). Simili modo de immundo semine in iniuritatibus et in peccatis concipi potest homo intelligi; non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum sive iniurias; sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem ut, cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud quam peccatum et iniurias. Nam etsi vitiosa concupiscentia generetur infans; non tamen magis est in semine culpa, quam est in sputo vel in sanguine, si quis mala voluntate expuit, aut de sanguine suo aliquid emittit: non enim sputum<sup>3079</sup> aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo et in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum; et vera sint quæ de divina Scriptura opposui. Quippe non est illis peccatum, quia non habent (sine qua non inest peccatum), voluntatem: et tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt peccandi,

(cum homines jam erunt) necessitatem. Si ergo hæc, ut puto, vera sunt; quod assumitur de parente ad prolem, quia nul' am habet voluntatem, nullum est in eo peccatum.

## CAPUT VIII.

*Quod in semine sumpto de Virgine non sit peccatum neque necessitas futuri peccati.*

Itaque perspicuum est quoniam in eo quod Filius Dei in personam suam assumpsit de Virgine, nulla potuit esse peccati macula. Sed dictum est quia semen a parentibus trahitur cum necessitate peccati futuri, cum fuerit animatum anima rationali: hoc utique non est propter aliud, nisi quia humana natura nascitur in infantibus (ut dixi) cum debite satisfaciendi pro peccato Adæ, et, secundum quod posui, proximorum parentum (quod nequam facere potest: et quandiu non facit, peccat); et quia sola per se non valet justitiam habere quam deseruit; et anima, que aggravatur corpore quod corruptitur, nequit eam saltem intelligere, que nec servari potest nec haberri non intellecta. Quapropter si ab his necessitatibus semen assumptionis de Virgine liberum ostendi poterit, palam erit quia nullam peccati necessitatem traxit. Quod illa quidem necessitas, qua humana natura sola per se justitiam recuperare nequit, et illa qua corpus quod corruptitur aggravat animam, ut eamdem justitiam nec acceptam in aetate perfecta sine auxilio gratiae servare, nec in infantibus saltem intelligere queat, ab illo semine sint alienæ facile monstrari valet per unitatem personalem assumptis et assumptionis naturæ: si prius necessitas illa repellitur, qua ad satisfactionem pro peccatis primorum et proximorum parentum astringi videtur. Sed quod illud nullum sequatur a proximis parentibus debitum, dubium non erit; si a debito primorum parentum liberum intelligi poterit. Hoc igitur, adjuvante Deo, conabor primum quomodo cognosci possit, investigare: quatenus hoc demonstrato, in aliis non sit necesse multum laborare.

## CAPUT IX.

*Cur peccatum quo damnatur humanum genus, magis imputetur Adæ quam Evæ; cum ille post et per illam peccaverit.*

Ad quod mihi videtur querendum in primis, cur sapientius et specialius peccatum, quo damnatum est humaanum genus, magis imputetur Adæ quam Evæ: cum illa prior peccaverit, et Adam post et per illam. Dicit enim Apostolus: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (Rom. v, 14). Multa quoque alia leguntur, quæ magis Adam quam Ewam criminari videntur. Quod ideo fieri existimo quia illa duorum copula tota intelligitur in nomine principalis partis; sicut saepe per partem totum solet significari: aut quoniam Adam cum costa sua, quamvis in mulierem adficata, dici poterat Adæ, sicut legitur: quia Deus Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eis (Gen. i, 17). Et

vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt: aut idcirco, quia si non Adam, sed sola Eva peccasset; non necesse erat totum humanum genus peccare, sed scilicet in Ewam. Poterat namque Deus de Adam, in quo semen omnium hominum creaverat, aliam facture mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur. Eisdem rationibus significabo per nomen Adæ eos ambos, nisi cum necesse erit eos discernerere.

## CAPUT X.

*Cur gravetur peccato Adæ, qui ejus conscius non fuerunt.*

Est quidem unusquisque filius Adæ et homo per creationem, et Adam per propagationem, et persona per individualitatem, quia discernitur ab aliis. Non enim habet esse homo ab Adam sed per Adam. Nam sicut Adam non se fecit hominem; ita non fecit in se naturam propagandi: sed Deus qui eum creavit hominem, fecit in eo hanc naturam; ut de illo propagarentur homines. Dubium autem non est, unde unusquisque alligetur debito, de quo agitur: non enim unde, quia homo est, nec quia persona est. Nam si idcirco unusquisque hujus debiti reus est, quia est homo, aut persona; necesse erat Adam, priusquam peccasset, hoc debito astricatum esse, quia erat homo et persona: quod est absurdissimum. Restat igitur ut per hoc tantum sit debitor, quia est Adam; sed non simpliciter, quia est Adam; sed quia est peccator Adam. Nempe sequetur quia si nunquam peccasset Adam; tamen qui de illo propagarentur, cum hoc debito nascerentur: quod impium est. Non incongruum est hic repetere quod jam supra dictum est: cur, scilicet, unusquisque peccato vel debito Adæ gravetur, idcirco quia de illo propagatur; cum ejusdem peccati conscius non fuerit. Cum fecit Deus Adam, fecit in eo naturam propagandi: quam subiecti ejus potestati, ut ea uteretur pro sua voluntate, quandiu ipse vellet subditus esse Deo: nam non illa interetur bestiali et irrationali voluntate, sed humana et rationali voluntate. Sicut enim est bestiarum nihil velle cum ratione; ita hominum esset nihil velle sine ratione: quod semper debent, quia potestatem hanc accepit Adam et eam semper servare potuit. Dedit etiam illi Deus hanc gratiam, ut sicut quando illum condidit nulla propagandi operante natura, aut voluntate creaturæ, simul fecit eum et rationalem et justum: ita simul eum rationalem haberent animam, justi essent, quos generaret operante natura et voluntate, si non peccaret. Eadem quippe ratione, qua monstratur rationalem naturam justam esse creatam, quod in sepe facto fecit opusculo (lib. ii, c. 1), probatur etiam quod qui ex humana natura propagarentur non praecedente peccato, ex necessitate justitiam pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creavit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam eos qui per creatam ab illo sunt propagandi naturam. Omnis igitur homo, si peccatum non praeces-

sisset, simul esset sicut Adam, et justus et rationalis. Quoniam vero Adam subditus noluit esse Dei voluntati; ipsa natura propagandi quamvis remaneret, non fuit subdita ejus voluntati, sicut esset, si non peccasset: et gratiam, quam de se propagandis servare poterat, perdidit: atque omnes, qui operante natura quam acceperat, propagantur, ejus astricti debito nascuntur. Quamobrem quoniam humana natura (quae sie erat in Adam tota, ut nihil de illa extra illum esset,) peccando sine omni necessitate, Deum exhortoravit, unde per se satisfacere non potuit; gratiam, quam acceptam propagandis de se semper potuit servare, perdidit: et peccatum, secum comitante poena peccati, quantumcumque per datam propagandi naturam propagetur, trahit.

## CAPUT XI.

*Quod propagatio de Virgine non subjaceat legi et rieritis naturalis propagationis; et quod tres sint cursus rerum.*

Nunc diligenter considerandum est utrum haec quasi hereditas peccati, et pœnæ peccati ad hominem per virginem de Adam propagatum juste pertranseat. Certum quidem est quod Adam non accepit naturam propagandi, nisi per virum simul et mulierem. Siquidem humana natura non habet, et impossibile cognoscitur, ut solus vir, aut sola mulier hominem generaret, natura tantum et voluntate propria operante. Sieut namque limus terræ non acceperat naturam ut voluntatem, qua operante vir primus de illo fieret; quamvis esset de quo a Deo fieri posset: sic non est facta mulier de costa viri, aut vir de sola muliere, operante natura aut voluntate hominis. Sed Deus propria voluntate et potestate fecit virum de limo unum, et alterum de sola femina, et feminam de solo viro: licet enim nihil fiat, nisi voluntate Dei faciente aut permittente; quædam tamen sola potestas et voluntas ejus facit; quædam, creata natura; quædam, voluntas creature. Sed sicut creata natura nihil per se facere potest, nisi quod a voluntate Dei accepit: ita voluntas creature nequit per se quidquam operari, nisi quod natura adjuvat aut concedit. Sola Dei voluntas fecit in principio rerum naturas, dans quibusdam competentes singulis voluntates; ut naturæ et voluntates secundum ordinem sibi traditum, suum opus in rerum cursu persolverent: et adhuc multa facit, cum de eisdem naturis et voluntatibus operatur, quod illæ secundum suum usum et propositum nequam facerent. Solius quippe voluntatis Dei est opus, cum mare siccum iter intra se populo prebet; cum mortui resurgunt; cum aqua subito in vinum convertitur; cum et Spiritu sancto corda hominum ea quæ nec per se, nec per aliam creaturam sciunt, docentur; cum noxiæ voluntates a suo impetu, sola gratia regente, ad hoc quod prodest convertuntur; cum alia multa sint, quæ nec

creatura, nec ejus voluntas per usitatum eursum suum operaretur. Natura levia sursum, gravia deorsum trahit: terram, aliquando prius voluntate colente et seminante, aliquanto nullo voluntatis opere præcedente, herbas et arbores innumeræ producere et eas fructificare facit; et alia multa, quæ facilius usu quam doctrina agnoscimus. Voluntati imputantur illa, quæ sunt hujusmodi, iter facere, ædificare, scribere, loqui, et similia quæ non nisi voluntas facit. Cum igitur omnia quæ sint, si diligenter considerentur, siant aut sola voluntate Dei, aut natura secundum vim a Deo illi inditam, aut voluntate creature: et ea quæ nec natura creata, nec voluntas creature, sed solus Deus facit, semper miranda sint; appareat quia tres sunt cursus rerum, scilicet, mirabilis, naturalis, voluntarius: et mirabilis quidem aliis aut eorum legi nullatenus subditus est; sed libere dominatur: neque illis facit injuria, quando eis obviare videtur; quia nihil habent, nisi quod ab illo acceperunt, nec ille dedit eis aliquid nisi sub se. Quoniam ergo propagatio viri de sola virgine, ita non est naturalis, aut voluntaria; sed mirabilis, sicut illa quæ mulierem protulit de solo viro, et sicut creatio viri de limo; palam est quia nequam subjaceat legibus et meritis illius propagationis, quam et voluntas et natura, quamvis discrete, operantur; aliud enim ibi facit voluntas, aliud natura: pariter tamen verus est homo et Adam de nou homine, et Jesu de sola muliere, et Eva de solo viro; sieut est verus homo, quilibet vir aut mulier de viro et muliere. Omnis autem homo aut Adam est, aut de Adam: sed Eva de solo Adam est, et omnes alii de Adam et Eva. Quoniam namque Maria, de qua sola est Jesu, de Adam et Eva est; non potest ipse de eisdem non esse. Sie namque expediebat ut qui redempturus erat genus humanum, esset et nascetur de patre et matre omnium.

## CAPUT XII.

*Quod mala Adæ nulla rectitudine ad illum hominem transeant.*

Quomodo autem filius Virginis non subjaceat peccato, aut debito Adæ, sic quoque difficile non est intelligere. Si quidem Adam factus est justus et liber a peccato et debito saepato, et a pœna peccati, et beatus potens servare semper acceptam iustitiam; et per iustitiam eam, quam dixi, libertatem et beatitudinem. Quoniam ergo Adam, cum haec bona sine omni difficultate posset semper servare sibi, non servavit; ea sibi ipse abstulit, et horum se contrariis subjecit. Factus est itaque servus peccati, sive injustitiae, et debiti, quod reddere nequit, et miseriae, de qua est impotentia bona perdita recuperandi. Sicut igitur aliter nequit sibi auferre bona quæ habebat, et attrahere mala quæ non habebat, quam non servando sibi bona, cum potuit: ita nulli alii valuit eadem bona

aufserre, atque mala inferre, nisi non servando bona cui servare quivit. Servare autem nulli potuit ea bona, nisi illis quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit. Nulli ergo personæ quamvis de se propagare transmittere mala prædicta potuit in ejus generatione nec natura illi data est propagandi, nec voluntas ejus quidquam operata est, aut operari valuit. Quare Adæ mala prædicta nulla ratione aut rectitudine ad hominem conceptum de Virgine pertransirent.

## CAPUT XIII.

*Quod etsi non esset Deus, sed purus homo, ne cesset tamen esset illum tamē esse, qualis primus homo factus est.*

Item: si diligenter puro rationis intuitu sapientem Dei speculum justitiam; nimis absurdum intelligitur ut per illud semen, non creata natura, nec voluntas creaturæ, non ulli data potestas producit aut seminat; sed solus Dei voluntas propria ad procreandum hominem, nova virtute mundum a peccato de Virgine segregat, alieni peccati seu debiti sive poenæ ad eundem hominem necessitas nulla pertranscat; etiamsi non assumatur in personam Dei, sed ut purus homo fiat. Nam eadem ipsa ratione, qua non debuit Deus Adam facere nisi justum, nec aliquo debito sive incommodo gravatum, aperte mens rationalis cognoscit eum, quem simi iter propria voluntate et virtute procreat, alicui malo subditum fieri non debere: quoniam nimis inconveniens est omnipotenti et sapienti Dei bonitati, tamē facere rationalem naturam sola propria voluntate de materia, in qua nulum est peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoscit quid Deo non conveniat. Quapropter etiam si purum hominem sic ficeret Deus, ut dictum est; necesse esset eum non minori præditure esse justitiae et beatitudine, quam fuit Adam, cum primum factus fuit.

## CAPUT XIV..

*Quod propositæ rationi non refragetur quod scriptum est: hominem de immundo semine et in iniquitatibus conceptum; etiamsi de aliquibus propriæ dictum sit.*

Nam si alicujus mens non capit quod de semine hominis dixi, scilicet, non esse in illo peccatum ante animam rationalem, sed immundum dici peccato et iniquitate, propter futuram immunditiam, cum jam erit homo: atque putat illum immundum esse in ipsa conceptione propterea quia, sicut ipse mihi opposui, legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* (*Job xiv.*) Et: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal. l.*): non hic labore, quia non indigeo, ut quod non potest capere, capiat; sed peto ut quod breviter dicam, attendat. Illi utique qui haec dixerunt, aut voluerunt ea intelligi de omni hominis semine; aut tantum de illo quod cum sensu seminatur voluptatis, quæ non esset nisi brutorum animalium, si

homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt; ergo semen de sola Virgine sumptum immundum tanti viri asseruerunt: quod impium est credere. Non itaque hoc de illo scripserunt. Sed si de aliquo hominis semine hoc juxta hunc sensum protulerunt, non nisi de illo, quod cum prædicta voluptate concipitur, intelligi voluerunt. Hoc autem nullatenus refragatur nostræ rationi, quæ semen de Virgine sumptum asserit esse niundum, quamvis sit de massa peccatrice.

## CAPUT XV.

*Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix.*

Nam quemadmodum cœcitas non est in aliqua parte hominis, quamvis homo dicatur cœcus, nisi in oculo ubi debet esse visus; non enim est in manu, vel in pede: nec surditas est nisi in aure, cum homo dicatur surdus; ita licet massa generis humani peccatrix nominetur, non tamen in ulla parte ejus est peccatum, nisi, ut dixi, in voluntate, quam in nulla hominis conceptione semen habere cognoscitur. Quamobrem nulla ratione vera aut verisimili contradicente, si considerentur quæ supra dicta sunt, jam libere possumus concludere quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem ex sola Virgine conceptum de peccato massæ peccataricis, quamvis de illa sit assumptus, aliquid potuisse aut debuisse accedere, etiamsi non esset Deus.

## CAPUT XVI.

*Cur Joannes, et alii qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi a peccato.*

Quod si objiciunter mihi Joannes Baptista et alii qui de sterilibus, et in quibus, præ senectute, natura generandi jam erat emortua, propagati sunt, et quasi per similem rationem putantur debuisse nasci sine peccato et pœna peccati, quia per miraculum concepti sunt; valde utique intelligenda est ab istis aliena, ratio illa quæ virginalem conceptionem liberam ab omni peccati monstrat necessitate. Aliud est enim aliquid inauditum et inopinabile atque naturæ incognitum facere: et aliud naturam aut ætatem aut aliquo vitio debilitatem sanare, et ad suum opus revocare. Nam si Adam non peccasset, sicut ipse nulla senectute, nulla causa infirmaretur: sic natura propagandi creata in illo et ad extendum, ut jam dictum est, ejus potestati subdita, nullo casu a suo cursu impediretur. Non ergo in Joanne, et similibus, est aliquid novum naturæ Adæ, sicut est in filio Virginis, datum; sed quod suis causis confirmatum erat, cognoscitur esse reparatum. Quare quoniam illi per propagationem naturalem datam Adæ sunt generati, nequaquam possunt aut debent ei de quo agimus, in conceptionis assimilari miraculo, ut ab originali vinculo peccati absoluti possint ostendi.

## CAPUT XVII.

*Cur Deus incarnatus, cum de Adam posset facere homines non deos sine peccato tot, quod sufficerent.*

Forsitan dicet aliquis: Si purus homo, qui Deus

non esset, potuit fieri de Adam sine omni peccati contagione, sicut dicitis; cur necesse fuit Deum incarnari; cum aut per unum talem, qui esset sine omni peccato, posset pecatores redimere: aut tot, quod necessarii erant ad perficiendam supernam civitatem, homines simili miraculo facere? Ad quod breviter respondeo. Ideo Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios, sicut in saepelato opusculo monstratum est, homo non Deus. Idecirco etiam non fecit tot homines tales, quod necessarii erant: ne si nullus de propagatione naturali salvaretur, frustra naturam illam in Adam condidisse, et quasi non fecisset, correxisse videretur: quod summæ sapientie non convenit de aliqua natura facere. Non longe supra investigare proposui, quomodo sexen sumptum de Virgine, in quo monstratum erat nullam esse peccatum, liberum a necessitatibus praeditis, in quibus omnes alios homines concipi posueram, posset intelligi: et de illa quidem necessitate, qua recuperare justitiam, quam deseruit humana natura, per se nequit; et de illa, qua corpus, quod corruptitur, aggravat animam, et maxime in infantibus, illud liberari posse, quia homo ille Deus esset, confidebam; si prius ab illo necessitas peccati et debiti Adæ et proximorum parentum rationalitatem alienaretur. Incepit itaque (lib. 1) quererere quomodo valeret hoc intelligi de necessitate peccati et debiti Adæ; ut de aliis postea facilius quod quererent inveniretur: et abundante gratia illius de ejus conceptionis agitur (lib. 1, cap. 16), munditia factum est, ut non modo ab omni peccato, et debito, et necessitatibus praefatis liberum cognosceretur; sed insuper hominem ita conceptum esse debere præditum non minori justitia, vel beatitudine, quam in qua factus est Adam, intelligibili ratione, etiam si non Deus sed purus homo esset, probaretur. Siquidem pariter irrationaliter videbatur, et peccatum autem nam peccati ab ipsis parentibus ad illum per talem propagationem descendere; et Deum sponte rationabilem naturam injustam, aut, nulla ejus promerente injustitiam, miseram facere.

#### CAPUT XVIII.

*Quod de Virgine justa Deus conceptus sit, non necessitate, quasi de peccatrice nasci non posset, sed quia sic decebat.*

Quamvis ergo de mundissima Virgine Filius Dei verissime conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente justa proles rationaliter generari per hujusmodi propagationem nequiret: sed quia decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius: et

quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat; et de qua Spiritus sanctus volebat, et operatus erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedebat. Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipsam conceptionem mundata sit, dixi (lib. II, cap. 16, 17); ubi aliam rationem de hoc ipso, unde agitur hic, reddidi.

#### CAPUT XIX.

*Quomodo ista ratio, et altera alibi data concordent et differant.*

Quæ duæ rationes intellectui meo videntur ad questionem unaquæque per se sufficere; sed ambæ simul animo vim rationis et decorum actionis querenti copiose satisfacere. Et quamvis ad idem tendant, in hoc tamen differant, quod ista quidem, quam hic protuli, monstrat Deum etiam de peccatrice Virginis substantia, quoniam nusquam est in hominis natura præter voluntatem peccatum, problem debere justam, imo non nisi justam, nulla ratione repugnante, tali propagatione producere. Illa vero probat quod etiam si in tota Virginis essentia peccatum esset, tamen ad hujusmodi conceptionis munditiam, per fidem munda fieri posset. Atque in ista omnis mortis necessitas, et cuiuslibet corruptionis sive laboris ab illo homine aperte excluditur: in illa autem quæstio oriri de hoc ipso videtur; sed sufficiente ratione, si diligenter perspecta fuerit, dissolvitur. Quapropter ex utraque palam est quia nihil nisi pia voluntate Dominus noster et redemptor sustinuit in omnibus, quæ passus est.

#### CAPUT XX.

*Quod natus de Virgine, pro originali peccato habuerit originalem justitiam.*

Ut mihi videtur, de peccato quidem originali, sicut proposui, sufficienter ostensum est quomodo ad hominem de Virgine conceptum nulla ratione descendere a parentibus potuit; sed potius justus, et beatus fieri, ratione exigente, debuit. Quamobrem, quoniam de justo Patre secundum divinam, et de justa matre secundum humanam naturam, justus ab ipsa origine, ut ita dictum sit, natus est; non incongrue pro originali injustitia, quam omnes alii filii Adæ habent, a sua origine justitiam originalem habere dicendus est.

#### CAPUT XXI.

*Quare non potuit habere personalem injustitiam.*

At de personali iniustitia superfluum est disputare, quod ad illum non attigerit; quoniam humana natura nunquam in illo sine divina fuit, nec illius anima unquam aggravata contra voluntatem, aut ullo modo impedita est corpore corruptibili. Quæ anima, quoniam ipsa, imo totus ille homo et Verbum Dei Deus, una persona semper exstitit, nunquam sine perfecta justitia, et sapientia, et potestate fuit, quam semper a seipso ille secundum personam, sicut Deus, habuit; licet in naturis humana a divina, quod habuit; acceperit: altiorem autem aliam rationem, quomodo Deus assumpsit hominem de massa peccatrice sine pec-

cato, velut azymum de fermento, præter istam, quam hic; et illam quam alibi posui (lib. II, cap. 16) esse non nego: quam, si mihi ostensa fuerit, libenter accipio; et meas, si (quod non arbitror) contra veritatem esse potuerint ostendi, non teneo.

## CAPUT XXII.

*De quantitate originalis peccati.*

Porro peccatum originale nec maius potest esse quam dixi, nec minus: quia cum infans jam rationalis est, humana natura non habet in illo justitiam quam accepit in Adam, et quam semper debet habere: neque eam excusat impotentia quia non habet, ut supra jam dictum est (cap. 2). Illud tamen non per omnia tam grave, sicut supra posui, existimo. Nam quoniam ad hominem de Virgine conceptum ostendere volebam illud non pertinere; tale illud constitui, cui aliquid non posset addi: ne, sicut dixi, propter hoc quod investigabam, viderer pondus ejus minorare. De quo quid mihi videatur, breviter nunc aperiam. Peccatum Adæ ita in infantes descendere, ut sic puniri pro eo debeant, ac si ipsi singuli illud fecissent personaliter, sicut Adam, non puto, quamvis propter illud factum sit, ut eorum nullus possit nasci sine peccato, quod sequitur damnatio. Cum enim dicit Apostolus quia *mors regnavit ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (Rom. v, 14): aperte videtur significare quod non illis personaliter imputetur ipsa Adæ prævaricatio, aut aliquid tam magnum; quamvis omnes filios Adæ excepto Virginis filio, peccatores et filios iræ in scriptis suis pronuntiet. Nam cum ait, *etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*: potest sic intelligi, ac si dicat, et iam in eos, qui non tantum peccaverunt, quantum Adam peccavit prævaricando. Et cum ait: *lex autem subintravit, ut abundaret delictum* (ibid. 1, 20), aut intelligimus peccatum ante legem in illis, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, minus quam Adæ peccatum: aut si minus non erat, abundavit in eis peccatum post legem ultra peccatum Adæ: quod intelligere nequeo, cum illud considero, de cuius pondere et satisfactione in Cur Deus homo, quod mihi visum est, sicut jam legisti, exposui (lib. I, cap. 19, 20). Verum est tamen quod nullus ad hoc ad quod homo factus est, et propagatio illi data est, restituitur; nec a malis, in quæ incidit humana natura, eruitur; nisi per satisfactionem illius peccati, per quod in eadem mala ipsa se præcipitavit. Dicit aliquis: Si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris nullum salvari sine satisfactione peccati Adæ? Nam qualiter justus Deus exigit ab illis satisfactionem peccati, quod non habent? Ad quod dico: Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet. Sed quoniam nullus potest reddere quantum debet; solus Christus reddit pro omnibus qui salvantur plusquam

debent: sicut jam in praefato opusculo dixi.

## CAPUT XXIII.

*Cur et quomodo peccatum descendat in infantes.*

Adhuc alio quoque modo videndum est quia ratione peccatum minus sit in infantibus, quam in Adam; cum ab illo in omnes descendat. Per unum enim hominem, quod est per Adam, peccatum intravit in hunc mundum; et per peccatum, mors. Cur autem minus sit, non cognoscitur; si cur, et quomodo iusit, non intelligatur. Quod quamvis supradictum sit, quantum opus erat ad hoc quod querebatur; tamen non erit superfluum, si hic breviter repetitur. Evidet negari nequit infantes in Adam fuisse, cum peccavit: sed in illo causaliter, sive materialiter, velut in semine fuerunt; in seipsis personaliter sunt, quia in illo fuerunt ipsum semen, in se singuli sunt diversæ personæ, in illo non alii ab illo, in se alii quam ille. In illo fuerunt ille, in se sunt ipsi: fuerunt igitur in illo, sed non ipsi; quoniam nondum erant ipsi. Forsitan dicet aliquis: istud esse quo alii homines in Adam fuisse dicuntur, quasi nihil et inane quoddam est, nec est nominandum esse. Dicat ergo illud esse, fuisse nihil aut falsum sive vanum, quo fuit Christus secundum semen in Abraham, in David et in aliis Patribus; et quo omnia; quæ sunt ex semine, fuerunt in seminibus ipsis; et nihil fecisse Deum, cum omnia quæ procreantur ex semine, ipsi fecit prius in seminibus; et dicat nihil, vel vanum aliquid esse hoc, quod si vere non esset, hæc quæ videmus esse non essent. Si enim verum non est ea, quæ natura procreat ex seminibus, in illis prius aliquid fuisse, nullo modo ex ipsis essent. Quod si hoc dicere stultissimum est; non falsum vel vanum, sed verum et solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alii homines in Adam: nec fecit Deus inane aliquid, cum eos in illo fecit esse; sed sicut dictum est, in illo fuerunt non alii ab illo, et ideo longe aliter, quam sunt in seipsis. Verum quamvis constet eos omnes in illo fuisse; solus tamen Filius Virginis valde diverso modo ab aliis in illo fuit. Omnes quippe alii sic fuerunt in illo, ut per naturam propagandi, quæ potestati et voluntati ejus subdita erat, de illo essent: solus vero iste non sic in eo fuit, ut per naturam aut voluntatem ejus de illo fieret (*id est* quantum ad alios), de aliis enim acceperat. Adam, quando peccavit, ut esset hoc de quo illi futuri erant, et ut de illo essent (*id est* quantum ad istum): de isto vero, ut esset hoc, unde futurus erat; non autem ut de illo esset, quia non erat in ejus potestate, ut de illo propagaretur. Sed nec in potestate ejus erat ut de alia essentia, aut de nihilo fieret. Quare non erat in eo, ut hic aliquo modo esset. Nam nec in potestate naturæ, nec in potestate voluntatis ejus erat, ut esset quoquo modo. Erat tamen in eo natura, de qua propagandus erat, non ejus, sed Dei potestate. Nam etsi usque ad Virginem matrem in parentibus et voluntas seminavit, et na-

tura germinavit, ut ipsa Virgo partim naturali, partim voluntario cursu ad suum esse ab Adam prodecetur, sicut omnes alii, in illa tameu nec voluntas creature prolem seminavit, ne natura germinavit; sed Spiritus sanctus et virtus Altissimi de Virgine muliere virum mirabiliter procreavit. De aliis ergo erat in Adam, id est in ejus potestate, ut de illo essent; de isto vero non erat in illo, ut aliquo modo esset: sicut non erat in limo, unde vir primus factus est, ut de illo esset mirabiliter; neque in viro, ut Eva de illo, quemadmodum facta est, esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab Adam usque ad Mariam, erat, ut esset; fuit tamen in illis, quia erat in eis, unde ipse assumendus erat; quemadmodum erat in limo, unde primus homo factus est, et in eo unde Eva facta est, non voluntate creature aut potestate, sed sola divina virtute: sed iste tanto mirabilius et majori gratia; quanto illi puri homines, hic homo Deus factus est. Valde itaque diverso modo iste erat in Adam, quando peccavit; quam erant illi, qui voluntario et naturali cursu procreantur. Illos ergo quodammodo facit Adam, quos per acceptam potestatem humana voluntas seminando, et natura germinando procreant. Istum vero non nisi Deus fecit, quamvis de Adam: quia non per Adam, sed per se, velut de suo. Quid ergo convenientius ad ostendendum magnitudinem bonitatis Dei, et ad plenitudinem gratiae quam Adae concedebat; quam ut quorum esse in illius potestate sic erat, ut quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent: ita quoque in ejus esset arbitrii libertate, ut qualis erat ipse justitia et felicitate, tales eos propagaret? Hoc igitur illi datum est. Quoniam itaque in tantæ gratiae celsitudine positus bona, que sibi et illis servanda acceperat, sponte deseruit: idecirco filii perdiderunt quod pater illis cum servando dare posset, non servando abstulit. Nec mihi sufficere videtur ratio, cur ad infantes peccatum et mala descendant Adae; si diligenter, remota nostra voluntate, que saepe et multum impedit mentem ab intellectu rectitudinis, ipsa plura justitia consideretur. Qualiter autem peccatum idem mihi videatur ad eos descendere, paucis expediam. Est peccatum a natura, ut dixi (cap. 4): et est peccatum a persona. Itaque quod est a persona, potest dici personale; quod autem a natura, naturale, quod dicitur originale: et sicut personale transit ad naturam; ita naturale ad personam hoc modo. Quod Adam comedebat, hoc natura exigebat; quia ut hoc exigeret, sic creata erat. Quod vero de ligno vetito comedit, non hoc voluntas naturalis sed personalis, hoc est propria fecit: quod tamen egit persona, non fecit sine natura. Persona enim erat, quod dicebatur Adam; natura, quod homo: fecit igitur persona peccatricem naturam, quia cum Adam peccavit, homo peccavit. Si quidem non quia homo erat, ut vetitum presumebat impulsus est: sed propria voluntate, quam non

exigit natura, sed persona concepit, attractus est. Similiter fit in infantibus econverso. Nempe, quod in illis non est justitia quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis, sicut in Adam; sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa nihil erat, est nudata justitia quam habebat et ea semper nisi adjuta caret hac ratione, quia natura subsistit in personis et personæ non sunt sine natura, facit natura personas infantium peccatriees. Sic spoliavit persona naturam bono justitiae in Adam: et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit. Hoc modo transit peccatum Adæ personale in omnes qui de illo naturaliter propagantur, et est in illis originale sive naturale. Unde patet magnam esse distantiam inter peccatum Adæ et peccatum eorum, quia ille peccavit propria voluntate; illi naturali peccant necessitate, quam propria et personalis meruit illius voluntas. Sed cum nemo dubitet quia par poena non sequatur imparia peccata, in hoc tamen similis est personalis et originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine qua non redditur quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem judicii nullus erit angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno. Ita igitur et peccatum infantium minus est quam peccatum Adæ; et nullus tamen sine illa universalis satisfactione salvatur, per quam et magnum et parvum dimititur peccatum. Cur autem non sit sine illa morte, et quomodo per illam sit salus hominum, in prefato libro, sicut Deus mihi dedit, quæsivi et dixi.

## CAPUT XXIV.

*Quod peccata parentum post Adam non computentur in originali peccato filiorum.*

Parentum vero proximorum peccata ad originale peccatum non aestimo pertinere: quippe si Adam nequivisset ad eos, quos generatus erat, justitiam suam perducere nequaquam posset eis suam injustitiam transmittere. Quare, quoniam nullus post Adam filiis suis quivit justitiam suam servare, nullam video rationem eur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari. Denique nulli dubium est quod infantes nullam servant rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. In hoc ergo sunt omnes pariter injusti, quia nullam habent, quam omnis homo habere debet, justitiam. Haec nuditas justitiae descendit ad omnes ab Adam, in quo humana natura se spoliavit eadem justitia. Nam et si in Adam (hoc est naturæ humanæ) illi remansit aliqua justitia, ut in rebus aliquibus rectam servaret voluntatem: sie tamen privata est illo dono quo sibi justitiam custodire poterat in posteris; ut in nullo eorum ipsa cum aliqua justitia se propagare queat. Plus itaque in infantibus auferre sibi non valuit, quam omnem justitiam et beatitudi-

nem, quæ nulli datur aliqua carenti debita justitia. Quod autem proximorum parentum injustitia possit hanc augere justitiae nuditatem, qua non valet in infantes ab Adæ peccator major descendere, non videtur possibile. Nam nbi nulla est justitia, nulla potest auferri justitia. Unde autem nulla potest absentari justitia, ibi addi nulla valet injustitia. Nullam ergo infantibus suis addere queunt injusti parentes injustitiam, super prædictam nuditatem justitiae. At ubi nulla est justitia, nihil prohibet aliquam ponи justitiam. Verisimilius igitur et possibilius videtur, si parentes injusti aliquam suis infantibus addere dicuntur injustitiam, quod justi suis aliquam dare possint justitiam. Quod si sit, habent infantes justorum aliquam justitiam. Si vero hoc est, levius damnatur, quam infantes justorum, si moriuntur sine baptismo; aut si salventur, cum aliquo suo præcedenti merito eliguntur. Quod Paulus apostolus negat (*Rom. v*), ubi per Jacob et Esau probat nullum, nisi omnium merita preveniente gratia, salvare. Quoniam itaque nullam dant justi parentes ante baptismum infantibus suis justitiam, nullam utique addunt injusti suis injustitiam. Quod si dicitur Non addunt injusti parentes suis infantibus aliquam injustitiam, quibus auferre nequeunt ullam justitiam; sed originalem, quam habent ab Adam, faciunt in eis gravorem, ergo et justi in suis reddunt eam leviorem. Quare si minus sunt injusti infantes justorum quam injustorum, minus debent reprobari quam illi. Quod dicat, qui audet et ostendere potest. Ego vero non audeo, cum misericordiam et justorum et injustorum infantes ad baptismi gratiam eligi et ab illa reprobari. Sed et hoc si quis dicit, non valet ostendere. Quippe sicut, hoc modo, non est justo justior, nisi qui voluntate magis aut appetit, aut vitat quod debet; ita non est injusto injustior, nisi qui plus amat aut contemnit quod non debet. Si igitur infantes nequeant ostendi, mox ut animam habent, alius alio magis vel minus velle quod debent, aut quod non debent; nemo potest probare quod in infantibus alius alio nascatur justior vel injustior. Pariter ergo nec justi sua justitia reddere videntur in suis infantibus originalem injustitiam leviorem, nec injusti in suis sua injustitia gravorem. Quapropter si parentes injusti nec numero, nec magnitudine queant originale peccatum suis infantibus suo peccato augere, videtur mihi peccata parentum, post Adam, in infantum merita bona parentum, filiis multa et magna beneficia corporis et animæ impendi, et propter peccata parentum filios et nepotes usque in tertiam et quartam generationem, et forsitan ultra, diversis tribulationibus in hac vita flagellari, et ea perdere bona etiam in anima, quæ forsitan per illos consequerentur, si justi essent; quorum exempla nimis longum est hic inserere. Sed dico peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse: sicut peccatum Adæ, quod est causa cur nascantur in illo, ad omnes pertinet æqualiter.

## CAPUT XXV.

*Quomodo peccata parentum noceant animabus filiorum.*

Si autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum, hoc modo potius fieri existimo, non quod ea illis Deus imputet, aut quod eos in aliqua delicta propter parentes inducat, sed quoniam sicut sepe meritis parentum, filios justorum a peccatis eruit, ita filios justorum eorum meritis, in suis aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber est a peccato, nisi Deo liberante, cum non liberat, dicitur inducere, et cum non emollit, indurare. Namque satis videtur susceptibilis, quod Deus animam peccatriecem, cui nihil præter poenam debet, propter parentum peccata in suis dimittat peccatis, ut pro ipsis puniat, quam quod eam alienis cneret, ut pro eis torqueat. Ita igitur sine repugnantia et originale peccatum est idem in omnibus, et filius non portabit iniquitatem patris, et unusquisque onus suum portabit et recipiet, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum, et reddit Deus peccata parentum filii in tertiam et quartam generationem, etiam si hoc sit in anima; et quidquid aliud legitur, quod animabus filiorum peccata parentum nocere significare videtur. Quippe non moritur anima filii peccato patris, sed suo; nec portat quis iniquitatem patris, cum in sua relinquit, sed suam; nec omnis alienum, sed suum; nec recipit prout pater, sed prout ipse gessit in corpore. Sed quoniam, propter peccata parentum, a suis malis non est liberatus, ea qua portat eisdem peccatis parentum imputantur.

## CAPUT XXVI.

*Quomodo tamen nullus portet peccatum patris, sed suum.*

At si objicitur quia omnes qui non salvantur per fidem, quæ est in Christum, portant iniquitatem et onus Adæ, ut per hoc velit probare infantes, aet aliorum quoque parentum iniquitates similiter debere portare, aut illius non debere, consideret diligenter quia non portant infantes peccatum Adæ, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud est peccatum infantum; quia differunt, ut dictum est: illud enim fuit causa, istud est effectus; Adam erexit debita justitia, non quia alius, sed quia ipse deseruit. Infantes carent ea, non quoniam ipsi, sed quoniam alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ et infantum. Et cum dicit apostolus quod supra posui: *Quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (*Rom. v, 14*), sicut significat infantiam minus esse quam Adæ peccatum: ita aperte monstrat aliud esse. Quapropter cum damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, sed suam, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati, istius causa fuit. Haec autem causa,

quæ fuit in Adam, ut infantes in peccato nascantur, non est in aliis parentibus, quia non habet in eis humana natura potestatem, quemadmodum dixi, ut filii justi propagentur. Quare non ita sequitur ut pro peccato illorum sit in infantibus peccatum, sicut pro peccato Adæ.

#### CAPUT XXVII.

*Quid sit originale peccatum, et quod in omnibus sit aquale.*

Originale igitur peccatum non alind intelligo, quam quod est in infante, mox ut animam habet rationalem; quidquid prius in corpore nondum sic animato factum sit (ut aliqua membrorum corruptio) vel post sive in anima, sive in corpore, futurum sit. Quod propter prædictas æstimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis esse æquale, et omnes qui in illo solo moriuntur æqualiter damnari. Siquidem quidquid peccati super illud additur in homine, personale est: et sicut persona, propter naturam, peccatrix nascitur, ita natura per personam magis peccatrix redditur, quia cum peccat persona quilibet, peccat homo. Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiae debite nuditatem, per quam omnes filii sunt iræ, quoniam et naturam accusat spontanea, quam fecit in Adam, justitiae desertio; nec personas excusat, ut dictum est (*cap. 2.*), recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas, ut sicut sunt sine omni justitia, ita sint absque omni beatitudine: per quas duas nuditates in hujus vitæ exsilio expositi sunt, et patentes peccatis et miseriis incessanter ubique occurribus, et undique irruentibus, nisi quantum divina defenduntur dispositione.

#### CAPUT XXVIII.

*Contra illos qui non putant infantes debere damnari.*

Sunt quorum animus infantes debere damnari, qui sine baptismo moriuntur, ob solam injustitiam quam dixi, non vult accipere: quoniam nullus homo judicat eos reprehendendos de peccato alienæ personæ, et quia nondum sunt justi et intelligentes in tali ætate, nec putant Deum distictius innocentes debere judicare, quam judicent homines. Quibus dicendum est quod aliter Deus erga infantes exigit quid debeant agere, aliter homo. Nam homo non debet exigere a natura quod ipse non dedit, et quod sibi non debetur. Nec juste redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non nascitur, et de qua non nisi per alium sanatur. Deus vero recte exigit a natura quod dedit ei, et quod sibi juste debetur. Sed et hoc judicium, quo infantes damnantur, non est alienum multum, si consideretur, ab hominum judicio. Si quis enim vir et uxor ejus, ad magnam quamdam dignitatem et possessionem nullo suo merito, sed gratia sola proiecti, simul crimen grave inexcusabiliter committunt, et pro eo juste dej'cuntur, et in servitum

rediguntur, quis dicet filios, quos post damnationem generant, eidem non debere subjacere servituti, sed potius ad bona quæ parentes juste perdiderunt, gratis oportere restitu? Tales sunt p̄imi parentes, et filii eorum, quos juste pro culpa sua de beatitudine in miseriam damnati, in eodem generant exsilium. De similibus itaque simile debet esse iudicium, sed de illis tanto districthus quanto delictum eorum probari potest improbabilius, Denique omnis homo, aut salvatur, aut damnatur: omnis autem homo qui salvatur, ad regnum cœlorum admittitur, et omnis qui damnatur, ab eo excluditur. Qui vero admittitur, provehitur ad similitudinem angelorum, in quibus nullum unquam fuit aut erit peccatum, quod fieri nequit, quandiu est in eo aliqua mæcula peccati. Impossibile itaque est aliquem hominem cum aliquo, quamvis parvo, peccato, salvari. Quare si, quod dixi originale peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso, damnari.

#### CAPUT XXIX.

*Quomodo impotentia habendi justitiam excusat eos post baptismum.*

Dixi impotentiam habendi justitiam non excusare injustitiam infantium. Quæret ergo aliquis forsitan dicens: si in infante peccatum, id est injustitia, est ante baptismum; nec excusatur impotentia habendi justitiam, sicut dicas, et in baptismo non remittitur peccatum, nisi quod prius erat: cum post baptismum sit sine justitia, quandiu infans est, nec intelligere potest justitiam quam servet (siquidem justitia est rectitudo voluntatis propter servata); quomodo non est injustus, etiam postquam baptizatus est? Si ergo baptizatus moritur in infantia, non statim post baptismum, cum p̄ennere non habet, quoniam non habet debitam justitiam nec excusat impotentia, injustus transit de hac vita, sicut faceret ante baptismum, nec ad regnum admittitur: quod catholica non tenet Ecclesia. Quid si in baptismo peccatum in infantia futurum remittitur infantibus, cur non et illa quæ in sequenti fiunt ætate? Ad quod respondeo quod in baptismo peccata penitus que ante baptismum erant deleanuntur. Quapropter originalis impotentia justitiam habendi, jam baptizatus non imputatur ad peccatum, sicut prius. Quemadmodum igitur impotentia habendi justitiam prius excusare non poterat absentiam justitiae, quoniam ipsa erat in culpa: sic post baptismum illum omnino excusat, quia remanet sine omni culpa. Unde fit ut justitia quæ ante baptismum debetur ab infantibus, sine omni excusatione post baptismum ab illis non exigatur, quasi ex debito. Quandiu ergo sola originali impotentia non habent justitiam, non sunt injusti, quoniam non est in eis absentia debite justitiae. Non enim est debitum quod sine omni culpa est impossibile. Quare si sic moriuntur qui non sunt injusti, non damnantur, sed et justitia Christi qui se dedit pro illis, et justitia fidei

matris Ecclesie quæ pro illis credit, quasi justi salvantur. Haec breviter de originali peccato, pro capacitatem intellectus mei, non tamen affirmando quam conjectando dixi, donec mihi Deus melius

aliquo modo revelet. Si cui vero aliter visum fuerit, nullius respuo sententiam, si vera probari poterit.

## II. — ORATIONES QUINDECIM AD BEATAM VIRGINEM MARIAM.

### I. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*Cum recordatione meritorum ejusdem, et malorum nostrorum.*

O beatissima et sanctissima semper virgo Maria, ecce asto mœrens ante faciem pietatis tue, et confundor nimis pro abominationibus peccatorum meorum, quibus deformis factus sum et horribilis coram Deo et te, et angelis ejus et sanctis omnibus. Expavescor vehementer judicium extremum damnationis, quando unicuique divinitus reddetur, prout gessit sive bonum, sive malum (*II Cor. v. 10*). Et quia propter hoc timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae (*Psalm. liv. 6*), malorum actuum meorum, et intueor me leporum et immundum; idecirco me dignum scio separari a societate fidelium, quos a me discernit candor et puritas castitatis: propterea flens et ejulans, deprecor, Domine, quatenus a me quatriplu mortuo, intolerabili fetore jam pleno, faciem tuam non avertas; sed potius aspicias quam gravi ulcere percussus sum, et consideres qualiter me cœlesti medicamine cures, atque Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, cuius tu mater es et qui de te natus est, me emundatum restituas. Tu enim nosti, misericordissima regina, quod ad hoc nata es, ut per te nasceretur idem Dominus noster Jesus Christus, verus Dens, verus homo, in quem veracissime credo, et de cuius pietate non despero; ut et ipse qui erat Conditor hominum, fieret et Salvator; teque talen haberet matrem, quæ pro peccatoribus interveniens, perfectam obtineres ei salutem. Tu autem, domina mater ejus, virgo in partu, virgo ante partum, et virgo post partum. In te manet intacta castitas, pudor integer, et firma constantia. Quæ lactaris quod virgo concepisti, et quod cœli Dominum castis visceribus portasti, et quod virgo partum edidisti, et quod es ab angelo salutata, a Spiritu sancto obumbrata (*Luc. i. 35*). Et quod angelica nuntiavit puritas, ineffabilis perfecit Deitas, atque Deum illum gignere meruisti, qui cuncta nasci suo nutu concessit.

Tu, domina, mirabar et corporis tui integratem, et conceptus fecunditatem, et gaudebas tuum paritura parentem, Dominum nostrum Jesum Christum: duobus enim gavisa es munericibus. Miraris quod virgo peperisti, et lactaris quod Redemptorem mundi edidisti, Jesum Christum Filium Dei. Quapropter, ineffabilis misericordiae Regina, credo quod non es vacua a visceribus pietatis, quæ genuisti ipsum fontem totius. Et quæ lactasti magni consilii Angelum, potes et mihi esse magni consilii angelus, si pro me depreceris Dei Filium, qui per te mundo in carne apparuit, ut quem latenter apud Patrem incognitum habebat mundus, apparentem

per carnem agnoscere, et agitum crederet, et credendo in eum salvare per fidem. Qui suo inNarrabili munere prestitit ut natura humana ad similitudinem sui condita Creatoris, dissimilis per peccatum et mortem effecta nequaquam in æterna damnatione periret; sed illam per te sua immensa pietate repararet, et ut tu nova et intemerata virgo facinus antiquæ viraginis expiaret.

O admirandam divinæ dispensationis operationem? Tu benedicta inter omnes mulieres virum non cognovisti; et mater es, et post Filium natum virgo permansisti. Hanc fidem sanctam postquam suscepisti, domina, non semper recto tramite tenui, quoniam præceptis ejus non oledivi. Quibus si patere studuissest, me ad te clamantem facile audires, quem placere filio tuo sciens. At quia seduxit me hostis antiquus, et sagittis suis vulneravit me, et vestibus candidis exuit, atque nigris et lacrymosis ac semiustis igne peccatorum meorum induit, idecirco deformibus vestibus indutus apparebo tibi. Propterea, elementissima regina et domina, ne contemnas me; sed menor fragilitatis humanæ, annue ne desperans fugiam, sed exspectem consolationem tuam, quam tunc evenire probabo, si ea quæ sunt in me incendia criminum et iniuriarum, et præcipue illarum quibus infatigabiliter uror, paulatim in me desiccare tua virtute atque imbre intercessionum tuarum extingui in corde meo et corpore persenserio.

O mi domina, quid dicam, vel quid faciam? In tenebris sum, et lumen cœli non video. Quo ibo, aut quo a facie filii tui judicantis fugiam? (*Psalm. cxxxviii. 5.*) Non ad orientem aut meridiem, vel ad occasum aut ad aquilonem, vel in profundo abyssi habeo effugium; ubique filius tuus, ubique totus, ubique præsens, ubique discernens et omnia judicans, et super celestia habitans. Qui si me pro meis actibus juste judicaverit, expediisset mihi magis ut conceptus non essem, aut natus statim interiisse. Nec hoc mihi proficeret potuisse, quia in peccatis tunc conceptus et natus, et sine baptismo mortuus absque dubio periisse. Ego namque de peccatoribus conceptus et natus peccator, baptizatus et salvatus, iterum peccator factus sum. Et non talis ut antea, sed sordidior et immorior; quoniam talis sum qualem pejorem non habet mundus. Ideo talem adjutorem requiro, qualem post filium tuum potiorem et meliorem invenire non potest mundus. Habet orbis apostoles, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adjutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu vero, Domina, omnibus iis adjutoribus melior et excelsior es: quia istis et aliis sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus, nec non regi-

bus et potestatibus mundi, divitibus, pauperibus, dominis, servis, majoribus et minoribus domina es, et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina coeli et terrae, et omnium elementorum. Te ergo require, ad te confugio, et tu me per omnia adjuves, suppliciter peto. Te tacente, nullus orabit, nullus juvabit. Te orante, omnes orabunt, omnes juvabunt.

Millies centena millia hominum (regina piissima) ad te clamant, et omnes salvantur; et ego clamabo ad te, et non auxiliabor? forsitan non; quia illis omnibus sum pejor et pessimus. Quid inde? Propterea non tacebo. Clamans igitur vociferor ad te. Egregia virgo, et piissima domina, parce mihi et exaudi me. Exaudi miserum, et solare incoerentem; recollige errantem, refove desperantem. Sana in me quae conspicis vulnera, per tua saucta medicamina, tollensque a me sordida indumenta, viridia et splendida porrigere vestimenta, quibus me renovatum re praesentes filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Esto mihi contra diabolum turris fertitudinis, murus inexpugnabilis, brachium defensionis. Illum contra me saevientem suscipe, et ne me viribus imbecillem astutia sua confoliat, tu invincibiliter repugna. Ille callidus est et fraudulentus, et non metuit pugnare contra fortes, sed majores vires infert tentationis contra validos quam contra infirmos. Tu tamen, cœlestis auxiliatrix, quæ nosti dolositates ejus, sic commune robur ejus, ut me nulla ipsius callida suggestio decipiat tentando; sed cum nimirum decipere, ipse confusus, ex tua virtute superatus discedat, et ego misellus tua defensione protectus, a tua filiique tui laude nunquam quiescam.

Fac, o felix domina et omni laude dignissima, ut ego famulus tuus qui in tota longevitate dierum meorum miserabiliter per abrupta peccatorum corrui, nunc in extremis positus diebus, agam penitentiam pro peccatis meis quæcumque gessi in cogitatione, voluntate, operatione et negligentia. Et quamvis diutissime, hoc est, ab exordio vitæ meæ, usque in hanc horam, perseveraverim in ipsis quæ cœpi peccatis; tu tamen, cœlorum regina, obtine apud clementissimum filium tuum, ut ultra non regnet iniquitas in me, sed virtus divinitatis. Virtutum et orationum copia me justificet, mundet et muniat, et per semitas justitiae deducendo ad bonum perseverantiae perducat et provehat. In extremis quoque vitæ positum nulla me oblivio habebet, linguae officium nullius passionis vitium impedit. Exploetoque dierum meorum numerum, atque perfecto in me Ecclesie sancto ministerio, mercari suscipi ab angelo lucis, et liberari ab angelo mortis, ac perfervi ante tribunal piissimi judicis, ubi per te, domina, percipiam quietem pacis vitæ æternæ. Amen.

#### II. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Beatissima Dei Genitrix et virgo perpetua Maria, sacrum omnium virtutum, signando Dominum

virtutum et regem gloriae Christum, per eundem Deum et Dominum nostrum Iesum Christum quem meruisti generare, tibi ad æternam gloriam, et nobis ad æternam salutem, precor per tuam clementiam suffragare mihi omni misericordia indigno apul divinam majestatem, exorabilemque te precibus tanti peccatoris præbere, domina, ne differas, ex qua et beatitudinis felicitas et redemptio nobis venit. Siquidem omnino, Deifera sanctissima Maria, indignus sum te adire precatum; sed fiduciam spei meæ attribui recordatio multorum Christum teque negantium, qui tandem conversi pristinam meruerunt per tua suffragia suæ mentis integratam, licet siam amplius peccator, quam possit lingua mea confiteri: proh dolor! plura sunt peccata mea, quam vix numero possunt comprehendendi. Et quamvis professionem Christianitatis minus recte obseruaverim post baptismum, tamen nunquam in negotiis foveam corde vel ore incidi. Omnipotenti Deo gratias, qui me tenuit tuis sanctis orationibus. Ad hoc te Deus fecit, ut speramus, sui matrem; ut mater fieri deberes omnium in eum credentium, quo se patrem nos jussit vocitare.

Quid unquam potest dignius aestimari, quam ut sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater. Ipse namque, propter suam insolitam honestatem, omnibus paternos præbebit profectus, si te, domina, senserit maternos non denegare affectus. Quo namque modo mihi non miserearis, mater misericordia? Ubi est nisi in Deo, et in te, spes mea? Ergo sine te nihil pietatis est, nihilque honestatis, quia mater virtutis et virtutum es omnium. Quapropter adjuva me, domina, quæso; quia nihil sum et ad nihilum me venturum scio, nisi digneris me adjuvare. Adjuva me ergo, nec uni degenes beneficium, quod omnibus confers etiam non rogata. Non habeo quo pergam solatium vitæ quærens, nisi ad quam omnes rei confugiantur. Ad te confugio, quia te filius tuus Dominus noster Jesus Christus providit nobis refugium post se. Suscipe me, ora que eum quatenus me tales efficiat qualem me jubet fieri; nec diutius sinat decipi suggestionibus demonum, sed faciat sua pietate, tuaque intercessione me sic frui temporali vita, quo possim æternam consequi, ipso auxiliante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia seculorum. Amen.

#### III. — AD EAMDEM.

Sancta et gloriosa Dei Genitrix, semperque virgo Maria, quæ mundo meruisti generare Salvatorem, exaudi me et miserere mei nunc et semper propter honorem sanctæ et excellentissimæ virginitatis tue. Te deprecor humiliter, esto mihi salvatrix et adjutrix apud Deum omnipotentem, ut ipse me prius pastor et princeps pacis a peccatorum meorum malis emundet, et ab inferni tenebris eripiat, et ad vitam perducat æternam. Et qui per te, castissima Virgo, venit in hunc mundum, et humanum genus suo sanguine salvavit, et inferni claustra destruxit,

et cœlestis regni januas aperuit; ille me per misericordiam suam salvare et conservare dignetur; et post finem hujus vitæ labentis, aliquam partem æternæ beatitudinis precibus tuis in sanctorum societate concedat.

## IV. — AD EAMDEM DEI MATREM.

Singularis meriti, sola sine exemplo, mater et virgo Maria, quam Deus ita mente et corpore inviolatam custodivit, ut digna existeres, ex qua sibi nostræ redēptionis p̄t̄m Dei Filius corpus aptaret: obsecro te, misericordissima, per quam totus salvatus est mundus, intercede pro me miserimo et cunctis iniq̄uitatibus foedato, ut vel jam donet Dominus infelici animæ meæ amorem puritatis, affectum munditiae, tenorem castitatis. Ego enīn, ego infelix, ego totius innocentiae, totius sanctimoniæ gratiam perdidi; ego templum Dei sanctum multipliciter violavi. Sed quid ago, obsecnitates meas referens auribus illibatis? Horresco, domina, horresco; et arguente me conscientia, male nudus coram te erubesco. Cui vero moribundus offeram vulnus meum? Ad quem ibo, et apud quem deplorabo dolorem meum, aut quando aliunde sperem beneficia sanitatis, si mihi clauditur illud unicum reclinatorium æternæ pietatis? Audi ergo, domina, audi propitia, audi et exaudi civem perditum de sorte hereditatis tuae post longa exsilia, post longa suspiria, post sæva ludibria, post multa supplicia, revertentem ad ubera consolationis tuae.

Memini et meminisse delectabile est, qualiter ad commendandum miseris unicum patrocinium tuum, cuidam tuo servo agenti in extremis revelasti memorabile nomen tuum. Apparens enim ei, cum esset in angustiis, et requirens utrum te agnosceret, cum ille, *minime, domina*, tremens responderet, tu ei pro benignitate tua quam blande, quam familiariter tu, domina, dixisti: *Ego sum misericordia mater.* Apud quem ergo miseri, apud quem desolati recti ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis et miseriae nostræ, quam apud te veram et indubitatem matrem misericordia? Mater sancta, mater unica, mater immaculata, mater incorrupta, mater misericordia, mater pietatis et indulgentiae, aperi sinum pietatis et suscipe mortuum in peccatis. Ecce, domina, filius prodigus, nudus et attritus pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiae et fetoris suspirat, clamat, et appellat matrem non immemor quoties eum soveris, texeris, excusaveris apud Patrem. Et quidem ille piissimus atque benignissimus pater, tu tam dulcis et suavis mater. Agnosce, benedicta, filios tuos quos unice dilectus unigenitus tuus non erubuit nominare fratres suos. Et si pro illo innocentie filio tuo crucifixo pertransivit gladius animam tuam (*Luc. ii, 35*), quomodo super mortuis in peccato pueris tuis te continere; quomodo unquam maternis fletibus et lacrymis, o domina, poteris temperare? Abstrahimur, diripimur, captivamur; non

est qui eruat, non est qui redimat, qui consurgat diluculo et spondeat pro nobis. Surge, pia; surge, propitia; intra sacrarium exanditionis, et expande manus immaculatas ante altare illud aureum humanæ reconciliationis. Erit per te impenetrabile quod per te ingerimus, erit per te excusabile quod timemus. Nec diu poterit te sustinere pro nobis supplicantem, quem tu scepissime consolata es, dulcis mater, infantem vagientem. Quæ ergo potentior meritis ad placandam iram judicis, quam tu quæ meruisti mater esse ejusdem Redemptoris et judicis? Ne dubites, domina mea; ipse enim est os meum et caro mea, salutare meum et gloria mea, ipse caput nostrum, ipse cognovit figuratum nostrum (*Psal. cii, 14*).

Decus virginum, domina gentium, regina angelorum, fons hortorum, ablutio peccatorum, sancta et perpetua virgo Maria, succurre misero, subveni perditō; ut qui jam, proh dolor! non audet angelicam illam sperare stolam virginalem; tuis, gloriosa, meritis qualemque recipiat vestem nuptialem. Denique, et si non merebor, imo quia non merebor vicinus accedere atque interesse florigeris atque odoriferis gloriæ vestræ choris; eminus saltem positus et longe constitutus videre merear et audire processus vestros, tympana vestræ, concentus vestros, et quidquid illud gloriarum et exultationis erit, quando tripudabitis sequentes agnum quocunque ierit.

Singularis virgo, summa et perpetua virgo, sola mater et virgo, sancta Maria, in fine orationis meæ, in extremo hujus fatuæ supplicationis indignus hoc unum rogo, hoc unum precor et obsecro in nomine dilecti filii tui, dona mihi misero jugem et perennem memoriam suavissimi nominis tui. Sit cibus dulcissimus, cibus suavissimus animæ meæ. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis, adsit in principio lætitiae meæ. Si enim hoc Dei dono et tuo mereor obtinere, nullatenus certe, nunquam funditus vereor interire. Aderit enim semper mihi gratia tua, aderit miseratio et protectio tua. Et si in infernum demersus fuero, eo me requires, et inde me extrahes, et reddes filio tuo, qui me redemit et lavit sanguine suo, Iesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus.

V. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.  
*Cum recordatione peccatorum, ad excitandum torporem.*

Sancta, et inter sanctos post Deum singulariter sancta, Maria, Mater admirabilis virginitatis, Virgo amabilis fecunditatis, quæ Filium Altissimi genuisti, quæ perditō humano generi Salvatorem peperisti, Domina præfulgens tanta sanctitate, supereminens tanta dignitate, quam utique certum est non minori præditam esse potentia et pietate: tibi, o Genitrix vitæ, o Mater salutis, o Templum pietatis et misericordia, tibi sese conatur præsentare miserabilis anima mea, in morbis vitiorum languida, vulneri-

bus facinorum scissa, ulceribus flagitorum putrida, tibi nititur quantum moribunda valet supplicare, ut potentibus tuis meritis et piis tuis precibus digneris eam sanare. Sic enim, pia Domina, alienata est a se inumanitate stuporis, ut vix sensum habeat enormis languoris. Sic sordibus et fetore fœdatur, ut timeat ne ab ipsa misericors vultus tuus avertatur; sic tabescit desperando respectus tui conversionem, ut etiam os obmutescat ad orationem.

Peccata mea, nequitiae meæ, si habetis animam meam vestro veneno peremptam; vel cur sic facitis eam vestra fœditate horrendam, ut miseratione non possit aspicere illam? Si obrnitis ei spem exauditionis vestra mole, vel cur obstruitis illis vocem orationis vestri pudore? Si mentem ejus vestri fecistis amore dementem, vel cur sensum ejus vestro redditis torpore non sentientem? Heu pudor sordentis iniquitatis, in præsentia nitentis sanctitatis! Heu coafusio immundæ conscientiæ, in conspectu fulgentis munditiae! O tu benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate; anhelat moribundus spiritus ad tantæ benignitatis respectum; sed erubescit ad tanti nitoris conspectum. Rogare enim te, domina, desidero, ut miserationis tuae respectu cures plagas et ulcera peccatorum meorum; sed confundor coram te ob fetorem et sordes eorum. Horreo, domina, apparere tibi in immunditiis et horribus meis, ne tu horreas me pro eis, et non possum, ut mihi, videri sine eis.

O perturbata, o confusa peccandi conditio! Eu quippe vos, peccata mea, quomodo discerendo distrahitis, distrahendo correditis, corrodendo tortatis precordia mea? Eadem enim peccata mea, o Dominæ, cognosci a te cupiunt, propter curationem, apparere tibi fugiunt, propter execrationem: non enim sanantur sine confessione, nec produntur sine confusione. Si celantur, sunt insanabilia; si videntur, sunt detestabilia. Urunt me dolore, terrent me timore. Mole me obruunt, pondere me premunt, pudore me confundunt.

O tu, illa pie potens, et potenter pia Maria, de qua ortus est fons misericordiae, ne contineas, precor, tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Si enim ego confundor in obscenitate iniquitatis meæ ad fulgorem tuæ sanctitatis, tune domina, erubesces erga miserum affectum insitæ pietatis? Si ego confiteor nequitiam meam, tunne abnegabis benignitatem tuam? Simajor est miseria mea quam mihi expediat, eritne minor misericordia tua quam te deceat? Quanto enim, o domina, magis delicta mea in conspectu Dei et tuo sordent; tanto magis ejus curatione et tua subventione egent. Sana ergo, clementissima, infirmitatem; et delebis, quæ te offendit, fœditatem. Aufer, benignissima, languorem, et non senties quem horres fetorem: fac, piissima, ut non sit quod doleat; et non erit quod sinceritatæ tue sorde at. Fac, domi-

na; exaudi me, Domina. Sana animam peccatoris servi tui, per virtutem benedicti fructus ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis Patris sui, *superlaudabilis et supergloriosus in secula* (*Dan. iii, 55*).

#### VI. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*Cum mens timore premitur.*

Virgo mundo venerabilis, mater humano generi amabilis, femina angelis mirabilis, Maria sanctissima, cujus beata virginitate omnis sacratur integritas, cujus gloriose partu omnis salvatur fecunditas. Domina magna, cui gratias agit concie lœta justorum, ad quam fugit territa turba reorum. Ad te, præpotens et misericors domina, ego peccator et utique nimis peccator anxius confugio. Videns enim me, domina, ante distretti judicis omnipotentem justitiam, et considerans iræ ejus intolerabilem vehementiam, perpendo peccatorum meorum enormitatem, et condignam tormentorum inumanitatem. Tanto igitur, domina clementissima, horro turbatus, tanto pavore perterritus, cujus enixius implorabo interventionem, quam cujus uterus mundi sovit reconciliationem. Unde securius velocem in necessitate subventionem sperabo, quam unde mundo processisse propitiationem scio? Aut cujus intercessio filius reo veniam impetrabit, quam quæ illum generalem et singularem justum ultorem et misericordem indultem lactavit? Sicut namque, beatissima, impossibile est ut hæc merita tibi tam singularia nobis tam necessaria obliscaris; sic, mitissima, incredibile est ut supplicantibus miseris non miserearis. Bene quippe novit mundus, nec nos mundi peccatores ullatenus dissimulare patimus: satis, inquam, o domina, satis novimus, qui *Filius hominis*, vel cujus hominis filius *venit salvum facere quod perierat* (*Luc. xix, 10*). Nunquid ergo tu, dominamea, mater spei meæ, nunquid oblivisceris tu, odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter divulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius hominis venit perditum salvare sponte, et mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare peccantem *ad paenitentiam* (*Luc. v, 32*); et bona mater contemnet precentem in pœnitentia? ille, inquam, bonus Deus, mitis homo, misericors Filius Dei, plus Filius hominis venit querere errantem peccatorem; et tu bona mater ejus, potens mater Dei, repelles miserum orantem?

Ecce enim, o Virgo, homo de qua natus est Deus homo ut salvaretur peccator homo, ecce coram bono filio tuo, et coram bona matre ejus pœnitent et confitetur, gemit et orat peccator homo. Observo ergo vos, bone Domine et bona domina, obsecro vos, pie fili et pia mater, obsecro vos per hanc ipsam veritatem, per hanc singularem spem peccatorum ut sicut vere tu es filius ejus, et tu mater ejus ut salvetur peccator, sic sic absolvatur et curetur, sanetur et salvetur hic peccator. Probet in se, probet hic vester peccator quia vere

estis, sentiat in se quia propter salutem peccatorum estis tu filius, et tu mater. Vester eerte amborum peccator. Cum enim peccavi in filium, irritavi matrem; nec offendit matrem, sine injuria filii. Quid ergo facies peccator? Quo igitur fugies peccator? Quis enim te reconciliabit filio, inimica matre; Qui tibi placabit matrem irato filio? sed et si ambo pariter offensi estis, nonne et ambo clementes estis? Fugiat ergo reus justi Dei ad piam matrem misericordis Dei. Refugiat reus offensae matris ad pium filium benignae matris. Ingerat se reus utriusque inter utrumque, injiciat se inter pium filium et matrem piam. Pie Domine, parce servo matris tuae; pia domina, parce servo filii tui; bone fili, placa, matrem tuam servo tuo; bona mater, reconcilia servum tuum filio tuo. Qui me injicie inter duas tam immensas pietates, non incidam in duas tam potentes severitates. Bone fili, bona mater, non mihi sit frustra quod confiteor de vobis hanc veritatem, nec erubescam quod spero in vobis hanc pietatem. Amo enim veritatem quam confiteor de vobis, et deprecor pietatem quam spero in vobis.

Die, mundi judex, cui parces? Die, mundi reconciliatrix, quem tu reconciliabis: si tu, Domine, damnas; et tu, domina, averteris homunenum bona vestra cum amore, mala sua cum moerore confidentem? Salvator singularis, die quem salvabis? Salutis mater, dic pro quo orabis? si te, Domine, praecipiente, et te, domina, consentiente, tormenta vexant peccatorem se exseerantem, vos obsecrantem; si infernus absorbet reum se accusantem, vos deprecantem; si tartara devorant pauperem in se desperantem, in vobis sperantem.

Deus, qui factus es filius feminæ propter misericordiam; femina, quæ facta es mater Dei propter misericordiam, aut miseremini miseri, tu parcendo, tu interveniendo; aut ostendite ad quos tu tuis fugiam misericordiores, et monstrate in quibus certius confidam potentiores. Si enim est, imo quia est tam magna mea iniquitas, et tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta satisfactio mea, ut non merear delictorum veniam, nec salutis gratiam; hoc est ipsum quod supplico: ut in quo merita mea mihi videtis non sufficere, in eo misericordiae vestræ dignentur non desfere. Precor, itaque, precor, exaudite me, sed propter vos non propter me, per pietatem qua exundatis, per potestatem qua abundatis, ut evadam meritos dolores damnatorum, et intrare merear in gaudia beatorum, te Deum laudaturus, qui es benedictus et superlau-dabilis in sæcula (Dan. iii, 52) sæculorum. Amen.

#### VII. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*Cum meditatione et laude meritorum ejus.*

Maria, tu illa magna Maria, tu illa maxima beatarum Mariarum, tu illa maxima feminarum. Te, Domina magna et valde magna, te vult eor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat ve-

nerari mens mea, te affectat evorare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea. Enitimi viscera animæ meæ; enitimi quantum potestis, si quid potestis, omnia interiora mea, ut ejus merita laudetis, ut ejus beatitudinem ametis, ut ejus eelsitudinem admireretis, ut ejus benignitatem deprecemini, cujus patrocinio quotidie indigetis, indigendo desideratis, desiderando imploratis, implorando impetratis. Et si non secundum desiderium vestrum, tamen supra vel certe contra meritum vestrum. Regina angelorum, domina mundi, mater ejus qui mundat mundum, confiteor quia cor meum inimicis est immundum, ut merito erubescat in tam mundam intendere, nec digne possit tam mundam intendendo contingere. Te igitur, mater illuminationis cordis mei, te, nutrix salutis mentis meæ, te obsecrant, quantum possunt, cuneta præcordia mea. Exaudi, domina mea, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebrae meæ, ut aeeendatur tepor meus, ut expurgiscatur torpor meus, quatenus sicut beata tua sanctitas super omnia post summum omnium filium tuum, per omnipotentem filium tuum, ob gloriosum filium tuum, a benedicto filio tuo est exaltata: sic super omnia post Dominum et Deum meum et omnium filium tuum, te cor meum intelligat et veneretur, amet et deprecetur eo affectu, non quo desidero imperfectus, sed quo debedo a filio tuo factus et salvatus, redemptus et resuscitatus.

O genitrix vitæ animæ meæ, altrix reparatoris carnis meæ, laetatrix Salvatoris totius substantiæ meæ! Sed quid dicam? Lingua mili deficit, quia mens non sufficit. Domina, domina mea, omnia intima mea sollicita sunt, ut tantorum beneficiorum tibi gratias exsolvant; sed nec cogitare possunt dignas, et pudet proferre indignas. Quid enim digne dicam matri Creatoris et Salvatoris mei, per cuius sanetatem peccata mea purgantur, per cuius integritatem mihi incorruptibilitas donatur, per cuius virginitatem anima mea adamatur a Domino suo et despontatur Deo suo? Quid, inquam, digne referam genitrici Dei et Domini mei, per cuius fecunditatem captivus sum redemptus, per cuius partum de morte æterna sum exemptus; per cuius prolem perditus, sum restitutus, et de exilio misericordie in patriam beatitudinis reductus? *Benedicta in mulieribus* (Luc. i, 28): hæc omnia mihi dedit *benedictus fructus ventris tui* (*ibid.*, 42) in regeneratione baptismatis sui, alia in spe, alia in re; quanquam hæc omnia ego ipse mihi peccando sic abstulerim, ut nec rem habeam, et spem vix teneam. Quid enim? Si mea culpa evanuerunt; nunquid ingratus ero illi per quam mihi tanta bona gratis evenerunt? Absit, ne addam hanc iniquitatem super iniquitatem. Imo gratias ago, quia habui; doleo, quia non habeo, oro at habeam: certus enim sum quia sicut per filii gratiam ea potui accipere; sic eadem per matris merita possum recipere. Ergo, o domina, porta

vitæ, janna salutis, via reconciliationis, aditus recuperationis, obsecro te per salvatricem tuam secunditatem, fac ut et peccatorum meorum mihi venia et bene vivendi gratia concedatur, et usque in finem hic servus tuus sub tua protectione custodiatur. Insidiis et oppressionibus dæmonum mundus tenebris obvolvatus subjacebat; sed sole de te orto illuminatus eorum et laqueos devitat, et vires conculeat.

Tu aula universalis propitiationis, causa generalis reconciliationis, vas et templum vitæ et salutis universorum, nimium contraho merita tua, cum in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quæ mundus amans gaudet, gaudens claimat esse sua. Tu namque domina admirabilis singulari virginitate, amabilis salutari secunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate, tu ostendisti mundo Dominum suum et Deum suum, quem ne- sciebat: tu visibilem exhibuisti mundo Creatorem suum, quem prius non videbat: tu genuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat: tu peperisti mundo reconciliatorem quem reus non habebat. Per secunditatem tuam, domina, mundus peccator est justificatus; damnatus, salvatus; exsul reductus: partus tuis, dominus, mundum captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum resuscitavit.

Cœlum, sidera, terra, flumina, dies, nox et quæcunque humanæ potestati vel utilitati sunt obnoxia, in amissum decus sese gratulantur, domina, per te quodammodo resuscitata, et nova quadam ineffabili gratia donata. Quasi enim omnia mortua erant, cum amissa congenita dignitate favendi dominatui vel usibus Deum laudantium, ad quod facta erant; obruerantur oppressione, et decolorabantur abusu idolis servientium, propter quos facta non erant. Quasi vero eamdem resuscitata lætantur, cum jam Deum constituent et dominatui reguntur, et usu decorantur. Nova autem et inæstimabili gratia quasi exsultaverunt, cum ipsum Deum, ipsum Creatorem suum, non solum invisibiliter supra se illa regentem senserunt, sed etiam visibiliter intra se eisdem utendo sanctificantem viderunt. Hæc tanta bona per beneficium fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ provenerunt.

Sed cur solum loquor, domina, beneficiis tuis plenam esse mundum? Inferna penetrant, cœlos superant. Per plenitudinem enim gratiarum tuarum, et quæ in inferno erant, se lætantur liberatae; et quæ supra mundum sunt, se gaudent restauratae. Per eumdem quippe gloriosum filium gloriose virginitatis tuarum, omnes justi qui obierunt ante vitalem ejus mortem, exsultant diruptione captivitatis suarum, et angeli gratulantur restituzione semirintæ civitatis suarum. O femina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediантur, dæmones conculeantur, homines salvantur, angeli redintegrantur! O femina plena et

superflua gracia, de cuius plenitudinis exundantia responsa sic revirescit omnis creatura! O Virgo benedicta et superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura, non solum creata a Creatore, sed et Creator a creatura! O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ, quo aufugis aciem mentis meæ? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo evadis capacitate cordis mei? Præstolare, Domina, infirmam animam te sequentem: nec abscondas te, domina, parum videnti, animæ te querenti. Miserere, domina, animam post te anhelando languentem.

Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam. Nihil est æquale Mariæ: nihil, nisi Deus, maior Maria. Deus Filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariæ: et ex Maria fecit sibi filium, non alium, sed eundem; ut naturaliter esset unus idemque communis Filius Dei et Mariæ. Omnis natura a Deo est creata, et Deus ex Maria est natus. Deus omnia creavit, et Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit; et sic omnia quæ fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est pater rerum creatarum, et Maria mater rerum recreatarum. Deus est Pater constitutionis omnium, et Maria est mater restitutio- nis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta; et Maria peperit illum, per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est; et Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O vere Dominus tecum, cui dedit Dominus, ut omnis natura tantum tibi deberet secum.

Maria, obsecro te per gratiam, qua sic Dominus esse tecum, et te voluit esse secum; fac propter ipsam secundum eamdem ipsam gratiam, misericordiam tuam mecum; fac ut amor tui semper sit tecum, et cura mei semper sit tecum. Fac ut clamor necessitatis meæ, quandiu ipsa persistit, sit tecum; et respectus pietatis tuæ, quandiu ego subsisto, sit tecum; fac ut congratulatio beatitudinis tuæ semper sit tecum, et compassio misericordiae meæ, quantum milii expedit, sit tecum. Sicut enim, o beatissima, omnis a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat, ita omnis a te conversus et a te respectus impossibile est ut pereat; sicut enim, Domina, Deus genuit illum in quo omnia vivunt, sic o tu, flos virginitatis, genuisti eum per quem et mortui reviviscent. Et sicut Deus per Filium suum beatos angelos a peccato servavit, ita o tu, decus puritatis, per Filium tuum miseros homines ex peccato salvabis. Quemadmodum enim Dei Filius est beatitudo justorum, sic, o tu salus fæconditatis, Filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non enim est reconciliatio, nisi quam tu casta conceperisti; non est justificatio, nisi quam tu integra in utero fovisti; non est salus, nisi quam tu virgo,

peperisti. Ergo, o domina, mater es justificationis et justificatorum, genitrix es reconciliationis et reconciliatorum, parens es salutis et salvatorum. O beata fiducia! o tutum refugium! Mater Dei est mater nostra; mater ejus in quo solo speramus, et quem solun timemus, est mater nostra; mater, inquam, ejus qui solus salvat, solus damnat, est mater nostra.

Sed, o benedicta et exaltata non tibi soli, sed et nobis quidem quam magnum, quam amabile est quod video per te evenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim tu domina es mater ejus, nonne et alii filii tui sunt fratres ejus? Sed qui fratres, et cuius ejus, loquar unde jucundatur cor meum; an silebo, ne de elatione arguatur os meum? Sed quod credo amando, cur non confitebor laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo. Qui enim fecit ut ipse per maternam generationem particeps esset naturae nostrae, et nos per vitae restitutionem essemus filii matris ejus, ipse nos invitat, ut confiteamur nos fratres ejus. Ergo judex noster est frater noster; Salvator mundi est frater noster; denique Deus noster est factus per Mariam frater noster. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua consolatione possumus timere, quorum sive salus, sive damnatio, de boni fratribus, et de pietate matris pendent arbitrio! Quo etiam affectu hunc fratrem et hanc matrem amare debemus? Qua familiaritate nos illis committemus? Qua securitate ad illos configuiemus? Qua dulcedine configuentes suscipiemur. Bonus igitur frater nobis dimittat quod delinquimus; ipse avertat quod delinquentes meruimus, ipse donet quod penitentes petimus. Bona mater oret et exoret pro nobis, ipsa postulet et impetrat quod expedit nobis. Ipsa roget filium pro filiis, unigenitum pro adoptatis, dominum pro servis. Bonus Filius audiat matrem pro fratribus, Unigenitus pro his quos adoptavit, Dominus pro his quos liberavit. O Maria! quantum tibi debemus, domina mater per quam tales fratrem habemus! Quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus!

Magne Domine, tu noster major frater, magna domina, tu nostra melior mater, docete cor meum qua reverentia vos beatam cogitare. Bone tu, et bona tu; dulcis tu, et dulcis tu dicite et date animae meae, quo affectu vos memorando de vobis delectetur, delectando jucundetur, jucundando impinguetur. Impinguate et succendite eam vestra dilectione; vestro continuo amore langueat cor meum, liquefiant omnia ossa mea, deficiat caro mea. Utinam sic viscera animae meae dulci fervore vestrae dilectionis exardescant, ut viscera carnis meae exarescent! Utinam sic intima spiritus mei dulcedine vestri affectus impinguetur, ut medullae corporis mei exsiccentur!

Domine Fili dominae meae, domina mater Domini mei, si ego non sum dignus qui sic debeam vestro

amore beatificari, certe vos non estis indigni, qui sic, imo plus debeat amari. Ergo, benignissimi, ne sic denegetis mihi petenti id quo me confiteor indignum, ut anferatur vobis id quo certe vos negare non potestis dignos. Date itaque, piissimi, date, obsecro, supplicanti animae meae, non propter meritum meum, sed propter meritum vestrum; date illi quanto digni estis, amorem vestrum. Date, inquam, mihi quo sum indignus, ut reddatur vobis quo estis digni. Si enim non vultis dare, ut habeam quod desidero, saltem nolite negare ut reddam vobis quod debo.

Forsitan presumendo loquar, sed utique bonitas vestra facit me andarem. Loquar ergo adhuc *ad Dominum meum et dominam meam cum sim pulvis et cinis* (*Gen. xviii*, 27). Domina et domina, nonne multo melius est cum vos gratis donatis petenti quod ipse non meretur, quam cum vobis subtrahitur quod vobis juste debetur? Illud quippe praecandae misericordiae est, istud est nefanda iniquitas. Impendite igitur, piissimi, gratiam, ut recipiatis debitum; facite vos mihi misericordiam vestram quae mihi expedit et vos decet, ne faciam ego vobis iniquitatem meam quae nulli expedit et nullum decet. Estote vos mihi misericordes, quod obsecro vos, ne sim ego vobis injustus, quod execror. Date benigne et benigna, ne sitis exoratu difficiles, date animae meae amorem vestri, quem ipsa non inuste petit, et vos juste exigitis; ne ipsa bonus vestris sit ingrata; quod ipsa justa horret, et vos non inusta punitis.

Certe, Jesu fili Dei, et tu, Maria mater, et vos vultis, et aequum est ut quidquid vos diligitis diligitur a nobis. Ergo, bone Fili, rogo te per dilectionem, qua diligis matrem tuam, ut sicut tu vere diligis, et diligis vis eam, ita mihi des ut vere diligam eam. Bona mater, rogo te per dilectionem, qua diligis filium tuum, ut sicut tu vere diligis et diligis vis eum, ita mihi impetras, ut vere diligam eum. Ecce enim peto quod ut fiat vere est in vestra voluntate. Cur ergo propter peccata mea non fiet, cum sit et in vestra potestate? Amator et miserator hominum, tu posuisti reos tuos et usque ad mortem amare, et poteris te roganti amorem tui et matris tuae negare? Mater hujus amatoris nostri, quae illum in ventre portare, et in sinu meruisti lactare, an tu non poteris, aut non voles poscenti ejus amorem et tuum impetrare? Veneretur igitur vos, sicut digni estis, mens mea; amet vos, sicut aequum est, cor meum; diligat vos, sicut sibi expedit, anima mea; serviat vobis, sicut debet, caro mea, et in hoc consummetur vita mea, ut in aeternum psallat tota substantia mea. Benedictus Dominus in aeternum; fiat, fiat.

#### VIII. — AD SS. VIRGINEM MARIAM, ET AD SANCTUM JOANM EVANGELISTAM.

O intemerata et in aeternum benedicta, specialis et incomparabilis Virgo, Dei Genitrix Maria, gratissimum Dei Templum, Spiritus sancti Sacrarium,

janua regni cœlorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum, inclina aures tuæ pietatis, et illos tuos misericordes oculos iudicis supplicationibus meis, et esto mihi peccatori pia in omnibus auxiliatrix.

Et, o beatissime Joannes, Christi familiaris amice, qui ab eodem Domino nostro Iesu Christo electus es, et inter cœteros magis dilectus atque mysteriis cœlestibus supra omnes imbutus, apostolus ejus et evangelista factus præclarissimus, custosque matris ejus individuus, te invoco etiam cum matre ejusdem Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa ferre digneris.

O duæ gemmæ cœlestes, Maria et Joannes ! o duo luminaria divinitus ante Deum luceant ! vestris radiis effugate scelerum meorum nubila. Vos estis illi duo, in quibus Deus Pater per Filium suum specialiter redificavit sibi domum, et in quibus ipse Filius Dei unigenitus, ob sincerissimæ virginitatis meritum, dilectionis sue confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrum ita dicens : *Mulier, ecce filius tuus (Joan. xix, 26).* Deinde ad alterum : *Ecce mater tua (ibid., 27).* In hujus ergo sacratissimi amoris dulcedine, qua ita tunc ore Dominico velut mater et filius invicem conjuncti estis, vobis duobus, ego N. peccator corpus et animam meam commendo, ut omnibus horis atque momentis intus et exterius firmi custodes et pii apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Credo enim firmiter, fateor indubitanter quod velle vestrum, velle Dei est; et nolle vestrum, nolle Dei est. Unde et quidquid petitis, sine mora obtinetis. Per hanc ergo tam potentissimam vestre dignitatis virtutem, poscite mihi corporis et animæ salutem. Agite, quæso, agite vestris glorioissimis precibus ut cor meum invisere et inhabitare dignetur Spiritus almus, qui me a cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris exornet, in dilectione Dei et proximi perfecte stare et perseverare faciat, et post hujus vitæ cursum ad gaudia ducat electorum suorum benignissimus Paracletus, gratiarum largitor optimus, qui Patri et Filio coæternus et consubstantialis cum eis, et in eis vivit et regnat omnipotens Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

#### IX. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

O sancta, o benedicta, in necessitatibus nostris adesse digneris nostrum consilium et auxilium, quæ omnibus es promptior, potentior, efficacior, amabilior, gratiosior et dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni sexu, in omnیitate, in omni conditione, in tribubus, populis et linguis. Tu es luna in medio firmamenti, candelabrum in medio mundi, lignum vitæ in medio paradisi; tu es myrrha electa, piscina in Ezebon, virgula summi ex aromatibus, fasciculus myrræ et thuris inter ubera sponsi, terebinthus extendens ramos gratiæ et salutis, inter benedictas superbenedicta es, superselecta es, superspeciosa, supergratiosa, su-

pergloriosa, Mater illius qui gratiam, et gloriam et honorem, et æternitatem præstat.

Surge, beatissima Virgo, misericorditer ora pro nobis; surge, et amplectere misericordiam Redemptoris; et da preces jugiter pro nobis, quos cernis tam graviter offensos ante oculos conditoris. Per te, Domina gloriosa, ad Jesum filium tuum mereamur ascendere, qui per te ad nos dignatus est descendere. Per te, beata Virgo, venire valeamus in ipsius gloriam, qui per te in nostram venit misericordiam. Fer te accessum habeamus ad Filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inventrix gratiae, genitrix vitæ, mater salutis, per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. Excusat, piissima domina virgo Maria, apud piissimum filium tuum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetrat vanitatis. Copiosa charitas tua gloriosam secunditatem nobis conferat ineritorum. Generaliter omnes te, gloriosa virgo Maria, invocantes exaudi, omnibus adesto, omnibus subveni, omnes in angustiis et necessitatibus te sentiant adjutricem quicunque te credunt esse Dei genitricem.

Specialiter vero illos tua quotidiana et assidua defendat oratio, quorum frequens tibi famulatur devotion, et quicunque sunt memores tui in terris, memor sis illorum ante piissimum filium tuum Dominum nostrum in celis. Domina nostra, mediatrix nostra, tuo filio nos commenda, reconcilia nos filio tuo, tuo filio nos represesta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps misericordie et infratitialis nostræ, te quoque intercedente particeps nos faciat suæ gloriæ atque beatitudinis æternæ.

#### X. — AD EAMDEM SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

O alma Virgo Maria, tanto omnibus angelorum spiritibus omnibusque electorum animabus, in cuncta filii tui Christi Domini nostri haereditate es gloriosior, quanto ab ipso fieri meruisti beatior. Obsecramus ergo te lacrymosis suspiriis, ut nunc ad gemitum nostri mœroris aures inclines magnifica pietatis. Nos siquidem peccatores proui innumerabilibus delictis infernale supplicium meruimus, ubi nullatenus penitentia datur locus quoniam fidem aliquando Deo promisinus, sed male vivendo hactenus mentiti sumus. O sancta Dei Genitrix, omnium creaturarum dignissima atque purissima, cœcorum cordium oculos terge, atque semitas justitiae nobis ostende. Orando a nobis vitia subtrahe, atque saerarum virtutum plantaria insere. Impetra æterni tripudii cursum, quem assidue sequitur supernum bravium.

Sic, quæso, piissima domina, pro nobis ora in celis, ut deleas quidquid delinquimus in terris. Non est enim aliquid tam parvum in nobis quod oratio, si tibi placet, delere non possit. O sanctissima virgo Maria, nos qui credimus quod virgo et mater Dei sis, credendo sentiamus quod pro nobis depreceris.

Et qui confitemur te peperisse Deum et hominem, gaudeamus per te nobis advenire salutem. Et qui fatemur te omnibus hominibus meliorem, gaudemus per te percipere felicitatem. Et quotiescumque processerit ad nos divina miseratione tua, ne inflemeret tui. Et si venerit tribulatio, vel tentatio, ne labamur, præsens sit tua sancta oratio. Sic quæso, domina clemens, pro salute nostra preces funde in celis, ut paradi post obitum frui mereamur gaudiis.

O beata Dei genitrix, virgo Maria, templum Dei vivi, aula Regis æterni, sacrarium Spiritus sancti. Tu virga de radice Jesse, tu cedrus de Libano, tu rosa purpurea in Jericho, tu cypressus in monte Sion; quæ singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem, cui novo et inaudito miraculo datum est ut Verbum quod ante sæcula Deus genuit, fieret filius tuus, Deus et homo. Tu enim in fine sæculi genuisti, ut verus atque perfectus esset Dei Filius gemina quidem natura, sed una persona, Deus et homo, unus Emmanuel. O gloriosa puerpera, in qua sola reperitur secunda virginitas, quæ sic intemeratis visceribus Filium Dei protulisti ut illibata pudicitia cresceret integritas, non libido virginalis integritatis sigillum violaret.

Tibi, dum conciperes, Spiritus sanctus obumbravit; non (quod absit!) ut ipse in tuo sanctissimo utero fieret pro semine sobolis, sed potius virtute ac potentia Creatoris. De te summus Pontifex noster sui corporis hostiam sumpsit, quam in ara crucis pro totius mundi salute sacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth. Tu letitia Israel. Tu decus mundi. Tu nobilitas populi Christiani. O regina et domina mundi, scala cœli, thronus Dei, janua paradisi, audi preces pauperum, ne despicias gemitus miserorum. Inferantur per te vota nostra atque suspiria in conspectum Redemptoris; ut qui nostri excludimur in meritis, per te locum obtineamus adiuvantes tue pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solve compeditos. Per te succidantur vepres et germina vitiorum, prodeant flores et ornamenta virtutum. Placa precibus Judicem, quem singulari puerperio genuisti Salvatorem, ut qui per te particeps factus es humanitatis nostræ, per te quoque nos consortes efficiat divinitatis suæ. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### XI. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*In Nativitate ejus.*

Dignare me laudare te, Virgo sacra; da mihi virtutem contra hostes tuos, et contra hostem totius humani generis. Da mihi virtutem te humiliter deprecandi. Da mihi virtutem te cum precibus omnibus laudandi, per merita tuae sacratissime Nativitatis, quæ nata es in mundum universæ Christianitati gaudium, spes vita et solatium. Quando nata es, Virgo sanctissima, tunc illuminatus est mundus. Stirps beata, radix sancta, et benedictus fructus

tuus, quæ sola meruisti Spiritu sancto plena virgo Deum concipere, virgo Deum portare, virgo parere, virgo post partum permanere. Miserere igitur mihi peccatori, et adjuva me, Domina, ut sicut Nativitas tua gloria ex semine Abrahæ, orta de tribu Juda, clara ex stirpe David gaudium annuntiavit universo mundo; ita me gaudio vero repleat, et emundet ab omni peccato. Ora pro me, Virgo providentissima, vel lætissima gaudia tuae saluberrimæ nativitatis velamen indulgentiae conferant eunctis meis peccatis. Sancta Dei Genitrix, florens ut lily, ora tuum dulcem natum pro me misero peccatore. Amen.

#### XII. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*In Annuntiatione ejus.*

Precor te, Virgo dulcissima, per merita tuae saluberrimæ annuntiationis, et per illud angelicum ave, quod accepisti a sancto Gabriele nuntio salutis tuae, nuntio Incarnationis Verbi divini, nuntio vite æternæ, nuntio salutis nostræ per te, ut accipias preces nostras. Misericordissima domina, magna sunt peccata mea, sed major est gratia tua; quia tu es gratia plena, et Dominus tecum est; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Mater totius gratiæ, ora pro me, ut sicut annuntiatio tua finis appropinquans exstittit veteri culpæ, spes autem promissæ gratiæ, et omnibus expectantibus eam in veritate origo et via fuit gratiæ futuræ; ita a me in honorem tui gaudii corde recogita, ore pronunciata ejusdem annuntiationis tuae recordatio fiat in me finis et abolitio totius culpæ meæ veteris ac novæ, et gratia salutaris jugis castimoniae. Adjuva me, domina mea, spes viventium, et consolatio mœstrorum, subventrix inopum, niseratrix omnium, ut qui culpam meam per ipsa flagella mœroris et tristitiae et infirmitatis agnoscere; per gaudia tuae sanctissimæ annuntiationis de infirmitate remedium, et de mœrore gaudium tua misericordia consequi mercari; ut in utili mœrore, in castimonia cordis et corporis, in humilitate mentis, in fidei integritate, et omni bonitate studeam de cætero placere Deo, et exsultet spiritus meus in Deo salutari meo omni tempore vite meæ. Sancta Dei Genitrix, succurre et intercede apud dulcem natum tuum pro me peccatore. Amen.

#### XIII. — AD EAMDEM VIRGINEM.

*In Partu ejus.*

Virgo sanctissima, da mihi virtutem per merita tui sanctissimi virginei partus, contra hostes tuos. Benedicta es enim, Maria, quæ Dominum omnium portasti Creatorem sæculorum. Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes virgo. Beata viscera quæ portaverunt æterni Patris Filium. Beata ubera tua quæ lactaverunt Christum Dominum. Beata et venerabilis es, Virgo Maria, omnium bonorum beatitudine plena. Beata Mater, quæ sola sine dolore genuisti, quia tu sola peperisti Virgo. Beata et benedicta inter mulieres: qui natus ex te virgine Christus Deus noster, sua sanctissima nativitate primi parentis, et primæ mulieris in dolore pœnaliter parturientis

solvendo maledictionem, dedit per te sine dolore parturientem, dimissa veteri culpa, novæ gratiæ et salutis æternæ mellifluam benedictionem. Per gaudia tui sanctissimi virginei partus miserere mei, Domina mea, et exaudi orationem meam. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Psal. L, 6).*

In peccatis sum natus, et in peccatis conversatus sum per omne tempus vitæ meæ. Tu autem, domina mea, sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. Miserere mihi inmundo, qui in peccatis conceptus et nutritus sum; et adjuva me tuis sanctis precibus, Virgo serenissima: ut sicut nativitas filii tui Domini nostri Jesu Christi ruina fuit horribilis tristitia, nativitas universis fidelibus novæ exultationis; ita et mihi hæc eadem gaudia Dominicæ Nativitatis sint initium vitæ religiosæ et salutaris continentiae, et ruina totius injusti mœroris et inique tristitia, et nativitas spiritualis gaudii et exultationis, et amor et desiderium cœlestis patriæ et supernæ lœtitiae. Sancta Dei genitrix, succurre et intercede apud dulcem tuum natum pro me peccatore. Amen.

#### XIV. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*In Purificatione ejus.*

O virgo serenissima, per merita tua: piissimæ purificationis da mihi virtutem contra hostes tuos; Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima. Virgo virginum, nec corde unquam polluta, nec ore, sed tota pulchra, tota sine macula. Intemerata virgo corpore, intemerata virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excessibus, ut humilitatis in te ostenderes exemplum, implex purificationis officium pollutis inatribus statutum. Ad templum detulisti tecum mundandum, qui tibi integratæ decus homo genitus adauxit. Intacta genitrix ad templum detulisti tecum mundandum, qui delicta nostra intelligens, quia illi omnia nuda sunt et aperta, ab occultis nostris quotidie per confessionem et pœnitentiam mundat, et ab alienis per spiritum continentia pareat servis suis (*Psal. xviii, 14.*). Ad templum detulisti tecum mundandum, cuius sanguis in cruce passionis suæ ab originali nos lavans contagio quotidie etiam in ara crucis per sacrosancta mysteria et nos pœnitentes et confessos emundat a nostris criminibus. Ad templum detulisti tecum mundandum, qui pro nobis Pontifex factus secundum ordinem Melchisedech quotidie compatitur infirmitatibus nostris, et est misericors nobis, et Pontifex fidelis ad Deum propitiando peccata populi, quotidie nos Deo Patri reconciliat, et per id quod Deo Patri offert Deus de Deo quotidie, si conversi fuerimus et peccata nostra confessi. Fidelis et justus et patiens Deus ignoscet nobis et absolvet nos.

In nomine ejus, Virgo integerima, confugio ad te. In ejus ergo nomine dulcissimo et amore, suscipe me, domina mea clementissima, confugientem ad te, et adjuva me per merita tuae castissimæ purificationis, ut sentiam et gaudeam me a sordibus conscientie ita perenniter purificari, ut nunquam doleam de-

cætero me aliqua contagione aut perpetratione sceleris coinquinari. Sancta Dei Genitrix, suscipe et intercede pro me peccatore apud tuum dulcem natum Jesum Christum benedictum fructum ventris tui, et miserere mei.

#### XV. — AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

*In Assumptione ejus.*

Virgo serenissima, Dei genitrix sancta Maria, per merita tua gloriæ assumptionis, et per amorem tui dulcissimi filii, a quo assumpta es in cœlum, da mihi virtutem contra hostes tuos, et in regnum æternum ingredi. Felix namque es sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiae Christus Deus noster. *Sicut cedrus exaltata in Libano, et sicut cypressus in monte Sion, quasi myrrha electa dans suavitatem odoris (Eccli. xxiv, 17, 20).* Exaltata super choros angelorum gaudens et gloriosa in perpetuum regina cœlorum, ubi adjuvas omnes qui te dominam glorificant, et sanctum nomen tuum huinili prece frequentant.

Beata ergo et venerabilis virgo Maria, quæ benigna es omnibus ad te pio corde clamantibus, pia et exorabilis esto mihi peccatori te humilianter invocanti; sub tua protectione confugio, ubi infirmus accepi virtutem. Illam animi et corporis virtutem cum tuo præsidio fac me accipere, ut per te liber a peccatis et desiериis peccatorum, sine timore de manu iniamicorum visibilium et invisibilium liberatus filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum possim omni tempore benedicere, et semper laudem ejus in ore meo habere. O Virgo gloria, quæ mortem subiisti, sed mortis nexibus deprimenti non potuisti, quia tu sola Virgo genuisti eum, qui erat mors mortis, et morsus inferni. Adjuva me per mortem tuam, et per gaudia tua assumptionis in cœlum, ut residuum vitæ meæ possim cum sincera fide tuo adjutorio ducere, et finem vitæ meæ feliciter terminare in cincere et cilicio in terra prostratus cum lacrymis, in confessione et pœnitentia peccatorum meorum; insuper, quod majus est, in confessione nominis Christi, et in perceptione corporis et sanguinis ejus; et in commendatione spiritus mei in manibus misericordiæ suæ. Ora pro me, sancta Dei Genitrix, ut qui conscius peccatorum multorum tribunal filii tui tremebundus perhorresco, per tuam venerabilem intercessionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis, cordis compunctione irrigante, et rore piissimæ confessionis a te exhibito. Nulla de cætero macula peccati anima mea inquinetur; sed mundo corde et casto corpore per merita tuae saluberrimæ nativitatis, annuntiationis, et sanctissimi virginei partus tui, et castissimæ purificationis, et gloriosissimæ assumptionis in excelso cœlorum palatio possim præsentari, in quo gloriosa exultas et regnas regina angelorum et hominum, Mater Domini nostri Jesu Christi. Succurre meis criminibus, mater misericordiæ, tuis virgineis precibus veniam mili obtinendo apud tuum dulcem natum Jesum Christum Dominum nostrum. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat benedictus, etc.

## III. — RHYTHMUS AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM ET AD OMNES SANTOS.

Maria templum Domini,  
Sacrarium Paracleti,  
Sacrarum decus virginum,  
Mōrentium solatum.

Ad te suspiro, domina,  
Meas accepta lacrymas,  
Sinum misericordiae  
Dignare mihi pandere.  
Regina cœli inclyta,  
Orbis lampas siderea,  
Meas absterge lacrymas,  
Et peccatorum nebulas.

Quod voles unigenitus  
Donabit tibi Filius,  
Pro quibus voles veniam  
Impetrabis et gloriam.

Sed vœ peccatis hominum  
In tenebris degentium,  
Me terret conscientia,

Ut Adam delitescere,  
Vel sicut Cain fugere,  
Mea me cogunt scelera,  
Quia multa et gravia.

Sed inter tanta nubila,  
Et peccatorum pondera,  
Patrem recordans lumen  
Non despero auxilium.

Nihil desperare pcjus,  
Nil putavi perversius,  
Præsertim si tu, domina,  
Mea perfers precamina.

Cum mente trato angelos,  
Prophetas et apostolos,  
Victoriosos martyres,  
Et perjudicas virgines :

Nullus mihi potentior,  
Nullus misericordior,  
Illorum pace dixerim,  
Videtur matre Domini.

Quapropter hanc præcipue  
Patronam meam facere  
Nihil religiosius,  
Nihil puto salubrius.

Ergo mater melliflua,  
Et virgo pudicissima,  
Nunc in præsenti sentiam.  
Quam de te do sententiam.

Mei querelam genitus  
Tibi impono primitus,  
Quam perferas ad Dominum,  
Et tuum verum filium.

Maria lux aetherea,  
Ut meas preces deferas,  
Tui stratus vestigis  
Mente deposco supplici.  
Computuerunt pristina  
Peccatorum contagia,  
Sed sapiens est medicus;

Omnipotens est Dominus.

De mala consuetudine,  
Est efficax me tollere,  
Qui suscitavit Lazarum  
Quatriduanum mortuum.

Post lapsum Petrum respicit,  
Et magno fletu concutit,  
Nec Chananaeæ precibus  
Abnuit hic propitius.

David post tam inmania  
Poenituit flagitia,  
Et post laudari meruit  
Ore ipsius Domini.

Unde securus credidi,  
A peccatorum vinculis  
Me cito posse erui,  
Si tu tantum petieris.

Mater misericordiae,  
Sic affectum contemnere  
Vales, quæ vocas impios,  
Et non spernis incredulos.

Quid in Maria gesseris,  
Illam dico Ægyptiam,  
Prorsus novit Ecclesia,  
Et exsultat in gratia.

Theophilus diabolo  
Suo datus chirographo,  
Quasi a fundo barathri,  
Per te reduci potuit.

Sed quis verbis comprehendere  
Vel scriptura dirigere,  
Quotidie quos liberas,  
Et Deo reconcilias ?

Ihis iam diu præmonitus,  
Ad te confugi credulus,  
Ne me pia alijicias,  
Supplex oro ut differas.

Devotionis lacrymas  
Quam primum mihi impetra,  
Ut sint satis idoneæ  
Meas sordes eluere.

Turpis concupiscentia  
Corpus nec mente polluat,  
Quæ tua sub custodia  
Jam deputavi, domina.

Nam Scripturæ auctoritas,  
Et sacra clamat veritas  
Corpus peccatis subditum,  
Sanctum odire spiritum,

Furor et indignatio  
Procul siant ab animo  
Quem tutelæ sanctissimæ  
Prælegit committere.

Non odium exasperet  
Jactantia non elevet,  
Livor edax non acuat,  
Sed pax vera possideat.  
Mundum, si ridet fugiam ;  
Aut si sievit, irrideam ;

Quia qui illum diligit,  
Christo constare desinit.

Sed studiosa lectio,  
Et compuncta oratio,  
Incumbentem exsatiet.  
Et hærentem inebriet.

In te mentis intuitum,  
Mortis versum aculeum,  
Et si tanto suspectior,  
Quanto manet decultior.

O Jesu, Rex altissime,  
O fons misericordiae,  
Horam mortis terribilem,  
Pro spe bona fac facilem.

Secura conscientia  
Non ibi multum trepidat  
Nam spe facta robustior  
Multum transit constantior.

Non aliud sit gaudium,  
Vel meum desiderium  
Quam ut exutus corpore  
Tibi possim assistere.

O vos celorum incolæ,  
Cives supernæ patriæ,  
Qui Deo fruimini,  
Nobis et compatimini

Michael in cœlestibus  
Qui præfulges agminibus,  
Pro speciali gloria.  
Nobis confer solatia.

Angeli quos gravissim  
Carnis non premit sarcina,  
Orate pro hominibus.  
Sub ea laborantibus.

Joannes vatuum maxime,  
Precautum verba excipe,  
Et prophetarum numerum  
Ad hoc ascito socium.

Petre, piscator hominum,  
Et Paule doctor gentium  
Cum cæteris apostolis  
Ope juvate celeri.

Stephane cum Laurentio,  
Magno prelati merito,  
Cum multa turba martyrum,  
Magnum ferte præsidium.

Vos confessores inclytos.  
Vita æterna præditos,  
Nequaque obliviscimur,  
Sed obnixe deposcimus.

Ut qui per temporalia  
Transistis et fragilia,  
Adhuc pro decertantibus  
Tanto instetis promptius.

Agnes, Tecla, Cæcilia  
Nec non et Scholastica,  
Et omnes sanctæ virgines,  
Pro nobis state supplices.

## IV. — HYMNI ET PSALTERIUM DE SANCTA VIRGINE MARIA.

*Hymnus ad Nocturnum.*

Lux quæ luceas in tenebris,  
Ex alvo nata Virginis,  
Nostram nocte nos exue,  
Diemque tuum indeue.  
MARIA Dei thalamus,  
Posce te venerantibus,  
Virtutibus ut splendeant,  
Quos reatus obtenebrant.  
Gloria tibi Domine,  
Nato de sancta Virgine,  
Regnanti victo funere,  
Cum Patre et sancto Spiritu.  
Amen.

*Ad laudes*

Præfulgens sol justitiae,  
Ortus de sacra Virgine,  
Splendore tuo noxias  
Nostras illustra tenebras.  
Orientis castissima  
Mater fac nobis, Dominæ,  
Vita prorsus ut decidat  
Vetus, nova proficiat.  
Gloria tibi Domine, etc.

*Ad primam.*

O Christe proles Virginis,  
Patris compar altissimi,  
Per tuæ matris merita,  
Dele nostra peccamina,  
O mundo venerabilis,  
Virgo mater mirabilis,  
Maria plena gratia,  
Ora pro nobis domina.  
Gloria tibi Domine, etc.

*Ad tertiam*

Quem credimus ex Virgine  
Natum, benigne Domine;  
Sit nobis hæc confessio,  
Peccatorum remissio.  
Quæ genuisti filium  
A summo Patre genitum,  
Per hæc tua nos merita,  
A lapsu mortis libera.  
Gloria tibi Domine, etc.

*Ad sextam.*

Nate summe rex ntero  
Mariæ de Virginio,  
Emunda nos a viitiis,  
Et orna sanctis meritis.  
Dei mater, o domina,  
Sublimis tanta gratia;  
Tua, fac, exaltatio.  
Sit nostra relevatio.  
Gloria tibi, etc.

*Ad nonam.*

Fili Mariæ virginis,

Da nobis ejus meritis

A peccatis resurgere,  
Et ad vitam pertingere.  
Cujus es factus filius,  
Deus, pro peccatoribus,  
Hoc qui fide pronuntiant,  
Fac ut salutem sentiant.

Gloria tibi, etc.

*Ad vesperas.*

Sol casto nascentis utero,  
Vesperascente sæculo,  
Illustra nos perpetue,  
Nec declines in vespe.

Æterni solis genitrix,  
Tuis hoc sanctis meritis  
Age quo perpes maneat  
Nobis, nec unquam decidat.

Gloria tibi, etc.

*Ad completorium.*

De casta nobis oriens  
Matre dies indesinens,  
Jugi nos sove lumine,  
Culpæque noctem remove.

Mater diei perpetis,  
Obsiste nostris tenebris,  
Ne lucem nobis dissipent,  
Et nos delictis implient.

Gloria tibi, etc.

*Salutatio deprecatoria, ante Psalterium beatæ Virginis dicenda.*

Salve Regina mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exsules filii Evæ : ad te suspiramus gementes, et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende : O clemens ! o pia ! o dulcis gloriosa Domina nostra, pro nobis intercede.

*PSALTERIUM DOMINÆ NOSTRÆ**(PARS I.).*

Ave mater advocati,  
Qui beatus consilio,  
Aula ventris incorrupti  
Processit ut ex thalamo.

*Beatus vir qui non abiit*, etc.  
Ave mater, cujus partus Postulavit Deum Patrem,  
Et accepit, quas redemit,  
Gentes in hæreditatem.

*Postula*, etc.

Ave mater, cujus partus Obdormiens patiendo,  
In sepulcro soporatus,

Mortem vicit resurgendo.

Gloria tibi, etc.

*Ego dormivi*, etc.

Ave mater, cujus partus Nobis dedit in sanguine,  
Ut signetur baptizatus  
Divinitatis lumine.

Gloria tibi, etc.

*Signatum est*, etc.

Ave mater, cujus nos filius Scuto bonæ voluntatis  
Induit propitius,  
Lux immensæ majestatis.

*Scuto bona*, etc.

Ave thronus Deitatis,  
In quo Deus majestatis  
Dignatur homo fieri.

\*\*\*

Unde nostras animas  
Eripuit in gratia ;  
Et quas effecit liberas,  
Salvas fecit in gloria.

*Converte*, etc.

Ave mater, cujus partus  
Sua facit justitia  
Ut in nobis Patris ejus  
Sint justa adjutoria.

*Justum adjutorium meum a Domino.*

Ave nostra advocatrix,  
Atque vitæ reparatrix :  
Cujus partus super ipsos  
Dominus est cœli thronos.

*Quoniam elevata est*, etc.

Ave Sion, in qua Deus  
Habitavit homo factus :  
In quo sperant enixis  
Qui noverunt nomen ejus.

*Et sperent in te*, etc.

Ave Virgo singularis,  
Placens aula virginalis,  
Cujus in templo Dominus  
Et in cœlo sedes ejus.

*Dominus in templo*, etc.

Ave, cujus in filio  
Salutem Pater posuit,  
In quo sicut in unico  
Fidem nostram constituit.

*Ponam in salutari*, etc.

Ave, de cuius filia  
Salutari Dei Patris,  
Exsultamus in Domino,  
Qui bona tribuit nobis.

*Exsultavit cor meum*, etc.

Ave nostra advocatrix,  
Captivorum liberatrix,  
De qua Sion Emmanuel

Salutare fit Israel.  
*Quis dabit*, etc.

Ave, cuius mons filius.  
 Dei Patris est unicus,  
 In quo sancti requiescent,  
 Qui veritatem diligunt.

*Domine, quis habitabit*, etc.

Ave regina virginum,  
 Mater Virgo post filium,  
 Cujus partus haereditas  
 In latere est præclara.

*Funes ceciderunt*, etc.

Ave mater, quem prædicat  
 In te nostra mortalitas,  
 Quia tuus mirificat  
 Partus misericordias.

*Mirificat misericordias*, etc.

Ave, quam laudant spiritus,  
 Cui virtus omnis concinit,  
 De cujus celo Dominus  
 Nube carnis intonuit.

*Et intonuit*, etc.

Ave, cuius virgineo  
 Deus processit thalamo,  
 Dotali nobis gratia  
 Se præbens in sponsalia.

*In sole*, etc.

Ave Sion, de qua Deus  
 Nos tueretur incarnatus,  
 Memor nostri libaminis  
 In pace sui corporis.

*Memor sit*, etc.

Ave mater, cuius partum  
 Cœlestis Pater unicum  
 In sæculum dat gentibus  
 In benedictionibus,

*Quoniam dabit*, etc.

Ave mater, cuius partum  
 Panem vitæ nobis factum,  
 Pingue terræ ex quo vivant  
 Et ma ducant et adorant.

*Manducaverunt*, etc.

Ave nostra advocatrix,  
 Cujus partus mensa Patris  
 Est nobis consolatio,  
 Ne frangat tribulatio.

*Parasti in conspectu*, etc.

Ave Regina gratiæ,  
 Cujus partus Rex gloriæ  
 Rex est virtutum Dominus,  
 Lux de luce Christus Deus.

*Quis est iste*, etc.

Ave, cuius virgineo  
 Processit ex sacario,  
 Una salus omni mundo,  
 Dulcis Deus, rectus homo.

*Dulcis et rectus*, etc.

Ave nostra advocatrix,  
 Et lapsorum reparatrix,

## SECTIO I. — THEOLOGIA MARIANA.

De qua Deus factus homo,  
 Solus stetit in directo.

*Puer meus*, etc.

Ave mater cuius sponsus  
 Et creator et filius,  
 Deus illuminatio,  
 Salus est et protectio.

*Idem*.

Ave mater redemptoris,  
 Caro cuius efflourit,  
 Quando passus gustum mortis  
 De sepulcro resurrexit.

*Et refloruit*, etc.

Ave mater castitatis  
 De qua Deus majestatis  
 Scripturarum voces pluit,  
 Et virtutes intonuit.

*Vox Dei super aquas*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Resurgendo nobis factus  
 Matutina lætitia,  
 Nostra spes est, et gloria.

*Ad vesperum*, etc.

Ave cœlestis domina,  
 Cujus partus justitia  
 Est nostra liberatio,  
 Et in Deum protectio.

*Esto mihi in Deum*, etc.

Ave mater singularis,  
 Cujus haec est secunditas,  
 Quia beatis viris,  
 Omnis remittitur iniquitas.

*Idem ipse*.

Ave stella virginalis,  
 Cujus partus singularis  
 De cythara nos docuit,  
 In cruce quando obiit.

Ipsi tunc bene psallimus  
 Decem chordis psalterii ;  
 Ad ipsum cum referimus  
 Decalogum mysterii.

*Confitemini Deo in cytharis*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Cibus vitæ nobis factus,  
 Gustare dedit mentibus  
 Quam suavis est Dominus.

*Benedicam Dominum*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Salus nobis est effectus ;  
 Effusa datur framea,  
 Quæ scidit nostra vulnera.

*Effunde frameam*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Torrens summæ voluptatis  
 Verbum Patris homo factus,  
 Fons vitæ est splendor lucis.

*Inebriasti me*, etc.

Ave cœlestis janua,  
 Qua processit Emmanuel,

Cujus lumen justitia,  
 Judicium meridies.

*Et educet quasi*, etc.

Ave mater, quæ gaudium  
 Peperisti fidelium,  
 Ante quem desiderium.  
 Manet se diligentium.

Per ipsam noster genitus  
 Patri non est absconditus,  
 Dum se facit advocatum,  
 Plurim præbens exauditum.

*Domine, ante te*, etc.

Ave mater, de qua nostra  
 Processit exspectatio.  
 In qua nostra substantia  
 Patris consedit solio.

*Et nunc quæ est*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Se pro nobis holocaustum  
 Fecit Deus caro factus,  
 Solus nostrum remedium.

*Holocaustum improperium*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Nostras sanavit animas,  
 Solus potens advocatus,  
 Agens causas, solvens culpas.

*Ego dixi Domine*, etc.

Ave mater castitatis,  
 Cujus laudes sonus sunt epulantis,  
 Scripturarum cibi dulces,  
 In voce confessionis.

*In voce exultationis*, etc.

Ave mater pietatis,  
 Cujus partus est altare Dei Patris.  
 Lætificans intuitus  
 Juventutis nostræ mentis.

*Et introibo*, etc.

Ave, quæ Patris brachium  
 Peperisti Jesum Christum,  
 Cujus illuminatio,  
 Vultus Dei fit visio.

*Sed dextera tua*, etc.

Ave, cuius visceribus  
 Deus Pater ingenitus  
 Eructavit verbum bonum,  
 Scilicet unigenitum.

*Idem*.

Ave, cuius altissimum  
 Sacravit tabernaculum,  
 Paternæ lucis radius  
 Factus nobis remedium.

*Fluminis*, etc.

Ave mater, cuius partus  
 Nostra salus est effectus,  
 Unde clamat nobis Psalmus,  
 Plaudite gentes manibus.

*Idem*.

Ave cœlestis mansio,  
 De cuius templi medio

Suscepimus incarnatam  
Dei misericordiam.  
*Suscepimus*, etc.  
Ave cœli introitus,  
Divina habitatio,  
Cujus est nobis filius  
Et frater, et redemptio.  
*Frater non redemit*, etc.  
Ave Sion gloria,  
De qua nobis manifesta  
Fit carne Verbi facies  
Decoris Dei specie.  
*A solis ortu*, etc.  
Ave cœlestis janua,  
Qua Dei Patris unica  
Processit nobis redditia  
Salutaris lœtitia.  
*Redde mihi*, etc.

**PARS II PSALTERII B. MARIE VIRGINIS.**

Ave mater, cuius partus,  
Ut oliva fructifera,  
Patibusum crucis passus,  
Tutus fluxit in gratia.  
*Ego autem*, etc.

Ave mater, cuius partus  
Sine culpa fuit unus,  
Qui nec traxit origine  
Culpam natus ex Virgine.  
Ave mater, cuius partus  
Cœlestis Patris unicus  
Nobis voluntarium  
Est factus sacrificium.  
*Voluntarie*, etc.

Ave, ex qua Christus ortus  
Vespere Pascha docuit,  
Ad Pilatum mane ductus  
Veritatem nuntiavit.  
Meridie crucifixus  
A Paire est exauditus;  
Et moriens mortem vicit,  
Qui de morte resurrexit.  
*Vesper et mane*, etc.

Ave Regina virginum,  
Lætitia fidelium,  
Quæ peperisti gaudium  
In lumine viventium.  
*Quoniam eripuisti*, etc.

Ave, cuius est filius  
Super cœlos exaltatus,  
Et ipsis gloria  
In omnia terrestria.  
*Exaltare super cœlos*, etc.

Ave, de qua natus  
Utique est justus fructus,  
Judicans eos in terra,  
Ut exalteat ad æternia.  
*Et dicet homo*, etc.

Ave, cuius in arcanis  
Incarnatum Verbum Patris,

Et eucurrit sine culpa,  
Et direxit in gloria.  
*Neque iniquitas*, etc.  
Ave, de qua Patris Verbum  
Causa nostri caro factum,  
In Idumæam gentium  
Extendit calceamentum.  
*In Idumæam*, etc.  
Ave mater, cuius solus  
Deus et homo filius  
A finibus terræ clamat,  
Dum nos sibi membra sonat.  
*A finibus terræ*, etc.  
Ave mater, cuius partum  
Semel est Deus locutus,  
Dum Verbum Patris unicum  
Tuus est vere filius.  
*Semel locutus est*, etc.  
Ave stella cœlestium,  
Pariens lucem gentium  
Partum cuius adoramus,  
Dum de luce vigilamus.  
*Idem*.  
Ave justorum gaudium,  
In cuius sperant filium,  
Et laudantur recti corde,  
Ut lætentur in requie.  
*Lætabitur justus*, etc.  
Ave Sion illa pacis,  
In qua decet hymnus Deum,  
Aulam tuæ castitatis  
Qui sibi fecit thalamum.  
*Idem*.  
Ave, de cuius filio  
Jubilamus Deo Patri,  
Psalmos damus et laudamus,  
Et in Psalmis jubilamus.  
*Idem*.  
Ave terra, quæ dedisti  
Fructum Deo confitendi,  
Cujus est benedictio  
Vera sui cognitio.  
*Ut cognoscamus*, etc.  
Ave teniplum Hierusalem,  
Habens cœlestem speciem,  
A cuius sanctuario  
Processit Patris visio.  
*Confirmata hoc, Deus*, etc.  
Ave, per quam salva  
Fit confitens Sion nostra  
Et quibus datur gratia,  
Inhabitatibunt in ea.  
*Quoniam Deus salvam*, etc.  
Ave, per enjus filium  
Deus in adjutorium  
Pater festinans gentium,  
Intendit ad adjuvandum.  
*Idem*.  
Ave secretum Virginis,  
Quo processit lux luminis,  
Et adjectit super omnem  
Jesus Christus laudem.  
Pater enim potestatis  
Gunctas creans innouit;  
Pater vero dulcedinis  
In Christo nobis claruit.  
*Ego autem semper sperabo*, etc.  
Ave vellus puritatis  
In quo Deus majestatis  
Inundans tanquam pluvia  
Distillavit in gratia.  
*Descendet sicut*, etc.  
Ave, cuius est filius  
Rectis corde bonus Deus,  
Qui in eum convertitur,  
Plenos dies consequitur.  
*Ideo convertetur*, etc.  
Ave terra virginea,  
In cuius Deus medio  
Salutis est mysteria  
Operatus in Filio.  
*Deus autem Rex noster*, etc.  
Ave potens virtutibus,  
Cujus in cruce Filius  
Exsultans justi cornua  
Peccati fregit vincula.  
*Et omnia cornua*, etc.  
Ave, cuius est Filius  
Notus in Iudea Deus,  
In Israel nomen ejus  
Magnum recte credentibus.  
*Idem*.  
Ave mater, ex qua notam  
Fecit Pater manum suam,  
Et populos in brachio  
Redemit unigenito.  
*Notam fecisti*, etc.  
Ave mater, de qua nobis  
Angelorum natus panis  
Nos revocat et reficit,  
Et in seipso perficit.  
*Panem angelorum*, etc.  
Ave Regina gaudii,  
Cujus cœlestis filii  
Christianus est populus,  
Et oves pascuae ejus.  
*Nos autem populus*, etc.  
Ave, de qua Deus summus  
In sinu Patris unicus,  
Qui sedet super Cherubim  
Apparet coram Effram.  
*Qui sedet*, etc.  
Ave, ex qua Christus  
Non est nobis recens Deus,  
Qui Deo Patri Filius

Est aeterno coexternus.  
*Audi populus*, etc.  
Ave cuius est filius  
Deus Deorum Dominus,  
Sonus Deus dijudicans,  
Et in se beatificans. *Idem.*  
Ave stella paradisi,  
Mater illsius filii  
Qui solus est altissimus,  
Et nomen ei Dominus.  
*Et cognoscant*, etc.  
Ave stella virginalis,  
Cujus partus lator legis  
Est in sinu Dei Patris,  
Dator benedictionis.  
*Etenim benedictionem*, etc.  
Ave terra benedicta,  
Sanctificans mysteria,  
Cujus sacra fecunditas  
Dei Patris est veritas.  
*Veritas*, etc.  
Ave mater, cujus partum  
Omnis gentes verum Deum  
Adorant et glorificant,  
Consententur, magnificant.  
*Inclino*, etc.  
Ave cœlestis civitas,  
Cujus Deus fecunditas.  
Ave Sion, in qua natus  
Est fundator ipse tuus.  
*Nunquid Sion*, etc.  
Ave mater veri Dei,  
Qui pro nobis est mortuus,  
Portas confregit inferi,  
In mortuis liber solus.  
*Æstimatus sum*, etc.  
Ave cœleste lilium,  
Per florem cujus unicum  
Fidelibus est æternum  
Testamentum dispositum.  
*Disposui*, etc.  
Ave, cujus est filius  
Refugium nobis factus,  
Per carnis contubernium,  
Quod est vitæ remedium.  
*Idem.*  
Ave splendor singularis,  
Cujus virtus virginalis  
Feicit nobis altissimum  
Deum Patrem refugium.  
*Dicit Domino*, etc.  
Ave bonum virginale,  
Quod Domino consitemur,  
Cum Virgine peperisse  
Deum verum profitemur.  
*Idem.*  
Ave decor virginalis,  
Quem Verbum Patris induit;  
Cum de fonte castitatis

## SECTIO I. — THEOLOGIA MARIANA.

Nostra carne se præcinxit.  
*Idem.*  
Ave mater, cujus partus  
Ultionum Rex Dominus,  
Libertatem plene egit,  
Cum de morte resurrexit.  
*Idem.*  
Ave mater puerpa ,  
Cujus regali filio  
Jubilamus in gratias  
Deo salutari nostro  
*Idem.*  
Ave, de cujus filio  
Cantamus novum canticum ,  
Cujus carnis commercio  
Salus est facta gentium.  
*Idem.*  
Ave mater gloria ,  
Lux solaris, clara stella ,  
De qua justus, lux, est orta ,  
Rectis corde lætitia.  
*Lux orta est*, etc.  
Ave mater, qua processit  
Qui fecit mirabilia  
Cujus sibi non salvavit  
Sæc. virtute dextera.  
*Salvavit*, etc  
Ave Regis sacrarium ,  
Cujus honor judicium ,  
Pedum cujus est scabellum  
Sumptæ carnis indumentum.  
*Exaltare*, etc.  
Ave cujus fecunditas  
Est divina suavitas ,  
Cujus misericordia  
Est in æterna sæcula.  
*Laudate nomen ejus*, etc.  
Ave mater gratiarum ,  
Quæ peperisti Dominum :  
Ipsi misericordiam  
Cantamus et judicium.  
*Idem.*  
PARS III.

Ave, per quam Sion nostra  
Videbitur in gloria ;  
Cujus partus sunt opera  
Omnis simul creatura.  
*Quoniam aedificavit Dominus*, etc.  
Ave, cujus sacrarii  
Ille processit filius ,  
Cujus est admirabilis  
Omni loco dominatus.  
*Benedicite Domino omnia opera*  
*ejus in om.*, etc.  
Ave, de cujus intimis  
Decorem Deus induit ,  
Et nostræ veste fidei  
Ut lumine se vestivit.  
*Confessionem*, etc.

Ave stella Paradisi ,  
Cujus lumen adoramus ,  
In laudes tui filii  
Alleluya duni cantamus.  
*Titulus Psalmi, Alleluya.*  
Ave stella celestium ,  
Alleluya fidelium ,  
Per quam Dei inter gentes  
Nuntiantur omnes laudes.  
*Item Alleluya in titulo.*  
Ave mater, cui redempti  
De manibus inimici ,  
Induti stola gemina  
Duplex dicunt Alleluya  
*Duplex Alleluya in tit.*  
Ave mater, ex qua Deus  
Deducitur incarnatus  
In munitam civitatem ,  
Ecclesie firmans fidem  
*Quia deducet*, etc.  
Ave de cujus filio  
Laudes Pater non tacuit ,  
Ipsumque de sepulcro  
A mortuis suscitavit.  
*Idem.*  
Ave David tu filia ,  
Ex qua nostra substantia  
Sedet in Patris dextra ,  
Jesus Christus in gloria.  
*Idem.*  
Ave Regina virginum ,  
Quæ peperisti filium ,  
Qui factus est redemptio  
A Patre missa populo.  
*Redemptionem*, etc.  
Ave mater veræ lucis ,  
Ex qua natus in tenebris  
Lumen rectis corde Deus  
Misericors est , et justus.  
*Exortum est*, etc.  
Ave mater, cujus partus  
Super gentes est excelsus ,  
Respiciens humilia  
Et in cœlo et in terra.  
*Quis sicut Dominus*, etc.  
Ave mater, cujus partum  
Non laudabunt in infernum ;  
Sed nos ipsi , qui vivimus ,  
Domino benedicimus.  
*Non mortui*, etc.  
Ave mater, cujus partus  
Deo Patri fit acceptus  
In vivorum regione ,  
Qua vivunt ejus morte.  
*Placebo*, etc.  
Ave mater, cujus partus  
Salutari nos calice  
Comparavit crucifixus ,

Aqua simul et sanguine.  
Calicem, etc.

Ave, per quam confirmata  
Dei misericordia

Veritatem prophetiae  
Aperuit et gratiae.

*Quoniam confirmata, etc.*

Ave mater, ex qua Deus  
Illuxit Dei Filius,  
Conceptus sancto Spiritu,  
Et resurgens ex obitu.

*Benedictus qui venit, etc.*

Ave mater per quam via  
Immaculata patuit,  
Qui a Deo flore  
Virginitas efflorauit.

*Idem.*

Ave mater hujus partus,  
Ad quem sive proclamamus,  
Ut sit pius exauditor,  
Ne valeat tribulator.

*Idem.*

Ave mater, qua processit  
Jesus Christus Emmanuel,  
Qui non dormit, sed custodit  
Verus protector Israel.

*Ecce non dormit, etc.*

Ave mater hujus Regis,  
Cujus sedes judicantis  
Sedebunt in judicio,  
Ad confitendum Domino.

*Quia illuc, etc.*

Ave mater, cujus partus  
Deus in coelis habitat,  
In sanctorum dum mentibus  
Dulcedine sua regnat.

*Idem.*

Ave, cujus in filium  
Proclamat fides martyrum;  
Nisi Deus adjuvisset,  
Persecutor deglutisset.

*Cum exsurgerent, etc.*

Ave, cujus in filio  
Qui confidunt ex animo,  
Ut mons Sion fluit Deo,  
In quo pacis est visio.

*Idem.*

Ave, cujus in filio  
Facti sumus consolati  
Et replentur ex gaudio  
Captivitate exuti.

*Idem.*

Ave celestis Dominina,  
Cujus fructus merces sumus,  
Ejus morte pretiosa  
Quia vitam recepimus.

*Cum dederit, etc.*

Ave mater singularis,  
Cujus partus Emmanuel,

Commercio suæ carnis  
Effectus est pax Israel.

*Ut videas, etc.*

Ave mater summi Regis,  
Cujus est benedictio  
Vitæ semper æternalis  
Scipiterna possessio.

*Et non dixerunt, etc.*

Ave, cujus in filio  
Hæc est misericordia,  
Ut fiat suo populo  
Redemptio copiosa.

*Quia apud Dominum, etc.*

Ave, cujus in filium  
Verus jam sperat Israel,  
Qui non elatus moribus  
De se sensit humiliter.

*Speret Israel, etc.*

Ave mater, Virgo pura,  
Cujus partus homo Deus  
Sedet in Patris dextera,  
Deus David et filius.

*Idem.*

Ave, cujus in filii  
Habitamus sic ovili,  
Sicut illa germanitas,  
Quam regit una charitas.

*Idem.*

Ave, cujus in filii  
Inhabitamus atriis,  
In ipsis quando sive  
Dilatamur charitate.

*Qui statis, etc.*

Ave mater, in qua Deus  
Est ex Sion benedictus,  
Qui habitat Hierusalem,  
Pacis habens visionem.

*Benedictus Deus ex Sion, etc.*

Ave, cujus in filio  
Confitemur Patri Deo;  
Quoniam fit in sæcula  
Ejus misericordia.

*Idem.*

Ave, terra benedicta,  
In qua cantatur canticum,  
Quod in terra aliena  
Cantari non est licitum.

*Quomodo cantabimus, etc.*

Ave, cujus filium  
Dei Patris verum templum,  
Prout decet, adoramus,  
Dum credentes confitemur.

*In conspectu, etc.*

Ave, cujus partus  
In tumulo soporatus  
Sicut diem noctem fecit;  
Cum de nocte resurrexit.

*Quia tenebræ, etc.*

Ave, cujus est filii

Pater virtus salutaris,  
Agentis in die belli  
Vim nostræ redemptionis.

*Domine, Domine virtus salutis meæ.*

Ave mater, cuius partus  
Viam fecit singularis,  
Donec peregit transitus,  
Quibus vitam dedit nobis.

*Cadent in retiaculo, etc.*

Ave mater, cuius partum  
Exspectabant omnes justi;  
Donec Pater genus nostrum  
Retribuit ejus morti.

*Educ de custodia, etc.*

Ave mater hujus partus,  
Cujus nos dicit spiritus  
In terram rectitudinis,  
Terram resurrectionis.

*Spiritus tuus bonus, etc.*

Ave mater, cuius partus,  
Dum virtutes fulgoravit,  
Infideles principatus  
Sua morte dissipavit.

*Fulgura, etc.*

Ave mater, cuius partus  
Laudabilis est Dominus,  
Et magnitudinis ejus  
Non est finis nec terminus.

*Magnus Dominus, etc.*

Ave mater, cuius partus  
Vere solvit compeditos;  
Quia sola fides ejus  
Illuminat mente cæcos.

*Dominus solvit, etc.*

Ave mater, cuius partus  
Ædificat Hierusalem;  
Dum clementer nos ad ejus  
Coadunat visionem.

*Ædificans, etc.*

Ave mater, cuius partum  
Laudat illa Hierusalem,  
Et suspirat in æternum  
Cujus fines dedit pacem.

*Qui posuit fines, etc.*

Ave mater, cuius partus  
Ex debita justitia  
Laudant cives angelorum,  
Laudat omnis creatura.

*Laudate eum omnes angeli, etc.*

Ave, de cujus filio  
Sion exsultant filiæ;  
Dum de ejus consortio  
Sanctorum gaudent animæ.

*Exsultabunt sancti, etc.*

Ave mater, cuius partum  
In tympanis meritorum  
Sancti laudant ex gratia,  
Mortificantes vitia.

*Laudate Dominum in tympano, etc.*

## CONCLUSIO SALUTATIONUM.

Ave gemma singularis,

Habens scripta mysteria

In aeterni Pontificis

Rationali posita.

Ave lamina aurea,

In te ipsa circumscripta,

Nomen propitiabile,

Quod est indicibile.

Ave sola virginitas,

Cujus Deus secunditas,

Nostrum superhumeralle

Divina sit ex virtute.

*Postea dicenda est antiphona :*

Ave Regina cœlorum, etc.

*Post quam est hæc altera.*

Gaude Dei genitrix Virgo imma-

[culata ;

Gaude, quæ gaudium ab Angelo

[suscepisti,

Gaude, quæ genuisti aëterni lumi-

[nis charitatem,

Gaude, mater pietatis et misericor-

[diæ ;

Gaude, sancta Dei genitrix virgo;

Tu sola mater innupta;

Te laudat omnis factura

Genitricem lucis;

Sis pro nobis, quæsumus, pia in-

[terventrix.

*Oratio : Deus qui de beatæ, etc.*

HYMNUS I IN LAUDEM S. DEIPARÆ.

O Maria, nomen bonum,

Nomen memorabile :

O nomen quod melius est

Quam multæ divitiae !

Balsamum aromatizans,

Thus miræ fragrantie,

Flos aëternus, rasa senis,

Lignum semper viride.

Stella solis claritatem

Suo virescens jubare.

Semper mater, quia nunquam

Eris sine sobole.

Speciosa, et suavis

Canticum lætitiae;

Prædicanda, et laudanda

Privatum et publice.

Non hic tantum, sed in tota

Mundi latitudine,

Et in cœlis, angelorum

Dulci modulamine.

Quam amare nolle nullus

Potest sine crimine ;

Cui placare, fide stare,

Et Deo est vivere.

Dum nos tibi commendamus,

Vota nostra suscipe .

Dum te proni salutamus

Quamvis hoc rarissime

Ave tibi coram tua

Dicentem imagine,

Incorrupta et secunda ;

Noli me despicer.

Cœlum cœli, domus Dei,

Vas misericordiae,

Pronum vero tibi constat,

Et omnino facile.

Ad quosunque velis usus

Angelos transmittere

Quod exempla multa probant,

Que longum est ponere.

Ideoque sanctum nobis

Cabriolem dirige,

Qui te matrem Dei sui

Salutavit congrue.

Atque sancto gravidandam

Præconavit flamine,

Absque generatione

Naturalis copulæ.

Ipsum ergo ad te nobis

Causidicum tribue,

Uti tibi preces nostras

Dignetur suggerere.

Cœlestique corda nostra

Curet medicamine,

Quoniam sunt vanitati

Subdita superflue.

Sed tu, mater gloria,

Miseris compatere,

Tendens autem, si quis petit

Sua vincula solvere.

Nec dedignans miserorum

Ærumnas attendere :

Sed parata invocanti

Cuilibet succurrere.

O patrona peccatorum ;

Huc ad nos convertere :

Illustrato terras nostras,

Vultus tui sidere.

Et ex illa sedc tua

Domum istam respice,

Et commenda Salvatori

Locum hunc assidue.

Ac benigne nostri memor

Nos a malis eripe :

Beneficiisque tuis

Incessanter refove.

Qui nos tibi commendamus

Satis necessarie,

Implorantes opeum tuam,

Super nos descendere :

Pro peccatis quippe nostris

Tribulamur undique,

Et præevaluerunt in nos

Hostium insidiae.

Qui nos dente genuino

Non cessant corrodere :

Hen miser! cur sum natus

Tanta mala cernere ?

Mater pia, stella maris,

In hoc consolare me,

Et amico Dei magno

Nicolao condole.

Et ancillæ Dei piæ

Cunegundi condole,

Cujus pene jam defecit

Honor Reipublicæ,

Esto ejus interventu

Custos hujus vineæ,

Et circumdans eam muro

Rapientes ab igne.

Palmites, quos produxi,

Benedic et protege :

Ipsa quippe te dilexit

Affectuosissime.

Semper ardens esse tuæ

Commoda Ecclesiæ.

Ergo et tu servos ejus

Consequenter dilige.

Consolare destitutos,

Lapsis manum porrige,

Et educ de luto fecis,

Et lacu miseriae.

Nec nos mortis sempiternæ

Comprehendant tenebre :

Sed illustret mentes nostras

Lux cœlestis gratiæ.

Donec cujus sordes tantas

Possumus evadere :

Quibus membra suis mundus

Polluit nefarie.

Tu es enim mater Christi,

Suavis memorie,

Ob quam nobis sunt apertæ

Paradisi januæ.

Quæ tam potens es in omni

Bonitatis opere,

Ut omnino sit beatum,

Qualis sis agnoscere.

Benedictum nomen ejus,

Sanctum et terribile,

Qui per orbem tuum nomen

fecit esse celebre.

Per quam posset reis suis

Peccata remittere.

Semper queso, pia Virgo

Mei reminiscere.

Semperque veritatis

Dona mili obtine,

Ut me suo tueatur

Sacro moderamine.

Sitque meæ prece tua

Consolator animæ,

Et infundat peccatrici

Oleum in lampade.

Quo parata possit sponso

Cœlesti occurrere.  
Ave Virgo singularis,  
Sumens hoc benigniter,  
    Ave templum gratiarum  
Omnium capabile :  
Ave cuius peccatores  
Pascunt eleemosynæ.  
    Gaudet felix, et ex ipsis  
Unam mihi tribue,  
Ut sublata per hanc omni  
Hostium formidine,  
    Sine fine possim Deo  
Gratias reperiendere.  
Benedicant te per ævum  
Virtutes angelicæ.  
    Et ad laudem Creatoris  
Te in omni tempore,  
Omnes sancti benedicant  
Ego tu me, et ego te.

**HYMNS SECUNDUS IN DIVERSIS BÉATÆ DEI GENITRICIS CANTANDUS SOLEMNIIS.**

Ave sponsa insponsata,  
Per quam orbis prorsus lapsi  
Facta est ereptio,  
Ave per quam primæ matris  
Est Eva redemptio,  
Sancta Maria, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.

Altitudo cogitandi  
Tu inaccessibilis,  
Invisibile profundum  
Angelorum oculis.

Xáipē neχαριτωμένη  
Θεοτόκος πάρθενε,  
Sancta Dei genitrix, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.  
    Omnia portantem portans,  
Solum imperii  
Tu stella demonstrans solem,  
Sol diei mystici;  
Occidentis astrum mundi,  
Luminis conspicui,  
Sancta Virgo virginum, ora pro  
[nobis].  
    Ave sponsa, etc.  
    Incarnationis divæ  
Uterus tu factus es.  
Per quam renovatur omnis  
Creaturæ species,  
Cum qua adoratur factor  
Et origo omnium.  
Angelorum Domina, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.  
    Tu exstans initatrix  
Arcani consilii  
Mirandorum veræ Christi  
Operum primitiæ,  
Dogmatum illius exstans  
Tu fons et initium,  
Cœlorum Regina, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.  
    Scala tu cœlestis, per quam  
Descendit ipse Deus,  
Sponsa traducens terrena  
Super cœlestia.

Tu mater innupta omni  
Honore superior,  
Virgo perpetua, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.  
    Dæmonum forte lamentum,  
Mœror et tristitia;  
Angelorum, sed honorum  
Laus, decus, et gloria.  
Electorum tu cunctorum  
Satians lætitia.  
Templum Domini, ora pro nobis.  
    Ave sponsa, etc.  
    Generans perennem lucem  
Et inaccessibilem;  
Sophorum super ascendens  
Omnia scientiam;  
Animarum tu sanctorum  
Splendor et prudentia.  
Sacrarium Spiritus sancti, ora pro  
[nobis].

Ave sponsa, etc.  
    Civicam vitæ coronam  
Fructu ventris germinans ;  
Possidens divinitatem,  
Et in ea pullulans ;  
Nutricans humanitatem,  
Et eam agricolans,  
Tu sola sine exemplo, ora pro no-  
[bis].  
    Virginitas illa, cui sunt sua salva  
[sigilla],  
Et secunda tamen, det nobis dulce  
[Juvamen].

**V. — DIALOGUS B. MARIE ET ANSELMI DE PASSIONE DOMINI.**

Sanctus Anselmus longo tempore cum jejuniis, B. valuit decem usnales. Judas vero ita avarus fuit quod, quando denarios vidit, Christum pro eis vendidit et licet Christus ei prædictisset sapienter, tamen ille Judas per hoc non fuerat emendatus.

A. Fuisti tunc cum filio tuo et discipulis ejus?

M. Non; sed seias quod quando filius meus cœnaverat, et pedes discipulorum lavaverat, et corpus suum et sanguinem discipulis dederat, et dulciter prædicaverat, ac Judas pontifices adierat, filius meus de monte Sion cum discipulis suis per portam ad natatoriam Siloe, ubi erat hortus, quem introivit, et, discipulis dormientibus, ascendit ad montis Oliveti pedem, quantum ad jactum lapidis a discipulis, et oravit sic Patrem : *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne avertas faciem tuam a puerō tuo quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ et libera eam, propter inimicos meos eripe me* (*Psal. LXVIII, 17, 19*).

A. Quare oravit?

M. Propter tres rationes. Prima, quia delicate nutritus fuit, utpote filius Virginis et de stirpe regia natus, quia nobiles magis dolent, quando leduntur,

**CAPUT PRIMUM.**

*De traditione Christi ac ejus oratione in horto.*

**ANSELMUS.** Dic mihi, charissima domina, quale fuit initium passionis filii tui?

**MARIA.** Quando filius meus a cœna facta cum discipulis suis surrexit, Judas Iscarioth sacerdotem principes adiit, et filium meum tradens, pro triginta denariis vendidit.

A. Quales fuerunt illi denarii?

M. Ismaelitici quibus etiam Joseph venditus fuit ante quatuor millia annorum, et haereditaria successione fuerant devoluti ad illos Judæos qui filium meum emerunt, et unusquisque denarius

quam ignobiles; secunda, quia tanta angustia eum invasit, quod guttas sanguineas sudavit de toto corpore, et quia Deus erat, ideo omnia quae passurus erat præscivit, videlicet consuptionem blasphemias, flagellationem, crucifixionem, et hujusmodi. Licet enim sur sciat quod mori debeat, tamen nescit quid mors sapiat, nisi quando funis stringit collum; sed filius meus omnia præscivit tanquam Deus et homo; tertia, quia præscivit quod Judæi non deberent ei misereri. Et quando sic oravit: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, verum tam non mea voluntas, sed tua fiat* (*Matth. xxvi, 59*), angelus Domini apparuit ei confortans eum et dicens: *Constans esjo, Domine, modo genus humum redempturus es.*

## CAPUT II.

*De Christi comprehensione.*

Post hoc filius meus ad discipulos rediit, eosque dormientes invenit, quibus et dixit: *Non potuistis una hora vigilare necum?* (*Matth. xxvi, 40*.) Et addeicit: *Ecce appropinquat qui me tradet* (*Marc. xiii, 42*); et ecce Judas venit cum turba magna, dixitque Judæis: *Duo consimiles sunt, scilicet Jacobus et Jesus;* unde do vobis signum: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum* (*Matth. xxvi, 48*). Et cum Judas accederet cum turba, processit Jesus ad eos, dicens: *Quem queritis?* Qui responderunt: *Jesum Nazarenum.* Quibus Jesus: *Ego sum.* Et cum dixisset: *Ego sum, omnes ceciderunt retrorsum.* Iterum dixit Jesus: *Si me queritis, sinite hos abire.* Ut Scriptura impleretur: *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam* (*Joan. xviii, 4-9*). Tunc accedens Judas osculatus est eum, cui dixit Jesus: *Juda, osculo Filium hominis tradis?* (*Luc. xxii, 48*.) At illi injecerunt manus in Jesum, et tenuerunt eum (*Matth. xxvi, 50*). Tunc Petrus eduxit gladium et percussit servum principis sacerdotum qui vocabatur Malchus (*Joan. xviii, 10*).

A. Contigit ibi aliquod miraculum?

M. Filius meus applicuit sibi servum, et curavit auriculam ejus (*Luc. xxii, 51*), et dixit Petro: *Mitte gladium in vaginam. Ounis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. An putas quia non possum rogar Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?* (*Matth. xxvi, 52, 53*.) Tunc omnes discipuli, relicto eo, fugerunt.

A. Dic, pissima domina, fuisti nunc cum illo?

M. Non.

A. Quare, cum eum tantum diligeres?

M. Nox instabat, et non expediebat ut juvenculæ tunc foris invenirentur.

A. Ubi ergo, dulcissima, fuisti?

M. Fui in domo sororis meæ, matris Joannis evangelistæ.

A. Quomodo ergo vel quis nuntiavit tibi quod actuum fuit?

M. Audi nunc, Anselme, quod multum est lamentabile. Venerunt discipuli currentes, et lacry-

mabiliter clamantes: *O charissima domina, dilectus filius tuus Dominus et magister noster captus est, et nescimus quo ducatur jam ligatus, vel quid fiat ei, vel utrum sit occisus.*

A. Flevisti tunc, domina?

M. Licet scirem quod genus humanum esset redempturus; tamen propter maternum affectum, doloris gladius, de quo Simeon predixerat (*Luc. ii, 55*), animam meam pertransivi.

## CAPUT III.

*De Christi deductione ad Annam, et Petri negatione.*

ANSELMUS. Quo tunc fuit ductus filius tuus dilectus?

MARIA. De horto praedicto per vallem Josaphat per portam Auream, et ductus fuit in palatium Scribarum, et pontificum et Pharisæorum, juxta templum, in domum Annæ; et quesivit Annas de doctrina ejus et discipulis. At ille respondit: *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga, et in templo ubi omnes Judei conueniunt; et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui me audierunt quid locutus sim eis; ecce hi sciunt quid dixerim eis.* Tunc assistens unus ministrorum dedit ei alapam inexpertæ crudelitatis, dicens: *Sic respondes pontifici?* Filius autem meus, ut Agnus mansuetus, respondit ei: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si bene, cur me cardis?* (*Joan. xviii, 20-23*.) Tunc velaverunt oculos ejus tanquam furis; quod tamen nulli fit, nisi prius condemnetur. Et illuserunt ei tota nocte, spuentes in faciem ejus, et persecutientes eum, dixerunt: *Prophetiza nobis; quis est qui te percussit?* (*Matth. xxvi, 68*.) Joannes vero existens intus, quia notus erat pontifici, introduxit Petrum. Quem videns ostiaria dixit: *Tu es ex discipulis hominis istius?* (*Joan. xviii, 17*.) Petrus vero ter negavit cum juramento quod nunquam eum vidisset, neque novisset. Et statim gallus cantavit. Et conversus Jesus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat ei: *Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Et egressus Petrus flevit amare. (*Luc. xxii, 61, 62*.)

A. Ubi fuisti, charissima domina, cum haec fierent?

M. Statim cum discipuli mihi dixissent quæ facta fuerant, omnia ossa mea contremuerunt, surgensque euerri cum Maria Magdalena juxta templum, audiensque tumultum in domo Annæ, volui intrare, sed non sum permissa. Unde stabam foris plorans et clamans: *Heu! dilecte fili mi, lumen oculorum meorum, quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* (*Jer. ix, 1*) ut plangam interfectionem filii mei? Maria vero Magdalena circumuibat undique, et introspiciens per fenestras, quæ audiens negationem Petri, commota sunt omnia viscera ejus pro desolatione unici filii mei, eo quod princeps discipulorum eum negasset, et dixit: *O Jesu bone, qualem finem sortitus es, vel quid iacet de te, cum iste princeps discipulorum te negaverit?*

O dulcis Iesu, non te negabo in æternum. Ego autem stabam, plena dolore, audiens omnes illusiones et contumelias, quas filio meo dilecto inferebant, et Petrum negantem et omnia quæ tota nocte ibi fiebant. Et cum Petrus tertio negasset, filius meus eum respexit, et eo quod eum negaverat, flevit amare: Egressus foras invenit nos foris stantes, et tacta dolore cordis intrinsecus dixi ad eum: Petre, Petre, quid agitur cum Iesu, vel ubi est Jesus? Qui clamans et ejulans lacrymosa voce respondit: Heu, charissima domina, absque misericordia tractatur, et cruciatur usque ad mortem. Et currens abscondit se præ timore in lapide, qui vocatur Galileatus, et non comparuit donec Jesus mortuus fuit in cruce.

A. Die mihi, domina charissima, quid fecisti eum hoc audires?

M. Gladius Simeonis pertransivit animam meam.

#### CAPUT IV.

*De Christi deductione ad Caipham.*

A. Dic mihi quid factum fuit post haec?

M. Mane facto eduxerunt eum de domo Anæ, et duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum. Tunc primo postquam captus fuerat vidi eum, et accurrens quasi leæna raptis fetibus videbam illam desiderabilem faciem sputis Judæorum maculatam, dicens lacrymando: Heu! dilectissime fili, quam miserabilem te modo video, quæ toties dulcissimo tuo aspectu gaudebam? Et volens illum amplecti, non sui permitta accedere, sed trusa a Judæis hue et illuc, contumeliose sum amota, et populus undique concurrebat, sieut quando fures et latrones condemnantur.

A. Habuisti aliquam spem quod liberari posset?

M. Etiam; sciebam enim quod ingeniosus fuit et facundus, et sperabam quod se excusaturus esset, si ad judicium veniret. Tunc stetit quasi agnus mansuetissimus, et non aperuit os suum; fuit etiam ita amabilis quod sperabam quod deberent ejus misereri. Et modico tempore dilapo, adeo consputos fuit quod quasi leprosus apparebat. Invenerunt enim isti multa falsa testimonia contra eum, dicentes eum esse legis destructorem, et populi subversorem. Tandem duo falsi testes accesserunt, dicentes: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reedificare illud* (*Math. xxvi, 60, 61*). Et Caiphas dixit: *Dic nobis si tu es Christus* (*ibid., 63*). Jesus respondit: *Si dixeris vobis, non creditis mihi. Si autem interrogavero vos, non responderitis, neque dimittetis* (*Luc. xxii, 67, 68*). Amen, dico vobis, amodo videbitis filium hominis descendem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, et ait: *Quid adhuc desideramus testes? Auditatis blasphemiam. Quid vobis videtur?* Tunc omnes clamabant: *Reus est mortis* (*Math. xxvi, 64-66*) Ilac prolatæ sententia, gladius Simeonis pertransivit animam meam.

#### CAPUT V.

*De Christi ad Pilatum deductione.*

A. ANSELMUS. Quo tunc ductus fuit?

MARIA. Ad judicem Pilatum.

A. Sperasti ibi aliquid, domina charissima?

M. Multum speraveram, cum turba convenisset cum saepe dulciter prædicaverat, et quorum iufirmos sanaverat, et eos in deserto paverat, quod eum de manibus Judæorum liberare deberent. Tunc unanimiter clamabant coram Pilato: *Crucifige, crucifige eum* (*Luc. xxiii, 21*). Et imposuerunt ei quod dixerat se filium Dei esse (*Math. xxvii, 43*), et quod prohibuisset tributa dari Cæsari (*Luc. xxiii, 2*). Tunc Pilatus quæsivit de regno suo, dicens: *Tu es rex Judæorum?* Et respondit Jesus: *A temetipso hoc dicas, an alii tibi dixerunt de me?* Respondit Pilatus: *Nunquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti?* Respondit Jesus: *Regnum meum nou est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Dicit itaque Pilatus: *Ergo rex es tu?* Respondit Jesus: *Tu dicas: Quia rex sum ego; ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui ex veritate est, audit vocem meam.* Dicit ei Pilatus: *Quid est veritas?* (*Joan. xviii, 33-58*) Hanc quæstionem non solvit ei Christus, quia si solvisset, eum utique liberasset, et ideo genus humana non redemptum non fuisset. Tunc Judas videens quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus populi, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.* At illi dixerunt: *Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templum, recessit ab eis, et abiens laqueo se suspendit* (*Math. xxvi, 3-5*). Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus et plebe, dixit ad eos: *Nullam causam iuuenio mortis in homine isto ex his in quibus eum accusatis.* (*Luc. xxiii, 4, 14*) At illi invalesebant, dicentes: *Commovit populum per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc* (*ibid., 5*).

#### CAPUT VI.

*De abductione ad Herodem, et reductione ad Pilatum.*

Tunc Pilatus audiens Galilæam, et quod Galilæus esset, misit eum ad Herodem, qui et tunc erat Hierosolymis. Herodes autem viso Jesu gavisus est valde; erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audierat multa de eo, et quia sperabat aliquod signum ab eo fieri. Interrogabat ergo Jesum multis sermonibus (*Luc. xxiii, 6-9*); videlicet, si esset ille puer, quem pater suus volebat interficere, et propter eum multos pueros necaverat. Item: Si esset ille qui cæcum illuminaverat, et qui Lazarum suscitaverat, et adolescentem filium viduæ in porta civitatis Nâim; et multa alia miracula fecisset; et rogavit eum ut aliquod signum faceret, promittens quod eum de manibus Judæorum eriperet. Jesus autem nihil ei respondit (*ibid., 9*). Et

posuit Herodes coronam super caput ejus, promittens quod si faceret ei signum, quod ipsum regni sui participem faceret, et pariter cohæredem. Ista corona Romani coronantur imperatores. Jesus autem non respondit ei. *Stabant autem principes sacerdotum et Scribe*ae* constanter accusantes eum (ibid., 10).*

**ANSELMUS.** O duleissima, quid tunc sperabas?

**MARIA.** Sciebam Herodem esse regem naturalis elegantiæ, et ideo sperabam quod regi excellētissimo filio meo parcere debuisse. *Sprevit autem filium meum, et induitum veste alba remisit eum Pilato. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus, nam antea inimici erant (Luc. xxiii, 11, 12).* Sciens autem Pilatus quanta immanitate et crudelitate in morte filii mei conspiraverint Judæi, præmisit quosdam, qui Jesum ab Herode conducerent, ne ipsum in via interficerent. Remisso ergo filio meo, convocans Pilatus omnes Judæos, dixit: *Obtulisti mihi hunc hominem quasi avertentem populum; et ecce ego coram vobis interrogans nullam causam mortis in eo invenio, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum; ecce nihil dignum morte factum est ei.* Emendatum ergo illum dimittam (ibid., 14-16). At illi petebant Barabam, qui propter seditionem et homicidium missus erat in carcere (ibid., 18, 19). Pilatus secundo dixit: *Quid enim malū fecit: Nullam causam mortis invenio in illo: corripiam ergo eum, et dimittam.* At illi instabant vocibus magnis, ut crucifigeretur, clamantes: *Crucifige, crucifige eum (ibid., 21-23).* Sedente ergo Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor sua: *Nihil tibi et justo illi. Multa enim in hac nocte passa sum per visum propter illum (Matth. xxvii, 19).*

#### CAPUT VII.

*De flagellatione et corona spinea, ac vociferationibus Judæorum.*

Pilatus autem sperans crudelitati Judæorum satisfacere, apprehendit Jesum et flagellavit statua illigatum ita ut a planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas (Isai. 1, 6). Hæc statua ita spissa fuit quod circa duas spannas manus manum tangere non potuit. Unde accipiebat corrigias, et manus ejus ligabant.

**ANSELMUS.** Sperasti ibi aliquid, domina chævissima?

**MARIA.** Multum speraveram propter hanc causam, quam tibi manifestabo; delicata enim et naturalis ingenuitas, et formosa membrorum principalium compages mihi matri ejus sollemniter nota spem præstítit. Æstimabam siquidem nudato corpore formosis membrorum lineamentis victi parcerent; sed heu! in momento temporis totalis corporis ejus superficies ita sanguine perfusa est ac si purpura circumdatus, et in stuporem et deformitatem transformatus, omnibus apparuit quasi lepra percussus. *Milites vero plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, ac*

venerant ad eum, et dixerunt, *Ave, rex Judæorum!* et dabant ei alapas (Joan. xix, 2, 3). Hanc coronam habet rex Franciæ. Hæc corona non fuit de spinis, sed de juncis mariinis; qui habent acutiores aculeos quam verae spine. Hanc coronam igitur plectentes capiti ejus imprimebant ita, quod sanguis per ejus faciem defluebat et sic ornatum eduxit eum Pilatus foras, et dixit: *Ecce rex vester.* Illi autem clamabant, *Tolle, tolle, crucifige eum (ibid., 13-15).* Respondit eis Pilatus: *Accipite eum vos, et crucifigite.* Responderunt: *Nos legem habemus, et secundum hanc legem debet mori; quia Filium Dei se fecit.* Dum ergo audisset Pilatus hos sermones, magis timuit. Et ingressus prætorium dixit ad Jesum: *Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.* Dixit ergo ei Pilatus: *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* Respondit Jesus: *Non haberes votus a me adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Propterea qui tradidit me tibi, magis peccatum habet. Et exinde quererebat Pilatus dimittere eum: *Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non eris amicus Casaris (ibid., 6-12).* Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram omni populo, et dixit: *Innocens ego sum a sanguine jus*i* huius; vos videritis.* Et respondens universus populus dixit: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros (Matth., xxvi, 24, 25).* Instabant ergo magnis vocibus ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitiones eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium missus fuerat in carcere, quem petebant (Luc. xxiii, 23-25).

#### CAPUT VIII.

*De damnatione Christi, et crucis bajulatione.*

Ad nimiam igitur plebis instantiam Pilatus hanc mortis sententiam protulit adversus filium meum, dicens: *Jesum Nazarenum ab iudicio vitæ, et ad iudicium morti ignominiosæ crucis.*

**ANSELMUS.** Quid fecisti, duleissima, cum hæc audiens?

**MARIA.** Hac prolata sententia gladius Simeonis pertransivit cor meum et animam meam.

**A.** O dulcis Maria! quid factum fuit post hæc?

**M.** Suscepérunt Jesum dilectum filium meum, et eduxerunt eum, ut scribit Joannes, et bajulans sibi crucem exivit in locum qui dicitur Calvariæ locus, ubi eum crucifixerunt (Joan. xix, 16-18). Crux adeo magna erat, quod habebat quindecim pedes in longitudine. Et adeo debilitas erat filius meus præterita nocte et illa die, quod eam portare non poterat. Unde et Lucas scribit: *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum unicum filium meum (Luc. xxiii, 26).* Quod fecerunt non causa miserationis, sed quia præ debilitate id facere non poterat.

A. Sequebantur eum aliqui, cum educeretur?

M. Tota turba concurrebat, sicut quando fures duocunt ad supplicium. Unde Lucas scribit: *Sequebatur autem illum turba multa populi; et mulieres, quae plangebant et lamentabantur eum* (*Ibid., 27*). Sequebantur etiam pueri projicientes lutum et lapides in eum. *Conversus autem filius meus Jesus ad mulieres dixit: Filiæ Jerusalemi, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros*, qui lutum et lapides mittunt in me, nescientes quid faciunt, quoniam ecce dies veniunt, in quibus dicent: *Beatae steriles et ventres qui non generunt, et ubera quæ non lactaverunt*. Tunc incipient dicere montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos*. Quia si in viridi ligno, hoc est in pueritia, hoc faciunt, in arido, hoc est in senectute, quid fieri? (*Ibid., 28, 51*). Vel in viridi ligno, hoc est in me, in arido, hoc est in aliis sanctis meis, quid fieri? *Ducebantur et alii duo nequam cum eo, ut crucifigerentur* (*Ibid., 22*). Hoc fecerunt ad majorem confusionem.

#### CAPUT IX.

##### *De Christi et matris hypapante.*

Cum autem educeretur filius meus principalis, cum duobus sceleratis extra portam civitatis, cum ingenti pressura irruentis populi et insultantis, volui eam sequi et videre, sed non potui præ maxima multitudine populi, quæ ad opprobrium filii mei convenerat. Sed tandem cum Maria Magdalena deliberavi quod per viam adjacentis plateæ circa quemdam fontem circumiremus, quatenus illi obviaremus. Et cum venissemus juxta fontem, obvium habuimus meum filium deformatum, pressum omnino dolore; qui benigne inclinabat se ad me, ac si diceret, Grates tibi reffero, electa mater mea, pro multimodis beneficiis mihi impensis, et pro multo labore quo in summa paupertate et abjectione enutrivisti templum corporis mei, et nunc in destructione constitutum inter contumelias et opprobria sequi non deginaris nec vereris, quamvis omnibus contemptui habeamur.

#### CAPUT X.

##### *De crucifixione, et crucis erectione.*

At postquam venerunt in locum Calvariae, ibi eum crucifixerunt, et latrones cum eo, unum a dextris, et alium a sinistris (*Marc. xv, 27*).

ANSELMUS. Quomodo fecerunt ei?

MARIA. Audi, Anselme, quod modo referam nimi est lamentibile, et nullus evangelistarum scribit. Cum venissent ad locum Calvariae ignominiosissimum, ubi canes et alia morticinae projiciebantur, nudaverunt Jesum unicum filium meum totaliter vestibus suis, et ego exaniinis facta fui; tamen velamen capitum mei accipiens circumligavi lumbis suis. Post hoc deposuerunt crucem super terram, et eum desuper extenderunt, et iniecerunt primo unum clavum adeo spissum quod tunc sanguis, non potuit emanare ita vulnus clavo replebatur.

Acceperunt postea funes et traxerunt aliud brachium filii mei Jesu, et clavum secundum ei incusserunt. Postea pedes funibus traxerunt, et clavum aetissimum iniecerunt, et adeo tensus fuit ut omnia ossa sua et membra apparerent, ita ut impleretur illud. Psalmi: *Dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal. xxi, 18*). Et tunc impleta fuit prophetia ipsius David, id est ipsius Christi, dicentis in psalmo: *Audi, filia, et vide* (*Psal. xliv, 11*). Quasi diceret filius meus: Audi, charissima mater mea, sonum malleorum, et vide qualiter manus meas et pedes meos confixerunt; et nemo milii compatitur, nisi tu sola mater mea electa. Audi filia, et compatere mihi. Haec audiens et videns, gladius Simeonis cor meum et animam meam transfixit. Post haec erexerunt eum cum magno labore, et fuit adeo alte suspensus quod ejus pedes nusquam attingere poteram. Et cum erectus fuisset, tunc propter ponderositatem corporis omnia vulnera lacerata sunt et aperta, et tunc primo sanguis de manibus et pedibus copiosius emanavit. Ego autem induta fui quadam veste, qua mulieres regionis illius uti solent, qua tegitur caput et totum corpus, et est quasi linteum; et fuit ista vestis tota respersa sanguine.

#### CAPUT XI.

##### *De Christi in cruce opprobriis.*

ANSELMUS. Quid factum est post hæc?

MARIA. Postquam crucifixerunt filium meum, divisorunt sibi vestimenta sua, et mittebant sortem super vestem inconsutilem, ut impleretur quod dictum est per prophetam: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*. Et sedentes observabant eum (*Matth. xxvi, 35, 36*). Et scripsit Pilatus super caput ejus litteris Hebraicis, Græcis et Latinis: *Jesus Nazarenus rex Iudeorum*. Tunc Iudei rogabant Pilatum, ut non scriberet. Rex Iudeorum. Sed quia dixit: Rex Iudeorum. Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi (*Joan. xix, 19-22*). Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: *Vah! qui destruis templum Dei, et post triduum reddicas illud, salva temet ipsum*; si Filius Dei es, descendere nunc de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: *Alios salvos fecit; se ipsum non potest salvum facere*. Si rex Israel est, descendant nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult; dixit enim: *Quia Filius Dei sum* (*Matth. xxvii, 59-43*.)

#### CAPUT XII.

##### *De Verbis Christi in cruce.*

ANSELMUS. Quid ad hujusmodi insultus respondit filius tunc?

MARIA. Dilectus meus oravit pro eis, dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc. xxiii, 34*). Et stabat populus exspectans, et deridebat eum. Tunc matri potuit dicere: Audi, filia, et vide (*Psal. xliv, 11*), audi voces blasphemantium

silium tuum, et vide dolorem meum. Scis enim quod de Spiritu sancto concepisti me, et quod virgo genuisti me, et qualiter aluisti me. Unde ex quo isti non credunt in me, tu tamen crede in me, et compatere. Tunc iterum gladius Simeonis animam pertransivit. Audiens hoc latro, qui a sinistris pendebat, insultabat ei, dicens : *Si tu es Christus, salva temetipsum et nos.* Respondens autem alter, qui a dextris pendebat, increpans eum, dixit : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, et quidem nos justus, quia digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit.* Et dicebat ad Jesum : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Et dixit illi Jesus : *Amen, amen dico tibi, hodie tecum eris in paradyso* (*Luc. xxiii, 39-43*).

A. Quid fecisti tunc, domina charissima?

M. Stabam juxta crucem tam plena moerore, quod consolationem ferre non poteram, et mecum stabant sorores meæ, et Maria Magdalena. Et cum filius meus vidisset me et Joannem discipulum suum quem diligebat, dixit : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan. xix, 25, 26*). O quam miserabilis licentia! Deinde dixit discipulo : *Ecce mater tua* (*ibid., 27*). Erat autem quasi hora sexta, et factæ sunt tenebre super universam terram, usque ad horam nonam. Et clamavit Jesus voce magna, dicens : *Eli, Eli lamma sabbacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem dicebant : Etiam vocat iste. Sine videamus si veniat Elias liberans eum* (*Matth. xxvii, 43-49*). Postea sciens Jesus quia omnia consummata essent, dixit : *Sitio* (*Joan. xix, 28*). Quid, Domine, sitis? Salutem peccatorum. Erat autem vas positum acetum plenum (*ibid., 29*), et currens unus, implens spongiam acetum, et circumponens hastæ, dabat ei bibere (*Marc. xv, 39*), ut citius moreretur. Et cum gustabat, dixit : *Consummatum est* (*Joan. xix, 30*).

#### CAPUT XIII.

*De Christi morte, et eam consecutis mirabilibus.*

Et post hoc dixit: *Pater, in manus tuas commendō spiritum meum* (*Luc. xxiii, 46*). In hac commendatione cum hostia sanguinis commendabat Christus Deo Patri matrem dulcissimam, quæ scrinium est et purissimum habitaculum sancti Spiritus, una cum omnibus qui de Spiritu sancto victuri sunt usque in finem saeculi. Et post hæc inclinato capite tradidit spiritum (*Joan. xix, 30*). Tunc velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et maxime illa petra, in qua stetit crux, scissa fuit, ita ut manus imponi posset, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio autem et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu et his quæ fiebant, timuerunt valde (*Matth. xxvii, 51-54*), et ipse centurio, glorificavit Deum, dicens: *Vere Filius Dei erat iste* (*Luc. xxiii, 47*). Ecce quomodo om-

nia elementa Christo compatiebantur; soli autem Judæi indurati fuerunt. *Et omnes qui simul ad spectaculum istud, videntes quæ siebant, pectora sua percussentes revertebantur.* Stabant autem omnes noti ejus de longe, et mulieres quæ secutæ sunt eum a Galilæa, hæc videntes (*ibid. 48,49*)

#### CAPUT XIV.

*Luctus matris pro filii morte.*

ANSELMUS. Charissima domina, habuit adhuc nñem dolor tuis?

MARIA. Non, Anselme, quia nondum plene prophetia Simeonis impleta erat, et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc. ii, 55*). Audi ergo quod super omnia est lamentabile. *Judæi ergo (quoniam parasceve erat) rogabant ut non remanerent in cruce corpora sabbato.* Erat enim magnus dies ille sabbati, rogabant Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi fregerunt crura, et alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, et invenissent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan. xix, 31-34*). Cumque hoc viderem, quod tales crudelitatem in iam mortuum exercerent, et examinis facta fui, et tunc vere impleta est prophetia Simeonis, quæ dicit : *Et tuam ipsius, etc.* Et tunc cœpi clamare, et ejulare; sed jam omnino lacrymae in me defecerunt; tantum fleveram nocte præterita et die illa; et dicebam : Eia, dulcissime fili mi, ubi est nunc consolatio quam semper in te habui? Quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Jesu? His, et aliis similibus, dulcissimi unici filii mei mortem deplanxi.

#### CAPUT XV.

*De animæ Christi ad limbum descensu.*

Tunc magnum gaudium fuit factum in limbo, quando anima Christi in ipsum descendit, et patres inde liberavit, et limbum destruxit, et infernum obstruxit, ita quod nullus Christianus illuc venire poterit nisi proprio suo arbitrio, nec aliquis eorum, qui intus sunt, ante diem judicii exire poterit. Tribus autem vectibus infernum obstruxit. Et hæc est ratio, quia ante mortem suam nulli habere potuerunt contritionem, confessionem, vel satisfaciendum.

#### CAPUT XVI.

*De corporis Christi depositione de cruce, ac sepultura.*

ANSELMUS. Quid factum fuit post hæc?

MARIA. Post hæc rogavit Pilatum Joseph ab Ari-mathæa, ut tolleret corpus Jesu (*Joan. xix, 38*), dicens inter alia : Domine, nisi corpus cito trahideris, honesta mulier, mater ipsius juvenis, moritur præ dolore. Tunc Pilatus quæsivit si jam mortuus esset, et expertus a centurione de omnibus que ibi acciderant, jussit dari corpus Jesu (*Marc. xv, 47*). Et venit Joseph, et tulit corpus Jesu. Nota hoc, Anselme, quod multum est lamentabile. Dum Joseph corpus deponeret, ego stabam juxta crucem

sursum respiciens. Exspectabam quando brachium solveretur, ut tangerem et deoscularer, sicut et feci; et cum depositus esset de cruce, posuerunt eum super terram bene ad tres passus de loco crucis. Et ego caput ejus in sinum meum recipiens amarissime flere cœpi, dicens: Heu! dulcissime fili, qualem consolationem habeo quæ mortuum filium coram me video. Tunc accurrens Joannes evangelista cecidit super pectus Jesu, plorans et dicens: Heu, heu, de isto pectore heri potabam dulcia verba, hodie tristia et lamentabilia. Tunc Petrus advenit; et quod ipsum negaverat, amarissime flere cœpit; tunc Maria Magdalena plus omnibus flere cœpit super Dominum suum, dicens: Quis mihi modo peccata dimittet? Quis me modo excusabit apud Simonem, et apud sororem meam? Venit etiam Jacobus, qui frater filii mei appellatus est, qui simillimus illi erat, et cum multis lacrymis hoc dicebat: Heu! Domine, et magister die præterita, hæc facies amantissima erat mihi simillima. Heu! modo appetat multum dissimilis: Tuæ manus, et pedes tui clavis sunt confixi; corpus vero undique vulneratum appetat a planta pedis usque ad verticem; meum autem appetat ex toto illæsum. Juravit quod nec cibum nec potum sumpturnus esset, quoisque ad similitudinem sui conformaretur. Tunc cæteri discipuli accurrebant et lamentabantur super eum; et filius meus ad coisolationem meam et discipulorum glorificatus fuit ibi coram suis: ita quod nulla plaga aut livor in corpore suo apparuit præter quinque vulnerum cicatrices, quas reservaturns est usque in diem iudicii, et adeo sanus apparuit in corpore ac si nunquam passus fuisset. De quo ego et discipuli immensam consolationem recepimus. Et cum eum sepelire vellent, cum magno nœrore corpus fortissime temui et sepeliri vix permisi, dicens: Charissime Joannes, relinque mihi mortuum filium meum, quem non potui habere vivum. Sed si necesse est ut hoc facias, rogo te ut me cum ipso sepelias. Joannes respondit: Scis, domina charissima, quod aliter esse non potuit, et genus humanum sic redimi debuit. Tandem invita permisi ut sepeliretur; et cum in sepulcrum positus fuisset, ad eum intrare volui, et super sepulcrum me projeci, et adeo miserabiliter egi quod omnes fleverunt. Et cum me Joannes ad civitatem ducere vellet, et a sepulcro amovere, lacrymans rogavi: Charissime Joannes, non facias mihi hanc injuriam, ut me separe a dulcissimo filio meo Jesu, quoniam

#### VI. — TRACTATUS DE CONCEPTIONE B. MARIE VIRGINIS

Principium, quo salus mundi processit, mihi considerare volenti occurrit hodierna solemnitas, quæ conceptione beatæ Matris Dei Mariæ multis in locis festiva redditur. Et quidem priscis temporibus frequentiori usu celebrabatur, ab eis præcipue in quibus pura simplicitas et humilior in Deum vigebat devotio. At ubi et major scientia et præpol-

hic exspectabo donec moriar; et iterum omnes fleverunt. Joannes vero me tandem accipiens et quasi violenter deducens in civitatem introduxit. Populus autem me videns indutam vestem aspersam sanguine, sicut ante Jesum steteram, et sanguis ejus super me stillaverat, unanimiter clamabant gementes: O quanta injuria facta est hodie in Hierusalem in ista pulcherrima domina, et filio suo, et compatiebantur mihi. Judæi autem propter invidiam recluserunt Joseph vivum in muro, quia Christum sepelevit; uxor autem ejus locum filio ejus Josepho post ostendit. Tandem post annos quadraginta venerunt Titus et Vespasianus, Hierasam destruentes, et Joseph vivum in muro invenerunt. Et sicut Judæi Christum pro triginta denariis emerunt, ita triginta Judæos pro uno denario vendiderunt

Heu sponsa mea dilecta cerne meas

Quas pro te suffero poenas.

Ferre non expavi

Quod agunt crux, lancea, clavi.

Fel ego degustavi,

Quia te vehementer amavi.

Tu mihi redde vicem,

Tu quoque tolle crucem.

Vide me nudum,

Verberibus laceratum,

In medio latronum

Cruci ignominiosæ clavis ferreis affixum,

Aceto in cruce potatum,

Post mortem lancea latus vulneratum.

Ad hoc anima dixit: Ecce vox sanguinis sponsi mei Jesu dilecti clamat ad me de cruce: O sponsa mea unica, vide dolorem meum. Ad hoc sponsa: Jesu, mi dilecte, factus es pro me opprobrium hominum, qui est Dominus angelorum. Attende, o anima, iste est dilectus tuus, enjus pedes pallidos clavo perfosso, sanguine perfusos intueris. Vide non sine amaro planetu et lacrymis, non positum suaviter, sed discentum crudeliter in ligno duro corpus Jesu deliciatum. O te, Jesu salus omnium! O admiranda et amanda dignatio! O Jesu mi dilecte, et Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis propter me fieri non despexisti! O speculum! O claritas angelorum! Ascendi arborum crucis, et extendens manus ac membra tua in ejus ramis effusisti floridum sanguinem per radices tui corporis. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (Psal. cxv, 12, 15). Deo Gratias.

lens examinatio rerum mentes quorumdam imbit et erexit, eamdem solemnitatem, spreta pauperum simplicitate, de medio sustulit; et eam quasi ratione vacantem redegit in nihilum. Quorum sententia eo maxime in robur excrevit quod ii, qui eam protulerunt, saeculari et ecclesiastica auctoritate divitiarumque abundantia præminebant.

Sed cum ego et priscorum simplicitatem et moder-norum ingenii sublimitatem mecum revolverem, cecidit in mentem quædam divinae Scripturæ verba in medio ponere; et quid iudicij de singulis gerant, pro meo sensu pia consideratione perpendere, quatenus sua auctoritate probetur quid eni attri-bendum, quid mei similibus sit certa magis ra-tione sequendum. Et de simplicibus quidem in ipsis verbis invenitur quod cum eis s' t sermocinatio Dei. Illos vero quos multa scientia sine charitate perlustrat ferunt eadem scientia inflari potius quam veri boni integritate solidari. Cum ergo illos Dei sermo-cinatio instruat, et istos sua scientia quadam vento-sitate distendat, qui æqua discernere non verentur eni magis parti sit celendum, precor, edicas, collo-quio videlicet Dei inhærenti, an de sui cordis per-spicacia ultra æquum tumenti. Et hi quidem ut nulla memoria de conceptione Virginis Matris in Ecclesia filii ejus fiat, non sibi rationis videri affirmant, eo quod ex nativitate illius qua ubique festive recol-litur, conceptionis ejus exordium satis memoretur, nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset. Et cum in lucem ex materni uteri secreto prodivit, clarum fuit quod in alvo parentis concepta in humanam formam concrevit. Cum itaque corporis ejus specificata compositio, et in hujus mundi latitu-dine exhibetio veneretur a cunctis, supervacue illa adhuc informis materia coleretur, quæ in nonnullis s'pē, priusquam plene in humanam effigiem trans-eat, deperit et adnihilatur. Hac animi sui sagaci-tate perfuncti quod antiquorum simplicitas et perfecta in domina nostra constituerat charitas, festum sci-lacet de conceptione ipsius sacratissimæ dominæ sua qua se pollere gloriabantur auctoritatis ratione abo-lere non timuerunt.

Visa ergo ratione summorum virorum in abolitio-ne festivitatis Matris Dei proficientium, videamus etiam charitatem simplicium de tanti gaudii amis-sione gementium. Simplices sunt, et profundis rationibus philosophorum responsa quæ expetunt, fortassis reddere nesciunt. Dicunt tamen devota in Domini Matrem charitate fundari, non magni ponderis sibi videri omne quod dignitati aut honori ejus humana laude defertur, si meritis illius et insignibus comparetur.

Verumtamen dum ipsa insignia sua, ut dignum est, devotione mundis ubique veneratur, quid sit quod supremam originem illorum non pio oculo in-tuetur, non nihil mirantur.

Tantorum enim bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini Matrem toti creaturæ provenerunt, videtur admonere mentem humanam pietatis affectu exordium suum considerare. Et utique eam venturam, ac Domini Matrem futuram tota Veteris Instrumenti series pandit. Sed utrum ita proxime nascitura quovis oraculo aut angelo nunciata sit, sicut Dominus Christus filius ejus, aut beatus Joannes præcursor et baptista ejusdem filii ejus, aut illi vel ille de quibus, ut pene omnibus

liquet, sacræ Historiæ plenissime narrant, in divina pagina non habetur, in canonica Scriptura non reperi-tur. In quo quid dispensatori omnium rerum Spi-ritui sancto placuerit, non satis digne me posse con-siderare confiteor, abs re tamen et contra fidem esse non aestimo, si exordium conceptionis ipsius tam a simplicibus Ecclesiæ filiis aestimetur, ut tam sublimè, tam divinum, tam ineffabile fuerit, ut in illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit.

Nec mirum: fundamentum siquidem et quasi quoddam seminarium civitatis et habitaculi summi boni in eo ponebatur; et mansio lucis æterne, et templum quod corporaliter inhabitaret ille incorpo-reus et incircumscrip-tus et creatus simul et vivi-ficans omnia Spiritus parabatur.

Dicit forte aliquis: Quid enim, major et excellen-tior æstimari debet conceptio futuræ Matris Dei, quam conceptio venientis in carne Filii Dei? Con-ceptio namque incarnandi Filii Dei ab angelo, sicut Evangelium refert, cœlitus prænuntiata et humani-tus intellecta est. Si ergo aliquid excellentius et quod humanum intellectum supervolet, conceptio-nem B. Mariæ designasse æstimandum est, excellen-tior gloria et major dignitas in ejus quam in Christi-Domini conceptione divinitus enituuisse verisimi-liratione videtur. Non hoc dico, sed Filius Dei, can-dor lucis æternae et ipse lux inaccessibilis, formam servi accepturus semetipsum exinanivit, sumique adventum ita humanis mentibus contemperavit ut capi posset et intelligi; nam si in divinitatis sua-essentia veniens appareret, nemo caperet, nemo sus-tineret.

Beata vero Maria Mater Dei futura, sicut eum, qui super omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia Virgo-paritura, ac per hoc in divinitatis illius unitatem transitura, non absurde credi potest primordia conceptionis ejus tanta deitatis sublimitate præsignata, ut humanarum conceptio mentium ea plene pe-netrare non valeret.

Hoc itaque pura simplicitas supplexque in-Deum et in dilectissimam Matrem ejus puritas dilectionis æstimare de conceptione illius Dei genitricis non veretur.

Et idcirco ejusdem conceptionis dies festivis laudibus a cunctis fidelibus suo iudicio merito cele-braretur. De ipsa quippe, multis sæculis ante ortu ejus vel conceptum, Isaiam Spiritu sancto afflatum dixisse constat: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescat super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et in-tellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Isai. xi, 1-3). Hac itaque virga quæ talen-ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo Maria fuit, et flos, qui de radice ejus ascendit, benedictus Filius, super quem et in quo omnis plenitudo divinitatis essentialiter requievit. Hac igitur Virgo,

tanti Filii dignissima parens, cum in alvo suæ parentis naturali lege conciperetur, qui non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta impletam, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio cœlum, terram et omnia quæ in eis sunt perfudisse; ac ineffabili jubilatione pro sui reintegrazione, quam per illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione prævidebant, perlustrasse? Sed cum ipsa conceptio fundamentum, ut diximus, fuerit habitaculi summi boni, si peccati aticujus ex primæ prævaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? utique voce divina dicitur ad Jeremiam: *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te; et prophetam in gentibus dedi te* (*Jer 1, 5*). De Joanne quoque angelus, qui cum nasciturum prænuntiabat, asseruit quod Spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris sue (*Luc. 1, 15*). Si igitur Jeremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus, et Joannes, Domiuum in spiritu, et virtute Eliae præcessurus (*ibid., 17*), Spiritu sancto est ex utero matris repletus, quis dicere andeat singulare totius sæculi propitiatoriorum, ac Filii Dei omnipotens dulcissimum reclinatorum, mox in sue conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione destitutum. Testante vero Scriptura: *Ubi spiritus, ibi libertas* (*II Cor. iii, 17*), a servitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, Spiritus sancti præsentia et operatione construebatur. Quod si quis eam primæ originis peccato non omnimode expertem fuisse pronuntiat, cum illam ex legali conjugio maris et feminæ conceptam verissime constet, sententia catholica est. Ego a catholicæ et universalis Ecclesiæ veritate nulla ratione volo dissentire, magnificentiam tamen operationum virtutis divinæ quadam quasi mentis lippitudine pro posse considerans, videor mili videre quia si quid originalis peccati in propagatione ejus, et communis vitiæ exstitit, illud propagantium et non propagatae prolis fuit.

Castaneam invicem attende: cum de sui videlicet generis arbore prodit nascitura, involucrum illius totum hispidum et densissimis aculeis undique septum appareat. Intus castanea concipitur, primo quidem nucleus lactei liquoris, nihil hispidum, nihil asperum, nec aliquibus aculeis noxiom in se habens, sed si aliquatenus servans illic in summa lenitate nutritur, fovetur et alitur, ac forma in sui speciem et habitudinem jam adulta, rupto involucro ab omni spinarum punctione et onere liberrima natura egreditur. Attendo.

Si Deus castanæ confert ut inter spinas remota punctione concipiatur, alatur, formetur, non potuit hæc dare humano quod ipse sibi parabat templo in quo corporaliter habitaret, et de quo in unitate suæ personæ perfectus homo fieret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen

spinarum aculeis omnimode exsors redderetur? potuit plane, et voluit; si igitur voluit, fecit. Et quidem quidquid dignum unquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est enim de te, o beatissima seminarum, noluisse; voluit enim te fieri matrem suam, et quia voluit, fecit esse: quasi diceretur, Matrem suam te fecit ille rerum Dominus, Creator et gubernator; rerum, inquam, omium, non solum intelligibilium, sed omnem intellectum transcendentium Dominus et factor te dominam et imperatricem constituit cœlorum atque terrarum, et sic marium et omnium elementorum, cum omnibus quæ in ipsis sunt, domina et imperatrix exististi et existis, et ut ita essem, in utero matris tuæ a primordiis conceptionis, operante Spiritu sancto, crebaris. Ita est, bona Domina, et gaudemus ita esse. Nunquid ergo, dulcissima domina, nunquid tu tanta futura, Summi videlicet Mater unica, et omnium quæ fuerunt, sunt vel erunt, prudens ac nobilis post filium tuum imperatrix, nunquid in exordio tuo talis esse debuisti ut omnium quorum te Dominum gerere certissime novimus aut impuritati aut subjectioni potuisse addici? Ille assertor puræ veritatis, et a filio tuo jam in celo præsidente vas electionis cognominatus, omnes homines peccasse in Adam fatetur, vera utique sententia, et cui contradici nefas esse promuntio. Sed cum eminentiam gratiae Dei in te considero, sicut te non intra omnia, sed super omnia quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor, ita te non lege naturæ ut alios in tua conceptione devinctam fuisse opinor, sed singulari et humano intellectui impenetrabilis divinitatis virtute et operatione ab omni peccati adjunctione liberrimam. Solum eternum peccatum fuerat quod homines a parte Dei dirimebat; et ut illud Filius Dei evacuaret, sive ad placere Dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit, et talis, ut nec in eo aliquatenus concordaret ei, unde homo a Deo discordabat: quia ergo ita fieri oportebat, matrem de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat. Alter enim quo pacto illi summæ puritati caro tanta conjunctione uniretur, ut homo assumptus ita esset in unum, ut quæ Dei sunt, indiferenter hominis essent, et quæ hominis Dei?

Adhuc propone tibi palatum, quod specialiter suis usibus aptum existat, construere volentem, in quo et ipse frequentiori et festiviori cursu converseretur, et omnibus ope ejus atque auxilio indigentibus mitiori et latiori vultu respondeat, et auxilietur. Patereturne, quæso, in principio palatii fundatum invalidum, et structuræ, quæ foret ædificandæ incongruum, et non cohærens? Non puto, si saperet, et propositionem suum ad effectum perducere vellet. Ergo Sapientiam ante omnia sæcula proposuisse sibi habitaculum, quod specialiter inhabitaret, construere similiter indubitate fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, jam dudum innovit; hoc enim habitaculum illud sacrarium Spiritus san-

cti esse fatemur, in quo et per quod eadem Sapientia humanæ nature conjungi voluit et incorporari, et omnibus se pura mente consitentibus parcere et misereri; quod sacrarium, aula videlicet universalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium sive primordium formationis beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipsi certe constructuræ non congruebat nec cohærebat. Inseiaue fuit et impotens sapientia Dei et virtus mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanæ? Angelis aliis peccantibus, bonos a peccatis servavit, et feminam, Matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exsorem servare non valuit? In æternitate consilii fixum statuit eam dominatricem et reginam fore angelorum, et nunc inferiorem angelis natam, in consortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? Existimet hoc, et argumentis suis probet qui vult, ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentia dominæ nostræ posse dici, quæ dixi, dico; quæ scripsi non muto; ceterum me et intentionem meam filio ejus, et illi committo.

Nihil tibi, domina, æquale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subitus te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? quis attinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, id est in utero matris tuæ, purissima oriebaris. Quod si tali modo concepta et ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses.

Quisquis igitur de clementi tui magnitudine gaudet ac lætatur, de ordinatione ipsius clementi æquum est ut exhibaretur. Qui ergo a die beatæ conceptionis tuæ gaudium ejusdem conceptionis tollit Ecclesiae Dei, aut non bene attendit, aut attendere neglit, vel nescit bonum quod inde processit omni creaturæ Dei. Sed immensitatem boni ipsius quis explicabit? Fateor non ego; longe enim a me et mei similibus, hoc est peccatoribus, tanta salus; veruntamen, ut autumo, quasi in ænigmate adverti aliquatenus poterit, si malum, in quod natura humana ex peccato Adæ corruit, ante mentis oculos præfigatur, et ita in ipsis mali contrarium, bonum scilicet quod per hanc dominam mundo provenit, animus considerare volentis desigatur.

Onine quippe bonum, ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam, et idem ipsum bonum multo excellentius humana natura recuperavit in Maria. Duas siquidem beatitudines et duas miserias esse novimus. Harum beatitudinum et miseriarum unam majorem, alteram minorem esse constat. Beatitudo major, regnum cœlorum; minor, qua primus homo potiebatur ante peccatum; major miseria, poenæ infernales; minor, in quibus vivimus continuæ tribulationes, et nos ipsarum beatitudinum experientia penitus ignari, experientia miseriarum sentimus nos usquequa gravari; sub una gemimus; aliam, ne nos rapiat, formidamus. Conside-

ratione etenim minoris, si vigilanti animo studium adhibemus, aliquantum quæ sit major miseria conjicere valemus, licet porro infra quam sit. Qualitatem vero beatitudinis vel minoris, nisi per contraria miseriam in qua sumus, non facile percipere possumus. De majori autem beatitudine dictum æstimatio quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligenteribus se (*I Cor. ii, 9*).

Ab his igitur beatitudinibus omni modo separati fuimus per prævaricationem nostri primi parentis, et utriusque misericordie infelicitate obnoxii facti. *Mors* namque per peccatum Adæ intravit in mundum, et ita in omnes homines pertransivit (*Rom. v, 12*), nec aliquis ante adventum filii sancte Marie inde poterat liberari. Et quæ mors? Mors animæ primo quæ homo perdidit vitam æternam, Deum videlicet ad cuius similitudinem factus fuerat. Infelix perdere, perdere quod sumime est et vere, et sine quo nihil unquam bene habetur vel est! Hanc miseram mortem et omni malo incomparabilem mors quoque corporis sequebatur, per quam anima, quæ adhuc in corpore degens vitæ cœlestis flatum amiserat, multo miserior claustris inferni submersa deperibat. Hanc inæstimabilem damnationem nemo qui evaderet, qui inde liberaretur nemo erat, liberandi potestas in tota creatura nulli rei accidebat; soli Deo qui hominem fecerat, et contra quem homo deliquerat, hæc liberandi potestas supererat. Sed quis? ipse offensus, ipse despactus, ipse ut parceret a nullo digne petebatur, de die in diem scelerâ multiplicabantur, et ira Dei ad puniendum potius quam ad parendum provocabatur. At ille cujus pietas non exhauditur, cujus misericordia non exinanitur, cujus bonitas nunquam deficit, cujus maiestas quod vult efficit, hominem ad similitudinem sui creatum, ne totus in æterna damnatione periret, liberare instituit, et ordine, quo gratior esse non potuit, ipse videlicet qui hoc et perse faceret, homo fieri voluit, nec talis ut cæteri homines, sed ut ipse et assumpta humanitatis in una persona esset perfectus Deus et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens; sed tota humana natura in radice sui vitiata fuerat atque corrupta, nec Deus corruptioni et vitio peccati potest consociari. Necesse igitur fuit ut natura, de qua se hominem facere volebat, et humana et munda ab omnis peccati contagio esset; quod non inveniret, cum, ut dixi, nihil incorruptum vitiata cunctorum radice existeret, sed qui humanæ perditioni subvenire disponebat, Dei virtus et Dei sapientia nuncupatur. Itaque ad omnia quæ vult posse suppetit illi, nec sapientia illius ullus est numerus, quæ pertingit a fine usque ad finem, cuncta disponens (*Sap. viii, 4*). Poterat ergo de massa peccatrice naturam humana ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset et divinitati suæ nihil minueret. Prædestinata fuit et præordinata in hoc opus mirabile,

et omnibus operibus Dei præstans et inenarrabile, Maria, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hoc est totius sæculi illustratio, et omnium in tempestibus diversorum casum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab æternæ mortis interitu paventium ac sub ejus præsidium confugientium tutum juvamen atque redemptio.

Te igitur, domina, quam in tantum culmen prædestinavit et extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subvenientium ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia, crediderimne, quæso, te morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tno conceptu potuisse gravari? me namque iterum atque iterum ipsas, quas superius commemoravi, rationes considerante, animus hoc credere vitat, intentio abborret, lingua fateri non audet.

Quod si dicitur te, si ante partum beati filii tui præventa corporis morte fuisses, originalis peccati legem aliorum more evadere non potuisse, inepit dicitur, nec tanti est ut ei respondeatur. Qualiter enim Mater Dei futura præordinata fuisses, si ad hoc te, qui præordinavit, Deus non perduxisset? Nam in Deo non est, *est* et *non*, sed simplex *est* in illo est. An mors valentior esse posset Deo, de cuius manu nemo valet quidquam rapere? Nunc autem, quia tanti apud Deum præ omni creatura es, ut Mater ejus dignissime fieri meruisses, sicut ipse non tantum supercastus et mundus, sed ipsa castitas ipsaque munditia est: ita carne verum hominem paritura eras, munda præ omnibus jure esse debueras. Primordia itaque creationis tuæ merito filii sanctæ Ecclesiæ debent venerari, si sancta, si casta, si a corruptionis vel peccati ruga illa credunt esse discreta.

Qui aliter sentiunt, quod melius approbant, credant. Ego, piissima domina, ego tuus qualisunque servulus, ego scio, credo et confiteor quia inde ex radice Jesse pulcherrima, ac per hoc omni quod te aliquatenus docoloraret peccati vulnere aliena prodisti, et integerrima permanens florem speciosissimum protulisti: florem, inquam, protulisti, et non qualemcunque, sed super quem septiformis Spiritus sanctus requievit, et odore vitaæ perennis, odore salutis æternæ omnem creaturam gratia divinitatis suæ respersit atque replevit. Per hunc a peccato primi parentis liberamur, et mortem quæ per istud intravit in orbem terrarum evadimus, miseras qnibus opprimebatur omnis caro ob meritum ipsius delicti, jam alias in re, alias in spe, conculeat ipsa caro redempta crux ipsius floris, unici scilicet filii tui et dilecti. Per hunc quoque non modo paradiso, unde Adam fuit repulsus, restituir, sed et regno cœlorum, quod non habuerit, sed habiturus erat si non peccasset, multo felicius illo et dignius invehimur. Nam si Deo inobediens non fuisset, nunquam Filius Dei homo fieret, in quo vel pro quo mortem patiens ac resurgens regnum cœlo-

rum in substantia nostræ carnis dominandi jure penetraret.

Nunc autem quæ gloria, quis honor, quæ jubilatio cordis, quæ jucunditas mentis, quæ securitas æternæ beatitudinis erit humanæ naturæ, quando illum sibi viderit con corporalem, quem omnis militia cœlorum adorat super se verum Deum, cum Patre et Spiritu sancto omnia regentem, omnibus imperantem, et æterne Patri suo consubstantiale et coomnipotenti? Hanc gloriam, hauc tantorum bonorum possessionem nunquam humana natura adipisceretur, si Deus ipse, pro expiatione peccati Adæ, in carne humana non nasceretur. Multo igitur felicius et dignius in regno cœlorum erimus quam si Adam non peccasset futuri essemus. Et quid erit, forte aliquis . . . de memoria malorum, pro quorum integerrima abolitione interminabiles gratias agerent illi, quem præsentem semper habebunt, suo piissimo Redemptori quicunque ibi fuerint homines? Constat enim quod omnes omnium conscientiæ singulis patebunt non solum hominibus, sed et angelorum et hominum et angelis et hominibus. Cum igitur cherubim et seraphim, throni et dominationes, aliæque cœlorum virtutes, in conscientia singulorum cognoverint peccata illorum, sequentia lumen viderint omnino insontes, quomodo fieri poterit ut eos non computent exinde viores quam si nunquam eis aliqui tales dominati fuissent errores? Quomodo ergo felicius et dignius erunt in societate angelorum, quorum vilitas nominatur ex communione peccati Adæ aestimatione ipsorum? peccare namque infelicitas et indignitas, non peccare vero felicitas et dignitas comitatur. Haec si quis dicit, duci quidem ratione videtur, sed humana; nam cœlestia consideranti alia ab istis occurrit consideratio. Non enim illi angelici spiritus, quorum similitudinem, juxta promissum Domini, adepturi sunt post hoc sæculum quique justi homines, in eis considerabunt qui fuerint, sed qui sint, licet hi in memoria sua habeant qui fuerint, ad laudem scilicet et ad gloriam Salvatoris sui. Certe si aliquis in hac mortali carne positus aliquo gravi morbo, verbi gratia, lepra percussus, toto corpore vermis scatteret, et cunctis eum intuentibus horridus immunit feteret, si aliquo eventu, utpote medicorum juvamine, vel respectu mira facientis Dei misericordiae, integræ sanitati restitus fuisset, et res eis qui eum prius noverant innotuisse, mox hi qui illum ante abominabantur, si charitas in eis firma vigeret, ipsum videre, ipsum alloqui, in ipso gratiam Dei cuperent intueri, mirari, venerari, et ipsum duplice honore censerit habendum: ipse nihilominus suæ infirmitatis non immemor, aliis etiam ignorantibus eam ultra et cum quadam sui augmentatione referret, ut primo et præcipue Dei gratia inde, seu medicorum perita scientia, seu sua longanimitas, vel devotarum precum cum beatorum operum diutina exhibitione instantia, vel medentium inficta asperitas a salutis desiderato effectu non deflexe-

rat, prædicaretur. Si ergo hæc ita geruntur in huma-  
nis, quid putas in horum quodammodo similibus  
geritur in divinis? Evidem peccata, quibus Dei  
vultus offenditur, mentis humanæ vulnera atque  
putredines esse non nesciuntur. Quæ unde proce-  
dunt, nisi ex suæ conditionis ingenua corruptione?  
Quæ corruptio, dum transierit in incorruptionem,  
nihil ulterius erit quod doleat, nihil quod alicui  
sordescat, nihil quod cuncta cernentis Dei oculos  
offendat. Pax igitur erit inter Deum et homines,  
quam nullus finis includat, nulla occasio scindat,  
nulla offensa obnubilet; videbitur enim ipse qui est  
et lætabitur in commune in eodem ipso et ad  
ipsum, qui ab eo quod est, aliud omnino esse non  
potest.

Deus meus, Deus meus, doce cor meum intellige-  
re quid ibi futurum sit omnibus qui te hic dilexe-  
runt, qui mortem tuam vitam suam in directione  
viarum suarum complexi sunt, qui tibi in sequenda  
voluntate tua per mandatorum tuorum custodiam  
adhæserunt. Vere, bone Domine, juxta vocem beati  
Apostoli tui, summe tu omnium bonorum, præstan-  
tissimus eris æternaliter in omnibus (*I Cor. xv, 28*).  
Et quid boni poterit deesse alicui, cum te habuerit,  
qui fons es et perfectio omnis boni? Quomodo ita-  
que illi tui dilecti teque diligentes ad intuitum  
gloriarum perenni jucunditate gaudentes, ange-  
licos spiritus dico: quomodo, inquam, poterunt eos  
præcipuo honore dignos non judicare, eos ut semel-  
ipsos non amare quos tibi conceporales, quos in  
forma humanitatis viderint tibi consubstantiales?  
Quomodo eos non immensa dulcedine amplectentur  
quorum mira vis animi, dum viverent in carne  
mortali, tantum in domandis voluptatibus suis pro  
tuo amore in se valuit, ut pateat omni creaturæ te  
pro eis non fuisse gratis hominem factum, natum,  
passum, mortuum? Siquidem tibi hanc laudem  
pepererunt ut qui eos in terra homo factus perditos  
requisisti, te audirent, te diligenter, tuis monitis  
acquiescerent, et ad te læti pervenirent, sive te  
nec in tuo consilio deceptum, nec otiose pro eis quæ  
passus es perpessum fuisse ostenderent. Non igitur  
eos omnino irrationabiliter dixi, Domine, ut aestimo,  
dignus atque felicior in regno tuo esse quam futuri  
essent, si Adam non peccasset.

Ad hoc illa dignitas atque felicitas sese ingerunt  
considerationi meæ, a quibus humana natura nihil  
lominus aliena existeret, si ob meritum peccati sui  
primus homo paradisum non perdisisset. Virginem  
Mariam, quæ super omnes mulieres beata hodie et  
benedicta colitur et prædicatur, quam summis et  
omnipotens Deus sibi in Matrem assumpsit, et uni-  
versis quæ post se sunt secum dominari constituit,  
cum in dextera ipsius unici beatique filii sui multi-  
tudo viderit hominum in regno illo beatitudinis  
adunatorum consistere, nonne felicem, nonne ju-  
cundum, nonne ultra quam quivis aestimare queat,  
statum suum judicabit in ejus consideratione ac  
præsentia honoratum? Virginem, inquam, de sua

propagine ortam, sibi pro conditione unius naturæ  
consimilem, præ oculis habebunt, angelis et ar-  
changelis præsidentem, omnia utpote reginam om-  
nium cum filio disponentem, seque dulci affectu  
amplectentem, sibi de collata gloria congaudentem;  
et fieri poterit ut ad hoc non in immensum  
exsultent, non se ineffabili jucunditatem glori-  
ficationis conjubilent? Et quidem ad hanc dignitatem  
nec beatissima virginum, nec numerositas homini-  
num electorum unquam ascendisset, si Filius Dei ad  
destructionem peccati Adæ de sinu Patris hominem  
ex ipsa Virgine assumpturus non descendisset. Igitur  
propter peccatores Maria facta est Mater Dei, quæ  
idecirco quod ea castior, ea sanctior, ea humilior in  
genere humano nulla potuit reperiri, merito debuit  
in tantam excellentiam ab eo, quo nihil castius,  
nihil sanctius, sublimius est nihil, adscisci, et in  
quid excellentius adscisci valeret, quam ut in perpetua  
virginitate permanens Deum de sua carne car-  
nem factum generaret? Hanc excellentiam contulit  
Deus Virgini Mariæ, eo quod illam pudicitia cordis et  
corporis sibi præ omni creatura intellexit adhærere.  
O felix haerere! o haerere felix, haerere illi qui solus  
vere est, qui solus summe est, qui nunquam deficit  
ulli sibi non sieto corde haerenti? Huic, pia domina,  
quoniam, ut dixi, adhæsisti, haesit et ipse tibi, et  
modo quo nec dulcissus potuit adhærere. Quid enim  
inter duos dulcissus, aut dignissimus valet esse quam esse  
matris ad filium, vel filii ad matrem? Et hoc utrumque  
vobis est, ut omnibus liquet. Sed hos honores,  
has dignitates, hæc gaudia, quibus cœtus hominum  
cœtui admistus angelorum perfruit, ob prævarica-  
tionem primorum hominum, num illis ascribere,  
num illis exinde jure debuere gratiosi existere?  
Non puto. Nec enim ea intentione præceptum Dei  
prævaricati sunt, ut tot bona inde procederent, sed  
ut modum conditionis suæ, spreto Deo, superbi ex-  
cederent. In eo quippe quo diabolum audierunt ut  
dii fierent, nou intenderunt ut ad deitatem; qua se  
sublimandos sperabant, exterminandam Filium Dei  
aliquando ex sua stirpe homo fieret. Forte magis  
putavit Eva se Deum illico fore, et Adam sibi con-  
sentientem divinitatis suæ futurum consortem. O  
superbia intolerabilis! o stultitia inæstimabilis! O  
vanitas omni vanitati incomparabilis! O Eva, quam  
propinquior veræ ac summæ deitati exstitisses, si in  
status tui humilitate Deo subdita perstittisses. Adam  
quippe, sicut Apostolus ait, in prævaricatione tua  
seductus non fuit (*I Tim. ii, 14*), quia quod serpens  
pollicebatur, mendacium esse intellexit. Tu autem  
miserrime seducta (*ibid.*), et e vestigio multiplici  
perversarum cupiditatum semine imbuta, illecebrosa  
facundia illum ad tibi consentiendum illexisti, præsi-  
gnans in hoc opere tuo veram fore futuram senten-  
tiam viri Dei, mulieres scilicet apostatare facere  
etiam sapientes (*Ecclesiæ xix, 2*). Needum enim tibi  
præpositus fuerat ex sententia Dei, et ideo in perdi-  
tionem tui et sui et universæ posteritatis nostræ illa  
femina sollicitatione prævaluisti. Obedivit namque

voci tuae, postposita obedientia vocis Dei. Væ obedi-  
re, vae non obediare, vae voci mulieris contra vocem  
Dei obediare, vae pro voce mulieris voci Dei non obe-  
diare; malum hoc, malum hoc. Hinc enim omnes  
tribulationes et miseriae quas passus est mundus,  
quas patitur, quas patientur, exortæ sunt. Hinc  
deorsum sortitæ sunt, hinc robur et perseverantiam  
perdiderunt, hinc ignorantia omnis boni, hinc  
scientia et execratio omnis mali, hinc Dei contem-  
ptus, hinc dæmonum sub simulacrorum specie ne-  
fandissimus cultus, hinc mors vite presentis, hinc  
illi miserior mors subiens dispendia vite sequentis.  
Non ergo debet vobis humana natura gratias agere  
quod sic in Filio Dei est exaltata et honorata, sed  
vobis utique, quod immensa mala, quod in gemina  
mortem corporis et animæ est dejecta et præcipi-  
tata; nec ulla esset spes hæc tanta mala aliquatenus  
evadendi, si flos ille speciosissimus per glorio-  
sissimam virgam, de radice Jesse nobiliter ortam,  
non sumpsisset initium nascendi. Sed ipse in mundo  
natus ordine quo voluit, Spiritus sancti super se in  
gratiarum suarum plenitudine quiescentis, suis audi-  
toribus dona distribuit, et mundum ab ignorantia  
veri boni, et aliis malis inde manantibus, que in-  
currit per Adam, potenter eduxit, atque ad amissam  
regni cœlestis conversationem jam alios in re, alios  
in spe misericorditer reduxit.

Patet igitur quid cui debeat genus humanum, cui  
quod in infima humiliatum atque prostratum, cui  
quod in summa est exaltatum et glorificatum. Vos  
igitur, o Adam et Eva, vos, vos accusat; vobis  
vestra progenies mala que sustinet imputat, se per  
vos paradise exclusam, se miseriis continuis per vos  
intrusam miseranda lamentatione deplorat, et non  
immerito quidem. Causa evidens est, nec refragari  
potest. Quid igitur, Deus omnium, quid faceret  
opus manuum tuarum, ex prævaricatione horum  
parentum suorum perennibus poenis et æternæ  
morti obnoxium, si non venires? Si non subvenires,  
quo fugeret, quo delitesceret, quo evaderet? Utique  
consilium nullum, remedium nullum, nusquam protec-  
tio nlla; sed venisti, et qualiter hæc omnia adi-  
pisceremur, efficaciter ostendisti. Si ergo hi qui  
post adventum tuum, Domine, venerunt, non sal-  
vantur; non habent præter se ipsos, contra quos  
æquo judicio inde conquerantur. Quid igitur facient?  
ut mihi quidem, Domine, videtur, ultimum et uni-  
cum consilium est omnibus qui volunt salvari, ut  
primo tibi intimas ex corde pro omnibus beneficiis  
tuis grates exsolvant, te diligent, ac denum præcep-  
tis tuis obedient; siveque se ad te per venturos  
secura fiducia sperent. Sed ad hoc, pie Pater, quis  
idoneus? Utique nemo, nisi tuo fultus adminiculo.  
Tu enim summum omnium bonorum es, quiet et ipsum  
summum bonum es; nec quidquam boni potest esse,  
vel fieri vel haberri, nisi aut a te, aut per te, aut  
de te. Nihil itaque boni sine te valet quisquam  
facere. Redemisti nos, Domine, Deus veritatis; ne  
propter scelera nostra exerceas contra nos judicium

tuae severitatis, voluisti fieri homo pro nobis; in-  
tende ut esse possimus quod ut essemus factus es  
unus ex nobis. Quod petimus, honor tuus est ut fiat.  
Nam si non fit, videberis a proposito tue quodam-  
modo defecisse. Verum nulla disceptatio nobis est  
tecum, quia Dominus es, et unum verbum tuum  
validius nostris mille. Si enim omnes justitiae nostræ  
coram te sunt sicut pannus menstruatae (*Isa. LXIV,*  
*6*), quid erunt injustitiae nostræ a seipsis et a  
nostris inimicis ante faciem tuam denudatae? Væ,  
væ, quis hinc prodeuntem perturbare mentis confu-  
sionem, quis terrifici horroris explicare poterit imma-  
nitatem? Et si confusi horroris horridæque confu-  
sionis immanitas est modo nobis inexplicabilis,  
districta malorum examinatio in futuro examine  
cui erit tolerabilis? Heu! peccatores homines, quos  
haec omnia mala ex Adam stirpe respiciunt, quid  
faciemus in istis? Desperalimus? Absit! Quid tunc?  
o fons David patens (*Zach. XIII, 1*), in ablutionem  
menstruatae flue ad nos, et consule quid expedit  
nobis. O pietas! vere bone Domine, video, videns  
gaudeo, gaudens amplector consilium quod per sin-  
gularem misericordiam tuam providisti salubrissi-  
mam fore nobis. Et quod vel quale? Nimirum mente, vul-  
tu, voce ad eam redire, cuius supra meminiimus, di-  
lectissimam Matrem tuam, piissimam scilicet domi-  
niam nostram, a cuius contemplatione dulcedine,  
a cuius castitatis contemplatione, a cuius dignitatis  
consideratione, a cuius sublimitatis speculatione, in  
has angustias, quædam animo non abolenda com-  
memorando, devenimus, ipsamque pura devotione  
interpellare, ut nobis consulat, et nobis supereminen-  
ti, qua præeminet apud te, gratia subveniat.  
Procul dubio namque scimus eam tanti esse penes  
te, ut nihil horum quæ volet efficere, aliquatenus  
posset effectu carere. Salus igitur nostra in volun-  
tate sua consistit, dum tamen quod vult potenter  
efficiat. Quod itaque consilium salubrissus nobis, quos  
involvit finis sæculi, daret filius ejus finis cuncto-  
rum quam currere ad ipsam, quæ de carne sua  
generavit eundem ipsum, sine quo non sit ulla  
remissio peccatorum, qui vere bonus, vere pius, vere  
volens misericordiam est. Et tu, domina, ad cuius  
subsidiū nos mittit dilectissimus filius tuus, quid  
dicis nobis? ipse enim misericordia nostra est, et tu  
ejusdem misericordie mater es. Quid, inquam, dicis  
nobis? Forsan, domina, ut sub aliarum suarum pro-  
tectione confugiamus. Bene; at licet misericordiam  
illius, sicut decet, grataanter amplectamur, tamen  
justitiam ejus non parum formidamus. Ne igitur  
querentibus misericordiam obtendat justitiam  
suam, precamur, adesto nobis, et age causam no-  
stram pro nobis. Ipse namque magui consilii sun-  
mus Angelus consuluit nobis venire ad te. Certe  
peccatores nos esse cognoscimus, et damnari mere-  
mur, et juste quidem, non negamus. Sed æque  
justum esse profitemur ut voluntatem ipsius faciat  
qui voluntati sue in cunctis quæ agit concordare  
non detrectat. Et quis unquam voluntati illius magis

concors exstitit quam tu, cuius subsistentia ab impletione voluntatis ejus nunquam otiosa fuit. Velis itaque solummodo, domina, ut ille justissimus judex nobis misereatur; profecto justum erit, nulla ratione obsidente, ut velle tuum perficiatur. Noli ergo, noli propter misericordiam, cuius mater esse probaris, nobis deesse, quia velle tuum non postponet in salute nostra, qui ut salvemur factus est per te frater noster. O mira operatio Conditoris! o immensa consolatio peccatoris! o domina, si filius tuus est factus per te frater noster, nonne et tu per illum facta es mater nostra? Hoc enim jam mortem pro nobis subiturus in cruce dixit Joanni, utique Joanni, nec aliud quam nos in natura sue conditionis habenti: *Ecce, inquiens, mater tua (Joan. xix, 27).* O peccator homo, gande, gaudie et exulta; non est enim unde desperes, non est quod formides; quidquid iudicabitur de te, totum pendet ex sententia fratris et matris tue. Ne ergo avertas aurem cordis tui a consilio illorum. *Judex tuus, videlicet frater tuus, docuit te fugere ad subsidium matris sue, et ipsa eadem mater tua monuit te protectioni alarum filii sui fiducialiter inhærere, seque tibi, ne ejus justitia gravareris, nou negavit affutaram.*

Maria, quid dicemus? quali organo vocis, vel quali jubilo cordis exprimemus quantum tibi debemus? Utique, domina, quidquid intellexerimus, quidquid mente conceperimus, quidquid ore protulerimus, minimum est et quasi nihil ad ea quae tibi ex aequo debemus. Tu namque ante omnem creaturam in mente Dei præordinata fuisti, ut omnium seminarum castissima Deum ipsum verum hominem ex tua carne procreares, ut omnibus post suum Filium tuum regina cœlorum effecta gloria regnare, ut perditio mundo recuperationis aditum et vita perennis euangelium præparares. Tu genus humanum æternitatis gloria nudatum, per beatæ fecunditatis tuæ virgineum partum, in pristinum statum reduxisti. Tu leges inferni, devicta per mortem filii tui principe mortis, evertisti. Tu denique cunctis Denim ac Dominum, quem ignorabant, visibilem et propitiatorem exhibuisti. Per te, domina, vitam perditam in unigenito tuo recuperavimus; per te est, si quid boni sumus, sive possumus, sive habemus; per te ad æternam gloriam quicunque sumus perventuri perveniemus. Tu post Deum summa ac singularis consolatio nostra. Tu felix atque beata gloriatio nostra, tu ad regna cœlorum ductrix ac subvectio nostra. Tu, quæsumus, esto in ipso beatitudinis regno coelesti susceptrix et perpetua exultatio nostra. Ergo secundum beatum et misericors consilium specialis misericordiae, dulcissimæ scilicet prolis tuae, ad te confugimus; tu procura ne in vanum hoc fecerimus. Re etenim vera si defeceris nobis, nihil erit tutum nobis. Ne igitur tantum attendas injusticias nostras, ut quibus huc usque præ omnibus prædicta fuisti, postponas misericordias tuas. Ei qui summe omnium est, nec ab eo quod est mutari ulla tenus potest, æternaliter hæres

et ea re, quæsumus, ne jugi misericordiae, qua erga omnes hactenus usa es, alia sis quam te certissime scimus. Et utique, domina, non te decet a filii tui voluntate disrepare, qui ad miserandum generi humano se naturæ nostræ consortem vulni Patris sui non cessat perenniter demonstrare. Et ipsa naturæ nostræ demonstratio quid aliud est quam ad provocandum super nos misericordiam suam quædam ineffabilis pietatis incitatio. In ipso enim sibi complacuisse Pater ipse testatur; nec fieri potest ut quibus ipse vult misereri, non misereatur. Summus igitur Pater participibus Filii sui vult misereri, et ipse Filius eos ingerit pro se conspectui misericordiae Patris sui; et tu unica Mater ejusdem unici Filii Dei repelleres ab uberibus misericordiae tuæ quos, ut dixi, et Pater Filii et idem ipse Filius vocant et revocant in sinum gratiæ tuæ? Tu exasperareris contra nos propter iniquitates nostras, cum Filius tuus, quem maxime offendimus, morti se tradidit pro delendis iniquitatibus nostris? Severior videlicet illo esses super nos, cum ejusdem conditionis sis, cuius et nos; naturam tuam, domina, excendens. Sed fortasse tantum amas justitiam Dei contra peccantes in eum ut malis illum exercere vindictam quani exhibere misericordiam. Quod si ita est, cur, domina, cuidam olim ope tua magnopere indigenti, et que esses nescienti, matrem te potius misericordiae dulci voce respondisti quam justitiae, cum filius tuus non minus sit vera et incommutabilis justitia quam vera et appetibilis misericordia? Ea fortassis consideratione, quoniam si te matrem justitiae dices, magnam non solum ei quem in angustia positum omni misericordia (postposita justitiae severitate) opus habere sciebas, verum etiam nobis pauperibus tuis spem venia tolleres, et singularis refugii ostium crudellem humani generis persecutorem fugientibus quodammodo inimicis occulderes. Quis enim cum justitia Dei judicium subiens, non ut vestimentum conteritur, non deterius quam a tinea devoratur? Quapropter, pia domina, dulcis et clementissima Domini Mater, attende fragilitatis nostræ gravem necessitatem, et ostende super nos effectu te esse, quod jueundo affectu te esse cognovisti; quod si feceris, ad nos salvandos filio tuo et Patri suo procul dubio concors eris. Benignissimus quippe filius tuus desiderat salutem nostram, et in tantum ut quo illam incommutabili et æternam faceret, æternitatem suam momentanea mutabilitate nostra indueret. Verax quoque et justissimus Pater suus ita sibi per omnia complacet ut nihil eorum nolit quae illum velle intelligit. Velis itaque solummodo quod vult ipse, nihil restabit quod possit ob sistere saluti nostræ. Sed te non velle quod Deus vult, nefas est vel opinari. Gaudie igitur et exulta, humana natura; omnia quippe tibi prospera Christus filius sanctæ Mariæ paravit, dum se ex ea propter te in substantię tuæ veritate creavit.

Domina, domina, quod ego qualisunque homuncio, et vere magius peccator hoc corde impuro de te

meditari, fetido ore effari, pollutis digitis ausus sui describere, parce, quæso, parce et miserere. Nostī enim, pia domina, hoc me ita præsumpsisse, quia talem me confiteor esse ut nec cœlo nec terra me jugidicem dignum esse; et ideo nimis anxius velle, si quo modo valerem, enitiquatenuis aliquo miserationis sue intuiui super me Deus intenderet, qui sua inef fabili gratia vel modicam sancti amoris affectum erga benignitatis tuæ dulcedinem in me accenderet. Confido quippe quoniam si hoc faceres, ab his quæ merui pœnis inferni sua miseratio tuaque subventio me forte redimeret. Quapropter, domina, ne indignheris quasi audaci et præsumptuoso, quia si quid horum in istis esse videtur, mea gravis necessitas compulit, et tua grandis et omni sæculo probata bonitas suasit. Ultima ergo atque summa votorum meorum intentio est, ut vel in extremo examine iustissimi filii tui si me, remota misericordia, severa sententia crudeli tortori damnandum tradiderit, subvenias, et me ad inferos rapient occurras, ac manica misericordissimæ defensionis tuæ protetum, ne in æternum dannner, eripias. Et quidem, domina, quondam parvulis, et forte mihi, si non fallor, hoc a matronis, cum ad verbora raperentur a prædagogo, impensum reminiscor, et ob hoc illis nonnulli valde gratiosi fnerunt, ac pietatis viscera, quibus in eorum pia liberationi usæ sunt, magnifice prædicaverunt. Si ille igitur pro tantilla gratia, quibus, quæso, præconiis a coeli civibus, qui de peccatorum salvatione gratulantur, prædicaberis, cum mei magna peccatoris, ut dixi, miserta fueris? Utique beatus et bonus filius tuus Dominus Jesus dicit ita *gaudium esse in cœlis, angelis Dei, super uno peccatore paenitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent paenitentia* (*Luc. xv, 7,10*). Cum ergo pro penitente fiat gaudium in cœlis, quoniam in eo quod illum malorum suorum pœnitit, tendit ad salutem, quale gaudium erit, domina, quando aliquis liberatus ab omni malo pervenit ad ipsam salutem? Si igitur me a meritis pœnis liberatun, æternæ salutis participem feceris, nimimum totam curiam regni cœlorum exilarabis. Quapropter, piissima domina mater, ne parvipendas enormem inumanitatem criniuum meorum, ut postponas magnitudinem gaudiorum pro remissione illorum congratulantium angelorum. Domina, domi-

na, quid futurus vel facturus sim penitus ignoro; et ideo quidquid de me sit eventurum, præsentem postulationem ne oblivioni tradas, obsecro piissimam dilectionem qua diligis unicum filium tuum, ut me peccatorem a mortis auctore transferas in sortem vitæ æternæ; et tu, singulare præsidium omnium ad te confugientium, vere et unice fili hujs castissimæ Virginis dominæ meæ, rogo te per dilectionem, qua diligis ipsam dulcissimam Matrem tuam, sentiam quandoque per effectum, quod mihi per eamdem piissimam genitricem tuam opto impendi; tepido licet, tamen qualicunque affectu. Quod si multitudo scelerum meorum justitiam tuam ad me damnandum magis erexit quam pietas Matris tuæ misericordiam tuam ad parcendum inclinaverit, tu, qui ubique præsens, et in omni loco aequa potens es, aliquod mihi tuæ protectionis, quo ab inimicis meis abscondar, obstaclum inveni, ne præla dæmonum factus, detrudar in profunditatibus malorum inferni, ac si nihil merear exaudiri, saltem in inferno constitutum memoria et cognitione sancti nominis tui privari non sinas, ne Satanae similis et cohæres justitiam tuam reprehendam, siveque æquitatis tuæ examen perversi murmuris obstinatione gravius feram. Bone Domine, bone, si in his omnibus aures misericordiae tuæ mihi occludis, profecto non video quid amplius rogem, quod largitate misericordiarum tuarum mihi impendat, et hæc ignorantia nimirum ex multitudine iniquitatum mearum mihi provenit. Naïd si densis illarum tenebris obvolutus non essem, tu, qui lux es indeficiens, non mihi desiceres, sed ignorantiae meæ tenebras radio tuæ claritatis abigeres, siveque in lumine tuo constitutus viderem te non esse Deum volentem iniquitatem (*Psal. v, 5*), et tamen nosse et posse habere cum pia voluntate inestimabilibus modis subveniendi lapsis et oppressis miseria et iniquitate; et hoc, Domine, sic esse firmissime credo, ac per hoc intimo corde teneo et ore profiteor quia quidquid de me feceris, qualicunque videlicet malorum pondere presseris, nullo injustitia labore turbatus in his pertraheris. Sic quoque deletis ac dimissis peccatis nostris, talis esto erga nos propter dulcem aniorem dilectissimæ Matris tuæ, ut.....<sup>282</sup> Virginis humanam de suæ carnis substantia verum hominem genuisse. Amen.

## VII. — SERMO DE CONCEPTIONE BEATÆ MARIE.

Conceptio venerandæ Dei genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia et in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrantem audiat dilectio vestra.

Tempore namque illo, quo divinæ placuit pietati A: glorum gentem de malis suis corrigere suæque servitutis officiis arctius astrigere, gloriosissimus Northmannorum dux Guillelmus eamdem patriam bellando subegit. Qui videlicet Guillelmus, tunc temporis rex Anglorum factus, Dei virtute et in-

dustria sua totius ecclesiastice dignitatis honores in melius reformavit. Cejus piæ intentionis operibus invidens bonorum omnium inimicus diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus multoties conatus est ejus obsistere successibus. Sed Domino protegente et timentem se regem glorificante, *ad nihilum deductus est malignus* (*Psal. xiv, 4*). Audientes autem Daci Angliam esse subjectam Northmannis, graviter sunt indignati, et, suo quasi haereditario jure privati, arma parant, classem aptant, ut eos adeuntes a data sibi divinitus patria

expellant. Hoc comperto, prudentissimus Guillelmus quendam religiosum abbatem (Helsinum) cœnobii (Remessiensis) accersitum in Daciam dirigit, ut inquirat hujus rei veritatem. At ille, ut vir sagacis ingenii, strenue regis negotium exsequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reverti cipiens, mare ingreditur; et cum jam maximam partem maris prospero cursu transisset, subito densis surgentibus undique ventis, horrida tempestas cœlum commovit et undas. Fatigatis igitur nautis nec ultra jam obniti valentibus, fractis remis funibusque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur nihil sibi nisi submersionis exitium miserabiliter exspectantibus. Cumque de salute corporum desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem Creatori suo commendarent, et beatissimum Virginem Mariam Dei genitricem, miserorum refugium, et desperatorum spem devote reclamarent, eccc subito conspicunt quemdam admodum reverenda habitudinis virum, pontificali insula decoratum, quasi inter medias undas navi proximum. Qui vocans ad se abbatem (Helsingum), his verbis cœpit eum appellare: Vis (inquit) periculum maris evadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cumque cum fletu id toto corde desiderare et hoc solum exspectare responderet, tunc ille: Scias (inquit) me ad te a domina nostra, Dei genitrice Maria, directum esse, ad quam dulciter reclamasti; et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis evades imminens periculum maris. Ille vero illico spondet se ei in omnibus obtineraturum, si hoc evaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo et mihi quod diem conceptionis et creationis Matris Domini nostri Jesu Christi solemniter celebrabis, et celebrandum prædicabis. At ille, ut prudentissimus: Et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc festum solemnitandum tenebis. Et quo, inquit abbas, officio uteatur in ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium quod dicitur in ejus Nativitate dicetur in Conceptione, excepto quod nomen nativitatis mutabitur in nomen conceptionis. His dictis ille disparuit, et dicto citius sedata tempestate, abbas incolunis concito flatu applicuit littoribus Anglicanis, et quæ viderat et audierat quibus potuit notificavit. Statuit autem idem festum in cœnobio (Remessensi) celebrari, et ipse quandiu vixit devotis obsequiis celebravit.

Et nos ergo, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis Conceptionem dignis obsequiis et officiis celebrabimus, ut ab ejus filio digna mercede remuneremur.

Rursum hæc solemnitas alibi modo declaratur. Tempore namque Caroli regis Francorum illustrissimi, clericus quidam ordine diaconus Hungariae regis germanus, Matrem Jesu toto corde diligens, ejus horas sollicitus decantabat. Parentum autem suorum consilio, nubere volens cum quadam adolescentula valde pulcherrima, accepta a presbytero

nuptiali benedictione, quadam die, missa etiam celebrata, recordatus quod ejusdem beatissimæ Virginis horas illa die, juxta morem solitum, non cantaverat, sponsam dominum mittens, omnes ab ecclesia exire coegit, et ipse juxta altare Virginis solus remansit. Cumque horas Dominicae Matris decantaret, et hanc antiphonam *Pulchra es et decora, filia Jerusalem*, diceret, subito apparuit ei Virgo Maria cum duobus angelis, dextram ejus manum, et laevam tenentibus, dicens ei: Si ego sum pulchra et decora, quid est quod dimittis me, et sponsam aliam accipis? Nunquid ego sum optime formosa? Numquid ego sum pulchrior illa? Ubi vidisti tam pulchram? Cui ille stupefactus ait: Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit. Quid vis, domina, ut faciam? Ait illa: Si sponsam carnalem, cui adhaerere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in coelesti regno habebis; et si Conceptionis meæ festum annuatim vi Idus Decembris solemniter celebraveris, et celebrandum prædicaveris, mecum in regno filii mei laureatus eris. His dictis beata Virgo disparuit; clericus vero dominum adire renuit, et absque parentum suorum consilio, ad abbatiam quamdam extra patriam illam perrexit, et ibidem monachali habitu decoratus, et post tempus exiguum meritis beatæ Mariæ semper Virginis, quæ quidem diligentibus se decorat semper et beatificat, Aquileiae episcopus patriarcha factus festum conceptionis B. Virginis die prefato, quādiu vixit, annuatim cum propriis octavis diligenter celebravit, et ubique celebrandum prædicavit.

Aliud etiam miraculum hujus festivitatis alibi divina inspirante gratia, a nobis declaratur. In pelago Gallico canonicus quidam, ordine sacerdos, solitus B. Mariæ Virginis horas canonicas decantare, a villa quadam, ubi cum uxore alterius fornicatus fuerat, residens, ad oppidum in quo morabatur tendere curans, et pelagus Sequanæ transñeare cupiens, solus navem ingressus Dominicæ Matris horas navigando canere cœpit. Cumque invitorium, *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*, diceret, et iam in medio fluminis esset, ecce turba magna dæmonum in profundo pelagi, una cum ejus navicula eum precipitavit, et ejus animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia locum quo dæmones eum tormentis affiebant, venit Mater Jesu cum magna angelorum societate, dicens eis: Ut quid animam famuli nostri ita injuste affligitis? Nos, inquit, eam debemus habere, et merito, quoniam in nostris operibus capta est. Quibus Mater Jesu: Si illius debet esse enijs opera faciebat, ergo nostra debet esse, quoniam matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat; unde magis rei estis, qui iniqua contra me egistis. His dictis dæmones huc illueque dispersi fugerunt, et beata Maria animam reduxit ad corpus, et hominem ab utroque funere suscitatum per brachium arripiens, aquam a dextris et a sinistris quasi murum stare jubens, de profundo pelagi ad portum

incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus B. Virginis prostratus ait : Charissima domina mea , et Virgo speciosa Christo gratissima, quid tibi tribuam pro tantis beneficiis quae mihi fecisti ? liberasti me de ore leonis, et de tornientis inferni gravissimis animam meam. Cui Mater Jesu ait : Precor te, ne de cætero in adulterii peccatum cadas , ne fiat tibi novissimus error pejor priore. Precor te iterum ut de cætero festum conceptionis meæ devote celebres annuatim vi Idus Decembris, et ubique celebrandum prædictes. Mox ut id dixit B. Virgo Maria, eo cernente cœlos ascendit, et ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus narravit, et postea quandiu vixit, illud festum conceptionis solemniter et devote celebravit , et celebrandum prædicavit. Et nos, fratres charissimi, nostra archiepiscopali auctoritate corroboramus atque præcipimus ut nullus nostrum ita sit rebus temporalibus aut propriis delictis desperatus , quin B. Marie Virginis conceptionem celebret annuatim. Sicut enim in sancta Ecclesia ejus extollitur nativitas, ita debet ejus extolli conceptio; nisi enim conciperetur, nunquam nasceretur. Sicut enim ad salvandum genus humanum olim fuit necessaria ejus nativitas, sic fuit necessaria ejus conceptio ; jussu Dei concipitur et nascitur. Inde si divina ratio perspiciat, spiritualis conceptionis ejus dies major fore approbatur quam ejus nativitatis

Res enim major exstitit, Adam a Deo creari quam filios Adæ de matre nasci; non est mirum si homo a Deo de matre nascitur. Erubescant igitur omnino insensati, qui tanta sacramenta , tantaque mysteria tenebris ignorantiae execrati ideo respuant celebrare quod viri ac mulieris copulatio in conceptione Virginis exstitit; si enim ejus conceptionem, idcirco quod carnalis exstitit, stultis non placet hodie celebrare, tamen diem et noctem illam dignam, quamvis multis sit incognita , et tempus et horam spiritualis conceptionis ejus hodie celebrare delectet, qua ipse animarum Creator animam suæ matris dignam, et sanctissimam corpori virginali ejus ministrantibus angelis copulavit; quian etiam diem primam nostræ reparationis et salutis dispositor nostre salvationis inter ceteros dies fecit, prælegit, et sanctificavit; nam duæ sunt conceptiones hominis (hoc omnibus peritis notum est), una qua carnalis

copula viri ac mulieris agitur, alia qua spiritualis anima nova et pura Deo operante corpori divinitus adjungitur. Si non placet illi celebrare Dominicæ Matris carnalem conceptionem, saltem placeat celebrare ejus animæ spiritualem creationem corporisque cum anima copulationem. O quanta est dies illa, qua nostræ reparatricis anima digna creatur, et sanctificatur, et sanctissimo corpori unitur ! non est enim verus amator Virginis qui respuit colere diem ejus conceptionis. Erubescant iterum insan qui hunc diem colere non volunt idcirco quia aliquorum sanctorum conceptiones minime colere sancta consuevit Ecclesia. Maxima quippe rusticitas est eam aliis sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem humanam assumpsit, quam etiam super omnes angelos et archangeli in cœlis sublimavit; quamvis enim ceteris sanctis dies conceptionis eorum non sit conce. sumit celebretur, illi tamen a Spiritu sancto concessum est, quæ major et excellentior cunctis est. Pulchre et digne dominatorem super ceteros sanctos illa debet habere, per quam omnes sancti sanctificantur; dicitur enim Christus sanctorum Sanctus, et ipsa sanctorum Sancta; et sicut sine more summus rerum Dispositor super omnes sanctos et sanctas illam dignitatem illi contulit, ut Verbum carnis factum Virgo conciperet et pareret, et post partum Virgo permaneret, sic ipse præ omnibus absque more hanc dignitatem illi præbuit, ut conceptionis et nativitatis ejus solemnia sacrosancta in sancta Ecclesia celebremus. Quid longius? Dominicæ Matris conceptionem colere, Christi generationem est commemo- rare; nam ejus conceptio Christi generationis est linea. Quapropter Evangelium *Liber generationis* (*Matth. 1, 1*) ipsa die, sicut in Nativitate Domini, ante matutinales laudes bono more decantamus, et ad missam legimus. Merito ergo colitur et filii generatio, et matris conceptio, quoniam conceptio et nativitas matris generatio est filii. Celebremus igitur (dilectissimi) hodie dignis officiis utramque ejus conceptionem venerabilem, spiritualem videlicet et humanam, ut ipsius meritis et precibus, a sæcularibus curis et a cunctis malis mereamur eripi , et ad eterna gaudia perduci, præstante Domino nostro Jesu Christo Filio ejus, qui cum Patre et Spirito sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

### VIII. — MIRACULUM DE CONCEPTIONE SANCTÆ MARIE.

Eo tempore quo Willelmus , Normannorum dux potentissimus, prostrato Anglorum rege Heraldo, ipsos Anglos bello strenue superando sibi subjecerat, quidam abbas, Elsinus nomine, in ecclesia apostolorum Petri et Pauli Sanctique Augustini, Anglorum apostoli, residebat, in qua ecclesia ipsius Augustini cæterorumque archiepiscoporum corpora sibi succendentium requiescunt. Hic itaque Elsinus certis ex causis in Ramesiensem Ecclesiam promotus, Domino Jesu Christo devotissime famulabatur, ejusque geni-

tricem, servitium ejus faciendo devotissime, venerabatur. Contigit autem ut Danorum rex, audita Heraldi morte Anglorumque subjectione , venire in Angliam properaret et suo eam dominio subjugare, prostrato Guillelmo novo rege, ut ipse testabatur, ipsius terræ invasor, et eam in perpetuum possideret. Quo auditio, Guillelmus ad defendendum se præparavit, et ex circumiacentibus regionibus milites quamplurimos congregavit, et, ut erat callidus, urbes ac castella strenuissime munitivit, et omnibus

necessariis opulentissime replevit. Consilio itaque inito, Guillelmus rex cum optimatibus suis strenuissimum abbatem Elsinum, de quo supra retulimus, in Daciam misit, ut consilia ipsorum et acta diligenter inquireret, et eorum in Angliam adventum, prout posset, averteret. Ascensa igitur puppe, prospero vento flante, in Daciam venit, ipsiusque terrae se regi praesentavit, et salutes ac munera atque servitia ex Guillelmi regis parte obtulit. Deinde omnia, ut sibi jussum fuerat, inquisivit, quid dicerent et quomodo satagerent percunctari non destitit. Postquam autem omnia propter quæ illuc erat strenuissime complevit, proceresque terræ innumeribus et promissis oneravit, in Angliam regredi voluit, sed rex Dacie secum illum regredi permisit. Qui mox cum sociis nave in ascendit. Naturæ igitur aplustria collegebant, et in altum carbasa extenderunt, ac per frequentia æquora itinera direxerunt.

Dum itaque per alta maris pergerent, contrarius ventus eis surrexit, mare sunditus commovit, omniesque qui in navi erant formidine replevit. Tunc igitur mortis contriti nimiumque perterriti, preces cum lacrymis Deo fundunt, et se graviter delinquisse miserabiliter gemunt. In tanto discriminine positi majora pericula occurserunt, namque syrtes præ oculis aspiciunt, quas naucleri scamma dicunt. Tunc magis anxi et dubii velut in morte positi clamabant ad Deum fortius. O Deus clementissime, Pater misericordiae, dignare nos respicere mersos pro nostro crimen. Respice, clementissime, de sede tua gloriae, visita nos jam positos in extremo vitæ periculo. Assit nunc tua gratia! assit tua benignitas! assit maxima bonitas! assint bona gratuita dona! Succurre nobis miseris, pietas ineffabilis, ne nos sorbeat inferius nunc pro nostris criminibus. Pie Deus, cognoscimus quod graviter delinquimus, pejora commeruimus, quia multuni peccavimus. Benigna tua gratia fatentibus indulget, fateniur nostra crimina, tu dele tua gratia. Qui promisisti miseris qua hora ingemuerint et corda poenituerint salvos protinus fieri, parce nunc confitentibus, miserere gementibus, miserere nunc flentibus et vere poenitentibus. Maria, Mater Domini, ora pro nobis miseris, tuo filio,

#### IX. — HOMILIE IN B. VIRGINEM MARIAM.

I. — *B. Virginis humilitas.* — *In ea nec superba virginitas, nec inquinata humilitas.* — *Mariae sublimitas.*

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM: *Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quedam, Martha nomine, exceptit illum in domum suam, etc. (Luc. x, 38.)*

Quid ad gloriosam Virginem Dei Genitricem lectio ista pertineat, ut in ejus festivitate legatur, plerique solent querere: unde quid ego sentirem, in conventu fratrum prout potui vulgariter iam plus quam semel exposui. Et quia quod dixi auditoribus placuit, dicta litteris mandare ab eisdem et maxime a dominis abbatibus Willelmo Fiscanensi, Arnulpho Troarnensi, jussus, imo coactus sum.

domina, commenda nostra flamina. Namque mari sunt tradita misera nostra corpora, tuus filius animas in requiem suscipiat.

Cum igitur desperati sic clamarent, quemdam pontificalibus vestibus ornatum juxta navim assistere vident, qui Elsinum abbatem proprio nomine compellens, hoc ei retulit, inquiens: O tu, abba Elsine, veni surgens et mecum loquere. Dum autem, admirantibus omnibus quenam esset persona illa, abbas Elsinus surrexisset, praefata persona, ut credunt, angelica hæc ei insit: Si vis sanus effugere, si vis mortem evadere, si vis patriam cernere tuosque lares visere, promitte fidelissime Matri Christi piissimæ te facturum percelebrem conceptionis ipsius festum diem, in qua ipsa Virgo incomparabilis Dei futura Genitrix, in alvo matris concepta fuit, et docete quoscunque potueris, ut percelebrem diem hujus agant solemnitatis. Tunc abbas Elsinus, ut erat prudentissimus, hoc illi refert protinus: Quomodo faciam istud, qui diem que istud faciam ignoramus? Dei nuntius respondit: In sexto Idus Decembris est dies celebrerrimus hujus conceptionis; hunc ut celebres inoneo, et celebrandum dico quibus dicere potueris et qui scire voluerint. Tunc abbas Elsinus: Et quali, inquit, servitio jubes ut in hoc festo? Cui divinus nuntius respondit hoc velocius: Omne servitium quod dicitur in ejus Nativitate, dicitur et in Conceptione, sic ubi natalitium in Nativitate dicitur, Conceptio in hac celebritate dicitur.

Predictus abbas postquam tanta audivit, Deo gratias reddidit, et devotissime vovit se servaturum quod audierat divinitus jussum. Statim ut hoc vovit, tempestas occidit, et serenitas rediit. Vento igitur prospero redeunt, et in Angliam alacres veniunt. Statuit quoque in Ramesiasensi Ecclesia, cui ipse abbas præerat, ut hoc festum omni anno solemniter sexto Idus Decembris celebretur, multosque ad celebrandum devotissime invitavit. Hujus solemnitatis celebratoribus detur a filio ipsius Virginis Domino nostro Jesu Christo pax et longa vita, et post transitum hujus vitæ æterna requies concedatur. Amen. Explicit miraculum de conceptione sanctæ Mariæ.

#### B. VIRGINEM MARIAM.

Quod ideo prædixi, ut expositiuncula ista tanquam a præsumptuoso edita non displiceat, quam non [al., quia non hanc] præsumptio, sed obedientia edidit. Jam nunc igitur ratiunculam istam salva fide ac sine melioris præjudicio, ad laudem ejusdem Virginis et Matris Jesu humiliiter seribere aggrediar.

In Scriptura sacra res una et eadem multoties inveniuntur diversa significare, sicut leo, hædus, ignis, aqua, vel etiam sol, et alia multa. Est enim leo de tribu Juda (*Apoc. v.*); et est leo, qui circuit quærens quem devoret (*I Petr. v.*). Est hædus emissarius (*Levit. xvi.*), qui peccata nostra portavit; est hædus a sinistris (*Matth. xxv.*), qui damnatur. Est ignis quem Dominus misit in terram, et quem

vult ut ardeat (*Luc. xii*) : est ignis, qui super impios cadit, ut non videant solem (*Psal. lvi*). Est aqua cujus flumina fluunt de ventre credentis (*Joan. vii*); est aqua cujus tempestas non nos demergat (*Matth. xiv*). Est Sol justitia, qui nos illuminet (*Ecccli. xlvi*), et sol qui nos non urat per diem (*Psal. cxx*). Licet ergo castellum alias malum significet, ut illud de quo dicitur : *Ite in castellum* : ubi, additur, *quod contra vos est*, plane manifestatur quid significet; tamen hic castellum, in quod intravit Jesus, singularem et intemeratam Virginem ejusdem Jesu genitricem, salva Scripturarum regula, per similitudinem accipianus. Castellum enim dicitur quælibet turris, et murus in circuitu ejus. Quæ duo sese invicem defendunt, ita ut hostes per mūrū ab arce, et a muro per arcem arceantur. Hujusmodi castello non incongrue Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus, ita undique vallavit, ut nullus unquam libidini ad eam esset accessurus, nec sensus ejus aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbiam, est in eadem virgine turris humilitatis, quæ a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem, cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis a turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis et turris humilitatis ab alterutro munintur; et nunquam in humili Virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas : sed semper in eadem permanserit et humili virginitas et virgo humilitas. Quamvis autem quod dicitur ita verum sit, ut nihil verius Christiana fides credere possit, ponamus tamen aliqua de Evangelio, virginitatis ipsius et humiliatis testimonia. Quippe cum ab angelo filius ei promitteretur, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc. i, 34*.) Si cuiuslibet virginis despousatae in animo suo disponenti nubere diceretur, Filium habebis, non miraretur, neque interrogaret quomodo istud fieret, ut pote quæ se despousatam, et in proximo nupturam sciret, et a viro gravidari usu naturæ speraret : hæc autem non inmerito mirata est; et quomodo fieret, quod promittebatur, sciscitata est [*al. omit. est*] *quoniam* quamvis despousata, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognitaram certissime sciebat. Hæc de virginitate. De humiliitate vero dicendum est quod cum ab angelo saltaretur, mater Dei eligeretur, quomodo fieret salva virginitate (cui tantum timebat), doceretur, benedicta super omnes mulieres prædicaretur, respondit: *Ecce ancilla Domini* (*Luc. i, 38*); et in alio loco: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. i, 48*). O sublimis virgo mater Dei! o mater humili ancilla Dei! Quid sublimius esse posset? Quid humilius de se sentire posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum fuisse arbitratur, a quo Maria Magdalena cognominatur: quod si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalus enim *turris* dicitur, et humiliati coaptatur. Hic vero non no-

minatur, sed tantum *quoddam* dicitur: quod indiscensum præterire non debemus. Quoddam, id est singulare castellum fuit virgo Maria. Quamvis enim et multæ aliae murum virginitatis habeant, et turrim humilitatis, id est et virgines sint, et humiles, tamen salva virginitate matres esse non possunt, neque filios generare: quod ista sola fecit. Et ideo castellum hoc merito *quoddam*, id est singulare dicitur; quia ista singulariter et virgo et mater fuit: quod nulla alia esse potuit vel esse poterit. Verum concedamus aliquam posse esse et virginem, et matrem, quamvis sit impossibile: etiam, sic Virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei Filium genuit, qui sicut est unicus unico Patri, ita est unicus unicæ matri. Et ideo nulla, etiam si virgo pariat, vel eundem vel aliud talis generabit. Est ergo castellum quoddam, in quod intravit Jesus; porta vero per quam intravit est fides. Quia enim credit, perfecta sunt ei a Domino quæ ab angelo dicta sunt ei, sicut ait ad eam Elizabeth. Nec quia Jesus intravit castellum hoc, violatum est: Jesus enim salvat, non violat; confracta solidat, non confringit solida. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. *Et mulier quedam, Martha nomine, exceptit eum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria.* Duæ istæ sorores, sicut Patres sancti plenissime nobis exposuerunt, duas in S. Ecclesia vitas designant: Martha scilicet, activam; Maria, contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia; illa vacat et videt quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur; illa interiora contemplatur. Sieut autem mater Dei et singularis; ita et istarum vitarum effectus, quarum istæ duæ sorores typum tenent, in ea exstitit singularis. Nunquam in aliqua persona, Martha sic operata est; nunquam alias, sic Maria contemplationi vacavit. Nunquam sic alias, vel hæc, vel illa, quod suum est, exhibuit. Cum Martham, vel Mariam dico, earum significata intelligo. Sed jam videamus actionem hujus Marthæ; deinde conjiciamus contemplationem hujus Mariæ. Et, ut planius id faciamus, quid alii Martham operantur; et quid ista operata est conferamus. Alii hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt; ista non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habet ubi caput reclinet (*Math. viii, 20*), non in domo, sed in utero suscepit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili undeliber composita operant, ista Verbum Dei quodammodo nudum carne induit; dum idem verbum in eadem virgine carnem in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis permanebit. Alii quemlibet esurientem vel sitiensem cibo, vel potu exteriori reficiunt; ista hominem Deum humanitus indigentem, non solum exterioribus cibis vel potibus pavit, verum etiam interiori suo lacte aluit. Et, ut breviter illa sex misericordiae opera percurramus quæ cum uni ex minimis suis sunt, Deus sibi facta constitutus; ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem in utero suscepit,

nudum carne vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, slientem lacte potavit, infirmum per infantiam jacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit, ut merito de ea dicatur: *Maria autem satagebat circa frequens ministerium (Luc. x, 40)*. Comprehenso, et crucifixo, quasi in carcere posito adfuit, sicut scriptum est: *Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus (Joan. xix, 25)*. Inter haec autem sollicita erat, et turbabatur, cum fugeret in Ægyptum a facie Herodis, qui suum talem filium adeo persecutus est multos pro eo suspecte ætatis pueros occideret. Turbatur, cum Judæos insidiantes et mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, et juxta Simeonis vocem, suam *ipsius animam pertransiit gladius (Luc. ii, 55)*, cum vide-ret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspici, spinis coronari, deridari, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Unde et bene ei con-gruit quod dicitur: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima (Luc. x, 41)*. Nemo vero dubitat quod B. Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, et scipsum in perturbatione adjuvari a divinitate, quam eidem filio suo inesse sciebat per theoriam, quæ est pars Mariæ. Hoc est, quod Martha conqueritur quod eam soror sua reliquerit solam ministrare, et ejus auxilium in ministerio flagitat. Haec de parte Marthæ. Porro de parte Marthæ, quæ optima predicitur, quanta vel qualis in B. Maria fuerit, quis digne loquatur? Si talis est, ut diximus, imo quia melior est quam diximus, in beata Maria pars Marthæ, quæ tantum a Domino non laudatur, sed tamen non vituperatur: qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sie laudatur, ut ab ea non auferri (*ibid., 42*) dicatur. O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata Virgine, quando Spiritus sanctus super eam venit, et virtus Altissimi obumbravit ei (*Luc. i, 35*), et de eodem Spiritu sancto concepit! Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, et in cuius utero corpus sibi aptabat? *Christus est, ait Apostolus, Dei virtus, et Dei sapientia (I Cor. i, 24)*: et *In eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Coloss. ii, 3)*, Christus autem in Maria. Ergo Dei virtus et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiae et scientiae in Maria. Haec non tantum ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens audiebat verbum ex ore ejus. Haec conservabat omnia verba angelorum, pastorum, magorum, nec non ipsius filii sui, conferens in corde suo (*Luc. ii, 49*). Nemo unquam sicut ipsa gustavit quam suavis est Dominus (*Psal. xxxiii, 9*). Inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabatur (*Psal. xxxv, 9*). Nec mirum; quoniam apud eam, imo intra eam erat fons vitae (*Ibid., 10*), de quo manabat cuncta perfectio utrinque vitae. Circa plurima, ut Martha, occupabatur; circa unum, ut Maria, delectabatur, quia unum est necessarium (*Luc. x, 42*); plurima auferuntur, unum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singula-

riter optimam partem Mariæ elegit: sed pars Marthæ ei auferetur (*Ibid., 42*). Jam enim non erit sollicita ut ministret ei, sicut puer, cui omnes ordines angelorum ministrant, ut Domino. Jam non turbabitur fugiens cum eo in Ægyptum a facie Herodis; quia ipse ascendit in cœlum, et Herodes descendit in infernum a facie ejus. Jam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio suo Judæi; quia omnia subjecta sunt ei (*I Cor. xv*). Jam filius Mariæ a Judæis, vel militibus, non flagellabitur, nec occidetur; quia Christus *ex mortuis resurgens jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom. vi, 9)*. Pars ergo Marthæ ei auferetur, sed bono suo; pars vero Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros angelorum, repletum est in bonis desiderium suum (*Psal. cx, 5*), videt Deum facie ad faciem, sicuti est (*I Joan. iii, 2*), gaudet cum filio in æternum. Haec est pars optima, quæ non auferetur ab ea; cuius et nos participes simus, meritis et precibus ejus, per Jesum Christum Filium ejus, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæculorum sæcula. Amen. (*Homil. 9 in Luc.*)

II. — *B. Virgo de Spiritu sancto concipere digna fuit. — Purgatione non eguit.*

**I**N EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM: *Postquam impleti sunt aies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Dominus vocabitur. Et reliqua (Luc. ii, 22).*

Præclarum hujus diei festivitatem celebrantis gratulemur super beneficis in ea nobis divinitus concessis. Nam neque Virgo, quæ de sancto Spiritu concipere digna fuit; neque Filius, quem ita genuit, purgatione indiguit: sed in eorum purgatione nostram purgationem Deus præparavit ac præfiguravit, qui multis sordibus infecti multimoda purgatione indigemus. Quæ igitur de Domino nunc historialiter in evangelica lectione narrantur, de nobis spiritualiter intelligantur: quia si membra vel corpus ejus sumus, ipse in nobis est; et quæ de nobis sunt, et de illo recte fieri dicuntur. Nam et corpus Christi, quod est Ecclesia, vocatur Christus, Apostolo dicente: *Sicut corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum corpus sunt: ita et Christus (I Cor. xii, 12)*. Unde patet quia simul universi fideles cum capite suo sunt Christus, quod et ex multis aliis Scripturarum locis probari potest. Cum ergo de purgatione Christi loquimur, ad illam ejus partem quæ purgatione indiget referamus, id est ad corpus. Itaque vel ad corpus, vel ad quodlibet membrum ejus mystice referatur quod nunc historialiter de capite legitur: quia postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Dies enim purgationis populi fidelium vel Ecclesie, id est corporis Christi, impletur quidem quotidie, dum unus-

quisque eorum magis ac magis purgari atque mundari jugiter satagit; sed impleti non erant ex toto, nisi in fine saeculi. Finis tamen saeculi est unicuique hora obitus sui, et qui mundatus a peccatis omnibus in obitu suo repertus fuerit, *impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi*. Nam quadraginta diebus secundum legem siebat ista purgatio, et quadragenarius numerus vel spatium quod est usque ad finem saeculi, vel tempus vitae uniuscujusque nostrum significat. Expleto igitur tali quadragenario, impleti erunt dies purgationis vel Ecclesiae vel cuiuslibet justorum. Ita enim lex loquitur : *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruae; et die octavo circumcidetur infantulus. Ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine purificationis sue. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ejus* (*Levit. xii, 2*). Et quae est ista mulier, nisi electorum Ecclesia, vel praedicatorum persona? Haec enim suscepto verbi Dei semine parit ex eo masculum, id est per prædicationem spiritualliter gignit fortē et novum populum electorum. Dies quadraginta purgationis ejus, qui dividuntur in septem et triginta tres, si separatum exponantur, possunt ob confirmationem bis id ipsum significare, quod conjuncti semel significant. Nam ista mater cum sua prole est immunda septem diebus, quoniam sancta Ecclesia, vel praedicatorum persona, cum his quos in fide genuit, non est absque aliqua sorde peccati toto tempore presentis vitae, quod septem diebus agitur. Videt enim *aliam legem in membris suis repugnantem legi mensis sue* (*Rom. vii, 25*). Et inde manet *immunda, juxta dies separationis menstruae*: quia sicut menstrua separatur a conventu mundorum in diebus immunditiae sue, sic et ista separatur a conventu angelorum in diebus mortalitatis sue. Menstrua enim aliena carne non tangitur, sed fluxu immunditiae sue polluitur; et significat animam quae non actu, sed cogitaturo sordido latenter inquinatur. Sic et sanctorum Ecclesia, vel electa anima, dum in carne peccati vivit; quamvis non opere, tamen cogitatione peccati multoties sondatur; et ideo beatorum societate angelorum adhuc indigna judicatur. Octavus autem dies, in quo circumciditur infantulus, dies est baptismatis, in quo neophytus quisque exiuit labē primae generationis, et ascendens de lavacro fit particeps resurrectionis Christi, quae die octavo mundum illustravit. Nam propterea diem octavum, quo parvulus circumciditur, non ad tempus æternæ resurrectionis omnium, sed ad resurrectionem Christi, id est ad baptismum cuiuslibet nostri retulimus; quia ipse parvulus, postquam erat circumcisus, non ingrediebatur sanctuarium nisi impletis diebus triginta tribus; sicut et unusquisque nostrum, licet sit baptizatus, non tamen supernæ beatitudinis templum ingredi valet, nisi decurso mortalitatis vite spatio, quod per dies triginta tres designatur. Totus enim hic numer-

rus ex ternariis constat, et fidei tempus significat. Cum filio igitur circumcisio manet triginta tribus diebus mater in sanguine purificationis sue; quia cum quolibet electo baptizato sancta mater Ecclesia, quādiū per fidem ambulat et non per speciem, non potest ex toto mundari a sanguine purificationis sue, id est a peccato quo se jugiter purgare studet, et ad perfectum nequit, dum adhuc mortale corpus gerit. Unde Psalmista : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psalm. cxlii, 2*). Et Salomon : *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet* (*Ecccl. vii, 21*). Et discipulus ille, quem diligebat Jesus : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan. i, 8*). Constat ergo quia omnes qui in carne peccati vivunt, peccati sorde ad purum exuere non possunt. Unde adhuc de Ecclesia matre subditur : *quia omne sanctum non tanget*; illud videlicet perfectissimæ puritatis, quod habent angeli; *nec ingreditur sanctuarium, subauditur patriæ cœlestis, donec impleantur dies purgationis ejus* (*Levit. xii, 4*), id est donec peractum sit ei tempus vitae mortalis, in quo purgatur assidue, sed perfectionem purgationis in eo non assequitur. Tanta quippe est et tam perseverans inquinatio, quam immundus spiritus humano generi per Evans infudit, ut ex toto purgari nequeat, nisi cum vita mortalib[us] aut saeculi terminus advenerit. Sed sicut per Evans venit inquinatio, sic per Mariam revertitur emundatio. Tunc autem erit purgationis et emundationis perfectio, cum justi in resurrectione triumphantes dixerint : *Ubi est, mors, contentio tua? Ubi, mors, aculeus tuus? Aculeus enim mortis, peccatum est* (*I Cor. xv, 55, 56*). Talibus itaque modis implentur dies purgationis populi Dei, secundum legem Moysi. Sed cum dies purgationis sic impleti fuerint, deferent eum angeli in supernam Jerusalem, ut sistant eum Domino, mansurum ibi perenniter coram eo. Et hoc siet; *scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Scimus enim quia lex spiritalis est; et spiritaliter loquens spiritalem vulvam significat, et spiritalem masculum. Hic namque masculus est fortis ac novus electorum Christianorum populus, vel unusquisque eorum. Et quoniam Ecclesia, secundum Isaiam (*cap. liv*), diu sterilis fuerat; iste populus ex ea spiritaliter nascens, aperuit vulvam ejus, id est genitale secretum ipsius: unde nemo taliter antea natus fuerat. *Omne vero significat universitatem: quod hic ponitur, cum dicitur omne masculinum; quia populus iste catholicus est, et omnes electos in se continet*. Hic ergo spiritalē Ecclesiae vulvam, sicut diximus, aperiens vocabitur sanctus Domino, id est vocabulum et laudem sanctitatis in regno supernæ beatitudinis obtinebit; ut in omni sanctitate beatis æquatus angelis, perenniter assistat conspectui gloriae Creatoris. Et ideo Christus Dominus, et sanctissima ipsius genitrix purgationem legis observavit, ut omnes quos membra

sua noverat futuros ita purificaret, ut ad hanc gloriam pervenire dignos ficeret. Ipse enim, ut et supra dictum est, aut Virgo mater ejus, purgatione non egnit: quia Spiritus sanctus eam ab initio jaun purificaverat, et ille tam mundam in ejus utero carnem sibi creavit, ut per eam efficiat suorum carnem ita mundam ut sunt angelii: sed et animam ibi tam sanctam assumpsit, ut per eam reddet animabus omnium suorum illam sanctitatem quae manet in angelis. Sed quoniam ipso in suis est, quod agitur de suis, ut et premissum est, dicitur agi de ipso, quia ipsi sunt corpus ejus. De quo scilicet corpore subjungitur: *Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turtrum, aut duos pullos columbarum.* Nam tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut disserimus; et ut darent hostiam pro eo, juxta id quod dictum est in lege Domini, par turtrum, id est, parem castitatem corporis et animae ejus, aut duos pullos columbarum (*Levit. XII, 8*), id est carnis et cordis ejus patientiam. Turtur enim castissima avis est, et vivo ac mortuo socio indissolubilem fidem conservans: columba vero felle et amaritudine caret. Ideoque par turtrum designat castitatem interioris et exterioris hominis; ac duo columbarum pulli, patientiam fortis ostensam et intus in mente servatam. Offerunt igitur angeli hostiam secundum legem, id est par turtrum, vel duos pullos columbarum, pro sanctorum populo, vel pro quolibet electo, quem exhibent Deo, eam merita castitatis ejus quam corpore et corde servavit, aut patientiae quam intus et foris custodivit, repraesentant Domino. Castitas vero magis ad confessores, et patientia plus pertinere videtur ad martyres. Et quia nullus electorum est, qui aut in ordine confessorum, aut in ordine martyrum non computetur, ideo ad hostiam populi Dei sufficit par turtrum, aut duo pulli columbarum. Per pullos enim columbarum potius quam per columbas hoc loco patientia designatur, quia qui sicut oportet patientiam eustodiunt, hi apud se parvuli et infimi sunt, et maiores imitando jugiter crescunt. Totum ergo simul populum electorum completa generali resurrectione deferent angeli gaudentes in supernam Jerusalem, cum hostiis bonorum operum, ut siscait eum Domino; et ab ascensione Redemptoris non cessaverunt eum in singulis, eni migrant, illuc deferre, quando impleti sunt dies purgationis cuiusque.

*Et ecce homo erat in Jerusalem, cui uomen Simeon. Et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum accepérat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Homo iste sanctum Israelitice gentis populum designat, qui adventum Redemptoris diutius exspectavit et ab eo de miseriis exsiliis hujus liberari speravit. Unde et Simeon vocatur, quod est audiens tristitiam: quia populus ille fidelis tristitiam expulsionis sue de paradiſo, et amissionis eternali honorum per Scripturas audire consue-*

verat; ideoque super his *consolationem* divinitus sibi venturam exspectabat. Alia interpretatio Simeonis est, *exauditio*, quia populus Hebraeorum exaudire solebat Deum jubentem, ut Deus eum exaudiret orantem: non enim est nunc sermo nisi de electa parte ejus. Propter quod et homo dicitur, quia uti ratione noverat in cognitione divinorum, et in exquisitione evasionis hujus misericordiae. Et hic erat in Jerusalem, hoc est in civitate magni regis, per quam jurare prohibemus; in civitate Dei, quae est Ecclesia. Jerusalem enim et superna beatitudinis regnum, ut supra diximus, significat, et Ecclesiam justorum adhuc in terris peregrinantium. In hac ergo Jerusalem, hoc est in numero fidelium, erat jamdiu populus Hebraeorum, quando puer ad templum portabatur; hoc est in exordiis apostolicæ prædicationis, quando, per Christum patre facto cœlorum ingressu, novellus Christianorum populus in suis, qui de hoc sæculo migrabant, deferebatur jam illuc per angelos. Nam electus ille Hebraeorum populus tandem perseveravit, donec gratia Novi Testamenti per novos doctores ubique prædicari coepisset, et multi credentium patriam æternae felicitatis transitu beato intrarent. *Et homo iste, per quem mystice populus ille sanctus intelligitur, justus erat;* quia idem populus Deo serviens, quae Dei erant Deo reddebat. Justitia enim dat unicuique quod suum est; et Dei est humana natura, ut ejus voluntati deserviat; ideoque justus agit omnis homo qui obtemperat Deo. *Et timoratus erat ipse populus;* quia vel timore legis, vel timore charitatis Deum metuebat. Sed et *consolationem Israel* exspectabat, quia sollicitus præstolabatur inter pressuras hujus exsiliis quando populum suum Dominus adventu suo consolari dignaretur. Nam et *Spiritus sanctus erat in eo*, quia justificari per legem non valuisse, nisi occulta sancti Spiritus gratia per Christi fidem eum justificasset. *Et responsum accepérat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini;* quia hoc ejus desideriis et orationibus cœlestis inspiratio revelaverat quod in fide vieturus esset, nec mortem perfidie subiturus, donec videret in carne præsentem Deum a Deo præ suis participibus unicum, qui participationem ipsam et in vocabulo demonstrarent, ut a Christo Christiani vocarentur. *Et venit in Spiritu in templum;* quia quo omnes justi post resurrectionem in suis corporibus venturi sunt, illuc ipse spiritu per contemplationem et propheticam visionem frequenter venit, intrans, scilicet in sanctuarium Dei, et intellegens in novissima.

*Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum. Et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tue Israel. Puerum Jesum, juxta quod superiorius tractatum*

est, intelligere debemus in novo credentium populo, quoniam Ecclesia est corpus ejus, et omnes sancti membra ipsius : ideoque quod de capite narratur, de corpore vel membris nunc intelligatur. Ad hoc enim spectat et quod ipse dicturus est : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (Matth. xxv, 40).* Itaque puer Jesus sic nunc accipiatur ac si diceretur, novellus Christianorum populus. Sed qui sunt parentes ejus, nisi angeli? Nam et ipsi quamdam spiritalis consanguinitatis parentelam se demonstrant habere nobiscum, ubi nos fratres suos in Apocalypsi vocant, dicendo : *Projectus est accusator fratum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri (Apoc. xii, 10).* Hi ergo parentes inducunt nostrum puerum, sicut et superius declaratum est, in cœlestis sanctuarii templum, vel in obitu singulorum, vel in resurrectione omnium. Et hoc, ut faciant secundum consuetudinem legis pro eo; quia ritu legis expleta purgatione præsentant eum Domino cum bonorum oblationibus meritorum. Vel isti parentes intelligi possunt sancti prædicatores, qui quoniam in Petro claves regni cœlorum acceperunt, aperiunt illud novo fidelium populo; et in templum ejusdem regni cœlestis eum inducunt, dum absolvunt eum et benedicunt atque rogant ut hinc migrans illic suscipiatur. Et hoc agunt ut ritum legis expletant, quia taliter eum suis orationibus in illud beatitudinis sanctuarium inducunt, ut sicut lex decreverat expletis in fine diebus purgationis : sistant cum Domino cum oblatione meritorum ejus. Potest etiam puer iste, qui in templum inducitur, illos nunc significare, qui ad fidem venientes in Ecclesiam inducuntur. Nam et hanc inductionem sic agunt sancti Patres, ut consuetudinem legis observent; quia, expleta in baptismō purgatione, introducunt eos ad sanctum altare consecrandos victima divinæ eucharistiæ. Itaque dum a suis parentibus, id est ab angelis, vel a prædicatoribus tempore fulgentis evangelii novellus fidelium populus, quasi puer, copisset in suis quide hac luce migrabant, sicut disserimus, in supèrnatæ sanctitatis ac beatitudinis templum induci, vel in his qui ad fidem veniebant, in Ecclesiam adduci; *accipit eum et ipse Simeon in ulnas suas,* hoc est et ipse religiosus Hebreorum populus ulnis charitatis amplexus est eum sicut dilectissimum. Amplexio quippe charitatem, et ulnae fortia designant opera : ideoque in ulnas suscipere, et robustis operibus dilectionis amplecti. Taliter ergo suscepit eum in ulnas suas, hoc est in brachia portans eum in fortibus magnæ charitatis operibus : et benedixit Deum, qui sibi presentem ostenderat novæ gratiæ populū, ingredientem jugiter regni cœlestis habitaculum, et ait : *Nunc, id est post datam gratiam, dimittis, Domine, servum tuum in pace,* id est relaxas de ergastulo præsentis exsili me, qui sub legis servitute premebat, ut jam ad cœlestis habitationis patram in pace transeam, ligato per Christi trophæum mortis principe, secundum verbum, quod mihi dixeras de adventu gratiæ. Quia ecce jam vel in se, vel in

suis, viderunt oculi mei, Domine, salutare tuum, id est Jesum tuum, qui *salutaris sive Salvator* interpretatur, et qui missus est a te mundum salvare. Quod scilicet, *salutare parusiæ ante faciem omnium populi*, ut ab omnibus populis qui sunt in orbe, videri facias oculis fidei Salvatorem mundi. Parasti, inquam, eum lumen ad revelationem gentium, ut splendore claritatis ejus fugentur tenebrae, quibus velabantur corda gentilium, ne illustrarentur divina cogitatione : et gloriæ plebis tuae Israel, ut ipse sit gloria plebis Israëlitæ credentis, quæ semper tua fuit. Magna enim gloria est Hebreis credentibus, quod ex eorum genere carnem assumpserit Deus, qui et gentes per fidem suam illuminavit, dicens : *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat (Joan. xii, 46).* Unde pulcher Ecclesiæ mos inolevit ut fideles in hac celebitate cereos sive candelas effarent. Nam quia Christus hodie in templo est oblatus, ipsi mystica oblatione sua hoc ipsum repræsentant ; dum singulis recurrentibus annis ad dominum Dei cereos in haec die portant. Cereus enim, vel candela, Christum significat. Et quia unusquisque devotus ad hanc solemnitatem veniens, Christum lumen verum afferit in pectore, ideo convenienter cereum præsentat in oblatione. In cereo quippe tria offeruntur, cera, lycinus et flamma : cera, quam apis virgo conficit, significat Christi carnem, quam virgo Maria genuit ; interior autem lycinus, animam ; flamma vero superior, divinitatem. Nec inveniri aliquid in creatura potest, quo congruentius significaretur Christus. Sed et hoc auget deus festivitatis hujus, quod ad eam, prout decuit, versa est gloria magnæ processionis illius, quam in isto mense, qui Februarius, id est purgatoriū dicitur, agere solebant Romani veteres anno quinto civitatem lustrantes, id est circumeuntes ; et, ut putabant, a peccatis quæ per quinquennium illud commiserant, purgantes. Lustrare enim, et circuire significat et purgare. Et haec nostra festivitas est purgationis, ideoque competenter ad eam translata est processio purgationis, quamvis longe dissimiliter fiat a nobis, quam siebat ab ethniciis. Et lectio igitur evangelica, et festivitas, et tempus ejus, purgationem significant ut per haec omnia nos, qui purgatione indigemus, purgari mereamur coepiente Christi gratia, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis honor et gloria, et antequam mundus esset, et nunc, et in omnia sæculorum. Amen. (Hom. 6 in Luc.)

III. — *Sanctissima Virgo, quæ Christum portavit, ab omnibus fidelibus Θεοτόκος prædicatur et creditur.*

(Ex Orat. ad Christum.)

Credimus de te, Domine Jesu Christe, quia tu idem ipse, qui es Filius Dei, es Filius Virginis ; tu idem ipse, qui in principio eras Verbum, et Verbum eras apud Deum, et Deus eras Verbum, et per quod omnia facta sunt (Joan. 1, 1-3), a Patre ante om-

nia sæcula genitus , in tempore es ex Virgine natus, quamvis altera natura sis quam Pater, postquam factus es Filius Virginis et habitasti in nobis ; altera natura existens, secundum quod Filius Dei es quamvis in duabus naturis tua persona, Deus et homo existis æqualis Patri secundum divinitatem, minor Paire secundum humanitatem. Quia vero tu idem ipse Deus qui homo, et homo qui Dens ; propterea sanctissima Virgo quæ te portavit, ab omnibus fidelibus Θεοτόκος prædicatur et creditur, hoc est Mater Dei. Et quia tu non alter Filius Dei, alter Filius hominis, sed tu idem ipse Filius Dei, qui Filius hominis passionem et mortem pro salute humani generis suscepisti, non in natura deitatis, sed in natura humanitatis ; tu idem ipse, non alter propter distantiam naturæ, sicut nec una natura existens propter unitatem personæ. (Orat. 28.)

Domine Deus omnipotens , æterne et ineffabilis , sine fine atque initio, quem unum in Trinitate , tri-num in unitate confitemur ; te solum Deum adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico, tibi gratias ago, tibi me tota devotione committo. *Intende vocis orationis meæ* (Psal. v, 5), Pater de cœlis Deus, rex meus et Deus meus. Fili , Redemptor mundi , Deus miserere mei , ne perdas me cum iniquitatibus meis (Psal. xxv, 9), neque in finem iratus reserves mala mea. Sancte Spiritus, benigne Deus, inspira mihi spiraculum gratiæ tuæ, et dirige me in viam salutis æternæ : doce me facere voluntatem tuam (Psal. cxlii, 10) : quidquid tibi dispicet in me , remove a me. Trine et me , omnipotens , pie et misericors Dominus, aspice in me (Psal. cxviii, 152), et tribulacionem meam in gaudium converte, et ne des hæreditatem tuam (Joel ii, 17), Altissime, in perditionem. Dominator omnium ac protector in te sperantium, Domine, deprecationem meam suscipe ; et per intercessiones gloriose Virginis Mariæ, aufer iram tuam a me (Psal. lxxxiv, 5), Domine Deus salutis meæ, nec animam meam prius a corpore suscipias, quam omnia peccata mea dimittas.

#### IV. — Patrocinium efficax beatæ Mariæ.

(Ex orat. Ad omnes sanctos )

O gloria Dei Genitrix, Mater misericordiæ , Virgo semper Maria , quæ Dominum omnium meruisti portare, et Regem angelorum sola virgo lactare, adjuva me in die tribulationis meæ , ut tuis fultus patrocinis ad regna cœlestia merear pervenire.

O sancte Michael, archangele Dei, præpositus paradisi, veni in adjutorium meum, et defende me ab hoste maligno in hora mortis meæ , et animam meam deduc in paradisum exultationis æternæ. Omnes sancti angeli et archangeli Dei, cunctæ cœlorum Virtutes , omnesque sanctorum spirituum ordines , adversæ damnationis vires reprimite, expugnate impugnantes me (Psal. xxxiv, 1), a rugientis inimici sævitia potenter me defendite , in via veritatis side-

liter gradientem omni hora , die ac nocte custodite me , et in hora exitus mei animam meam in pace vobiscum suscipite. (Orat. 55.)

V. — B. Maria cubiculum ingressa libros quibus Virginis partus et Christi prophetabatur adventus evoluebat, quando ab angelo salutatur. — Deum concipit. — Visitat Elisabeth. — Parit Christum : haec et alia ejus mysteria pie considerantur.

(Ex Meditationibus.)

Quæ ad dilectionem Dei excitant, nullum ut audiat tædere debet; legitur autem in Evangelio quod duas sorores vehementi amore dilexerunt Dominum, et licet utraque Deum proximumque dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha, ex divino vero fonte dilectionis hauriebat Maria (Luc. x, 39-42). Ad Dei vero dilectionem duo pertinent: affectus mentis, et affectus operis. Ethocopus, in virtutum exercitatione; affectus vero mentis, in spiritualis gustus dulcedine. Exercitatio virtutum in certo vivendi modo, in jejuniis, in vigiliis, in opere, in lectione, in oratione, in silentio, in paupertate, et cæteris hujusmodi commendatur; affectus salutari meditatione nutritur. Itaque ut ille dulcissimus amor Jesu in tuo crescat affectu, triclini meditatione opus habes, de præteritis scilicet, præsentibus et futuris, id est de præteriorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cum ergo mens tua fuerit absque cogitationum tumultu, virtutum exercitatione purgata, jam oculos dessecatos ad posteriora retorque, ac primum cum beata Maria ingressa cubiculum libros, quibus Virginis partus et Christi prophetatar adventus, evolve. Ibi adventum angeli prestolare, ut videoas intrantem, audias salutantem, ut sic repleta stupore et extasi dulcissimam Mariam dominam tuam cum angelo salutante salutes, clamans et dicens : Ave, Maria (Luc. i, 27), etc. Hoc crebrius repetens quæ sit hæc gracie plenitudo de qua totus mundus mutuavit gratiam, quodnam Verbum caro factum est contemplare et admirare Dominum, qui terram implet et cœlum, intra unius puellæ viscera claudi, quam Pater sanctificavit, Filius fecundavit, Spiritus sanctus obumbravit. O dulcis domina, quanta inebriebaris dulcedine, quo amoris igne succendebaris, cum sentires in mente et in ventre tantæ majestatis præsentiam, cum de tua carne sibi carnem assumeret, et membra in quibus corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitaret (Col. ii, 9), de tuis sanctis membris aptar! Hæc omnia propter te, o virgo, ut Virginem, quam imitari proposuisti, diligas, et Virginis Filium, eni nupsisti.

Jam nunc cum dulcissima Domina tua in montana concende, sterilis et Virginis intuere complexum, et salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco Judicem, vox Verbum, intus anilia viscera conclusus in Virginis utero clausum et agnovid, et indicibili gaudio salutavit. Beati ventres, in quibus totius mundi Salvator exoritur, pulsisque tristitiae

tenebris sempiterna lætitia prophetatur. Accurre, quæso, accurre, tantis gaudiis admiscere, prosterñere ad pedes utriusque, et in unius ventre sponsum tuum amplectere, amicum vero ejus in alterius intero venerare. Hinc Matrem cum omni devotione in Bethlehem prosequere, et in hospitium divertens cum illa assiste, et obsequere parienti; locatoque in præsepio parvulo, erumpe in vocem exultationis, clamans cum Isaia: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa. ix, 7*), et amplectere illud dulce præsepium. Mitiget verecundiam amor, timorem depellat affectus, ut sanctissimis pedibus ligas labia, et oscula genibus. Exinde pastorum excubias mente pertracta, angelorum exercitum admirare, cœlesti melodiae tuas interpone preces, simul corde et ore decantans: *Gloria in excelsis Deo* (*Luc. ii, 14*).

Noli in tua meditatione Magorum munera præterire, nec fugientem in Aegyptum relinquere incomitatum. Inspiciat oculus devotionis parvulum Jesum dulces mammillas gloriose Virginis matris dulciter sugentem, et mammas maternas filiali more tractantem, matri arridentem. Quid visu jucundius? Quid delectabilius? Cerne illum, qui immensus est, parvulis brachiis ad materna colla pendentem, et dicas: *Felix sum, feliciorque, dum illum video quem reges optaverunt videre, et non viderunt* (*Matt. xiii, 17*). Dignus est visu qui speciosus est forma præ filiis hominum (*Psal. xliv, 3*).

Cogita, et recogita quo animo et qua cogitatione tenebatur illa dulcissima Mater ejus, cum illum Dominum tantum ac tantillum in brachiis suis exsultans ac læta teneret, cum ei ut infantulo gestienti osculis frequentibus congauderet, cum emm la crymantem super genua sua, quibus potuit modulis, consolaretur, cum denique aliis atque aliis studiis, ad quæ ipsa materna pietas informabat eum, pro qualitatum vicissitudinibus, sedula blandiretur. Opinare verum esse quod dicitur eum a latronibus deprehensum in via, et adolescentuli cuiusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potitus cum parvulum in matris gremio conspexisset, tanta in ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore amplexatus sit eum et, o, inquit, beatissime parvulum, si aliud se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, et hujus temporis noli oblivisci. Ferunt hunc fuisse latronem, qui ad dexteram Dei crucifixus alterum blasphemantem corripuit dicens: *Neque tu times Deum* (*Joan. xxiii, 40*), etc., conversus vero ad Dominum, eum in illa quæ in parvulo apparuit intuens majestate pecti sui non immemor, *Memento, inquit, mei, dum veneris in regnum tuum* (*ibid., 42*). Itaque ad incentivum amoris hac non inutile arbitror uti opinione, remota omni affirmandi temeritate.

Præterea nihilne suavitatis æstimes tibi accessu rum, si eum apud Nazareth puerum apud pueros

contempleris, si obsequente matri, si operanti nutritio assistente intuearis? Quid, si duodenem cum parentibus Jerosolymam ascendentem, et illis redeuntibus et nescientibus in urbe manente per triduum cum Matre quæsieris? O quanta copia fluent lacrymæ, cum audieris Matrem dulci quadam increpatione Filium verberantem: *Fili, quid fecisti nobis sic?* (*Luc. ii, 48*.) (Ex Medit. 15.)

#### VI. — B. Virgo voto virginitatis sigillata. — Hoc primum virginitatis votum.

Ubi est ergo gloriatio tua, o Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini tui — Jesu Christi; in nomine quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in cœlis? Gloriamini in nomine sancto ejus, filii redemptoris; date honorem Salvatori vestro, qui magna fecit in vobis, et magnificate nomen ejus tecum, dicentes: Adoramus te, Christe, Rex Israel, princeps regum terra, lux gentium, Domine sabaoth, virtus Dei omnipotentis fortissima. Adoramus te, pretiosum redemptionis nostri pretium, hostia pacifica, quæ sola odoris tui mirabili suavitate Patrem, qui in cœlis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, et solus ipse ipsum placabilem reddidisti. Tuas, Christe, miserationes prædicamus; tuæ suavitatis memoriam cum abundantia eructamus; tibi, Christe, sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis, semini nequam, filiis sceleratis.

Cum enim adhuc essensus inimici tui, Domine, et mors antiqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne semen Adam lege primordialis culpæ obnoxium erat, recordatus es uberrimæ misericordiæ tuæ, et prospexithe de sublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis et miserie. Vidisti, Domine, afflictionem populi tui, et tactus dulcore charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis et redemptionis. Et quidem cum essemus Filius Dei, verus Deus, Deo Patri sanctoque Spiritui coæternus et consubstantialis, lucem habitanus inaccessiblem (*ITim. vi, 16*), portansque omnia verbo virtutis tuæ (*Hebr. i, 3*), non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare, ubi nostram et gustares et absorberes miseriæ, nosque reparares ad gloriam. Parum fuit charitati tuæ, ad consummandum opus nostræ salutis, cherubim, aut seraphim, aut unum ex angelis destinare: ipse ad nos venire dignatus es per mandatum Patris, cuius nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando, sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Descendisti a regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem et abjectam in oculis suis puellam, primo virginalis continentia voto sigillatam. In cujus sacro utero Spiritus sancti inenarrabilis virtus et te concipi fecit, et nasci in vera humanitatis natura, ita ut nec majestatem divinitatis in te, nec integritatem virginitatis in Matre, violaret nativitatis occasio.

O amanda, o admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti; Dominus omnium, conservus servorum apparere voluisti. Parum tibi visum est Patrem te nostrum esse; etiam, Domine, frater noster esse dignatus es. Et tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, inter ipsa nativitatis tuæ initia non horruisti abjectissimæ paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait Scriptura, tibi, cum nascereris, non erat locus in diversorio (*Luc. ii, 7*), neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent habuisti; sed tu in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palino concludis, involutus panniculis reclinatus es (*ibid.*); et hospitium, scilicet præsepium a brutis animalibus mater tua mutuo accepit. Consolamini, consolamini, qui in sordibus paupertatis euutrimini, quia vobiscum est Deus in pauperitate, non cubat in deliciis splendidi cubilis, nec enim invenitur in terra suaviter viventium. Quid

ultra gloriaris, o dives, lutea res, in volutabro lecti pieti et delicati, cum Rex regum suo recubitu stramenta pauperum honestare maluerit? Quid dura strata detestaris, cum tener infantulus, in cuius manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas præelegerit? Sed et tenella hæc tua, Christe, infantia a persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia matris ubera sugens dependebas, quando aperuit angelus in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum; et esto ibi usquedum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdidendum eum (*Matth. ii, 13*). Jam ex tunc, bone Jesu, pati cœpisti. Non solum autem illam infantie tuæ vexationem in te ipso pertulisti, sed et mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mamillas matrum pro te Herodis trucidavit immanitas.

### RADULPHUS ARDENS.

**I.** — *Natus est Christus ex matre nobili, sed paupere; ex virgine, sed desponsata, ex regia et sacerdotali stirpe.— Christus voluit cibari lacte virginali.*

#### IN NATALI DOMINI.

**E**xistit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc. ii*), et reliqua. In hac sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, exponit nobis Lucas manifeste causas solemnitatis hodiernæ. Exponit enim hic sex res nobis, videlicet quo tempore natus sit Christus, quo loco, ex quibus, quo cultu nutritus, quibus, et per quæ indicia sit revelatus. Porro quo tempore natus sit Christus, ostenditur, cum ait: *Exit edictum, etc.* Cum Augustus Caesar monachiam pene totius mundi in tanta pace possideret, ut universum mundum una descriptione concluderet, nasci voluit, fratres charissimi, Christus, ut etiam ad litteram tunc completa visa sit illa prophætia: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, etc.* Non levabit gens contraria gentem (*Isa. ii*) etc. Quantum ad litteram, in tali tempore nasci voluit Christus, ut se principem pacis et Monarcham cœli et terræ et suos in libro vitæ descriptorum demonstraret. Moraliter vero, fratres, sub servitute tributi voluit Dominus nasci, ut nobis in se voluntariae humilitatis et mutantæ subjectionis præberet exemplum. Si enim ipse, cum sit Rex regum et Dominus dominantium, propter nos venit in hunc mundum non dominari, sed subdi, non ministrari, sed ministrare, quid nos miseri servi, quid facere debemus propter eum? Propter eum dicam, an propter nos? Sed melius dicam et propter eum et propter nos. Nam et propter Christum lucrandum, et propter nos salvandos nos humiliare debemus. Si ergo Deus propter hominem se subdidit homini, homo qua ratione subdi homini refugit? Itaque, fratres, cum sponte nos humiliamus, cum servimus proximo et ministramus, Christum imitamur. Quando vero dominari hominibus, serviri et

ministrari cupimus, non ipsum in hoc, sed Satanæ superbiam imitamur. Quomodo ergo, fratres, humilitatem ei subjectionem Christi sequuntur episcopi, sacerdotes et monachi, qui contendunt de dominatione, qui non solum personas, sed et Ecclesias suæ ditioni gestiunt suljugare? Nos ergo, fratres, secuiriorem et firmiorem viam Christi sequamur, humilitatem et subjectionem juxta quod Apostolus ait: *Si servus es, non sit tibi cura, sed si potes liber fieri, magis utere* (*I Cor. vii*). Mystice autem Augusto Cæsare, superbo diabolo, pene jam super universum mundum tyrannidem exercente et ad suum servitium transcribente, natus est Christus. *Hæc descriptio*, inquit, *prima facta est a præside Syriæ, Cyrino*, id est a primo apostata, angelos sibi super alios per superbiam dominationem usurpante. Cyrius autem dominans sive dominus interpretatur. *Et ibant singuli*, ut profiterentur in suam civitatem. Civitas, fratres, avarorum avaritia est. Civitas luxuriosorum luxuria est. Civitas gulosorum gulositas est. Et avari ibant et conveniebant per consensum in vitium avaritiae, ut si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur. Luxuriosi quoque ibant et conveniebant propter consensum in urbem luxuriae, ut et si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur: et similiter cæteri vitiosi. Adeo autem, fratres, hic diaboli servitus, ante adventum Christi invaduerat, quod et mater Christi et sponsus ejus, iu est Synagoga et sacerdotium, irent in Bethlehem, id est in amorem terreni, non cœlestis panis, per hoc diabolo professionem facientes. Hanc autem in qua tunc mundus erat miseriam, etiam hiems et nox in qua Christus natus est, designat. Cum igitur in tanta servitute esset totus mundus, natus est Christus, *factus adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Psal. ix*). Sed et hodie, fratres (quod sine gemitu dicere nequeo), multi falsi Christiani postquam a servitute diaboli per Christum sunt emancipati,

rursus peccando in diaboli redeunt servitutem. Qui enim diaboli opera facit, quid aliud quam diabolo facit professionem? Qui enim peccatum facit, servus est peccati (*Jean. viii*): Et qui facit opera diaboli, servus est diaboli. Quo autem loco Christus natus sit, ostenditur cum dicitur, *in civitate David, quæ vocatur Bethleem.* *Ephrata, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel* (*Mich. v; Matth. iii*). Bene autem in Bethlehem quæ domus dicitur panis, nascitur qui verus panis est, suos externa satietate refecturus. Bene etiam non in parentum domo, sed in via nascitur, ut in hoc ostenderet quia per humilitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alieno, dico, non quantum ad potestatem, sed quantum ad naturam. In quo et, fratres, nobis innuitur quod non solum ipse, sed et nos omnes homines, cum in hunc mundum nascimur, non in nostram patriam, sed in viam, peregrinationem et exsilium venimus. Unde et David, licet rex dives: *Advena, inquit, ego sum et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Psal. xxxviii*). Hinc est, fratres, quod quando infans nascitur, flere potest, ridere non potest. Plorat et ipse Christus. Sed quod cæteri infantes plorant, necessitatis est; quod Christus plorat, dignationis. Cæteri infantes plorant, quia patiuntur; Christus, quia compatitur. Si ergo, fratres, Christus plorat propter nos, quare ipsi propter nosmetipos non ploramus? Et si infantes ex infirmitate naturæ ploranus, quare adulti cum miseriam nostram intelligimus, non magis ploramus. Pensemus ergo, fratres, quanta sit miseria humana, ob cujus medicinam Christum necesse fuerit plorare, et a tanto tantam nobis exhibitam medicinam non spernamus, sed tanta devotione veneremur, diligamus et imitemur. Ex quibus vero Christus natus sit, ostenditur, cum subditur:

*Eo quod essent de domo et familia David, Joseph scilicet et Maria. Unusquisque enim secundum legem de tribu sua ducebat uxorem. Natus est igitur Christus, fratres, ex matre nobili, sed paupere; virginie, sed desponsata. Quod vero de matre nobili natus est, est mysterii; quod de paupere, est humilitatis; quod de virgine, est munditiae; quod de desponsata, est sacramenti. De matre nobili natus est, quæ non solum ex regia stirpe trahebat originem, sed etiam ex sacerdotali. Unde et Elisabeth cognata Mariæ fuisse commemoratur (*Luc. i*). Porro ex regia et sacerdotali tribu nasci voluit Christus, quia est Rex regum, et sacerdos secundum ordinem Melchisedech erat futurus. De matre paupere, quia nec et in sua purificatione agnum offerre potuit, natus est, ut nobis voluntariæ humilitatis et paupertatis exemplum donaret. De matre semper virgine natus est, ut se munditiam diligere, et in mundis cordibus habitare demonstraret. De sponsata vero matre nasci voluit, ut sacramentum incarnationis suæ diabolo occultaret. Mater Christi, fratres charissimi, quæ in nobilitate non se extulit, sed paupertatem et humilitatem dilexit, eos redarguit qui de nobilitate su-*

perbiunt, et humilitatem oderunt atquæ paupertatem. In hoc vero quod in paupertate, a naturali nobilitate degenerare parvipendunt. Rursus in hoc, fratres, quod virginali castitatem conjugium decoravit, dat matronis exemplum in conjugio castitatem conservandi. Quæ si penitus etiam a licto complexu continent, profecto castitatem beatæ Virginis imitantur. Sed et si quandoque debitum viro reddunt, non sunt sine merito castitatis, dum fidem tori servant intemeratam. In hoc quoque quod beata Virgo sub conjugio virginitatem celavit, dat omnibus exemplum castitatem cæterasque virtutes celandi. Nam flores virtutum coram Deo tanto plus vernant et flagrant, quanto favoris popularis eos non exurit. Similiter et Joseph, fratres charissimi, qui ex omnibus viris mundi electus est, ut esset Virginis sponsus, cœlestium secretorum conscientia, familiaris angelis, nutritius Christi, viris proponitur in exemplum justitiae et fidei, humilitatis et castitatis, qui et ipse quoque conjugium castitate ornavit, et castitatem sub conjugio celavit. Quo autem cultu educatus sit Christus, ostendit, cum dicitur: *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Fuerunt igitur indumentum Christi panni viles, lectus arctum præsepe, cibus lac virginalis. Lac enim de carne corrupta elicuit eum manducasse non credo. Unde et legimus; ipsum Regem angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. In hoc cultu, fratres charissimi, quatuor invenimus: Primo admirationem in hoc quod ille qui lucem habitat inaccessibilem et qui cœlum luce vestivit, vilibus pannis circumamicitur; quod ille qui totum mundum continet, in arco præsepio continetur; quod ille, qui omnibus dat escam in tempore opportuno, modico lactis educatur. Quis enim his non poterit admirari? Ministerium, quia ideo Dominus voluit indui pannis, ut se vilitatem et corruptibilitatem nostram induisse demonstraret, ideo poni voluit in præsepio, ut se refectionem piorum esse significaret; ideo lacte virginali voluit pasci, ut se in pura matris Ecclesiæ doctrina delectari demonstraret. Medicinam, quia ideo dignatus est Dominus pro nobis pannis vilibus involvi, ut nos stola incorruptionis vestiret; ideo voluit pro nobis in arco præsepio poni, ut nos in lato cœli palatio collocaret; ideo voluit lactis pro nobis egere nutrimento, ut nos angelorum pane satiaret. Exemplum, quia ideo vilibus pannis propter nos circumdatus est, ut nos vilitateni pannorum propter eum non abhorremus, sed amaremus; ideo in angusto præsepio propter nos positus est, ut nos propter eum parvo et vili tugurio contenti essemus; ideo simplici cibo pastus est, ut nos quoque simplicitate et vilitate ciborum esse disceremus contenti. Et hoc, fratres mei, contra illos est qui in pretiosis et mollibus vestibus delectantur, qui in constructione palatiorum et turrium gloriantur, qui aviditate pretiosorum cibariorum capiuntur. Quibus Christus revelari voluit, ostenditur, cum subditur:

*Et pastores erant in regione endem vigilantes, et*

*custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Quantum ad litteram, fratres, Christus tanquam verus pastor, tanquam humilis, tanquam pauper, pastori- bus, humilibus et pauperibus voluit primo revelari. Mystice vero isti pastores gregum significant quosque pastores fidelium animarum; qui si fuerint in eadem regione, si vigilaverint super gregem suum, et custodierint vigilias noctis, profecto illis praeci- pue Dominus suorum arcana sacramentorum digna- biter revelare. Isti sunt pastores in eadem regione in qua natus est Dominus, qui in munditia et casti- tate, in qua natus est Christus et permansit, sese, quantum possunt, regere contendunt. Vigilant super gregem suum, qui in regime animarum sibi com- missarum solliciti sunt. In quo etiam pensandum est, fratres charissimi, quod dicitur *super gregem suum.* Non enim sufficit pastoribus si sint in scientia et vita sicut populus: unde et in opprobrium dicitur *cis: Et erit sicut populus, sic sacerdos (Eccli. xxiv).* Et sicut præminet pastor gradu, sic sapientia et vita debet eminere. Uude et dieitur: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion (Isa. xl).* Hinc est quod sacerdos accipiebat armum separa- tum (*Lev. x*), quia actio pastoris non solum debet esse fortis, sed et singularis. Custodiunt vigilias noctis super gregem suum, qui populum sibi com- missum in adolescentia, in virili ætate, in senectute, in decrepita ætate, informare contendunt. Et quos in adolescentia nequierunt, saltem vel in virili ætate, vel in senio, vel in decrepita ætate corrigere concu- piscunt. Sed quomodo, fratres, hic dicitur *vigilias noctis custodientes super gregem suum*, cum in manu hominis non sit custodire vel se, vel alium, præser- tim cum scriptum sit: *Nisi Dominus custodierit ci- vitatem, frustra vigilat qui custodit eam (Psal. cxxvi).* Neque enim potest pastor jacere solus, sed socius, nec ad Dominum ire solus, sed socius. Verum utique est, fratres mei, quod in manu pastoris non est gregem custodire, sed tamen ei ex necessitate officii inditum est, quoad potest, ad custodiendum vigi- lare. Nam si aliquis vestrum committat centum oves opiloni suo, et ille, devoratis et perditis cunctis öibus, solus ad dominum revertatur, quid ei dicturus est dominus suus? Nonne incarcerabit vel turpi- ter fugabit eum? Quid ergo, fratres, quid dicturus est Deus illi pigro pastori, qui nullam animarum sibi commissarum ad ipsum reducit? Nonne illum tanquam multarum animarum homicidam acerius cæteris damnabit? Utique. *Nam durius judicium hic qui præsunt fiet (Sap. vi).* Per quæ indicia voluit Christus revelari ostenditur, cum dicitur: *Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas ejus (12) circumfulsit illos.* Bene, fratres, angelus nuntians nativitatem Christi stetisse legitur. Stare enim pugnantium est. Et ille nativitatem ejus nuntiabat qui aereas potestates debellare veniebat. Ille vero angelus, qui ejus resurrectionem nuntiavit, super lapidem revolutum sedet, quia profecto illum nuntiabat, qui iam victor sedebat. Bene et angelus nati-

vitatis nuntius stetisse juxta pastores memoratur, quia videlicet Christum prope et propitium fieri hominibus per carnem et misericordiam denuntiabat, juxta illud: *Prope timentes eum salutare ipsius (Psal. lxxxiv).* Bene quoque angelus cum loce in Christi nativitate, quod in toto Veteri Testamento non legitur, apparet, quoniam, juxta Prophetam, tunc exortum est in tenebris lumen rectis corde, mi- sericors et miserator Dominus (Psal. cx). Et timuerunt, inquit, timore magno. Quia humana infirmitas concepit, ubi divina sublimitas manifestatur. Sed quia digni erant consolatione, dixit eis angelus: *Nolite timere.* Sicut enim diaboli et diabolicorum hominum est hominem ad tremorem et desperationem commonere, ita bonorum angelorum et hominum est homini consolationem et spem præbere. Quare autem pastoribus non timendum, sed gauden- dum esset, ostendit angelus cum subdit: *Ecce nuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni po- pulo, subaudis electorum. Gaudium magnum et commune, fratres, nuntiat angelus pastoribus, quia quoddam gaudium est quod non est magnum, sed parvum, vel potius nullum, ut gaudium quod habe- tur de aliqua re transitoria, de quo dicitur: Væ vobis qui ridetis! (Luc. vi.) Sed gaudium istud erat magnum, quia de salute nostra. Rursus erat commune, quia omni populo credenti erat communi- candum. Ideo enim factus est Deus homo, ut ho- mines Deos facheret, et gaudium quod habebat solus, communicaret pluribus. Hoc, fratres, contra illos qui soli sibi vivere volunt, et bonum quod habent, cæteris communicare nolunt. Et ideo communis sanctorum bono juste privantur. Quod autem illud gaudium sit, exponit angelus cum subdit:*

*Quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Tribus nominibus, fratres, vocat angelus puerum, Salvatorem, Christum, et Dominum. Christum, quia unctus est plenitude omnium gratiarum, de quo omnes accepimus; salvatorem, quia salvat et glorificat electos; Dominum, quia damnat reprobos. Sed quare, fratres, ait hodie, cum in nocte natus sit Christus? Quia eam noctem sacramento nativitatis suæ splendidae Christus reddidit et solemnum, juxta quod scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur. Et nox illumina- tio mea in deliciis meis (Psal. cxxxviii). In civitate David ideo dicitur, ut ostendatur vere Christus esse qui in Bethlehem secundum prophetas erat nasci- turus. Sed quia Judei signa petunt, subdit angelus: Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis in- volutum, et positum in præsepio. Ac si diceret: Ex hoc potestis probare quod dico, cum cognoveritis esse vera et absentia quæ nuntio, et futura quæ prædico, ut, cum me veracem in his cognoveritis, in cæteris quoque me veracem esse non dubitetis. Si- gnatum vero angelus in humilitate et paupertate Christi posuit, ut demonstraret nobis per quæ salva- remur, et quæ iustitiae debemus. Cæterum, ne atte- statio unius angeli insufficiens videretur, non duo-*

rum tantum subjungitur vel trium testimonium, sed etiam multorum, cum dicitur : *Et facta est cum angelis, concors scilicet in testimonium, multitudo militiae caelstis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis.* Ac si diceret : Ex nativitate Christi, Deus ab altissimis virtutibus glorificatur et benedicitur, eo quod ruina angelica ex reparatione hominis suppletur, et pax et reconciliatio cum Deo hominibus bonae voluntatis præbetur. Non autem ait hominibus bonae operationis, quia bona operatio sine bona voluntate non sufficit. Bona vero voluntas sine bona operatione, si facultas deest, sufficere potest. Itaque, fratres mei, si multum laborare, si multum largiri, si multum jejunare non potestis, saltem habebatis bonam voluntatem, quæ si prompta fuerit, procul dubio pro facto reputabitur. Non enim pensat Deus quantum quis offerat, sed ex quanto. Reliquerunt quippe Petrus et Andreas navem et retia (*Matth. iv*), et omnia reliquise judicantur (*Matth. xix*). Obtulit vidua minuta duo, et divitibus multum offerentibus præfertur (*Luc. xxi*). Offeramus et nos, fratres, quod possimus, et si non habemus facultatem, saltem offeramus bonam voluntatem, quoniam natus Christi dat pacem hominibus bonæ voluntatis. Quam ipse nobis largiatur, qui hodierna die pro nobis de Virgine nasci dignatus est, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. (*Homil. 11*.)

**II.** — *Quomodo dicitur Joseph pater Christi. — Beata Maria, quæ sine exemplo credidit, concepit, peperit, portavit, lactavit Deum.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Erant Joseph pater Jesu et Maria mater ejus, mirantes super his quæ dicebantur de illo (*Luc. ii*), etc. Quadripartita est hæc lectio, fratres charissimi. Primo enim inducuntur Joseph et beata Virgo mirantes super his quæ dicebantur de Jesu. Secundo inducitur Simeon eis benedicens, et de pueru prophetizans. Tertio quoque inducitur Anna prophetissa, Christo ferens testimonium. Quarto vero subjungitur eorum regressus, et pueri profectus. Primo igitur Joseph et Maria inducuntur, mirantes super his quæ dicebantur de illo. Sed fortassis, fratres, movet vos, eur evangelista Joseph patrem Christi appellat, cum ipse eumdem non ex virili seminé, sed ex Spiritu sancto conceptum esse superius construxerit. Sed pluribus modis patrem appellare consuevimus. Nam æquivoce pater est carnalis, spiritualis, et longævus, prædecessor benefactorum. Quia igitur Joseph faber, nutritius et amator erat Jesu, et sponsus matris ejus, voluit eum dici patrem suum, et hoc ad mysterium et exemplum. Ad mysterium, quoniam ipse vere erat filius fabri, ejus scilicet qui fabricatus est auroram et solem. Ad exemplum, ut nullus quantuscumque viliorum se dici erubesceret.

(1) Horat. *Epist. I*, epist. 6, vers. 1, 2.

Hoc plane contra illos qui patres suos decrepitos, debiles, et viles erubescunt. Similes muli, qui, ut fabula narrat, inquisitus quis esset pater ejus, tacens vilem patrem, equum generosum avunculum suum esse professus est. Erubescit igitur, superbe vermis. Deus se dici voluit filium fabri, et tu tui patris vilitatem erubescis? *Erauit, inquit, mirantes super his quæ de illo dicebantur.* A quibus dicebantur? ab angelis, a pastoribus, a magis, a Simeone, a cæteris prophetis, Zacharia, Elisabeth, Anna. Et quæ dicebantur de illo? Quod ille tantillus puerulus ab angelo Salvator vocabatur, ab angelico choro glorificabatur, a pastoribus adorabatur, a stella demonstrabatur, a Magis, mysticis munieribus venerabatur, a Simeone lumen gentium et gloria plebis Israel dicebatur. Nec tam mirabantur divinitatis altitudinem quam ejus dignationem. Mirabantur quippe in excelso humilitatem, in majestate dignationem, in gloria vilitatem, in cœlestibus divitiis paupertatem. Has sane virtutes mirabantur, æmulabantur, imitabantur. Audi quomodo mater æmularit humilitatem filii. Oblita quippe se esse virginem, et matrem Dei et reginam cœli, ait : *Ecce ancilla Domini* (*Luc. 1*); et : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*). Nos itaque, fratres, non miremur falsas divitias, honores et glorias hujus miseri sæculi, quæ amatores suos decipiunt. Nam juxta poetam (1), Terreni nil admirari res est, quæ penne sola potest facere et conservare beatum. Ista quoque spernentes, admiremur, æmulemusr in Christo et in matre ejus humilitatem, dignationem, vilitatem, et voluntariam paupertatem, cæterasque virtutes, per quas homines, similes Deo et filii Dei efficiuntur.

Sequitur pars secunda, in qua Simeon inducitur benedicens illis, Mariæ scilicet et Joseph, et prophetizans de pueru, cum dicitur : *Et benedixit illis Simeon.* Puto, charissimi, quod benedicens, matri hæc vel similia dicebat : « Beata es incomparabiliter, quæ sine exemplo credidisti, concepisti, peperisti, portasti, lactasti, istum tuum filium, tuum patrem, tuum creatorem, tuum Deum. Tu quoque Joseph, beatus es, qui inter omnes hujus mundi homines electus es, ut Christum nutrires, soveres, bajulares lumen gentium, gloriam populorum. » Sic benedictio boni filii, fratres mei, redundat in parentes, nutritioresque suos, juxta illud Salomonis : *Gaudium parentum, filius sapiens* (*Prov. x*). Vos itaque, patres et matres familias, vigilate in bona nutritura, eruditione et informatione filiorum, ut, propter bonam filiorum indolem, mereamini et vos benedici. Sicut enim filius indisciplinatus ventitur parentibus in maledictionem, sic bene disciplinatus in benedictionem (*Ecli. xxii*). Denique prophetizans Simeon, ait ad Mariam matrem ejus : Ecce, fratres, beata Virgo, licet et mater fonte omnium scientiarum et gratiarum pareret et nutraret, tamen

quædam minus noverat quæ a propnetis edoceretur. In quo profecto patet nullum quantumcunque sanctum, in via posse consequi omnium plenitudinem gratiarum. Ad reprimendam ergo mortalium superbiam, noluit Dominus aliquem habere omnem gratiam, ut sic alter altero indigeret, et quod in se non haberet, in altero miraretur. Sed et in hoc quod Regina cœli a vilioribus personis non refugit edoceri, confutat quorumdam superbiam, qui a minoribus personis doceri erubescunt, cum sæpe in vili testa opimum viuum contineatur, et aureo vase, pravum. Unde Apostolus : *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor. iv).* Et alibi : *Si quid revelatum fuerit minori (1), taceat major (I Cor. xiv) (2).* Et philosophus : Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis, sed qui l dicat intendito. Ecce, inquit, *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam, scilicet incredulorum, et in resurrectionem credentium. In ruinam superborum, et in resurrectionem humilium. Unde ipse Dominus ait : *In iudicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cœci fiant (Joan. ix).* Et Apostolus. *Nos prædicamus, inquit, Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei savientiam (I Cor. i).* Nec solum Christus, fratres, sed etiam quilibet recte vivens, et recte docens in populo, positus est incorrigibilis in ruinam, resipiscientibus vero in resurrectionem. Unde Apostolus : *Christi bonus odor sumus, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (II Cor. ii).* Et in signum, inquit, cui contradicetur, id est in exemplum et doctrinam cui contradicetur ab incredulis et perversis, qui Christi doctrinæ et exemplis, vel verbis, vel factis contradicent. Unde et subdit, *Et tuam ipsius, inquit, animam pertransibit gladius, id est dolor habitus de passione ejus tua viscera transfodiet.* Cum igitur vellemens compassio sit martyrium, patet quia beata Virgo a corona martyrii non est extranea, imo plusquam martyr dici potest, quæ in anima (quæ immortalis est) passa est. Hinc, fratres, discamus et nos compati passionibus, afflictionibus, necessitatibus sanctorum, pupillorum et viduarum, quoniam qui eis propter Deum compatuntur, a corona eorum non erunt alieni, testante Domino, quoniam qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet (Matth. x). Ut revelentur, inquit, ex multis cordibus cogitationes eorum, id est prophetæ, quæ erant occultæ, tanquam cogitationes in corde, revelentur in puer esse impletæ. Vel certe corda hominum per exteriora opera aperiantur, an sit erga Christum devota, an non.

Sequitur pars tertia, in qua inducitur Anna Christo testimonium ferens, ut in ore duorum vel trium testimoniis, stet omne verbum (Deut. xix). Commendat autem eam evangelista, et a sancta progenie, et a conjugali sanctimonio, quia scilicet septem annis

vixerat a virginitate cum viro suo, et a viduali castimonia, et ab obsequio divino. Et quia erat intenta jejuniis et obsecrationibus, ut talis demonstretur, que digna sit spiritu prophetæ illustrari, et de Christo vaticinari, imo etiam eum in carne agnoscere, et ex alteris praedicare. Hanc imitentur patres et matresfamilias, ut sancte cum conjugibus a virginitate conversentur. Hanc imitentur vidui, viduaeque eorum, ut obliviscentes quæ sunt mundi, soli Deo vacent, jejuniis et obsecrationibus, et bonis operibus intendant, ut a spiritu mereantur illuminari, et Christum verbo et exemplo praedicare et contemplari. Et hæc, inquit, ipsa hora superveniens, quia scilicet eodem spiritu, quo Simeon adducta, confitebatur Domino, et confessione fidei, et actione laudis et verbo predicationis. Unde et subdit : *Et loquebatur de eo omnibus, qui exspectabant redemptions Israel.* Cæteris autem non, quia non sunt margaritæ ante porcos projiciendæ, nec sanctum dandum est canibus (Matth. vii).

Sequitur pars quarta, cum dicatur : *Et postquam perfecerunt omnia secundum legem Moysi, reversi sunt in civitatem suam Nazareth.* In quo, fratres, proponunt nobis exemplum, ut ab ecclesia non discedamus, donec vota et oblationes et orationes nostras, juxta quod lex præcipit, perficerimus. Quod contra illos est, qui, antequam debita vota et oblationes persolvant Deo, antequam ministeria divina expleantur, ab ecclesia redeunt, morari in ecclesia damnum temporis aestimantes. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Fratres mei, quod Christus Filius Dei crescebat, et confortabatur, carnis erat. Dignatus est quippe momenta ætatum nostrarum subire ut immutabilitatem suæ æternitatis nobis donaret. Sapientia vero plenus erat, qui etiam ipsa sapientia et est et erat. In qua nos primo creavit, et post recreare venit. Gratia vero Dei erat in illo, non ad mensuram, sed ad omnem plenitudinem. Omnem enim gratiam in potestate habuit, ad distribuendum singulis, ut Deus, et omnem gratiam quam voluit habuit, ut homo in usu. Nos itaque ipsum fletibus exoremus, quatenus de plenitudine sapientiae et gratiae suæ nos ditet, ut de suo ipsum eredere, diligere et venera i valeamus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in æternum. Amen. (Homil. 14.)

### III. — In Purificatione beatæ Mariæ Virginis.

Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam (Mal. iii), etc. Illic loquitur, fratres mei, de adventu Christi Malachias propheta, imo Dominus per eum. Ostendit autem quinque. Primo, dicit Deus Pater se mittere angelum ante adventum Filii sui. Secundo, dicit statim ipsum Filium venturum. Tertio, dicit paucos intellecturos adventum ejus. Quarto, dicit quod sit officium ejus. Quinto, dicit quid sit facturus. Primo igitur, Deus Pater loquens ad Filium suum, dicit se mittere.

(1) Vulg. *sedenti.* (2) Vulg. *prior.*

nuntium ante adventum ejus, dicens : *Ecce ego mittō angelum meū.* Cum plures nuntios adventus Filii sui p̄m̄isisset Deus in pluribus temporibus, ut patriarchas et prophetas, hic singulariter dicit se mittere unum nuntium, Joannem Baptistam intelligens, quem etiam propter prærogativam sanctitatis et officii, suum angelum vocat. Sicut enim rex terrenus venturus in aliquam urbem, multos premitt̄ p̄ambulos, adventus sui nuntios, et jam intratrus, nuntium familiariorem sibi premitt̄; ita Dominus fecit, mittens primo patriarchas et prophetas, et jam vero venturus, præcursem sibi chariorem p̄misit; cui etiam testimonium perhibuit, quoniam « inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Joan.* 1). » Qui etiam more angeli divinorum arcanorum internuntius fuit ad homines, secreta Trinitatis et Incarnationis prædicavit, imo etiam demonstravit, non suam, sed Domini gloriam quæsivit. Quid autem iste angelus facturus esset ostendit, cum subdit : *Qui p̄parabit viam ante faciem tuam.* Præparavit enim præcursor viam Christo, prædicando, baptizando; sed etiam sua mirabil nativitate, nativitatem Christi mirabiliorem, et sua sancta conversatione conversationem Christi sanctiorem, et sua passione pretiosa passionem Christi pretiosiorem præcucurrit et præmonstravit. Si autem in littera habeatur *ante faciem meam*, facies Patris Filius dicitur, eo quod per Filium Deus Pater in terra cognoscatur. Secundo, dicit post præcursorum statim Filium venturum, cum subdit : *Et statim veniet*, etc. Conceptionem quippe et nativitatem præcursoris, post dimidium annum subsecuta est conceptio et nativitas Christi. Et quis veniet? *Dominator quem vos queritis*, et angelus testamenti quem vos vultis. Quia namque Patres Veteris Testamenti, gravi dominio diaboli et malorum principum oppressi erant, jugum suave Christi quærebant; qui pondus Veteris Testamenti, et duritiam ministrorum ejus ferre non poterant, angelum Novi Testamenti desiderabant. Hoc est quod Simeon ille senex, qui responsum accepérat se non moriturum donec videret Christum (*Luc.* 1), dicebat quotidie in orationibus suis : *Quando veniet?* *Quando nascetur?* *Quando videobo?* Hoc etiam desiderium antiquorum Patrum significant illæ septem antiphonæ, quæ a desiderativo adverbio *O* incipiunt ita : *O Sapientia, O Adonai*, etc. Et quo veniet? *Ad templum sanctum suum*, id est ad uerum beatæ Virginis, quod Antonomastice *sanctum*, id est sanctificatum fuit. Vel etiam ad materiale templum Hierosolymis, in quo nodierna die cum oblationibus a parentibus oblatus fuit. Vel certe *ad templum*, id est ad sanctam Ecclesiæ, quam significare et conjungere sibi venit. Et ne desperetis de dilatione, quia *ecce venit*, dicit *Domini exercituum*. Tertio, dicit paucos intellecturos adventum Christi, cum subdit : *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus?* *Et quis stabit ad videndum eum?* Quasi dicat, *pauci*. Pauci quippe fuerunt Simeon et Anna, et aliquot viri spirituales, qui per

Spiritum intellexerunt quando venturus erat. Et pauci fuerunt discipuli ejus, qui per Spiritum intellexerunt quod Filius Dei in carne quam videbant, venerat. Convenienter autem ait, *stabit*, quoniam et si multi carnalibus oculis viderunt Christum, tamen ad eum videndum non steterunt, qui unde proficere debuerant, per infidelitatem corruerunt.

Quarto, dicit quod foret officium ejus cum subdit. *Ecce ille quasi ignis conflans*, et quasi herba fullonum. Ac si dicat : Officium ejus erit purgare et mundare Ecclesiæ. Venit enim in primo adventu justificare impios per misericordiam, qui in secundo veniet impios damnare per justitiam. Nec tamen ait : Ecce ille quasi conflagrator, et quasi fullo, quoniam Christus non est tantum minister purgandi et emundandi, ut cæteri magistri, sed etiam causa. Porro ignis sex res facit, calefacit, liquefacit, urit, illuminat, corroborat et inflamat. Christus quoque veniens in hunc mundum calefecit hominum frigiditatem, liquefecit cordium duritiam, ussit peccatorum rubiginem, illuminavit hominum insipientiam, corroboravit hominum infirmitatem, inflammat etiam cordium torporem. Herba quoque fullonum duo facit, maculas pannorum tollit, et eos dealbat. Christus similiter maculas animarum tollit, et eos dealbat. Unde Propheta ei dicit : *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L).* Sunt autem duo genera hominum. Quidam enim sunt duri cordis et crudelis, qui significantur per metalla rubiginosa. Quidam vero sunt mollis animi et remissi, qui significantur per squalida vestimenta. At Christus utrosque per misericordiam suam respiciens, et illis *fit ignis conflans*, et *istis herba fullonum*. Utrumque, fratres charissimi, in hodierna solemnitate significantur, qui hodie luminaria accensa gestamus, et vestimentis candidis dealbamur. Quinto, quid facturus sit ostenditur, cum subditur : *Et sedebit conflans ei emundans argentum, et purgabit filios Levi.* Per argentum, quod sonorum est et utensilibus altaris aptum, significantur prædicatores et ministri Ecclesiæ. Idem etiam significatur per filios Levi, qui in ministerium Domini assumti erant. Ad quorum emendationem emundationemque Christus sedet, tanquam magister, et vacavit. Primum enim apostolos et discipulos suos igne sancti Spiritus purgavit et illuminavit, ut per ministerium eorum cæteri quoque purgarentur et illuminarentur. *Et conflabit eos*, inquit, *tanquam aurum, et quasi argentum*, id est sapientia et eloquentia eos claros reddet, per quas prædicatio ministratur. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*. Deo omnia bona, sibi sola mala attribuentes, non aliena, sed seipsos Deo propter Deum sacrificantes. Hoc est enim sacrificare sacrificium justitiae. Utinam et nos indignos peccatores et sacerdotes, ille ignis divinus purget, illuminet et inflammet, quatenus sacrificium justitiae mereamur eidigne sacrificare! *Et placebit*, inquit, *Deo sacrificium Iuda et Jerusalem*, id est primitivæ de-

Judæis *Ecclesiæ*, sicut dies *sæculi*, subaudis, primi.  
Et sicut anni antiqui, id est sicut sacrificium Abel,  
Abrahæ, Melchisedech, et cæterorum antiquorum  
Patrum, quorum sacrificium certum est Deo pla-  
cuisse; imo magis quam illud, quia illi figuram,  
isti verum Agnum et verum panem obtulerunt. Mo-  
raliter vero, sicut Deus Pater præmisit angelum  
suum, id est Joannem Baptistam, ut præpararet Fi-  
lio suo in carne venienti, viam, ita quotidie præmit-  
tit angelos suos qui præparent Filiu eidem invisibi-  
liter ad corda hominum venienti viam. Angelos  
autem dico sacerdotes et prædicatores, qui primum  
prædicant verbum Dei auditoribus, ut ita postmo-  
dum ad corda illorum veniat ipse Filius. Scriptum  
est enim: « Labia sacerdotis custodiunt scientiam,  
et legem requirent de ore ejus. Angelus enim Do-  
mini exercituum est (*Mal. ii.*). » Et non solum nos,  
sed etiam quislibet vestrum, fratres mei, qui ver-  
bum salutis proximo annuntiat, angelus Domini po-  
test dici. Itaque verbo prædictoris exterior ad au-  
rem sonante, et Deo intus invisibiliter operante, sta-  
tim venit verbum Patris per fidem ad cor, et illud in  
templum sibi sanctificat. « Templum enim Dei ,  
inquit Apostolus , sanctum est, quod estis vos  
(*I Cor. iii.*). » Sed quis poterit cogitare, vel intelligi-  
gere diem vel horam adventus ejus ad cor? Ac si di-  
cat: Nullus. Ipse enim solus novit quomodo mentes  
hominum in melius mutet, vel quomodo ad eas ve-  
niat, vel eas sanctificet. Scriptum est enim: « Spir-  
itus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis  
unde veniat, aut quo vadat (*Joan. iii.*). » Et tamen  
hoc scimus, quia ille est *quasi ignis conflans*, et  
*quasi herba fullonum*. Id est auctoritatem habet  
emolliendi mentes per compunctionem , et emundandi  
per baptismum, vel per pœnitentiam. Unde Job : « Quis potest facere mundum de immundo con-  
ceptum semine? Nonne tu qui solus es? » (*Job xiv.*)  
Et sedebit, inquit, *confians et emundans argentum*.  
Ac si dicat: Non illos in quibus ad horam habitat  
Deus, sed illos solos in quibus sedet et manet, emen-  
dat et efficit argentum purum et vasa electionis. Et  
purgabit filios Levi, id est illos qui videbantur ad-  
diti numero reproborum, purgando addet numero  
electorum ministrorum, et faciet eos offerre sacrificia  
in justitia, ut justitia sit in offerente, et in oblatu, et  
in intentione. Et placebit Deo sacrificium *Juda et*  
*Jerusalem*. Ac si dicat: Quia in vera confessione et  
pace sacrificabunt, placebunt Deo sicut sacrificia an-  
tiquorum sanctorum. Clamemus ergo, fratres mei,  
toto corde, clamemus ad illum sanctum mundatorem  
animarum, quatenus ipse emolliat duritiam anima-  
rum nostrarum, decoquat rubiginem peccatorum,  
induat nos candore suarum virtutum, inflammet nos  
ad amorem desiderii sui, ut omnia transitoria tan-  
quam stercora reputantes (*Philip. iii.*), ad eum toto  
desiderio festinemus, nosmet in holocaustum suavi-  
tatis offerre ei, et ab eo suscipi mereamur, interce-  
dente Dei Genitrici, quæ hodierna die meruit of-  
ferre Filium suum Dominum nostrum Jesum Chri-

stum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et re-  
gnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### IV. — ITEM IN EODEM FESTO.

*Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi* (*Luc. ii.*), etc. Hodie, fratres charissimi, beatæ Virginis et matris Domini celebramus purificationem. Unde et Evangelium, illius explicans historiam, hodie recitat in sancta Ecclesia, proponens nobis quatuor quasi opposita: videlicet, quod pura purificatur, quod Deus offertur, quod Redemptor redimitur, quod senex jam moriturus gratulatur. Ut quid, fratres mei, voluit Dominus vel matrem suam puram, cum non indigeret purificari, vel se Deum offerri, vel Redemptorem redimi? Ob tres causas: ut se non solvere legem, sed adimplere demonstraret (*Matth. v.*), ut per omnia exemplum humilitatis nobis proponeret, ut nos debitores a debitibus pro nobis indebita solvendo redimeret. Primo igitur proponit nobis evangelista purissimæ virginis purificationem, cum ait: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi*, subaudis, egit quod purificando facere debebat. Praecepit enim lex ut mulier quæ suscepto semine masculum peperisset, immunda haberetur septem diebus, et in octava puer circumcidetur, deinde, aliis triginta tribus diebus, suspenderetur ab introitu templi. Quibus expletis, quadragesimo die cum hostiis, agno scilicet et turtore, vel columba, puerum ad templum offerret. Si autem peperisset feminam, erat immunda quatuordecim diebus, et aliis sexaginta sex diebus suspendebatur ab ingressu templi: donec octogesimo die cum hostiis ad templum veniret (*Deut. xii.*). Videamus igitur diligenter verba legis, et primo secundum litteram; ait enim mulierem quæ suscepto semine masculum peperisset, immundam esse septem diebus. Illam vero quæ sine semine perperisset, non dicit esse immundam neque predictæ purificationi subjacere. Patet ergo quod beata Virgo quæ sine semine de Spiritu sancto concepit, cum immunda non fuerit, purificatione non egnerit. Itaque, fratres mei, si mater puritatis non recusavit purificationem legis subire, quid nos impuri et impii facere debemus, qui quotidianè purificatione indigemus? Mater munditiae et sanctitatis mundationem non refugit, et tu adulter vel adultera, tu immunda vel immunda, per purificationem disciplinæ et pœnitentiæ mundificari fugis? Moraliter vero, anima fidelis quæ, suscepto verbi Dei semine, fructum masculæ et sanctæ vitæ intus concipit per bonam vo-  
luntatem, et exterior parere incipit per bonam ope-  
rationem, non statim se mundam, sed potius immundam reputare debet. Quia, quis quantumcumque justus gloriabitur mundum se habere cor? Debet ergo se immundam ante Dic oculos reputare, et præcipue dum adhuc ejus conversio nova est et rudit, quam debet in octava, id est in fide et pro fide resurrectionis, a veteri et vana consuetudine cir-  
cuncidere, sed et etiam per quadraginta dies, id est

per totum vitæ præsentis cursum, se debet a præteritis peccatis per poenitentiam et disciplinam purificare, et lacrymis, partim de recordatione peccatorum, partim de desiderio patriæ cœlestis natis, se lavare, donec, consummata præsenti vita, fructum suum cum sacramento Agni immaculati et castitate tauris, et innocentia columbae templum patriæ cœlestis mereatur introire. Anima vero quæ feminam, id est, mollem voluntatem concepit, et operando mollem vitam peperit, duplo quam alia majori indiget purificatione, et per quadraginta dies, id est per totam præsentem vitam non digne purificatur. Sed et etiam post mortem in purgatoriis locis purificatur, donec octagesimo die, id est, in resurrectione, plene purificata, in templum æternæ beatitudinis admittatur. Secundo vero proponit quod Deus, cum sit omnis oblatio, offertur, cum subdit : *Tulerunt Iesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Quia namque Dominus in Ægypto primogenita Hebræorum ab angelo percutiente servaverat, voluit Dominus primogenita eorum de cetero sanctificari et offerri. Juxta quam institutionem, Dominus noster Jesus seipsum voluit Deo Patri offerri, videlicet ut per hostiam sui corporis nos Deo reconciliaret. Alias, unde Deo homo reconciliari poterat? Si enim homo offerret seipsum Deo Patri, cum reus esset, potius exacerbare eum quam placaret. Si offerret sua, ut agnum vel hircum, aut hujusmodi, minor esset oblatio, nec pro dilecto satisfactura. Si angelus se offerret pro homine, oblatio esset ab homine aliena. Itaque Verbum factum est homo (*Joan. i*), ut homo per omnia Deo placens pro homine oblatus, eum Deo reconciliaret; ipso Patre teste, qui ei innotuit : « Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth. iii*; *xvi*; *Marc. i*). » Nos ergo, fratres, si quandoque peccamus, si quandoque Deum offendimus, non per nos, sed per Christum reconciliationem queramus, per quem solum preces, oblationes, et hostiæ apud Deum Patrem acceptabiles esse possunt. Unde et quælibet oratio *Per Dominum nostrum Jesum Christum* fit et concluditur.

Tertio vero proponit quod Redemptor mundi redimitur, cum subditur : *Et ut darent hostiam secundum quod scriptum est in lege Domini, parturum, aut duos pullos columbarum.* Hæc hostia pauperum erat, qui agnum ferre non poterant. Dignatus est enim Dominus pro nobis pauper fieri; dignatus est pro nobis redimi. Data quippe est hostia, quæ dabatur pro conceptis et natis in peccato, pro Domino, qui nec conceptus nec natus est in peccato. Redemptus est etiam secundum hoc quod scriptum est, quod primogenitus qui non erat de tribu Levi, quinque sielis argenti redimebatur (*Lev. xxvii*). Voluit enim nobis vitam humilitatis tam exemplo quam verbo commendare. Exemplo, quia, cum esset omnium dives, natus est

pauper, et pro nobis pauper fieri voluit. Cum esset Redemptor mundi, voluit redimi; cum esset rex omnium, voluit pro se tributum dari; cum esset Dominus omnium, voluit hominibus subdi. Unde ipse ait : « Non veni ministrari, sed ministrare (*Matth. xx*). » Verbo, quia discipulis adhuc carnalibus, et de principatu contendentibus ait : « Qui major est vestrum, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut qui ministrat (*Luc. xxii*), docens eos de sola humilitate contendere. In quo nostra retunditur superbia, qui malum dominari quam subdi, qui fugimus dominatum hominum, et dominatum non fugimus vitiorum, qui tributa dare hominibus quasi pestem fugimus, et tributa dare diabolo non horremus, qui damna et exactiones pecuniae quasi gravissimum scelus fugimus, et damna innocentiae non timemus. Si aliquis sæcularis tollat nobis pecuniam, ab Ecclesia arcemus, divina fidelibus prohibemus, Deo nostro servitium subtrahimus. Et quia nobis auferunt pecunia, nos nobis auferimus divina Deo ministeria sua. Ut quid hoc? nisi quia viam Dei, paupertatem et humilitatem abjecimus, et pecuniam Deo et animæ nostræ præponimus. Contra quos Apostolus loquitur « Omnino, inquit, delictum est in vobis, quod contentiones habetis inter vos, quare non magis injuriam patimini? » (*I Cor. vi*) Quarto quoque inducit evangelista senem prophetam jam moriturum, qui viso, quod desideraverat, optat dimitti ad mortem. Describitur antem talis qui dignus sit Deo ferre testimonium. Namerat *justus*, reddens unicuique sua, *timoratus*, non timore servili, sed filiali; quia timebat cum dilectione, et diligebat cum timore Deum; *Espectans* non ut dubius, sed certus, Redemptorem. *Et Spiritus sanctus*, cum septem donis suis, erat in eo. Hic orando et desiderando, meruerat a Spiritu sancto habere responsum non visurum se mortem, donec videret Christum. *Et venit*, non fortuitu, sed illustratus a Spiritu, in templum, et in eodem Spiritu eum esse Christum intellexit, et in ulnas suas eum suscepit. Quis potest pensare, fratres mei, quantum gaudium habuit iste senex, quando Redemptorem suum et mundi, quem tandem desideraverat, suspiraverat et exspectaverat, oculis vidit, inter brachia sustulit, exultans portavit? Qui cum gaudii magnitudinem nec exprimere, nec omnino tacere posset, in gratiarum actionem prorumpens, benedixit de immensis beneficiis suis Deum et dixit : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ac si aperte dicat : Nunc, Domine, exhibito quod promiseras, oro dimitti in pace, quando post magnitudinem gaudii, non sentiam mortem. Et quare tantum gaudes? *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Exteriores, exteriorem carnem; interiores, interiorem divinitatem. Quarum conjunctio est salutare tuum et nostrum; tuum, quia das; nostrum, quia accipimus et sentimus beneficium, quandoquidem salutare, non est singulare, sed omnium commune. Unde sequitur : *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*

*Lumen ad revelationem gentium, hue usque cæcarum, et gloriam plebis tuæ Israel.* De quibus Christus secundum carnem natus est. Et quia hodie ille sanctus senex sic a Spiritu sancto illuminatus est, ut lumen totius mundi agnosceret et bajularet, hinc inolevit nos in sancta Ecclesia ut omnes luminaria accensa hodie quasi Christum in manibus bajulamus. Ignis enim divinitatem; cera, quæ apis virgininalis est opus, humanitatem ex Virgine sumptam demonstrat. Nos itaque, fratres, quæramus omnibus modis animarum nostrarum purificationem; redimamus peccata nostra per eleemosynarum largitatem; offeramus Deo in holocaustum, turturis castitatem et columbae innocentiam. Et sicut utraque avis facit gemitum pro cantu, dum sumus in hac valle lacrymarum semper habeamus gemitum, et more sancti Simeonis, justitiam esuriamus et sitiamus. Desideremus pacem et videre dies bonos, ut visitatione Dei illustrati, et gaudio sancti Spiritus repleti, pleni dierum et gaudentes dimittamus in pace ad mortem victuri in æternum, per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

*Annotatio.*

Observa pervetustum Ecclesiae morem, quod in die Purificationis beatae Mariæ virginis candela cereæ benedictæ fidelium manibus deferuntur. Quod etiam auctorat *Cyrillus archiepiscopus Hierosolymitanus*, in oratione de occurrso Domini nostri Jesu Christi, et de Simeone qui Deum exceptit. Quamobrem, inquit, venite vos omnes Christi et Dei amantes, Dominò keti et mundi occurramus, non legaliter, sed spiritualiter; non ventrem geliciis expentes, sed spiritu exultantes; non nos vino inebriantes, sed spiritu ferventes. Latè hodie lampades ornemus. Tanquam filii lucis, ceras veræ luci Christo offeramus. Quoniam *lumen ad revelationem gentium* mundo apparuit, ideo lumina ex lumine supra nimv resplendeamus. Supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columas in cœlos evolantes, ita in nubibus ad Dei oceoursum examus. Hodie dilecti festi cursum perpetuo peragamus, cum angelis chorus ducamus, cum pastori bus illuminemur, cum orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum agamus, cum Simeone Christum ultis amplectamur, ut simus intra æterna Christi bona gratia et miserationibus et clementia Domini nostri Jesu Christi, cuigloria et potentia in sæcula sæculorum.

*V. — In Annuntiatione beatæ Mariæ.*

*Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa. xi*), etc. His verbis, fratres charissimi, prædictis olim Isaías propheta Christum in carne venturum, ostendens tria, scilicet unde esset oriundus, quantis donis a Spiritu sancto esset illstrandus, et qualis erga alios esset futurus. Porro unde esset oriundus primo ostendit cum dicit: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Metaphorice, fratres mei, vocat radicem semen Jesse patris David; virgam vero beatam Virginem, et florem Christum. Radix quippe est ima et occulta in terra, et tamen ex ea surgit arbor magna. Sic stirps Jesse fuit ima et occulta, quoniam ple-

beus erat Jesse, id est nullius nominis, et tamen ex eo nata est regalis linea. Et siue nesciretur ubi esset radix, nisi propter arborem inde surgentem, ita nulla notitia esset de Jesse, nisi per regiam lineam ex eo procedentem. Virga quoque est plana, virens, recta et rotunda. Sic beata Virgo fuit plana ab omni nodo vitiorum, fuit virens omni virore virtutum, fuit recta rectitudine intentionis, fuit rotunda rotunditate perfectionis. In flore vero sunt tria, pulchritudo, odor et spes. In Christo quoque fuit pulchritudo omnium virtutum. Unde de eo scriptum est: « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal. xliv*). » In ipso quoque fuit odor omnium bonarum virtutum. Unde de eo scriptum est: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen. xxvii*). » Et in Evangelio legimus quoniam « abiit opinio ejus per totam regionem (*Matth. iv*). » In ipso etiam fuit et est spes fructus æterni. Unde ipse vocatur a prophetis *Exspectatio gentium* (*Gen. xlix*), et *Desideratus* cunctis gentibus (*Agg. ii*). Porro tunc vocatur flos; nunc vocatur fructus. Quoniam ipse qui nobis est flos in via, erit fructus in patria. Nunc enim pulchritudine suarum virtutum, et odore suorum operum et morum, nos delectatur et allicit, et spe suavitatis qua fruuntur sancti in patria nos trahit. In futuro vero gustu suæ ineffabilis suavitatis nos in æternum satiabit. Si illa ineffabili dulcedine, fratres mei, in æternum satiari cupimus, in pulchritudine ejus admiremur, et in odore ejus curramus, et in spe trahamur, orantes cum sponsa et dicentes: « Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum (*Cant. i*). » Convenienter autem ait: *Et flos de radice ejus ascendet*, quoniam non de insitivo surculo, sed de sola carne Virginis sine opere virili conceptus est Christus. Convenienter quoque ait, *ascendet*, quoniam Christus merito humilitatis altitudinem virtutis ascendit, non solum ut esset caput totius Ecclesiæ, sed etiam ascendit super cherubim et seraphim et super cœlos cœlorum usque ad Patris æqualitatem, nobis relinquent exemplum ut mercamur ascendere ad cœlorum altitudinem.

Quantis autem donis a Spiritu sancto esset illustrandus ostendit, cum subdit: *Et requiescat super eum Spiritus Domini.* Non solum enim Spiritus sanctus, sed etiam tota Trinitas in homine Jesu Christo requiescit, id est gratauerit quiescit. In cæteris quippe hominibus aliiquid est quod Deo displicet; in Christo autem nihil est vel fuit quod Deo beneplacitum non sit, teste Patre qui de eo dixit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth. iii*). » Nos ergo, fratres mei, omne quod Deo displicet excludamus a nobis. Si volumus quod Deus requiescat in nobis, evitemus peccata per quæ Deus exentitur a nobis. Sequitur in textu: *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis*,

*et replebit eum spiritus timoris Domini.* Unus est enim spiritus, sed diversa sunt ejus dona. Qui nomen suum donis suis ideo tribuit, quoniam ea in aliquo nunquam derelinquit. Qui enim habet dona Spiritus sancti, habet Spiritum sanctum, et qui habet Spiritum sanctum, habet ejus dona, præsertim cum nihil aliud sit Spiritum sanctum habere, quam ejus dona habere. Porro in Domino nostro sunt septem, id est omnia dona Spiritus sancti. Omnia quippe habet in potestate, qui ea cui vult potest dare, sed in usu non habet, nisi ea que oportet eum habere. Pœnitentia enim et refrenatio libidinis sunt dona Spiritus sancti, quæ Christus in se non habet, quoniam non oportet. Primum donum est sapientia divinorum, ut notitia trinitatis in unitate, et unitatis in trinitate, et notitia divinorum secretorum, notitia creandi, conservandi propagandi, et gubernandi universa. Quod donum quis magis habuit quam ille qui essentialiter est sapientia Dei Patris, et qui cum Patre ab æterno omnia dispositus, et in tempore omnia creat, conservat et regit? Et tamen istud donum in tempore accepturus dicitur, quoniam quod erat ei, secundum quod Deus natura est, factum est ei secundum quod est homo gratia. Secundum donum est intellectus occulorum, ut videlicet intelligere occulta cordium, occulta futurorum, occulta Scripturarum, occulta absentium et invisibilium, qui proprius spiritus prophetæ potest dici. Quod donum quis magis habuit quam ille qui occultas cogitationes iniquorum Judæorum arguit, et futura et absentia tanquam præterita narravit? Inde est quod propheta, imo Dominus prophetarum vocatur. Moyses enim de eo ait: « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris (*Deut. xviii.*). » Et in Evangelio: « Hic est vere propheta qui venturus est in mundum (*Joan. vi.*). » Tertium donum est consilium inter insidias et pericula hujus mundi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui humano generi de salute desperanti consilium dedit, et qui quotidie inconsultis consulit? Propter hoc enim antonomatice a propheta « consiliarius, et angelus magni consilii » nuncupatur (*Isa. ix.*). Quartum donum est fortitudo resistendi persecutionibus et temptationibus hujus mundi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui diabolicas tentationes et persecutiones penitus superavit, aerias potestates debellavit, fortis armatum alligavit, et omnia vasa ejus distribuit. Propter hoc enim, « Deus fortis et Dominus virtutum » a propheta appellatur (*Isa. i.*). Quintum donum est scientia discernendi virtutem a vicio, verum a falso, bonum a malo, justum ab injusto. Quod donum proprio discretio spirituum dicitur. Quod donum quis magis habuit quam ille qui « scientiarum Dominus est (*I Reg. ii.*) », et « qui scrutatur renes et corda (*Rom. viii.*) », qui non solum inter bona et mala dijudicat, sed etiam inter bona et bona, mala et mala, et secundum merita uniuersique redditurus est? Unde Apostolus: « Vivus est, inquit, sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertin-

gens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum, et non est aliqua creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr. iv.*). » Sextum donum est pietas diligendi, compatiendi, et benefaciendi. Quod donum quis magis habuit quam ille qui seipsum dedit non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis, orans etiam pro persecutoribus suis? Propter hoc etiam non solum pius, sed ipsa pietas et ipsa charitas appellatur. Septimum donum est timor Domini filialis; habuit quidem Jesus Christus non passionem timoris, sed reverentiam et obedientiam omnia Patri attribuens, ei usque ad mortem obediens. Et hæc quidem dona hic descendendo enumerantur, quoniam Christus (de quo hæc dicuntur) ab altitudine divinae sapientie, usque ad extreum donum, id est timorem Domini qui est initium sapientie (*Psal. cx.*), propter nos est humiliatus. Nos vero, fratres, qui in insimis positi sumus, a minore dono, id est timore Domini, in altum proficiamus. Oremus ergo ipsum qui sine mensura habet plenitudinem donorum, ut ipse secundum mensuram sue voluntatis nobis distribuat ea. Oremus et dicamus: Domine, immite in corda nostra timorem nominis tui, ut propter te, peccata et omnes turpitudines evitemus. Sed quia hoc non sufficit, da etiam nobis, Domine, spiritum pietatis, ut simus pii in te et in proximos nostros, te super omnia, et proximos sicut nos diligentes. Sed quoniam quidam habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, da quoque nobis, Domine, spiritum scientiae, ut sciamus cui pietatem, et cui correctionem debeamus. Sed quoniam quidam sciunt, sed tamen propter pusillanimitatem quæ sciunt facienda aggredi non audent, da simul, Domine, nobis spiritum fortitudinis, ut fortiter agere, et tam duris quam blandis resistere valeamus. Sed quoniam quidam etiam fortes sunt, sed tamen in angustia periculorum perturbantur, da etiam nobis, Domine, spiritum consilii, ut tam nobis quam aliis consilium rectum dare possimus. Sed quoniam rectum consilium per spiritum intellectus ministratur, da nobis quoque, Domine, spiritum intellectus, ut eo illustrati quod faciendum sit in dubiis intelligamus. Sed quoniam intellectus per participationem veræ et æternæ sapientiae confertur, da nobis secundum tuarum, Domine, assistricem sapientiam, ut sciamus quid acceptum sit coram te omni tempore.

Sequitur pars tertia, in qua ostendit qualis Christus erga alios esset futurus, demonstrans eum futurum Judicem subtilem et incorruptum defensorem bouorum, persecutorem malorum, justos et fideles sibi conjuncturum. Judicem subtilem eum futurum demonstrat, cum dicit: *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Ac si diceret: Non secundum exteriorem superficiem, sed secundum interiorem conscientiam judicabit, juxta quod scriptum est: Homo videt in faciem, Deus autem intuetur cor (*I Reg. xvi.*). Vi-

sus enim humanus persæpe fallitur, dum non interiorius, sed tantum exterius videt. Hinc est quod multoties judicat hominem justum qui injustus est, et e converso et opus rectum, quod perversum est, vel e converso. Humanus quoque auditus similiter fallitur, dum nescius cogitationum vel intentionum, ex quibus præferuntur verba, tantum exteriorem vocem attendens, judicat verbum verum, quod falso est, vel bonum, quod malum est. Hinc est quod judicare in hoc seculo multum periculosum est. Quamvis enim judex neminem intendat fallere, tamen multoties fallitur, justificans damnandum, vel damnans justificandum. Ille Dominus nos monet, dicens : « Nolite, inquit, judicare, et non judicabimini (*Luc. vi.*) ». Et Apostolus : « Nolite, inquit, judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium (*I Cor. iv.*) ». Judicem incorruptum Christum fore demonstrat, cum subdit : Sed judicabit in justitia pauperes, id est causam pauperum, circa quam omnes sere judices mundani corrumpuntur. Alii enim corrumpuntur contemptu, ita quod causam pauperum tanquam sibi inutilem audire contemnunt. Unde Isaías : « Puerillos non judicant, et causa viduae non ingreditur ad eos (*Isa. i.*) ». Alii vero, et si eam audiunt, tamen corrumpuntur munere, vel favore, vel amicitia, vel metu parentum, ne eam juste judicent. Contra quos Psalmista : « Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Judge ego et pupillo, humilem et pauperem justificate (*Psalm. lxxxi.*) ». Alii vero, et si istis non corrumpuntur, corrumpuntur immoderato motu misericordiae, dum contra reætitudinem justitiae per misericordiam pauperi conferunt quod per invidiam diviti auferunt. Sed qui judex sedet, non debet agnoscerre faciem in judicio, sed a cupiditate, a favore, a metu, a contemptu, ab amore, ab odio, a misericordia et invidia alienus esse debet. Unde Dominus Moysi : « Non consideres in judicio personam pauperis, nec honores vultum potentis (*Levit. xix.*) ». Non consideres personam pauperis miserando in præjudicium divitis, nec honores vultum potentis ei favendo in præjudicium pauperis. Talis prædictus est a propheta Christus futurus, qui in judicio personam non agnoscat, sed omnes etiam pauperes æque judicet, non parceus pauperi prave viventi, nec damnans divitem recte viventem. Unde scriptum est : « Deus potentes non abicit, cum et ipse sit potens (*Job xxxvi.*) ». Quod vero foret defensor bonorum ostendit, cum subdit : Et arguet in æquitate pro mansuetis terra, id est, potentes, injuste opprimentes mansuetos, corripit in æquitate. Unde et ei dictum est : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (*Psalm. ix.*) ». Quod si aliquando dissimulet ferre auxilium mansuetis, quandiu noscit tribulationes eis necessarias, tamen non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem (*Ibid.*). Quod foret persecutor malorum os-

tendit, cum subdit : Et percutiet terram virga oris sui, id est corripit terrenos rectitudine prædicatiois sua ab amore terrenorum, et diriget ad amorem coelestium. Et spiritu labiorum suorum, id est impietatem ab homine, et generabit in eo pietatem. Vel si inemendabilis persisterit, rectitudine sententiae judicariae damnabit ipsum impium et terrenum in æternum. Quidam etiam hoc specialiter de Antichristo dictum putant. Quod justos et fideles sibi esset conjuncturus, et in consortio eorum delectaturus, ostendit, cum subdit : Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorum renum ejus. Per lumbos enim et renes delectatio intelligitur; per cingulum et cinctorum, societas eum circundans. Erit ergo justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorum renum ejus, quoniam in societate justorum et fidelium delectabitur. Deliciæ enim illius sunt esse cum filiis hominum (*Prov. viii.*), non veterum scilicet sed novorum. Ut ergo, fratres mei, Christum delectet habitare nobiscum, imo in nobis, purgamus per poenitentiam a nobis omnem immunditiam, satagamus in nobis habere justitiam et fidem. Quoniam enim Christus in suis similibus delectatur, simus tales qualis ipse est, simus justi sicut ipse justus est, fideles sicut ipse fidelis est, mundi sicut ipse mundus est, misericordes sicut ipse misericors est, quatenus in eo delectemur et ipse in nobis, ipso largiente qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### VI. — In eodem festo.

*Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria (*Luc. i.*), et reliqua. Quinque sunt partes hujus lectionis, fratres mei : Primo enim angelus mittitur a Deo ad virginem; secundo, ingressus eam salutat; tertio, turbatam confortat; quarto, quærenti modum determinat; quinto, ipsa, suam humilitatem professa, promissum fieri optat. Primo ergo mittitur a Deo archangelus ad virginem, ministerium nostræ redēptionis ferens. Sed cum Deus omnipotens solo nutu posset nos redimere, cur placuit ei redimere nos tam laborioso et tam humili modo : ut scilicet propter nos carnem de muliere sumeret, nasceretur, nutriretur, infirmitates hominis pateretur et etiam moreretur ? Ob tres causas. Prima est, quia sic nimiam charitatem, quam erga nos habebat, melius demonstravit; dum non per alium, sed per seipsum nos redemit; nostras infirmitates suscipiendo nobis condescendit et se nobis coæquavit, et non aliud, sed seipsum pro nobis pretium dedit. Ac si aperte dicat : Amate me, quia tantum vos amavi. Secunda est, quia sic exemplum humilitatis imitandum nobis melius demonstravit, dum scipsum pro nobis exinanivit, matrem pauperculam elegit, paupertatem, abjectionem*

et persecutionem pati voluit. Ac si aperte dicat : Sequimini viam quam vobis demonstravi. Tertia est, quia sic nostræ miseriae convenientiorem medicinam adhibuit, dum genus humanum per mulierem damnatum, per mulierem salvavit, sicut caro peccaverat, ita caro purgaret, juxta illud hymnigraphi : « Culpat caro, purgat caro, regnat Deus, Dei caro. » Sicut igitur diabolus per serpentem seduxit Iulierem, et per mulierem virum, ita Dominus per angelum instruxit mulierem, et per mulierem salvavit genus humanum. Quamvis enim homo peccando Deum offendisset, et ideo ab eo juste expulsus esset, tamen quia non obliviscetur misereri Deus, prior legatum pacis mittit et pacem offert homini. In quo nos instruit, ut si quandoque aliquis nos offendendo iram Dei meruit, non exspectemus ut ab eo petamur, sed ipsi priores per legatos pacis ei veniam et pacem offeramus, ut simus filii Patris cœlestis qui cupit semper aversos a se convertere et profugos revocare. Eleganter autem angelus Gabriel, qui *fortitudo Dei* interpretatur, mittitur ad Mariam, ut pote virgo ad virginem, fortitudo Dei ad fortem mulierem. Quam exoptans et prævidens Salomon, ait : « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov. xxxi*). » Fuit quippe beata Virgo inter omnes quæ fuerunt vel erunt a principio usque ad finem fortissima, quæ prima et sine exemplo carnem, sexum et ætatem vincens, virtute mentis conservavit in nobilitate humilitatem, in paupertate honestatem, in conjugio virginitatem. Et ideo etiam ei datum est ut sine exemplo in virginitate habere fecunditatem. Solet enim nobilitas expugnare humilitatem, paupertas honestatem, conjugium virginitatem, virginitas fecunditatem. Propterea admirabilis beata Virgo fuit; quæ quamvis de regia stirpe nata esset, quamvis ab angelo salutata, quamvis gratia et benedictione repleta, quamvis mater Dei electa, tamen in tanta sublimitate nescit elevari (ut quidam faciunt), sed potius se ancillam fatetur et subjectam. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Rursus quamvis esset paupercula, quamvis fabro desponsata, quamvis plebeia et ignota, tamen non se contempsit, non per in honesta effluxit, ut quidam pauperes faciunt, tanto diffusius quanto occultius, sed potius in paupertate honestatem conservavit et sanctitatem. Rursus, quamvis esset conjugata, quamvis tenera puella, tamen nuptialibus lenociniis non fuit irretita, sed potius in conjugio servavit virginitatem. Sic ergo meruit etiam in virginitate singularem habere fecunditatem, et ut non qualemcumque, sed etiam ipsum Filium Dei generaret. Admirantur igitur et æmulentur eam nobiles, ut videlicet ad exemplum ejus discant in nobilitate observare humilitatem. Admirantur et æmulentur eam conjugati et conjugatae, ut ad exemplum ejus discant in conjugio observare castitatem. Admirantur quoque et æmulentur eam virgines, ut ad exemplum ejus discant habere in virginitate fecunditatem, non fecunditatem carnis

(hoc enim solva virginitate non possunt), sed secundum fidem et honorum operum, ut scilicet Christum per fidem in corde concipient, ac per bonam confessionem et operationem pariant. Merito quippe ipsa beatissima virgo Maria nuncupatur, quæ *stella maris* interpretatur. Est enim quasi quædam lux, et quasi quædam stella prævia nobis, in magno et periculo hujus mundi pelago navigantibus, suo exemplo nos ducens, suis virtutibus nos illuminans, suis intercessionibus nobis auxilians. Si ergo, fratres mei, si malignus spiritus nos infestat, si caro nos tentat, si mundus nos oppugnat, ad Mariam respiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus.

Secundo, ingressus angeus ad Mariam, eam salutat. Quo ingressus? Aestimo quod in cubiculum, vel in aliquem locum secretum, ubi sancta Virgo clauso ostio orabat ad Patrem suum. Hinc discant virgines nostræ thalami secretum diligere, non publicum frequentare, non per plateas curiose discurrere, non vele videri et videre, ne forte sicut Diana concupiscantur et opprimantur (*Gen. xxxiv*). *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Haec salutatio, fratres mei, quam Dominus per angelum facit Virginis, et per Virginem humano generi, est signum pacis, demonstratio amoris, annuntiatio salutis. Per hanc quippe salutationem a Deo Virginis, et per eam humano generi pax offertur, amor demonstratur, salus annuntiatur. Quod nos imitantes, fratres mei, quando salutamus ad invicem, salutem ex vera pace, non ex pravitatis consensu, ut quidam faciunt, de cuiusmodi Joannes dicit : « Ne ave ei dixeritis. Qui enim ei dicit Ave, communicat operibus ejus (*II Joan. i*). » Salutem ex vero amore, non ex sola itineris occasione. De cuiusmodi Dominus dicit : « Et neminem per viam salutaveritis (*Luc. x*). » Salutem ex vera salutis optatione, non ex doli et proditionis duplicitate, ut Judas. Quæ autem salus Mariæ annuntietur exponit, cum subditur. *Gratia plena*. Vocatur siquidem excellenter, et quasi appropriata nuncupatione, *gratia plena*: quoniam nihil virtutis, nihil meriti, nihil honoris est, quod in ea non abundet, et gratiae (quæ singulis sanctis sigillatim distribuuntur) Mariæ universaliter conseruntur. Sed et insuper, quod nemini unquam potuit contingere, cum gloria virginitatis gaudet etiam honore parentis, gestans intra se non qualemcumque, sed Deum, et Dei Filium, fontem omnium gratiarum, per quem gratia et veritas est, Jesum Christum. Rogemus igitur, fratres mei, matrem gratiarum, quatenus de fonte gratiarum quem parit, aliquem rivulum nobis impetrat impartiri. *Dominus*, inquit, *tecum*. *Tecum* per essentiam, *tecum* per gratiam, *tecum* per amorem, *tecum* per incarnationem, *tecum* Dominus in corde, *tecum* in ore, *tecum* in opere, *tecum* in ventre. Illi igitur qui adeo tibi familiaris est, et qui semper est *tecum*, nos, piissima domina, reconcilia, ut per te dignetur esse etiam nobiscum. *Benedicta tu*, inquit, *in mulieribus* imo præ omniibus mulieribus, utpote quæ cæterarum mulierum es reme-

dium, honor et exemplum. Remedium, quia flagella cæterarum mulierum expias; honor, quia in honestatem cæterarum mulierum honoras; exemplum, quia cæteris mulieribus viam virginitatis et omnis virtutis tui exemplo demonstras. Bene igitur benedicta in mulieribus, quæ præ omnibus mulieribus digna es benedici. Unde omnes mulieres, imo *omnes beatam te dicent generationes*. Tertio, turbatam confortat angelus. Cum audisset enim inslitan salutationem, *turbata est in sermone ejus*. Solent quippe virgines (quæ veræ virgines sunt) semper esse formidolosæ et ad subitum occursum virorum insolitorum trepidare. Timent enim pericula floris virginei, qui cito amittitur, et amissus non recuperatur. Sic igitur beata Virgo, ex subito aspectu angelii, et ex insolita salutatione, turbata est, sed non est perturbata; imo prudenter cogitabat qualis esset ista salutatio. Noverat quippe quod aliquando Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor. 11*), et sub salutatione occultat fraudem, sub commendatione, deceptiōnem. Cogitabat igitur an ista salutatio et commendatio esset falsitatis, an veritatis. Cogitabat an ex adulatione esset, an ex amore. Quod et nos cogitare debemus, fratres mei, quando aliquis nos salutat et commendat. Quod si salutatio et commendatio falsitatis est, erubescamus et contradicamus; et quales prædicamur, esse studeamus. Si autem veritatis est, non apud nos elevemur, sed Deo totum, non nobis attribuamus. Si ex adulatione est, non recipiamus, sed tanquam falsitatem repudiemus. Si vero ex amore, amicis, qui in judicio rei amatæ sæpe falluntur, non omnino credamus. Turbatam igitur et cogitantem beatam Virginem angelus (quod proprie est bonorum angelorum) confortat, et, quod maxime timorem pellere solet, proprio nomine eam vocat dicens: *Ne timeas, Maria*. Et quare non sit ei timendum, imo potius gaudendum, subjunxit: *Invenisti gratiam apud Deum*. Ac si aperte dicat: Quia Deo, non hominibus placere desiderasti, apud Deum gratiam invenisti. Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spretit eos. Unde Apostolus: « Si adhuc, inquit, hominibus placet, Christi servus non essem (*Gal. 1*). » Heu! quam vani sunt illi qui totam vitam, corpus et animam suam, expendunt propter emerendam inanem principum mortalium gloriam, quam vix habere possunt, habitam cito perdunt! Quam facilius possent invenire veram et æternam gloriam apud Deum!

*Ecce concipies, inquit, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*. De hac conceptione prædicterat Jeremias propheta, dicens: « Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdat virum (*Jer. xxxi*). » Mulierem concipere et parere filium non est novum. Sed in hoc partu novum et mirabile fecit Deus, vel in hoc quod non ex utero Virgo suscepit, sed in utero et ex utero tantum. Vel in hoc quod non per intervalla primi caro decisa est de carne matris, et post aliquot dies spiritus infusus est, sed simul concepit plenum virum, ex vera carne et vera anima

constantem, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum. De hoc codem Isaías dicit: « Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium (*Isa. vii*). » Cum autem hic tantum iste nominativus virgo ponatur, necesse est ut ad utrumque verbum referatur. In quo aperte demonstratur sicut in conceptu, ita quoque in partu, virginem permansaram esse. Et vocabitur, inquit (*ibid.*), Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*. Hic autem ait angelus: Vocabis nomen ejus Jesum: quod interpretatur *Salvator*. Quid enim aliud est nobiscum Deum esse, quam nos salvare? Et quid est nos salvare, quam nobiscum Deum esse? Per partum igitur Virginis Deus nos salvat et nobiscum est. Nobiscum est, nostræ carnis assumptione, nobiscum est charitate, nobiscum est protectione. *Hic erit, inquit, magnus*. Et vere magnus, quoniam ejus magnitudinis non est finis. Et *Filius Altissimi vocabitur*, non adoptivus, sed naturalis. Sed cum ab æterno fuerit magnus et *Filius Altissimi*, quare ait: Per futurum erit Magnus, et Altissimi Filius? Ad humanitatem, et ad hominum notitiam referendum est, quoniam qui primo parvus secundum humanitatem aestimatus est, postea Magnus aestimatus est, postea Magnus et Dei Filius esse operibus attestantibus innotuit. Hic est enim ille parvus lapis, qui excisus, est de monte sine manibus, et postea excrevit in magnum montem, et occupavit totum orbem (*Dan. ii*). Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, ut videlicet populo, in quo David regnavit corporaliter et temporaliter, Jesus regnet spiritualiter et æternaliter. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*, id est in Ecclesia, que per fidei imitationem ad patriarcharum pertinet sortem. Sectemur, fratres, fidem patriarcharum; simus Jacob, id est supplantatores vitiorum; non regnet peccatum in nostro mortali corpore, et regnabit Jesus in nobis. « In malevolam enim animam non intrabit sapientia, et non habitabit in corpore subditio peccatis (*Sap. i*). » *Et regni, inquit, ejus non erit finis*. Non erit finis potestatis et gloriae, non erit finis præriorum. Quarto, querenti modum, angelus determinat. Cum enim beata Virgo promissionibus angelicis fidem adhiberet, de modo adimptionis dubitans ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est me non cognitum proposui. Alias super hoc dubitare non deberet, utpote quæ de sponso suo concipere posset. Modum ergo determinans angelus ait: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Ac si aperte dicat: Non de virili semine concipies, sed de virtute Spiritus sancti. Sed cum superius beata Virgo plena gratia describatur, quomodo hic Spiritus sanctus dicitur superventurus? Non ut eam gratia repleret, qua jam repleta erat, sed ut eam sancto et miro modo gravidam efficeret. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Virtus Altissimi potest dici vel Spiritus sanctus, juxta illud quod Lucas ait: « Vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtutem ex alto (*Luc. xxiv*) ; » vel ipse Filius, juxta quod Paulus vocat eum « Dei virtutem et sapientiam »

(*I Cor. i.*) . Ait ergo : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est, *Spiritus sanctus æstum vitiorum a te excludet*, ut *habitatio munda in te Dei Filio præparetur*. *Vel certe virtus Altissimi, id est Filius Dei, obumbrabit tibi*, id est *obumbraculum carnis accipiet in te*. *Quia enim immensitatem divini fulgoris infirmitas nostrorum oculorum contemplari non posset*, ideo *Sol justitiae Jesus Christus sese velavit earne*, ut sic quodammodo melius eum *contemplaremur sub nube*. Ideoque videlicet, quia non ex virili semine, sed ex *Spiritus sancti virtute concipies*, *quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, id est ille qui *nascetur*. Non enim per hoc *relativum, quod, sola caro, sed persona significatur*. Neutrū tamen *positum est*, ad *majorem rei expressionem*. Si enim dixisset ille *sanctus homo*, vel *ille sanctus vir*, parum dixisse videretur, sed ait *illud sanctum*; ac si aperte diceretur: *Ille in quo nihil nisi sanctitas, nihil nisi bonitas est*.

*Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Postquam beatæ Virgini gaudium suum nuntiatum est, nuntiatur ei et gaudium cognata et amica sue, ut ita gaudium gaudio cumuletur, et ut ad mutuam matrum visitationem et congratulationem, infantes quoque sancti in sanitatis uteris congratulentur. Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis. Ac si ei dicatur: Sicut cognata tua te præcurrit concepido, ita filius ejus tuum præcurret prædicando et baptizando. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum; ac si aperte dicat: Non solum partus virginis, vel anus, vel sterilis, Deo est possibilis, imo etiam quidquid hominibus videtur impossibile, Deo est possibile, evi facilius est quidquid vult facere quam nobis verbum proferre, et propter hoc dictum est potius omne verbum, quam omne factum. Non ergo desperet quæcumque anima sterilis, quoniam licet per totam vitam suam fructum bonum non fecerit, speret tamen in Domino, qui in senectute, et etiam in extremo articulo vitae, peccatores ab omni bono opere steriles respicit, et per pœnitentiam fructificare facit. Quinto, beata Virgo suam profitetur humilitatem dicens: Ecce ancilla Domini. Ecce, fratres mei, beata Virgo, quamvis gratia plena, quamvis Mater Dei et Domini nostri electa, tamen solam profitetur in se subjectionis humilitatem, nec hoc sola voce et fictione (ut quidam faciunt), sed corde et opere. Unde et statim post annuntiationem angelicam surgens (ut in sequentibus continetur) vadit salutare et obsequium præstare Elisabeth, Mater Dei, matri hominis, mater Regis, matri servi. Quod est contra plerosque nostrum, fratres mei, quos si quandoque nostris simulationibus Ecclesia decepta, et Deopermittente, ad aliquam administrationem ecclesiasticam promoverit, nostris meritis hoc ascribimus, et nostræ fragilitatis oblii cæteros contemnimus, immemores Domini exempli (*Matth. xx.*), qui non ministrare, sed ministrari volumus, nosque non patres, sed dominos demonstramus, numerum equo-*

rum, acervum divitiarum, mutatoria molium vestimentorum nobis aggregamus, cum pompa gloriaque procedimus, et in alto sublimati mortales videre dedignamur, quod facientes non humilitatem quam Dominus demonstravit nobis, sed superbiam diabolicam imitamur. Deinde beata Virgo per desideratum et deprecatum verbum desiderat tota mente et deprecatur adimpleri promissum cum subdit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, quod est contra temporem quorundam nostrum, fratres mei, qui ad aternas et beatas Dei promissiones torpescimus, cum tamen ad promissiones temporales inardescamus: Certe si aliquis rex temporalis promittat nobis honores et divitias vanas, eas cum toto desiderio non differri optamus et postulamus. Et ecce Deus promittit nobis aeternum et beatum regnum, promittit nobis coelestia bona, « quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit (*I Cor. ii.*), » et ad illa torpescimus et negligentes sumus. Ut quid hoc, nisi quia temporalia nimis ardenter amamus, et coelestia bona, vel non credimus, vel contemnimus? *Fiat*, inquit, *mihi secundum verbum tuum*. *Fiat mihi et in me Verbum Patris, secundum verbum tuum*. Et ecce, gloriosa Virgo, desiderium tuum adimplesum est. Secundum enim angelicum verbum, Verbum Patris factum est in te et tibi, imo et mihi et omnibus qui in eum firmiter credunt et sperant, qui eum ardenter diligunt, qui ejus mandata faciunt. Sed ecce, piissima domina, dum hoc facere volumus, inimici nostri qui animabus nostris insidianter, nos impeditunt, et in partem suam trahere volunt. Sed tu, domina, materna pietate pro nobis servulis tuis esto sollicita. Si nos tentat dæmon, juva; si nos tentat caro, juva; si nos tentat mundus, juva: imo semper juva, quatenus potentissimis intercessionibus meritisque tuis adjungi, ad aeterna gaudia pervenire mereamur, per Filium tuum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæculorum. Amen.

#### VII. — In Nativitate beatæ Mariæ Virginis.

*Ecce ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis* (*Ecli. xxiv.*), etc. Hæc verba, fratres mei, verba sunt sapientiae non mundanae, quæ reprobatur, sed illius quæ ex ore Altissimi prodiit, et per quam Deus Pater mundum creavit et redemit. Hæc itaque tanquam piissima mater, ad ubera dulcissima doctrinæ suæ nos invitat. Et hoc modo. Primo, se fructiferam demonstrat. Secundo, nos ad se invitat. Tertio, qualis ipsa sit, dicit. Quarto, quam ipsa sit utilis, ostendit. Primo igitur demonstrat se fructiferam esse, cum dicit: *Ego quasi vitis fructificavi*, etc. Ac si aperte dicat: Non sum sterilis sicut mundana sapientia, quæ non generat nisi morte, sed sicut vitis fructificavi per prophetas, per apostolos cæterosque sanctos, qui mihi adhærent tanquam palmites viti. Porro vitis tria habet: nullum tibi fructum

reddit, nisi diligenter excolas. Exculta vero dabit tibi flores suaviter olentes et fructus inebriantes. Divina quoque sapientia nihil tibi proderit, nisi eam cum summo studio et labore excolueris. Pigros enim et somnolentos odit. Unde et ipsa clamat : « Beatus qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie (*Proverb. viii.*). » Exculta vero dabit tibi flores redolentes, et fructus iebriantes. Cum enim divinæ sapientiæ cœperis designanter invigilare, incipiet paulatim te magis ac magis suo mirabili odore delectare et allicere, et tandem suo mirabili sapore inebriare, et mentem tuam a terrenis ad amorem cœlestium alienare, ut possis dicere cum Propheta : « Et calix tuus inebrians, quam præclarus est ! » (*Psal. xxii.*) Hoc musto erant ebrii apostoli in die Pentecostes (*Act. ii.*). Hoc musto usque hodie sunt ebrii viri spirituales, qui sola invisibilia desiderantes, omnia terrena tanquam stercora aspernantur, unde quasi stulti et amentes in hoc sæculo reputantur. Inebriat quidem et calix Babylonis, id est sapientia mundanæ cupiditatis, quosdam. Sed calix iste non est præclarus, quoniam non illuminat mentes hominum sicut divina sapientia, sed potius eas excæcat, et in foveam æternæ damnationis præcipitat. Et quid fructificavisti ? *Suavitatem odoris*, et flores suaviter olentes, videlicet virtutes et opera earum, quæ sanctos ita reddunt famosos, et bonæ opinionis, quod etiam absentes et remotissimos delectent. *Et flores mei fructus honoris et honestatis*. Ac si dicat : Flores mei non sunt inanes et inservitiosi, quemadmodum flores mundanæ et carnalis sapientiæ, de qua dicitur : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri. Exsiccatum est fenum, et cededit flos, verbum autem Domini manet in æternum (*Isa. xl.*). » Sed flores mei, id est virtutes et bona opera, quibus meos florere facio, generant fructus honoris et honestatis, id est vitam æternam et beatam, ubi nullus honorabitur sine honestate, et nullus honestabitur sine honore, sicut in hoc misero sæculo, ubi multi habent honorem sine honestate, et multi habent honestatem sine honore. Deinde qui sunt illi flores, et qui sunt illi fructus apertius exponit, cum subdit : *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei*. Dilectionem Dei et proximi cæteris virtutibus preponit, ideo quia ipsa est causa omnium virtutum. Quam et pulchram vocat ad differentiam carnalis dilectionis, quæ plerumque turpis et foeda est. Cui etiam adjungit timorem, quoniam diligere debemus cum timore, et timere cum dilectione. Sed quia nec vere diligere, nec vere timere possumus, nisi quid sit diligendum et quid timendum agnoverimus, adjungit agnitionem, id est fidem, quam ideo agnitionem vocat, quia per eam solam agnoscimus quid timere et diligere debemus. Quibus etiam adjungit spem, quoniam inutiliter diligimus, inutiliter timemus, inutiliter Deum credimus, nisi in eum sanctam, id est firmam, spem habeamus *In me*, inquit, *omnis gratia viæ et veritatis, in me om-*

*nis spes vitæ et virtutis*, id est vitæ æternæ, quæ semper est virtuosa et virens.

Sequitur pars secunda, in qua Dei sapientia nos ad se invitat cum subdit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Tria dicit, videlicet qui, et quomodo, et qua utilitate ad eam accedamus. Qui ? concipientes. Unde et Danieli divina secreta per angelum revelantur, quia vir, inquit, desideriorum est (*Dan. ix.*). Negligentes enim et tepidi, ad veram sapientiam venire non possunt. Quomodo ? transeundo, a malo scilicet ad bonum, ab ignavia ad probitatem, a somnolentia ad vigilantiam, a vitiis ad virtutes, a temporalibus ad æterna. Soli enim Hebrew, id est transeuntes, carnes agni digni sunt manducare. Et Redemptor noster se discipulis vindendum promittit in Galilæa, id est in transmigratione. Qua utilitate ? *A generationibus*, id est fructificationibus meis *implemini*. Porro vera sapientia mentem reficit; mundana vero sapientia non reficit, sed inflat. Unde et bene significatur per silicas sonoras, inflantes, non reficienes, quibus filius prodigus cupiebat implere ventrem suum, et non poterat (*Luc. xv.*). Quoniam sæcularis sapientia garrula est et inflativa, cibus magis pororum quam hominum.

Sequitur pars tertia, in qua divina sapientia ostendit qualis ipsa sit. Ostendit autem se esse dulcem, se esse æternam, se esse desiderabilem. Sane se esse dulcem ostendit, cum dicit : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum*. Si aliquid dulcius invenisset, illud posuisset. Et quidem inspiratio divinæ sapientiæ in sanctis, quamvis sit particularis et umbratilis, tamen super omnem dulcedinem est. Sed quanta putatis erit dulcedo in aperta perceptione et hæreditate illius, quæ in Dei visione siet ? Se vero æternam esse ostendit, cum subdit : *Memoria mea in generatione sæculorum*. Ac si aperte dicat : Sapientia mundanorum peribit, et non erit memoria ejus, quoniam in illa die peribunt omnes cogitationes corum. At ego in æternum maneo, et mei memores in æternum manere facio. Et notitia quam habent de me in hac vita, non auferetur, imo perficietur eis in æterna vita. Se esse desiderabilem ostendit, cum subdit : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sient*. Hoc siquidem interest inter delicias corporales et spirituales, et inter terrenas et æternas, quod deliciae corporales et terrenæ, cum non habentur, magnæ putantur et desiderantur. Enim vero cum consuetæ fuerint, vilescent et in fastidium vertuntur. At contra, spirituales et æternæ deliciae, cum non habentur, nullæ putantur; habitæ vero desiderium accidunt, ita tamen quod in ipso desiderio satietas est, et in ipsa satietae desiderium.

Sequitur pars quarta, in qua divina sapientia ostendit quam nobis utilis sit, cum subdit : *Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt, et qui elucidant me vitam æternam possidebunt*. Qui audit, inquit, me, subaudi corde, et proposito obe-

diendi, etsi non habeat tempus operandi, tamen non confundetur in die judicii ad damnationem, quia auctoriter hoc consilium sapientiae, ut confunderetur ad poenitentiam. Hoc est quod ipsa sapientia Patris dicit in Evangelio : « Qui non erubuerit me nee meos sermones, hunc Filius hominis non erubet, cum venerit in maiestate sua, et sanctorum angelorum (*Luc. ix.*). » Et qui operantur, inquit, in me, non peccabunt, subaudi ad mortem, quoniam, si peccabunt, jam non operabuntur in me. Et qui, inquit, elucidant me, id est qui me verbo et exemplo aliis exponunt et explanant, vitam aeternam possidebunt. Hoc est quod alibi legitur, quoniam sicut stellæ firmamenti fulgebunt qui erudint multos (*Dan. xii.*). Porro gradus est in his tribus, sicut in merito vel in praemio. Magnum est audire corde sapientiam, majus operari secundum ipsam, maximum est verbo et exemplo elucidare aliis illam. Similiter magnum præmium accipient, qui audiunt corde sapientiam, majus qui operantur secundum illam, maximum qui verbo et exemplo explanant illam. Omnes tamen vitam habebunt semipernam. Cum itaque, fratres mei, haec verba sint sapientiae, possunt et beatæ Virgini convenire, quam ipsa Patris sapientia in singulare reclinatorium sibi prælegit, fabricavit et ornavit. Est enim tropus, qui metonymia nuncupatur, quando videlicet quod contenti est, continent attribuitur. Potest igitur beata Virgo nos ad admirationem et ad venerationem, id est ad exemplum sui, nos invitando, dicere : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, non solum exemplum sanctæ vitae et bona opinione universo mundo præbendo, sed etiam illum, cuius odore mortui resurgunt, generando. Ego enim sum illa virga de qua prædixit Isaías : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa. xi.*). » Et flores mei non sunt inanæ, sed sunt *fructus honoris et honestatis* : filius quippe meus ipse flos, ipse et fructus flos suavitatis et fructus satietatis. De ejus suavitate Isaac in persona Dei Patris ait : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen. xxvi.*). » De ejus satietate Psalmista prædixit, dicens : « Satiatione cum apparuerit gloria tua (*Psal. xvi.*). » Ipse est *fructus honoris et honestatis*, quoniam omnem honorem et honestatem et in se habet, et cui vult præbet. *Ego mater pulchritudinis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Harum scilicet, cæterarumque virtutum, non solum exempla præbendo, sed etiam illum, qui est dilectio, fides, timor et spes omnium fidelium generando. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me est omnis spes viæ et virtutis. Quoniam non solum haec in me per exemplum ostendo, sed etiam illum qui est « plenus gratiæ et veritatis (*Joan. i.*) », qui est « via, veritas et vita (*Joan. xiv.*) », qui est spes, virtus et refrigerium omnium fidelium, in meo utero gesto. *Transite ergo ad me per imitationem, qui concupiscitis me*, id est vitam, sanctimoniam et gloriam meam, et a genera-

tionibus meis, id est ab Unigeniti mei benedictionibus implemini : *Spiritus enim meus*, id est Spiritus sanctus qui singulariter in me supervenit et requiescit, super mel est dulcis. Et hereditas mea, quam scilicet habeo cum Filio meo, super choros angelorum, est super mel et favum. *Memoria mea in generatione sæculorum*, quia « ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc. i.*) ». Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. Quia quanto aliqui fideles mores et virtutes meas percipere et imitari incipiunt, tanto magis et magis eas admirabuntur, et eas magis sient. Qui audit me, per imitationem, non confundetur, et qui operantur in me, id est secundum me, non peccabunt. Et qui elucidant me, id est mores, virtutes, et sanctitatem meam verbis et factis expoununt et prædicant, vitam aeternam habebunt. Ecce, domina et mater nostra, nos minimi servi tui tuam sanctitatem et gloriam admiramus, laudamus et prædicamus, sed tamen digne imitari non valemus. Ideo potentissimis precibus tuis nos adjuva, fac nos desiderio transire ad te, fac nos fugere vitia et peccata nostra, et transire ad mores et virtutes, fac nos contemnere terrena et desiderare cœlestia, sustine nos inter tentationes carnis, inter insidias diaboli, inter tribulationes hujus mundi, quibus, te auxiliante, te duce, valeamus pervenire ad illa gaudia in quibus tu in aeternum cum Filio tuo lœtaris, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VIII. — *In eodem festo, sermo de Evangelio. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abram* (*Matth. i.*). Et reliqua. Duæ sunt generationes Domini nostri Jesu Christi, fratres mei : una aeterna, altera humana. Per illam natus est ante tempora deo Patre Deus verus. Per istam natus est in tempore de humana matre homo verus. Per illam natus est aeternaliter de Patre sine matre. Per istam est temporaliter natus de Virgine matre sine patre. Illa generatio est incomprehensibilis, ista mirabilis. De illa dixit Isaías propheta : « Generationem, inquit, ejus quis enarrabit ? » (*Isa. lxxii.*) De ista dicit hic evangelista Matthæus : *Liber generationis Jesu Christi*, subaudi, hic est. Et est hic quasi titulus exponens materia sequentis libri. Porrò quatuor sunt generationes temporales. Prima fuit nec de viro nec de femina, ut quando Deus formavit primum hominem de terra. Secunda fuit de viro sine femina, ut quando Deus formavit mulierem de latere viri dormientis. Tertia est de viro et de femina, et haec est quotidiana. Restat quarta de femina sine viro, et haec est singularis generatio Jesu Christi. Prima, et secunda, et tertia generatio fuit ad humani generis propagationem. Haec ultima quarta fuit ad ejus redēptionem. Illæ tres per inobedientiam corrueſunt; haec quarta restauravit ruinas eorum. Est igitur haec generatio cæteris major, mirabilior et nobis utilior. Major, quia maior est qui nascitur, sci-

licet Dei Filius. Mirabilior, quia mirabilius est quod Deus in forma servi de muliere dignatus est nasci quam quod servum plasmavit. Nobis utilior, quoniam utilius est nobis ad vitam æternam renasci (quod habemus per Christi nativitatem), quam ad mortem in hoc sæculo nasci per carnis nativitatem. Cum itaque de hac sola Christi generatione hic intendat Matthæus agere, cur altius exorditur multis texendo generationes? Ut videlicet ostendat Hebreis, quibus scripsit, se non cujuslibet Christi scribere generationem, sed illius solius qui antiquis patriarchis in lege promissus est. Unde et duos patres preponit, David scilicet et Abraham, quibus specialiter de Christo, de semine eorum nascituro, promissio facta est. Abrahae quippe dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen. xxiii*). » Et David : « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies sæculi (*Psal. lxxxviii*). » Unde et Jeremias longo tempore post David, et jam tendente regno Judæorum ad finem, ait : « Ecce dies veniunt, dicit dominus, et suscitabo David germen Justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster (*Jer. xxiii*). »

Exordiens igitur evangelista Christi genealogiam, ait : *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob*, etc. In hac igitur genealogia, fratres charissimi, quatuor considerare debetis. Ipsius genealogiae qualitatem, personarum diversitatem, numerum et ordinem. Et primum, qualis est ista genealogia? Admirabilis, sancta et fructuosa: admirabilis est, et in principio et in fine. Mirabiliter quippe Abraham, cum senex esset, de matre sterili et seni genuit Isaac. Mirabilius vero sacratissima Virgo Maria absque viri consortio genuit, non qualemcumque, sed ipsum Dei Filium, Deum et Creatorem suum. Prima est generatio admirabilis, quia contra naturam; ista vero mirabilior, quia supra et contra naturam. Unde bene per mirabilem virgæ Aaron fructificationem præfigurata est. Sicut enim virga Aaron cum sicca esset, sine adminiculo radicis vel humoris, mirabiliter floruit et nues protulit, ita imo mirabilius beata Virgo Maria, cum ardore Spiritus sancti omnis cupiditas in ea esset desiccata, sine exteriori adminiculo concepit et peperit. Sancta vero est ista generatio, quia sancta est radix, sanctus stipes, sanctus truncus, sanctior Virgo Maria, sanctissimus vero flos et fructus; sanctus enim fuit Abraham et cæteri patriarchæ, qui sunt prima credendi via. Sancti quoque prophetæ, qui fuerunt organum Spiritus sancti. Sancti quoque reges, qui habuerunt sapientiam se et alios regendi. Sanctior vero fuit beata Virgo Maria, quæ est templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, cella aromatum, paradisus deliciarum. Sanctissimus vero Sanctus sanctorum, Deus et Dominus noster Jesus Christus, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col. ii*), et septem spiritus missi in omnem terram. Sanctitatem hujus

generationis prævidens Isaias ait : « Egredietur virtus de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa. xi*). » Utilis quoque est genealogia nobis, si tamen sanctitatem Patrum præpositorum imitati fuerimus, si ad exemplum aptriarcharum recte vivamus et doceamus, si ad exemplum bonorum regum nos et alios bene corrigamus et regamus, si ad exemplum beatæ Virginis, munditiam, humilitatem et omnem sanctitatem habere studeamus; si Jesum Christum diligendo ut Redemptorem nostrum, sequendo et præcepta ejus faciendo, ejus redemptionis fieri participes laboremus. Per hanc enim genealogiam, misit Deus Verbum suum, tanquam hamum in carne absconditum, inter aquas humani generis, ut eo diabolum caperet, et nos ab ejus fauce liberaret. Hinc beato Job dicit : « Nunquid capies Leviathan hamo? » (*Job xl*) Subaudis, ut ego, qui, dum Filium meum tanquam hamum in carne abscondo, diabolum carnis avidum capio. Qui, dum illum, in quem jus non habebat, glutire cupit, etiam genus humanum in quo jus habere videbatur, amittit. Secundo, consideranda est diversitas personarum, quæ in hac ponuntur genealogia; ponuntur autem hic tam viri quam mulieres, tam Judæi quam gentiles, tam reges quam inferiores, tam antiquiores quam juniores, tam boni quam mali: omnes enim Christi redemptione indigebant. Et ideo de omnium genere carnem sumpsit, ut omnes redimeret. Sicut enim mali indigebant peccatorum remissione, ita boni indigebant regni cœlorum apertione, quod nisi per sanguinem Christi poterat aperiri. Sed et aliqui mali ideo in hac generatione sancta intersetuntur, ut ostendatur malitia non obesse sanctitati, quoniam, juxta prophetam, « anima quæ peccaverit, ipsa morietur, et filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii (*Ezech. xviii*). » Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. Non enim nocet bono patri malitia sui filii, si tamen prout potuit eum correxit. Nec nocet bono filio malitia sui patris, si eum imitatus non fuerit. Alias et malitia filii nocet patri negligenti, ut appareat in Heli, et malitia patris nocet filio patrem imitantì. Unde Dominus : « Ego, inquit, sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem (*Exod. xx*). » Sed nec econtrario bonitas patris prodest malo filio, imo nocet, dum propositum et proximum sibi exemplum sequi contemnit. Nec bonitas filii prodest malo patri, qui nec verbo nec exemplo eum instruxit. Tertio vero numerus attendendus est. Enumerantur hic quadraginta duæ generationes usque ad Christum. Totidem quoque mansionibus filii Israel ad terram promissionis pervenerunt. Nos quoque per ejusdem numeri sacramentum, id est per Decalogi in quatuor Evangelii, et per quatuor Evangeliorum

in Decalogo, cum gemina charitate impletionem ad terram promissionis et ad Christum pervenimus. Decalogus enim et quatuor Evangelia sine gemina charitate, Dei videlicet et proximi, non possunt nos ad terram promissionis et ad Christum perducere. Unde Dominus in Evangelio : « In his, inquit, duobus mandatis, tota lex pendet et prophetae (*Matth. xxii.*) ». Et Psalmista : « Viam, inquit, mandatorum tuorum eucurri, cum dilatasti cor meum (*Psal. cxviii.*) », subaudis per charitatem quae extenditur etiam usque ad inimicum. Quod alibi exponens ait : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tum nimis (*Ibid.*) ». Quanto enim Deum et proximum ferventius diligimus, tanto facilius et velocius mandata Dei percurrimus. Sicut igitur filii Israel per quadraginta duas mansiones ad flumen Jordanis pervenerunt, quem sieco pede mirabiliter transeuntes terram promissionis intraverunt, ita Redemptor noster per quadraginta duas generationes venit ad flumen nostrae mortalitatis, quem victoriosissime pertransiens cœlum intravit.

Nos quoque, fratres mei, per Decalogi in quatuor Evangelii, et per quatuor Evangeliorum in Decalogo cum gemina charitate impletionem, stadium hujus vitæ feliciter usque ad mortem currius; quam salvi transeuntes, in terræ promissionis desideratam requiem intramus. Quarto etiam ordo attendendus est. Ordinatur quippe præfatus numerus per tres tesserae decades, id est per quatuor denas. Prima protenditur ab Abraham usque ad David regem, id est a via credendi usque ad regimen; secunda a David usque ad transmigrationem; tertia a transmigratione usque ad Christum. In quo ordine ordo nostri profectus nostræque salvationis nobis, fratres mei, demonstratur. A fide enim quæ est fundamentum omnium virtutum, et sine qua nihil potest placere Deo (*Hebr. xi.*), viam ad Christum incipimus. Quæ non sufficit, quia « fides sine operibus mortua est (*Jac. ii.*) », sed ex ea proficiens et per quatuordecim, id est per Decalogi et quatuor Evangeliorum doctrinam, ad regnum, quo scilicet nos et alios bene regere sciamus, pervenimus. Sed nec hic debemus cessare, immo ad transmigrationem divinæ contemplationis toto desiderio

tendere; quam per quatuordecim, id est per septem doma Spiritus sancti, in gemina charitate duplicati acquirimus. Unctio enim Spiritus docet nos (*1 Joan. ii.*) interius quo tendere debeamus, et inflammat nos per verum amorem, ut toto desiderio a terrenis ad æterna, a mundo ad Deum transmigremus. Sed hæc transmigratio contemplationis ænigma est et umbratilis. « Ex parte enim hic cognoscimus, et ex parte prophetamus (*1 Cor. xiii.*) ». Unde Dominus ad Moysen : « Non videbit me, inquit, homo et vivet (*Exod. xxxiii.*) ». Propterea, fratres mei, ab hac unbratili contemplationis transmigratione ad veram Dei visionem debemus festinare, cupientes dissolvi et esse cum Christo (*Philipp. i.*). Ad quod per quatuordecim pervenimus, id est per duplex septenarium, hoc est per duplice corporis et animæ requiem, quæ in depositione hujus mortalitatis justis confertur. Unde Psalmista : « Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris (*Psalm. cxxvi.*) ». Ac si diceret: Dum sunt in hoc sæculo electi cum reprobis, filii liberæ cum filiis ancillæ simul vapulantur, affliguntur, et patiuntur tribulationes hujus mundi. Sed « cum dederit Dominus dilectis suis somnum corporalis mortis, ecce nunc datur eis hæritas Domini, filii merces fructus ventris, » scilicet virginalis. Propter hoc enim Filius Dei se humiliavit, et de Virgine natus est, ut æternam nobis mereceretur hæreditatem. Propter hoc est factus particeps vilitatis nostræ, ut nos faceret cohæredes beatitudinis sue, claritatis sue, gloriæ sue. Vilescant igitur nobis, fratres charissimi, divitiae, honores, voluptates et gloriae sæculares, vilescant nobis quæcumque in hoc sæculo videnuis, quæcumque hic possidemus, pro mercanda illa æterna beatitudine et hæreditate, per opera misericordiae distribuamus, ad illa tota mente, toto desiderio festinemus, bona vita, bonisque moribus ad illa pervenire studeamus. Quod meritis et precibus beatissimæ Virginis et Matris suæ nobis concedat Dominus et Redemptor noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

### S. IVO, CARNOTENSIS EPISCOPUS.

#### I. — *De Annuntiatione B. Mariae.*

Gaudemus in Domino, dilectissimi, et licet non quantas debemus, quantas tamen possunus, eo donante, gratias nostro referamus Auctori, ne superabundanti ejus in nobis gratiæ reperiamur ingratiti. Novum etenim Virginis conceptum nobis festivitas hodierna commendat, quæ nostræ reparationis celebratur exordium, certumque proponitur divinæ pietatis et potestatis judicium. Si enim rerum Dominus, fugitivos servos requirens, judicium exercere, et non pietatem exhibere veniret, nequaquam

vasis lutei hujus fragilitatem, qua nobis compati, et pro nobis pati posset, indueret; et quamvis hoc ipsum stultum et infirmum juxta vocem Pauli (*1 Cor. i.*), videatur gentibus, inanis philosophie ratione nitentibus, secundum leges creaturæ de Creatore judicantibus: quid tamen potentius, quam contra jura naturæ Virgini conceptum dare, et per mortem carnis assumptæ, mortalem substantiam ad immortalitatis gloriam revocare. Unde est illud Apostoli : « Quod infirmum est Dei fortius est hominibus (*ibid.*) ». Sapientes denique judicamus me-

dicos corporalium segititudinum, qui neverunt pro qualitate morborum similia similibus apponere. Quanto prudentior hic medicus, qui venit genus humanum, servata proportione medicinæ, non tantum in corpore, sed etiam in anima de omni corruptionis hujus servitute liberare? Venit enim in similitudine carnis peccati, ut per omnia tentaretur pro similitudine absque peccato, quatenus in quo tentaretur et vinceret, vinceendi gratiam tentatis de celo ministraret. Opposuit etiam novitatem suam vetustati nostræ, justitiam suam injustitiae nostræ, obedientiam suam inobedientiæ nostræ, humilitatem suam superbiam nostræ: quatenus qui superbendo, inobediendo, a florigera sede beatorum decideramus, per ejus humilitatem atque obedientiam reformati quandoque ad paradisi gaudia redeamus: et hoc est, quod ait Apostolus: « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. » Stultum enim est visum sapientibus hujus sæculi, quod qui in forma Dei erat per formam servi voluit humiliari, Dominus a servis reprobari, conspici, colaphizari et occidi; sed haec stultitia facta est nobis a Deo magna et incomprehensibilis sapientia: quoniam vita perdite reparatrix nobis exstitit medicina. Potuisset utique lapsibus humanis alio modo divina subvenire potentia, sed tanquam bonus orator istis modis et auditorum circa se comparare, et suam apud auditores benevolentiam voluit commendare, quæ minus appareret, si invisibilis omnino permanens, recusasset ab omnibus videri, et inter homines conservari. Interrogemus nosipsos, clarissimi, si nobis æterna haereditate privatis, et in obscurissimo carcere positis, regia vel aliqua compotens persona, regio decore deposito, sic nobis condescenderet, ut tanquam unus ex nobis nostræ captivitatis ærumnas toleraret, quatenus opportunitate inventa nos ab ipsa captivitate liberaret: qua ratione posset melius et suam nobis dilectionem intimare, et nostram erga se excitare? Unde per se ipsam Veritas dicit: « Magorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Ioan. xv.*). » Simili itaque ratione Dominus noster, medicus noster, liberator noster, descendit ad servos suos, captivos suos, humilis et sublimis: humilis compatiendo, sublimis de servitute diaboli potenter liberando. Quicunque ergo in Christo vocati sumus, hujus tam jucundæ, tam necessariae liberationis admiranda initia præsentí festivitate nobis ad memoriā revocata, toto mentis intuitu consideremus, toto mentis affectu diligamus, debitib⁹ obsequiis honoremus, quatenus de jucundis et admirabilibus principiis mirabiles et jueundos exitus exspectare mereamur. Fit hodie porta cœli virginis uterus, per quam Deus descendit ad homines, ut eis ascensus præberet ad cœlum. Audit enim miraturque beatissima Virgo filium se esse paritaram, quæ virilis amplexus penitus se esse sciebat ignaram; sed confortatur ac informatur ab angelo, qua virtute, quo merito posset in ea compleri, quod in

aliis mulieribus non patitur natura fieri: « Ne timemas, inquit, Maria: ivenisti gratiam apud Dominum (*Luc. i.*); tanquam si diceret: Quod tibi prounatio, non habet jus naturæ, sed donum est incomparabilis gratiæ. Unde sequitur: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*ibid.*). » Non enim, sicut quidam fatui et erronei cogitant, Spiritus sanctus in ea vicem exhibuit seminis, sed quia tanta ei divini concessa est vis amoris, quæ ita illam mente et corpore inviolatam custodiret, ut nullus ei concupiscentiæ carnalis æstus prævalere posset: sola meruit eligi, de cuius immaculato corpore corpus immaculatum sibi aptaret, qui ante tempora prædestinatus est Filius Dei in virtute. Unde et eidem beatissimæ Virginis dicitur: « Quod enim ex te nasceretur sanctum, vocabitur Filius Dei (*ibid.*). » Oportebat utique esse sanctum, quod pro sanctificandis peccatoriis erat offerendum. Decebat quoque ut vitio careret ejus generatio, per quam purganda erat filiorum Evæ vitiosa generatio. Tria enim mala Eva sequacibus suis intulit, videlicet, ut viris subjectæ essent, et in delicto carnalis concupiscentiæ conciperent, et in dolore filios parerent (*Gen. iii*). In hoc vero conceptu, nulla carnalis concupiscentiæ delectatio sese admiscauit, ubi maritante foris verbo per auditum Virgo Verbum concepit, et fecundante Spiritu sancto, ejusdem cor Virginis in thalamo virginali divina se sublimitas in unitate personæ, nostræ humilitati sociavit. Hoc splendore Dei Filius concipitur, hac munditia generatur. Nulla potuit fieri tristitia concipienti, nulla difficultas parienti: qui enim læticare venerat triste sæculum, contrastare non debuit ventris hospitium. Sicut ergo omni corruptione caruit iste conceptus, ita, quidquid haereticæ garriunt, in concipiendo et pariendo Virginis uterus permansit intemeratus. Quod indubitanter cognoscere potest, et rationabiliter aliis approbare mansuetudo Christiana, transumptionem faciendo de minoribus ad majora, de prioribus ad posteriora. Si enim solis radius crystallum penetrans, nec ingrediendo perforat, nec egrediendo dissipat: quanto magis ad ingressum vel egressum veri et æterni Solis, uterus virginis clausus et integer perseverat? Sic ille rubus ardens, et non combustus, in typum virginitatis intemeratae Moysi sancto legitur esse demonstratus (*Exod. iii*); sic idipsum præsignans virga Aaron summi sacerdotis, nec succo animata, nec semine fecundata, quod natura non habuit, flores fructumque produxit (*Num. viii*). Quæ ergo ratio est, ut non credatur Deus hominem posse facere sine viro de femina, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de femina? (*Gen. i.*) Nimirum veram humanitatem testatur conceptus et partus humanus, et veram divinitatem comprobat uterus intemeratus. Continetur in hoc conceptu, fratres clarissimi, magnum et mirabile sacramentum, quo delecto prævaricationis chirographo, divina confederantur et humana, sicutque duo in carne una Chri-

stus videlicet et Ecclesia. Cujus conjunctionis quasi thalamus, uterus virginis exstitit, de quo, disser- sis novem mensibus, secundum legem parientium, cum uxore sua, id est carne nostra, tanquam sponsus e thalamo prodiens, tabernaculum, id est carnem assumptam in sole posuit (*Psalm. xviii.*), quia carnem suam, per quam debellatur erat hostem, visibilem cunctis exhibuit. Factus est itaque per condescensionem nostrae humanitatis tanquam lac parvulorum, qui iu sublimitate sue divinitatis panis est angelorum. Per carnem enim suximus majestatem. Sie nimur piae matres lactescentem in se solidum cibum per ubera ministrant indigentiae parvolorum, fitque in iis per ubera ut jam non egeant uberibus, quando confortati per alimoniam lactis, idonei siant ad conterendam solidam escam panis. Ita quoque reparator ac nutritor noster longe a se remotos in regione dissimilitudinis alere voluit lacte sue incarnationis, quo crescere nos ficeret ad suavissimum et ineffabilem gustum sue divinitatis, qui tamen quandiu per spem ambulamus, et non per speciem (*II Cor. v.*), nulli quamlibet mundo corde plene conceditur, sed perfecta ejus satietas, cum gloria Domini manifestabitur, in æterna justorum retributione servatur, quia nulla possibile est viatori possidere in peregrinatione, quod ei promittitur in perventione. Haec igitur, fratres charissimi, sedula meditatione pensemus, hanc inæstimabilem Dei suavitatem tota mentis aviditate gustemus, considerantes quæ et quanta sint quæ promittuntur in cœlis, ne a bravio supernæ vocationis cursum nostrum revocent ea, quæ cœcis et cupidis mentibus appetenda videntur in terris. Diligamus misericordiam, per quam redempti sumus cum perdití essemus. Conservemus castitatem, cuius amatorem se esse monstravit qui de caste mulieris visceribus immaculatum sibi corpus aptavit Conformemur ei, qui vitam suam in terris regulam nobis proposuit Christianæ conversationis, qui primo adventu suo voluit nos intus ad imaginem suam reformare: secundo vero, etiam reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## II. — *In Purificatione S. Mariæ.*

Consuetudo ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet similitudines, quibus et rerum gestarum repræsentat veritatem, et simplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hunc est quod ad recordationem Dominicæ passionis in Ecclesia cruces erigimus, quod tempore Ascensionis vexilla, triumphum Christi significantia, in eminentiori loco ecclesiæ, tanquam in arcu triumphali sublimamus, quod sanctorum miracula, vel martyria picturæ imaginatione recordamur. Ex hujusmodi consuetudine hoc inolevit, ut hodierna festivitate fideles populi cum cereis luminaribus ad ecclesiam procedant.

et eadem benedicta in missarum solemnitatibus sacerdotibus offerant. Novit enim vestra fraternitas, quod secundum evangelicam historiam Dominus Jesus quadragesima die a nativitate sua, hoc est, hodie a parentibus in templum est delatus, et ibi a sancto Simeone susceptus, et benedictus in templo est præsentatus (*Luc. ii.*). Hoc hodierna festivitate sancta repræsentat Ecclesia. Sicut enim sanctus Simeon in manibus accepit infirmitatem, sed intus agnovit majestatem, infidelitatis nostræ tenebras interiores illustrantem: sic quisque fidelis hoc sacramentum repræsentans, cera in manibus portat, quasi carnem fragilem, sed superferri videt lucem, exteriores hujus aeris tenebras illuminantem (*Joan. iv.*). Sicut enim caro Christi de mundissimo et bono odore virtutum referta carne processit, et nec in concipiendo, nec in egrediendo matris integratam violavit: sic cera quæ hodie gestatur fidelium manibus, de mundis et odoriferis floribus collecta, fructus est apis, virginis videlicet animantis, cuius, sicut legitur, sexum nec masculi violent, nec fetus quassant. Cum ergo eam sub hac significatione portamus, Christum portemus in ore, Christum portemus in corde, Christum portemus in manibus, ut dimissi in pace, cum Simeone sancto salutare Dei videre mereamur. Vultis scire quomodo Christum portetis in ore? Ipse de se dicit: « Ego sum veritas (*Joan. xiv.*). » Sit ergo in ore vestro veritas, absit falsitas, absint vaniloquia, et turpiloquia, et erit in ore vestro Christus. Sit in corde vestro charitas, et erit ibi Christus. Sic enim dicit in Epistola sua Joannes: « Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan. iv.*). » Sit in operibus vestris innocentia, ut nemini quidquam suum auferatis. Sit justitia, ut cuique quod suum est, tribuatis, et habebitis in manibus Christum. Ipse enim nobis factus est a Deo, et justificatio et justitia (*I Cor. i.*) Hunc ergo vobis ad ecclesiam apporate, hunc vobis reportate: et habebitis Christum vobis. Sic enim monet sanctus apostolus Paulus: « Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor. vi.*). » Quid est Deum portare? Imaginem Dei repræsentare, Christum imitari. Hanc imaginem portat innocentia, portat justitia, hanc portat veritas, hanc portat castitas, hanc portat sobrietas, et omnis honestas. Sicut enim portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (*I Cor. xv.*). Deponentes ergo veteris hominis lutulenta negotia, abjiciamus opera tenebrarum, et exerceamus nos in operibus lucis, ut videntes opera nostra bona, glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est (*Matth. v.*). His virtutum ornamenti exornemus domum cordis nostri, ut Deum inhabitatorem habere possimus. Sic enim hodie sub typo sponsæ sancta monetur Ecclesia: Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem regum Christum. Admonitio ista, ornamenta desiderat morum, non palliata vestimenta murorum, ut in sanctis moribus castæ mentis amator requies-

cat Dominus, sicut in ornato thalamo delectabiliter requiescit sponsus. Unde etiam in Evangelio (*Luc. XII*), jubemur lumbos præeingere, id est carnis fluxa frenare, et lucernas in manibus tenere, id est, proximis lucis exempla monstrare, ut parati inven-

niamur convivio cœlestis sponsi interesse, et cum eo sine fine gaudere. Quod nobis misericorditer præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui pro nobis dignatus est temporaliter nasci, ut per eum possimus in æternitate renasci.

## V. GUIBERTUS, ABBAS.

### LIBER DE LAUDE SANCTÆ MARIE.

#### CAPUT PRIMUM.

*Se laudantes nusquam aspernatur B. Virgo.* — Feminam illam super omnes creaturas post Filium, et per Filium benedictam, omnium creaturarum sub Dei cultu dignissimam, labiis omnino fidelibus, licet minus idoneis, prædicemus. Cujus præconio cum dignitas supercœlestium inefficax aestimetur, multa tamen experientia cognitum est, quod in ejus conspectibus laus hominum atque devotio gratissima habeatur. Nec id injuria. Cum enim se hominem negare non possit, homines, pro quorum potissimum utilitate talis facta est, et talis enituit, quomodo, non dico contempnere, sed omnibus creaturis præcordialis non amare possit? Et amplius, quæ enim humano generi ad hoc proposita, imo præposita est, ut Deo gignendo sufficeret, unde aliis mendicis consuluit, inde primo sibi ipsi redēptionis origo fuit, in quo ergo sibi primitus fuit, in aliis non amabit? Et quæ gloriā, quam habuit in Dei Filium pariendo, exæquavit meritis nulli a sæculorum initiis usque ad fines speranda credendo, quomodo non ineffabiliter aggaudeat fidei nostræ, quæ ipsum Deum habet Filium pro præmio fidei suæ?

*Ejus fides.* — In cujus conceptionis denuntiatione, illud miraculi ullis ingenii comprehendendi non prævalet, quod puella, et meticulosa sexu, et inusitata ætate, cum sibi angelus insolita et inaudita sponderet, fidem tanta dare celeritate potuerit; quod certe non aliter valebimus compensare mirando, nisi hanc primum intellexerimus inter omnes homines unice nutritam a Spiritu sancto. Nisi enim, plusquam humana consuetudo patitur, divinum, majesticumque quiddam ipsa ab ineunte ætate ingeniolo suo concretum cognosceret, tanta facilitate non crederet. Tanta enim excellentia promissorum in vanitati subjecto corde non caperet. Ubi quippe nulla præcesserint munia meritorum, spei magnæ emolumenta non suppetunt. Quis ergo homo perpendicular, imo excedens hominem que angelica natura conjiciat, quæ fuerit puritas, quod pondus, quæ gloria illi ut, ita dicam, cœlesti conscientiæ innutrita, quæ nullis sibi præmissis Scripturarum exemplis, nullis similium a sæculo eventuum imaginibus

exhibitatis, tanto verborum privilegio sinum sue crudelitatis expanderit?

Si Saræ, si Manue et uxori ejus, quod ad rei huius comparationem usitatissimum erat, vix astrui, vix credibile videri potuit, isti juvenculæ rerum omnium præsertim muliebrium inexpertissimæ, unde tanta, ex tam simplicibus verbis angeli, tam propere fides ingeri valuit? Si Moyses post tot divinorum efficaciam signorum, qui cum Deo facie ad faciem quasi homo ad proximum loquebatur, ad contradictionis aquas distinxit in labiis suis, de cuius excellentia dicitur: *Quia mitissimus esset omnium qui morabantur in terra* (*Num. XII, 5*), pro cuius derogatione adversus Aaron motus Deus Maria lepra percusserit, quid putamus ex quam infinito sanctitatis fonte processerit, quod non cuiuscunque, sed divino conceptui, ac si semper præsagitum sibi fuisset, aurem ista adeo obtemperanter, animumque aperuit? Certe ipse Zacharias Joannis pater, legis prophetarumque doctissimus, dum filii sibi eximia cœlitus enuntiaretur origo, miserabiliter hæsit. Isti, quod ex Spiritu Virgo, non mulier ex marito conciperet, dicto celestis stetit; cui sententiæ concinit quod ei ab angelo plenitudo gratiæ prædicatur, nisi enim divinæ in ea virtutis ad integrum copia confluxisset, nunquam bonorum omnium universitatì Dei Filio concipiendi obedientiam, quod ineptis mentibus fabulosum vide-retur, impenderet. Ex munere enim supernæ infusionis, quod a primævo singulariter inolitum sibi erat, non est, tali stupefacta de nuntio, sed omnimodum totius divinitatis exuberantiam, quasi ab æterno cognitam, gratauerit exceptit, quam ad hoc ipsum Spiritus sanctus semper imbuerat.

*Quam excellens fuit illius angelo assensus.* — Dicenti plane angelo: *Ecce concipies et paries* (*Luc. I, 31*), nunquam, quomodo posset fieri quia virum non cognoscebat, objiceret, si se ex sponso quem videbatur habere concepturam sciret. Quis ergo istic conjecturam pro tam insolita interrogatione non sumat, quod ex veteri mirabilis gratiæ experientia virginitati perpetuae inservire delegisset, quæ ex præsentि, cui jam credita fuerat viro, se paritum minime reputasset? quia enim novæ gratiæ principium ipsa erat, plane competens fuerat, ut novæ

specialitatem professionis haberet, quæ novi gignendi genere auctorem totius sanctæ novitatis exponeret. Non igitur angelus cor in ea rude aut imparatum reperit, cui cunctis tunc viventibus adeo inseparabilia [f. insperabilia] nuntiavit, quibus tanto fidelius assensum præbuit, quanto humana natura eminentiorem inesse sibi affectum sensit.

*Gratiam dat Deus sanctis ad mensuram.* — In aliis sanctis mentibus spiritualium et charismatuni particulariter mensuræ, non plenitudines in præsenti sæculo prærogantur. Pro quo e regione dicitur quia in futuro erit Deus omnia in omnibus (*I Cor. xv, 28*). Si itaque nunc in eis omnium virtutum scintillæ interemicant, tunc integræ per omnes sine ulla lumenis interpolatione coruscant: quod enim dicitur: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan. iii, 34*), ad Filium pertinet, cuius totus spiritus ipse est. Quod autem unicuique secundum propriam virtutem, ad hoc utique quod fidelibus supernæ distributiones, juxta Apostolum, pro fidei mensura donantur (*Ephes. iv, 7*), cui simillimum est quod de incomparabili prorsus et benedicta hac Virgine et creditur, et prædicatur. Ipsi plane nihil ad mensuram est præbitum, cum eum, qui apud Patrem totus erat, Virgo mirabilis intra septa uteri tulit totum.

## CAPUT II.

*Deum in se totum substantialiter continuit B. Virgo.* — Super qua re questio se infert omni contemplatione dignissima. De nullo sanctorum sentire aut dicere audemus quod in illa beatitudine sempiterna, nemus in hac mortali vita, enjuscunque excellentiae sit, Deum substantialiter totum in se habeat, etsi enim omnis intra quemlibet virtutis congeries inesse perfectissime aestimetur, nulli tamen divinitatis universitas essentialiter, ut est infusa, dignoscitur. Quod quippe dicitur futurum Deum omnia in omnibus, nihil aliud est, nisi quod Deus, qui quosque sanctos per singulas quasque virtutes in hoc mundo nobilitat, tunc universos universitate gratiarum perfundendo collustrat. Aliud ergo est exuberare gratia, aliud ineffabiliter incomprehensibili repleri substantia. Quæ utraque singulariter benedicta de qua agimus femina sic habuit ut et plenitudine gratiae redundaret, et incircumscripsum inter omnes creaturas sola, non in suo solummodo, ut cæteri, munere, sed totum in seipso portaret.

*Status ipsius in hac mortali vita præstantior quam in cœlo.* — Unde queritur, et a nobis debita humilitate pensatur, utrum sacrosanctissima illa in mortalibus adhuc constituta membris, Deum gestando plus habuerit, quam nunc habeat filio in cœlestibus coregnando; quod plane sic posse sentiri sine præjudicio intelligentiae verioris existimo, quod in corruptibili carne multo magis plus habuerit, cum plenitudo divinitatis in se corporaliter habitaret (*Col. ii, 9*), quam nunc habeat, licet christo suo correguet, quævis enim omnibus potentius creaturis feliciter vivendo persentiat, non tamen illud, quod in modo omnium gratiarum ac gloriarum abundan-

tissima, imo cunctis præstantissima ubertate jam possidet, statui illi, ut mihi videtur, comparari valebit; quo licet mortalis totum in se continuit quod Deus est. Aliud est nempe in quo totus resederit; aliud, quamvis beatissime, quod particulariter implet. Illam itaque ineffabilem Mariam ex quadam parte, dum Deum concipit, beatiorem in præsenti dixerim, quam existat in futuro, ea penè imparitate, qua pars distare putatur a toto. Cui namque personæ, præter istam, attribuas, ut in ea se Deus totum personaliter contulerit? Ne in futuro quidem reperies, in quem coagulum inaccessæ illius maiestatis effecerit. Si enim Deo nihil est beatius, et illi beati dicuntur, ut sunt pauperes spiritu, ut sunt mites (*Matth. v, 3, 4*), quos virtutis alicujus splendor illuminat, quid in cœlo terraque eo corde et ventre felicius, quo se ad integrum illius creatricis essentia omnipotens summa coaggerat?

*Objectionibus occurrit auctor. Sapientissima potentissima probatur Virgo beata.* — Sed ad hæc jam resipiscat animus, et ipsius sacrosanctæ pueræ ignorantias, et quasi communes ei imbecillitates objectet. Dicat itaque: Cum ergo ipsa Deo concepto omnia pueri futura scire debuerit, toties ad Joseph edocendum angelus vexari non debuit. Occurrat igitur econtra memoriae, quod ab archangelo inter annuntiandum dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 35*). Et quid fuit illud obumbrare, nisi illius incircumscripiti luminis immensitatem obtutibus mentis obtexere? Virtus plane Altissimi obumbrat, cum sanctus Spiritus, cuius speciale donum est humilitas, in conspectu rationis interioris gloriae claritates extenuat. In conspectu ergo illo sicut nulli comparabilis exstitit dignitas, ita dignitatis potentiam non dissimilis aliis obnubilavit infirmitas. Unde et alibi dicitur: *Pone quasi noctem umbram tuam* (*Isai. xvi, 3*). Quasi, inquit, non vere, non enim quo lucemus, sed quo tenebras scimus debemus attendere. Non igitur forsitan quidpiam ignorare potuit, quæ Deum omnia sapientem genuit; quæ tamen et sapientia, pariterque ex Deo carni suæ unito potentia, tanta dispensatione delituit ut sibi nec scire, nec posse deesset, cum tamen opportuno tempore interim virtus contexta serviret, sicut enim in puero Jesu sapientia, ætas et gratia apud Deum et homines pedentini coaluit (*Luc. ii, 52*), ita et in matre, exolescente Filio, et propalante per doctrinam et signa quod erat, qui quid in ea præter naturam factum nesciebatur, apparuit. Processu sane temporis, et cœptæ efficientia dispensationis, et matris imbecillitas, et nati ignobilitas mirabilis mysteriorum revelatione perpatuit. Quodam denique modo fragili sexui et ætati, si dicere audemus, lubricæ parsum super isto putamus, dum ut virtus immodica in animo tolerari potuerit corporis tenuitate, sub egestate domestica, scientiæ etiam et exterioris conversationis generalitate temperatur.

Exacto itaque a temporali miseria Filio, et glo-

riosa Mater fidelium omnium opinione eximitur : et potuit siquidem ipsa similia nobis pati, et corporis obstaculo ab omnimoda scientia, quod Deus est, intercludi, et unde tamen intercluderetur, cui semper absque dubio quod pepererat præscriptum animo tenebatur? Si propter sui exinanitionem, formæ servi acceptancem, crucis obedientiam super omne nomen exaltatur Filius, cum ejus contumelias et mortem maternus dissimulare non potuisset affectus, suppar quodam modo Filio matri successit effectus. Sicut enim gloriam in Filio præcessit humilitas, sic Matris humilitatem, quæ redundabat a Filio, nimirum est subsecuta sublimitas: cuius gloria interior quo magis intrinseca, tanto sicut Deo contemplando subtilior; et lampas ejus quo apud cogitationes divitium despiciunt, eo ad statutum Filii sui tempus paratior. Unde ipse *Tempus*, inquit, *meum rondum advenit* (*Joan. vii.*, 6).

Capro igitur emissario in solitudinem emisso, et ipsius Matris pedibus luna supposita, et in idem traducta desertum, ejus iam rite magnificentia, et ex Filio, et post Filium omnipotentia multiplicibus aperitur ostensis. Ipsa in sanctorum visionibus, et signorum efficacia, ex coelestium spirituum apparitione, hominum patrocinio, inferorum exactione, Reginam se cœli terræque ex suis circumstantiis ubique propalat. O ab intus gloria! o quam respexit Deus ancillæ singularis humilitatis! Si eum jam perpendas qui pertransivit animam tuam gladium (*Luc. ii.*, 35), multo avidiore lætitia uteri tui exsultabis ad fructum! O ineffabilem vere etiam angelicis rationibus feminam, quæ adhuc carnali septa pariete illud incomprehensibile lumen tulit, quod neque humanus, neque cœlestis spiritus, non dicam totum tolerare, sed etiam pavidere non possit! videre enim suum qualiterunque Creatorem etsi permittitur, comprehendere tamen omnimodis ac pavidere negatur. Hinc est quod desiderant in eum angeli prospicere (*I Petr. i.*, 12), dum propter sui incomprehensibilitatem non cessant insatiabiliter inhiare.

Pensemus ergo, dum eum ista concipit, quam excellentius omni creatura viderit, dum portare datur quod nulli licuit, unde illud mirabiliter sensum est, quod non cognoscebat eam donec pareret (*Matth. i.*, 25). Ab eo enim statu quem ante conceptum facies ejus habuerat, tantum prægnantis forma distabat, quantum a lunariis radiis solaris potentia; si enim de justo dicitur, quia exhilarat faciem in oleo (*Psalm. ciii.*, 15), id est exteriorem suum habitum clarificat de Spiritu sancto, quis putatus illius gloriosæ feminæ de ingenita majestate splendor accesserit, quæ excedens decorem angelicum gloria eluxerit? Si Stephanus inter concilio considentes tantopere divinitus illustratur (*Act. vi.*, 15), ista ex plenitudine divinitatis cui lumini comparatur?

### CAPUT III.

*Thronus est eburneus Salomonis. — Hæc est thro-*

*nus quem fecit Salomon de ebore grandem: et vestitus eum auro fulvo nimis (III Reg. x, 19).* Sapientia Dei Patris primum, juxta apostolum, pacifica (*Jac. iii.*, 17), ipsa est Salomon, que thronum de ebore sibi facit, dum sedem in Virgine, qua nil unquam fuit castius, sibi ponit. Elephas enim, cujus ossa sunt ebur, continentis ac mundæ naturæ est. Porro grandem, nimirum ex Filio cœlis, terris, et inferis præsidentem. Hunc auro fulvo nimis vestit, cum eam non virtutum scintillis ut alios, sed ipsa substantialiter propria divinitate interius exteriusque inficerit. Qui habebat sex gradus, et summitas throni rotunda erat in parte posteriori (III Reg. x, 19). Sex gradus sunt timor et pietas, scientia, et fortitudo, consilium et intellectus, quibus pervenit ipsa ad eum, qui sibi specialiter præsedid sapientiam Christum. Summitas throni, singularis eminentia est Genitricis Dei. Hæc rotunda est a parte posteriori, quia humanis usibus despabilis, dum adviveret, quasi fabri uxor, jam nunc ubi solus Deus videt, supparem quodammodo prodigiis se ostendit omnipotentiae Dei, dum trinam machinam, ut prælibavimus, potentialiter circumpletebit.

*Et duæ manus hinc et inde tenentes sedile (ibid.).* Duæ manus, duæ sunt in Christo operationes. Operatio carnis licet fragilitati primum addicta sit, tamen ea est quæ dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (Matthew. xxviii., 18).* Operatio divinitatis: *Quia per ipsum facta sunt omnia, et sine ipso factum est nihil (Joan. i., 3).* Hæc utraque operationes, pro una persona pariter hinc et inde ipsam, quæ gignere meruit, dignitate debita roborantes, æquas et secundum Denim et secundum hominem, quia unus est, habent vires. *Et duo leones stabant iuxta singulas manus (III Reg. x, 19).* Leo super carnis motus regium in quoque fideli dominium signat. Duo leones itaque duo sunt prælatorum et subditorum seipso regentium ordines Ecclesiæ. Juxta singulas manus duo leones stant, cum quidam eorumdem ordinum actualiter sanctæ illi humanitati inherenter. Aliqui summæ contemplationi incumbendo præminent. Unde est: *Aestatem et ver tu plasasti (Psal. lxxiii., 17),* id est contemplativos et actuales tu instituisti.

*Duodecim leonculi stantes super sex gradus hinc et inde (III Reg. x, 20).* Per duodenarium fide Trinitatis instructi, et quatuor Evangeliorum impletione quadrati. Hi leonculi penes alios innocentes, et sui ipsorum rectores super sex gradus stant, cum sese sex virtutibus prædictis roborant. Hinc et inde sunt quia pro captu suo quique in alterutram partem se deflectant. Unde de utraque dicitur: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (Psal. cxx., 6).* Quod est: Ex divinitate gloriæ, et splendoris nimietas tibi contemplanti non obserbit. Porro humanitas Christi, si sis minus perspicax, non officit. Non est tale opus in universis regnis; quia neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terra tale quid contigit, ut Deus dignaretur non angelos, sed

uterum Virginis formam apprehendendo Abralce A via est, et ad intelligentiam veri luminis vergit, seminis.

#### CAPUT IV.

*Porta orientalis apud Ezechielem xl., 6.* — Hæc est apud Ezechielem etiam porta illa, quæ respiciebat ad viam orientalem, et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem. O porta, per quam Deus ad nos ingreditur! o porta, qua fidei mysteria reteguntur! Speciosa, inquam, porta per quam Dei civitas aperitur. Hæc respicit ad viam orientalem, quia quidquid ipsa est, quidquid in ea actuun est, nil aliud quam divini luminis indicat actioneum. Cum talis illa inter feminas benedicta a nobis credatur. Ecce mox dum sic amat, Dei gloria per ipsam viam ingreditur, quia quo magis eam totius venerationis internæ ulnis amplectimur, tanto a nobis evidentius celsitudinis ejus honor agnoscitur; is enim non commutando, sed amando penetratur.

*Et vox ei erat quasi vox aquarum multarum (Ezech. xlIII, 2).* Illi Deo Israel, quod interpretatur cum Deo directorum, hæc femina gloria est, quia dum consideramus ex quanta eam Deus humilitate provexerit, quid in ea fecerit, in his ejus excellentiæ contemplationibus mens nulla non deficit. Ipsi gloriæ vox est ac si aquarum multarum (*Psalm. xcII, 4*), quia cum una sit scientia hanc semper esse virginem et Dei matrem, tamen pro diversis et diligentium et amantium qualitatibus, quandiu præsens volvetur sæculum, non deerunt qui ejus gratissimam et verbis et scriptis promulgatur sint laudem.

*Ecclesia illustratur Maria.* — *Et terra splendebat a maiestate ejus (Ezech. xlIII, 2).* Exclude Mariam ab Ecclesia, quid erit Ecclesia nisi miseris? si ipsa non genuisset, que redempcionis mentio extitisset? At quia genuit, vide quis in omnium piorum mentibus florulentissimus gloriæ spei decor emerit. Et quis ille adeo inter Christianos miserabilis, qui vel ore non præferat, qui non periculis objiciat nomen Marie mirabilis? Dum ergo tantæ ejus maiestas geniturne, licet cogitari plene non possit, attenditur, eo Ecclesia splendore respergitur, quia idipsum unde honorata tantopere constat, ad auspicium, ad propagationem, glorificationemque Ecclesiæ omnimodis retorquetur. Ipsa est terra, cui dicitur: *Dei agricultura estis (I Cor. III, 9)*, et infra:

*Et cecidi super faciem meam (Ezech. xlIII, 5).* Super faciem cadimus, cum a magnitudine benignitatis a Christo impensa, in conscientia erubescimus. *Quid retribuam, inquit, pro omnibus quæ retribuit mihi? (Psalm. cxV, 12).* Majestas ingressa est templum (*Ezech. xlIII, 4*), dum digno pudore concutimur: quia nil dignum Matri et Filio retribuemus. Majestas Dei templum ingreditur, quia in consideratione nostra quid Deus in Virgine pro nobis fecerit, affectuissime ampliatur. Per viam autem portæ quæ respicit ad orientem templum intrat (*ibid.*), dum per fidem dispensationis in Maria factæ, quæ singularis

*Et levavit me spiritus (ibid., 5).* Levat nos spiritus, cum ex repleione conscientiæ, quod est templum, in eminentiam contemplationis promovetur intellectus. *Et introduxit me in atrium interius (ibid.).* In atrium interius introducimur, cum ad præcordiales divinæ charitatis amplexus admittimur. Exterius autem charitas est proximi; quo enim magis Filii ex Matre humilitatem, et Matris ex Nato potentiam inspicimus, tanto amplius in eorum amore exardescimus. Unde subditur: *Et ecce repleta erat gloria Domini domus (ibid.).* Gloria Dei ratio accipitur in sacra pagina cœli terraque concretio, sed potius pro nostra salute in hominem divinitatis inducio. Unde psalmus cum Deum mirabilia fecisse diceret, expressit: *Salvavit sibi, inquit, dextera sua (Psalm. xcVII, 1)*, subaudis genus humauum. Et illud: *Inhabitaret gloria in terra nostra (Psalm. lXXXIV, 10)*. Nihil enim de Deo gloriosius, quam quod apud infideles de eo est vilius, apud bonos humilius, apud omnes salvandos utilius. Gloria autem est frequens cum laude alicujus opinio. In quo ergo Deus nobis erit gloriosior quam ex eo quod nobis exstitit, non sine suis doloribus immensis inflexio? Conscientiæ ergo domus, postquam in cubiculum Regis, quod est atrium interius, introducimur, subito sancti Spiritus illapsus divinarum misericordiarum recordatione gloriabunda, tunc vere repletur, quia nil ad nos invisendos Dei Spiritum magis provocat quam quod mens sui Redemptoris labores, et dona recognitat. Post aliqua quoque addidit:

*Converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris, et erat clausa (Ezech. xlIV, 1).* Via portæ consideratio est Mariæ; sanctuarium exteriorius, corporeæ virginitatis ipsius decus. Hæc clausa est, omnis pudicitiae circumstantia communia: quæ non aperitur, quia nulla ulli titillationi ex parte discingitur. *Vir non transit per eam (ibid., 2)*, quia nulla maritalis intentio cadit in eam. *Dominus Deus ingressus est per eam, eritque clausa principi (ibid.)*, quia etsi divinitas penetrat matris conscientiam, ipse idem, qui nascendi de Virgine princeps est, non immunit castitatis custodiam. *Princeps ipse sedebit in ea ut comedat panem coram Domino (ibid., 3)*. Sedere regnantis est. In ea itaque sedet, qui in eam, virginitate illesa, ut rex naturarum introiit. Ibi panem coram Domino comedit, quia electos omnes in eodem utero sibi incorporavit. *Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (Joan. iv, 34)*. Quod est coram Domino. *Per vestibulum portæ ingreditur, et per viam ejus egreditur (Ezech. xlIV, 3)*, cum per humilitatem, quæ proprie sanctorum animos vestit, Virgo gravidatur; et post exhaustum idem sacrarium sub eadem via, id est intentione, vita transigitur. Sub qua enim vilitate se egerit, teste est Evangelium, cum defertur ad templum parvulus officio parentum.

*Clarius omni creatura Deum videt et cognoscit. —*

Post plurima quoque subjungitur : *Porta atrii interioris, quæ respicit ad Orientem erit clausa sex diebus (Ezech. xlvi, 1).* Atrium interius, id est quod in Deo diligendo potissimum fervet intrinsecus. Porta itaque atrii interioris ipsa Virgo puerpera est, per quam fit nobis aditus divinae agnitionis : a nemine enim scitur, a quo non diligitur. Porta ergo atrii interioris est, per cuius praecordialem amorem ad purissimæ fidei excurrimus intellectum, qui ipsius fidei fructus est, ex quo sentimus quomodo sub eadem persona, et quid Deus et homo est. Porro etiam porta atrii interioris ipsa est, quæ non tam prius quam omnium excellentius ad summam Dei notitiam intromissa est; et quo ipsa spiritu sensit, per eumdem id ipsum nobis sentire causas dedit. Hæc respicit ad Orientem, quia quo nullus mortalium, imo nulla creaturarum rationarium vix scintillare prævaluit, illuc ista, in Deum videlicet auctorem luminis liberrime mentem fixit. Hæc clauditur sex diebus in quibus opus fit, quia conceptionis ejus mysterium, ex qua introitus ad vitam homini patuit, omnem in praesenti sæculo naturam (quod significare sex dies assolent) latuit et latebit. Cujus si corrigiam solvere dignus non est, quo major in natis mulierum nullus est, quis putas interim dñm advivitur dignus est?

*De visione beatifica.* — *Die autem Sabbati aperietur. (ibid.)* Si sex diebus præsens sæculum, in quo persecutorum habemus exercitia operum, per Sabbatum intelligitur requies animarum, in qua clausæ portæ tunc mysterium aperitur, quia carnis dimoto pariete, quod per speculum et in ænigmate nunc cernitur, magna ex parte perspicitur : quo enim absque solitis suis integumentis simplicior, eo noster spiritus non soluin ad secretorum notionem, sed et ad ipsam fit Dei visionem acutior. *Sed in die Kalendrum aperietur (ibid.).* Dies est aperta Dei et omnium divinorum comprehensio. Unde Paulus : *Sequor autem si comprehendam, tuncque cognoscam sicut et cognitus sum (Philip. iii, 12.)* Kalendæ vero, quæ a convocatione sunt dictæ, diem significant regenerationis nostræ; in qua sine dubio sicut animæ, sic corpori dum cumulabitur plenitudo gloriæ, ad integrum quoque præbebitur scientia Christi incarnationis in Virgine, et dispensationis in homine. In hac igitur interni luminis omni moditate aperitur, dum quidquid de ejus divina et humana natura sciendum est, scitur.

*Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis (Ezech. xlvi, 2).* Vestibulum potest intelligi corpus nostrum; quia veluti domus prætexitur vestibulo, sic anima carnis obstaculo. Cuius via est sensualitas ipse, quæ licet corporalis sit, tamen in incorruptibilitatem impassibilitatemque versa, quanto spirituali potentia jam præeminet, tanto, si dicere audeam, in subtilitatem rationis per vim resurrectionis acuminata, purius Dei faciem contemplari prævalet; et quanto forasticis distensionibus caret, tanto ad unum collecta, ei cui introrsum inhiat immutabiliter

etiam exterius hæret. Porta autem deforis, ipse est aditus et exitus virginalis; sicut porta intrinseca egressus intelligi potest de secreta essentia Patris. Princeps ergo intrabit per viam vestibuli portæ deforis, cum per ipsos non jam passivos corporis sensus penetratur virtus, ac veritas virginea conceptionis. Sequitur : *Et stabit in limine portæ (ibid.).* Limen portæ summa est virginalis obedientiae, in qua princeps tunc stabit, cum per divinitatis potentiam, quæ motis omnibus, semper stat, virginem se secundasse, et quo modo per Spiritum sanctum eam secundaverit, virginemque dimiserit iose monstrabit.

*Et facient sacerdotes holocausta ejus; et pacifica ejus (ibid.).* Holocaustum totum incensum est. Holocausta ejus per sacerdotes fiunt, cum in consideratione illius ex virgine humanitatis tam mirabiliter assumptæ, reges jam et sacerdotes a Deo facti iniramur, et Auctorem omnium angelis minorum tulisse, perpetuis desideriorum æstibus nequaquam ardere desistiimus. Pacifica ejus, id est principis, pariter fiunt, cum sancti immutabili contemplatione hujus tantæ dulcedinis, et imperturbabili jam securitate quiescent.

*Obedientia ex humilitate, humilitas autem ex adversitate probatur. — Et adorabit super limen portæ, et egredietur (ibid.).* Limen portæ superius obedientiam diximus, quæ obedientia dici non potest, nisi ex certa humilitate firmetur; certa autem humilitas tunc esse solummodo noscitur, quæ ex emergenti adversitate inter obediendum probatur. Sieut plane limen portæ instar fundamenti subsidit, et cunctis intrantibus pervium constat, sic ineffabilis Virgo licet alias prorsus inimitabilis habeatur, super huc pene solo universorum exemplo proponitur.

In anteriori tractu vehemens miraculum existisse probavimus, quod ad tam insuscipitibilis cunctis promissa mortalibus sine exhortatione morosa, sine ullius oblatione exempli, illius benedictæ juvenculae inflecti valuerit adeo celeriter animus. Cui quidpiam non minus mirum in hac ipsa obtemperacione subnectimus. Si communibus virginibus ex nobilissimis quos essent sortituræ maritis, filii nobiliores futuri præsagio aliquo sponderentur profecto eis, et marium voluptas insignium, et gloriosa posteritas indubie blandirentur. At vero istic summe dispariter : quæ enim, ut supra disputauit est, mentem perpetuae virginitati addixerat; quæ etiam quamvis specie tenus in jus virile jam cesserat, unde, queso, tam facili oratione obtemperare sic potuit? quæ certe humanitus, etsi non aliorum, tamen ejus qui maritus videbatur scandalum timuit. Cuius tactuum nescia, in eadem participatione, non fuit : quæ res cum quanto latuerat, tanto in hujus traductione secreti more humano sollicitare debuerat. Ubi ergo nihil quod carnaliter eam delectaret in conceptu suberat, imo tantum mysterium necscientibus suspicioni aut probro patet; mira ejus obedientia sub hac humilitate probatur, quæ in tam

passibili, immo angelica castitate, totius popularis infamiae omnimodis incuriosa videtur. Quos enim animos magis munit pudicitia, eo gravior etiam super rumore falsissimo atque rarissimo vexare consuevit verecundia. In quo tamen ejus fides vel maxime super hoc approbatur, quæ et Dei promissa quanta- cunque forent, sicut incunctanter creditit, sic ea ipsum ordinate, honeste ad sæculum ac competenter moderaturum pariter scivit. Princeps ergo super hoc limen adorat, cum affectuosissime venerandam tante humilitatis obedientiam omnium menti Christus insinuat. Juste enim honorari meretur, quæ et super se creditit, et in eo quod sibi promittebatur nihil carni placitum, sed quo spiritualiter potius præemineret, attendit.

## CAPUT V.

*Beata Virgo gratia haud ad tempus sed continuo plena ostenditur.* — Sed quispiam infideli deterior objicere poterit quod puellam illam rerum divinarum prorsus insciām, quasi perfuntorie ad tempus Spiritus sanctus impleverit. Quod si ita est, quæso quid est quod apud Deum gratiam invenisse dicta est? Plane si invenisse dicitur, inveniri dici non potest, nisi super eo quod quæsitum intelligitur. Ergo si gratiam invenit, quoquomodo quæseriat; et quæ est ancilla toties in psalmis, ac Evangelio dicta, si a quovis obsequio exstitit otiosa? Non possum exprimere ancillatum, qui aliquem suo Domino aut dominæ non rependit famulatum. Plurima est procul dubio ancillæ humilitas, quam Deus tanto- pere dignatur, ut eam respexisse dicatur. Si ergo humilitas meritum est, et non populariter bonum, sed excellentissime bonis aliis præeminens est, quam respexisse Deum probatum est, ad subitum eam sanctum Spiritum imbuuisse quomodo verum? Quod si temporaliter ut in Balaam prophetante, et asina loquente, ac angelum vidente (*Num. xxii, 23*), miraculum actum est, insensibiliter Christus conceptus est, quod summa Genitricis ac Geniti indignitas est. Apud Suetonium legitur quod in somnis sit claudio cuiquam imperatum, ut ad Vespasianum Cæsarem iret; pollice dextri pedis ejus clunem Ihesum impeteret, sique gressuum æquitatem attin- geret, quod et factum est. Si igitur ante conceptum Virgo de Dœo aut parum, aut nil sapuit, quid Vespasiano et claudio plus habuit?

Si parasse lucernam dicitur Christo suo (*Psal. cxxxii, 17*) Deus, illius non paratur animus, ac uterus, quo se pariendum universaliter contulit ipse Christus? Et ipsius certe Elisabeth justitia vetus in Evangelio non tacetur, quæ cum ipsa prole propheticō spiritu adimpletur, et isti etiam intentio ante conceptum religiosa detrahitur? Si propheta Emmanuele vocat, quod est *Nobiscum Deus*, nec ab ullo non creditur; angelus qui post Ave ei præcinctus, *Dominus tecum* (*Luc. i, 28*), ergo mentitur? Et quæ Dei amoris ei ignorantia inerat, si cum exuberantia gratiæ Dominus ei comes erat? Si Dominus ipse vadit parare mansiones, id est locis mansio-

rum mentes, fuitne ante verba angeli vita Virginis ita divini saporis expers, ut quod in aliis, omnino ad comparationem hujus minoribus negotiis non negat, sibi ipsi matrem coaptando non præbeat? Si philosophicæ mentis est in mediis frequentiis so- litudinem sibi facere, et tamen ex comitatu rationis solam esse non posse, quod putamus repurgium Filius Dei in illius feminæ corde fecerit, quomodo, ne ad momentum quidem, ab ejus illustratione recessit, quam ad futurum suæ propriae et totius Christianitatis honorem maternitatis ascivit? Et quomodo vel ad punctum ei, ex quo genita est, defuit, qui quod ex ea sumpturus erat, Verbo, quod ipse est, ante etiam secula counivit? ipse enim in Apocalypsi dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi* (*Apoc. xiii, 8*).

Ubi quoque notandum quod non dicitur *Ave gra- tia implenda*, sed *gratia plena*. Nec minus attendendum, quod priusquam conceptum ipsi, partimque denuntiet, gratiæ ei plenitudinem inesse docet, ne post enuntiationem conceptus quisquam au- tumet ea gratia de repente profusam, quam non habuerit ante horam. Et certe fides præveniente gratia ex libero maxime arbitrio constat. Unde ergo beata ab Elisabeth quia crediderit, dicitur (*Luc. i, 45*), si fidei admirandæ meritum nullo in ea jure prædicatur? Quid quod ab eodem angelo ante illius denuntiationem pro qua venerat causæ, inter mulieres benedicta vocatur, nisi quod in hoc ejus, ut sic dicam, idoneitas ad suscipiendum Dei Filium principali singularitate notatur? Quod si ab ignava et cæteris morem gerente virginibus puella tanta res exigitur, non majoris gloriæ esse videtur quantum ad Virginem spectat, quam quod apud Isaiam super Cyro fiendum præsagatur: quibus dictis subjungitur: *Accinxī te, et non cognovisti me* (*Isai. xlvi, 5*). Non quoque quidpiam majus quam quod in virgis Moysi et Aaron celebratur, quarum altera effigiatur in colubrum, altera expressit amygdalum, si sibi hæc gratia erupit ad subitum, quid exinde beatitudinis ejus attigit autnum, ubi nec in interiori ejus gloria tanti boni novitas futura præliserit, et expleto officio in modum scintillæ destiterit? Si sic pectus gessit a primævo stolidum, quid est quod tam moraliter cantat deponi sedes potentium, et exaltari humili? (*Luc. i, 52*.) Plane si tanta fa- cilitate conciperet, mysterium eorum, quæ apud se secundum quod objicitur, tam inopinata suscepereat, puellari forsitan futilitate jactaret, non, juxta Evangelium, conferendo servaret (*Luc. ii, 19*). Ergo mater Samson pro ejusdem nascituri reverentia cæromoniis addicetur (*Judic. xiii, 13, 14*), et Aucto- ris omnium mater subito instar dementis arripitur?

*Quare B. Virgo in salutatione angelica turbatur* — Ad hoc etiam considerandum quod, angeli salu- tatione præmissa, subjicitur: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio* (*Luc. i, 29*). Nota verborum qualitatem nostris et pene universorum inusitatam moribus.

Laudari tantopere se, et ab eo quem angelum induisse noverat, audit. Et quae causa motus, quae causa turbarum? Etsi mirari potuit, ut putatur, turbari non debuit. Res est quae viris etiam sanctissimis meltum argute subripit, ut cum videlicet ab instabili non sine adulatione aliquoties vulgo laudantur, illico illuc pene praecordialiter inflectantur. At vero istae omni mirabilius est quod angelus per se undecunque verax, ex divina ei etiam sententia proloquitur, et tamen super tanta testimonii latione turbatur.

Est ergo rei hujus attentiori animo contemplari materiam. Perfectissimi boni natura est, quo ampliori amore virtutis inuestuat, tanto sibi miseria frigilitatis, aut perminimae noxae cujuspam, cui subjici adhuc se aestimat, in consideratione redundat: nec perpendit quid habeat, sed cui necessitati subjaceat. Et cum divini instinctus sapore nectareo interius irremissis pascatur, nequaquam de his quae adjacent gratulatur, id potius tantillum quod adhuc videntur officere, lamentatur. Unde David se crebro egenum et pauperem (*Psalm. LXXXI, 4*). Jeremias clamat: *Ego r̄ videns paupertatem meam (Thren. III, 1)*. Plane alter audierat: *Inveni virum secundum cor meum (Act. XIII, 22)*, alter procul dubio; *Priusquam exires de vulva sanctificari te (Jer. I, 5)*. Et tamen uterque quibus se humilitatibus addixerunt in promptu est. Joannem non latebat quidquid ab archangelo pene ipsi Christo supparia de se dicta fuerant, et tamen verbo ac opere, quo humilia poterat praefebat.

*Quanto quis sanctitate sublimior, tanto in se humilior.* — Sed impossibile videtur aliquibus ut cum aliis meliora quis gesserit, deteriora de se sentiat. Quod exemplis facilibus sic probatur. Vides homines pecuniarum avidum, gazis exuberare sublimibus, et nulli utilibus exundare divitiis. Qui quo eas multipliciores attendit, eo se ad habenda proripieus animo agentiores festinat, et habita non appetiatur dum habendis aspirat. Quo ergo est ditior pauperem se reputat, dum aliena affectat. Et aliorum vide quispiam in gestu amorum, in directione missilium, in vocum discrimine, in anfractibus aut choraulica disciplina, et, ne morer, omnis non solum qui in qualibet utili, sed qui vexatur in arte ludicra, ex sua, quamvis ignobili, intumescere consuevit, et se aliis etiam honestis preferre scientia. Si igitur avarus quasi ex copiis pauperascit, virtutis amor tractus interna dulcedine quanto amplius apud se suo intuitu inanescit? Si enim verum est, quod est, quia ubi intenderis ingenium, ibi valet, quia quisque aut vera, aut falsa intentione se debriat, in ejus rei studio ceteris praestare se putat. Dum enim ad hoc solum oculum dirigit, in quo vel inaniter sibi quasi praeminentem videtur, dum aliorum utilitatibus despiciendis supersedet, ex propria arrogantia deponentur.

*Summae in B. Virgine humilitatis ratio.* — Sunt itaque valentissimi et illustres, qui quo sunt scien-

tiores, scientiae se aestimant agentiores. Quibus est philosophicum illud: « Hoc tantum seio, quod necno. » Porro qui alias contemptui primus duxit, sublime omne quidquid est, videt. Unde et verbum quod est despicer, id est deorsum aspicere dicitur, quia infra se aspicit quos contemnit. Virgo ergo omni creatura excellentior, insolito archangeli favore turbatur, quae quanto copiosiori apud se merito coornatur, tanto sibi indignior ex sua quasi inutilitate putatur: ipsa enim quae singularius omni angelo ac homine Domini pedibus, juxta illud Mosaicum, appropinquavit, specialius ceteris de ipsis doctrina accepit, quae non nisi humilitatem Filii sui verbo ac opere sonuit, ab eo enim nitis esse ac humilis corde didicerat. Cujus plenitudinem gratae antequam nasceretur ex ipsa combiberat.

In angelii itaque non visione, sed sermone turbatur, quae nihil eorum quae ferebantur, in se haberi omnimodis arbitratur. Nec putas quod ipsam etiam sibi virtutem humilitatis ascribat, quam respexit Deum dicat, sed humilitatem (*Luc. I, 48*), non nisi sui ipsius vilitatem appellat. Turbatur, inquam, cuius laus etiam superna non penetrat conscientiam. O infinitum robur animi, cui si vellet, certe non posset archangelus adulari! o beatissimae insolens robur, qua etiam ex ipsis Dei approbatione vexatur; sed licet coram Deo apud se dum efferi se ardit, pudorem unde turbatur pia patiatur intentio, cogitat tamen qualis sit ista salutatio (*ibid., 29*), virtus enim insensata nec dici, nec potest esse. Que etsi quod laudatur exhorrere non cessat, accidentes tamen ex meritis causas sub divina agi aliquoties dispositione retractat. Que plane Dei sapientiam paritura fuerat, non ad stolidum sapuit, sed in discutiendis divinarum ordinationum eventibus fuit ex ipsis mirabiliter humilitate subtilis, quod etiam et est, et competit in omnibus sanctis viris; etsi neque beatissima illa statum suum parvipendere videbatur, non tamen inane aestimabat, quod peculiariter super omnes in se divini amoris munere gerebatur. Nisi sane quae intra se agebantur ad liquidum discerniret, compos virtutis intimae nullatenus esset; que contuendae suae menti adeo majestativa auctoritate praesedit, ut fiducia suae incomprehensibilis, cuius sibi conscientia, munditiæ dicto citius angelicæ legationi subscriberet.

*Gratia pro remissione peccatorum sumitur. Secundum Platonem prius creantur spiritus quam corpora.* — At vero elabi non debet quid sit quae illi praedicatur affore gratia. Quae etiam ejusdem gratiae plenitudo. Gratia pro remissione ponitur peccatorum, ut est in apostolicis litteris: *Gratia, inquit, et pax vobis mutuplicetur (I Petr. I, 2)*. Remissis enim peccatis pacificamur Deo. Si de peccato vel originali, vel actuali ejus agitur, per sanctum qui ei ex utero coaluit Spiritum, id purgatur. Si via Deo per quam ad cor veniat cuiusque fidelis parari jubetur, mater cui se generandum contulit squalori et incu-

riæ dimitetur? verbo gratia. Certe si secundum Platonicam sententiam spiritus nostri prius creantur quam corpora, posset Deus cuiquam spiritui optionem dare qua vellet procreari ex matre. Quod si fieret, quam putas ille personam sibi ipsi consiceret? De corporis forma ac habitudine sileam. Quid honestatis, quid prudentiae animo ejus ac moribus conportaret, nil procul dubio illi adimeret, quo ipsa aliis invidiosa non esset. Si sic hominis spiritus, civitatem virginalis uteri, quam sibi fundat Altissimus, quo potentior est, nonne Dei multo magis perornat Spiritus? Securus dico, si civium pariter supernorum cordis ejus apparatum explicare proponerent organa, ante desicerent quam dicerent digna. Nam si juxta Apostolum, principatibus et protestatibus innotuit per Ecclesiam multiformalis sapientia Dei (*Ephes. iii, 10*), mysterium quod in Maria actum est, cuius perminimam quæstionem Joannes in natis mulierum major enucleare non potest (*Matth. xi, 11*), quomodo apud ipsos expressibile est? Si ex his quæ circa nos fecit per Filium Deus, quæ aliquando nescierant, didicernit, quæ in seipso Christus egerit quomodo comprehendent?

Gratiam ergo sic accipiamus, ut quidquid ipsa fuit, singulariter selectum ab omni humana traductione credamus, ut pote quam inaudito sæculis privilegio a Patre et a se sibi noverat delegandam, per sanctum Spiritum tantis officiis affectandam, haud dubium, si audeam dicere, quod et dicam, quin in creaturis omnibus sibi soli in terra, dum adviveret, et nunc in celo secundam. Gratia autem hoc totum, licet omnimodo virtutum ambitu id prosequeretur, fuit, quia nulla virtus, nullum exercitium, non cujuscunque meriti labor impensus, ad emerendam cuiquam feminæ Dei conceptionem sufficeret, nisi gratia, et hæc non modo ineffabilis, sed inexigitabilis omni præter Denim naturæ præiret.

Sed ipsa plenitudo quæ sit, pariter attendendum; nam forsitan ipsi specialitas deferri non potest, quæ multis ascribitur. Si enim hæc plena (*Luc. i, 28*), et Elisabeth dicitur repleta (*ibid., 41*), et de plurimis alias idem affatim reperitur, sed harum plenitudinum tanta esse dignoscitur pene diversitas, quanta bonorum animorum est ubique varietas. Quotæ plane sunt innumerabilium capacitates vasorum, tot fere constant modi statuum internorum. Secundum propriam etenim cuiusque virtutem, juxta Evangelium de talentis (*Matth. xxv, 15*), fideique, juxta Apostolum, mensuram (*Rom. xii, 3*), id est secundum quod quemque capere possibile est, misericordia Dei est. Ipsæ quoque capacitates pro corporum animorumque ætatibus, aut deteriorantur, aut crescunt. Alter enim sensit Joannes in puer, aliter corpore intellexit adulto. Plenitudo igitur pro qualitatibus mentium multis accidit, dura quisque pro Dei munere, et sua devotione plus nimusve recipit. Sicut enim comedentium ventres dis-

pari omnino sese ciborum quantitate distendunt, ita Dei gratiam longe dispariliori mentes distributione cognoscunt. Quo nempe Dei majori quis amore exemplatur [*f., exempliatur*], eo, ut sic dicam, concavior receptui divino probatur. Aliis solæ compunctionum scintillæ sufficiunt; alii supernæ contemplationis focos ferunt. Pro tenuitate itaque intellectus et fidei aliqui parvo implentur, aliqui pro captus amplitudine per infinita tenduntur. Vides ergo benedictam inter creaturas Virginem quam peregrina inter alios gratiarum plenitudine pollet, nimirum quæ totius gratiæ Auctorem beatæ alvo cœlum facta continet.

Nec illud denique, licet parvum videatur, omittam, quod virginis ab angelo Elisabeth senis conceptus, ac si pro astruenda fide proponitur, quod nunquam exempli gratia ab eodem induceretur nisi ut magnum virginis videretur. Porro Deo quid magnum fuit si virginis ex Spiritu venter intumuit, qui olim ut eas secundaret aquis incubuit? Annidare conceptum non minori facilitate subjacuit. At inter nos non minimum res ista constringitur, ubi difficultas totius naturæ, imo impossibilitas denotatur. Si enim Virgo ex Deo secundatur, nil mirum est quia creaturarum quæ sine masculis generant exemplo levigatur. Sola post partum virginitatis conservatio magni incomparabiliter aestimatur. Illi nihil omnino componitur, quia et divinum est quod procreat, et prodit, et in naturis non exemplificatur. In senibus autem et effeo corpore a genitali potentia utrobique subductis, nil minus appretior si generent, quam si fiat hujusmodi commercium fertile in impubibus annis. At multo minus; nam in pueris naturaliter coalescit calor, et physice veteranorum inefficaciam ad gignendum juvat, dum quod in his congelatio sanguinis impedit, in alteris primævus fervor explicat. In summe ergo decrepitis res fit prompta miraculo, dum hinc mulieribus tremebundo jam senio non incidenti aliqua infirmitate vacantibus, illine viribus a solito calore ac humore exhaustis, nihil est profecto residui quod motum cuiuspam, non dico voluptatis sed vel tenuissimæ voluntatis exsuscitet. Unde Paulus fidem super hoc Abrahæ vel potissimum probat, quod *emortuum corpus suum et emortuam vulvam Saræ* (*Rom. iv, 19*) viderit, et contra spem in spe crediderit. Si præter naturæ leges ab omnibus aestimatur quod apud Hieronymum puer novennis cum muliercula coisse, et prolem extulisse describitur, multo, ut sic dicam, exnaturalius est quod hi, quibus omnis ingenitus fervor refrixit, ad integrum nec alterutrius vivacitas potest suppleri, utroque torpente per alterum expurgiscuntur ad fetum.

Non igitur ab re Elisabeth cognata Mariæ proponitur, quia nisi omnimodis apud cunctos inspe-

rata physica obnidente res esset, nunquam Zacharias verba Gabrielis tam obstinate discederet. Nec in exemplo adhibito nærum quisquam beatissimæ Virgini quasi ad credendum alicujus detractionis inurat, quam nos non immerto pro fidei facilitate laudasse meminimus; sed sciat angelum ex abundanti factum in vetula retulisse miraculum, ut et fidei ejus adminiculum ministraret, et de tantis ipsa cognate proventibus exsultaret. Quin et multo pudori consulerent, quod videlicet ipsa eo, cui despontata fuerat, inscio concepisset, ista vero citra omnium spem juvenilia repetisset. Unde et illa cum festinatione in montana progreditur, mora latitura apud eam trimestri, ista ne stuporem videntibus sibique ruborem pareret, sex mensibus occultatur. Et hæc, inquit, et tibi ac anni illi in dubio proventura cognoveris, quia non erit impossibile omne verbum apud Deum (*Luc.* i, 57), qui virginem æque ut sterilem, cum libuerit, solvit in partum.

#### CAPUT VI.

*Dies est B. Maria.* — Hæc igitur beatissima dies est B. Maria, quam fecit specialiter Dominus; exsultemus et lætemur in ea: cum enim de Filio dixisset, ac si de lapide qui factus est in caput anguli (*Math.* xxi. 42), et hoc mirabile in nostris oculis (*Psal.* cxvii, 23), a Domino factum perhibuisset, ad hanc illuc verba transposuit; hæc, inquam, dies est, quæ solem justitiae protulit, qui de suis munificentis præclarissimas dignitatim in Ecclesia horas instituit. Ipsa est etiam porta Jesu Domini, per quam justi intrant; nulli enim justitiam assequuntur, nisi per fidem incarnationis ejus introcant. Super limen portæ hujus princeps ille apud Ezechielem paulo ante a nobis expositus, et adhuc exponentius, adorat; qui non superliminare dignatis, sed limen ejus humilitatis quod omnibus est pervium adorantes, id est in omnimoda veneratione habentes inspirat. Hoc plane Deus jure facere dicitur, quod siendum aliis administrat. Sed præfata diei redeamus ad horas. Hæc, inquam, florentissima dies postquam luminare illud majus, quod et seipsam potissimum, et lunam Ecclesiæ, stellasque fidelium mirabilis intelligentiæ radiis illuminat, ediderit: attendamus quantarum pariter felicitatum determinationes admiserit; barum nempe tam origo quam officialis causa fuit: non enim aliter voluit, imo debuit Filius Dei ad nos egredi, nec potuit; quia nee debuit violenter irrumperè jura diaboli, cui sponte homo manus dederat: sed, juxta dicta beati Leonis: *Magno æquitatis jure inibi certari dignum fuerat.* Hanc ergo ex qua crearetur objecit diabolo, ut cum eum capesseret, nil aliud putaretur quam homo.

*Duodecim felices horas protulit.* — Prima igitur hora est, quod principem mundi extrusit, mundumque vicit, et hoc cruci se addicendo, nosque hosti præripuit.

Seeunda, quod per laticeum suo ex latere profluentem in eadem cruce baptismum sancivit. In qua passione in tantum diabolo vires antiquas extorsit, ut ante judicij diem jam puniri incœperit: dicit enim magnus Origenes quod post ipsam passionem, postquam sanctus quispiam martyr aut confessor de praesenti victor seculo emigraret, sicut ipse ad coronam exiret, sic hostis ille qui eum spiritualiter impugnarat, statim in æterna tormenta nulli demno nociturus intraret, et id esse quod ab ipsis dæmonibus Domino dicebatur: *Venisti, inquit, ante tempus torquere nos* (*Matth.* viii, 29). Inde etiam tantas quas exercere olim consueverant fortitudines obtusas videmus; nec mirum cum post tot sanctorum victorias, tot de potentioribus dæmoniis in pœnas decidisse credamus.

Tertia, dum per resurrectionem electos ab inferis eruit, cujus gloriæ tantum quoque privilegiū addidit, ut, juxta Prudentium, virum sanctum et nobilis, sint et spiritibus saepè nocentibus pœnarum celebres sub styge serice. Illa nocte sacer qua reddit Deus stagnis ad superos ex Acheronteis.

Quarta, quod per eamdem aperuit credentibus regna cœlorum.

Quinta, quod humanitatem nostram Verbo, quod ipse est, personaliter identificata paternæ dexteræ comparavit.

Sexta, quod qui carnem ex nobis sumperat, divinitatem suam, quod est Spiritus ejus, nobis reddidit.

Septima, quod eumdem Spiritum non solum fruendum attribuit, sed etiam per manus apostolicas, et ex eo pontificales aliis dari constituit.

Octava, quod per magistros Ecclesiæ, quod sibi pertinebat, peccata dimitti censuit.

Nona, quod Petro, et in Petro rectoribus regni cœlorum claves prærogat; unde et Romæ quodam in loco ei præscribitur.

*Terruit angelicas acies collata potestas*

*Tanta Petro, reserare polos, et pascere caulas.*

Decima, quod non angelis commiserit corporis ac sanguinis sui tractanda mysteria, sed hominibus, etsi peccatoribus; quod et de baptismo itidem factum est

Undecima, quod corpus nostrum in resurrectione configurabit corpori claritatis suæ.

Duodecima, quod in eadem resurrectione, sicut carnem nostram in Filio et matre, omnis principatus atque potestas in cœlo venerabitur, et adorabit: ita quoque *hi qui in Christo sunt, resurgent primi* (*I Thes.* iv, 13). Inde est quod procurator patrisfamilias a novissimis denarium dare cœpit. Huie sententiae accedit quod nomen eorum coram ipso honorabile futurum legitur. Quod si nomen Christianum sub tanto auctore honoratur, intelligi profecto necesse est quod alias jure his

omnibus, qui bene vixerent sub gratia gloriósior retributionem prærogativa reddatur.

*Nubes est levis quæ pluvias effudit. Quam sublimem possideat gloriam.* — Videamus igitur quo piæ compunctionis jubilo, diei isti, quæ tam rutilo sole, cœlo, inferis, terræque perfunditur, gratulenuit: per quam dum introitum sol ille ad nos habuit, ad infinitam diei ipsius claritatem, et sub ipsa die degentium glorificationem, perpetuæ suæ et nostræ nobilitatis donativa circumtulit. Hæc est nubes illa levis, quam sol verus iste concendit, juxta Isaiam, ut tenebrosam mundi hujus illustraret Ægyptum (*Isa. xix, 1*): quæ pluvia touis secunditatis interne terrenorum pectorum glebas emollit: ipsa enim salubrium omnium doctrinarum cataractas apernit, præsertim quæ panem angelorum mundo exposuit. Quæ tantam a peccati omnis additamento in se levitatem habuit, quantam sacrosanctæ Christi dignitas carnis animæque commeruit. Ipsa igitur ex qua tantos animæ ac corporis haurimus honores quid excellentiae habeat, quod Dei Filium corporaliter in sue carne contulerit, attendamus. Si post exhaustam beatissimi ventris aulam minus habuit, forsitan aliquod detrimentum ejus, quam ad plenum gustaverat, gloriæ sensit. Absit! Securus ex ipsa loquar, si leta fuit cum tolleret quod usquam creaturæ non lieuit; ketior plane cum gloria et honore coronatum assidere Patri æterno enī apostolis vidit; et quandiu meminerit se peperisse Deum, nunquam ne ad punctum imminentem sentiret, quem in concipiendo habuit ketitiæ fructum. Si Christus Deus quia se humiliavit exaltatur, ergo ipsa perenni residuo gloriæ quod totum Deum constitut potitur; imo clarificato provehitur, quanto reginæ clarius est Filium videre reguantem quam ex eo se scire prægnantem.

Super limen itaque hujus portæ princeps adoret, id est in spiritu et veritate adorantes inspireret. Unde est: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal. xcvi, 5*). Si enim de Christo homine dicitur: *Adorate eum, omnes angelii ejus* (*Psal. xcvi, 7*), de Deo nulli dubium quin adorent. Quid sanctius, quid ea adorabilius carne, ex qua Christus gignitur, quæ habet identitatem cum ipsa, eademque Dei Filio unitur? Et certe in mundo positus si puer parentibus subditus (*Luc. ii, 51*), juxta quod tulerant suæ ipsius scita legis, ipsos honorat; non est plane mirum si id ipsum quod in ea virtutis et glorie indidit, quod significat portæ limen, adorat. Adorare namque sicut pro divino cultu, sic aliquoties pro reverentia ad homines ponitur, sicut Nathan propheta David adorasse scribitur (*III Reg. i, 23*). Unde et Jacob fastigium virgæ Joseph ab Apostolo adorasse dicitur (*Hebr. ii, 21*). Quod est in magna veneratione habuisse summam ejus potentiae, quæ sic inseparabiliter a Deo paratur. Si de sanctis quibus Dei filiatio promittitur, quod honorabile sit nomen eorum coram ipso dicitur (*Psal. Lxxi, 14*), dum id in eis Christus honorat, quod ab

ipso tribuitur; ipse in Matre naturam propriam, onde ex debito sibi obnoxius est, non venerabitur? Pro quo aliis longævitatis præmium prærogatur, a qua passus est accipere quod homo vocatur? Si apud illum honori exstat, a quo totum quidquid est sumpsit, nobis tanto propensius honorabilis esse debet, quanto suæ universorumque saluti eam necessario-rein feminam sperare quis prævalet. Super limen ergo portæ apud Ezechielem adorat (*Ezech. xlvi, 2*), cum per humilem obedientiam ejus menti specialiter insidens, seipsum in ipsius glorificatione mirificat.

*Injurias sibi ab hæreticis et malis illatas ulciscitur B. Virgo.* — Deinde egreditur (*Ibid.*), quia quod apud se benedictam illam beata interioritate provexit, manifesta, imo, ut ita dixerim, secunda post se omnipotentiae apud homines auctoritate retexit. Quis enim vel hebes nesciat quod ipsa est quæ per Filium cœlo præsideat, terris imperet, inferos urgeat? Princeps ergo egreditur, cum per Principem Matri principis virtus emititur. *Porta autem non claudetur usque ad vesperam* (*Ibid.*). Clansio hic non ad virginitatem, quæ saepius est repetita, refertur. Porta igitur usque ad vesperam ista non clauditur, quia clementiæ ejus aditus usque in finem sæculi nulli pie petenti obstruitur. Non claudetur autem dicitur, aperietur; ipsa enim quæ post sancti Spiritus dationem cognita est nostram omnium Virgo fusisse salutem, in suæ propalatione gloriæ, nullam deinceps passa est vetustatem; sed sicut Filii sui fides nullis persecutionum acta turbinibus destitui potuit, imo promoveri non desit, sic benedictæ ipsius Matri honor non dico tepesceri, sed in dies pro successu temporum non semper exaltari nesciit. Si enim in singulis fidelium ætatibus Christiana sententia, quo amplius ventilatur, astrinuit, et discussa nil aliud quam solidum respondere addidicit, sic ipsius in sæculum clarificanda virginitas, et nullis hæresibus devirginanda fecunditas vel momentaneæ obumbrationi succubuit, imo imperiosissime ultrix injuriarum suarum per revolutiones temporum, unde et ubique quantum regnaret mirabilibus ostensis aperuit.

*Proprium ipsi est misereri, utpote se uester inter Deum et homines.* — Unde sequitur: *Et adorabit omnis populus terræ ad ostium portæ* (*Ibid., 3*). Siprincipis hoc quod ex ea accepit, id est integumentum propriae humanitatis adorat, membris scilicet suis adorandum insinuat, rectissime populus terræ, non pulveris, fide stabilis atque fructificans non volatilis, ipsam gloriösorem supercœlestibus creaturis, utpote quæ antrix, et novæ Dei Filii creaturæ alitrix est, non modo ut cæteros sanctos honorat, sed quasi superparem Christi humanitatis adorat. Ostium vero est ad portam aditus patentissimæ omnibus dulcedinis ad Mariam. Quid enim miserationum illi benedictæ non influat, ex qua fons totius ad cunctos qui tenere pœnitent peccatores largitatis et gratiæ manat? Cui enim totum quod est misericordia se infudit, quomodo dissentiet ab eo quod in se continens

ad nos fudit? Ipsi plane misereri est proprium, quia quæ se ad tanti immensitatem officii misericorditer a Deo perpendit assumptam, factamque inter ipsum Deum hominesque sequestram, non immerito adeo specialia ad nos habet viscera, ex quibus et propter quos est tam singulariter excellens ut misericordiam consequeremur effecta, quia enim nullo modo idonea ut competit pertingendi ad Filium et interpellandi ipsum cuiquam facultas suppetit, quæ eloquentia ei cujuscunq; mediatoris gratar, imo tantopere grata esse valebit, quam ejus quam honorare, ut sic dicam, cogitur et jure necessitudinis et suæ imperio legis? Si enim audientiam suam ab ea in aliquo absarent, nullus ad rogandum nisi miserabiliter repudian-  
dus accederet. Plane qui naturam condidit, et naturæ jura consequenter instituit, nulli dubium quod apud eum personalitas materna præponderet, cum id in causis mortalium ingenita bonis omnibus consuetudo conservet.

## CAPUT VII.

*Evangelium in Assumptione B. Mariæ legi solitum explanatur.* — Præterea a plurimis quæri solet quare in ejus Assumptione Evangelii illud legi solet capitulum: *Intravit*, scilicet Jesus, *in quoddam castellum* (*Luc. x, 38*). Quod quanto juxta historiæ corticem peregrinari videtur ab ipsa, tanto secundum sensum moralem pleno contemplationis statu subsistit in ipsa. Quod si det Deus dicere ex sententia poterunt monstrare sequentia.

*Intravit Jesus in quoddam castellum.* Quoddam solemus dicere de ea re quam nolumus exprimere, aut nequimus. Castellum autem ex vallo et muro, turriquo conficitur, et id ipsum a *castrando*, et *coercendo* vocatur. Illius igitur benedictæ conscientia castellum fuit, quæ quidquid Deo in se displicere poterat funditus arcere non destitit. Sed hoc prius habet vallum, cui ante omnia usquequa non defuit totius humilitatis imum. Muro denique cingitur, cum mens ejus beatissima interius bene sibi provida, exteriori corporis sensuum custodia communitur. Turris introsistitur, cum in humili corde, castigato jam corpore, spes in Deum unica tota proceritate porrigitur, verbi gratia, cum enim Domini totius majestatis sibi denuntiata fuisset infusio, quid in ejus ore nisi ancillaris humilitas sonuit, quid ejus tota deinceps vita nisi silentium et modestia fuit?

*Sanctissimi ejus actus describuntur.* — Unde est: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, confrens in corde suo* (*Luc. ii, 19*). Ubi considerandum in quanta sublimitatis femina illa angelis præficienda vallo delituit, quæ cum ipsum Deum animo et ventre jam gereret, inimitabili sese dejectione cohibuit. Cum enim beatam ab omnibus generacionibus dicendam se esse diceret, et tantæ gloriæ conscientia existeret, maxime mirum fuit quod ea se humilitate continuit; quod in cuiuslibet peccatoris habitu multum laudari potuit. Quæ denique ei exteriorius observantia fuerit, ex ejus in qua ab angelo

reperta est solitudine pensari poterit. Ubi non gar-  
rulorum, non amasii præsentiam offenderit, sed sola Dei cui innutrita fuerat contemplatione contentam repererit. Quin et videri impatiens cum qua festinatione montana descendenter, et cum cognata anu Virgo tristri morari mansione delegerit; quod juvenculæ non minimum insigne exstitit. Et inusitati cælibatus ostentum, ut morum pondus anilium, motusque severos non modo pateretur, sed avidissime alacritas puellaris expeteret, ad hæc tanti majestatis gaudii cum ineffabili concepisset affectu. Ad quem prorsus gloriæ collatæ redundantiam magnanimi respectu contulerit, ex eo propalatum est quod ipsa concinuit: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*; *et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Luc. i, 47, 48*), etc. Habes ergo superius murum, habes istic turrim. Quoddam itaque castellum est, quod videlicet a nemine excogitari, nedum extermi potest; quid magnificentiæ exterius, quid pretiæ intro habeat, quæ Dei mater est!

*Martha turbata qui B. Virginis competit.* — *Illi*us activa vita. — *Mulier quædam Martha nomine exceptit eum in domum suam* (*Luc. x, 38*). Per mulierem actualis fecunditas, imo secunda beneficioris actualitas designatur. Hæc Martha dicitur, quia multis amaritudinibus provocatur. Hinc est quod ei dicitur: *Turbaris erga plurima* (*Ibid., 41*). Secundum hæc enim nomen ejus interpretatur. In domum suam eum exceptit, cum Virgo post Filium omni humana natura felicior Dei Filium concepit. Dōmus autem fuit animæ, donus uteri. At vero exceptrici illi quæ actualitas inesse potuerit vestigandum. Cæteri sancti suis commembribus officia niunificantæ pendunt; hæc vero ipsi suo universorumque Capiti specialiter ministravit, quod alii generaliter vestigiis ejus attribuunt. Si enim vulgo egenti tunicam præbeas, illa omnipotentis Filio ex Dei Spiritu et suo sanguine corporeum schema compegit. Si panem porregas, illa suo Creatori beatorum uberum fomenta suggestis. Si mōrenti solamina præstisti, ista gaudii universalis altrices lacrymulas maternæ dulcedinis blandimento detersit. Quidquid prærogare poteris beneficio, hæc felici præcessit obsequio. Vis audire amaritudines quibus juxta vocabuli etymologiam, gloriosa, que sic obsecundat, mulier irritatur? *Tuam ipsis*, inquit, *animam pertransibit gladius* (*Luc. ii, 35*). Quot Filius probra inter prædicandum sustinuit, tot mueronibus multo gravius quam qui perserebat, imo cui irrogabantur ipsa succubuit.

*Illi*us vita contemplativa. — *Et huic erat soror nomine Maria* (*Luc. x, 39*). Scitum ubique est contemplandi gratiam in Mariam signari. Et utræque sorores dicuntur, quia in conscientia ex uno divini amoris semine procreantur. Hanc vero benedictam super omnes homines hujus credimus gloria virtutis imbutam, in quam enim plenitudo divinitatis ad integrum sese contulerat, non ad horam ut cæteri, non particulariter intinguendo sentiebat. Unde est quod sequitur: *Quæ etiam sedens secus pedes*

*Dominus audiebat verbum illius (Luc. x, 39).* Secus pedes sedit, cum in Christi humanitatis susceptione debita sese humilitate depresso; sedere enim humiliari est. Unde est: *Surgite, postquam sederitis (Psal. cxxvi, 2).* Porro pedes Domini, ipsis sunt humanitas, sicut caput divinitas. Inde et scabellum ipsa vocatur (*Psal. cix, 1*), adorarique in psalmo jubetur (*Psal. cxviii, 5*). In qua Christi caro quasi quedam ejus extremitas explicatur. Non immerito igitur benedicta illa secus hos pedes consedit, quia, dum perpendit quantus a se concipitur incomparabili sue dejectionis intuitu, ejus quem gignit aut bajulat, quasi extremis contactibus hæret. Cujus quanto prioniori reverantia tractat carnem, tanto spiritualius acuminatur ad divinæ, quæ est Verbum, substantię visio nem. Si enim a sanctis viris dum Christi humanitas præcordialiter amat et creditur, ad contemplandam sensim divinitatis ejus speciem pervenitur, illam, quæ Deum et hominem in se congenuit, totumque intra se indifferenter habuit, de Dei gloria quid lauit? Cuius in hac contemplatione quanto fuit beatitudine secretior, tanto intellectus ad divina penetranda ex simplici et penitus indivisa intentione profusior. In spiritualibus non aliud est videre quam audire, audire quam videre. Quid est ergo audire Verbum, nisi intelligere Deum? Sedens itaque verbum audit, quia per eam quæ humilibus datur gratiam, beatissimæ Virginis matris, animum, non prægustando, sed se universaliter ingerendo divinitas imbuīt. Si enim deitas scipsam latere potest, et ipsam benedictis omnibus, ut ita dixerim, benedictiorem aliquid divinum latere potuit, cuius cordi et utero quidquid illud est, quod Deus est, in nullo deficit.

*Martha autem satagebat circa frequens ministerium (Luc x, 40).* Frequens ministerium circa quod satagit, ipsa est sollicitudo circa curam Dominici corporis, quam in benedicta Virgine actualitas sic ministrat ut exterioris hominis obsequio magis quam contemplando Deo aliquoties insistendum credit; quod enim carnaliter genuerat, et præ oculis semper habebat, nimirum ferventiori studio indesinenter ardebat. Quod plane ad manum præsto constat, animus multo magis affectat; et quod minus sensibus adjacet, id intellectualis acies difficulter penetrat. Animus nempe colligere ad contemplationem, quietam postulat a strepitu forastico intentionem. Unde et stare dicitur, quia crebris ab ea conflictibus laboratur. Dum enim ab Herode occidendum queritur, dum Judaico jam juvenis livore impetratur, dum præcipio intentatur, dum convitiis obruitur, dum ultimo cruci addicatur, multo actualitas in ea animi bello distenditur.

*Domine, inquit, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? (Ibid.)* Quod est ad ipsum Verbum, cui audiendo contemplatio vacat, dicere: *Cum sim et infantiae obsequiis, et juventute infortuniis continuis vexationibus occupata, et compassione detrita, nullus hic locus contemplationi et*

internæ quieti jam est, in quo laborum et dolorum detentio cerebra hanc obsidet. Et quia pro his illam certum est extra se, velit nolit, fieri, jube eam ad unum actualitatis officium cohiberi. Nulli namque dubium est quod in corde beatissimæ Virginis maxima inter utrumque statum super hoc altercatio fuerit, dum hinc in Deo videndo delectatur, illuc corporali ejus cura distrahitur. Sed attendendum quod dicitur *solam*. Si sola actualitas ministrat, profecto contemplatio vacat. Quæ utique si aliquando actualitati inflectitur, procul dubio annullatur. Quæ ergo sine interna quiete nil agere sinitur, dum erga plurima conturbatur, ad spiritualia non levatur. Quomodo itaque illa quæ se solam relinquuntur, ab ea quæ inter molestias nulla est, adjuvatur? Sed ipsa actualitas a contemplatione auxilium habere videtur, cum mens uniformiter quod in se præponderat, exsequitur; nam cum actualitas aliorum tendit, et mens contemplandi avida secreta requirit, ex eo ipso quo de curarum multiplicitate se retrahit, quasi sorori officiose opitulari desistit. Itaque adjuvaret, si a desiderio speculandi quiesceret. Solam igitur non relinquit, si mens quæ contemplari proposuerat, actualitatis curas non refugit. Contemplatio ergo quandiu Deo speculando feriatur, solam actualitatem non adjuvat. At mens si a contemplandi amore fatiscat, in quantum ab eo deficit, liberius iam actionalitati insistit, et ex hoc solam adjuvat.

*Nisi Deus se carne contexisset, nunquam ferri potuisset.* Attamen Dominus unum esse necessarium pronuntiat, ut enim de gloriosa illa feminâ taceamus, quæ per ministerium, quod carni illi sacrosanctæ exhibuit, ad divinitatis suprema pertigit, omnis sanctus non nisi per fidem amoremque humanitatis ad scientiam pervenit divinitatis. Unde est: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet (Joan. xvi, 7).* Officia quoque, quæ suo, dum adviveret corpori exhibebantur, approbans ait: *Pauperes semper habentis vobiscum, me antem non semper habebitis (Matth. xxvi, 11).* Quid ergo benedictæ illi magis necessarium quam corporis Dominici integumentum? Quod dum texit, superni numinis sacramentum, multum ei ut ad internum lumen attingeret, præstuit adiumentum. Si enim Christus se carne non tegeret, purus ille deitatis ignis quo se caperet? Et certe ne ipsa quidem caro, Deo in se latente, tolerabilis esset, nisi mentis ejus sinum virtus Altissimi obumbraret.

*Continuo Dei visione in terra potita est B. Virgo. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (Luc. x, 42).* Licet igitur beatissima Virgo Gallicissimi Filii corporalibus nimium distrahi videretur incommodis, et exterioribus detineretur officiis, nulli tamen credibile sane capitum habeatur quin illa, quæ Deum universitatis auctorem intra se contulerat, unquam ejus quem semel totum hauserat, quod nulli humanæ creaturæ est licitum, continua contemplatione vel ad horam fraudaretur; quibusunque enim Filii angeretur doloribus, nunquam tamen fidei ejus,

quem indubie Deum noverat, fervor intepuit, præser-tim cui dispensationis ipsius occulta dispositio ne-quaquam fuit. Nam quod de nullo sanctorum credi-tur, de illa universitate divinitatis tantum non du-bitatur habuisse residui, ut quaque versum se age-ret, nunquam a Dei visione desciret; quæ enim plus habuit in terra quam angelus, non minor angelo esse debuit post tanti beatitudinem partus. Si namque in angelis, qui ad ministeria diriguntur salvando-rum (*Act. ii, 2*), irremotus quoconque se vertant contemplationis tenor invigilat, quid in tanta tam ineffabili Genitrice agitur, quæ proinde præ angelis regnat? In mente plane ipsius sancta, imo, ut ita dixerim, subdivina, absurdissimum est intelligi potuisse, post exhaustum tanti sacerdii locum, aliquod incidere detrimentum, ut quod parturiens habuerit, fuso partu perdidet. Et siquidem plenitudinem divinitatis corporaliter concepisse dignoscitur quod totum jam enixa non habuit, quidquid tamen ad gratiam, gloriamque cordis pertinet, nullo modo minus habuisse a fidelibus aestimatur. Sicut sane sanctus Spiritus, cum super apostolos et credentes per linguas apparuit (*Act. ii, 3*), recedente miraculo in eorum cordibus per scientiam, fortitudinem, et amorem sine immunitione remansit, ita post exhibitionem cœlestis puerperii, excellentia divinæ amplitudinis in virginea mente, sine ulla contem-plationis pristinæ minoratione resedit.

Recte igitur dictum est, *Non auferetur ab ea* (*Luc. x, 42*), quia sicut in ipsa facta sunt nullorum sœcu-lerum eventibus similia, sic qua semel imbuta est, eidem perseveravit animi eminentia; alioquin si post partum desisset, prædicta virtus videretur functio-ria. Etsi ergo conceptus tempore hæc in Virgine viguit gratia, hac scilicet quasi conditione ut te-pe-sceret, aut desineret postea; unde ei in cœlis præter humanum modum terris, et inferis tanta potentia? Profecto ubi initium et finis tantis privilegiis con-venere; media nunquam fateor detimento alicui patuere. Ad hanc itaque cessit optimæ partis elec-tio, quia quibusunque famulatibus intra ipsam Martha discurreret, ad internæ semper dulcedenis nucleum ejus convertebatur optio. Unde et *Maria stella maris*, aut *illuminatrix* dicitur; in mari nem-pe ex quo turbatur erga plurima stella et illumina-trix est, quia in temptationibus sœculi, quas actuali-tati inserviendo aliquoties patitur, jugi et invicta inter turbines speculationis luce foventur. Hæc de capitulo præsenti dixisse sufficiat, ut videlicet ostendemerimus quomodo hujus ineffabilis Dominae prædi-cationi conveniat.

#### CAPUT VIII.

Præterea et Isaianicum illud discuti operæ pretium æstimamus si forte præmissis arrideat: *Quomodo, inquit, descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem*

*comedenti, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in iis ad quæ misi illud* (*Isa. lv, 10, 11*). Imber descendit, cum ange-lus ad Virginem verba incarnandi deposuit. Nix de cœlo venit, cum se a Patre sanctus Spiritus non virginum sublaturus, sed candorem munditiae ei superexcellenter aucturus infudit. Qui enim potuit dare conceptum prius in ea per fidem, cum actuali abolevit originale peccatum. Illuc ultra non revertitur, quia mens benedictæ illius a percepta nunquam spiritualis gratiæ prærogativa cassatur. Illuc nempe reverteretur, si suscepta in vacuum sine fructu accipientis ad Deum qui dederat, referretur, et hoc est pars Mariæ, quæ ab ea non aufer-tur (*Luc. x, 42*). Inebriat autem terram, cum insen-sibilem, ad universos passionum internarum motus, sanctus Spiritus Mariæ reddit conscientiam. Ebrietas enim sensum doloribus illatis adimit, postmodum infundit, cum non aliunde sed ex se ipso con-cepturam imbuit. Nota dictum. Si secundum litte-ram loqueretur, prius infundit, postmodum inebriat, poneretur.

**Germinare** eam facit, cum sine semine no-stre redemptiæ pignus hinc elicit. Cum germinare dicitur sine præmissæ sementis memoria, indubie innuit singularis benedictæ Mariæ in conceptu munditiae. Dat semen serenti cum quæ spiritualiter concepit, cum eo quem peperit spirituale etiam semen emitit. Semen serenti exinde datur (*Isa. lv, 10*), cum generalis sanctorum prædicatio ex Christi incarnatione exorta dispergitur: sed hoc doctoribus. Et panem comedenti (*Ibid.*), illum videlicet qui de cœlo descendit (*Joan. vi, 53*), et qui quotidianus a nobis petitur, nulli alii debitum, nisi qui avida cum cordis fauce complectitur.

Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, nullis dictionum motibus explanatum, sed in-circumscriptæ rationis arcano ab humanis conati-bus disparatum. Hic est liber ille qui ab hoc ipso propheta sumere grandis jubetur. *Sume, inquit, tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis* (*Isa. viii, 1*). Hoc nempe Deus apud Deum Ver-bum stylo, id est intellectu solius Dei capi poterat; sed ut capi utecumque ab homine posset, circumscribi humanitus voluit. Hoc ergo Verbum egreditur, cum se visibile per carnem exhibere dignatur; et hoc de ore, id est de spiritu: ore enim spiritum emititius. De ore namque egreditur, qui ex sola spiritus puri-tate in Virgine procreatur: *Nou revertetur ad me vacuum* (*Isa. lv, 11*). Vacuum plane rediret, si Dei Filius ad id quod cœperat inefficax extitisset. Nota quod superioris dicitur non reverti, hic etiam, sed non vacuum: a virginea enim se nunquam ne ad modicum, mente retorsit, sed qualem in filio denuntiando reperit, usque in finem proprium, per-severante eadem animi gloria, semper florentior in

seipsa coaluit; Filius autem licet non vacuus dicitur reverti, quia visibilitatem quam assumpserat, dextera necesse erat paternæ restituī. Is facit quæcunq[ue] Pater voluit, dum salutem humanam non sine suo crōre exercuit, et hoc est quod nequam vacuus rediit. In iis vero ad quæ mittitur prosperatur, præsertim cum a sua dextera, quod est divinitas, mirabiliter deducatur, quia ex eo quod passus est, nemo in eum pie credulus non salvatur.

Cui illud quoque haud multum dissimile est, quod idem alibi ait: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra et germet Salvatorem* (*Isa. xlvi, 8*). Quid sunt cœli nisi arcana consilia divinitatis? Unde ipse Filius: *Ego, inquit, de supernis sum* (*Joan. viii, 23*). Cœli ergo rorare dicuntur, cum divinæ miserationes hominibus propitiaturæ flectuntur. Nubes pluunt, cum quod in se contineant, super Christo nascitur dicta prophætica evidenter ostendunt. Terra aperitur, cum a benedicta Virginie verbis angelicis felicissimi uteri, imo beatissimi animi sinus obedienter panditur. Hæc est illa terra de qua dicitur: *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal. lxxxiv, 1*); ex qua benedictione, id est a Deo ingenita fructuositate captivitas Jacob avertitur. Hæc est etiam, juxta librum Sapientiæ, terra posita in immensæ castitatis arido; et campus, quæ nullus conjugi vomer exciderat, sponte germinans ex humilitatis profundo (*Sap. xix, 7*). Nota proprietatem verbi quia non de satis, sed de sponte nascentibus germinare dicitur: quod ad Virginem refertur.

#### CAPUT IX.

*Quam gratum est Filio matrem Virginem laudibus extollere.* — Ad laudem communis Dominæ hæc tantilla perstrinximus; in quibus etsi parum fecimus, affectum nihilominus ostendimus. Cujus gloriæ semmam tametsi anima nequaquam capimus, ne-dum lingua solvamus, conatum ipsum tamen non sine præmio magno esse putamus, licet plane mentis devotionem vocis officia nulla commendent, et ad supplendum quod sentimus facultas parva suppeditet, verum affectare feminam illam, et præcordiali amore complecti, non modo ipsi gratificum quæ ubera infinitæ pietatis pretendit ad omnes, sed singularis etiam et aditus per ipsius honorificentiam ad Filium, qui non minori voluntate acceptare dignoscitur quidquid ei reverentiae exhibetur, quam si suæ cantarentur laudes. Si enim in sanctis suis Deus laudari jubetur (*Psal. cl, 1*), et hoc ideo quia quod de eorum virtute retexitur, ad Deum, qui dederat, non immerito reportatur. In hac ejus peculiarior laus est, quæ non solum in eo præcellit quod mater est, sed quod ad levandam nostram miseriām ineffabiliter acclinis est: quod certe apud eam ex debito constat, quia quos Filius sanguine liberat, dignum est ut hæc sereniori dignatione

confoveat; plane et ipse inter homines sexus viscerum plenior esse solet.

Quamprimum igitur, cum sit Deo, qui misericordia totus est, plena, nec natura vacet, qua fit miserendi studio prona, et id amare debeat ex debito, pro quo se Filius addixit patibulo; in ipsa nostræ intentionis figamus anchoram, cuius vox universorum intercessionibus præstat cum venerit coram. Et cum penes liberalēm Filium in hoc sæculo soleat in tantum præeminere matris auctoritate, ut magis jubeat quam exoret; ille qui quondam se ei fuisse non diffitetur subditum, non poterit, securus dico, in omni re illi præstablem negare seipsum; et quod, ut humanitus loquar, non prece, sed nutu illa intulerit, procul dubio constans erit; et quis sanctorum illa significante tacebit? Quæ cum omni superelestium agminis spectabilis ac reverenda credatur, cum sanctis cæteris super suis petitionibus haud morosa a Domino audiencie non negatur. Tum isti post Filium super omnia benedictæ quidquid libuerit, præ omnibus quanto præstantior est ad vota præstatur.

*Cur beata Virgo illis temporibus miracula ediderit.* — Inde est quod fidem, quam de ejus excellentia habemus, huic nostro tempori ostentis potissimum mirabilius astruit. Et corda, iniuritate abundante, torpentina ex iis recalificans, munificentiarum insolitarum impensione recolligit: hæc eadem namque signa, quæ antiquitus fidei ædificandæ valnerant, jam nunc eidem sine operibus vix constanti et moribus erigendis valent. Unde ipsa ingenitæ benignitatis haud immemor, non minoris modo gloriæ portenta percelebrat, quam quondam mundo adhuc fideliore sueverat. Hinc se post Jesu Domini nomen unicam cui resipiscamus edocens, et suum quasi ultimæ necessitati concursum necessariore de clivibus sæculis indicans; quia enim hodie nou est prædicator qui mutiat, ipsa seipsam quæri debere, seque etiam non rogatam opitulari velle signis enuntiat. Igitur quoniam quanta sit, quantumque veteribus portensa præconiis significare voluimus, dignum est etiam ut quæ nostra ætate peregerit intexamus. Rei autem gestæ locus, ac testes tanta sunt contiguitate probabiles, nec sua numerositate putabiles, ut scrupulo vel insanus hærere non debeat.

#### CAPUT X.

*Miraculum de muliere, Teodeberta nomine, ab igne liberata.* — Chiviacus villa est episcopii Laudunensis, ab ipso oppido interstitio ferme duorum millium distans, in qua vir quidam cum sua conjugi commanens, filiam ex ipsa inter alios liberos extulisse dignoscitur. Quæ annorum nubilum cum habitudinem attigisset, et juvündiori tunc tempori opportunitas substantiæ arrisisset, adolescenti cuiam nuptum datur. Hunc utriusque parentis affectio sibimet charitudine tanta contraxit, ut sine

privatae rei dispendio juveni cum puella sub eisdem ædibus mensa thorusque forent. Cum igitur in paternis illa cum viro sic ageret, et mira mater diligentia cum causa filiæ excoletret, non major poterat reperiri pueræ amor ad puerum quam sacerdos ad generum. Ipsa igitur celebribus eum ornabat induviis, opipare satagebat in epulis, ipsa faciem ac erines eluere, cœlitum ituris mollia sternere, quærenti mancipium prima assistere, officium, præter thalamos, in omnibus præoccupare filiæ, et, ut universa contrabam, non matrone imperium, sed discursus exhibere pedissequæ; nihil tamen adulterium moliebatur hæc cura. Ut scilicet quasi ad se ei ingerendam distraheretur a filia, sed ut etati lubrice propriis filiam obsequiis commendaret, et adolescenti totis urbanitatibus accurato filiæ affectum alliceret.

Interea diaboli versipellis astutia in partem retrouere sinistram quidquid benevolæ intentione siebat, et socrui per maledicos nævum multæ fœditatis inutere, quod videlicet nequaquam gratia prolis id faceret, sed ut eidem pro filia sese mutaret. Cum igitur incrementum sumeret in dies tam absleti rumoris acerbitas, et mulieris animum concuteret tantæ falsitatis intoleranda malignitas, quanto se sentiebat superillatione probri hujus insolentem, tanto ægrius ferebat dici unde quod pietatis studio exercebat, vulgi ipsa verteretur in fabulam. His itaque post aliquod tempus evicta molestiis, cœpit quem tantopere arserat subito fastidire juvenculum, verens ne de cætero nota viveret, si eum quotidie præ oculis haberet; unde non a suo eum, quod satis esset, contubernio dirimere, sed perimere jam destinat. Boni enim consuluisset, si eum solummodo a sui frequentia dimovisset; at illa ad ferrum se contulit, maleus hominem de medio fieri duam obsceneæ pateret opinioni.

*Mulier generum occidendum jubet.* — Autumnali itaque tunc tempestate promota cum duobus pueris pactum ex placito locat, vicenos cuique solidos pollicens si eum, uti docebunt sequentia, trucidarent. Erant autem ii, ut feriur, genere Nervii, qui, vindemialibus lueris adacti, in provinciam Laudunensem sese contulerant. Ibidem ergo aliquandiu cum mercedis tum inusitate escæ novitate moratos mulier prælibata sponsione aggreditur; iidemque aeres ex natura, animo, pretio exacti, explendo facinori coarmantur. Quadam igitur die virum proprium ex industria quidpiam foras acturn dirigit, filiam pariter aliorsum falso nacta occasione transmittit. Quibus ab æde digressis penum mulier secreto aperit, conductios satellites introducit, hocque a foris obserato, generum nec mora ut viuum prænsuris exhibeat sollicitare intendit; qui sumpto ociosi lado cellarium reserat, sed priusquam iuvas vina deponeret, ab iis qui latebant intro pervaditur, et illuc strangulatur. Quod factum cum illa rescisset, jubet corpus statim ab ejusdem seebris auctoribus tolli, et in domus superiora dela-

tum lecto, quo cum filia cubitare consueverat, spinari, sabanoque ac vestibus ac si somnolentum operiri.

Exacto interea exiguo temporis spatio, herus domum redivit, ac filia; et de prandio in commune tractare cœperunt, quibus solitum accelerantibus larem, filiæ mater eloquitur: Vade, ait, et maritum, qui modo dormitum sese depositus, excitare festina. Procedit ad stratum usque juvencula, soporatum juvenem nomine vocat, tactu quoque morantem provocat; cum ne utique ille compellant ac velli-canti conjugi responderet, defunctum cunctis complosis palmis inclamat. Concitat familia, vicinia glomeratur, tanto miserabilius subito illius illacrymantes casui, quanto justius super ejus intestatione dolebant. Funere igitur ab omnibus vera animorum ægritudine conclamato, mater generi, ino filiæ homicida fucatis mœroribus obstrepebat, cæteris placidior ejulabat. Tanto ergo lamentabilius bonas hominis habitudines, lepiditatem morum, verbi elegantiam, scitæ insignia formæ, et ad hæc ob-tutus prosequebatur invisos, quanto magis infanstæ crudelitatis ausus fieri verebatur apertos.

*Pænitet ac crimen sacerdoti aperit.* — Quo talibus modis elato, mulier et eventus utrobique siluit. Verum mulier fœdi facinoris conscientia ad se versum prima prosiliit et infructuosi poenitidine criminis acta presbyterum, cuius dioeceses erat, facta confessione consuluit; a quo tanto malo convenientibus addicta jejuniis, aliquandiu sub eodem medicinæ spiritualis fasce delituit. Plurimo autem emenso tempore inter ipsam et presbyterum oboriri contigit simultates; quam presbyter canonicae conditionis impatiens, quo atrociori potuit jaculatur probro. Generi necem fronti mulieris impegit. Hoc parentes juvenis ac si territo tonitru experrecti, ad prætorium Iberti vicedomini Laudunensis rem referunt. Is quantum in re militari vivacior, tantum exstitit in episcopii publica procuratione ferocior. Quid verborum laciniis trahor? Vicedominus villæ se intulit, seminam corripit, juri sistit causam exigit, mulier non diffitetur, sententia Lauduni ferenda differtur.

Porro dum cum ipsa idem causidicus cognationis ejus aliquos eidem notæ subigeret, in me, ait, unicam his liberis arma contorque. Neinim noveris pro certo conscientum iniquitatis objectæ. Erat vero Elinandus per id tempestatis episcopus, vir plane quantum litteraturæ invalidus, tantum administrationi forastice, et ecclesiastice præsertim institutioni nou nescius. Latione igitur sententiae pontificis traducta in curiam, cum vicedomini haereret animus quid facto converiens videretur, a quodam grammatico ei suggeritur, quod digne talis culpa incendi plecteretur; quod ille pro suorum morum acredine cum avida fauce legisset, quasi censuram publicam sua allegatione id roborat. At illa adeo triste judicium cum sibi accidisse prospiceret, quæ jam diu facti pertæsa doluerat, nunc miserabilius sæculo

huic desperata concutitur, quoque magis ei impræsentiarum omnia præciduntur, eo universa animi acies statui futuro exponitur.

*Dei genitricis implorat auxilium. Illæsa medio in igne.* — Ab apparitoribus itaque postulat ut ad cathedralem misericordissimæ nostræ Matris ecclesiam ire liceat, et quis id profanus abnueret? multo comitatu qui pro pumienda exitio spectando conveniabant, miserabiliter succenuriata progreditur, et media basilica ad suæ purgationis cumulum, reatum proprium sub generali audientia constitetur. Deinceps communis sæculorum Dominæ pietatem humi imploratura consernitur. Quantis ad eam, quæ neminem miserum aversatur suspiriis, quanto angore rugierit, ipsa ex sequenti testificatur eventu. Inde a suo executore citata, petuit ab oratione supplicium. Ecclesia Beati Justi, paululum montis devexo posita, circumsitis illic Britonibus oratorium præstat. Iliic ministri vicedomini in promptu habuere tigurium, ad cuius furcam pedibus ac brachiis feminam sola tectam subucula colligantes sumptis ex vinea proxima arundinibus et spinulis. Illius antra tegetis strue multa confereiunt, ignemque subjiciunt. Quo exesa materiei congerie in favillam prunæisque deposito, mulier consumptis libera nexibus stare videtur in medio.

At parentes generi, quem illa peremerat, ejus invidentes saluti et erectionem ejus ignis deputantes inertiae, animositate sacrilega rursus ad sarmenta, frnticesque concurrunt, focos circa illam usquequamque resciunt, qui etiam impietate quam rabida, quæ solius fumi vaporibus poterat offocari, liberatam miraculo non credentes, porrectis per ignis medium hastilibus atrocissime fustigabant. Quod solum valde eam focus innocentibus læsit; nam cum tota hæc profligata fuisse ambustio, remanserat item discriminis expers. At vicedomini tantæ spectaculo novitatis attonitus, omnibus nostratrum regionum personis et partibus inaudito, barbariem protinus exhorruit rusticam, eosque a propulsanda jam sancta femina heroica, ut par erat, severitate dispescuit, et per officiales extemplo direptis ignibus sibi ascripsi præcepit. Qua sibi exhibita, dum eam circum circa ex circumstantiis eventum aucepundo dispicit, non dico interulam, sed ne crinum vel ciliorum partienlam ne minime quidem addictam læsioni comperit, in quo potissimum sola vincula experta ignes obstupuit.

Assumpta itaque ille Laudunum ipse contendit, et satis copiosiori urbem frequentia ingreditur ad gloriam, quam pridem habuerit cum proficeretur ad poenam. Quam vicedominius cum domum propriam divertere potuisset, et curam infletis doloribus adlibere, beata illa renuit, sed non alias plane ituram quam ad eam, quæ se salvaverat, dixit. Vestigium igitur ad ecclesiam retorquet, media basilica dominæ suæ pro beneficiis nostro tempore

inauditus gratulatura provolvitur. Indicibile est quid ibidem fuderit lacrymarum. Facebimus jubilos qui multiplicitatem singultuum exhalabant, cum nusquam cohibere sese valeret turba videntium, quibus superexcellens, super tantæ subsidio peccatricis generaliter præbebatur exemplum.

Tunc eam vicedominius sola indutam linea cum pavimento hæreret, sublata ab humero lacerna operuit, et post inexplicabiles orationes et gratias, a terra exemptam domum ducit. Quam quia hastarum impulsibus læsa erat, et ignium commaculata favillis, balneis, et quibus potuit fomentis, nec non et stratum mollitie mulcens, dum se putat restituere sospitati, post triduum consuluit Deus ipsius semper teræ salutis; tertio enim die salvatricis sua manibus spiritum secura depositus. A qua plane potuit corporale exitium deprecari, in anima meruit fusa libertate beari; ex quo etiam benedictæ ipsius claurit misericordissimum pectus; quod cum feminæ illi tanta visceris in exteriori periculo prætentisset, post gratiæ suæ experientiam noluit eam mundana denuo conversatione fœdari, sed mox quam cremando imaginarie sine læsura purgaverat, ad apicem supremæ liberationis eduxit. Vocabatur autem mulier eadem Teodeberga.

#### CAPUT XI.

*Miraculum de viro qui quod arari præcepisset B. Mariæ Magdalena festo die plexus fuerat, sospitati redditur.* — In Gratianopolitano territorio vir quidam ex vidua, que sibi nupserat, privignum habuerat, qui dum vitrico bubulci ferret officium, dies beatæ Mariæ Magdalena natalis obvenerat, quam idem juvenis inductione sacerdotiali cum audisset ab opere forensi inhibitam, vitrico agricultum imperanti reverentiam vetitæ solemnitatis objecit. Vocabatur autem idem Petrus. Vicit vitrici jurgantis imperium, bovesque aratro subjungens cum ipsius operis, ac animalium exsecratione prosequitur. Cum ergo jugibus cœpta maledictis illapidat, inutile sibi exauditur ad votum. Nam boves ac utensilia motis subitaneo tonitru elementis, fulmine absumuntur, et ipse qui id fieri exegerat, imprecando, suppicio atrociori quia diuturniori addicitur. Quæ enim bruta ac lignea cœlestis flamma voraverat, eadem ejus pedi extemplo subripuit, quem in brevi cum reddidisset exesum, tibiam quoque pervadens cruris pariter supra corripuit, carnes namque vorans, nervorum duritia tabidis fluoribus latescente, ossa retexerat, eademque easu quotidiano usque ad geniculum hac illaque disperserat; ad hæc cruris pulpa deficiens usque ad ipsa narium inguinumque contigua nudo osse jam male pendulo, pari sententiæ succumbebat.

Cum igitur pro misera sua habitudine, et putori, et pudori suis cœpisset esse parentibus, totum subsidio divino se contulit, et ad quādam ecclesiam beatæ Mariæ Magdalena nomini dedicatam efferi

se petuit: nec id plane injuria, ut cuius temerata festivitas occasio punitionis extiterat, si sibi placeat satis ultra tandem remedii causa rursus existat. Cui spei fortunatior quam sperabatur a plurimis eventus accessit; nam sacer ille, qui partes jam corporis superiores attigerat ignis, merito illius extinguitur, quæ ad pedes Jesu concupiscentiarum ignem extingui meruit lacrymis. Interea unius experientia pietatis jam jamque majora præsumens, cum ab extremis partibus prorsus esset inutilis, comperit quamdam ecclesiam Dei genitricis, communis dominæ, celebribus ubique dici miraculis insigne; habebat et Hippolyti martyris memoriam, ad quam cum se devehit impetrasset, ingreditur navem, quam dum molitur ascendere, os illud quod protendebatur aridum, quo nescio infortnio pupi illidit, et a sua compage resolvitur. Quod ille sumptum cum ad basilicam appulisset, intra parietis ecclesiae foramen abscondit.

Cœpit igitur inibi crebris obsecrationibus mundi interpellare reginam, ut quod aliis impendebat valentioribus, sibi prorsus impotis non negaret. Contignum fuerat Natale Dominicum, et miles quispiam saepe eum intuens basilicam reptando subire, elemosynæ causa in domum propriam declinare suasit. Cum ergo illuc aliquandiu desedisset, die quadam ad rivulum proxime defluentem sese contraxerat, et cruentem, qui veteris vulneris stillabat ex venula, haustis manu laticibus eluebat. Quod procax aliqua mulier attendens intulit. Frustra niteris, Petre, quia nunquam aut coxam, aut tibiam habiturus es deinceps. Hanc Petrus vocem ægerrimo concepit affectu. Ea tempestate prefati uxor militis parti edito decumbebat, miles vero, ut familiarius illa rein gerret, in alteram dominum concesserat. Pedissequæ noctu nescio quid acturæ, a camera in domum exteriorem devenerant, et Petrum subaudient crebris planetibus ingementem, quorum geminitum causa hæc fuerat: Virgo et mater super omnia benedicta, cum beato martyre Hippolyto in visione stratus ejus astiterat, quæ martyri, ut jacenti videbatur, imperabat. Restitue, inquit, eum antiquo vigori. Martyr vero imperanti humiliter obsecundans crus, tibiam, pedemque quaquaversum olim sparsa, divinitus ad instar futuræ resurrectionis in puncto compacta, recolligens, corpori ejus ac si surculum arbori cœpit subjungere. In qua insertione tantis torquebatur angoribus ut vicissim non sine clamoribus substridendo, et crebris rictibus, membrorumque motibus quid pateretur indicando, prædictas ancillulas quæ per domum vagabantur acciret.

Irrunt igitur, et illato adjacentis cubili faro, dum hac illaque dispiciunt, duos pedes Petrum et duo habere crura reperiunt. Tantus illico ex hoc intuitu mulieres stupor exanimat ut se non eas quæ venerant, sed mutari in alteras aestimarent. Conrectabant, et vera membra quæ tetigerant, sentiebant. At contra inde id tam insolitum sibi provenerat

æstuabant. Tandem difficillime excitatus, quis sibi restituisset amissa, a feminis perrogatur. Dixerat, inquit, mihi funesta mulier quia nunquam coxam, tibiam aut pedem essem habiturus. Cumque aperuisset oculos benedictam cum martyre Virginem adhuc lectulo estimabat astantes, quibus invisibiliter absentatis, rem refert. Interea ad dominum curritur dominus, eique insuspicibilis ille narratur eventus; emmetatur diu. Nenias quæ ferebantur existimat, ab asserentibus tandem victus suis se adibis infert, videt, vix præ stupore ad idem se cohabet. Intra idem oppiolum fratrem miles habebat uricum, cui super ipsa fortuna statim direxit nuntium, quem ille ex pridianis uxoris fetæ epulis appellavit ebrium; at vero postridie oppidanis jam illo ruentibus frater ille factum videre sustinens credit.

Additur ergo illi miraculo mirum quiddam, quod novum illud Dei opificium, et infantili teneritudine impari prorsus robore, et minus congrua inveni majestate. Coxa distabat a veteri in qua ex cruris alterius asperitate atque grossitie compositio valde diversa videbatur haberi; et hoc erat quod eorum qui eum ante non noverant valde admitebatur fidei. Non tamen poterat cruri vetusto ad corporis sustinentiam ullen tenus exæquari; attamen quorsumcunque migrabat, quo cunque videbatur in loco, totum divinæ commilitabat laudi, quod in ejus carne tam mirabiliter constiterat celebrari. Anno itaque integro magnificentia miraculi in homine claudicavit. Quo obducto, super omnes creaturas post Filium, et per Filium benedicta cum suo Hippolyto, sub eadem quæ prius venerat et nocte, et figura revertitur. Cujus novum plasma cum jubente piissima martyr beatissimus conrectare cœpisset, quidquid illi annotinæ creationi defecerat, excepta teneritudine cutis, et specie novitatis veterano senori simillime conformatur. Experrectus igitur, et visionis veritatem ex habitus pristini melioratione persentiens, dum superni spectaculi iterationem gestu suo cunctis enuntiat, et fidem facti roborat, et apud Deum, et Dei opera, nil existere imperfectionis acclamat.

*Leodegarius Vinariensis episcopus discutit miraculum.* — Praeterea cum ubique loci rei adeo innitate ferretur opinio ad Leodegarium Vivariensem, quinunc advivit, episcopum pervenit relatio, id ipsum plane in Gratianopolitano territorio, unde homo erat oriundus, fieri cooperat, sed in dioecesi Vivariensi finis obvenerat. Episcopus ergo insolito omnimodis rumore percitus, cum die quadam plurima procurum frequentia causas acturi coram eo venissent, adfuit et is in cuius domo acta res fuerat cum fratre proprio. Ad quos sic oravit episcopus: « Cumi vos inter omnes dioeceses meæ viros veraces ac conversationis legitimæ norim, obtestor vos coram hac probabilium præsentia personarum, ut quæ sincerius dici a vobis quæcum super signo illo, quod apud vos gestum prædicatur, referatis in omniam qui præsto sunt audientia. » Qui assurgentes uti relata

sunt retexuerunt omnia; a quibus etiam post perorationem ob astantium scrupulum dimovendum, certitudinem sacramenti exegit. Quo præbito, dilatis illico quas dicturi erant causis, pariter episcopus et proceres castrum adeunt, et hominem in ecclesia turba circumstante reperiunt. Aggreditur Petrum episcopum, et primum de infortunio sciscitus causas audit cum effectibus. Demum fortunæ recentis eventus inquirens auribus relationem, ac rem obtutibus haurit. Perserutatur denuo utrum aliquibus conjicere valeat argumentis, si eadem sibi essent insita membra quæ prius an altera, respondit ille se nescire: « Non, ait, possum me hac illaque procuris ipsius novitate dispiciendo torquere, vos potius scrutamini, et si in ipso cicatricem repereritis ipsum quod quondam habuerim fore neveritis. » Subtilius querunt, nec mora vulneris signa conspiciunt, nec dissidentur mirabilem Deum.

Igitur recedente episcopo cum ille pro tanta sibi impensa gratia quam Deo redderet vicem cogitaret, ad hoc tandem animum appulit, quatenus a forensi quod omnibus ubique erat factus theatro, Deo victurus soli sub reclusione secederet, et quia erga se inaudita fecisset, dignum retur ut conveniens Dei munificentiae quid ageret. Itaque divinæ speculationi sic vacans, cum de omnipotenti beneficio humanæ visitationis præmia nulla jam quæret, invenit diabolus contra ejus immunitatem quid machinarum ingereret. Sciebat plane maximum incentivum ad affectandam Dei genitricem, et ad sperandas magis ac magis ejus misericordias id miraculi omnibus acqüidisce. Unde nitebatur ex aliqua morum ejus corruptione, divinitus in ipsa perpetrata fœdere. Quem ergo insolentissima Deus pietate sanaverat, insolentiori diabolus infestatione pertinet.

Intempera enim cujuspam noctis hora dum cunctum sese deponeret, inopinata ad purum sine exuvias species, imo vera effigies sibi mulieris appareat. Quæ cum cætera corporis, tum maxime puerperii ignominiam impudenter ostendens, ad fœdos usus lenociniis moliebatur allieere. Porro blanditiis minus agens, hominem terrore maectabat, cum neutro posset, injectis etiam manibus pellicere vi volebat, et quo ille vivacius flagitio resistebat, tanto pestis hinc et inde rabidior incumbebat. Ab illa ergo nocte omnibus se ei noctibus semina ipsa præbebat, et quibus poterat versutiis turpi licentiae inurebat, intantumque fatigabat ut mane ad se venientibus visitandi gratia vix respondere valeret, vix id quod perpetiebat edicere.

Cum igitur multis quod ab eo ferebatur veniret in scrupulum, accidit supervenire castro illi quem prælibavimus Vivariensem episcopum. Ea denique nocte quidam equites cum cereis suis pro reverentia proximæ basilicæ, cui ille appendicem habebat cellulam, in ipsius vestibulo vigilabant. Et ecce in ædicula interiori ubi commanebat solita de qua auerterant turba perstrepuit; ad fenestram itaque sese

proripiunt, intro prospiciunt, et in medio Petri conflictum atque mulieris attendunt, quorum ille robator præsentia jamjam lassabundus exclamat. Pro Deo stolam sibi ab ecclesia sacerdotalem oculis exhiberi; qua raptim sibi injecta, collo diabolicæ illius pellicis implicuit. Et in tantum perniciei illius jugulum torsit ut eam pavimento prosterneret, ac penitus suffocaret. Hoc in crastinum milites episcopo referunt. Adest episcopus, victoram stupet quan per Petrum exercuit Deus, clientes proprios dirigit, qui tecto refecto, et fune demiso, gulaque innexo extraxere anum ingentissimam, et ab oppido elatam addixere sævis ignibus concremandam.

Postquam autem eam Petrus offocavit in cellula, tantus fetor ipsum qui sacris illam armis peremerat et astantes obsedit ut nemini ambiguum foret cadaver turpissimæ cujuspam exstisset, quod diabolus induisset. Cui opinioni hoc non minimum præstitit argumentum quod in fenestrellula latrinarum panni scissi ac putridi reperti sunt. Et quis hos alios esse putaverit, nisi hos quos circa se impurissimum illud in obvolutione sua cadaver habuerit? Etenim per fenestram illam irruere consoeverat. Denique additur a quibusdam, a quodam etiam constat scripturæ mandatum, quod, triumphato hoc modo diabolo, consilio pontificum Gratianopolitani ac Vivariensis abdicata reclusione quasi periculosiori statu, monastico coutuberno quasi contigi solatii gratia sese contulerit. Quod minus ideo ratum constat, quia Vivariensis episcopus, qui haec ipsa quæ magna ex parte viderat, domino nostro regi excellentissimo Ludovico, præsente venerabili Guillermo-Catalaunensi episcopo retulisse dignoscitur, nil tale dixerit. Et hoc quam nuperrime a Vivariensi auditum Landunensi episcopo domino Bartholomæo, et mihi cum ante panos dies Catalaunensis ipse narraverit, cum Petri monachatum ei, sicut ab aliis audieram, objecisset, Vivariensem nil super hoc dixisse prohibuit. Nec mea vel cujuspam interest utrum monachus sit, vel non, cum sit credi operæ pretium, ipsum bonum sub quocunque degat proposito habere studium, cui tantum Deus tribuerit post exhibita in se signa triumphum.

Ecce benedicta ista quod desperatissimum est apud homines, quam ambienter efficit. Et certe si in sancto quolibet viro tale quid patravisset, merito id fieri acclamasses, verum in bimbo simplici et omnium inscio, quid, nisi consuetudinariam gratiam, dices? Raro enim alias se mirabilis ipsa glorificat, nisi in iis qui eam rogare nesciunt, aut extremo peccatores sunt. Nec id injuria, quid enim obsequenti sibi dabit ipsa justo, si tantum sit pia ac visceralis aversio? nec super hoc ipsa degenerat. Venit Filius suus non justos, sed peccatores vocare (*Luc. v. 32*). Qua enim ratione humano generi matrem se magis esse monstrabit, quam si offensos sine meritis ad se contrahit?

CAPUT XII.  
Miraculum quo B. Virgo adulteram convertit. —

Est præterea aliud quiddam relatu breve, exemplo magnificum, cui arrigendæ sunt annes omnium peccatorum. Ex relatione Atrebaten sis episcopi mulier quædam fuerat, quæ conjugatum virum quemdam a propriae uxoris latere illecebrosissime distrahebat. Quæ licet aut pretiis, aut voluptatibus acta cum quotidiana mœchiæ non parceret, et homini misero feedis amoribus obvoluto, jam conjugis etiam memoria ab animo pene deficeret, tamen quoties ad ecclesiam ibat antequam quidpiam oratura precis expromeret, quo cuncte imaginem benedictæ dominæ nostræ prius sibi videre contingeret, angelicam sibi salutationem qua poterat reverentia exhibebat. Ave, inquiens, *gratia plena, Dominus tecum*. Condux itaque viri, quæ sibi adulterinos præferri dolebat amplexus, acerbissimis in æmulam stridebat ardoribus, et cum mariti timore nihil auderet in illam, quanto in publico ne quidem grunniere fas fuerat, tanto rabidius apud se fremebunda furebat. Ergo ad beatissimam istam conversio ejus tota sic erat ut ei quæ se a suo fraudabat conjugio, per hujus domine potentiam cœlestes imprecaretur iras, atque muliercula illius spurcissimas rivalitates non diu pateretur iueltas.

Cumque piissimos reginae cœlestis affectus adversus eam se lamentis jugibus graviter irritasse putaret, ipsa per se benedicta eidem in visu dignanter apparebat. Quare, ait, super muliere illa ultiones a me expetis? ego plane nihil adversus eam possum, quia quotidiana sedulitate illud mihi meum denuntiat gaudium, quo gratius aliquid ab ulla creatura audire non possum. Putasne quod contra hanc pro te debeam irritari, quæ de mea ineffabili gloria quasi commemorans me provocat gloriari. »

Ex quo dicto cum animus feminæ a solitis imprecationibus penitus desedisset, contigit æmulam sibi quadam die venire obviam; quam veluti a divinis jani desperata judiciis, conviciis lacessere sic intendit: « O turpissima, quot animæ meæ angores inflgis, quæ et lenociniis tuis carnem mean a me dirimis, et præsentiam tuam, quam incomparabiliter oderim, mihi obviando opponis? Quam libenter, immo quam debite tuo mala corpori inferrem, quæ quotidianum menti, auribus, ac oculis meis non desinis irrogare dolorem? Ubi enim a continuis non vacat aut thorax aut mensa rancoribus, quid ista quam mihi infers hostilitate crudelius? Restabat unicum illud spei, quod Virgo Dei mater aliquam in te jacularetur ultricem sententiam, sed ab hac omnino jam decidi, ipsa enim mihi dixit, quod ipsum *Ave*, quod sibi depromere quaque die præoccupas, in tantum eam demulecat, ut nullum tibi inconveniens inferre prævaleat. » Quod illa audiens, utrum verum esset, et haec ab ea audisset argutissime perscrutatur. Quod ea asserente, altera intulit: « A modo, ait, noveris quod nullatenus maritus tuus me deinceps ad tui injuriam contetur, et illi

super hoc meam devoveo pudicitiam, quæ meo tam parvo obsequio tantam præsttit indulgentiam. » Unde factum est ut ex eo quo ista castitati se redideret, illa simultatem deponeret, et hoc totum ad salutem utriusque inter omnes feminas benedicta disponeret.

### CAPUT XIII

Pro his itaque peccataricis animæ devotionibus tam liberaliter acceptatis, pro salute etiam corporum in quibus non queritur nisi communis sospitas animarum, ad ipsius laudem iterum vertamus articulum. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus* (*Psal. XLVII, 1*). Et in quo dicitur magnus, qui exprimi non potest quomodo magnus? Dicat qui melius sentit: mihi major Deus in nullo videtur, quam quod humanitus nobis condescendisse dignatur. Si enim, ut dicitur: « Omnipotentiam parendo maxime et miserando manifestat (*Orat. Dom. 10 post Pentec.*), » dicam et ego quia nil in Deo sublimius quam quod se homo factus humiliat. Qui sane in eo quod mitis et humilis corde est (*Matth. XI, 29*), se imitandum solummodo proponit, in quo penes ipsum magnificemur ostendit. Unde omnipotens sermo a regalibus sedibns dicitur venisse (*Sap. XVIII, 15*). Qui enim cœlo terraque non capit, magis nihil mirum est quam quod in utero pueræ concipiatur. Nec alias, ut mihi videtur, ipse omnipotenter est quam quod creaturæ Conditor intra creaturam contentus est. Nec usque laudabilior quam in quo factus est clementior. Sed hoc in Dei civitate, de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te* (*Psal. LXXXIII, 3*), in qua natus est homo cum eam fundaverit Altissimus ipse. Et quid gloriosius dici de ea potuit quam quod universam regni cœlorum gloriam intra se continuit? Et quis est mons civitatis, nisi Filius virginitatis? Ipse lapis abscisus de monte sine manibus, qui implevit universam terram (*Dan. II, 34, 35*).

Hæc fundatur exultatione universæ terre (*Psal. XLVII, 3*), quia per sanctum Spiritum in matrem suscitatur qui est oleum totius ecclesiastice letitiae. Unde est: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime* (*Psal. XLIV, 4*). Gladio super femur accingitur, dum concreto sibi per Spiritum sanctum corpore circumscribitur; et hoc super femur, quia ex divinitate præcedit quidquid ex genitrice foris assumitur. Hoc etiam facit potentissime, nihil utique magis quam quod sit parvus in Virgine.

*Mons Sion, latera aquilonis, cirtus Regis magni* (*Psal. XLVII, 5*). Si civitas Dei est in qua Deus habitat, videamus idem habitator unde constat. Mons, si divinitas intelligitur, consequenter latera aquilonis humanitas appellatur: in excellentiam namque deitatis omnis acies spiritualium nititur, quia *Sion contemplatio* interpretatur. Latera aquilonis improvidentiae sunt antiqui hostis. Quidquid enim a latere est, in profectu mi-

nus est : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor. ii, 8*). Unde et homo captus dicitur, quia suo impetu ignavia addicitur. Mons ergo et latera aquilonis Deus est, et integumentum corporis, quo fallitur aviditas cœca latronis. Et quare non latus, sed latera ? Quia duo sunt in quibus sibi improvidus fuit. Alterum, quod ex indebita Dei Filii pervasione jus, quod usurpabat in homines, perdebat antiquum; alterum quod subiturus erat ante tempus perenne tormentum.

Ad hanc civitatem confluent qui in omnis criminis labyrinthum præruptius ruunt. Iste alienigenæ sunt qui regno cœlorum vim faciunt, factique pie violenti diripiunt (*Matth. xi, 12*). Iste Tyrus, qui repellunt omne pondus, et circumstans se peccatum. Unde et Tyrus interpretatur *angustia*. Hic populus Æthiopum (*Psal. lxxxvi, 4*), nigri videlicet fuligine peccatorum, quidquid est peccatis immanius, ad hujus benedictæ tuitionem omni civitate sinum se immersit proclivius. Et ipsa est civitas, in qua qui per affectum non habitant, nullius momenti habent vitas. Quæ quoque lætantium omnium est (*Ibid., 7*), quia quæcumque ad illam piissimam præcordialiter se ingenerit, gaudiosæ spei exsors nou est. Et quæ sunt portæ Sion, quas diligit Dominus (*Ibid., 2*), nisi æternæ virginitatis, quem prima habuit appetitus, nulli comparanda in tanta sublimitate humilitas : transcendens omnia fidei ac obedientiæ virtus? Quid est Sion, nisi ipsius felicissima anima, in qua supereminuit ejus quem in se continuit divinæ speculationis gloria? Per has exterioris exempli portas nostra addiscit intelligentia quanta in ejus interiori habitu viguerit cœlestis urbanitas. Nec ad has Jacob tabernacula valent (*Ibid.*), quia quæcumque exterius exercentur perfuictoria sunt, et spiritualia corporalibus neutiquam æquipollent. Præsertim cum ejus fundamenta fuerint in montibus sanctis (*Ibid., 1*), id est cum Abraham, Isaac, Jacob, David patres, ex quibus Christus, non tam cæremoniis, quam spirituali benedictam hanc filiam suam virtute præcesserint.

*Igitur lætetur deserta et invia* (*Isa. xxxv, 1*). Et quid Maria desertius, cuius ad instar angeli ab omni sensu voluptatis extorris fuit animus? Quid magis invium, quæ nunquam mente admiserit vel ipsius legitimæ conjugationis assensum? Potest plane in mente cuiuspiam vacare appetitus, et patere tamen viæ maritalis adventus. Unde sequitur : *Et exsultabit solitudo* (*Ibid.*). Quæ deserta fuit per impossibilitatem, invia etiam per lieitorum contemptibilitatem, in tanta solitudine jam exsultat, quia sine præcedentium ac succendentium exemplo constat. Unde et beatam se dicendam ab omnibus generationibus cantat (*Luc. i, 48*). Quæ enim adeo solitaria quam illa quæ totum quod est in creatura prætervolvit?

*Et florebit quasi lilym* (*Isa. xxxv, 1*). Natura liliæ est ut desecto solo tenus stipite si terra obvolvatur, aut aquæ ab imo inferatur, coma ejus efflo-

reat ac si radicitus hæreat. Virgo radice caruit, quia ad concipiendum Dei Filium usus omnino naturæ defecit. Ab horiana ergo dum massa succedit, humilitatis terra inferius introrsum videlicet sepelitur, sancto pariter Spiritu humectatur. Inde candor divinæ illius humanitatis egreditur, cuius fidelium universitas singulari odore nutritur, cuius folia repanda patent, quia virtutum ipsius claritudines ad nostra se exempla retorquent. Subtilissimi intus virgularum radioli aureum colorem præferunt, quia omnes ejus motus intrinseci supernæ sapientiæ gloriam promunt. Unde quæ sine humano semine per Spiritum germinavit, per eundem Filii sui membra germinabit, id est germinis causa constabit. Lætabunda exsultat (*Ibid., 2*), cum non tam lætitiam quam similitudinem lætitiae exterius afferat. Laudat vero cum ineffabili Deum interius sonoritate glorificat. Unde magnificat ejus anima Dominum, et exsultat spiritus ejus in Deo (*Luc. i, 46, 47*), quod est psallere spiritu, psallere et mente (*I Cor. xiv, 15*).

*Gloria Libani data est ei* (*Isa. xxxv. 2*). Libanus dicitur *candor*. Gloria Libani cœlestis est speciositas regni. Hæc dominæ illi benedictæ specialius datur, cui ipse Rex gloriæ principaliter obnoxius, ex propriæ carnis collatione dignoscitur. Et quid in cœlo ei non obtemperat, cum ipsa suo et omnium Creatori ex parte pene imperat? Deus bone! quantum mentis in illa femina est, quæ, licet proportionaliter, divinum quiddam tota est. Et in terra datur ei decor Carmeli et Saron (*Ibid.*). Carmelus, *cognitio circumcisionis*, Saron *princeps tristitiae*. Per Carmelum, justos; per Saron, intellige pœnitentes. Loquitur enim Deus pacem super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor (*Psal. lxxxiv, 9*). Cognitio circumcisionis experientia est omnino dæ viiiorum abscisionis, hoc ad sanctos. Principes autem tristitiae sunt, quorum unus ait : *Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (*I Tim., i, 15*). Effectum autem pro causa pojendo, tristitia peccatum est. Tristitia ergo sunt principes qui se non dissidentur potissimum peccatores. Quod totum est dicere : Quidquid innocens, et peccator pœnitens ad Deum possunt habere decoris, totam sui boni originem ad gratiam referant tantæ Genitricis; quænisi sic genuisset, sic justus, sic pœnitens nullo modo splenduisse. Hi visuri sunt gloriam Domini (*Isa. xxxv, 2*), quia illam, in cuius uteri thalamo de suis gloriatus est nuptiis, cum sui Christi, et eorum quos redemit fructu sunt visione perpetua complexuri. Visuri etiam sunt decorum Dei nostri (*Ibid.*), ipsam scilicet jam clarificatam carnem cui Deo propitio merebimus conformari.

#### CAPUT XIV.

*Apostrophe ad B. Virginem.* — Aliquandiu, super omnes benedicta feminas, in tuis laudibus delectati, ad te tandem licet supra modum peccatores, cogitationes ac verba convertimus. Desiderio nostro ad te laudandam, ad te complectendam satisfacere non

possimus, a te tamen medullitus posse deposcimus. Reverberant nos carnalitatum turbines; verum ad dirimendos illos provocant nos expertæ semper in te dulcedines. His exsatiani, has avidissimis præcordiis combibere satius est quam vivere. Et quis vivit nisi qui te affectualiter sentit? Quis nisi demens non optet emori. si videre te possit moriendo mercari? Nonne est nostræ consummatio gloriae, si vel possimus inter nos et tuum Filium te mediaticem habere? Ex debito est, Domina, si nostri memineris, propter hoc enim facta; propter hoc es electa, ut apud dulcissimum Filium causam nostram piissima tuearis. Insere cordi et ori nostro tui nominis irremissam memoriam, quam cui dederis, securus dico, quia jam cœlestem incipit prægustare gloriam. Quid enim te dulcius, quid tua recordatione securus? tibi enim non orare, sed ubique imperare præsto est. Eube ergo ut in præsenti miseria te nobis invisceres, et jam miseria non est. Fac ut quidquid sumus ex te simus, et cum nos tibi feceris, prater tua nil restet ex nobis.

*Rhythmus ad B. Virginem, et S. Joannem Evangelistam*

Erumnarum et dolorum plena gerens viscera,  
De meorum exsecranda peccatorum fovea,  
Quorum miser, velim nolim, patior damna,  
Te reclamo salvatricem, puritatis domina.  
Ad tuorum me factorum mentionem conseruo.  
Te spem meam singularem, te salutem computo.  
Non aspernans me contemnas, dum te, Mater,  
[invoco.]

Sed hoc licet sim indignus, fac mihi quod filio,  
O beata orbis omnis pretio valentior!  
Tu prædicta Dei voce mundi sub primordio,  
Cujus partum tota vatum præconatur concio,  
Sola plebis expetenda Christianæ portio.  
Virgo, dives prisco pietatum quondam tempore,  
His diebus non minora signa da clementiæ;  
Nam si taces, o miranda, qua spes erit venie?  
Nos repulsos quam crudeles depriment miseriæ!  
Graves mei sunt reatus; placet Deum, Domina,  
Si te piam sensit olim meretrix Ægyptia,  
Virque qui te atque tuum Filium negaverat.  
Corde toto te querentem cur fraudabis venia?  
Tui nunquam moris fuit miseros despicere,  
Sed plerumque non rogata consuesti visere:  
Quanto magis ergo debes postulata adflore,  
Quæ profundo appellaris mentis meæ vulnere [f., vi-  
[scere],

Plena Dei, et piorum plena prorsus viscerum,  
Super omne quod humanæ linguae valet studium.  
Jam tuorum elucescent claritates munerum.  
Orna mores in me curans quidquid est mortiferum.  
Nunquam fuit, nec existit par tibi vel similis.  
Toti enim creaturæ superexistas nobilis.  
Apud Deum sic vox tua constat impetrabilis  
Ut ad aures Regis regum nulla tam sit habilis.  
In nos ergo per materna respice præcordia,

SUMMA AUREA DE B. V. MARIA. VI.

Atque nostra tu tuæ proli suggeri suspiria,  
Fluxum carnis atque vagos appetitus tempora;  
Rore semper castitatis pectus hoc refrigera,  
Omne nequam quod in nobis exsecrari, obrue,  
Mores aptos, cor quietum, sancta quæque con-  
[gere.

Virus ejus atque dolos pellens, obsta Satanae.  
Nec ipsius hortamentis nos permittas cedere.  
Sola namque si cœlorum surgis in concilio,  
Præcatura pium Patrem cum prædulci Filio;  
Succlamabit mox sanctorum tibi juneta concio  
Et petita quæque tuo suberunt arbitrio  
Et, Joannes, tu qui quæque castitatis con-  
[scius,

Tantæ matri, Christo dante, successisti filius.  
Audi mea secum vota claris, precor, auribus,  
Et a cunctis me diverte pessimis operibus,  
Tu, qui terras incolenti mire charus Dominus  
Exstitisti, tam felici dignus privilegio  
Pro tuorum apud ipsum loquere remedio,  
Frangens regna mortis, ejus subde nos imperio.  
Illi Verbo quod prompsisti quanto est vicinior,  
Tanto magis interventum presta sollicitior.  
Prosint tuæ sanctæ preces se deflenti misero,  
Ora semper pro multorum peccatorum conscio  
Tuæ multum indigemus largitatis munere.  
Quid remittat ut offensas Deo differs dicere.  
Quidquid enim postulabis consequeris facile.  
Ergo tandem exoratus infelices respice.  
Da perennem quam amasti castitatem corporis,  
Et a cunctis quæ molestant exime contrariis.  
Auge sensum, firmâ pacem, quidquid nocet re-  
[move.

A futuris me refrenans facta mala dilue.  
O Regina, jam præsenti inclamata carmine,  
Custos ejus ac minister præpotens apostole,  
Apud eum qui præ cunctis vos probavit agite  
Ut dignetur ad se nostros animos erigere.  
Passo sane Christo quondam satis estis memores.  
Juxta crucis ejus aram quam stetistis flebiles.  
Per hanc ergo sanctæ mortis oro vos mœstitudinem  
Impetratis uti nobis Jesu pii gratiam.  
O Maria, quamvis ore te polluto nomine,  
Audi tamen, et a culpis interim da requiem.  
Jugem quoque hac in vita da tui memoriam.  
Da, Maria dulcis tota, in futura gloriam.  
O Joannes, digne multum *Dei dici gratia*,  
Nos et omnes qui te quærunt in periculis libera.  
Etsi corpus tribulatur, mentis pelle noxia,  
Comprobetur ex effecto quod sit in te gratia.  
Da, Maria, tuis servis animæ munditiam.  
Da, Joannes, adversorum vincere molestiam.  
Nosmet ambo ad virtutis lineam reducite:  
Ut conjungi mereamur claritati cœlicæ.

*De præcellentia Virginis.*

*Dignitate angelii præcellunt homines. Angelos longe superat beata Virgo.* — Aliud quoque non præterire operæ pretium reor, quod illud singulari:

ter mundum, utpote quod est et supra et extra etiam mundum, cui nihil, dum corruptibilia regit, corruptibilitatis aut vitii infligere aliqua valet molestia, non alios ad sibi familiarius obsequendum quam incorporeæ substantiæ creaturas assumpsit. Quos siue jam immutabiles æterna Deo obediendi voluntas, et excellentis honor naturæ, ab omni quod est indecens integerrimos reddit, sic suo Auctori creaturis aliis gloriosus eorum ordo vicinus hæsit. Quorum quanta habeatur summa, quamque præemineat dignitas, ex eo præcipue potest perpendi quod certa auctoritate scitur nullum hominum ad eum sanctitatis gradum pertingere posse, ut minimum angelorum gloriæ quantitate præcellat. Inde tamen excipitur quæ Dominum gloriæ ex se protulit Virgo, cui per Filium nil cœlestè non subjectum, non novitia, sed veteri et probata testificatione didicimus.

Omni itaque nobis acumine animi pavidendum Deum, cum sibi ministros instituit, tunc adhuc futuro generi hominum, quos peccatores noverat, mutant quamdam in suis angelis regulam præscripsisse, ut cum Regis sui curiam et ejus officiales singulos attenderent, in cubiculariis et pincernis, ut ita loquar, familiaribusque necessariis singularem munditiæ claritudinem manifestarent; et exinde colligerent, quod intra palatinorum ejus contubernia admitti nullo modo possent, nisi maximo sudore ejusdem participes nitoris ac pudicitiae, quam illi naturaliter insitam possident, prius esse curarent. Non autem eos carnali præpeditos condidit gravidine, quibus collectatio adversus carnem esset et sanguinem, et violentia dinturna belloque nimio tandem sicuti nos ad impassibilitatem pertingerent; sed absque sexu, absque exteriori interiorique creans molestia, similitudinem nobis perfectionis, enjus conformitati inhibare, quantum nostro pulvri facul-

tas est, indecenti studio satagamus, præfixit eosdem.

Sed hæc tanti decoris, hæc tam digna Regis Dei familia, quibus nihil post suum auctorem conferri potest, illi in mulieribus benedictæ, quæ Deum suum peperit, virginitati subjacet, et ipsa vere sublimis, quia humilis, dum sui dispensationem Conditoris adorat, ejusdem dispensationis ministram consequenter honorat. Laeta se ei subicit per cuius officium partus damna proprii ordinis, de humani generis supplemento reparari gratulabunda cognoscit. Mirum sane, sed veri plenum, Virginem angelis principari.

Sed scio mihi objiciendum non Virgini, sed Domini Matri angelos fore subjectos, rem in nimium me extollere velle. Esto, attamen constat quia si Domini Matri subjiciuntur, et Domini Mater non esse virgo non potest, profecto Virginis subesse probantur. Privilegium siquidem potentiae ascribendum est Matri, sic tamen ut virginitas non negetur pariter honorari, quamvis ejus laudi, integratæ scilicet satis esse queat, quod de illibata nascitur Deus. Sed quid tantopere a proceribus ei honorem queramus impendi, cum per se Rex ipse ita eam niuneribus prosequatur, ut ille affectus, quem beato apostolo, qui pectori ejus coenantis incubuit, Matri ad totius decus gloriæ sufficere posset. Mira cætera, quæ pene modum felicitatis exeunt, pigritamur attexere. Pensanda sagaci ea lectori committimus, qui si plene intenderit, quod queratur de Joannis honore non erit, qui virgo Virginis Filio sub tanto matris adoptiva successione successit. Haud dubium igitur, quin majestas angelica omnem virginem ordinem præmaxime veneretur, cum nihil inter quarumque virtutum sanctos nobilius, sibique similius habeat. (*De Virginitate, cap. 5.*)

## S. BRUNO, EPISCOPUS SIGNIENSIS.

### LIBER DE LAUDIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIE.

#### CAPUT PRIMUM.

*De laude B. Mariae civitatis Dei.*

Ad laudem Matris Domini invitat nos, dilectissimi, Spiritus sanctus per os David patris ipsius virginis, dicendo: « Gloriosa dieta sunt de te, civitas Dei (*Psal. lxxxvi, 2.*) ». Solet quippe civitas vocari quælibet magna hominum collectio, munita unlique muro et turribus, ut illius munitionibus hostes repellant, et se per illos defendant. Non incongrue ergo virgo Maria civitas Dei appellatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus ita ex omni parte vallavit, ut nullus inquam libidinis accessus adasset, et omnis inimicus a suæ virginitatis corruptione deesset. Unde et in laude ipsius Salomon applaudit, dicens: « Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant. vi, 9.*) ». Virgo quippe Maria merito filia Jerusalem vocatur, quia ipsa fuit filia visionis pacis, id est filia et mater

illius, qui fecit pacem, iis qui erant longe a Deo. id est gentilibus idololatris, et iis qui prope, scilicet Judæis qui propinqni erant Deo per cognitionem legis. Unde in nativitate ejus ab angelis canitur: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis (*Luc. ii, 14.*) ». Haec filia Jerusalem pulchra est per internarum decorum virtutum, et decora est per exemplum virginitatis, quod toti exhibuit mundo. Est etiam terribilis ut castrorum acies ordinata, ad quam omni virtute circummissam non audet aliquis hostis accedere, ut quæ Spiritus sancti protegitur obumbratione. Unde et de hac civitate jure gloriosa et magnalia dicuntur, non solum ab hodiernis, sed etiam ab antiquis Patribus et angelis. Nonne enim valde gloriosum est, quod de ea ipse David pater ejus in hoc eodem psalmo dicit? « Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal. lxxxvi, 5.*) ». Impossibile est enim

quantum ad alios homines, ut alquis sit fundator civitatis, in qua nascitur; quia antequam sit natus, non potest fundare civitatem. Sed Christus, qui est Altissimus, per hoc, quod Deus est, ante omnia tempora fundavit civitatem hanc, id est matrem creavit, et tamen ut homo in fine temporum natus est in ea, sumendo carnem ex ea. Mirabile est ergo et gloriosum in hac civitate, quod ille qui fundavit eam natus est in ea. Gloriosum enim fuit et admirabile, quod in figura istius civitatis virga Aaron subito floruit in templo, et moes amigdalinas produxit sine aliquo humore (*Num. xvii.*). Significabat enim, quod haec gloria virga, quae secundum Isaiam (*cap. xvi.*) fuit virga de rabe Jesse, genuit florem, id est Christum, qui est flos campi, id est mundi, et lumen convallium, secundum Salomonem, et cum non ex aestu mentis, sed ex superveniente Spiritu sancto concepit. Unde Salomon in Canticis cantorum gloriam istius virginis decantat, dicens: « Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus: emissiones tue paradisus (*Cant. iv, 12.*) ». Virgo quippe Maria fuit hortus, in quo varii flores virtutum erant, et conclusus, quia undique virginitate munitus. Est et fons signatus sigillo sacrosanctae Trinitatis. Et emissiones, id est fructus ejus sunt paradisus, id est deliciae, quibus delectatur Deus; cuius odorem longe ante odoraverat Isaeus, dicens: « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, qui benedixit Dominus (*Gen. xxvii, 27.*) ». Et Isaies: « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa. vii, 14.*) ». Et Jeremias: « Faciet Dominus miraculum super terram, semina circumdabit virum (*Jer. xxxi, 22.*) ». id est virgo Maria portabit in utero Christum, quem totus mundus capere non potest. Et Ezechiel (*cap. xlvi, 12.*): Vidi portam in domo Domini clausam, quam Dominus intravit, et exivit, et clausam reliquit quia virgo ante et post partum. Unde Angelus ad eam: « Ave, gratia plena, Dominus tecum: ecce concipes in utero, et paries filium; sed Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc. i, 28, 31, 35.*) ». Recte ergo dictum est a David: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal. lxxxvi, 3.*) ». Et nos ergo, fratres, Matrem Domini gloriosam eum patriarchis et prophetis et angelis praedicemus, et laudemus, ut eam apud filium suum pro nobis orantem sentiamus, et ipsum filium ei pro nobis annuentem agnoscamus in saecula saeculorum. Amen.

## CAPUT II.

*De nativitate B. Marie Virginis.*

« Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaeus. Isaeus autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus (*Matth. i, 4.*) ». Et reliqua. Audivimus modò in lectione evangelica, de qua gente, de qua tribu, et de qua stirpe beatissima Virgo Maria originem duxerit. De qua ipse Dominus et Salvator noster secundum carnem factus est. Et valde quidem ad rem pertinuit

ut Evangelistæ hauc lineam Christi generationis tam longam componerent et ordinarent, quatenus sciamus non solum ex quibus patribus natus sit, verum etiam unde mortem, et unde vitam habeamus. Primum hujus linea caput est Adam; secundum vero Christus. Haec linea incipit ab Eva, et desinit in Mariam. In principio mors, et in fine vita consistit. Mors per Evam facta est, vita per Mariam redditâ est. Illa a diabolo victa est; haec diabolum ligavit et vicit. Cum enim ab Eva usque ad ipsam Mariam linea extendatur, in ipsa tandem ille hamus ligatus et incarnatus est, per quem captus est ille Leviathan, serpens antiquus, qui est diabolus et Satanás, ut qui per feminam in regnum intravit, per feminam de regno extraheretur; et qui feminam illusit, et suis sibi vinculis ligavit, ab hac una femina illuderetur et ligaretur. Hoc est enim quod Dominus ad beatum Job loquitur, dicens: « Nunquid extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? Nunquid illudes ei, quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis? (*Job xl, 20.*) ». Non tu, quasi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipsi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per unam ancillam meam cum ligabo, et fortitudine privabo. Haec est illa nobilis ancilla, de qua modo loquimur, beatissima virgo Maria, quae etiam de seipsa loquitur, dicens: « Magnificat anima mea, Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ sue. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc. i, 46, 47.*) ». Vide humilitatem; ancillam se vocat, quae cœli terraque regina a Deo constituta est. Legerat enim: « Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo inveneries gratiam (*Ecli. iii, 20.*) ». Sed considera potentiam Dei, qui tantam superbiam per unius virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam superandam cœlestes fortitudines mittere, unam ex ancillis mandavit, cuius humilitate et sapientia ille ligatus est, et superatus, de cuius potentia et fortitudine ipse Dominus ad eundem Job loquitur dicens: « Ecce Behemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedat. Habet autem fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Non est potestas sub cœlo, quæ ei comparari possit. Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae (*Job xl, 10.*) ». Verba consolatoria sunt, quibus Dominus beatum Job de suis tantis afflictionibus consolatur, quibus hic hostis superbissimus et iniquissimus eum afflxit. Quaedam siquidem consolatio illi est, dura audit, cum quanto hoste bellum gesserit, et Domino protegente superatus non fuerit. Ecce enim ille, qui quasi bos feminis, ita omnes populos et nationes devorat et perdit. Hunc tamen innum hominem totis suis viribus superare ad blasphemiam, sicut putabat, vel ad peccatum aliud provocare non potuit. Unde etiam scriptum est: « Quia in omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est (*Job i, 22.*) ». Quod autem fenum populos significet, testatur propheta, qui ait: « Vere fe-

num est populus (*Isa. vi, 8.*) . « Et quare fenum? Quia cito florem et pulchritudinem amittit, siccatur et perit. Absorbet autem Behemoth iste omnes fluvios, et non miratur, sed insuper habet fiduciam, quod influat Jordanis in os suum. Quid per fluvios intelligere debeamus, Scriptura nos docet ubi ait : « Aquæ multæ, populi multi (*Apoc. xvii, 15.*) . » Sed non miratur Behemoth, neque pro magno hoc habet, quod alios fluvios absorbet, nisi ipse quoque Jordanis, in quo Dominus baptizatus est, et per quem baptizatorum populus designatur, influat in os ejus. Sunt enim, sicut scriptum est, escæ ejus electæ. Ipsos Christi discipulos cribrare non timuit, et ad proditionem Judam concitatavit (*Luc. xxii*). Non curat latrones et adulteros, non curat vulgus ignobile : monachos et sacerdotes persecutur, et ipsos episcopos devorare conatur. Non est potestas sub cœlo, quæ ei comparare valeat. Solas igitur eas potestates timet, quæ super cœlos sunt, et has et illas jam expertus est. Iotas quidem vicit, sed ab illis superatus est, secundum illud : « Michael et angeli ejus prælabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non prævaluerunt, neque locus est inventus eorum amplius in cœlo (*Apoc. xii, 7.*) . » Cum illis igitur pugnat, qui sub cœlo sunt, et qui adhuc vanitatibus subditi sunt. Omne tamen sublime videt, cor ejus exaltatum est, oculi ejus elati sunt, adhuc in magnis ambulat, et in mirabilibus super se, nescit humilia cogitare. Sed si vis scire quam sublime videat, ipsum interroga, et ipse tibi respondeat : « In cœlum, inquit, ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo (*Isa. xiv, 13.*) . » Pro hac superbia dejectus est, nondum tamen humiliatus est, adhuc in eadem perseverat. Unde non immerito dicitur, quod pse est rex super omnes filios superbiam. Omnes enim superbi, superbiaque filii serviunt ei, obediunt ei, eum sequuntur et ab eo reguntur. Hic tamen tam superbis et tam arrogans, tam potens, tam fortis ab una ancilla captus, et illusus, et ligatus est. O beatissima inter mulieres hæc ancilla, hæc Dei mater, et superni regis nobilissima filia, cuius hamo Leviathan captus est, cuius humilitate quasi avis illusus est, cuius sapientia, quasi latro et vile mancipium ligatus est. In carne enim, quæ ex ipsa nata est, quasi hamus in esca Verbum incarnatum et ab eonsum est, quia « Verbum caro factum est (*Joan. i, 14.*) . » Quid igitur Verbum in carne, nisi hamus in esca? Hanc escam vidit Leviathan, concupivit, nihil intus latere cogitavit, purum hominem esse credidit, linguam extendit, quæ videlicet lingua suæ perditionis fune ligata et suspensa est. Lingua diaboli Judas fuit, quia per eum summis sacerdotibus locutus est, dicens : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » (*Matth. xxvi, 15.*) . Sed hæc lingua fune ligata est, quia proditor infelix statim abiens laqueo se suspendit. Omnes illi sunt lingua diaboli, per quos ipse loquitur, et sua consilia revelat. Sed has

linguas Dominus ligat, quando eorum consilia destruit, et per viros catholicos eos superatos tacere compellit. Sic enim Arius, ut lingua fune veritatis ligatus est, quando ejus impia hæresis a concilio damnata est. Quod autem ait : « Nunquid illudes ei quasi avi? » (*Job xl, 21.*) . Eadem sententia est. Nam et avis dum ad escam attendit, multoties illuditur, et suspensa laqueo suffocatur. Unde et in Psalmis dicitur : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei (*Psal. cxi, 26.*) . » Qui enim fecit eum, ipse plieavit gladium ejus, et ad tales formam rediget eum, cui non solum viri, verum etiam mulieres illudere possunt. Quantæ latrones, quantæ meretrices, quanti adulteri et homicidæ ei quotidie illidunt, quos dum se jam devorasse, et in ventre habere ketatnr, subito ad pœnitentiam conversi, ex ejus impio utero foras erumpunt, et eum inanem et vacuum derelinquent. « Peccator, ait propheta, quacunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech. xxxiii, 12.*) . » Tribus nominibus in hoc loco vocatur diabolus. Vocatur Behemoth, id est bestia propter crudelitatem, quia « tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr. v, 8.*) . » Ipse est enim, qui ait : « Circuivi terram, et perambulavi eam (*Job ii, 2.*) . » Vocatur et draco, quia callidus et venenosus est, et nunquam recto itinere incedit; si quidem « a principio mendax fuit, et in veritate non stetit (*Joan. viii, 44.*) . » Vocatur et avis propter superbiam, quia quanvis angelicæ dignitatis alas amiserit, adhuc tamen se erigere conatur, et quantum in ipso est superba intentione super cœlos elevatur. Considera modo quanta gratias debeamus beatissimæ Dei Genitrici ; considera quantis laudibus eam extollere et prædicare debeamus, si tamen digni sumus, quorum laudes inter omnes creaturas pulcherrima suscipere dignetur, cuius humilitate et sapientia hic tantus hostis captus, et ligatus, et de regno, quod tanto tempore injuste possederat, ejectus est. Sicut ipse quoque ejus filius Salvator et Redemptor noster ait : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan. xii, 31.*) . » Ipsam igitur laudemus, ipsam prædicemus, simulque cum Gabriele archangelo dicamus. « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, (*Luc. i, 48.*) . » Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## CAPUT III.

*De purificatione S. Mariæ Virginis.*

« Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, sicut in lege Domini scriptum est, par turturn, aut duos pullos columbarum (*Luc. xxii, 24.*) . » Duo sunt, de quibus in hoc sermone locuturi sumus : de muliere pariente, et de hostia, quam offerre debet. Dicit enim Moyses (*Levit. xii, 4.*), quod mulier quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit

septem diebus, et octavo die circumcidetur puer. Ipsa vero manebit triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. Si autem filiam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus; ipsa vero sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Duæ istæ mulieres, quarum altera masculum, altera vero feminam parit, duæ partes Synagogue sunt, quarum altera bona est, altera vero mala. Mala quidem pars illa est, de qua in Apocalypsi Joannes apostolus Smyrnensis Ecclesie episcopo dicit: « Quia blasphemaris ab his qui se Judæos esse dicunt, et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ (Apoc. ii, 9). » Sic igitur Synagoga in duas partes divisa est; in Synagogam Dei et in Synagogam Satanæ, in populum Dei et in populum diaboli. Illæ ergo mulieres partes sunt Synagogæ; illa nempe pars illius populi bona erat, que suscepto semine verbi Dei masculum pariebat, illa vero pars quæ feminam pariebat, id est nec ulla legis observatione, vel quicunque justificatore tenebatur, mala erat, et non bona. Filii masculi bona opera sunt: feminæ vero mala opera intelliguntur. Sancti prophetæ multos filios, et paucas filias habuisse leguntur. Sed prius de illa muliere dicamus, quæ bona erat, quæ masculos pariebat, quæ non duabus, sed una tantum hebdomada fuit immunda. Duæ hebdomadæ duo tempora sunt, sub lege videlicet et sub gratia; una Veteris, altera Novi Testamenti. Prima a Moyse usque ad Christum; secunda a Christi nativitate usque ad finem sæculi. Illa ergo mulier bona, illa pars populi, quæ masculos pariebat, quæ legem custodiebat, in bonis operibus se exercebat, septem diebus immunda fuit, quia usque ad Christi nativitatem, quando illa hebdomada finita est, a peccato originali solvi non potuit, neque circumcisione, neque filiorum generatione, neque alia qualibet legis observatione. « Nihil enim ad perfectum, ut Apostolus ait, adduxit lex (Hebr. vii, 19). » Non ergo toto illo tempore mulier illa munda dici potuit, quæ tanta inacula sordebat. Habebat originale peccatum et mundum esse impossibile erat; Sed dicens. Ergo nato Christo mulier ista mundata est, siquidem in ejus nativitate hebdomada finita est? Non est ita. Quare? Quia triginta tribus diebus adhuc eam manere oportuit in sanguine purificationis suæ. Non enim nativitate, sed passione et sanguine Christi solutum est peccatum originale. Trigesimo namque tertio anno a nativitate sua Salvator noster passus est, ut per triginta tres dies totidem annos intelligamus, et tunc quidem ab originali peccato mundati sunt, quicunque legem custodierunt, et masculos genuerunt, id est in bonis operibus perseveraverunt. Sanguis igitur Christi et eos redemit, qui fuerunt ante eum, et eos qui fuerunt post eum. Quicunque enim ante passionem Christi fidem tenuerunt, et legem custodierunt, ejus sanguinis effusione et mundati sunt, et redempti sunt. Similiter autem illi de quibus Apostolus ait: « Ite, docete omnes

gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Fili, et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (Marc. xvi, 7). » Nunc autem videamus de muliere mala, de illa quæ non masculos, sed feminas parit. Mala filia superbia, mala filia invidia, avaritia quoque, luxuria, discordia, inobedientia, male filiae sunt, quas quicunque animæ pariunt, mundæ esse non possunt. Cessent igitur a tali partu, si mundæ esse volunt, alioquin duabus hebdomadibus immunda erunt. Diximus jam quod prima hebdomada fuit ns quæ ad Christum, in qua nulla quidem mundari potuit; secunda vero usque ad finem sæculi. Quicunque igitur anima neque veterem legem custodivit, neque novum testamentum suscepit, duabus hebdomadibus immunda est. Insuper autem, quia sexaginta sex diebus manet in sanguine purificationis suæ, longe ab omni purificatione esse videtur. Ipse enim numerus hoc indicat, qui tales animas prævaricatrices esse ostendit. Decem quidem sunt verba legis, quæ quicunque transgreditur, prævaricator esse probatur. Sexies autem undecim, sexaginta sex sunt, in quo quia denarius numerus transitur et prævaricatur, decalogi prævaricatio manifestissime demonstratur. Sexies namque decem decalogi continentur, sexies undecim decalogum transeunt. Quid est autem decalogum transire, nisi legem prævaricare? Tales igitur Christi sanguine non redimuntur, neque lavantur. De quo in Apocalypsi Joannes ait: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris (Apoc. i, 5), » ut Dei mandata custodirent et masculos parturirent. Non videntur autem pertinere ad beatam virginem Mariam ea quæ de prædictis mulieribus dicta sunt, quamvis et ipsa legem custodierit, præsertim cum non simpliciter dictum sit: mulier, quæ peperit masculum, sed cum additamento et determinatione, quæ suscepto semine peperit et masculum. Hoc enim specialiter dictum est propter ipsam, quia ipsa sola nullo suscepto semine peperit, quæ virgo ante partum, virgo in partu, et post partum virgo permansit. Oblatio autem illa turturum et columbarum, quam simul cum filio Domino obtulit, maxime ad ipsam pertinuisse videtur, quæ et castitatis et mansuetudinis præcellit virtute. Hoc enim in his avibus significatur, quarum altera de castitate, altera de innocentia commendatur. Obtulit igitur hodie beatissima Virgo Maria oblationem gratissimam Domino, quæ quidem per multas alias oblationes significata prius fuerat, sed talis nunquam oblata fuerat. Nos quoque, qui dignam volumus offerre Deo oblationem, hanc reginam et dominam nostram imitari debemus. Offeramus igitur et nos par turturum, et duos pullos columbarum, et animæ, corporisque integritatem, et innocentiam Domino reddamus. Docet nos Moyses, qualiter hanc oblationem facere debeamus. Vult enim ut sacerdos, qui eam suscipit, caput avium ad collum retorqueat, et rupto vulneris loco super crepidem altaris sanguinem decurrere faciat; vesiculam vero

gutturis, et plumas ad orientalem partem projiciat, ascellas frangat, sed non penitus abscindat. Hæc oblatio perfectorum, et præcipue monachorum esse videtur. Venit homo cum oblatione, rogit ut suscipiat, offert turtures et columbas, promittit corporis et animæ integratatem, et ut beati Benedicti, qui hujus rei peritissimus est, exemplo loquamus, promittit obedientiam, stabilitatem et morum conversionem. His panis verbis vir ille beatissimus totum hoc sacrificium nobis exponit. Ecce homo turtur, et columba factus est, retrorqueatur caput ejus ad columam, et inclinato capite incedat, quod est signum humilitatis. Auferatur ei vesicula gutturis, ubi eibam reponere solebat, ut discat amodo jejunare, qui prius crapule operam dabant. Sanguinem vero super altare sordis ejus decurrere faciat, ut semper membrum peccatorum suorum cum Psalmista dicat : « Quoniam iniuriam meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal. 1., 5.*). » Sanguis enim peccata significat, secundum illud : « Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ (*ibid., 16.*) ». Exsoliatur plumis, quia omnes possessiones relinquere, et nihil proprii ulterius habere jubetur, quas ad orientalem plagam proiecitur, ut post dorsum eas habens, earum amplius non recordetur. Quia enim semper ad occasum et ad finem tendimus, orientalem plagam, quasi post dorsum habemus. Franganter ascellæ, quia vaganti licentia tollitur, et loci, propositique stabilitas imperatur. Sed non penitus abscinduntur, quia si quando necesse fuerit, pro loci utilitate adhuc iterum volare permittitur. Feliçes illi qui turtures et columbae fiunt; qui simul cum Dei Filio a Matre Domini Domino offeruntur, et in una eadem oblatione Domino sociantur. Qui, etc.

## CAPUT IV.

*De annuntiatione B. Mariæ Virginis.*

« Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc. 1., 26, 29.*). » Consideremus personam mittentis, et personam legatione fungentis, et personam illam ad quam hæc legatio facta est. Si etiam consideremus ipsam legationem, qualis et quanta sit, et quæ consilia, quæ secreta, quales et quantas utilitates in se contineat, profecto intelligemus ex quo mundus iste factus est nunquam aliam legationem factam fuisse, quæ huic legationi valeat comparari. Nunquam talia verba, tam læta consilia, tam profunda mysteria huic mundo prius, vel postea nuntiata sunt. In hac legatione tractatum est de incarnatione Filii Dei, de mundi renovatione, de humani generis restauratione, de sanctorum liberatione, de cœlestis patriæ recuperatione. Hodie revelatum est consilium, quo mors occideretur, quo originale peccatum tolleretur, quo vita redderetur, et homo diaboli servitute liberatus, et a Deo in filium adoptatus in anti-

quam patriam reduceretur. Si intelligeret mundus, quantum gloriam sibi hic dies peperisset, supra omnes dies festivum et celebrem hunc diem haberet. Hodie Verbum caro factum est, hodie Dei Filius incarnatus est; quod quidem nisi factum fuisset, nunquam nasceretur, nunquam pateretur, nunquam resurgeret, nunquam infernum spoliaret, nunquam cœlos ascenderet, nunquam Spiritum sanctum apostolis mitteret. In quo baptizati sumus, in quo et per quem fit remissio peccatorum. Hæc est igitur prima festività, hæc est principium et causa alias omnium festivitatum. Hanc ergo festivitatem simul omnes celebremus, et cum beata virgine Maria de tanto nuntio gratulemur. Andiamus modo quid Gabriel archangelus dixerit, quæ verba, quam legationem, et ut ita dixerim, quas novellas Virgini nostræ de cœlis attulerit. Fidelis legatus iste, verax ille a quo mittitur. Qui hanc legationem veram esse non crediderit, sit anathema marathana. Dic ergo Gabriel, loquere ad Virginem, ut audiamus. « Ne timeras inquit, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum : Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabitur nomen ejus Jesus. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc. 1., 30, 34.*) ». Ecce audivimus legationem, audivimus sacramentum æterni consilii, audivimus et verba nostræ liberationis : audivimus etiam quod rex et propheta David huic reginæ nostræ, filiae vero sue de hac legatione loquatur. « Audi, inquit, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et dominum patris tui, quia concepivit rex speciem tuam, quoniam ipse est Dominus Deus tuus (*Psal. XLIV., 11, 12.*) ». Audi, inquit, filia mea de genere meo, de progenie mea, nobilitas et gloria mei generis, audi quæ angelus loquitur, quæ cœlestis nuntius tibi promittit. Esto cauta, esto sollicita, diligenter ausculta, quia magna valde sunt, quæ tibi nuntiantur. Vide ergo, et intellige, et suscipe Verbum in corde, et in utero tuo, virgo concipies, et virgo paries, quia per aurem ingrediatur in te, qui nasceretur ex te. Verbum enim est, et via verbi auris est. Non enim aliter concepit beata Virgo Maria, nisi audiendo, et credendo. Si non audisset, non credidisset. Audivit et credidit, et credendo concepit. « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid., 28.*) ». Talis fuit conceptio Christi, taliter conceptus est, et taliter Verbum caro factum est. « Et olli-scere populum tuum, et dominum patris tui. » — « Surge, et accipe puerum, et fuge in Ægyptum (*Matth. II., 13.*) ». Fuge ad gentes, quia populus tuus, et dominus parentum tuorum non suscipiet te; sed simul cum filio tuo persecetur, et odiet te. Et revera nulla creatura est, quam sic Iudei odio habeant, sicut matrem hanc et filium. Neque enim matrem diligere possunt, qui tam iniquo odio filium persecuntur. Unde Joannes apostolus ait : « In propria

venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* 1, 11). » Dominus autem quid dicit. « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi *Psal.* xvii, 44). » — « Obliviscere igitur populum tuum, et domum patris tui. » Omnia relinque, satis tibi sit filius tuus, quia ipse est rex tuus, et Dominus Deus tuus, quia dilexit speciem tuam et pulchritudinem tuam. Ipse tibi sufficiat. Non amor patrie, non propinquorum affectus te retinere valeat. Si illum solum habeas, dives es, et in illo omnia possidebis. « Et adorabunt eum filiae Tyri in muneribus (*Psal.* xliv, 13). » Omnes pulchrae et nobiles virgines ei se conjungere desiderabunt, et cum magnis muneribus ad eum properabunt, quæcumque sunt, quibus mundi hujus voluptas non placet, et se in angustiis et in carcere esse cognoscant. Tyrus enim *angustiæ* interpretatur. Illæ vero animæ, quæ vagæ sunt, quibus voluptas et concupiscentia placet, quæ non per angustam semitam, sed per amplam viam gradiuntur, non Christo, sed diabolo nubere concupiscunt. Et adorabunt igitur eum filiae Tyri in muneribus, seipsas, et sua omnia offerentes. Et « vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis (*ibid.*). » Quid enim mirum si divites et nobiles virginæ matris vultum et pulchritudinem desiderabunt? Cum modo superius dixerit, « quia concupivit rex speciem tuam (*ibid.*, 12). » Valde enim pulchra est, quæ sua pulchritudine Deum ipsum ad amorem sui provocare potuit. Valde quidem conveniens fuit, ut speciosus forma præ filiis hominum, speciosam suam eligeret matrem. Considera modo cuius pulchritudinis fuerit, cuius splendor et pulchritudo celos penetrabat. Inde angeli eam admirabantur, inde Gabriel recto itinere venit ad eam. Ad eam enim missus est, quæ præ cæteris fulgebat, quæ pulchra ut luna, electa ut sol, omnem pulchritudinem sua pulchritudine vinebat. Non possumus modo dicere omnia quæ de ipsius laudibus in hoc psalmo continentur. Ad Evangelii verba redeamus. « Hic, inquit, erit magnus, et filius Altissimi vocabitur (*Luc.* 1, 32). » Valde enim magnus est, quoniam Patri æqualis est. « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum (*ibid.*). » De hac sede in illo psalmo scriptum est, ubi de utroque David Dominus loquens ait : « Inveni David servum meum, oleo sancto ineo unxi eum (*Psal.* lxxxviii, 21). » Et paulo post : « Ipse invocabit me, pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi (*ibid.*, 27-30). » Erit igitur thronus æternus, siquidem : « Et ponam in seculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies

cœli (*ibid.*, 30). » Erit igitur thronus æternus; si quidem et dies cœli in æternum erunt. « Si deliquerint filii mei legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint : Si justias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint (*ibid.*, 31, 32). » Quid faciam eis? Non utique occidam eos, neque separabo a regno meo, non auferam eis gratiam meam. Quid igitur? « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*ibid.*, 33). » Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* iii, 15); » quasi per virgam, quasi per correctionem. « Misericordiam autem meam non dispergam ab eo (*Psal.* lxxxviii, 34). » Et certe de filiis loquebatur. Quare ergo ab eo dixit, et non ab eis, nisi quia omnes in eo unum sunt, quicunque in ejus corpore sunt. In ejus autem corpore non sunt, qui fidem non habent, vel qui in malitia perseverantes, ad eum per pœnitentiam redire non curant. « Neque nocebo ci in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto inco, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit. Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis (*ibid.*, 35-39). » Et quidem conveniens erat, ut sine juramento credemus quod Dominus loquitur; placuit tamen ipsi sub juramento verba sua firmare, quatenus de salute nostra nos redderet certiores. Ecce qui non habuit majus per quod juraret, juravit in veritate sua, in sancto suo, in dilecto Filio suo, in seipso, quia unum sunt Filius et ipse. Sed quid juravit? Quod non noceat membris Filii sui, quod non profanet Testamentum suum, quod non faciat irrita verba sua, quod semien Filii sui, et sedes ejus maneat in æternum. Quanta lætitia redundat iste psalmus, quanta in eo spes datur peccatoribus, quicunque in Ecclesia manserint, et ab ea non recesserint. Ipsa est enim corpus Christi, ipsa est semen, et sedes Christi, quæ sicut juratum est, in æternum manebit. Alioquin profanum esset Testamentum, quod sub juramento firmatum est, si vel fallacia inveniretur in eo, vel si non omnia completerentur, quæ continentur in eo. Ille psalmus est Ecclesiæ testamentum. Illic solus sufficere posset, si nullas alias chartas habuisset. Gaudeat igitur de Testamento suo, gaudeat quod sedes Dei constituta est. Illa videlicet sedes, quæ sicut sol fulgebat in conspectu Dei, et sicut luna perfecta in æternum, et ipsa horum omnium testis erit fidelis in cœlo. Non enim testamentum vel testatorem reprehendere poterit, qui hæredem ibi in tanta gloria esse videbit.

## EJUSDEM SANCTI BRUNONIS HOMILIA.

## I.

## IN PURIFICATIONE S. MARIE VIRGINIS.

**LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (ii, 22).**  
*Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Et reliqua.*

Scriptum est enim in lege Moysi; quod mulier, quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, et die octava circumcidetur infans: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purgationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleteantur dies purgationis ejus. Hac enim lege beata virgo Maria non tenetur, quæ null\* suscepto semine virgo concepit, virgo peperit, clausa ante partum, clausa in partu, et post partum clausa permansit. Ad cuius distinctionem Moyses non simpliciter dixit: mulier quæ pepererit masculum; sed cum additamento, quæ suscepto semine masculum pepererit, immunda erit septem diebus.

Spiritualiter autem mulier ista Synagoga esse videtur, quæ divinæ legis semine suscepto, toties masculum pariebat, quoties bonum aliquod agebat: masculus enim filius bonum opus est, et quamvis masculum peperisset et multos boni operis filios genuisset; tamen septem diebus immunda erat. Septem enim illi dies omne illud temporis spatium significant, quod fuit a Moyse usque ad Christi incarnationem, illa enim hebdomada natus est agnus, qui tollit peccata mundi, de quo scriptum est: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (Apoc. i, 5). » Verumtamen quamvis septimana finita esset et quamvis Christus natus esset, nondum tamen Synagoga penitus mundata erat, quia Christi sanguis nondum fusus erat. Mansit igitur adhuc triginta diebus in sanguine purificationis suæ. Exspectavit diem, imo annum trigesimum tertium. Ipso enim anno immolatus est Christus, sine cuius sanguine mundus mundari et lavari non potuit. Quod autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele invenies; ubi dicit: « Diem pro anno, diem pro anno, fili hominis, dedi tibi (Ezech. iv, 6). » Quare autem infans circumcidatur, valde notum est, sed quare die octavo dicendum est. Octava enim dies ipsa est quæ et prima; in hac enim mundus cœpit, Christus surrexit, in hac et universalis resurrectio fiet. Tunc autem non solum circumcisus, sed omnibus ab eis peccatis abscessis, mundi et immaculati aeternum nomen sancti suscipient et hereditatem. Et hæc quidem de filio masculo dicta sunt.

Sin autem feminam peperisset, immunda erat duabus hebdomadibus, et sexaginta et sex diebus manebat in sanguine purificationis suæ. Toties enim Synagoga feminam parit, quoties iniquitatem operatur; pro hac autem filia duabus hebdomadibus est immunda; una videlicet ante Christi incarnationem, altera vero post Christi incarnationem. Per has duas hebdomadas totum hoc, et illud tempus significatur. Nisi igitur hanc filiam parere desistat et ad Christi fidem se totam convertat, nunquam mundabitur Synagoga. Dantur autem ei sexaginta et sex dies ad purgationem, per quos omnes dies usque ad sæculi consummationem intelligere possumus; hic enim numerus totus ex senariis constat, in sex diebus etiam ipsis Judæis operari licet; neque enim in sex dies Sabbathum continetur. Nulla igitur erit excusatio, si in his sexaginta et sex diebus purificati non fuerint. Quamvis autem purgationis dies ad beatam Mariam Virginem non pertinerent, exspectavit et ipsa, etc.

## II.

## IN ASSUMPTIONE S. MARIE VIRGINIS.

**LECTIO S. EVANGELII SECUNDUM LUCAM (x, 58).** *In illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quadam, Martha nomine, exceptit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Et reliqua.*

Hæc duæ mulieres prudentissimæ totius ecclesiastici exercitus duces, et præviæ sunt. Has cætera turba sequitur. Alii post Martham, alii post Mariam vadunt. Nulli enim cœlestem illam patram sibi creduntur, nisi qui hanc vel illam sequuntur. Merito igitur SS. Patres constituuerunt, ut in hac solemnitate B. M. V. hoc Evangelium legeretur, quæ quidem per has duas mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas beatissima Virgo utrinque vitæ, activæ videlicet et contemplativæ, plus cæteris omnibus privilegia custodivit. Ipsa quoque sicut Martha, imo melius quam Martha, suscepit Christum, non solum in dominum suam, verum etiam infra claustra uteri sui. Ipsa eum concepit, ipsa cum genuit, ipsa eum peperit et portavit, et plus quam Martha, et frequentius ei ministravit. Ipsa denique, sicut Maria, ejus verbum non solum audiens, verum etiam in corde suo conferebat, nobisque ad legendum, et audiendum custodiebat. Sic enim scriptum est: « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (Luc. ii, 19). » Iosa eum non solum secundum humani-

tatem, verum etiam secundum divinitatem et contemplari, et plus cognoscere meruit. Ipsa igitur optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.

## III.

## IN PURIFICATIONE B. M. VIRGINIS.

Humani generis conditor et redemptor Dominus, qui pro salute totius populi de cœlis venit ad terras, nec voluit legem solvere, immo et adimplere, secundum legis edictum, a parentibus hodie, cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus. Et quanquam ejus intemerata genitrix B. V. M., quæ non ex accepto semine conceperat, nullis legalibus institutis astricta teneretur; attamen, ut se Deum hominem peperisse ostenderet, observato humilitatis precepto: Quanto major es, humilia te in omnibus; acceptis muneribus, cum puero, juxta legis ritum; limina templi petivit hodie; et quia paupereula erat, nec magnis pretiosisque poterat uti muneribus, quæ potuit pro filio, tortures obtulit et columbas. Nec sine causa Dominus talia pro se offerri voluit animalia, quod et sellis carerent amaritudine; et propriis contenta viris, castitatis naturalem indolem obser- varent. Intueamur ergo diligentissime horum anima- lium oblatis quid mystice nobis insinuatnr. Sed primo de templo videamus. Lapidès illi, ex quibus Salomonicum templum aëdificatum est, alibi caesi, quidam expoliti, ibique deportati ab aëdificantibus, apti in aëdificio inveniuntur; ita quod nullo mallei sono aut securis in tanto opere sit auditus, sanctorum significant animas, de quibus Isaías: « Lapidès vivi volvuntur super terram. » Et Apostolus: Vos tanquam lapides vivi superaëdificamini domos spirituales, qui alibi cœidunt, et sic in aëdificatione apti ponuntur; quia sanctæ animæ in præsenti vita per pœnitentiam et cordis conpunctionem atque proximorum compassionem præparantur, et ita politæ ac mundæ in aëdificio templi congrue collocantur. Tem- plum itaque illud mirificum a Salomone aëdificatum civitatem sanctam Jerusalem significat, cum verus Salomon Christus videlicet rex paciens ex vivis lapidibus, hoc est ex fidelium animis aëdificare non cessat quotidie; unde illud Psalmistæ: « Jerusalem,

quæ aëdificatur ut civitas (*Psal. cxxi*, 5). » Per columbas vero, quæ sellis amaritudinem non gestant, beatorum simplicia corda significantur, qui sœvis irarum stimulis liberatem semper habentes, semper cœlestia meditantur. Ira siquidem venenorū contagiis infecta, offuscata ratione, ne verum cernere valeat, interiore perturbat oculum; de qua Psalmista: « Conturbatus est præ ira oculus meus (*Psal. xxx*, 10); » unde Apostolus: « Ira, inquit, justitiam Dei non operatur (*Jac. 1*, 20). » Per tutures autem, quæ propriis contenta viris alienum non appetunt amatorem, utique hominis exterioris scilicet et interioris castitas denotatur; unde Augustinus in lib. De civit. Dei: « Virginitas, inquit, carnis corpus intactum, virginitas animæ mens incorrupta. » De exteriori castitate voce etiam Dominicæ dicitur: « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc. xii*, 35); » et per Moysen filiis Israel præcipit: « Renes vestros accingetis (*Ezech. xii*, 11). » Lumbos seu renes præcinc- gere, est omnia luxuriæ inquinamenta et carnalia desideria extirpata firmis castitatis nexibus vincire, juxta illud Apostoli: « Mortificate corpora vestra, quæ sunt secundum iram (*Coloss. iii*, 5). » Absit ut alienum, hoc est diabolum, amatorem appetamus! postquam enim ad Christum venimus, nequaquam ad eum redire debemus. Dicamus ergo cum Apostolo: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor. ix*, 27); » castigo illicitos motus corporis calcando; licitis vero parce utendo, et in servitutem redigo. Domino enim servire tuta libertas est; et pro ejus nomine mori, novæ aeternæque vitæ initium; unde idem Apostolus: « Cupio, inquit, dissolvi, et esse cum Christo (*Philip. i*, 23); » et David: « Pre- tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal. cxv*, 5); » itemque alibi: « Beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc. xiv*, 13). » Interioris quippe hominis castitas est, mentem ab omni labore peccatorum immaculatam custodire; unde per egregium prædicatorem unicunque fidelis animæ dicitur: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor. xi*, 12); » et per Prophetam: « Cir- cumcidite corda vestra, et non corpora vestra (*Jerem. iv*, 4). » Quod ipse Dominus noster vobis præstare dignetur, etc.

## GODEFRIDUS, VINDOCINENSIS ABBAS.

## I.

## DE PURIFICATIONE SANCTÆ MARIAE.

Solemnitas hæc, quæ ad honorem Dei et ejus sanctissime Matris hodie celebratur, majoribus festivitatibus anni jure creditur non minor esse; quod ratione et veritate monstrabitur. Domabit Deus homo et mater virgo, ut quod ad laudem et gloriam

utriusque promissum est, utriusque reddatur auxilio. Eadem quippe devotione qua dies Nativitatis Domini et Epiphaniae a Christiana religione noscitur celebrata, debet et ista celebrari. Nam sicut illa est sua præcipue, et Matris ipsius; sic et ista est sua specialiter et Matris illius. Est quidem illius diei solemnitas magna, quia Christus de Virgine matre

natus est, et qua est a Joanne baptizatus; et ista aequaliter magna, qua ab ipsa eadem Virgine, et a justo Simeone est Deo Patri in templo oblatus. Deus Pater ante tempora ex se genitum Filium, ut homo fieret in ea, constitutus virginis matri; mater virgo enimdem ipsum ex se in tempore natum, hodierna die hominem obtulit Deo Patri. Manet itaque et Deo Patri et virginis matri mirandus filius. Valde namque mirandum est, quod excepta hominum communia creatione, Deus habet Filium hominem, et femina filium Deum. Hoc utique in Christo factum constat, qui est Deus et homo, et utsique unus, et filius utriusque. Hic unius filius unico Patri ab unica matre oblatus est, unus uni; immo in uno omnes fideles sunt oblati. Hanc diem venerabilem, diem esse purgationis Mariae secundum legem Evangelium testatur. Merito mater legem servavit, cuius Filius et legem dederat, et venerat ut in se legem adimpleret, quam alii dederat ante. Illa tamen pudica puella, nec in aliquo, nec de aliquo habuit, unde tunc purgaretur. Sancta etenim virgo fuit et in conceptione, et in nativitate prolixa, et indecirco puer natus ex ea vulvam ejus non aperuit, licet per illam illius uteri portam nasceretur. Porta ventris ejus virginis exstincta vulva ejus de qua Ezechiel propheta sic loquitur: *Est porta in domo Domini clausa, et non aperietur* (*Ezech. xliv, 2*). Domus Domini est bona Maria, quia ipse fundavit eam, et homo factus est in ea (*Psal. lxxxvi, 5*). Porta hujus domus, ut dictum est superius, fuit vulva in virginis utero, per quam clausam quidem egressus est in una persona Deus et homo. Cujus beatissima mater, licet non ignoraret quis esset quem genuisset; cui videlicet non erat lex posita, sed subjecta in templo tamen filium obtulit, juxta legis mandatum. Exspectavit quidem diem purgationis, et occultavit filii deitatem. Nam si Christi incarnationem fuisset nota diabolo, nec Christus pro nobis moreretur, nec fieret nostra redemptio. Nata prole agnum, par turtarum, aut duos pullos columbarum offerri pro ea fuerat legis praeceptum (*Lev. xii, 6*). Quod si forte alicui agnus deesset, alterum horum vel utrunque, par videlicet turtarum, aut duos pullos columbarum, Domino in filii oblationem offerret (*ibid., 8*). In utroque Testamento, et in lege, et in Evangelio mentis et corporis parilitatem Dominus exigit. Parilitas illa hec est, que a Domino exigitur, ut bonum quod a nobis foris ostenditur, prius concipiatur in mente. Non enim cum difficultate bonum opus fieri debet, sed cum hilaritate; nec inde affectare debemus laudem hominum, sed exspectare a Domino retributionem. Hoc modo sit hostia grata Deo, gratumque sibi Deum facit, qui sic pauperi porrigit manum. Turtur avis casta est, quae numerosa conjugia respuens, blandicias non curat aliorum, uno solo conjugi contenta. Per hanc Ecclesia catholica signatur, quae uni viro sposo Christo solummodo sponsata, nec muneribus corruptitur, et quasi numerosa conjugia respuens,

haereticorum vitat consortia. Duo pulli columbarum, juxta legis decretum, in holocaustum offeruntur. Quod duo sunt, commendat charitatem; quod pulli, innocentiam signat; quod columbarum dicuntur, indicat unitatem. Merito duabus charitas commendatur, quoniam in ea duo continentur praecepta, quibus Deus et proximus diligitur. In pullis, id est in parvulis, recte signatur innocentia, a quibus non propria vindicatur, sed condonatur injuria. In columba non incongrue Ecclesiæ unitas figuratur, sicut Dominus dicit: *Una est columba mea* (*Cant. vi, 8*). Columba præterea cohabitantium secum unitatem non deserit, sed fideliter servat; et si causa expostulet, fortiter dimicat. Tunc fidelis quisque columba erit, si pia longanimitate, nsque in finem in Ecclesiæ catholicæ manserit unitate, et si legitime pro fidei defensione certaverit. *Et ecce homo erat in Hierusalem, nomine Simeon; et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel* (*Luc. ii, 25*). Ecce, desiderantis signat affectum, quia Simeonis animo Christum videre cupienti nil satis festinabat. *Et erat homo, nomine Simeon, in Hierusalem*, id est in pacis visione. In qua visione pacis, sicut omnis in quo manet Spiritus sanctus, indubitanter esse creditur, ita omnis qui Spiritum sanctum non habet, longe fieri ab illa minime dubitatur. Unde tot et tanta bona, quae in praesenti Evangelio memorantur, seni Simeoni collata fuerunt; si quis desideraret nosse, ex ejus nominis interpretatione discat. Simeon enim *audivit tristitiam* interpretatur, et tristitia significat poenitentiam. Simeon, in quo omnes poenitentes figurantur, per poenitentiam desiit esse peccator, et factus est justus ex peccatore. Qui non solum de se, sed etiam de proximis suis sollicitus, orabat pro illis assidue. Orabat pro illis et pro illis timebat. Siebat enim quod ita pro proximis sieut pro seipso erat agendum; et quod sibi et proximis fuerat præmium exspectandum. Timoratus igitur ex præteriorum memoria peccatorum, et ex legis observatione, et ex fidei operatione, atque pia compassione proximorum justus, juste perhibetur in eo esse Spiritus sanctus. *Et responsum accepit a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* (*ibid., 26*). Sic ut nescimus ubi et quando accepit, ita quod accepit, et a quo et quomodo accepit certi sumus. Nam fide et dilectione, multiplici prece, assidua oratione, et bonorum assertione operum hoc responsum meruit a Spiritu sancto, et obtinuit promissum. Hoc ipsum spiritualiter unaquæque fidelis anima a Spiritu sancto percipit, sed videlicet non visurum mortem, nisi prius videat Salvatorem. Vedit Simeon corporali intuitu Christum in carne, et corporaliter habuit præsentem. Et nos obtutibus mentis et fidei illum in suis sacramentis videmus manente in nobis, et operantem. Nam, nisi quisque ante mortem corporis spirituali gratia cerneret et haberet Deum, morte damnaretur æternam. Vedit Simeon oculis corporis Christum hominem, et corde et corpore Dei

in homine adoravit majestatem. Et nos quidem in baptimate oculis earnis aquam videmus, et in aqua Christum ipsum oculis animae praesentem cernimus, et in ipso totam Trinitatem. Sicut enim tota Trinitas adfuit in baptimate Christi, sic tota Trinitas firmiter adesse creditur et in baptimate Christiani, in quo non solum cernimus Christum, sed ipsum induimus. *Et venit in Spiritu in templum* (*ibid.*, 27). Si queritur, in quo spiritu Simeon justus in templum venerit, utique in Spiritu sancto, qui secundum evangelicam veritatem in eo erat. Vere Spiritus sanctus, quo ductus est Jesus in desertum, in Simeone erat; et Simeon in ejus virtute venit in templum. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas* (*ibid.*, 27, 28). Et hoc siquidem justa Domini dispositione factum contigit ut eius divinitati longo tempore justus iste cordis devotione servierat, nunc tandem quasi in ultimo positus, et ejus corpori corporis deserviret officio, et sic piam vitam digna morte finiret. *Et benedixit Deum* (*ibid.*, 28). Benedixit Deum, ei scilicet gratias agens, benedici ab eo meruit. Benedicere Deum, est optare a Deo benedici, et ei gratias agere. Sciebat beatus senex per Spiritum sanctum, quo erat ipse repletus, per Christi incarnationem, et originale peccatum esse sibi dimissum, et quem per se contraxerat reatum. Unde exultabat interius, et exterius gaudebat, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc. ii, 29*). Se servum dicit et Christum Dominum vocat, servum utique illius, et dimissum, secundum quod ei ille promiserat. Propheta sanctus missus creditur et dimissus. Quo missus? unde dimissus? dimissus a tribulatione saeculi, a prima transgressione, a propria offensione, et in pacem missus. Nemo enim pacem, quam Simeon habuit, habere potest, nisi ab hoc saeculo alienus fiat, et a peccatorum pondere fuerit absolutus. *Quia viderunt oculi mei Salutare tuum* (*ibid.*, 30). Quem corporis oculis videbat hominem, corde credebat et voce confitebatur mundi Salvatorem. Huius itaque venerabilis senis cordis intentio ad suam ipsius justitiam pertinebat, et ejus oris confessio ad proximorum salutem. *Quod parasti ante faciem omnium populorum* (*ibid.*, 31). Hoc salutare Dei paratum, id est, ad salutem omnibus propositum, omnes populi, nec corporeis, nec spiritualibus oculis videbunt. Sed ideo ante faciem omnium populorum paratum dicitur, quia ex omnibus populis crediderunt in Christum, et credentes eum oculis conspexerunt. *Lumen ad revelationem gentium* (*ibid.*, 32). Hoc enim lumine, gentes quae deos colentes alienos se a facie Creatoris absconderant, revelatae sunt; hoc lumine quae perdita fuerant, sunt inventae. Hoc etiam lumine illuminatae sunt, quia hoc lumine, lumen fidei perceperunt. Christus lumen est; qui non solum gentes illuminat, sed lumen omnium qui illuminantur, sive in anima interiori sive exteriori

in corpore. De hoc lumine dicit Propheta: *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestre non confundentur* (*Psal. xxxiii, 6*). Quae enim sunt in tenebris, mala sunt, et digna confusione. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ne ejus mala opera manifestentur* (*Joan. iii, 20*). *Lumen paratum ad revelationem gentium*, paratum est et ad gloriam plebis Iudaeorum (*Luc. ii, 32*). Plebs ista valde illuminata est, et specialiter sua est, quia prae ceteris nationibus electa est. De plebe ista patriarchas, et prophetas, apostolos sanatos elegit, et de illis qui in plebe ista erant, custodes pecorum, rectores populorum, et dominos fecit. Legem, promissiones, malum per omnem modum, quod apostolus Paulus testatur, huic populo dedit. Praeter cetera et super omnia que eis dederat, de ipsis elegit matrem, et de eorum carne carnem assumpsit. Caro siquidem omnium hominum una est, et de uno limo facta. Sed magis in plebe Israelitica Christus carnem accipere voluit ad maiorem eorum gloriam, quam in alia gente. In haec igitur carne ejus honorabilis Mater Virgo eum concepit, et peperit, et causa salutis, et humilitatis exemplum obtulit in templo hostiam vivam et vivificantem in odorem suavitatis. Vere bona Maria peperit Christum, et in Christo peperit Christianos. Est itaque mater Christi, mater Christianorum. Si mater Christi, Christianorum mater est, patet profecto, quia fratres sunt Christus et Christiani. Nec solum Christus Christianorum frater est, sed pater omnium hominum et praecipue Christianorum. Et nos quidem Christiani sumus: et voluntate, malitia et multiplici malignitate a tanta fraternitate facti degeneres, tanti Patris nos indignos fecimus haereditate. Unde ad matrem ipsius, et per ipsam ad ipsum recurramus, qui pia et misericordi dispensatione matrem suam nostram esse voluit, ut nobis in nostra necessitate ferret auxilium. Et quoniam Redemptorem nostrum paratissimum ad ignoscendum novimus, et ejus gloriosam matrem habemus, si volumus, in adjutorium, non est nobis jacendum in peccatis, sed citius resurgentum. Et quia nostris meritis hoc minus, imo, nihil penitus agere possumus, aliunde queramus consilium. Solummodo et misericordia Redemptoris, et ejus matris auxilio, nobis restat agendum. Et ideo, fratres, nos miseris et infelices humiliiter confitemur, et cum timore pariter et dilectione oremus bonam Domini matrem Mariam piam virginem, ut nobis peccatoribus non indignetur, quam nunquam, ut dignum est, honoravimus, sed multis injuriis provocavimus ad iram. Non sit memor injuriarum, sed quo nos genuit amore vincatur, et matris pietate circa nos haeret, quasi jam pro peccatis deputatos ad poenam. Suscipiat causam nostram piissima mater, et negotium nostrum agat, nobisque auxilietur, ut nos a morte peccatorum ejus auxilio suscitatos inducat cum lumine fidei et sapientiae in templum gloriae coelestis, et offerat filio suo; ad pedes ejus nos ponat, et in

Hierusalem, quæ pacis est vi io, eum justo Simeone suis piis precibus faciat permanere; quod ipse Filius Dei, et filius Virginis Jesus Christus Dominus noster nobis donare dignetur, qui unus Deus, una et æquali gloria et majestate cum Patre suo et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## II.

## IN OMNI FESTIVITATE B. MARIE MATERIS DOMINI.

Diem istum, fratres, merito celebramus festivum, quem ad honorem gloriosæ matris Domini beatissimæ et incomparabilis Virginis Mariæ novimus consecratum. Hæc est enim quæ sola virgo concepit, virgo peperit, et post partum virgo mente et corpore inviolata permansit. Sicut radius ex stella procedit, sic Dci Filius processit ex Maria. Nec stella radio prodeunte corrumperit, nec beata mater filio nascente violatur. Sanc hujus virginis partus deificus ei quidem fecunditatem attulit, et salvam fecit ejus virginitatem. Et sicut voluit ut veraciter in ea fieret una persona ipse Deus et homo, ita voluit ut ipsa fieret una persona mater et virgo. Hunc itaque partum beatum dicamus, imo beatissimum certa fide credamus, quem singularis et honorabilis Regina cœlorum Virgo Maria mundo protulit, non mundi meritis, sed Dei gratia. Verum Dei Filium, verum hominem hæc virgo ineffabilis ineffabiliter concepit et peperit, in sua conceptione et partu satis amplius sanctitatis et incorruptionis percipiens, quam ante suscepit. Unde Dei Filio hæc sancta virgo tantum placuerit, si queratur; dilectione videlicet et humilitate, qua prima Domino virginitatem devevit. Ipsa enim Dei sapientia dicit: *Ego diligentes me diligo* (*Prov. viii, 17*). Vere dilexit Dei sapientia Mariam, et Maria dilexit, et multum dilexit Dei sapientiam, Deum scilicet Dei Patris Filium. Dilexit quidem alter alterum, sed Deus amplius dilexit, qui amplius diligere et novit et potuit. Dilexit utique eam super beatam societatem apostolorum, angelos et archangelos, et super omnes virtutes et potestates cœlorum. Ad hanc beatissimam virginem Deus Pater ex se genitum Filium misit, ut ipse Dei Filius, virginis etiam filius fieret et sponsus. Hoc Pater disposuit charitate, Filius voluntate complevit, Spiritus sanctus paravit thalamum et ornavit, id est ab omni corruptione peccati mundavit virginis uterum, et multiplici sanctitate replevit. Ibi tanquam in aula regia Deus quæ omnia ante creaverat, scipsum creavit in Maria. Nemo miretur quod sponsus Mariæ ejus filium diximus. Nam Pater et sponsus hujus virginis, est filius ejus. Pater plane, quia ab ipso creata est; filius, quia natus ex ea; sponsus, quia ei charitate conjuncta. Mirum conjugium, sed fide et pietate mirandum; ubi virgo mater exstitit, virginitas uxor, maritus Spiritus sanctus, per aurem conceptio, conceptionis interpres angelus, semen Christus, proles virginis Filius Dei. In hac utique sacrosancta conjunctione nou caro carnem carnaliter tetigit, sed Deus Pater sapientiam suam visce-

ribus virginis infudit; quæ et in Virgine Matre carnem assumpsit, et suam beatissimam matrem incorruptam servavit, et per virginem corpus egrediens Verbum, quod Maria verbo concepit angelico, verus Deus in vero homine apparuit. Assumpsit vere in vera virgine verus Dei Filius Christus Dominus totum hominem, animam scilicet et carnem. In hac carne natus est homo aro homine. Hac in carne hominem in cruce redemit. Hac in carne Christum homo percepit. Homo quidem et in anima et in corpore redemptus est, sed hæc caro Domini fuit pretium suæ redemptio-nis. Carnem istam in specie panis discipulis suis in cœna, quam ante passionem suam cum eis novissimam fecit, manducandam donavit. Unde illis asseruit dicens: *Hoc est corpus meum* (*Luc. xxii, 19*). Et quia de suo proprio proprio corpore diceret, subjunxit, *Qui pro vobis tradetur* (*ibid.*). Nemo haesit super hoc, quod Christus carne sua discipulos cibaverit suos, cum cibus iste animarum sit potius intelligendus quam corporum. Nam si caro Christi animarum tantum cibus non esset, post cibos corporum Christus eam discipulis nequaquam dedisset. Morte suæ carnis redemit suos, suorum etiam animas eadem carne spiritualiter pavit. Fecit enim Deus quod voluit, et quod voluit facere potuit. Alioquin Deus omnipotens non esset, si aliquid vellet facere quod minime posset. Qua autem ratione hoc Deus fecerit, non est opus disputatione, sed fides adhibetur et sufficit. Fide etenim hæc opera Dei noscuntur, non sophistica contentione. Hanc suam veraciter carnem ipse suscitavit a mortuis tertia die omnipotenta divinitatis, istam videntibus apostolis elevavit in cœlum, in hac ad judicium veniet cum potestate magna et majestate, Deum in hac carne videbunt impii, non in ea humilitate qua pro ipsis et ab ipsis injuste judicatus est, sed in ea sublimitate qua pro suis eos sceleribus juste judicaturus est. Videbunt, inquam, illum quos ipse dilexit, et quem ipsi oderunt, suum videlicet Redemptorem, et ante sui Redemptoris conspectum peribunt. Justi autem, super id quod dici vel cogitari potest, ab auditione bona latabantur, et exsultabant. Audient enim ipsum Dei Filium vocantem eos, et dicentem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth. xxv, 34*). Illo utique die homines qui in hoc sæculo humiles sunt et obedientes, patriam illam cœlestem et supernam, duce suo capite Christo, cum honore magno et exultatione intrabunt; unde superbi et inobedientes angeli cum verecundia magna et confusione cederent. Ibi videbunt homines Deum facie ad faciem, sicuti est, et donabitur eis vita, salus et gloria sempererna, quæ Deus est. Beata autem Maria mater virgo, et sponsa intacta, ibi piissima apud piissimum filium suum obtinebit ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo para-

tissima esset ad precandum, totusque mundus salvaretur, si precibus ejus se faceret dignum. Hæc veracissime apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest quidquid desiderat, sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat. Nam qui hujusmodi sunt, Deo placere ulla ratione non possunt. Pro talibus nullus sanctorum supplicare præsumit, nec eis eleemosynæ ad conquirendam vitam aeternam, nec sacrificia prosunt. Unde princeps Christianæ doctrinæ, Paulus apostolus dicit: *Post acceptam notitiam veritatis voluntarie peccantibus nobis jam non relinquitur hostia pro peccatis* (*Hebr. x, 16*); ac si diceret: Nullus baptizatus post peccatum Deum sibi reconciliare potuerit, quandiu in peccati voluntate permanserit. Cæteri siquidem sancti Dominum Deum orant, et orando impetrant, sed honorabilis Virgo Maria si illum ex eo quod Deus et Dominus est, exorare merito creditur, ex eo tamen quod homo est, et natus ex ea, quasi quodam matris imperio apud ipsum impetrare quidquid voluerit pia fide non dubitatur. Nam si quilibet sanctus apud justum judicem Deum obtinet quidquid sibi jure debetur, hæc quæ est mater judicis et omnium sanctorum domina, jure matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud filios dignitate sublimes, ut si eos matres eorum saepius rogent, quia domini sunt, eis etiam aliquando quasi imperent, quia filii sunt. Bonum utique naturæ, quod Deus hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summum bonum, et a quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc beatissima Virgo Mater Domini fecisse legitur in terris, immerito facere dubitaretur et in celis. Nam vino deficiente nuptiarum in Cana Galileæ, dixit Mater Jesu ad Iesum, Virgo videlicet Maria ad filium: *Vinum non habent*, ac si ei ipsa præciperet, ut ipse faceret quod qui non habebant vinum, haberent. Hoc bona mater pietate quidem præcepit, quod bonus filius pia obedientia complevit. Nihil in hujus virginis laudibus haesitemus; honorat siquidem filium qui laudat matrem, sine cuius laude Deo placere impossibile est, et cum laude ejus ei disciplinare nemo potest. Hanc igitur sanctissimam et admirabilem virginem laudemus, quia virginis filio placere sine matris virginis laude non possumus. Diligamus eam sicut charissimam Domini Matrem, quam ipse diligit ut propriam carnem. Cujus etiam laudabilem virginitatem adeo approbare et honorare dispositus ut quosdam magis de suo ortu quam de ejus virginitatis integritate dubitare voluerit. Hæc est dulcissima mater Virgo Maria, quæ mortis peperit mortem, vitam hominis, diaboli confusionem, absolutionem peccatorum, omnium justorum beatitudinem. Res mira, sed cum gaudio et fide miranda! Homo qui est ex hac virginie natus, non solum hominum Rex est, sed angelorum et omnium cœlestium virtutum Creator et Dominus. Hæc est cui angeli serviunt, archangeli famulantur; omnis etiam militia cœlestis exercitus hanc virginem laudat et veneratur. Hæc sola post Deum super omnes creature

obtinet principatum. O quam venerabilis, quam sublimis hæc beatissima mater, cuius filius, quamvis omnipotens Deus sit, ei tamen nihil unquam negare potuerit! Hæc virgo tam sancta, tam gloria, tam honorata, a Deo tam sublimata, ita est humilis, ita compatiens, ita misericors et pia, quod propter animam peccatricem, et jam poenitentiam aeternam, severitati districti judicis se opposuerit. Christianus etenim quidam, Thophilus nomine, sicut veraciter legitur, suis infortuniis adeo desperatus fuerat, et seductus a quodam Judeo, quod Christum Dominum et ejus sanctissimam Matrem negaverat, Christianæ fidei renuntians, quam suscepserat in baptismo, et ipsum diabolum adorans, hujus detestabilis operationis ei fecerat chartam proprio annulo sigillatam. Postea vero divinæ pietatis miseratione compunctus, ad misericordissimam Domini Matrem Mariam piissimam Virginem consilium et auxilium petiturus se convertit, secum merito reputans quod nullus sanctorum, nec angelus, nec quilibet cœlica virtus tantum poterat apud Deum quantum mater ejus. Hoc etiam mente pertractans, quod filius matris injuriam gravius ulciscitur quam suam, et nulla ratione inultam dimitteret, nisi prius ipsa pro suo injuriatore rogaret. Gloriosa itaque Virginis Matri misericordiae amaritudinem peccati amare lacrymans confitetur, pecus terribibus urget, gemitis supplicat continuo, eam deprecatur assidue, sed cordis potius intentione quam verbis. Mater autem piætatis diligenter audiamus quid fecerit. Consolatur utique peccatorem, et quasi suum quodam compassionis affectu faciens peccatum, causam peccatoris suscipit, pro eo peroratura ad judicem. Perorat misericors mater pro misero ad misericordem filium, misericordia a miseria liberat miserum. Lacrymatur peccator iste, ut diximus, sed amare. Mater pro peccatore filio supplicans accedit; filius respicit peccatorem; a peccatore peccatum discedit; ut decepti hominis chartam reddat, diabolo deceptor Virgo potenter imperat; invitus et confusus criminator obedit; homo per manum Virginis chartam recipit absolutus, et ubertim lacrymas fundens præ gaudio, Deo et ejus beatissimæ matri laudes non modicas et multiplices gratiarum actiones rependit. Hæc est laudabilis, et universalis imperatrix angelorum et hominum Virgo sanctissima, qualicet a Creatore omnium creata sit, in ipsa Creator ipse factus est creatura. Filia quidem Dei, sed Dei simul et hominis Mater incorrupta. Hæc post filium suum est præcipuum refugium peccatoribus, quo post lapsum fugiant, consilium, ut poeniteant, auxilium, ut convertantur ne pereant. Nulla tam gravis est peccati vel criminis plaga, cuius non sit, si ipsa voluerit, medicina. Confessionem et poenitentiam in hominibus desiderat peccatorum, ut pro illis occasionem habeat deprecandi. Huic igitur excellentissimæ ac piissimæ Matri Domini semper Virginis Marie humiliter supplicantibus, quod male fecimus confiteri nulla occasione differamus, et per

supplicabiles ipsius preces, nos et omnes actus nostros Domino commendemus, ut ad ipsum qui et peccantibus juste irascitur, et pœnitentibus misericorditer indulget, pervenire mereamur, præstante

eo qui pro nobis ex ea factus est homo Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sœcula sœculorum. Amen.

### VEN. HILDEBERTUS, ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS,

ANTEA CENOMANENSIS EPISCOPUS.

#### I. — *Maria tota a peccato mundata.*

Hoc indubitanter est concedendum, quod non prius carnem, ut quidam dixerunt, et deinde animam assumpsit, sed simul univit sibi Verbum Dei carnem et animam. In hoc vero differentiae inveniuntur. Sapientes quidam dicunt quod caro illa quam de Maria suscepit, quadraginta diebus formata sit, et ea jam formata, scilicet lineamenta hominis habente, Verbum Dei simul univit sibi carnem et animam; et hoc volunt dicere ex auctoritate Augustini super Joannem, ubi dicitur: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (Joan. ii, 19). » Super locum hunc dicit Augustinus: Hic numerus convenit perfectioni Dominic corporis, quia, ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis perficitur. Alii volunt dicere quod quam cito per Spiritum sanctum separata est illa caro, habuit aliquam distinctionem membrorum, sed adeo parvam quod oculis non subjaceret, sed per illos quadraginta dies, de quibus loquitur Augustinus, perfecta et notabilis fuit, et in ipso momento separationis carnem et animam simul suscepit, et istis magis assentiunt auctoritates. Gregorius Junior: Angelo nuntiante, adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. Augustinus in lib. *De Trinitate*: Non esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus, homo, idem in utroque et unus esset et verus; quam servilem formam a solo Filio susceptam tota Trinitas, cuius una est voluntas et opera, fecit. Non autem in utero Virginis caro prius concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem, sed mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae natræ, factum est caro, et perfectus homo, id est veritate carnis et animæ natus est de carne illa cui unitum est Verbum.

Quæritur utrum..... Quod ita fuisse Augustinus dicit, sed ipsa separatione per Spiritum sanctum mundata fuit, et a peccato, et a somite peccati. Mariam totam a peccato, non a somite liberavit, quem tamen sic debilitavit, quod postea non peccasse creditur. Augustinus *De natura et gratia*: Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberet volo quæstionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiæ sit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concidere ac parere

meruit quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes sancti et sanctæ congregari possent, quid responderent nisi quod Joannes ait: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus (I Joan. i, 8)? » Sed, si caro Christi in Maria, et in aliis de quibus descendit, fuit obnoxia peccato, quomodo solvetur illud: « Levi decimatus est in Abraham (Hebr. vii, 9)? » Christus enim decimatus est in Abraham. Quod ita solvit Augustinus: Levi decimatus est in Abraham, quia inde per concupiscentiam descendit; Christus non est in eo decimatus, quia caro Christi non descendit inde per concupiscentiam. Sed nonne in David et in Maria per concupiscentiam eadem caro descendit? Non tamen caro Christi, quia hoc esset dicere quod in Christum descendisset per concupiscentiam, quod penitus falsum est.

Quidam volunt dicere, quod sicut in Adam ante peccatum fuit illa particula munda et sancta, ita post peccatum, et in ipso Adam, et in omnibus successoribus recta linea usque ad Mariam conservata est, et hoc dicunt a Gregorio se habere. Quod homo ille ab ipsa conceptione plenus [fuit] gratiæ et veritatis, et quod tantum haberet sapientiam, quæ augeri non posset, multæ auctoritates contestantur. Jeremias: « Novam rem faciet Dominus super terram: Femina circumdabit virum gremio icti sui (Jer. xxxii, 22). » Quid est hoc: Femina circumdabit virum, nisi quia ab ipsa conceptione perfectus homo [suppl. fuit] secundum sapientiam, licet non secundum quantitatem corporis, ut voluerunt quidam, scilicet, quod tantus in utero, quantus in cruce? Ab ipsa enim conceptione unxit eum Deus oleolætiæ præ participibus suis. Sed ad hoc videtur oppositum illud quod dicitur in Evangelio: « Jesus proficiebat ætate et sapientia apud Deum et homines (Luc. ii, 52); » sed potest dici quod si non in se proficiebat sapientia, proficiebat tamen in hominibus, qui scilicet de sapientia ejus proficiebant, et meliores siebant, sicut solet dici: Proficit iste in episcopatu suo, non quod ipse aliquando sapientior fiat, sed quia bene instruit alios; apud Deum, id est ad honorem Dei et ad profectum hominum. Beda super Lucam: Recte dicitur plenus sapientia, non per intervalla temporum proficiendo in sapientia, qua semper plenus fuit ab hora conceptionis, quoniam « in ipso, ut ait Apostolus, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. » (Ex *Tract. theol. c. 13.*)

II. — *B. Maria quo excelsior, eo humilior.*

Sunt virgines, quæ etsi castæ sint, et immunes ab immunda voluntate [*f. voluptate*], tamen aliis vitiis sunt occupatae. Elevat enim quarundam mentes superbia, vel quia sunt doctiores, vel quia nobiliores, vel quia prudentiores. Istæ non imitantur illam, quæ se potius ancillam dicit, quam dominam. At quæ non imitantur illam, non adducentur [regi] post eam. Quamvis enim Regina cœli Regem cœli genuerat, quamvis Creatorem suum portaverat, tamen semper cogitabat illud Salomonis : « Quanto major es, humilia te in omnibus (*Ecli.* iii, 20). » Humilis enim Filius, qui « non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx, 28), » et dixit : « Discite a me quia mitis sum et humili corde (*Matth.* xi, 29); » voluit habere humilem matrem, vult et habere humiles filias. Qui non est humili, non est filius Patris qui in cœlis est. Ipsa etiam ait in cantico suo : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (*Luc.* i, 12). »

Sunt virgines quæ libenter foris vagantur et demorantur, et si corpus in claustro demoretur, animus tamen foris vagatur. Istæ sunt dissimiles illi quæ abiit in montana cum festinatione, non demorando in eis, non curiosa de visis, non detenta colloquiis; sed in quibus detenta? In mysteriis quæ videbat et audiebat. Ait enim Scriptura : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* ii, 19). » Sunt aliae virgines, quæ delectantur confabulationibus vanis, detractionibus et risibus; non student in divinis laudibus. Hæ non sunt proximæ ejus, quæ quando cum cognata sua locuta est, non de inanibus agens, sed de cœli secretis laudans et magnificans Deum, in his verbis erumpentebat : « Magnificat anima mea Dominum (*Luc.* i, 42). » Si ergo, filiae charissimæ, Regina vestra, Domina vestra, nec solum vestra, sed et nostra et angelorum, exemplum et forma omnibus nobis, mundum fugit, ut Deo soli vacare contingat, [illam imitari satagite]. Qui diligunt ea quæ in mundo sunt, sollicitudinem mundi habent. Vobis clamat Apostolus : « Præterit figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse. » (*Ad Sanctorum.*)

III. — *B. Maria se commendat de humilitate, non de aliis virtutibus.*

Hæc fuit Virgo Maria, quæ fuit virgo modica, id est humili; legimus enim eam super omnes humilitatem habuisse. Unde et ipsa de humilitate se commendavit, non de alia virtute, dicens : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* i, 48). » Sed quinam eam quæsierunt? Certe tot eam quæsierunt, quot eam desideraverunt. Audite Isaiam dicentem : Surge, « paupercula mulier de Anathoth (*Isa.* x, 30). » Et alibi : « Egredietur virga de radice Jesse (*Isa.* xt, 2). » Et Jeremias ait : « Novum faciet Dominus super terram : Mulier circumdabit virum (*Jer.* xxxi, 22). » Et David : « Substantia mea apud te est (*Psal.* xxxviii, 8). » A quibus inventa? Ab

angelo Gabriel in Nazareth, a quo sicut præter solitum mulierum inventa, sic præter solitum salutata. « Ave, inquit, gratia plena (*Luc.* i, 28). » Et a Joseph « inventa est habens in utero de Spiritu sancto (*Matth.* i, 48). » (*Ibid.*)

IV. — *B. Maria Virga est; Flos Christus Filius ejus.*

Ostendimus, fratres charissimi, quomodo apparuit benignitas et humanitas Salvatoris, sed non est silendus ordo gloriæ ejus nativitatis. Prædictus est adventus ejus, multis et ante temporibus a prophetis præsignatus erat, multis etiam figuris. Ait enim Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini (*Isa.* xi, 1). » Hoc etiam ostensum est prius in figura Aaron. Dominus enim præcepit de singulis tribibus virgas afferri. Allatae sunt virginæ duodecim, inter quas etiam erat una quæ fuerat Aaron sacerdotis; positæ sunt a Moysi in tabernaculo testimonii : virga autem Aaron post alterum diem invenitur produxisse flores et frondes, et perperisse nubes (*Num.* xvii, 2-8). Ecce prophetia et figura. Jesse fuit pater David; radix Jesse familia Iudeorum. Virga est Maria, flos Filius ejus, super quem descendit Spiritus sanctus in specie columbæ. Similiter virga Aaron, quæ sine semine produxit nubes [*Vulg.* amygdalas], signat Mariam, quæ sine semine genuit Christum. In nuce, quæ signat corpus Dominicum, tria sunt : cortex, testa, nucleus. Cortex amarus designat carnem, quæ habuit passionis amaritudinem. Testa significat ossa. Nucleus interior, animam virtutibus candidam. Cum his, et his similibus esset hæc nativitas Domini prænuntiata, et præmonstrata, voluit Dominus implere promissa. Missus est itaque Gabriel angelus ad Mariam in Nazareth, et nuntiavit descensum Domini in uterum ejus (*Luc.* i, 26). Dignum erat ut Gabriel, qui *fortitudo Dei* interpretatur, annuntiaret nasciturum Dominum, qui fortis manu contra principem hujus mundi pugnaturus erat. Et valde conveniens erat ut Christus, qui per florem supradictum præsignatus erat, in Nazareth conciperetur, qui *flos vel virgultum* interpretatur. Egregium præcursorem habuit egregius Imperator Joannem Baptistam, qui ab utero matris Dominum recognovit, qui per eumdem Gabrielem scilicet nuntiatus est, et contrarius naturæ [*f. contra ius naturæ*] de sterili Elisabeth, videlicet cognata Mariæ, natus est. In sexto mense a conceptione Joannis conceptus est Christus; quo concepto, abiit Maria in montana cum festinatione, et intravit in domum Zacharie, et salutavit Elisabeth. Et audita salutatione, exsultatione exsultavit infans in utero Elisabeth (*Luc.* i, 39, etc.). Coepit Joannes esse propheta, antequam nasceretur, et recognovit servus Dominum, conceptus conceputum; et per gratiam pueri repleta est mater spiritu prophetico, et ait : « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? et mansit ibi Maria tribus mensibus, et reversa est in domum suam (*ibid.* 43, 56). » Postea contigit Joseph ire in Bethlehem cum

uxore sua prægnante; cumque impleti essent dies ut pareret, diverterunt in stabulum, et peperit sine dolore, et pannis eum involvit (*Luc. ii, 7*). Sic divina potentia operante, de Virgine natus est Christus, non aperta porta Virginis, quæ virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. De hac porta Virginis dixit Dominus ad Ezechielem: « Porta hæc quam vides, clausa erit, et non aperietur, et vir non intrabit per eam quam ingressus est Dominus Deus Israel, et semper erit clausa (*Ezech. xliv, 2*). » Magnum meritum, magnum donum, magna gratia! Ancilla peperit Dominum; creatura Creatorem, filia Patrem, filia divinitatis, mater humanitatis. Duas nativitates Domini accepimus, unam divinam, alteram humanam. Illam sine matre, istam sine patre. Hodie, fratres charissimi, celebramus temporalem nativitatem propter nos acceptam. Gaudemus propter reparationem nostram. Hodie suscepit infirmus sanitatem, hodie captivus libertatem, hodie recuperavit exsul hæreditatem. Suscipiamus ergo hodie Regem venientem, preparamus ei habitacula pectorum, ut nos dignetur suscipere in cœlesti Jerusalem, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. (Ex Serm. 11.)

V. — *B. Maria virgo ante partum, in partu et post partum.*

Ipse Sponsus recte dicitur, quia a prophetis multoties promissus, et quia habet sponsam, sponsus est. Sicut ergo a sponsione prophetica ipse nominatur Sponsus, ita et ejus sponsa dicitur Ecclesia, ei

sæpenumero promissa, ut ibi: « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal. ii, 8*). » Hujus et Spousi et sponsæ thalamus exstitit virginalis uterus, ubi Angelus magni consilii humanæ naturæ, ut sponsus sponsæ copulatus est, virginalis incorruptionis integritate servata. Descendit quidem sicut pluvia in vellus: aperta comparatio, et congrua similitudo. Lana enim accipiendo, vel reddendo aquam, non rumpitur, sed integra manet. Sic integritas in Virgine et ante partum, et in partu, et post partum servata est. Hæc est enim porta quæ respicit ad orientem, in Ezechiele clausa fuisse legitur, Domino dicente ad eum: « Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Princeps enim per viam portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur (*Ezech. xliv, 2, 3*). » Hic est Princeps de quo Isaías ait: « Princeps quæ digna sunt principe cogitabit, et ipse super duces stabit (*Isa. xxxii, 8*). » Hic ergo Princeps quem nullus posset sustinere, si vellet manifesta potestate cognosci, voluit in summa lenitate in uterum Virginis, sine aliquo strepitu, sicut pluvia in vellus descendere. Hic ergo « exultavit ut gigas ad currēdā viam (*Psal. xviii, 6*). » Gigas bene ipse dicitur, quia imperturbabilis, irrevocabilis, incomparabili virtute omnes homines superans, ipse eucurrit viam. Non habitavit vel stetit in ea, quia non tenuit eum sæculi illecebra. Quam viam? Ecce, « a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Ibid. 7*). » (Ex Serm. 12.)

VEN. HILDEBERTI, SERMONES IN B. VIRGINEM MARIAM.

I.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIE.

*De Incarnatione.*

« Audita feci tibi nova, et signata sunt quæ nescis (*Isa. xlviii, 6*). »

Verba sunt ita Spiritus sancti in visione sancto Isaiae loquenti, ac mysterium a sæculo absconditum revelanti. De quo Jeremias: « Novum fecit Dominus super terram: semina circumdabit virum gremio uteri sui (*Jer. xxxi, 22*). » Hæc mulier Virgo Maria, de qua Isaías: « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur: Nobiscum Deus (*Isa. vii, 14*); quia cum filius Virginis sit verus Deus, de Patre natus ante tempora, nobiscum etiam est naturæ assumptione, et in terris cum hominibus vera conversatione, secundum illud Baruch: « In terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch. iii, 38*). » Et Apostolus ait: « Habitu inventus est ut homo (*Philip. ii, 7*). » Hoc est igitur novum quod Dominus fecit super terram, scilicet, quod Virgo concepit et

peperit sine commissione virilis seminis; ipse enim circumdedit virum gremio uteri sui (*Jerem. xxxi, 22*), quia de solius virginis carne sanctificata, Spiritus sancti operatione, Dei Filius conceptus est in utero Virginis. Dei igitur Filius in thalamo virginali, hominis factus est filius; sponsus sponsæ unitus, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis Filius, ut non adoptione, vel appellatione, sed vere in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus, et verus homo unus filius, unus Christus; et non duos christos, vel duos filios, sed Deum et hominem unum filium confitentur quia et propterea unigenitum dicimus manentem in duabus naturis, sive substantiis non confusis, neque immixtis, et beatam Virginem, non hominis tantum, sed et Dei genitricem profitemur; quia quem Pater genuit ex aeternitate, ipsum Virgo conceptum protulit ex tempore, cuius duas nativitates veneramur, unam ex Patre ante sæculum super carnem, et tempus, et naturam, et unam in ultimis factam propter nos [f. super nos, ut patet ex conseqq.] et secundum nos, quia propter nostram sa-

Intem; secundum nos, quia natus est ex muliere homo, tempore conceptionis servato; super nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu sancto et sancta Virgine conceptus est supra legem conceptionis. Unus igitur atque idem est Dei Filius natus ante saecula, et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est, scilicet, Filii Dei, divina scilicet et humana, cuius utriusque ineffabilitatem Isaías admirans, ait: « Antequam parturiret, » scilicet, Virgo Maria, « peperit. Quis audivit unquam tale, et quis vidi huic simile? (Isa. LXVI, 7.) » Hæc sunt quæ nova et in abditis arcanorum Dei signata [sunt;] que Spiritus Dei prophete ac per prophetam revelavit, et insuper sanctæ Virginis per Gabrielem angelum aperta revelatione nuntiavit, sicut evangelica Veritas ait: « Missus est Gabriel angelus ad Marianam Virginem (Luc. 1, 26,) ex Davidica tribu productam, cum evangelizans ait: « Ave gratia plena, Dominus tecum (ibid. 28.) » Ea vero in sermone [ejus] turbata, dixit ei Angelus: « Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum; ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (ibid. 31.) » Ipsa vero dubitante quomodo fieret hoc, quoniam virum non cognosceret, iterum dixit ad eam Angelus: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (ibid. 35.) »

Post concessum [*f. consensum*] autem sanctæ Virginis, Spiritus sanctus supervenit in ipsam secundum verbum Angeli, purgans eam, et potentiam deitatis Verbi præparans, similiter autem et [*dæcet forte humanitatis*] generativam, et tunc obumbravit eam Dei Altissimi sapientia, et virtus semper existens, id est Filius Dei Patris homousion, id est *consubstantialis*, et copulavit sibi ex sanctissimis et purissimis Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectiva, non seminans, sed per se ipsum creans. [Sic] fit hodie porta cœli Virginis uterus, per quam Deus ad homines descendit, ut eis ascensum præberet ad cœlum. Audit beatissima Virgo, miraturque se paritram filium, quæ virilis complexus nescit consortium; sed confortatur, et instruitur ab Angelo, qua virtute possit in ea compleri, quod in aliis feminis non patitur natura fieri. « Ne timeas, inquit, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum (Luc. 1, 31); ac si dicaret: Quod tibi prænuntio non habet vis nature, sed donum est incomparabilis gratiæ. Unde subdit: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (ibid., 35.) » Non est arbitrandum, secundum quosdam hæreticos, Spiritum sanctum in Virgine seminis vicem exhibuisse; sed mentem ipsius ita a sorde vitiorum castificavit, et divini amoris dulcedine replevit, ut cœlesti digna fieret partu, et de ejus immaculata carne sibi virtus Altissimi hospitium coeleste in virginali thalamo

fabricaret. Unde additur: « Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*ibid.*) » Oportebat esse sanctum [eum] qui pro sanctificatione peccatorum erat offerendus. Decebat ut vitio careret ejus origo, per quem purganda erat filiorum Evæ vitiosa generatio. Tria enim mala sequacibus suis incussit Eva, scilicet viri in feminam dominium, in delicto conceptum, et in dolore partum. In Virginis vero conceptu nulla carnalis concupiscentia se immiscuit, nulla concipienti tristitia, nulla parienti difficultas adfuit. Qui enim letificare venerat saeculum, contrastare non debuit ventris hospitium. Sicut ergo omni corruptione caret iste conceptus, ita, et si hæretici aliter garriant, in conceptu et partu integer exstitit et intemeratus Virginis uterus. Hæc est enim porta clausa quam Filius hominis, id est Ezechiel, vidit. « Convertit me, » inquit, Dominus ad viam portæ, « que respiciebat ad orientem, et erat clausa, et dixit ad me: Fili hominis, porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa (Ezech. XLIV, 1). » Audite, fratres, et gaudete. Hæc est enim prophetia magnifica de incorruptione sanctissimæ Virginis, quæ fuit Virgo ante partum, in partu, et post partum. Hic est rubus incombustus, in quo Moysi loquens Deus apparuit, quia Virgo enixa Regem loquentem, visa est pluribus carnaliter [opinantibus,] Joseph: nupsisse; sed ab omni viri amplexu vere immunis exstitit et aliena. Porta igitur clausa, Virgo est immaculata, quæ nec similem visa est, nec habere sequentem. Via portæ Spiritus sanctus est, qui hanc portam clausit, nobisque revelavit. Oriens ad quem respicit, Christus est, quem Virgo se concepisse cognovit; ideoque via portæ dicitur, quia ipsa ad eam ducit. Ipse enim Spiritus sanctus est illa prophetissa, ad quam accessit Isaías, id est dignum accedendi se exhibuit, ita inquiens: « Accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium; et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera, spolia detrahe, festina prædari (Isa. VIII, 3). » Hæc igitur prophetissa Spiritus sanctus est, a quo omnis prophetia, qui apud Græcos dicitur *Pneuma* [*πνεῦμα*] neutraliter, apud Hebreos *Ruha* femininæ appellationis, apud Latinos Spiritus sanctus masculine. Ad hanc igitur prophetissam mente accessit Isaías, et ipsa concepit et peperit, id est concipere fecit Virginem et parere filium, secundum illud: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus etc. (Luc. 1, 35). » Et alibi: « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Vocatumque est nomen ejus Ecclesia [*f. accelerata*], quia usque in velocitatem currit sermo Dei; et: Spolia detrahe, quia ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem (Ephes. IV, 8); et: festina prædari, quia principes et potestates in semetipso triumphans, infernum expoliavit. Miranda est igitur et adoranda Virginis conceptio et generatio, quam Dei sapientia

commendans, ait : « O quam pulchra et casta generatio eum claritate ; immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est et apud homines ! ( *Sap. iv, 1.* ) Casta est itaque, et ideo pulcherrima Virginis generatio et conceptio, quæ sine senium celebrata est coagulo, et absque corruptionis consummata est experimento; quod non impossibile vel improbabile videbitur, sicut sapientia hujus mundi, quam Deus infatuavit, arbitratur, si quis de Dei potentia vel operibus, non humano sensu disputat, sed invisibilia Dei intellectu mentis per ea quæ facta sunt, intelligenda conspiciat. Attende enim quia si solis radius crystallum penetrans , nec ingrediendo perforat, nec egrediendo dissipat, quanto magis igitur ad ingressum veri et æterni solis, Virginis uterus integer mansit et clausus, in ejus rei præsagium rubus ille ardens et incombustus, quem supra memoravimus, sancto Moysi legitur esse monstratus, et Virga Aaron summi sacerdotis, nec radice anintata, nec humore secundata, quem natura habuit, fructus floresque produxit. Cur igitur negat infidelitas Deum, hominem non posse sine viro facere de femina, qui primum hominem nec de viro, nec de femina fecit ? Nimirum veram nascentis humanitatem conceptio prodidit [ *s. prodidit* ] et generatio, ejusdemque veram deitatem novitas probat, et incorruptio continetur [ *s. confitetur* ]. In hoc conceptu magnum et mirabile sacramentum, conjunctionis scilicet Christi et Ecclesie, seu Verbi et animæ. Virgo enim Maria facta est Ecclesia, vel quælibet anima fidelis, quæ incorruptione voluntatis casta et sinceritate fidei virgo est. Unde Apostolus : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo ( *II Cor. xi, 2.* ) Angelo quoque nuntiante quod Maria concepit, prædictor est veritatis, quo evangelizante, mens fidelis concipit Verbum Dei, deinde parit. Concepit quidem credendo, parit, in Incem boni operis producendo. Fides enim sine operibus mortua est; et sicut Virgo post angeli affatum, et Salvatoris conceptum, abiit in montana cum festinatione; sic fidelis anima, concepto Dei Verbo, posteriorum obliterata, in anteriora se extendit, ut ad bravium supernæ vocationis pervenire possit. Gaudete igitur, dilectissimi, iterum dico gaudete, quia novum Virginis conceptum nobis hodierna comœdiat festivitas, qua nostræ reparationis celebratur exordium, et nobis proponitur divinæ pietatis ac potestatis indicium. Si enim rerum Dominus fugitivos servos requires, judicium exercere, et non pietatem exhibere veniret, nequaquam vasis lutei fragilitatem, qua nobis compati, et pro nobis pati posset, indueret; et licet hoc stultum et infirmum , attestante Apostolo, videatur Gentibus, terrenæ inanisque philosophiæ argutiis nientibus, et secundum leges creaturæ de Creatore judicantibus, quid tamen potentius, quam contra iura naturæ, Virgini conceptum dare, et per mortem carnis assumptæ, mortales ad immortalitatem glorie revocare ? Unde est illud Apostoli : « Quod

infirmum est Dei, fortius est hominibus, et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ( *I Cor. i, 25.* ) »

Sapientes quidem dicuntur corporalium passionum medici, qui neverunt pro qualitate morborum similia similibus apponere, et contraria contrariis appetenter opponere. Sic medicina coelestis sapientiae nostris est accommodata vulneribus carnis ac spiritus de quibusdam contraris, et de quibusdam similibus curavit nos.

Venit enim in similitudinem carnis peccati Salvator, per omnia tentatus pro similitudine absque peccato, quatenus in quo tentaretur et vinceret, vincendi gratiam tentatio de cætero tribueret. Apposuit [ *s. opposuit* ] etiam novitatem suam vetustati nostræ, justitiam suam injustitiæ nostræ, humilitatem superbicie, ut qui superbiendo a floriera sede beatorum decideramus, per ejus humilitatem reformati, ad paradisi gaudia redeamus. Serpentis sapientia, id est astutia, decepti sumus, Dei sapientia liberarum; et sicut illa sapientia vocabatur, cum esset stultitia, sic ista quæ vocatur stultitia, sapientia est adeo magna et incomprehensibilis, quoniam vitæ perditæ reparatrix , nobis exstitit medicina. Ecce contraria. Similia vero sunt, quod per feminam deceptos, per feminam natus liberavit, homo homines, mortalis mortales. Potuit quidem lapsibus humanis aliter subvenire divina sapientia. Sed nullus fuit convenientior modus sananda nostræ misericordiæ. Sic enim et nostram erga se plurimum excitavit dilectionem, et suam nobis commendavit charitatem. Advertite enim, fratres, et interrogate corda vestra, si vobis terrena hæreditate privatis, et in tenebricoso carcere positis, rex, vel quilibet præpotens, regio decore posthabito, vobiscum descendere, ut quasi unus ex vobis vestræ captivitatibus ærumnas toleraret, quatenus opportunitate inventa, vos ab ipsa captivitate liberaret, quomodo posset melius etiam suam vobis dilectionem intimare, et vestram circa se incitare ? Veritas enim ait : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam et animam suam ponat quis pro amicis suis ( *Joan. xv, 13.* ) » Sicut ergo Dominus noster, et medicus, et liberator, descendit ad servos suos, ægrotos suos, captivos suos, humiliis et sublimis; humili, compatiendo; sublimis, sed a servitute diaboli nos liberando, factusque est, per humilitatem nostræ humanitatis, quasi lac parvulorum, qui in sublimitate sue deitatis, panis est angelorum; per carnem enim suximus majestatem; voluit enim in regione dissimilitudinis nos alere lacte suæ Incarnationis, quo crescere nos faceret ad suavissimum et inæstimabilem gustum suæ divinitatis, quem tamen, quandiu per fidem ambulamus, et non per speciem, nulli, quantumlibet corde mundo, plene conceditur, sed perfectæ satietati in justorum retributione conservatur, cum Domini gloria manifestabitur, quia nullus viatorum potest possidere in peregrinatione, quod ei promittitur in perventione. Quicunque ergo in Christo vocati sumus, nostræ li-

berationis admiranda nuntia præsentí festivitate nobis ad memoriam reducta, toto corde veneremur, ac debitis obsequiis honoremus, considerantes quanta nobis promittuntur in cœlis, ne ab muro supernæ vocationis, cursum nostrum revocent ea quæ cœcis et cupidis mentibus appetenda videntur in terris. Diligamus misericordiam quæ redempti sumus; conservemus castitatem, cuius se amatorem ostendit, qui de Sanctæ Virginis sanguinibus immaculatum sibi corpus adaptavit. Conformemur ei, qui vitam suam posuit in terris regulam Christianæ conversationis; qui primo adventu suam in nobis reformavit imaginem, in se reformaturus corpus humiliatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per infinita sæcula. Amen.

## II.

## IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIE SERMO PRIMUS.

¶ Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino... et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par tutrurum, aut duos pullos columbarum (Luc. ii, 22). ¶

Consuetudo erat, fratres charissimi, in veteri lege, ut si mulier masculum peperisset, ipsa ab ingressu templi per quadraginta dies abstineret; postea veniens ad templum offerebat cum hostiis filiam (Levit. xii, 2). Præceperat autem Dominus in ieiū offerre pro filio agnum, si posset, simul et tutrem, vel columbam. Qui vero non sufficeret ad offerendum agnum, duos tutrures, aut duos pullos columbarum offerret. Dominus igitur, qui non venerat legem solvere, sed implere, et in omnibus actionibus suis aliquo modo vitam nostram informans, voluit octavo die circumcidere, et in quadragesimo in templo cum hostiis presentari. Sed quia de paupertate nos instruatur erat, ubique exemplum paupertatis proponebat; et ideo maluit par tutrurum, aut duos pullos columbarum, quæ erat hostia pauperum, pro se offerri, quam agnum, qui erat hostia divitium. Pauper enim Filius Virginis, in humili loco natus, vilibus pannis involutus, in vili præsepio repositus, in mundo non habens ubi caput suum reclinaret, multa opprobria passus, et in famoso loco turpi morte occisus, per omnia documentum paupertatis et humilitatis, et contemptus omnium præsentium tribuit. Et erat quidam beatus senex, qui desiderans videre diem Domini, responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (Luc. ii, 25). ¶ Veniens itaque hodie in templum in spiritu, promissionem suam accepturus, vidi quem desideraverat, recepit, portavit, et ait: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (ibid. 29), » quem ut te vide-ret, retinebas in vita. Secundum verbum tuum, id est promissionem tuam dimittis in pace, quia video

pacem. Quare ergo dimittis in pace? Quia viderunt oculi mei salutare tuum (ibid. 50).

Hæc est hodie, fratres charissimi, festivitas, quam tanto gaudio celebratis, si non in re, saltem in specie. Lumen in candela Christum de Virgine natum designat. Christus enim exortus est lumen rectis corde. Cera virginitatem Mariae designat. Virgo est apicula, quæ ceram fabricat, et sine coitu procreavit. De melle enim apes nascentur. Eamdem speciem virginitatis habet cera, sed sicut gestatis eum [scilicet cereum] in specie, ita in mente portate; sed si vultis eum ita portare, etiam tutrem et columbam offerte. Columba enim simplicitatem, tutur indicat castitatem. Castitatis enim ita tutur anima, ut si conjugem casu perdidit, non aliam ultra querere curet. Ille igitur columbam offert, qui se innocentia custodit, neminem laedit, nullius odii fel in mente gerit. Turtrem vero offert, qui caste vivens cum uxore, ab altera se a mente gerit et abstinet [f. ab altera tam mente, quam corpore, abstinentem se gerit]. Vel si uxore caret, ab omni inquinamento luxuriæ se removet. Nec solus justus, sed et peccator tutrem vel columbam offert. Utique avis, quæ gemitum pro cantu edere solet, in hoc saeculo ploratum designat pœnitentium. Tunc ergo peccator columbæ vel tutruri comparatur, cum peccatore se recognoscendo, pro nequitius suis lamentatur. Sed sunt duo genera pœnitentium. Alii enim publice, alii in occulto, pro diversitate criminum pœnitentiam agunt. Qui enim publice peccant, et malo exemplo alios corrumpunt, publice debent pœnitire; et sicut fuerunt exemplum corruptionis, ita sint exemplum correctionis. Cæteri autem privatim puniuntur. Hæ autem duas utrumque genus pœnitentium designant. Nam tutur solivagus gemere consuevit. Columba vero in grege aliarum gemitus suos edit. Turtur itaque eos qui in occulto, columba vero designat publice pœnitentes. Hæ ergo aviculæ, fratres charissimi, sunt nobis forma vitæ. Qui libros ignoratis, et in eis quid facere debeat legite. Creaturae enim Dei, non solum vobis ad cibum sunt, sed etiam ad exemplum. Doctor enim cœlestis quotidie per creaturas hoc insinuat. In his avibus reperit justus quid imitari debeat; hæ aves docent peccatorem quid faciat. Sed spiritualiter columba nos informans, septem virtutum nobis est exemplum. Felle caret; non vivit de cadavere, nec de vermis; semine pascitur; meliora germina eligit; gemitum pro cantu habet; alienos sœpe nutrit pullos; super aquas sedet, ut cum viderit umbram venientis accipitrис, illam devitet; in foramine petræ, vel in caverna nidificat. In his omnibus, fratres, hæc avis est miranda. Omnis enim fellis amaritudo debet abesse a cordibus nostris; nullum adeo pessimum vitium est sicut odium; nullum martyrium valet, si odium in corde habitat, juxta Apostolum: « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (I Cor. xiii,

3). » Nulla oblatio a Deo accipitur, si odium in corde habetur, juxta illud : « Si offeres munus tuum ante altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth. v.*, 23). » Nulla remissio peccatorum datur, si odium a corde non expellitur, juxta Dominicam sententiam : « Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Matth. vi.*, 14). » Deum expellit odium a mente, juxta illud : In malevolam animam non introibit sapientia (*Sap. i.*, 4). »

In hoc igitur columbam imitari debet, ut omni felle odii careatis. Rursum columba nec cadavera, nec vermes comedit. Sic homo mortuis operibus non debet delectari; vermes, id est pravas conscientias, que animum corrodunt, evret devitare. Cadavera enim sunt peccata; vermis, prava conscientia, quæ oritur de peccatis, quæ semper hominem damnat et accusat. Non auderet homo in conspectu hominum apparere, si dicerent sibi homines quod sibi conscientia objicit quotidie. Vitanda igitur sunt peccata, ne puniant cum prava conscientia. Vitanda sunt peccata, quia homo est servus tot dominorum, quot vitiorum. Vitanda sunt peccata, quia stipendum peccati mors (*Rom. vi.*, 23), æterna, ut ait Apostolus; et, ut ait David, « Longe a peccatoribus salus (*Psal. cxviii.*, 155). » Vitanda sunt peccata, quia fetor sunt, et erubescientiam generant. Fetor sunt juxta illud : « Computuerunt jumenta in stercore suo (*Joel. i.*, 7). » Erubescientiam generant juxta illud David : « Erubescant impii, et deducantur in infernum (*Psal. xxx.*, 18). » Item columba semine pascitur, et meliora grana eligit. Sic justus Dominicis verbis satiari. Ait enim Christus : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth. iv.*, 4). » Sicut enim in homine duas sunt substantiae, id est corpus et anima, sic duo cibi sunt necessarii, id est corporalis, qui corpus pascit, et verbum Dei, quod animam reficit. Sumus in peregrinatione, et ideo via-tic-o indigemus. Hunc panem petimus in Dominicâ oratione, dum dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth. vi.*, 11), » id est in praesenti vita; quem Dominus donat omnibus, dicens : « Nolo eos dimittere jejunios, ne deficiant in via (*Matth. xv.*). » In via deficit, si peccatori cibus prædicationis subtrahitur, vel oblatum tempus Dei officii, fastidio habeatur. A Deo enim non est qui verbum suum renuit. « Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan. vii.*, 37). » Et meliora grana eligere debet, quia ad potiora præcepta animus est semper intendendus.

Est alia virtus columbarum, quæ multum imitan-da est. Nutrit enim alienos pullos. In hoc virtus misericordiæ designatur, qua etiam alienos amare præcipitur, dum dicitur : « Omni præsto te tribue

[f. petenti te da] (*Luc. vi.*, 30). » Quod et alibi : « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*ibid.*, 36). » Et alibi : « Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? (*Matth. v.*, 46) » Ergo alieni sunt diligendi propter Dominum. Et parentes sunt diligendi, sed propter utilitatem [ipsorum] sunt amandi, quia qui dicit : « Diligite inimicos vestros (*ibid.*, 44), » dixit etiam : « Honora patrem tuum et matrem tuam (*Exod. xx.*, 12). » In omni enim homine naturam suam homo debet conognoscere, et cum viderit eum pati, ex compassione debet spirare. Unde Apostolus : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? (*II Cor. ii.*, 19). » Et iterum propheta : « Cum videris nudum, operi eum, et car-nem tuam ne despixeris (*Isa. lviii.*, 7). » Debet homo cogitare, quia ejusdem Domini, qui non est acceptor personarum, conservus est; Et si ipse non est causa quare ei beneficias, sit Dominus promittens et jubens quare ei manum extendas. Feneratur enim Domino, qui pauperi tribuit (*Prov. xix.*, 17). » Quinta virtus admirabilis columbae, est quod juxta fluenta habitat, ut videns umbram venientis accipitris, illum devitet; quod melius in columba sequendum est. Habemus enim quemdam hostem spiritualem per aera volitantem, qui semper circuit querens quem devoret. Nec omnino inter nos habitat, nec multum a nobis remotus est. Si semper in terra habitaret, vix posset aliquis ejus insidias devitare; nec tamen debet aliquis securus esse, quia bella movet de proximo. (Unde dæmones aeris potestates nominantur.) Et quanto invisibilior, tanto formidabilior est. Sed umbram ejus videmus in aqua, quia similitudinem astuciarum ejus discimus in Scriptura. Fugiamus ergo ad Scripturam, quoties sentimus tentationem ejus callidam. Si ait nobis : Exerce adulterium, parata est Scriptura, quæ docet : « Non mœchaberis (*Exod. xx.*, 14). » Si dicat : Furtum exerce, Scriptura se objicit, quæ prohibet : « Non furtum facies (*ibid.*, 15). » Cum irasci dicat, Scriptura minatur : Qui irascitur fratri suo, reus est judicio (*Matth. v.*, 22). » Cum mentiri suadet, Scriptura minatur : « Perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Psal. v.*, 7). » Persuadet Scriptura, poenam minatur. Juxta hujusmodi fluenta sedeat fi-delis anima, ut notet adventum insidiantis inimici. Gemitum pro cantu habet columba. In hoc aviculam peccator imitari debet. Vertat gaudium in lacrymas. « Beati enim, ait Dominus, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc. vi.*, 21). » Et econtrario : « Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis (*Joan. xvi.*, 20). » Lacrymis peccata lavit Maria. Petrus post peccatum amare flevit, et meruit veniam; lacrymæ secundo loco lavant [peccata] post baptismum. Nec solum pro nobis, sed et pro miseris proximis sunt lacrymæ fundendæ. Cum Christus non haberet quod [pro se] fleret, pro Lazaro flevit : « Infremuit enim in se, et lacrymatus est (*Joan. xi.*, 3). » Jesus flevit pro Jerusalem. Si ergo pro omnibus doluit Dominus, quare alii non compatimini? Quare vos ipsos non plan-

gitis? ut ait Propheta : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (*Psalm. vi, 7*). » — « Sacrificium Deo spiritus contri-  
bulatus. Gor contritum et humiliatum, Deus, non de-  
spicies (*Psalm. L, 19*). » Noctes vocat peccata; le-  
ctum, conscientiam, in qua requiescit homo, si bona  
est; si mala est, cruciatur. Lectus requies sanis est,  
et labor aegris.

Sequitur ultima virtus. In foraminibus petræ, vel  
in cavernis mæceræ nidificat. Petra Christus est,  
supra quam Ecclesia debet nidificare. Nil valet ali-  
cui bene operari, si sibi, non gratiæ Dei ascribat,  
id est, si in se glorietur, et non in Domino.  
« Bonum quippe est confidere in Domino, quam con-  
fidere in homine (*Psalm. cxvii, 8*). » Itaque qui salu-  
tem habemus per mediatorem, gratias agamus me-  
diatori, cuius sanguineis vulneribus redempti su-  
mus. Foramina petræ sunt vulnera Christi, unde  
sangnis profluit, pretium redemptionis nostræ. Ca-  
verna est latns aperatum, unde sacramenta nostræ  
salutis, scilicet, sanguis et aqua exierunt; alterum  
ad redemptionem, alterum ad regenerationem. In  
omnibus his, fratres charissimi, imitemur columbam.  
Sic nos in templo columbam offeramus. Quod fa-  
ctum est figuraliter antiquo tempore, modo spiritu-  
ualiter impleamus. Sequamur vestigia beatae Marie  
Virginis, quæ se talem exhibuit in mente, qualis  
erat in præsentatione figuræ. Rogemus beatissimam  
Reginam, quæ mundi est medicina, et cœli porta,  
spes miserorum, consolatio peccatorum, ut Filiu-  
mum hodie præsentavit in templo, faciat nobis pla-  
cabilem, et tribuat nobis illam pacem quam senex  
beatus intellexit, cum ait : « Nunc dimittis servum  
tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace  
(*Luc. ii, 29*), » ut mereamur videre salutare Dei, de  
quo ait idem : Et « viderunt oculi mei salutare  
mum (*ibid., 30*). Dominum nostrum Jesum Chri-  
stum, qui vivit et regnat Deus per omnia sœcula  
sæculorum. Amen.

### III.

#### IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIE SERMO SE- CUNDUS.

« Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est  
nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo sau-  
ctorum millia. In dextera ejus ignea lex (*Deut.*  
*xxxiii, 2*). »

Amantissimus Dei famulus Moyses, qui cum Deo  
facie ad faciem loqui tanquam homo cum amico  
suo meruit, hujus solemnitatis mysterium spiritu  
revelante intelligens, quasi in quodam verborum æni-  
gmate nobis denunciavit, dicens : *Dominus de Sina* etc. Sina interpretatur mandatum vel tentatio,  
Seir, hispidus, vel pilosus, Pharan, frugifer. Per  
Sina igitur lex Mosaica; per Seir, prophetia; per  
Pharan Evangelium significatur. In lege quidein  
vox verborum erat, qua tentati sunt a Domino  
fili Israel. Ipsi enim qui prius dixerant : « Om-  
nia quæcumque dixerit nobis Dominus, faciemus

et audiemus, » vocem verborum in Sina audiен-  
tes, perterriti sunt, non valentes portare quod dicebatur. Unde Apostolus evangelicam suavitatem legali asperitati preferens, ait : « Non  
accessistis ad caliginem et vocem verborum, quam  
qui audierunt, excusaverunt se, ne fieret eis ver-  
bum. Non enim portabant quod dicebatur; ideoque  
dicebant Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus;  
non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur  
(*Hebrei. xii, 18*). » Sicut enim ad litteram exterriti  
sunt, audita voce Domini loquentis in angelo, non  
valentes perferre vocem angeli pœ timore, ita se-  
veritatem legis experti, omnes etiam majores et  
perfecti stupefacti sunt, quia ibi erat præceptum  
et mandatum sine adjutrice gratia; ibi erat cognitio  
peccati, sed non consumptio; per eam cognoscebat  
homo morbum suum, sed ex ea non habebat  
remedium. Unde Apostolus : « Lex subintravit ut  
abundaret delictum (*Roman. v, 28*). » Vetustas enim  
litteræ, si desit novitas spiritus, reos homines potius  
facit cognitione peccati, quam liberet a peccato.  
Unde Salomon : « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem (*Ecclesiastes. i, 18*). » Non quod lex ipsa  
malum sit, sed quia mandatum bonum habet tan-  
tum in littera demonstrante, non in spiritu adju-  
vante. De ipsa tamen lege, id est de Sinai Dominus  
venit, quia non solum Salvatoris adventum præo-  
niali testimonio annuntiavit, inquiens : « Prophe-  
tam suscitabit votis Dominus de fratribus vestris  
sicut me, ipsum audietis (*Deuteronomium. xviii, 15*); sed etiam  
pluribus signis ac sacramentis Christum venturum  
præsignavit, atque in sui sufficientia quodammodo  
ad datorem gratiæ direxit; cum enim sit virtus  
peccati, quæ non justificat impium, jubens quod  
sine gratia impleri non valet, satis indicat homini  
suam infirmitatem, ut ea nota querat gratiam justi-  
ficantem. Cum ergo languidum nequit de prævari-  
catione convictum [*supp. sanare*], mittit eum ad  
justificantem Christum, atque ita perhibet testimo-  
nium Domino Salvatori, dum jubendo et minando,  
et neminem justificando et juvando inducat gratiam  
Christi, et non aliter hominem justificari [*f. indicat  
gratia Christi indigere*]. » Recte ergo dicitur Domi-  
nus de Sina venisse, id est de lege, quia etiam le-  
galia sacramenta suscipere non recusavit, ut vetu-  
state litteræ finiens, spiritus novitatem in lucem  
producebat. Ecce enim celebrata Domini Circum-  
sione die octavo, secundum ritum legis, ejusdem Na-  
tivitatis die quadragesimo, oblatus est a parentibus  
cum hostiis in templum, sicut evangelica refert le-  
ctio : « Postquam, inquit, impleti sunt dies purga-  
tionis ejus, » scilicet Mariae, vel Christi, « secundum  
legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent  
eum Domino, et ut darent hostiam, secundum quod  
dictum est in lege Domini, par torturum, aut duos  
pullos columbarum (*Luc. ii, 21*). » Scriptum  
erat in lege, ut mulier, quæ suscepto semine, ma-  
seulum peperisset, ab ingressu templi per quadra-

ginta dies abstineret, postea vero ad templum veniens, filium eum hostiis offerebat (*Lerit.* xii, 6). Offerebat autem agnum, si poterat, simul et turturem, et columbam. Qui vero non sufficiebat agnum offerre, duos turtures aut duos pullos columbarum offerebat. Christus ergo qui non venit legem solvere, sed implere, sicut octavo die voluit circumcidere, ita et quadragesimo die in templum cum hostiis voluit offerri, non pro sua, vel matris necessitate, sed pro nostra utilitate, quia nec mater, nec filius hostiis purgari indigebat. Sicut ergo ad baptismum Joannis venit, noui ut inde referret, sed ut nobis conserret; non ut sibi proficeret, sed ut nobis consuleret: ita cum hostiis presentatus in templum, vitam nostram informavit. Humilitatis enim simul et paupertatis formam nobis proponens, non divitum, sed pauperum hostiam pro se offerri voluit, scilicet par turturn, aut duos pullos columbarum, in figura nostri. Filius enim summi Regis, dives, Deus apud Deum Patrem, per quem omnia facta sunt, de pauperibus parentibus [natus], et humilitatis documentum, et saeculi contemptum per omnia docuit. Pro eo ergo consulte utraque avis oblata est, scilicet turturet columba, ut conversationis nostrae speciem, modumque insinuaret. Turtur enim, quæ perditio sodali, alium non querit, castitatem significat. Columba significat simplicitatem, quia casta et simplex debet esse justorum conversatio, ut gratum sacrificium offerant Deo. Ille eniū columbam offert, qui innocentiam custodit usque in finem, ut nec sibi, nec aliis noceat. Turturem offert qui curam carnis in desideriis non facit; et quia utraque avis gematum habet pro canto, merito lacrymosa compunctionis significatur. Sunt et duo genera compunctionis, pro irriguo scilicet superiori et inferiori, dum vel maiorum recolentes supplicia, timemus; vel desiderio coelestium ferventes, de dilatione geminius. Ideoque duo pulli offerri jubentur, unus in holocaustum, quando amore coelestium inflammamur; alter pro peccato, cum de malis perpetratis gemimus. Hanc ergo sine causa, sine ratione celebris mysterii, voluit Dominus venire de Sina, id est de lege, de qua multipliciter eum venisse supra assignatum est; quia eum venturum lex prædictis verbo, præfiguravit sacramento, suique imbecillitate, homines ad eum misit, qui legalia in se suspiciens, legem implevit, vitamque nostram figuris mysticis instituit. De Seir quoque ortus est nobis, id est de prophetia, quæ recte per Seir intelligitur, qui *hispidus* vel *pilosus* interpretatur, quia prophetæ delinquente populum aspera increpatione redarguebant, et quæ ventura erant, quasi in ænigmate prædicebant. Sacraenta enim Christi et Ecclesiae sub velamine denuntiabant, secundum illud: « Tenebrosa [supp. aqua] in nubibus aeris (*Psal.* xvii, 12), » id est obscura doctrina in prophetis. Et iterum: « Operuit mentes umbra ejus (*Psal.* lxxix, 11), » id est prophetas, doctores Veteris Testamenti prius luce doctrinæ illuminatos, texit caligo et obscuritas, quia

nubibus figurarum, atque integumentorum verborum erant involuta vaticinia eorum, secundum illud Moysi: « Cœli caligabunt rore (*Deut.* xxxiii, 28); » quia in rore calor, id est in doctrina prophetarum caligo est, et cum de caligine hujus roris, id est de Seir, ex propheticō vaticinio ortus est nobis Dominus, quia perhibuerunt prophetæ testimonium Domino, id prænuntiando quod Christi implevit adventus, prænuntiaverunt nobis Christum, « qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (*I Cor.* 1, 30). » Denuntiaverunt quoque hujus solennitatis saeramentum, scilicet præsentationem Domini in templo, non tanquam in ænigmate, sed evidenti atque expressa attestatione, sicut Malachias, per quem Deus Pater de lumine ac lucerna, id est de verbo ejus præcone, id est Christo et Joanne, ait: « Ecce ego mittio angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos queritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*Malach.* iii, 1). » Facies Patris Filius est, quia imago Patris Filius est, prima similitudo est, et prima æqualitas; unde ipse ait: « Qui videt me, videt et Patrem meum (*Joan.* xiv, 9). » Ante hanc ergo faciem, id est ante ostensionem Filii, misit Dominus angelum præparare viam faciei, id est Joannem Baptistam, qui dicitur angelus, non naturæ societas, ut quidam autumaverunt, sed officii participatione. Angelus enim Graece dicitur *nuntius*. Bene ergo Joannes angelus dicitur, qui non solum Christum prænuntiavit, dicens: « Veniet fortior me post me, enjus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere (*Marc.* 1, 7), » sed etiam præsentem ostendit, dicens: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* 1, 29). » Et iterum: « Medius vestrum stetit, quem vos nescitis (*ibid.* 26). » Unde etiam consequenter dicitur: « Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis (*Malac.* iii, 1). » Modico enim tempore præcucurrit sponsus paronymphus; paululum præcessit vox Verbum, id est Joannes Christum. Joannes enim est vox Verbi clamantis in deserto: « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (*Marc.* 1, 3). » Qui statim venit ad templum Dominator quem vos desideratis, scilicet Christus Salvator, qui est omnium Creator; qui sicut hodierna die præsentatus est in templo sancto, secundum legem, ita quotidie ad templum spirituale, de quo ait Apostolus: « Tempulum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* iii, 16), » spiritualiter venit, dando gratiam, vel augendo, qui fidelibus suis ait: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi (*Matth.* xxviii, 10). » Et alibi: « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum (*Matth.* xxviii, 20). » Expurgemus ergo tempulum mentis nostræ, ubi veniente Dominatorem nostrum recipiamus. Præparemus viam Domino, pœnitendo, credendo, prava abjiciendo, et faciamus rectas semitas ejus, operando bonum ad omnes,

et hoc pro æternis, et non pro terrenis, ut manus in sancta extollamus, et non ad terrena curvemus; quia levante Moyse manus super lapidem adjutorii, vincebat Amalech populus Dei, cum vero deponebat, vincebatur (*Exod. xvii, 11*). Levenus ergo corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlum, et superarabimus Amalech, id est dæmones, sanguinem mortis nostre sientes. Paremus nos ipsos templum, et domum Domino, ne nobis dicatur quod per Aggœum prophetam Dominus improperat delinquenti populo: Populus iste dicit: « Nondum venit tempus dominus Domini ædificandæ (*Agg. i, 6*); » Et quod eis Dominus communiciatur per eundem, dicens: « Resexisti ad amplius, et ecce factum est minus, et intulisti in domum, et exsufflasti illud, quam ob causam dicit Dominus, quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam (*ibid. 9*). »

Attendite, fratres, diligenter quam graviter percelluntur a Domino, qui domum suam desertam faciunt, festinantes in proprias domos. Domos suas ædificant, qui tumore mentis inflati, de suis meritis presumunt, gratiam abjicientes, per quod fiunt alieni a domo Dei; deserentur enim a Deo mens et conscientia eorum, ut jam non templum Dei, non orationis domus, sed spelunca latronum nominetur; ubi non habet locum Dominator Dominus, qui per Isaiam ait: « Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos (*Isa. lxvi, 1*). » Humilia enim respicit Deus, et in humiliis habitat; alia vero de longe cognoscit, id est superbos, quos videt per notitiam, sed non respicit per gratiam. Superbi igitur et arrogantes, qui [illam] non meruerunt, ad amplius respiciunt, ambulantes in magnis et mirabilibus supersæ; sed Deo exsufflante, minus sit illud, et quia sibi temperarie spoponderunt, minime assequuntur. Caveamus igitur ne ad instar talium, domum Dei desertam faciamus in nobis, contristantes Spiritum sanctum Dei, qui tanquam inhabitator veri templi, ab Apostolo contristari dicitur, cum ob fœditatem conscientiae atque operis nostri, a nobis recedit. Sed adornemus thalamum mentis cortinis pia- rum cogitationum et palliis sanctorum actuum, coram hominibus resurgentium, ut glorificent Patrem [nostrum] qui in cœlis est, ut in mentis nostræ cubiculo, tanquam in decore domus, et in loco habitationis gloriae Dei, mansionem faciat Dominator Dominus, et Angelus magni consilii, de quo Joannes ait: « Vidi Angelum descendente de cœlo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus, et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit Babylon magna (*Apoc. xviii, 1*). » Hic est Angelus utriusque testamenti actor [*s. auctor*], qui de æqualitate et invisibilitate paternæ majestatis descendit, seipsum exinaniendo assumptione servilis formæ. Veruntamen potestatem magnam, quam Patri æqualem habebat, non adiment [*s. non amisit*] in terra, id est in Ecclesia, quæ recepto semine, facit fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum.

Illuminata est, pulsis tenebris vitiorum et ignorantiae, a gloria ejus, id est a doctrina ejus, et gratia, et exemplo. Hic est enim Dominus ille, quem Isaías vidit sedentem, et regnante, non modo in omnibus, sed etiam super se exaltatum et elevatum, scilicet in angelis, in quibus sedet, et per quos judicia sua decernit, qui multo celsiores sunt hominibus, super eos elevati eminentia dignitatis. Et plena erat dominus ejus, id est Ecclesia. Haec est domus quam sapiens mulier ædificat, insipiens dissipat a majestate ejus, id est lumine gratiae ejus. Ipse enim est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; de qua Simeon ille senex ait: « Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel (*Luc. ii, 52*). » Simeon ille homo justus et timoratus, qui cupiens videre diem Domini, et respondsum accepérat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (*ibid. 26*). » Veniens itaque in templum in spiritu, promissum accepturus, vidit quod desiderabat, accepit eum in ulnas suas, atque portavit quem amabat, dicens: « Nunc (scilicet viso Redemptore) dimittis servum tuum, Domine (*ibid. 29*), » ad mortem carnis, quem, ut te viderem, retinebas in vita; et hoc secundum verbum tuum (*ibid.*), id est, promissionem tuam, dimittis ut non videam mortem perpetuam, quia video vitam æternam. « In pace ergo dimittis, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium (*ibid. 32*). » Ecce Angelus consilii, id est Christus, et salutare est et lumen: ipse enim Dominus salvans, et lux illuminans. Hoc lumen grandævus ille Simeon in ulnis suis gestavit. Unde haec consuetudinem sancti Patres sanxerunt, ut [ad] festivitatem hodiernam lumen manibus deportet sancta Ecclesia, in cera illud verum lumen significans « quod paravit Deus ad revelationem gentium, et ad gloriam plebis suæ Israel, » id est ut reveletur cæcis oculis gentilium ille Spiritus Dominici adventus erector, et ut Israel glorietur summi excipiens promissum et desideratum. Nos igitur justum Simeonem imitantes, suscipiamus lumen de lumine, et portemus in ulnis, in duobus scilicet brachiis charitatis, diligentes scilicet Deum propter se, et proximum propter Deum, ut quod vir ille sanctus et timoratus in signo fecit, et in figura operatus est, et nos etiam in spiritu impleamus. Portemus manibus fidei et charitatis candelam, lumen scilicet in cera, id est verbum in carne, Deum in homine, qui in simplicitate suæ divinitatis, in forma Dei lumen est, habitu vero [humano] lucerna est, vel candela, scilicet lumen in testa, sive in cera, id est in servili forma, secundum illud: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis (*Psal. cxviii, 103*). » Cera ad moto igne lucem generat, et tenebras fugat, ita et humana natura Verbo Dei unita, qui est ignis consumens: « Deus enim noster (*Deut. iv, 24*), » ut ait Apostolus: « Ignis consumens est (*Hebr. xii, 25*), »

ceritatis nostræ et vitiorum tenebras fugavit, ac veræ cognitionis lumen cordibus nostris infudit. Unde : « Exortum est in tenebris lumen rectis corde (*Psalm. cxi*, 4). » Ad hoc enim ortus est Christus, qui est lumen verum, ut tenebras amoveat, et rectos [gressus] faciat. Hoc igitur lumen levatis manibus gestemus, quia non venit lucerna ut ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Repleamus templum sedentis super thronum, nos qui sub eo sumus virtutibus, operibus, exemplis, miraculis, ut omnia quæ intra nos sunt, benedicant sedenti super solium excelsum; et qui erumpunt ad ejus laudes, provocent alios, ut in nobis et in aliis faciamus dominum tabernaculi admirabilis, quod utique ex eo possumus, quia domus Ecclesie plena est a maiestate ejus, et terra illuminata est a gloria angeli exclamantis in fortitudine : Cecidit Babylon (*Apocalypse. xviii*, 1), quia in virtute sua civitatem confusionis evertit, quando intravit in domum fortis, id est diaboli, quem non sua virtus, sed peccata nostra fortem fecerunt; et alligavit eum, compescendo a seductione fidelium, et diripuit vasa ejus, quia quos ille iniquus possidebat, eos retrorsum conversos sibi adjunxit, ut qui prius erant vasa iniquitatis, filii iræ, filii dissidentiæ, facti sunt vasa justitiae in sanctificationem vitæ, filii gratiæ, filii Dei. Mutata sunt nomina, quia variata sunt merita, secundum illud : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea (*Psalm. xv*, 4). » Sed quis hoc fecit? Dominus fortis et potens in prælio, quem princeps mundi Iudeus contremiscens, admiratur, dicens : « Quis est iste Rex gloriæ? » (*Psalm. xxiii*, 8.)

Hec igitur omnia peregit dominator Dominus, qui de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, de monte Pharan apparuit, quia Pharan interpretatur *frugifer*; recte per montem Pharan evangelicæ doctrinæ gratia intelligitur, quam in monte Dominus discipulis tradidit, quando aperiens os suum tanquam thesaurum desiderabilem, quasi puteum aquarum viventium, quasi paradisum omnium pomerum ait : « Beati pauperes spiritu, etc. (*Matthew. v*, 3). » Bene in monte tradita est tan excellens doctrina, quæ altitudinem justitiae, eminentiam gratiæ, consummationem gloriæ continet; ubi est spiritus vivificans, non littera occidens, unde in cordibus fidelium multipliciter fructificet. Hoc est illud verbum, de quo per Isaiam Dominus ait : « Verbum meum quod egredietur de ore meo, non erit vacuum, sed prosperabit, quia per illud in letitia, egrediemini, et in pace deducemini (*Isaiah. LV*, 11). » Ex hoc igitur verbo veritatis, tanquam de monte Pharan apparet Dominus, qui eis in lege et in prophetis velatus fuit. In Evangelio enim est revelatus, qui in maiestate cum Moyse et Elia apparens in monte, tribus discipulis gloriam suæ et nostræ resurrectionis ostendit. Ipse etiam coenabitis discipulis in nubé lucida elevatus est in cœlum, secundum illud Habacue : « Elevatus est

sol in cœlum, et luna stetit in ordine (*Habacuc. III*, 11). » Ex his appetet quæ in evidenter et mirabilibus indiciis in Evangelio revelata est gloria Domini, quæ evacuavit gloriam vultus Moysi, ut Apostolus ait : « Nam quæ claruit in Moyse, nunc clarificata propter excellentem gloriam (*II Corinthians. III*, 10), id est in comparatione excellentis gloriæ, quæ est in Novo Testamento, ubi pure et perspicue videtur gloria Dei, ubi ascendens super occasum Domini, nomen vere habere cognoscitur. De monte igitur Pharan non immerito apparuisse dicitur, et cum eo sanctorum millia, quia propalata per Evangelium veritate, confortatus est principatus apostolorum, et semen Abrahæ multiplicatum est sicut stellæ cœli et sicut arena maris. Tot enim turbæ populorum per angustam portam intraverunt, Evangelii jaeto semine, ut eorum numerositatem et facilitatem Isaias admirans, in spiritu dicat : « Nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens tota, simulque parturivit et peperit Sion filios suos (*Isaiah. LXVI*, 8). » Cum eo ergo sanctorum millia, scilicet, multitudo innumerabilis. Unde Daniel : « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei (*Daniel. VII*, 10). » Et per Isaiam Dominus ad primitivam Ecclesiam ait : « Adhuc dicent in auribus tuis, filii sterilitatis tue angustus est locus mihi, fac spatiū mihi, ut habitem, et dicas in corde tuo : Quis gennit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata, et captiva : Et istos quis enutravit? Ego destituta et sola : Et isti ubi erant? (*Isaiah. XLIX*, 20). His verbis miratur Ecclesia, quæ ante sterilitatis subjacebat opprobrio, quomodo et tamen cito, et tales et tot genuit, qui apparuerunt enim Domino.

*In cuius dexterâ ignea lex*, qui de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, et in dextera ejus ignea lex. Habet ipse dexteram et sinistram. Dextera, spiritualia sunt et terrena [*f. æterna*] bona; sinistra, temporalia. Unde in Canticis sponsa ait : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplectabitur me (*Canticus. VIII*, 5). » Et alibi : « In dextera ejus, anni vitæ; in sinistra, divitiae et honor (*Proverbs. III*, 15); » sed multi hæc alternant, ponentes dexteram pro sinistra, et sinistram pro dextera, ut illi qui dixerunt : Beatus populus cui haec sunt. In sinistra ergo lex mortis, lex carnis, lex membrorum; in dextera, lex spiritus, lex vite, lex nativitatis. In sinistra statuerunt hædi peccatores, et reprobi in dissermine futuri judicii. In dextera, oves et agni, id est simplices et boni, qui secundum propositum vocati sunt sancti, in qua sicut Deum sine fine laudabunt, id est cum toto corde amabunt. In qua nos sedere faciat misericors Deus. Amen.

## IV.

## IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIE SERMO

## TERTIUS.

« Adduxit me Dominus in terram Israel, et di misit me super montem excelsum nimis, super quæ erat quasi ædificium civitatis vergentis ad

« austrum, et introduxit me illuc : et ecce vir cuius erat species, quasi species aeris, et funiculus linens in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta (*Ezech. xl, 2.*) . »

Sicut non satiarū oculus visu, nec auris auditu, sic animus noster satiari non potest admirans investigabiles divitias sapientiae Dei, et sacramenta inscrutabilia mysterii absconditi ab æternis temporibus, quæ Dominus per prophetas suos, licet occulte, aliquibus tamen sacramentis expressit. Hinc est quod Filius Hominis, propheta videlicet Ezechiel, in montem ducitur *excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis*, etc. Bene ductus quidem dicitur in montem, ad quem per se non valebat accedere, quia nemo venit ad Filium, nisi Pater traxerit ad eum (*Joan. vi*). Nam mons iste tam altus et excelsus nimis, lapillus est parvulus, qui de monte abscissus sine manibus, crevit in montem magnum, et occupavit superficiem terræ. Hie est mons positus in vertice montium. Solus iste mons est, a quo nobis futurum exspectamus auxilium. Sunt enim multi montes ad quos levamus oculos, dicentes cum Propheta : « Levavi oculos meos in montes (*Psal. cxx, 1*), » in iunn tamen intendentes, « unde veniat auxilium nobis (*ibid.*) . » Ad hunc vero specialiter levat oculos Propheta, dicens : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis (*Psal. cxxii, 1*). » De isto monte varie opinioni sunt multi ; alii putantes hunc esse Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Sed Petrus hunc veraciter confessus est esse Filium Dei. Non est igitur iste ut alii montes, in quibus est spiritus ad mensuram. In nullo enim, sicut in isto, habitavit plenitudo divinitatis corporaliter. Recte ergo dicitur iste mons altus nimis, quia in cœlis habitat. Redarguens igitur David varios errores de isto monte, errantes increpat, dicens : « Ut quid suspicamini montes alias esse [supple præter] hunc montem, » in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ? (*Psal. lxvii, 17.*) Ad hunc autem montem ascendere quoquo modo poterimus, si manus nostras non ad terrena opera deprimamus, sed cum Moyse erigamus ad cœlum ; quod quidem aliter non valemus, nisi ipsas manus elevent Hur et Aaron, id est Christus per Spiritum sanctum. Per Hur enim intelligitur Spiritus sanctus, quia Hur interpretatur, *ignis*; per Aaron, Christus, qui dicitur, *habitaculum fortitudinis*. Si ergo vultis ad montem istum ascendere, « ponite corda vestra super vias vestras, » sicut dicit propheta (*Agg. 1, 7*). *Ascendite montem, portate ligna, ædificate domum (*ibid. 8*)*. Viarum aliae sunt a quibus declinamus, aliæ ad quas imus, aliæ per quas imus. Dicit enim Propheta : « Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua (*Psal. cxviii*). » Viae a quibus declinamus, peccata sunt, viæ scilicet perversæ, quæ a sinistris sunt. Ut enim dicit Solomon : « Viae perversæ sunt, quæ a sinistris sunt (*Prov. iv, 27*). » Viae ad quas imus viæ iusti-

tæ sunt, quæ a dextris sunt, quas novit Dominus. Viae per quas imus, sunt viæ innocentie. Prius est ut dimittamus mala, ut sic perveniamus ad justitiae operationem. Unde dicitur: *Declina a malo, et fac bonum (*Psal. xxxvi, 11*)*. Si ergo volumus ad montem istum ascendere, per octo tantum gradus ascendendum est, quos Dominus in Evangelio distinxit, dicens: « Beati pauperes spiritu; beati mites; beati qui lugent; beati misericordes; beati mundo corde; beati pacifici; beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Math. v, 3*) . » quæ dicitur octava virtus.

His ergo gradibus ad montem excelsum nimis ascendere possumus; sed non, nisi portemus lignum, de quo domus Domini sive civitas ædificetur. Hoc lignum est crux Christi, cuius latitudinem et longitudinem, profundum et sublimitatem imitari debemus. Latitudinem, in amplitudine charitatis, ut sicut ipse in cruce positus, pro inimicis oravit, dicens: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc. xxiii, 34*); » ita nos quoque ipsum imitando, [proximum] diligamus. Omnis cuiusque ejus actionis nostra fuit institutio. Longitudinem vero in longanimitate charitatis, ut usque ad mortem Denique ex toto corde, et velut nos, proximos diligamus. Sublimitatem vero, ut in spe omnium quæ agimus, sola cœlestia meditemur. Profundum vero, ut super Christi fundamentum, omne bonum nostrum constitutum. Ipse enim est fundamentum quod nemo mutare potest. Hoc ergo lignum oportet nos portare, si volumus ascendere istum montem, et ædificare tabernaculum Domino, juxta quod Moysi in monte monstratum est. Ad similitudinem enim hujus montis agendum est voluntibus ædificare dominum Dominum, ut ad ejus similitudinem patiamur. Ait enim Dominus: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Math. xvi, 24*). » Sic ergo per lignum istud poterimus in montem ascendere, super quem est ædificium quasi civitatis, id est Ecclesiæ, quæ non dicitur civitas, sed quasi civitas. Hæc est « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal. clxxxii, 3*). » Ut civitas, dixit David, sicut Ezechiel; quasi civitatis ædificium, quia non est civitas Ecclesia, sed civitati similis, sicut nec domus est, licet dicatur domus. Dicitur enim Ecclesia, et domus, et civitas; sed civitas propter multitudinem vocatorum; domus vero pro parvo numero electorum. « Parva est civitas ista, et pauci in ea viri, sicut dixit Salomon, contra quam venit Rex magnus, et valavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit eam per sapientiam suam (*Eccli. ix, 14*). » Rex ille magnus, qui ad obsidionem venit parvula civitatis, diabolus est, qui se magnum et fortè [jactat], quem non suæ vires, sed nostra peccata fortè fecerunt. Iste cum suis principibus et innumerabili iniquorum et vitiorum multitudine impugnavit Ecclesiam. Principes intellegas maiora vitia, affectiones illas videlicet, quas

metaphorice prosequitur Joel propheta, dicens : « Residuum erucæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit locusta, residuum locustæ voravit ru-  
bigo (*Joel. 1, 4*). » Haec sunt vitia quatuor summis  
virtutibus adversantia, et cum ipsis veniunt reptilia,  
quorum non est numerus, ad expugnationem parvæ  
civitatis; sed invenitur in ea vir quidem, sed fortis  
et pauper, de quo propheta: « Aspexi, et intravit vir;  
consideravi, nec fuit qui occurseret (*Isa. LIX,*  
*16*). » Fortis est iste vir. Alligavit enim fortem, et  
vasa ejus diripiuit; et pauper, quia cum dives esset  
apud Deum, pro nobis egenus et pauper factus est,  
[fita] ut non haberet etiam ubi caput reclinaret. Cum  
pro nobis hodie in templum oblatus est, noluit pro  
se nisi pauperum oblationem offerri, par [scilicet]  
turturum, aut duos pullos columbarum. Fuit etiam  
sapiens, quia sapientia fundavit terram, et stabilivit  
celos prudentia sua. Hic pauper liberavit civitatem,  
non per potentiam; non enim violenter oppressit  
diabolum, sed per sapientiam, quia dum eum ausus  
est aggredi, in quem nihil injurie habuit, perdidit id  
potestatis, quam, licet injuste, super omnes exercebat.  
Hic est cuius species, quasi species æris et ca-  
lamus mensuræ in manu ejus; potestas scilicet, qua  
suis electis de sua immensa gratia, dona mensurata  
largitur, congrue dividens spolia speciei dom-  
inus.

*Stabat autem in porta.* Qui stat in porta, partim  
videtur, partim non videtur: sic Christus visus est  
ex humanitate, invisibilis manens ex divinitate. In  
enjus rei significationem constituit haec Ecclesia,  
ut in praesenti solennitate pueri hujus et suæ ma-  
tris purificationem cereis luminibus representat.  
In cera enim, quæ videtur, humanitas; in igne, qui  
naturæ invisibilis est, intelligitur divinitas. *In porta*  
*ergo stabat civitatis vergentis ad austrum.* Haec porta  
beata Virgo Maria est, quæ vergit, scilicet, respicit  
et dicit ad austrum, ubi scilicet plenum est justitiae  
lumen; ad gratiam scilicet Spiritus sancti. Haec  
porta, sicut ait Propheta, semper erit clausa, et vir  
non transibit per eam, quia virgo fuit ante partum,  
virgo in partu, virgo post partum. Per hanc ergo  
portam Christus intravit, quæ vergit ad austrum.  
Unde : Per partum secretiorem, [*f. per portam superiorem*], quæ respicit ad aquilonem, per cujus por-  
tae viam vidit propheta Ezechiel venientes sex vi-  
ros, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus,  
vir quoque unus vestitus lineis, et atramentarium  
scriptoris ad renes ejus, et dixit Dominus ad eum :  
« Transi per medianam civitatem, et signa Thau super  
frontes gementium et dolentium (*Ezech. ix, 2*). » Sex  
isti viri sunt quilibet homines. Senarius enim  
est numerus universitatis et generalitatis, quia sex  
diebus onnia operatus est Deus, septimo requie-  
vit. Hi viri ergo descendentes per portam superio-  
rem, id est antiquorem, sive priorem, scilicet per  
Evam, quæ respicit ad aquilonem, unde exardescunt  
mali, id est qui consentiunt diabolo, habent singuli  
vas interitus in manu sua, quia ab ea porta traxer-

runt singuli, unde sunt digni morte. Sed vir qui in  
medio eorum stetit, Christus scilicet, de quo: « Me-  
dius vestrum stetit quem vos nesciis (*Joan. 1, 26*), »  
liberavit istos sex viros per mysterium litteræ Thau,  
id est per passionem crucis suæ. Hic vir vestitus  
erat lineis, et speciem æris habebat. Idem significa-  
tur per æs et linea vestimenta, scilicet humanitatis,  
qua Verbum indutum est, sed secundum diversos  
status; lineis enim dicitur indutus fuisse ante pas-  
sionem propter immunitatem peccati, et labo-  
res passionis. Æris autem speciem dicitur habuisse  
per gloriam immortalitatis; nullum enim metallum  
ære durabilius est, et Christus mortuus, imo resur-  
gens, jam non moritur. Hic autem secundum vocem  
sibi a Domino Patre factam signat Thau super vul-  
tus tantum dolentium et lugentium; alios autem  
omnes in matutino generalis resurrectio occidet, se-  
condum illud Prophetæ: « In matutino interficiebam  
omnes peccatores terræ (*Psal. c, 8*). » Atramenta-  
rium scriptoris ad renes ejus. Renes in corpore fir-  
miores partes, et retro sunt quasi sequentes faciem  
præcedentem. Sic sancti perfectiores Christum suam  
faciem imitantur [*f. sequuntur*], non præcedunt, ne  
illud audiant quod Petro dictum est : « Vade retro,  
Satanas, non enim sapiis quæ Dei sunt (*Math. xvi,*  
*23*). » Sequuntur ergo omnes sancti Christum, non  
præcedunt contumaciter, et ideo Salvatoris renes  
non irrationabiliter dicuntur. Ad istos renes atram-  
entarium scriptoris est, quia isti sunt lugentes et  
gementes, quorum frontes insignivit Christus lit-  
tera Thau, et per quos fideles cæteros eodem signo  
discernit ab aliis, quos omnes transiens vir iste per  
medium civitatis, vir ille qui et in porta steterat,  
dispersit de ipsa civitate Domini omnes operantes  
iniquitates. Calamus etiam in manu ipsius est, id est  
Spiritus sanctus, qui scribit et dietat prænia san-  
ctorum non visa, incognita et inaudita, secundum  
illud scilicet: « Quod nec oculus vidit, nec auris au-  
divit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit  
Deus diligentibus se (*I. Cor. ii, 9*). » Quod nobis  
ipse præstare dignetur qui vivit et regnat in sæcula  
sæculorum. Amen.

## V.

IN FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIE, ET DE LAUDI-  
BUS EJUS, SERMO PRIMUS.

Pulvis sum ego et cinis, qui loquor vobis. Propterea  
erubesco et vereor vobis loqui verbum Dei. Eru-  
besco, inquam, quia conversatio vestra in cœlis  
est; ego autem tanquam jumentum computrui  
in stercorebus meis. Vereor autem, ne forte a me  
homine muto et elingui fragrantiam sermonis expe-  
tatis, qui tot et toties eventilatos audistis sermones.  
Magis autem vereor ne mihi dicatur a Domino:  
« Quare tu enarras justitias meas, et assumis testa-  
mentum meum per os tuum? (*Psal. XLIX, 16*). » Ve-  
runtamen quia sæpen numero pulchrum hominem de-  
pingit pictor foedus, sub specie vobis loquar, quia  
forte cedet vobis ad sapientiam, cum ad insipientiam  
mihi. Tu autem, Domine Sabaoth, aperi os meum, ut

implreas illud. Porro solemnitas præsens de laude beatæ Mariae Virginis offert nobis materiam loquendi; cuius laudem indicibilem licet explauare non sufficiam, etiamsi linguis hominum loquar et angelorum, tamen cum Isaia aliquid dicere possumus in hunc modum: « Data est ei gloria Libani, decor Carmeli et Saron (*Isa. xxxv, 2*). Salva pace prophetæ, addamus aliquid verbis ejus. Quod enim prænuntiavit impletum, nos desinimus impletum. Dicamus ergo: Data est ei hodie gloria Libani, decor carmeli et Saron. Ad litteram Libanum, Carmelus et Saron montes sunt, qui pro sui commoditate, tum in paucis, tum in arboribus, tum in feris in sacra Scriptura sæpe commendantur. In figura tamen excellentiae virtutum, quæ in sanctis est; hic autem ad designationem triplicis coronaë trahi potest, quæ beatæ Virginis, reposita domi esset in terris, hodie reddita est ei in cœlis. Tria enim habuit beata Virgo, que singula sicut digna sunt admiratione, ita et singulari retributione. Fuit enim Virgo, Mater, [supp. et Mater] Dei. Magnum quidem est et laudabile fuisse virginem, sed uerius per omne modum, et mirabilius in virginitate fuisse secundam, et post evacuationem eterni, uterum habere sigillatum. Magnum est et ineffabile fuisse matrem Dei. In memoria horum trium, sapientia Græcorum instituit, ut in iconiis beatæ Virginis, quas ad imaginem depingit, superscriptio trium nominum poneretur in hunc modum: Virgo Dei Mater. Tamen apud eos una dictio *Theotocos*, sed apud nos duæ. Quia ergo Virgo fuit, data est ei gloria Libani; quia Mater, datus est ei decor Carmeli; quia Mater Dei, datus est ei decor Saron. Libanus *candidatio* interpretatur; distat autem inter candorem et candidationem quantum inter genus et speciem. Caudor enim proprie dicitur albedo vel naturaliter [*f. natura*] creata rei candidæ manens. Dum res manet, ut in nive et lilio, vel etiam accidentaliter adveiens, vel ex artificio. Candidatio vero proprie dicitur solus candor nativus et manens. Nomine autem candidationis intelligimus candorem nationis, id est nativitatis æternæ. Per candorem ergo et candidationem, puritas carnis nostræ designatur. Sed est quædam puritas carnis nostræ post lapsum, cum quis corruptæ carni quasi debitum vinctigal exsolvens, post amplexus etiam legitimos carnem suam frenare et continere instituit, et puritatem carnis quam polluit, deinceps observare. Et hæc puritas merito continentia dicitur, quia frena quæ carni laxaverat, continere laborat. Est alia puritas quasi naturalis et manens cum iugitate carnis, quam qui habet beneficio ætatis, semper servat incolumen beneficio virtutis.

Et hæc proprie dicitur virginitas, quasi viror gentius. Hanc vero distinctionem sacra nobis Scriptura insinuat; comparat enim virginitatem lilio, cuius candor nativitatis est manens; continentiam vero comparat byssu. Byssus enim de terra viridi et graminei coloris oritur, sed cruda siccatur, tuuditur, coquitur, torquetur, et magno longoque exercitio ad

colorum candidum perducitur. Byssus enim sunt justificationes sanctorum. Qui enim ipsi sunt prins, non proprie justi, sed justificati; non proprie sancti, sed sanctificati dicuntur. Data est ergo beatæ Virginis uon gloria caudoris, sed candidationis, id est virginitatis. Sane gloria virginum, quantum ex diversis locis sacrae Scripturæ conjiciunt, in tribus est, quibus quasi quibusdam prærogativis inter alios illustrantur. Nec ideo dicimus, quin gloria virginum reliquorum quasi excellens sit et excelsa. Quidam enim conjugati preferuntur virginibus etiam gloria et merito, sed quia in Virgine minoris [*f. majoris*] est gloriæ, quia quasi triumphi [sunt] insignia, predicanter singulariter. Virginibus nempe fructus centesimus assignatur. Canticum etiam novum sole virgines dicuntur decantare. Postremo sequuntur Agnum quocunque ierit, virgines enim sunt. In tribus itaque est excellentia virginum; in maiorum numero, in cantico novo, in itinere cuius agno.

Tres siquidem bonæ terræ fructus annumerat Veritas in Evangelio juxta numerum salvandorum, tricesimum in Job, sexagesimum in Noe, centesimum in Daniel. Cur autem superior Virgini ascribatur, non negligendum est inquirere, quia ad scandulum est utile. Secundum Computum Bedæ naturalis, omnes numeri infra centum iuveniuntur in levæ, quorum quemlibet quando velis designare nescies habes, in leva digitum pro calculo ponere. Si vero centum numerabis, et deiuceps de leva transibis ad dexteram. Itaque fructus tricesimus et sexagesimus sunt sinistre, centesimus [vero] dexteræ, et sic fructum dextræ habent virgines. Leva in nobis naturaliter tarda est, et non est omnibus [*f. oneribus*] apta ferendis, imo ad suscipiendas plagas et percussionses, cum imminent, naturaliter aliis corporis partibus anteponitur, tanquam aptior ictibus suscipiendis et sustinendis. Dextra vero agilior, et ideo magis apta ictibus inferendis. Dextræ ergo nou immerto comparatur virginum status, habilior scilicet ad seruendum Deo; levæ vero status reliquarum, pondersior scilicet ad merendum.

Sequitur de decore Carmeli et Saron. Carmelus interpretatur, vera circumcisio; dicitur autem vera, id est integra, et hæc est circumcisio octava quam exspectamus, [cum] circumcidetur spiritus et caro ab omni culpa et poena. Est itaque integra circumcisio in utroque sabbatismo, quod et duo Carmeli non indecenter exprimit, quorum alter in quo Nabal stultus habitavit, fuit in medio Judææ; alter vero, in quo Hebal altare Domino edificavit, et ignem de sublimi habuit in finibus Israel. Ad hunc enim modum sabbatismus animæ, etiam nunc in medio temporis hujus, id est in septima ætate, quæ nunc agitur, datur spiritibus beatorum. Corporis vero sabbatismum in fine sæculorum exspectamus. Hodie autem beata Virgo, et animæ beatitudinem et glorificationem corporis est adepta, quod ne cui veniat in dubium auctoritatibus astruamus. Hodierna clamat

oratio : *Nec tamen mortis nexibus deprimi petuit, etc.*  
 Eaudem etiam ad invitationem angelorum in ascensione Domini dicentium : « Quis est iste qui ascendit de Edom? etc. (*Isai. LXIII, 4.*) » Fuit etiam prophetice prædicta de ascensu Virginis : « Quæ est ista quæ ascendit velut aurora coruscans, pulchra ut luna, electa ut sol? (*Cant. VI, 9.*) » Non solet in Scriptura pulchritudo solis et lunæ nisi corporibus propriis aptari. Inde etiam scriptum est : *Fecundæ virginis cœlum amplectitur præsentia [i.e. præsentiam], cum mater mea ve. [f. mater mediatoris venit].* Et illud : « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (*Habac. III, 11.*) ». Illud autem Davidicam quomodo impletetur : « Adducuntur regi virgines post eam (*Psalm. XLIV, 15.*) », si usque ad communem adductionem [*f. resurrectionem*] dilata est adduci? Quando autem prius adducuntur, nisi hodie, inventire non possumus. Adhuc probabili inductione exempli idipsum probari potest : vir et uxor dico sunt in carne una; expressius autem mater et filius una sunt caro. Sane sunt sancti Patres, qui Spiritu sancto dictante decreta promulgant, jus in conjugibus sanxerunt, quod si alter deserens sacerdotum adhæret Deo, alter non remaneat in sæculo. Unius enim carnes tam violenter distrahi jus non esse visum est eis. Sic et in cæteris videri debet, si pars altera carnis virgiue sit in celo, et pars altera reddatur solo; parti alteri datum sit non videre corruptionem, et altera solvatur in cinerem. Sicut enim beata Virgo a maledictione mulieris, cui dictum est : « In dolore paries (*Gen. III, 16.*) », facta est immunis, quia peperit sine dolore, sic et a communi viri et mulieris maledictione, cui dictum est : In cinerem ibis, facta est immunis. Unde et ab angelo benedicta esse dicitur, quia a primordiali maledicto liberata est. Et sic decor Carmeli, id est integræ circumcisionis, datus est hodie Virgo.

Nihilominus etiam et decor Saron. Saron sona, *principatus*. Est itaque decor Saron, decor principatum, id est angelorum. Non enim adjuncta est angelis, sed in decore suo exaltata est hodie super choros angelorum, tanquam confidens Filio. Si enim Salomon matri ad se venienti pro petitione Adonie, thronum sibi collateralem stravit, probabilius est [*Christum*] matrem statuisse ad dexteram secundum illud : « Astitit Regina a dextris tuis (*Psalm. XLIV, 10.*) ». Et sicut in die Ascensionis Domini : « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis (*Psalm. CIX, 1.*) ». Et illud Isaiae impletum est : « Stabit juvenis cum virgine (*Isai. LXII, 5.*) ». Nec frustra consuevit Ecclesia intercessionem beatæ Virginis affectuosius cæteris implorare, ita quod auditio ejus nomine genua terræ affigat, imo pro nominis reverentia, quasi mare confragosum sonant vota populi rum. Quod quare fiat, quia in alio sermone dictum est, hic præterimus. Prosternemur ergo singuli, proster nemur universi ad pedes beatæ Virginis, quæ hodie facta est splendidior astris, celsior angelis, ut ejus intercessione videamus matrem cum prole, Filium et Patrem, qui est benedictus in sæcula. Amen.

## VI.

IN FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIE, ET DE IAMBUS EJUS, SERMO SECUNDUS.

« Converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa, et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, critque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino (*Ezech. XLIV, 1.*) »

Sustinet hic Ezechiel personam generis humani, de lacu miseriae, et de luto fecis evadere cupientis; ac si diceret : Ego extorris a patria beatitudinis, et dejectus in hac convalle plorationis, per omnes retroætates oculos circumferens, quæsivi viam salutis, et non inveni. Non potuit me liberare cœlum, non terra, non mundus, cum omni supellestili sua, non homo. Omnes enim sumus coafflicti et coægrotantes. [Et non reperi ullum] qui [non] potius meum aspernetur, quam relevet defectum. Sed tandem converti me ad viam portæ [Sanctuarii] exterioris, ad partum beatæ Virginis. Porro nemo sapiens sane ignorat Dominum Jesum ex duabus, et in duabus naturis esse. Divina natura sanctuarium interius est. Hanc [*supp. intuentur*] qui sunt intus, angelos loquor, et spiritus beatorum, qui jam in patria, jam in palatio, imo jam in cubiculo quiescent, torrente voluptatis suæ eos potante. Humana [*supp. natura*] sanctuarium est exterius, quia Ecclesiam militantem, que adhuc in sole habet tabernaculum suum, [*supp. Christus*], resicit participatione corporis et sanguinis sui. Vel potius illa sanctuarium habuit interius, quia latet ista ; exterius, quia patet. Trinitatem personarum nempe in unitate essentiæ non videt, sed trinitatem substantiarum in personis, et scimus et loquimur, et explicamus. Veniens enim Deus ad nos novam fecit super terram trinitatem, scilicet temporalem, quæ Trinitati aeternæ tanquam e contrario responderet. Sanctuarium itaque interius est Verbum in principio apud Patrem, portans omnia verbo virtutis suæ. Sanctuarium exterius Verbum caro factum in tempore, purgationem faciens infirmitatis nostræ. Interioris porta est Deus Pater, dicente [Filio :] « Ego exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan. XVI, 28.*) », unde Psalmista : « A summo celo egressio ejus (*Psalm. XVIII, 7.*) ». Exterioris porta fuit beatæ Virgo, per quam in nostram Deus humanatus ingressus est civitatem, de qua ipse ait : « Non potest abscondi civitas supra montem posita (*Matth. V, 14.*) », cuius fundamenta in montibus sanctis, quam impetus fluminis Spiritus sancti letificat. Haec est sancta Ecclesia, civitas Regis magni, et hæc resicit ad orientem. Omnes qui ex complexu, non sine concupiscentia gravidantur, etsi in lucem partus suos effrant, tamen quia saccum, et meritum sacci secum ipsi trahunt, caligine peccati fuliginantur, et sedent in tenebris et regione umbra mortis. Solus Filius Virginis sic editus est in lucem, ut non solum

sit ipse lux, sed illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum.

*Et hæc clausa erat*, licet de integritate Virginis nulli veniat in dubium, tamen ut certum fiat, et certo certius, auctoritatem Domini in assertionem subdit propheta, dicens : *Et dixit Dominus a me : Porta hæc clausa erit, vir non intrabit per eam.* Id est quod tertio inculatur. Sane vir hic accipitur, non pro sexu, sed pro conjugi, ut aliquid expressius intimetur, quasi diceret, nec etiam vir ejus, id est Joseph, cognoscat eam. Congruè autem clausa tertio memoratur, quia et ante partum, et in partu, et post partum fuisse Virgo non dubitatur. Sequitur : *Et erit clausa principi*; illi nimurum, de quo Dominus ait : « Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras (*Joan. xiiii, 51*). » Et iterum : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan. xiv, 10*). » Verum sicut per id [quod] dictum est : *Non transibit vir per eam*, notatur integritas carnis, ita per id quod dicitur : *Non aperietur principi*, notatur integritas mentis, cum omnem malam suggestionis consensum eliminavit a mente. Quod vero supra [additur :] *Princeps sedebit in ea*, de prænominato principe non est intelligendum. Qui enim nec intrare permittitur, quomodo in ea sedere prohibetur [*f. perhibetur*] ? Hic autem ille est de quo dicitur : *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Dei Filius, Princeps pacis.* Sessio quidem pro humilitate ponitur, ut ibi : « Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam (*Psal. cxxxviii, 1*). » Et iterum : « Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris (*Psal. cxxvi, 8*), » id est post humilitatem, exaltationem sperare. Non modica quidem fuit Verbi humiliatio, formæ servilis assumptio.

Sequitur : *Ut comedat panem coram Domino.* Ipse siquidem ait : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan. iv, 34*). » Obediens ergo Patri, reconciliavit nos Deo. In hunc modum comedit panem coram Domino, voluntate ejus nobis restituens libertatem. Ecce audistis hæc exposita de partu Virginis, de integritate ejusdem, de fructu nostræ salutis. Possunt tamen hæc eadem nobis non indecenter aptari, qui *lectio* et *studio* *sacrae Scripturae operam* *damus*. Nos enim jam ex maxima parte figura poetarum, qui ranis loquacibus comparantur, prætermisimus. Præterea navigavimus pallida sophistarum argumenta, qui Deo odibiles dicuntur. Valefecimus pomposis philosophorum opinionibus, qui dum adhuc essent apud nos, conati sunt attollere oculos super cœlos; quorum peritiores, academicos loquor, confessi sunt, veritatem tanquam in puteo abyssi latere. Dimisimus linguam magniloquam, sequentes linguam veriloquam. Quæsivimus enim sapientiam; sed ecce non erat in terra suaviter loquentium, seu viventium. Audivimus eam in Ephrata, id est in speculo, vel specula, id est imagine latenter; sed ecce invenimus eam in campis silvæ, id est in manifestatione et obsecuritate

Novi et Veteris Testamenti. Unusquisque, inquit, nostrum jam vere dicere potest : *Converti me ad riā portæ sanctuarī exterioris, quæ respicit ad orientem.* Sicut duæ sunt partes Ecclesiæ, militans et triumphans, illa in via, hæc in patria, ita alia est sanctitudo illius, alia hujus. Sanctuarium ergo exterioris, id est sanctitas præsentis Ecclesiæ, quæ adhuc extra est, justificatio est per fidem et opera bona. Hujus porta est saera Scriptura, quæ docet nos recte conversari in medio hujus pravae nationis, per quam quicunque ingredietur et egredietur, pascua inveniet. Via hujus portæ est charitas. Homo quidem in quadrivio hujus mundi positus, et quasi in umbilico terræ stans, convertere [se] potest ad orientem, ad occidentem, ad austrum, ad aquilonem.

Quatuor enim sunt viae hominis, via infirmitatis, via necessitatis, via vanitatis, via veritatis. Via infirmitatis humanæ, via Adæ; Jericho, via per quam transit homo in imaginem Dei, more fluentis aquæ, per successiones temporum transiens, donec in pulverem suum revertatur: hæc vergit ad austrum qui calidus est. Quodam enim solare [*f. calore*] vivimus, quo exstincto, aliam viam ingredi necesse est, viam scilicet necessitatis. Hæc est via universæ carnis, per quam transit spiritus vadens, et non rediens. Hæc vergit ad occasum. Via vero vanitatis, est via in peccatis, quæ aptius præcipitum dici potest, per quam ruimus de sanguine in sanguinem, trahentes longam restem. Hæc est via lata quæ dicit ad mortem, cum per campos licentiae debachamur, de qua dicitur : « Via illorum tenebræ et lubricum (*Psal. xxxiv, 6*). » Et iterum : « Via illorum scandalum ipsis (*Psal. xlvi, 14*). » Hæc vergit ad aquilonem, ad illum scilicet qui ait : « Ponam sedem meam in aquilone (*Isa. xiv, 13*). » De quo Salomon : « Aquilo frigidus et durus (*Ecli. xliii, 22*), » nomine tantum dexter, aquas ligans, id est fluenta gratiæ congelans. Via veritatis est charitas, de qua dicit Apostolus : « Aduic excellentiorem viam vobis demonstro (*I Cor. xii, 31*). » Hæc vergit ad orientem, quia via hæc est arcta via, quæ dicit ad vitam; contendendum est igitur intrare per eam. Per hanc ad sacram Scripturam eundum est. Nec tamen dissimulare possumus [quin] per aliam viam multi incedamus. Quidam, ut multum scientes, alios excellant [*f. contemnunt*], alii ut laudentur, alii ut lucentur, alii ut seipso ædificent, alii ut etiam proximos. Sed audi quid super his dixit quidam : Velle scire ut sciamus, superbia est; velle scire ut lucremur, simonia est; velle scire ut ædificemur, prudentia est; velle scire ut ædificemus, charitas est. Sacra vero Scriptura non indecenter portæ comparatur. Sunt enim quatuor in porta : limen super quod transimus. Duo sunt liminaria hinc et inde superposita. Supremus est limes, utriusque superliminari supernitens. Ad hunc modum quatuor sunt in sacra Scriptura, [sicut] sunt quatuor pedes in mensa Domini, historia, allegoria, moralitas, anagogie. Historia limen est, quia aliis substernitur,

quæ quasi ex tribus lapidibus constans, in tribus operibus Dei continetur. Est enim opus creationis, opus reconciliationis, opus confirmationis. Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus confirmavit, unumquodque in tempore suo. De tempore creationis scriptum est: « In principio creavit Deus cœlum et terram, etc. (Gen. i, 1). » De tempore reconciliationis dicitur: « Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (Galat. iv, 4); » quando scilicet rotantibus cœlis desuper, et nubibus pluentibus Justum, aperta est terra, et germinavit Salvatorem. « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. ii, 14), » pacificans in sanguine suo, quæ in cœlo, et quæ in terra (Coloss. i). Tempus confirmationis futurum est, quando faciet Dens cœlum novum et terram novam, et colligentur boni de medio malorum, quibus separatis, apparebit « Deus mirabilis in sanctis suis (Psal. lxvi). » Adhuc enim versantur amurea cum oleo, zizania cum tritico, acinum cum vino, palea cum grano. Tempore reconciliationis, dicit Filius: « Pater meus hucusque operatur, et ego operor (Joan. v, 17). » Tempore confirmationis, vere potuit dicere Spiritus sanctus, scilicet: Pater hucusque operatur, et ex hoc jam operor ego. Cum scilicet faciat corpora nostra spiritualia, et caro adhæserit spiritui, et spiritus Deo. Moralitas nimirum similiter quasi ex tribus lapidibus est. In tribus enim informantur mores nostri. Est enim schola disciplinæ, schola naturæ, schola gratiæ.

In prima discimus esse inferiores, in secunda pares, in tertia superiores; hoc est sub alio, cum alio, super aliud, vel subesse, coesse, praesesse, hoc est discipuli, socii, magistri. In prima sunt qui prælati humiliter subjiciuntur; in secunda, qui mores sociorum incompitos patienter ferre conseruerunt; in tertia, qui subjectis verbo et opere sapienter praesesse noscantur. Et quanvis naturaliter prior sit schola naturæ, tamen juxta naturalim ethicæ, prior est schola disciplinæ; siquidem natura omnes homines genuit æquales; sed quod alius alii praeponitur, vel supponitur, a Domino Deo est, a quo omnis potestas est, qui imposuit homines super capita nostra. Porro bono, nec per superbiam depravato, facti sunt homines æqualitatis impatiens, contendentes invicem superiores constitui, atque alterutrum supergredi cupientes, invicem provocantes. Et ideo primo omnium inorum insolentia domanda est, donec duris et divinis legibus attrita, cervicosa humilietur voluntas. Sane tertiam scholam gratiæ potissimum nominamus, quæ nomen, quod est aliis commune, sibi vindicat spirituale, quia ipsa deliciis affluit, et doctoribus [f. doctibus] charitatis, quia plerosque vides sub præceptore quiete vivere, multos etiam sine querela inter pares conversari, et bona mediocritate contentos; rarissimos antiquos [f. alios], si a jugo discipline et societatis absolvias, humiliter et utiliter vides praesesse, qui sui obliviscantur, qui non querant quæ sua sunt, qui non velint dominari in

clero. Allegoria est aliud superliminare, quod similiiter in tribus consideratur, in sanctis scilicet trium temporum: ante legem, sub lege, sub gratia. Facta enim horum temporum mutua significatione, mystice sese figurant, sicut ejactio pœnitentium in capite Jejunii, significat ejectionem primorum hominum e paradiiso, et cætera in hunc modum. Anagoge, quæ superior lapis est, tanquam unus et integer lapis est; agit enim de Deo, et supercœlestibus. Cæterum porta hac respicit ad Deum. « Qui cunque enim dederit de semine suo idolo Moloch, morte morietur, et lapidabit eum populus terræ (Levit. xx, 2). » Semen est verbum Dei, idolum vero Moloch diabolus est, qui non vere, sed quasi dominatur in mundo. Qui ergo verbum Dei pro aliquo emolumento mundano vel addiscit, vel docet, de semine suo dat idolo Moloch, et hic talis morte animæ morietur. Sicut enim anima vita est corporis, ita vita animæ Deus, quo discendente, morietur anima. Non enim societas est Deo cum idolo. Angustus est lectus, breve est pallium, utrumque operire non potest; nec bene convenient, nec in una sede morantur majestas Dei, et amor mundi. Amens enim hujus mundi, inimicus Dei efficitur. Durum est quod Dominus [jubet], et difficile ad implendum; sed vobis dictum reputate: « Issachar asinus fortis, accubans inter terminos (doctrinam scilicet utriusque Testamenti), vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum (Gen. xl ix, 12). » Vos itaque, quia jam estis in via, quærите et invenietis; et quia jam accessisti ad portam, pulsate, et aperietur vobis. Aperiat autem nobis sensum ad intelligendum Scripturas, qui aperuit oculos cœci nati Jesus Christus, Dominus et Magister noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

## VII.

IN FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIAE, ET DE LAUDIBUS EJUS, SERMO TERTIUS.

« Egridimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diadema quo coronavit eum mater suæ. » (Cant. iii, 11).

Qui tantum verba sectatur, nihil inveniet, teste Salomonem, et custos prudentiae inveniet bona, et « qui fortiter premit ubera ut lac inveniat, exprimet butyrum (Prov. xxx, 23). » Verba ex quibus nostra alitur infantia, sunt duo Testamenta, quæ fortiter premissus, quando spiritualem intelligentiam salientem et impinguantem, in eis perscrutamur. Hoc ideo dicimus, quia proposita verba Iudeos carnaliter sapientes ad Salomonem referre novimus, sed nos meliorem in illo præsignatum Scripture auctoritate requirimus. Sermo ergo diriorum [f. dirigitur] ad filias Sion, id est animas Deum speculantes, ut egrediantur ad videndum regem Salomonem. Exitus autem duplex est, malus et bonus. Exiit Judas a veritate et periiit. Unde egrediebatur foras, etc. Exiit Dina filia Jacob, ut videret mulieres regionis, et delinita est et corrupta est ab

Hemor; dum enim anima ad sæculi voluntates [s. voluptates] et concupiscentias egreditur, diabolo corrumpenda substernitur. Ecce malus exitus. Bonus autem [es], quo filii Israel exierunt de Ægypto Moses duce, imo Deo, ubi gravi servitute premebantur. Unde in tertia mansione, nubem, id est Spiritus sancti ducatum accipiunt. Abraham etiam exivit de terra, et de cognatione sua, ut hereditatem obtineret, et semen sicut stellas cœli. Plurima de tali exitu Scripturarum occurrunt testimonia. Unde autem exeundum sit Jeremias, ostendit, dicens : « Exi de medio Babylonis (*Jer. I, 8*). » Babylon est mundi confusio, quæ habet principium, medium et extremum. Prima extremitas est cum qua nascimur, id est peccatum originale; altera, sine qua non vivimus, id est veniale medium; criminale, cum quo male vivimus, imo vitam, id est Deum amittimus, quia ab eo recedere qui vita est, non esse est. Sine ipso quippe non est verum esse. Unde : « Transivi, et ecce non erat (*Psal. xxxvi, 16*). » Utique illi melius erat non esse, quam sic esse. Exeamus ergo de medio Babylonis. Originale peccatum per baptismum evasimus; in multis minutis offendimus omnes; criminalia saltem caveamus. Et Zacharias ait : « O, o fugite de terra Aquilonis (*Zach. II, 5*), » id est de regno diaboli, qui frigidis, id est iniquis, dominatur. Non enim cantatur canticum Domini in terra aliena. Et in Canticis : « Si ignoras te, egridere, et abi post vestigia gregum tuorum (*Cant. I, 7*), » id est stultorum, et pasee hædos tuos, id est motus illicitos et immundos. Non imperat, sed ne egridienti contingat, prædictit; ignorans enim egredi, ad prava desideria concipienda, et perficienda prostrahitur. Hæc est confusio de qua in Psalmo dicitur : « Ex Basan, id est confusione, convertam (*Psal. LXVII, 23*), » in profundo mari existentes, in medio Babylonis. Propter hunc exitum ostendum, extra portam passus est Dominus. Et nos egridiamur ad eum extra castra. Isaac etiam egressus est ad meditandum in agro cœlesti, scilicet per contemplationem, inclinata die, id est peccati fervore. Sic egressi videre poterimus regem Salomonem.

Triplex est autem ejus visio. Visus est in sæculo, videbitur in judicio, tertio in regno. Prima, visio gratiæ; secunda, justitiæ; tertia [s. addendum gloriæ] ab omnibus bonis, a qua tolletur impius. In prima Idida, id est dilectus per carnem nobis simul [s. similis] factus; in secunda, concionator, id est in concione omnium locuturus. In tertia, Salomon princeps pacis, pastor veræ pacis videtur hic a nobis per fidem, in judicio per carnem, in regno per spem [s. speciem]. Qui per fidem videbit, in concione judicii non timebit, in regno gaudebit. « Beati pacifici, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth. V, 9*). » Hæc visio tertia, vita æterna est. Vident autem eum regem, qui ab eo regi volunt, et ab ejus regimine discedere non presumunt, dicentes : « Dominus regit me, et nihil mihi decrit (*Psal. XXII, 1*); » quos

ipse regit in virga ferrea, id est inflexibili justitia, ut motibus carnis contradicant; et virtutum gradibus tanquam mansionibus proficiant, ut Salomonem, qui per eum hic habent reconciliationem, et mentis tranquillitatem, in futuro habituri omnimodam quietem, quæ non potest esse quandiu lucta est iusto cum carne; sed ibi placato utetur regno, quod exspectant filiæ Sion, id est animæ fideles, gloriam Domini speculantes. Videmus per speculum in æmigate, filiæ per gratiam adoptionis, ut spiritualem sobolem gignant Deo, « enjus ignis in Sion; » et eam in Jerusalem (*Isa. XXXI, 9*), » ubi regnat Salomon; sed prius conculeata per poenitentiam, tamen Salem per justitiam, postea Jerusalem per coronam. Et pulchra collatio, ut tres visiones tribus nominibus Salomonis, et tribus statibus civitatis operentur. Item bona connexio. Egridiuntur filiæ Sion videre regem Salomonem, ut singulae singulis conferantur, dictum est qui viderant, id est filiæ Sion, et per quid, si egrediantur, et quem. Nunc autem restat in quo, et qui videndus sit. *Videte, inquam, in diadema*, id est incarnationem credite, et ejus beneficium attendite. Caro Christi in divina Scriptura diversis exprimitur similitudinibus, modo per arcam, ubi mamma et virga, et tabule, quia in carne anima paternorum secretorum conscientia; modo per tabernaculum in quo militat : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal. XVIII, 6*). » Item in nube; unde propheta : « Ascendet Dominus super nubem levem (*Isa. XIX, 1*). » Hic autem per diadema quo mater sua Maria eum coronavit. Et bene dicitur coronasse, quia « non de arbore libidinis concepit, nec peccato originali, sicut aliae solent, deturavit eum, ant de honestavit, sed immaculata, et intacta, et immunis ab omni peccato Sanctum sanctorum edidit, » munditiae florrem, omnium Redemptorem. Veritas enim de terra inculta orta est, unde ergo flos campi, et lilyum convallium, id est humilium coronavit, et quasi circumdedit, juxta illud : « Mulier circumdabit virum (*Jer. XXXI, 22*), » non aliunde, sed ex sua mundissima carne materiam ministrabit, sine manibus complectentium. Ecce porta Ezechielis in domo Domini « clausa, et vir non ingredietur per eam (*Ezech. XLIV, 2*). » Hic est panis in Levitico « clausus [s. coctus] in elibano (*Levit. XXIV, 5*), » id est panis vitæ igne Spiritus sancti et opere coctus, in utero virginali formatus. Hæc caro etiam diadema, quia causa victoriæ; nisi enim [Verbum] incarnaretur, [dæmon] non aggredieretur; sed dum [ipse] in ea escam carnis quam videbat, appetiit, transfigitus est aculeo divinitatis, quam non prævidit. Unde Dominus ad Job : « Nunquid extrahere poteris Leviathan hamo (*Job XL, 20*). » Leviathan additamentum eorum dicitur, id est hominum, quibus semel culpam prævaricationis intulit, et hanc quotidie usque ad mortem pessimis suggestionibus extendit, et commisit vitium suggestionis, ut traheret ad consensum delectationis, quam Dominus

homo extraxit, quia de semine diaboli hamum fecit, assumendo corpus, in quo ille escam suam mortem carnis appeteret : sed ibi erat divinitas, quæ faciem raptoris perforaret.

Sequitur : *In die desponsationis suæ*. Duplex hic desponsatio accipitur, vel matris vel filii Salomonis, scilicet, active vel passive. Mater in die conceptionis, id est qua concepit, Deo desponsata. Unde scriptum est in sermone quodam : « Desponsata sum homini in Deo, et placui summo Deo. » Divina quippe virtute est fecundata, non humano more gravidata. Unde : « Ideo et quod nascetur in te Sanctum vocabitur Filius Dei (*Luc. i, 35*). » Eadem die Salomon noster Jesus Christus desponsavit Ecclesiam, copulando sibi eam per naturam et gratiam. Deus enim humanae naturæ conjunctus est in utero virginali, unde processit [ut sponsus] de thalamo suo (*Psalm. xviii*). *Coronavit eum etiam mater sua*, id est honestavit in die lætitiae cordis, id est nativitatis, sicut in die conceptionis; quæ enim sine libidine et viri opere concepit, conceptum etiam sine labore et dolore edidit, virgo in concipiendo, virgo in pariendo, quæ *lætitia* non carnis dicitur, sed *cordis*, id est discretionis. Quæ et quanta lætitia fuit matri

edere in lucem omnium lucem ! Lueem [veram,] quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in suam et omnium salutem ; suum et omnium Conditorem, Genitorem et Salvatorem. Si Magi de invento gavisi sunt gudio magno valde, nonne multo magis ipsa videns in se, et per se, completa prophetarum oracula, quæ longe ante novaverat prædicta ? Unde ipsa ait : « Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc. i, 47*). » Hujus desponsationis omnes nos consortes esse debemus, quia fideles animæ legitimum habent sponsum Christum, juxta illud : « Despondi vos mihi viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor. xi, 2*) ; » et participes lætitiae, quia « Gloria in ex. D. et in t. p. h. b. v. (*Luc. ii, 14*) [in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis]. » Audivimus diadema præstitum a matre ; est et aliud datum a Patre. Unde : « Gloria et honore coronasti eum (*Psalm. viii*). » Sicut unitus est natura cum matre, ita unius est majestatis cum Patre et a Patre. Egressiam ergo ut regem Salomonem videre possimus in decore, ipso præstante, qui vivit et regnat, etc.

#### EJUSDEM HILDEBERTI VERSUS AD BEATAM MARIAM.

##### I. — *De conceptione beatæ Mariæ.*

Credula promisso cœli spiramine misso,  
Virgo concepit Verbum quod in aure recepit.  
Florigerum pectus Deus intrat, virgine tectus,  
Intrat in ancillam quia rex aptaverat illam,  
Visceribus cuius majestas clauditur hujs,  
Res nova, natura perdit carnalia jura ;  
Quæ coitum nescit, sine semine virgo tumescit.  
Gaudie fecundans dono deitatis abundans,  
Ventre geris prolein quæ vincit lumine solem.  
Mens tua lætetur, quia quoq[ue] geris intus, habetur  
Filius atque Pater, tu filia, tu sibi mater,  
Atque per hoc verbum jus perdidit hostis acerbum  
Quod matris sæve morsus commiserat Evæ.  
O felix partus, qui matris non premit artus :  
Ut radius solis, sic est egressio prolis.  
Hac de prole pia mater lætare Maria !  
Gaude, stella maris, quæ dum Deitate bearis  
Absque labore paris, post partum virgo probaris.  
O quantis votis monet officium pietatis,  
His gaudere datis, quod consilium Deitatis  
Nos in tormentis per prima facta parentis  
Abstulit a fatis, per matrem virginitatis.  
Hinc hymni resonent, hinc cuncti seria doneant  
Tanto natali, quod liberat exitiali  
Servos a poena, dans gaudia lucis amœna.  
Ecce prophetæ complentur nunc Isaiae,  
Fructus lætitiae dedit alvus casta Mariæ.  
Nunc omnino reus fiat confusus Hebreus  
Dicens : sacratum templum matris violatum  
Parturiens istum Joseph de semine Christum,

Gens rea, quo traheris ? Cur crimina non revereris ?  
Quis furor est mentis ? De Virgine cur male sentis ?  
Noscere vera datur, nam cui nil posse negatur,  
Matre puellari sine patre potest generari.  
Exemplo credas tamen ut convicta recedas,  
Elisabeth sterilem videoas, sponsumque senilem :  
Naturæ metas istorum clauerat ætas,  
Dum puer in sterili generatur patre senili,  
Cumque sit in morem, parientem ferre dolorem,  
Converso more, virgo parit absque dolore.  
His argumentis credit titubatio mentis  
Ut duo qui donat Deus integritate coronat  
Ingressum matris, nascens sine semine patris  
Hujus natalis cum fiat apex specialis  
His quæ monstrantur, tamen imis alta probantur  
Hinc assume fidem Judæa rebellis eidem  
Fæcundat sterilis, non opprimit ortus herilis  
Maternos artus ; exit sine semine patrus ;  
Sie vi divina fiunt miracula trina.  
In nobis vivat qua se plebi impia privat  
Ista fides Christi, pia Virgo quem genuisti.  
Ad vitæ portus nos pertrahat istius ortus,  
Qui veteris morbi medicinam contulit orbi  
Hinc, mater, præsto pro te venerantibus esto,  
Reddens pacatum nobis prece supplice natum.  
O Rosa vernalis, super omnes flos specialis,  
Virgo regalis, via vitæ spiritualis,  
Ante Deum talis fias quod sit venialis  
Indulgendo malis discussio judicialis.

II. — *Versus Hildeberti ad beatam Mariam.*  
Sancta Parenz, caro labe carens et dulcis odoris ,

Stella maris, cui nulla pars fuit orta decoris.  
 Digna coli, Regina poli, flos imperialis  
 Cella Dei, speculum fidei, virgo specialis,  
 Melle fluens, pietate cluens, dulcedine manans  
 Læsa sovens, morbos renovens, languentia sanans,  
 Spes veniae, via letitiae, stirps inclita Jesse,  
 Supplicibus fanuli precibus digneris adesse.  
 Tartareis quod me laqueis draco præpedit ater.  
 Criminibus nexum gravibus, piæ, respice, mater.  
 Solve reum, pondusque meum relevare labera,  
 Ut veniam reus inveniam, pro me, precor, ora,  
 Ne Stygiæ nihil malitiæ sint cognita castra  
 Imo Dei pietate vehi merear super astra.

### III. *De partu Virgineo.*

Nectareum rorem terris instillat Olympus ;  
 Totam respurgunt flumina mellis humum.  
 Aurea sanctorum rosa de prato paradisi  
   Virginis in gremium lapsa, quievit ibi.  
 Intra virginem decus, intra elaustra pudoris,  
   Colligit angelicam virginis aula rosam.  
 Flos roseus, flos angelicus, flos iste beatus  
   Vertitur in fenum, sit caro nostra Deus.  
 Vertitur in carnem Verbum Patris ; at sine damno  
   Vertitur in matrem virgo, sed absque viro.  
 Lumine plena suo manet in nascente potestas,  
   Virgineum florens in pariente decus.  
 Res nova, res celebris, res omni digna stupore !  
   Et pudor et partus sunt sine lite simul.  
 Quatuor hæc partum commandant Virginis, auri,  
   Vox Gabrielis, opus Pneumatis, umbra Patris.  
 Virgo silet, loquitur Gabriel, imbalsamat altum

[alvum]

  Spiritus et virtus Patris obumbrat ei.  
 Virginis auris ibi fuit uxor, vir Gabrielis  
   Sermo, dos almus Spiritus, umbra Pater.  
 Sol tegitur nube, feno flos, cortice granum,  
   Mel sera sacco purpura, carne Deus.  
 Ut nucleus testæ quasi mel ceræ, velut auro  
   Jungitur argentum, sic caro juncta Deo est.  
 Ergo si recte discernas singula, dices  
   Mox favus electrum est, qui Deus est et homo ;  
 Nam duo juncta nucem, duo juncta favum, duo

[juncta

  Electrum statuunt, te duo, Christe Jesu.  
 Solem stella parit, aurora diem, petra fontem,  
   Patrem nata Deum, femina virgo virum.  
 Ætheris ac terræ sunt hæc quasi fibula, sancto  
   Fœderis amplexu dissona regna ligans.  
 O castæ Matris felix dignatio ! sese  
   Terris ineliat hac mediante polus.  
 Hæc est illa parens sacra, eujus nomen in ore,  
   Est favus in corde, dulcis in ore melos.  
 Hæc est quam coeli pictor Deus intus et extra  
   Pinxit, et angelica dote polivit eam.  
 Quantum fas eredi est, Deitas hanc tota resulxit,  
   Et quasi succincta venit ad istud opus.  
 Lavit enim mentem, carnemque polivit, ut esset  
   Intus sincera mens, caroque munda foris.  
 Splendor festivus totam sibi vindicat illam,

SUMMA AUREA DE B. V. MARIA. VI.

In qua præfulget omnne decoris ebur.  
 Angelice lucis speculum decor ejus adumbrat :  
   Hue oculum slectit curia tota suum.  
 In titulos ejus eitharizant omnia cœli  
   Organa, cœlestis musica ludit ei.  
 Hæc est cella capax, ubi mel Deitatis inundans,  
   Plene compluit hanc munieris imbre sui.  
 Stella maris, candoris ebur, speculum paradisi,  
   Fons veniae, vitæ janua, Virgo, vale.  
 Cœli scalæ boni, schola pacis, fibula thuris,  
   Virgula, pigmenti cellula, Virgo, vale.  
 De te tot laudum rutilant insignia, nescit  
   Quo plus ascendat tantus honoris apex.  
 Onnis virtutum species et aromata, totam

  Te simul aspergunt thuris odore sui :  
 Tu sine defectu radius, tu flos sine spina,  
   Tu sine nube dies, tu sine sorde parens.  
 Quid loquor ? hinc nullum clementum laus tua

[sumit;

Frustra lucet facis, tento juvare diem.

Quanta tuis pateat virtutibus area, nullis

Fasciculis laudum claudere lingua potest.

### IV. *De eodem.*

Aaron virga, Dei Virgo peperisse feruntur ;  
   Arboris illa nuces, ætheris ista Deum.  
 Semine virga caret, profert sine semine fructum,  
   Nescit Virgo virum, concepit absque viro.  
 Fert sine radice, genuit sine seminis usu  
   Arida virga nuces, integra Virgo Deum.  
 Floruit illa, dedit fructum, nux prodiit inde ;  
   Concepit, ista parit, nascitur inde Deus.  
 De virga nux exoritur, de Virgine Christus ;  
   Virga Maria fuit, nux Homo-Christus erat.  
 In testa sane species humana notatur,  
   In nucleo deitas, in nuce Christus-Homo.  
 In testa latens deitas, in carne moratur  
   Cum nucleo testa, cum deitate caro.  
 Dulce sapit nucleus, mulcet sapor iste palatum,  
   Dulce sapit deitas, cor regit iste sapor.

### V. *— De eodem.*

Sol, nubes, et aqua cœlestis luminis irim  
   Conficiunt; partum Virginis ista notant.  
 Sol deitas, nubes carnis species, aqua sanctus  
   Spiritus est, Iris stella Maria maris.

### VI. *— De eodem.*

Sol, crystallus, aquæ dant qualecumque figuram  
   Virginei partus, ædificantque fidem.  
 Si tingatur aquis, et soli subjiciatur,  
   Scintillas præfert integer ille lapis.  
 Si bene cuneta notes, aqua, sol, crystallus, et ignis  
   Sunt Flamen, Verbum, Virgo, Deusque puer.  
 Flamen aquæ, Verbum soli, Virguncula gemmæ,  
   Stirps igni quadam conditione coit.  
 Flamen aqua est, quia lavit eam ; Verbumque su-  
   pernum  
   Sol, quia non violat, sed tamen intrat eam.  
 Virgo lapis, quia Virgo parit ; Puer unicus, ignis ;  
   Nam virtute micat, lumine corda replet.  
 Sic umbra Flamen, ingressu cœlibe Verbum

Virgo slet soboles carne Deoque simul.  
Consiunt cataplasma novum, quo vita sepultis,  
Virtute et mente moribus ordo redit,  
Hoc aperit tumulos, hoc agmina sacra refundit,  
Hoc supplet casum terra, gehenna, polus.  
Ad cœlos hinc subsilient, cuius ossa, medullæ  
Hoc animam carni reddet, utriusque Deum.  
Ipsius carnem, sanctosque secunda sepultos;  
Aut defunctorum purgatos prima, secunda  
Qui purgantur adhuc; viventes tertia. Sanguis  
Martyri pars est. In sanguine tertia tinteta,  
Martyri calicem gustant in carne fideles.

**VII. — De Virgine Maria.**

Lacto Creatorem, salvum mihi crede pudorem.  
Res nova: Virgo parens, et caro patre carens.

**VIII. — Ubi angelus ad Mariam.**

Ad Gabrielis ave fert german Virgo suave,  
Quem nequeunt cœli Virgo capit aure fideli.

**RUPERTUS, ABBAS TUITIENSIS.****I. — B. Maria calcavit caput serpentis.**

*Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua* (Psalm. lxxxv). Factum est secundum illius antiquæ ostensionis consilium, quia videlicet primum, illi pastores vel principes tui, quos ita denotavit ut diceret, *quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes* (*ibid.*), dormitaverunt et sepulti sunt, circumdati a Romanis mortui sunt, et in inferno sepulti sunt; et qui supersuit infelix populus dispersus, et in omnes gentes ductus est captivus, *et non est qui congreget*, quia qui solus congregat, et congregata restaurat Christus illis ablatus, et abiit ad gentes, et stabile fecit esse quod sibi ostensum est. *Nec occidas eos, disperge illos in virtute tua* (*ibid.*), id est ne penitus eos evellas a terra, sed ubique terrarum disperge illos in virtute tua, in potentia tua. Cur hodie? *Nequando obliscantur populi mei* (*ibid.*). Unde notandum Judæorum dispersionem ideo factam esse, ut non tantum in uno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dum eum a parentibus suis crucifixum fuisse assererent, et Scripturas in quibus nobis prædictus est se habere non denegarent, atque ita dum vivere permetterentur, eorum etiam testimonio fides gentium certior haberetur. Tandem adversum te, o rex Assur, caussam dicit Paracletus, cur vel quo de judicio mundum arguere debuerit, quia tu judicatus es. *Non est, ait, obscura contritio tua; pessima est plaga tua.* Contritio qua contritus es, illa est qua contrivit mulier caput tuum, juxta Domini judicis edictum quod eduxit super te in initio, dicens ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* (*Gen. iii.*) *Insidiaberis calcaneo beatæ mulieris, beatæ Mariæ virginis, imo et calcaneo seminis ejus, quod est Christus.* Quod

**IX. — Ubi fert Jesum Maria.**

Virgo parens, consorte carens, tenet Omnipotentem  
Ut gremio sic corde pio fert cuncta ferentem.

**X. — Ubi parit Christum Maria.**

Stella parit solem, mons montem, innuba prolem.  
Hac opifex fit opus, Verbum caro, cedrus hysopus.

**XI. — De Virgine Deipara.**

Virginitas peperit; sed si quis quomodo querit,  
Non est nosse meum, sed scio posse Deum.

**XII. — Christus infans a Virgine lactatur.**

Res nova, lactatur super æthera qui dominatur.  
Factor factus homo gaudeat omnis homo.

**XIII. — De Messia Virginis Filio.**

Maria natus de Virgine nos reparavit.

**XIV. — Super Virginem Mariam.**

Plus vere rutilat gemmis stellata Mariæ  
Virginis effigies, speculumque reverberat auri.

ipse non ignorans dicebat: *Venit enim princeps mundi hujus, et non habet in me quidquam* (*Joan. xiiii.*). Propterea hoc ipsum quod tu in illo quidquam non habuisti, et tamen ad eum venisti, querens quasi debitum peccati, id est exigens pœnam mortis, contritus es calcaneo ejus, victus es sine, id est passione vel morte ejus. Quis istam contritionem tuam non audivit? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psalm. xviii.*), scilicet cœlorum qui istam gloriam filii Dei enarraverunt vel annuntiaverunt, quod ipse moriendo contrivisset caput tuum. *Non igitur est obscura contritio tua,* quia videlicet clare in omnem terram est enarrata, clare in fines orbis terræ est aannuntiata, Proinde Paracletus recte arguit mundum de *judicio*, quia excusare se non potest, quin audierit judicium quo judicatus es, sive contritionem qua contritus es. Quis itidem non audivit, quia *pessima est plaga tua?* Eodem namque Evangelio quo enarratur vel enuntiatur, jam dicta contritio tua, pariter enarratur pessima plaga tua, quæ in cœlo plagatus es, ita ut caderes vidente Domino te, o Satan, sicut fulgor de cœlo cadentem (*Luc. x.*). (*In Nahum, lib. iii.*)

**II. — Mons primus et maximus omnium montium  
beata est Virgo Maria, de cuius carne carnem  
assumpsit Christus Dei Filius.**

« Præparare in occursum Dei tui, Israel, quia ecce formans montes. » Nimirum qui illie dixit, « In monte salvum te fac, » ipse hic dicitur « formans montes, » cum dicit de illo Pater: « Ecce formans montes. » Subvertens namque gentein illam Judaicam « sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, » formavit evangelicæ perfectionis montes, et dixit Loth, id est homini declinanti a malo (Loth enim interpretatur *declinatio*); et dixit, inquam, homini volenti declinare a malo Sodomæ et Gomorrhæ, « In montem salvum te fac, » id

est, fruere perfectione evangelica, ita ut ne saltem uxorem queras. Et ille quidem in illorum persona qui infirmi sunt, mystica nobis verba formavit dicens, « Nec possum in monte salvare, » quod est a nobis dici, non possumus evangelica perfectione frui, ne forte uramur, et « melius est nubere quam uriri (*I Cor. vii.*) ». Verumtamen multi ascenderunt in montes illos quos iste Dominus formavit, id est apprehenderunt propositum evangelicæ et apostolice perfectionis, videlicet neque nubentes neque usci, sed in proposito virginali ita viventes sicut angeli Dei. Mons primus et maximus omnium montium quos in adventu suo formavit iste Dominus Deus exercituum, beata est Virgo Maria, de cuius carne carnem assumpsit Christus Dei Filius absque opere conjugali, secundum visionem propheticam qua visum est, quod abscissus esset lapis de monte sine manibus, et communiqueret omne regnum mundi (*Dan. ii.*). Et quidem mirabile est, quod formaverit montem, de quo ipse tanquam lapis abscederetur, sed nihilominus mirandum est quod de illa sancta civitate Sion cœlesti alia Scriptura dicit: « Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psalm. LXXXVI.*) ». Post istum montem, et alios montes in adventu suo formavit idem Dominus Deus exercituum, scilicet apostolos suos, quorum ad perfectionem quicunque efficaciter tendit, subversionis, qua illam Sodomam, id est, perfidiam Judaicam, subversam esse constat, periculum magisfice evadit, simulque et securus est a tribulatione carnis, magnum habens refrigerium, quod præsenti loco significatur, dum præmisso, « ecce formans montes, » subiungitur, « et creans ventum. » (*In Amos, lib. ii, cap. 4.*)

III. — *B. Virgo Maria est porta sanctuarii; porta hæc clausa erit, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

« Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem, et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a maiestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar, et cecidit super faciem meam. » Ordo tandem fidei necessarius hic perfectus est, dum post cunctas divisiones superiora longe repetens, « et vidi, inquit, visionem secundum speciem quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar, » subauditur, anno quinto, itemque, anno sexto transmigrationis regis Joachimi. Quinam ille aspectus, vel quæ illæ species fuerunt? Nimirum aspectus hominis, aspectus leonis, aspectus vituli, aspectus aquilæ volantis. Aspectibus vel speciebus illis vera humanitas, vera passio, resurrectio quoque et ascensio significabatur Christi Filii Dei, quæ omnia corde credere

ad justitiam, et ore confiteri oportet ad salutem (*Rom. i.*). Sed hæc quidem evangelica doctrina est, et familiarius parvulis quasi lactis alimonia dulcis audiuit, et salubris animæ gustu est. Verumtamen ad perfectionem fidei necdum satis est, nisi post laetus poculum proficiendo ad solidum perveniat cibum, ut credit et confiteatur quia « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt (*Joan. i.*) », et isto illud posterius esse, quod prius capere potuit, scilicet quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*ibid.*) », et secundum illas facies hominis, vituli, leonis, atque aquilæ volantis, videndum nobis gloriam suam prebuit. Recte igitur prioribus prophetie suæ annis, illud accepit vel scripsit, quod commodius capere possunt parvuli, et tandem in hac extrema visione pro exercitatione perfectiores habens sensus accepit, vel perfectos habentibus sensus scripsit, quid ante facies illas Christus Dei Filius fuerit, et tunc demum cadit super faciem suam, vide-licet perfecta adoratione verus adorator adorans in spiritu et veritate (*Joan. iv.*). (*In Ezech. 1. xi, c. 21.*)

IV. — *Virgineus partus in visione prophetica designatus.*

Verumtamen quantumvis fodiendo in altum de occulto visionis hujus thesauro, necdum cuncta protulimus quæcumque de Christo Deo et Domino nostro credere vel confiteri Christiana veritate compellimus. Necdum enim illud usquam consulta littera nobis respondit quod permaxime splendet in omni pulchritudine catholicæ confessionis, quod illa facies hominis, quam sæpe dixit, de Virgine matre concepta et edita sit. Sequamur ergo et juxta vestigia sanctorum Patrum, qui hæc loca scrutati sunt, nos quoque scrutantes audianus atque intelligentes gaudeamus invenisse nos quod non fuerit oblitus iste propheta sanctus confiteri sicut a Spiritu sancto doctus erat, venerandum virginalis uteri partum. Ait propheta post aliqua. « Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur. » Hæc profecto cum dicit, congrua sub imagine doctum se asserit, quod homo ille qui Deus erat per uterum Virginis in hunc mundum introierit. « Convertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarii exterioris. » Porta sanctuarii quæ est, nisi Virgo, per quam primo patuit janua sanctuarii exterioris, sanctuarii cœlestis, quod erat extra nos, extra quod eramus nos? Porro via portæ hujus series est generationis, quæ in Evangelio texitur ab Abraham usque ad « Joseph virum ipsius, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus (*Matth. i.*) ». Hæc porta respiciens ad orientem, et verum in

semetipsa suscipiens justitiae solem (quod veraciter credimus et confitemur) erat clausa. Nec enim ut conciperet aut pareret, vir illam aperuerat. Et dixit Dominus ad me: « Porta hæc clausa erit, » subauditer, quod nunc est. Clusa est dum concipit, dum pariet nihilominus clausa erit. « Non aperietur, et vir non transibit per eam. » Clusa ante partum, clausa erit et post partum. Ex eo enim tempore quo angelus loquebatur: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc. i.*). » Et quando natus est, virgo permanuit æterna, ad confundendos eos, qui arbitrantur eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus, qui vocantur in Evangelio (*Matth. xii; Marc. iii.*). Pulchre cum dixisset: « Et vir non transibit per eam, » continuo subjunxit: « Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. » Ac si diceret: Non mireris quod vir non transibit per eam, et tamen pariet filium, quoniam filius, quem pariet, Dominus Deus est Israel. Si is quem parit homo tantum, et non Deus esset, necesse erat ut ante partum, imo et ante conceptum vir per eam transiret, nunc autem Dominus Deus Israel est, qui aliunde veniens ingressus in hunc mundum per eam, et idcirco non mirum quod talis filius portam clausam, id est, matrem suam servare potuit incorruptam. « Eritque clausa principi, » id est ad opus vel ad honorem principis: Princeps iste magni principatus, qui est in forma Dei, « ipse sedebit in ea, » ipse semetipsum humiliabit formam servi accipiens (*Phil. ii.*), « ut comedat panem coram Domino, » id est ut obediat Deo Patri suo, quod est illi panem comedere, testante ipso, cum dicit: « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan. iv.*). » « Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur. » Notanda diligenter distinctio ingressus atque egressus principis hujus. Denique nos omnes, qui portis apertis, id est membris corruptis nascimur, per quam viam traduce inserente ingredimur, per ipsam et egredimur, unde et ignobiles, nimumque plebei sumus. Iste autem princeps nobilis « per viam, inquit, vestibuli portæ ingredietur, » id est per fidem credulæ Virginis concipientur, ut per viam non jam vestibuli portæ, sed « per viam ejus egredietur, » id est per integra virginalia, vera de carne caro, verus de matre homo nascetur. (*Ibid., cap. 22.*)

V. — *B. Maria prophetissa. — Virginea conception.*  
— *Quomodo omnes prophetæ accesserunt ad prophetissam et filium ejus.*

*Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachie. Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera, spolia detrahe, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem*

*suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samarie coram rege Assyriorum. Rursus sub alia specie partus describitur virginalis. Non enim obscuritatem litteræ, sed claritatem spiritus prudens lector hic recipit. Alioquin si juxta litteram de prophetissæ mulieris conceptione prophetam generasse filium quis recipit, consequenter et Osee prophetam vere meretricem uxorem habuisse firmabit. Hæc ergo prophetissa, ad quam propheta jussus accedit, sancta est Maria, cuius in utero omnium prophetarum sanctorum completa est prophetia. Nec enim quod carne concepit, mente ignorare potuit. Ad hanc prophetissam, propheta iste, imo et omnes accesserunt prophetæ sancti, omnium quippe Sanctus, et omnium Verbum ad uterum ejus tendit. Proinde si nihil judicamus nos scire, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum (*I Cor. ii.*), solum hic et ubique quæramus eum, quia revera quidquid aliud senserimus, majestati sanctæ Scripturæ non est condignum. Ait: *Et dixit Dominus ad me.* Quo conjunctiuncula hæc, et dixit, respicit, nisi ad internos clamores prophetæ, sorteum et hæreditatem in illa beata generatione Emanuelis habere desiderantis? *Sume tibi librum grandem.* Ad quid grandem? Quantum enim est, quod erat scripturus? *Accelera, spolia detrahe, festina prædari.* Magnum quidem nomen, sed parvo spatiolo potest largissime conscribi. Quid enim liber iste est grandis, nisi universa pagina sacri verbi Dei, quam primus Moyses, et post Moysen scripserunt ceteri? Illum *sume*, inquit, id est esto unus de consecratibus Verbi Dei, unus citharædorum, citharizantium in citharis suis, ante thronum Dei, unus de testibus virginæ conceptionis, unus de patribus in generatione Filii Dei. *Et scribe in eo stylo hominis: Accelera, spolia detrahe, festina prædari.* *Stylo hominis scribe*, id est stylo quo homines scribere consueverunt, Dei sacramenta comprehendere. Vel certe *stylo hominis*, id est quantum de Deo capere potest fragilitas hominis. Nec enim tu, cum sis homo, comprehendere potes illud totum, quod est Emanuel. Nam totum filium nemo novit, nisi Pater (*Matth. xi.*). Sicut e converso, *nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius rivelare* (*Ibid.*). *Accelera, spolia detrahe, festina prædari*, id est non patiaris ultra diabolum regnare, non patiaris armatum fortem, sua quæ possidet in pace diutius habere. *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachie, et accessi ad prophetissam.* Certum habet fidelis intelligentia, quia veraciter ad prophetissam illam quam prædimus accessit Esaias, in illa hora quando cum voce angeli salutantis eam et evangelizantis, quod conciperet et pareret filium, Spiritus sanctus in illam supervenit (*Luc. i.*), in illa, inquam, hora cum omni multitudine verbi Dei Scripturæ quoque hujus plena illi notitia infusa. Statimque cum sermone angeli virgineum conceptum prædicantis, memoriae ejus locutus est hoc illud esse quod supra dixit: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Ita ad illam prophetis-*

sam hic accessit, testes sibi fideles adhibuit. Quot? Duos, id est *Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiae*. Claret in omni Scriptura ejus, in tota amplitudine voluntatis ejus, quia duos fideles, duos populos fidem Christi habentes, unum de Judaeis, alterum de gentibus sibi testes adhibuit. *Urias* quod interpretatur *lux mea Deus*, ipse est *Judaicus*, apud quem prius lucere dignatus est Deus. Per *Zachariam* quod interpretatur *memor Domini*, nos de gentibus significamus, qui ejus quidem *Emmanuelis* venturi notitiam non habuimus, sed præteriti memorem fidem habemus. Sed et *Barachiae* filii, id est *benedicti Domini* filii sumus, nec enim antequam ille veniret, quidquam boni habuimus, ut *Judaicus* populus, sed ex adventu ejus habemus, cui Psalmista dicit: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psalm. cxvii*). Adsumus ecce duo testes fideles in veritate rerum comprobantes, quia bonus et optimus cooperator divinae generationis, iste ad prophetissam illum accessit, et verum esse confitemur. quidquid de partu beatæ Virginis, quidquid de nobis iste prædixit. Quare jam vocabo eum, *accelera, spolia detrahe, festina prædari?* Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram rege Assyriorum. Nunc interim, dum est apud Deum, Deus Verbum nondum caro factum, solummodo patrem invocare scit. Cum autem, ut supra dixi, virgo conceperit et pepererit, tunc denum et patrem invocare sciet et matrem. Multum ergo accelerabit, multum festinabit, qui antequam nascatur de matre, antequam patrem hinc, et matrem inde debeat habere, auferat fortitudinem Damasci, et spolia Samariae regem quoque Assyriorum percutiendo de exercitu ejus centum octoginta quinque, millia in una nocte. Plane aliud majus faciet, cum patrem et matrem invocare sciet, id est cum is qui ante tempora sæcularia de Patre natus est, sub tempore de matre natus fuerit. Tunc enim spirituales hostes, id est diabolum et omnes partes ejus, superabit. (*In Isa. lib. II, cap. 34.*)

**VI.** — *Ab oculis B. Mariæ, Dei Genitricis, nequam sapientia fuit abscondita.* — *Hæc est prophetissa cuius in sacrarium pectoris Spiritus sanctus omnes prophetias convexit.*

Erat in hoc mundo solus, qui sciret sapientiam tunc temporis, Christus ipse Dei Sapientia. Nam, sicut jam dictum est, *ab oculis omnium viventium abscondita erat sapientia, et volucres quoque cœli latebat*. Et quomodo in illo antiquo principio cum creasset Deus cœlum et terram; *Terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen. I*), sic et in isto novo creaturæ novæ principio, totus mundus a sapientiæ cognitione inanis et vacuus erat, et tenebræ ignorantiae erant super faciem cordis totius generis humani. Verum tamen beatam Dei Genitricem tunc viventem consideriter excipimus, quia nequaquam ab oculis ejus hæc sapientia se absconderat. Prophetissa enim hæc erat,

prophetissa, inquam, nulli prophetarum comparsa, enjus in sacrarium pectoris Spiritus sanctus prophetias omnes convexerat. Hac itaque sola excepta, omnis terra erat inanis et vacua, et tenebræ, ut jam dictum est, ignorantiae erant super faciem abyssi, super omnem animam totius generis humani. Porro hæc sapientia secundum substantiam illa erat, quæ dudum in Salomone dicebat: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum* (*Prov. viii*). Et subinde: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ cum filiis hominum* (*ibid.*). Delectet igitur cunctos utriusque ludi spectatores benevolos, quia et illic in initio veteris creaturæ dixit: *Fiat lux, et facta est lux, divisitque lucem et tenebras* (*Gen. I*), et hic in initio novæ creaturæ lucem invexit inferis, ut viderent lucem veram, Deum verum, qui hactenus sedebant in tenebris omnes electi ab origine mundi, imo transirent de regione tenebrarum ad patriam æternae claritatis, essentque ibi lux, videndo substantiam veræ lucis, lux, inquam, divisa a tenebris inferni, et nos qui vivimus, essemus lux divisa a tenebris hujus mundi, dicente Apostolo: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* (*Ephes. v*). Nam et vivis lucem intulit dicendo postquam resurrexit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan. xx*), et extunc implevit apostolos suos, quod promiserat, diceundo: *Vos estis lux mundi* (*Math. v*). Utrobique, scilicet et in illo veteris, et in isto novæ creaturæ opere, sapientia hæc satis amabiliter coram Domino lusit. (*De Spiritu sancto*, lib. II, cap. 22.)

**VII.** — *Verbum quod Virgo fidelis secundum carnem peperit et lactavit, ipsa secundum fidem prius concepit.*

Cur prophetæ memorati in generatione Christi, ubi carnis ejus patres merito cadunt, non admittantur, cum in Joseph terminetur, de quo constat, quod non fuerit pater ejus? Denique evangelistæ spirituali et sapientiæ, magis secundum fidem quam secundum carnem genealogiam Verbi incarnati texere propositum fuit, cuius videlicet generationis vera beatitudo est in eo, quia Verbum ipsum quod Virgo fidelis, secundum carnem, peperit et lactavit, ipsa secundum fidem prius et corde concepit, et ore peperit, juxta magnam prophetæ admirationem dicentis: « Antequam parturiret peperit, et antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? » (*Isa. LXVI*). Et continuo: « Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit, et peperit Sion filios suos? » (*Ibid.*) Quænam est ista Sion, quæ antequam parturiret, peperit; quæ antequam veniret partus ejus, peperit masculum, et deinde simul una die peperit filiorum suorum gentem, nisi illa beata

generatio, quæ antequam secundum carneum, secundum Mariæ Virginis uterum parturiret Christum, peperit eundem masculum, id est, fortissimum et omnipotentem secundum spiritum, et deinde prædicantibus apostolis parturivit et peperit, quasi una die, id est in brevi tempore diffusam per mundum universum multitudinem credentium? Quid enim fuit post promissionem beati seminis quæ facta est ad Abraham? Quid, inquam, fuit Moysi et prophetis sanctam Scripturam quæ verbum Dei est, contexere, nisi Christum et corde per spiritum propheticum concipere, et ore parere? An non et hoc unus illo rum asserit: « A timore tuo, inquiens, Domine, concepimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram? » (*Isa. xxvi.*) Item, quid fuit post ascensionem Domini, Moysi prophetarumque testimoniis repente gentes ad fidem Christi convertere; nisi gentem filiorum Sion in una die parturiri. Igitur recte et venerabiliter evangelista sanctus sic generationem Christi contexuit, ut et reges impios qui prophetas occiderunt in exemplum matris suæ Jezabelis amoveret, et eamdem in viro fidi Joseph sponso custoditæ Virginis terminaret. (In *Reg.* lib. iii, cap. 14.)

### VIII. — Virgo Maria pars magna civitatis Sion, pars magna et regalis aula sanctæ Ecclesiæ.

*Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alias parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Quatuor hæc dieta sunt, quorum unum nostræ regenerationis gratiam, tria vero unici Verbi Dei genitiram, trimodam altissimo et pene ineffabili mysterio nobis insinuant. Nam quod ait, *nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos?* repentinam admiratur generationem credentium in Christum, qua post adventum Spiritus sancti, sancta Sion, id est apostolica Ecclesia, magnam Judeorum atque gentium multitudinem prædicationis verbo et salutari regeneravit baptismō, tanto miraculo ac si uno die gens tota uno pariatur utero. Hoc ex prædictis quatuor unum est. Cæterorum trium primum est quod parturivit, secundum quod *antequam parturiret peperit*, tertium quod Dominus ipse semetipsum qui alias parere faciat, non esse sterilem, sed se quoque peperisse altissima invectione asserit. Hæc, ut jam dictum est, tria generationis Christi documenta magna et mira sunt. Quando enim *Sion parturivit et peperit masculum?* Nimirum quando virgo Maria, pars magna sanctæ civitatis Sion, pars magna et regalis aula sanctæ Ecclesiæ, quæ est specula, in qua nunc speculamur, post in eadem facie ad faciem visuri Deum deorum, peperit Christum filium masculum, filium fortissi-*

mum, valentem ad debellandum fortē armatum, qui nullum timens, custodiebat atrium suum (*Luc. xi.*), tenebat sibi quasi in pace mundum, quando illa beata Virgo peperit Christum Filium, utique *masculum peperit Sion*. Non enim sibi soli, sed toti Ecclesiæ Maria parturivit Christum. Sed non jam dicat Judæns, non dicat haereticus eundem Christum ex Maria existendi habuisse initium. Nam, *antequam parturiret, peperit*. *Antequam parturiret illuc, antequam tempus illud ei veniret, ut filium visibilem ex ventre Virginis sancta Sion ederet, peperit*, et mater ejusdem Verbi effecta est. Concepit enim corde, et Verbum Dei peperit ore. Quoties ad aliquem prophetarum sive patriarcharum verbum Dei factum est, toties Sion peperit verbum Domini, non aliud quam quod beata Virgo concepit, et carnem factum peperit. Unde unus illorum hic idem Isaías dicit: *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram* (*Isa. xxvi.*) Nota et celebris animabus sanctis est ista veritas, quod vere Deus amator fideli animæ ut sponsus sponsæ copuletur, atque ex illo per amoris spiritum suscepto semine impregnata, loquende, prophetando, et quod magis est, scientiam Dei sc. ibendo, mater Verbi Dei efficiatur. Sic omnis Scriptura legalis et prophetica condita est, antequam omnis Scripturæ universitatem, omne Verbum suum Dens in utero Virginis coadunaret. Ipsa Virgo prius mente quam carne concepit, prius ore prophetando quam ventre partuendo peperit. Igitur falsum est ante Mariam non exstisset Christum. Nam antequam carnem ejus parturiret, peperit ore prophetarum, beata Sion unum eundemque Christum, unum idemque Dei Verbum. Nec etiam satis est adhuc. Nam ne forte suspiceris quod antequam prophetæ loquerentur, non fuerit hoc Verbum Domini. Ecce enim ipse Deus dicit: *Nunquid ego qui alias parere facio, ipse non pariam?* Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Ac si dicat: *Nunquid ego qui alias bonum effari verbum dedi, ipse non prior de corde meo verbum bonum eruetavi?* (*Psal. XLIV.*) Est enim solœcismus per tempora verborum, dum dicit, *ipse non pariam, ipse sterilis ero*, pro eo ut dicat ipse, non peperi, ipse sterilis fui. Porro alibi recto, id est præterito utitur tempore, dicendo: *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal. CIX.*) Verumtamen nec quia illuc *ex utero genui te*, dixit, nec quia hic *ipse non pariam*, aut *sterilis ero* dicit: Idecirco Deus uterum et vulvam habere putandus est, sed' ob significandam expressius suimet atque Filii sive Verbi substantialitatem, talibus opportune vocibus Deus ut dignatus est. Obmutescat igitur omnis impietas, quia quod Virgo Maria Verbum parturivit, incarnationi ipsum sive conceptum, dicto et scripto pepererunt prius animæ patriarcharum et prophetarum, ipsum nihilominus peperit ex utero, id est, ex profunda substantia sua genuit Deus Pater, ante omnia sæcula sæculorum. Adeo non Deus recens est, hic Deus noster (*Psal. LXXX.*) (In *Isa.*, lib. II, c. 31.)

**IX. — De beatitudine Virginis Mariæ, et cur anterior Ecclesia Dei Patris, posterior Filii Dei sponsa recte intelligi ac dici debeat.**

Igitur, ut jam dicere cœperamus, beata Virgo Maria sponsa Dei Patris erat, et causam pro qua gentis illius Ecclesiam ille suam in Scripturis conjugem dicebat, in ea perficeret, id est Verbum suum quod modo jam dicto per corda et ora prophetarum vocale fecerat, per hujus beatæ Virginis uterum carnem fieri ante omnia saecula proposuerat. Hoc facto, futurum erat ut ipsum Verbum caro factum (*Joan.* 1), ipse Deus Dei Filius, homo factus, sponsus vocaretur et esset, atque ad suscipiendas conscriptiones conjugii ejus, omnis Ecclesia, non relieto Patre (quem solum prius virum suum vocare consueverat), conveniret. Sic autem beata Virgo, prioris Ecclesiæ pars optima, Dei Patris sponsa esse meruit, ut exemplar quoque fuerit junioris Ecclesiæ sponsæ Filii Dei, filii sui. Spiritus enim sanctus qui in utero vel de utero ejus incarnationem operatus est unigeniti Filii Dei, ipse de utero vel per uterum Ecclesiæ, per vivificum lavacrum gratiae suæ multorum operatus erat regenerationem filiorum Dei. Unde nobis suo loco plenius dicendum erit. Nec vero ab re ita distinguimus, ut præcedentem Ecclesiam Patris sequentis Filii sponsam esse dixerimus. Nam quem virum non cognoverat, ejus conjux Synagoga dici vel esse non poterat. Constat autem quia Dei Filius illius temporis Ecclesia non cognoscebat; nam excepto quod paucissimis per prophetiæ Spiritum revelabatur, de cætero Deus absconditus erat. Ergo quia in publico conventu, in solemni religionis illius cultu non apparebat, neque adhuc rex Deus huic Filio suo nuptias fecerat, nondum actu Dei Filius sponsus aut maritus erat. Pater autem Deus quem solum et eumdem vix Synagoga noverat, vir ejus erat, et ut pro viro legitimo haberetur vehementi zelo exigit. Verbi gratia : *Saltem, inquit, amodo voca me : Vir meus, dux virginitatis meæ tu es* (*Jer. iii*). Et multa his similia. Igitur iste vir erat. Tota autem talis viri utilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodo *ubi venit plenitudo temporis* in jam dictam Virginem se contulerit (*Gal. iv*), ipsa quæ experta est melius novit, nos autem audivimus tantum verba æternæ mandata memoriae, verba Gabrielis archangeli dicentis :

*Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nasceret ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc. i*). Verba, inquam, haec nos audivimus tantum, illa autem et prior auditavit, et auditu credens, continuo quod audierat experiri meruit. Ubi enim bene credula mentem suam et os suum aperuit, ut diceret : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*), mox juxta dictum angeli hic Spiritus sanctus superveniens in eam per apertas fidei januas sese infudit. Quo autem sese infudit? Nimirum prius in sacrarium pudici pectoris, deinde in templum sacri et incorrupti uteri; in domum pectoris, ut prophetissam faceret; in ute-

rum, ut matrem faceret. Nam hæc est prophetissa, de qua gratulabundus loquitur propheta sanctus Isaías : *Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium* (*Isa. viii*). Num autem istum solum ad hanc prophetissam accessisse putamus, aut quomodo accedere potuerit miramur? Imo sanctos omnes prophetas, primumque Moysen ad hanc prophetissam accessisse non dubitamus. Omnes omnino ad illam convenerunt, omnium enim et singulorum divisivæ gratiæ, et particulares prophetiæ, in istam prophetissam simul convenerunt, simul Spiritu sancto superveniente concurrerunt. Et beatum se Isaías, imo beatos se omnes prophetæ sancti non immerito crediderunt, quod hoc modo ad istam prophetissam accessuros se esse neverunt, quod ad istud Deitemplum, ad istud Spiritus sancti sacrarium quidpiam Verbi boni sese asserre cognoverunt. Neque enim hæc beata Virgo particularem ut singuli illorum verbi gratiam, sed universam isto Spiritu sancto superveniente suscepit ex eo Verbi Dei substantiam, et prophetissa singularis facta est, plenam Spiritus sancti gratiam suscipiens, totum Dei Verbum, Deum verum prius mente quam ventre suscipiens. Hoc digne nuntius ille perpendens, talem tamque inauditam cunctis saeculis præmiserat salutationem : *Ave, gratia plena ; Dominus tecum ; benedicta tu in mulieribus* (*Luc. 1*). Ad exponendam ejus gratiæ magnitudinem parum fuerat dixisse : *Spiritus sanctus superveniet in te, nisi addidisset, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Miro videlicet atque ineffabili modo, ut fortitudinem sustinere posset conceptus sui, virtus Altissimi obumbravit ei; virtus, inquam, Altissimi, id est idem ipse Spiritus sanctus, Spiritus amoris, obumbravit ei. Quid enim puella fragilis, non modo sexu, sed et conditione mortalitatis suscepit aut concepit, nisi validum Verbum Deum, validam substantiam Verbi, de optima substantia Patris Dei, quem tremunt angeli? Etenim vel aspectum ejus nulla valet ferre creatura, nisi hoc Spiritu amoris præventa sit, testante Scriptura cum dicit : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal. xlviij*). Hæc autem Virgo non utcunque aspectui ejus præsentabatur, sed de secretis paternis totum se inserebat illi Verbum Dei, Verbum Deus. Opportune igitur obumbravit illi virtus Altissimi; virtus miraculorum potens, semineam substantiam Deo Verbo conciliare valens. (*De Spiritu sancto*, lib. 1, cap. 8 et 9.)

**X. — Prima est Maria in quam Spiritus sanctus venit. — Maria dupliciter Spiritum sanctum accepit. — Maria dicitur cælum. — Mariæ conceptio significatur per rorem jacentem in solitudine.**

« Christi autem generatio sic erat : Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Hic amplius splendet iste liber generationis, et in hoc tota est utilitas libri, omni legenti, vel audiensi credere, quia Christi generatio sic erat, quia de Spiritu san-

eto Maria Virgo priusquam convenienter conceperat. Quam dissimilis generatio hæc generationibus cæteris, generationibus quamvis rectorum ut fuit Abraham? ut fuit Isaac? ut fuit Jacob? ut fuit David? Et quidem fuerit aliqua similitudo generationis, quia patres isti omnes steriles habuere conjuges, unde et qui generati sunt, in plerisque factis suis typum gesserunt hujus Iesu Christi qui vere natus est de utero sterili. Quid enim tam sterile, quam virginitas? Septem matres fuisse steriles, sacra Scriptura memorat: Saram, et Rebeccam, Rachel (*Gen. xviii, xxv, xxx*), et eam quæ peperit Samson (*Judic. xiii*), Annam matrem Samuelis (*I Reg. i*), Bethsabe, quæ fuit mater Salomonis, uxor Uriæ Aethæi (*II Reg. xi*), et Elizabeth quæ peperit præcursorum Domini (*Luc. i*). Qui ex istis nati fuerunt, magni fuerunt, et in plerisque, ut jam dictum est, factis suis admirabiles quasdam similitudines Domini prætulerunt de virginitate nascituri, quæ naturaliter sterilis est, et nou parit, videlicet Isaac et Jacob, Joseph et Samson, Samuel et Salomon. Joanne, qui septimus exstitit, major inter natos mulierum non surrexit (*Matth. xi*), quique ipsum Dominum non tam factis suis, ut cæteri, significavit, quam dígito demonstravit. Octava sterilis, id est virginitas, de cognata sua sterili Elizabeth proximum accepit testimonium, « quia non erit, » inquit angelus, « impossibile apud Deum omne verbum (*Joan. i; Luc. i*). » Fuerit itaque aliqua, ut dictum est, similitudo in illis, verum tamen rationabiliter hic evangelista dicat: « Christi autem generatio sic erat. » Quod est dicere: Cujusque cæterorum generatio sic fuit, ut nullus eorum generaretur aliter, nisi convenientibus viro et muliere, sicut naturæ usus est; Christi autem generatio sic erat, ut antequam vir et mulier convenient, inveniretur mulier in utero habens. Hoc est illud mirabile, et inauditum, quod Jeremias prævidens: « Et faciet, inquit, Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum (*Jer. xiii*). » Perspecto hucusque hoc libro generationis Jesu Christi, magnum et evidens ostium apertum est, ad contemplandas per ordinem facies quatuor unius animalis, quod videram, inquit Ezechiel, juxta flumen Chobar (*Ezech. i*), ita videlicet, ut contemplatio hæc summa sit nostri propositi, quod insinuat titulus præfixus huic operi, de gloria et honore filii hominis. Nam idem Ezechiel cum dixisset: « Et gloria Dei Israel erat super eam, » videlicet portam domus Domini orientalis, protinus significans quam diceret gloriam Domini, « ipsum est, ait, animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar, quatuor vultus uni (*ibid.*), » etc. Jam ex hoc capitulo facies hominis, qualis, quam pulchra, quam gloriosa sit, debet animadverti, cum evangelista dicit: « Cum esset sponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenient, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Et hoc, inquam, capitulo, et deinceps usque ad passionis ejus seriem quæ, ut superius jam dictum est, facies est vituli, considerare libet

pulchritudinem faciei hujus, faciei hominis, quantum se ipse ostendere dignabitur: cui corde et ore clamamus: « Ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Psal. lxxix*). » Quanta est hæc faciei hujus hominis pulchritudo, quod inventa est mater ejus in utero habens de Spiritu sancto. Magnus hic honor generis humani, quod homo nostræ naturæ, nostræ conditionis, passibilis atque mortalis, incarnatus, vel conceptus est de Spiritu sancto, id est non de semine virili, sed de virtute, et operatione sancti Spiritus. Recte ergo facies ista, tantæ pulchritudinis conscientia, dicit in Canticis canticorum: « Ego flos campi, et lily convallium (*Cant. ii*), » id est honor humani generis, et decus parentum humilium. Tantam pulchritudinem, tantæ claritatis margaritam, jam tunc oculis invidis, propalar non expedibat. Ibi enim erat, qui dicere habebat: « Nolite mittere margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas, et conversi elidant vos (*Matth. vii*). » Etenim, ut de ceteris interim taceam, qualis tunc erat porcus Herodes? Quales erant porci omnes ejus funesti satellites? Nonne ergo fuisset hoc margaritam valde splendidam ante porcos mittere, Virginem prægnantem sive parientem de semetipsa prædicare, unde haberet in utero, scilicet de Spiritu sancto? Fieret enim inquisitio unde concepisset, vel a quo imprægnata esset, si virum non habens peperisset. Igitur laudi deputandum est ejus, de quo in utero habebat, scilicet Spiritus sancti spiritus consilii, quod mater ejus despontata erat, quia vere secundum hoc ipsum nomen vel præconium quod dicitur, et est spiritus consilii, dignum se fecit, digne providit, ut illa despontaretur, et per hanc occasionem ab omni quæstione liberaretur. Sponsus vel nomen sponsi cœlestibus nuptiis secretum fecit: januas cubiculi clausas custodivit: ita ut non foris omnino pateret transeuntibus lux claritatis, quæ intus erat, nisi quantum per subtiles radios exprimit, sive fenestræ obliquis significari non postulabat. Idcirco erat despontata, idcirco illam sponsum habere Spiritui sancto complacuerat, et quomodo falsus fuit Saul, cum ungeretur rex David, ita falleretur Herodes sive habitans in Herode diabolus, in hoc sacramento regis, et Domini, filii Dei, filii David, incarnati sive nascentis ex utero Virginis. Qualiter falsus fuit Saul cum ungeretur David? Cum diceret Samuel: « Quomodo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. — Vitulum, ait Dominus, de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni (*I Reg. xvi*). » Nimurum juxta hanc similitudinem Spiritus Domini, spiritus consilii ita ordinaverat, ac si diceret in secretis suis: Virum unum de populo accipiat Virgo hæc, et sit ei despontata, ut dum conceperit, et pepererit, dicat, quia virum duxi, quia nuptias celebravi, atque ita sicut Samuelem tunc liberavit immolatio vituli, quasi ob causam nullam aliam venisset in Bethleem, ita Virginem hanc ab omni quæstione liberet existimatio carnalis commercii, quasi nihil aliud in ea

natum sit, quam quod solet in conjugio vel de conjugio nasci, verumtamen hoc prius Joseph nescivit, sed post angelo in somnis evangelizante didicit. « Joseph, inquit, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. » Timebat enim eam accipere, nolebat eam traducere, sed volebat occulte dimittere. « Haec ille cogitabat cum esset justus, » ait evangelista. Et revera hoc erat justi hominis, nec tantum justi, verum etiam pii, quod hinc timebat consentire peccatis alienis, et inde abhorrebat ut permisso vcl severitate legis, dicentis : « Quod si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur, quoniam nefas fecit in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferas malum de medio tui (*Deut. xxii*). » Neutrum horum facere, scilicet neque traducere, neque in iudicium voluit producere. Hoc unum praelegit, hoc maluit, videlicet occulte dimittere eam, quod ad perfectam pertinet justitiam. Hic percontari libet : Quare timorem ejusmodi Deus illi evenire permisit? Quare non praevenit? Quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quae ei desponsata erat? Videlicet ut tentaretur, et manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus de ipso, quod esset justus, et talis, qui digne sic deberet appellari, Joseph fili David. Sic etenim idem pater ejus David maluit exulare, quam uti permisso legis dicentis : « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit. xix; Matth. v*). » Tradiderat Dominus in manu ejus Saul oidentem, et persequentem. « Et nunc, ait Abisai, perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. » Ait ille : « Vivit Dominus, quia nisi Dominus percuesserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in praedium descendens pericerit, propitius mihi sit Deus, ne extendam manum meam in christum Domini : Et post haec surrexit David, et abiit ad Achis regem Geth, et habitavit cum Achis in Geth (*I Reg. xxvi, xxvii*). » Quomodo iste justus Joseph occulte dimittere eam voluit, quam habebat desponsatam, nisi proficisceretur in regionem aliquam, sicut fecit ille David, et sicut propter adversos casus fecerunt plerique alii? Amplius autem ex eo filius David tam insigniter, tali in re, tali in tempore, dignus fuit appellari, dicente angelo, « Joseph, fili David (*Matth. i*) : » quia fidem habuit eamdem, quam habuit pater ejus fidelis David : quippe qui prius inaudita credidit, videlicet quod ipsa, quae conceperat, Virgo esset : secundum verba haec ejusdem angelii, « quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est (*ibid.*), » etc. Nam promissionis, sive repromotionis, in qua credendo pater Abraham justificatus, et amicus Dei appellatus est (*Jac. ii*), consummatio est hic sermo angelii, quem in somnis acepit, et statim obedivit Deo, credulus, pueræ benevolus, eatenus vir justus, exinde justissimus. Spir-

tus sanctus maxime ex hoc facto suo nominatur, quia « quod in ea natum est, ait angelus, de Spiritu sancto est. » Ante hac Spiritus Dei, sive Spiritus Domini dicebatur, nec facile in omni serie veteris Instrumenti reperies hoc insigne vocabulum, scilicet Spiritum sanctum praeter quod David : « Et Spiritum sanctum tuum ne auferas, inquit, a me (*Psal. l*). » Nec ipse sic absolute Spiritum sanctum dixit, sed tuum addidit, sicut in cæteris scripturis legalibus, sive propheticis, nusquam absolute Spiritus sanctus, sed relative scribitur, ut jam dictum est, Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Ab hoc loco fere primum sonuit in auribus nostris hoc reverendum et insigne vocabulum, proprium atque absolutum, Spiritus sanctus : ubi angelus et ad Mariam, « Spiritus sanctus, ait, superveniet in te (*Luc. i*), » et ad Joseph, « quod enim in ea natum est, inquit, de Spiritu sancto est (*Matth. i*). » Quam ob causam? nisi quia (quod magna reverentia cogitandum est) maxime ex hoc operc, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod vere sanctus sit. Quærat aliquis : Cum et Pater Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus sit, quam ob causam vocabulum hoc, quod est Spiritus sanctus, proprium ascribitur personæ huic, et sola haec persona sic vocari debuit? Ad haec inquam : Nimirum, quia tota personæ luius operatio, non aliud nisi sanctificatio est. Haec operationum distinctio diligenter animadvertenda est, quia Deus omnne quod factum est, per Filium fecit, et omne quod sanctum est, per Spiritum suum sanctificavit. Quid enim est spiritus ejus, nisi amor ejus? Et quomodo creatura quæcumque rationalis aliter, nisi amando Creatorem, potuit unquam vel potest sanctificari? Igitur quamvis et pater, ut jam dictum est, Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus sit, recte tamen haec sola persona, Spiritus sanctus debuit nuncupari, cuius operatio propria, creaturæ sanctificatio est, sine quo nec angelus sanctus, nec homo sanctus est, quem non habens angelus diabolus est, quem non habens homo, Antichristus vel membrum diaboli est. Hujus sanctificationis summam esse nemo est qui nesciat id quod in beata Maria natum est, imo et principium ejusdem operationis, id est, sanctificationis illa conceptio est. Denique ipsa est prima, in quam iste spiritus illo cum dato supervenit, propter quod et dicitur Spiritus sanctus, quod videlicet datum, remissio est peccatorum. Et quidem ante illam super multos venit hic idem spiritus Domini, sed alio dato, quod est gratiarum divisio. Duo quippe spiritus hujus data sunt: alterum quod est remissio peccatorum, alterum, quod jam dictum est, scilicet diversarum divisio gratiarum, de quo Apostolus : « Alii quidem, inquit, per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae; alteri fides; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum (*I Cor. xi*), »

hujusmodi gratias ante beatam Mariam plures habuerunt, et nonnulli ex his qui habuerunt, non sancti fuerunt, exempli gratia ut Saul et Balaam. Datum aliud, quod est remissio peccatorum, spiritus Domini distulit in Christi adventum; et de hoc est dictum illud: « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan. vii.*). » Datum hoc, beata Maria prima omnium mortalium accepit in ipsa hora conceptionis, dicente angelo: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc. i.*). » Et revera, ut omnino sanctum esset, quod ex ea nascetur, oportebat ipsam sanctificari, id est emundari ab omni peccato, tam actuali quod majus erat, scilicet originali. Nec vero solum hoc tunc accepit. Spiritus datum, quod est remissio peccatorum, verum etiam illud alterum, quod est divisio gratiarum, videlicet ita ut operationem virtutum omnimodam, maximeque fidem et prophetiam, sive omnem haberet propheticam gratiam. Nam ipsa est prophetissa illa, de qua dicebat Isaia: « Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium (*Isa. viii.*). » Præmisserat autem: « Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis: « Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiae (*ibid.*). » Quis erat ille liber grandis, quem ut sumeret, et stylo hominis in eo scriberet, dictum sibi asserit, et adhibitis testibus, « accessi, inquit, ad prophetissam, et concepit, et peperit (*ibid.*).? » Quis, inquam, erat liber ille grandis, nisi universa Scriptura sancta, quanta usque ad tempus illud conscripta fuerat a Mose et prophetis? Hunc librum sumere fuit illi, et in eo scribere stylo hominis, propheticam accipere gratiam, et portionem suam scribere de adventu Christi Filii Dei, taliter ut ab homine posset legi et intelligi. Et quid erat illi hoc facto accedere ad prophetissam, quæ concepit et peperit, nisi ab ista beata Virgine illum cognosci, et sicut cæteras Scripturas, ita et librum Isaiae mente ejus comprehendi, docente illam repentina illuminatione supervenientis in eam Spiritus sancti? Inde gratulatur quod taliter ad hanc prophetissam accesserit, et quod hujus rei testes habeat Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiae, id est, omnes credentes de utroque populo, gentili atque Judaico. Urias namque quod interpretatur *lux mea Deus*, ipse est anterior populus scilicet Judaeus, cui soli quondam notus erat Deus, unde et dicere poterat, « lux mea Deus. » Zacharias vero, quod interpretatur *memor Domini*, ipse est posterior populus videlicet gentilis, qui nunc est memor Domini, quia quod ille populus exspectabat futurum, iste novit ac meminit jam esse factum, scilicet quod hæc prophetissa conceperit et pepererit Filium. Uterque populus hodie testis est illi, quod in illo libro grandi veritatem scripsert. Igitur utrumque spiritus datum simul accepit hæc beata Virgo Maria, pro-

phtarum prophetissa, et hæc est gratia plena, juxta salutationem angeli dicentis: « Ave gratia plena (*Luc. 1.*), » quia videlicet dum suscepit vel concepit Verbum Dei, Verbum Domini, simul accepit utrumque Spiritus Dei datum. Secundo loco, Joannes amicus sponsi, præcursor Domini utroque ejusdem spiritus dato meruit participare ex utero matris suæ, sicut predixerat idem angelus, qui ad beatam Mariam locutus est: « Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ (*ibid.*), » quod videlicet tune mater ejus præsensit, quando exclamans voce magna, et ipsa Spiritu sancto replta: « Ecce cuim, inquit, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo (*ibid.*). » Unde sicut veraciter huic beatæ Virgini dixit angelus, « gratia plena, » ita verissime Domiuus de illo dixit: « Inter natos inulierum major non surrexit (*Math. xi.*). » De plenitudine gratiæ, qua dictum est: « Ave, gratia plena, » primus ille accepit, et eodem Spiritu sanctificati sunt et hæc mater Domini, et ille amicus Domini. Et extunc qui prius dicebatur Spiritus Dei vel Spiritus Domini, Spiritus sanctus coepit altius enuntiari, primum ex ore angeli, et deinde ex omni Evangelio Christi, quod vocabulum venerabilius sonare non dubito omni habenti aures audiendi, licet et hoc nomen, Spiritus Dei, Spiritus Domini, satis et multum venerabile sit. Rationem nominis Spiritus sancti quam diximus, scilicet remissionem peccatorum, ipse angelus protinus evidenter exponit, cum dicit: « Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Quam novum nomen est Spiritus sanctus, tam nova est hæc ratio nominis, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Nusquam enim in lege aut prophetis remissio peccatorum (quod datum est Spiritus sancti præcipuum) verbis enuntiatur tam manifestis. Quam aliam sive meliorem querere debemus novitatem in verbis illis sancti et veri dicentis: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dci mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum (*Apoc. iii.*); » sive in illis apud Ezechielem promissis Domini: « Et dabo cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri (*Ezech. xxxvi.*). » Quæcumque vel quantacunque dicantur ad sanctam novitatem pertinentia, summa omnium est remissio peccatorum, quæ hinc habet initium, ubi dixit angelus: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Nihilominus, et hoc nomen Filius Dei, sive Filius Altissimi, novum est; sicut enim jam de nomine Spiritus sancti dictum est, ita et de isto nomine perpendere vel reminisci non otiosum est, quia non facile quisquam hoc reperiet in veteribus Scripturis legalibus, sive propheticis. Denique sicut qui in lege sive prophetis dicebatur Spiritus Dei sive Spiritus Domini, nunc ex Evangelio prædicatur Spiritus sanctus, ita qui in illis Sci-

pturis dicebatur Verbum Dei sive Verbum Domini, nunc dicitur Filius Dei, ex quo sic angelus prænuntiavit, « ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Itemque « hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. » Erat plane in principio, erat de Patris corde natus hic Filius, hic Deus, sed erat filius occultus, Deus absconditus, dicebatque interdum de futuro tale quid : « Dominus dixit ad me filius meus es tu, postula a me (*Psalm. ii.*) », et cætera, sed vulgo non audiebatur, palam non loquebatur, neque cognoscebatur. Et idecirco confessio nominis ejus, non eo jure quo nunc exigitur, ab hominibus exigebatur. Ex quo is, qui erat ex Deo genitus, factus est nostræ naturæ filius, ex eo tam hujus filii quam ejus, de quo conceptus est, Spiritus sancti, a nobis confessio jure exigitur, sicut et Patris, cuius et hic filius, et iste est Spiritus sanctus, ut non dicamus tantum, sicut prius, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, sed quod clarius est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, « in quo vivimus, movemur et sumus (*Act. xvii.*) ». Solemne est, et illud hic perpendere, cum dicit : « Pariet autem Filium, » quia beata Maria cœlum illud est, de quo fuerat præscriptum : « Et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum (*Psalm. lxxvii.*) ». Si enim eujuslibet justi anima cœlum est, quanto magis hæc singularis Dei habitatio vel sedes? Quot autem vel quæ sunt januæ hujus cœli, quas Dominus aperuit? Duæ, altera mentis, altera ventris. Januam mentis Deus aperuit, quia beata hæc creditit quæ dicta sunt ei : Januam ventris aperuit, quia sine viro virgo concepit, virgo peperit et post partum virgo permansit. Quis enim alias, nisi Deus januam ventris sic aperiret, ut et pareret, et virgo permaneret? Hinc est illud apud prophetam Ezechielem : « Et convertit me ad viam portæ sanctuarri exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingredietur per eam, eritque clausa principi; princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur (*Ezech. xliv.*) ». Notum est ecclesiasticæ fidei celebre, et usitatum est in laudibus Christi, et sanctorum Patrum scriptis, quia hæc porta clausa mater est incorrupta, clausa principi, id est, ad honorem principis Jesu Christi, qui videlicet princeps in ea sedet, quippe qui a die conceptionis, in sacri ventris hospitio novem mensibus habitavit et per viam vestibuli, id est, per auditum fidei ingressus, ita per viam ejus egressus est Deus et homo, unus idemque Dominus Deus Israel, ut per eam vir non transiret, id est, neque in concipiendo sese inscreveret, neque nascituro viam aperiret. Sed ad prioris prophetæ capitulum revertamur. « Januas cœli aperuit et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo (*Psalm. lxxvii.*) ». Judæi putaverunt Psalm-

mistam hoc dixisse de manna ille transitorio, quod patres eorum manducaverunt in deserto (*Exodus. xvi.*). Cum enim curiose agentes, et otiose vivere volentes, dixissent : « Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, » continuo subjunxerunt, « sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare (*Joanna. vi.*) ». Verum ita putando vel sentiendo multum errabant, si tali cibo vivere existimabant etiam angelos, quoniam continuo sequitur : « Panem angelorum manducavit homo. » « Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*ibid.*) ». Et sensus est : Panem illum, de quo scriptum est illud, quod mihi objicitis : « Panem de cœlo dedit eis manducare, » non præterito tempore datum est, nec Moses dedit, sed præsenti tempore « Pater meus dat vobis. » Etenim « ego sum panis vivus et verus, qui de cœlo descendit (*ibid.*) », et de isto tempore dixit spiritus in David, « panem angelorum manducavit homo, » quamvis verbo sit usus præteriti temporis, dicendo, « manducavit, » sicut mos est frequens prophetis futura nuntiare verbis præteriti temporis. Igitur quando factum est, quod dixit angelus, « paret autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum, » tunc « januas cœli Dominus aperuit, et pluit nobis manna ad manducandum, panem cœli, panem angelorum. » Secundum similitudinem illius facti, quod ita scriptum est : « Mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum (*Exodus. xvi.*) », appellavitque, ait Scriptura, domus Israel nomen ejus Man, secundum similitudinem, inquam, illius signi factum est hic. Spiritus sanctus supervenit in beatam Virginem, qui in sanctis Scripturis per rorem solet significari. Et hoc fuit utique rorem jacere in solitudine, visceribus infundi Virginis solitariae, nullique viro perviæ. Ille uterum virginineum cœlitus irroravit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorrupte carnis. In quo mira et magna distantia est, ab omni conceptu universæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecus accedens, sed Spiritus sanctus intus operans, excitavit. Tunc in eadem solitudine apparere minutum, hoc fuit adesse in eodem secreto verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humoris miscuit tanquam coagulum, unde « sicut filii Israel dixerunt ad invicem : Manhu? (*ibid.*) ». Ita nos et multo magis nos dicamus « quid est hoc? (*ibid.*) ». Dicamus etiam propter hoc : « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui (*Lucas. 1.*) », quia videlicet mulier omnis concipiens de amore viri concipit, tu sola de amore Dei, id est, de Spiritu sancto concepisti. Hoc appellamus nos domus Israel Man, gustusque ejus nobis quasi similæ cum melle, quo epulamur quotidie, tam auditu cœlestis doctrinæ, quam perceptione sacræ eucharistiae. Hoc autem totum factum est, ut adimple-

retur, quod dictum per prophetam dicentem : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel (*Isa. vii*), quod est iuterpretatum *nobiscum Deus*. » Dictum hoc propheticum, quis non audivit, quis non intellexit? Ubieunque prædicatum est Evangelium libri hujus generationis Jesu Christi, prædicatum est etiam hoc insigne præconium, recitatumque competens hoc testimonium veritatis, notunque factum est, et in usu habitum parvulis quoque Ecclesiae Catholice filiis. Noli autem, o lector sive auditor præsentis Evangelii, noli hoc tantillum respicere quod calamus hic expressit, de propheta grandi, de vate magno et nobili : « Ecce virgo in utero habebit, sive concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, » licet hoc tantillum de illo scriperit. Non scripti quantitatem, sed sribentis perpende intentionem, et scito, quia dum tantillum scribit, ad legendum, ea quæ sequuntur te mittit. Quasi jauam pulchre domus aperuit, et adnotata lucerna, quod sit intus, familiariter significavit. Quid enim intus est? quid vides? Trinam vocatiem sive vocabuli positionem vides hujus Filii, de quo dictum est hic per angelum, « pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum. » Primo, illic dictum est : « Et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isa. vii*). » Secundo, ibidem dictum est : « Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædari (*Isa. viii*). » Tertio, itidem dictum est : « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*Isa. ix*). » Igitur vere divinus et Spiritu sancto evangelista illuminatus incem introrsus in propheticam veritatem brevi quidem dicto injecit, sed latam et longam domum ejusdem propheticæ veritatis illustravit. Cum multa scripta sint in lege, et prophetis, et psalmis de pueru hoc, quod et ipse sciens, « Quoniam oportet, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me (*Luc. xxiv*), » sciendum quod apud nullum prophetarum, in nullo psalmodorum, nusquam in tota lege, ita ut hic apud Isaiam, designatur ex nomine. Unde animadvertisendum quia sanctus evangelista non segniter elegit, qui hoc testimonium propheticum præ ceteris in causa præsenti assumere maluit. De nomine Emmanuel, quoniam hoc interpretatur: *nobiscum Deus*, quam interpretationem apponere non superflue curavit, idem sentimus quod de illo dicto alterius evangeliste, « et Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan. i*), » hoc tale vocabulum et hic sensus pulchre nobis aperit, quid mysterii contineat illud, quod ubi, sicut supra meminimus, « appellavit dominus Israel nomen » cibi sive panis, quem Dominus dedit, man, quod erat quasi semen coriandri album, « ita subjunctum est, « gustusque ejus quasi simila cum melie (*Exod. xvi*). » Quid enim est juxta mysterium supra dictum simila cum melie, nisi caro hujus Emmanuel cum Divinitate? Qualis

est gustus, ubi talis Emmanuel videtur? Etenim visio ejus, et sanctorum angelorum et omnium beatorum spirituum sive hominum vitalis est cibus, et immortalis indecens gustus, quod nos et si credimus, et uteunque scimus, tamen impossibile est scire sicut est, donec videndo manducemus, atque ita manducando experiamur, quia vere est simila cum melle, id est vera et munida est humanitas cum dulci et suavi Divinitate. Et vide hujus et cæterorum nominum quam pulcher et quam rationabilis ordo sit, quem dudum in alio quodam opere ita breviter me adnotasse memini. Primum, Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, pro causa videlicet quæ prima est in ordine, quia habitavit in nobis Deus homo factus (*Joan. i*). Secundum, Accelera spolia detrahere, Festina prædari, ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, et spolia distribuit (*Luc. xi*). Tertium, Admirabilis videlicet, quia surrexit a mortuis et ascendens in cœlum, gloria et honore coronatus, sedet a dextris Dei (*Psal. cxviii*; *Matth. xxvii*; *Act. 1, ii*). Quartum, Consiliarius, ex eo scilicet quod dans Paracletum sanctum apostolis suis, consilium habuit cum eodem Spiritu consilio de repellendis Judæis, et vocandis gentibus (*Marc. xiii*; *Act. 11, xiii*). Quintum, Deus, quia exinde omni mundo vere adoratur ut Deus. Sextum, Fortis, quia vere fortis in judicio, quo exspectatur, apparebit. Septimum, Pater futuri sæculi, quia nimirum peracto judicio non jam ut Dominum servorum, sed ut pater filiorum regnabit. Octavum, Princeps pacis, quia revera laudabitur in æternum, et grates habebit ut auctor pacis, quia Deo sumus reconciliati per mortem ejus, qui eramus inimici (*Rom. v*; *Ephes. ii*). « Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit angelus Domini, et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum et vocabit nomen ejus Jesum. » — « Pluet super peccatores laqueos, » ait Spiritus sanctus in Psalmo, statimque subjungit, « ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal. x*). Et est sensus: Dominus, cuius palpebrae interrogant, id est probat, filios hominum (*ibid.*), taliter suam condidit Scripturam, per quam illaqueantur peccatores, qui diligendo iniquitatem oderunt animam suam, quorum curiositas velut ignis, quorum expositio, qua Scripturas perverse exponunt, veluti sulphur, quorum verbositas in disputando, velut spiritus est procellarum, et ista omnia sunt in præsenti pars calicis eorum, alia vero pars reservatur eis in futurum. Ex his fuit impurus Elvidius, cuius adversus blasphemias virginitatem beatæ Mariæ insigni epistola defendit vir illustris B. Hieronymus. Illum, quoniam erat peccator, et iniquitatem diligebat, hoc dictum evangeliste, « et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, » sic illaqueavit, ut diceret: Donec sive usque, adverbium, certum tempus significat, quo completo, fiat id, quod usque ad illud temporis quod præscriptum est non fiebat, ve-

luit in praesenti, et non cognoscebat eam donec perperit filium. Apparet ergo, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filii tantum generatio deferebat. Deinde natus est approbare primogenitum non posse dici, nisi eum qui habeat et fratres, sicut unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus est filius, et illos qui in Evangelio memorantur fratres Domini (*Matth. xii*), genitos fuisse ex matre Domini et Joseph, post generationem Jesu Christi, procaci et haeretica lingua contendit. Monstrum illud, scilicet Elvidium, totus orbis exsecretur, sicut exsecuratus est atque sufficienter confutavit jam dictus vir catholicus atque orthodoxus, dicens inter cetera : Tu dicas Mariam Virginem non mansisse ? ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur, Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos fuit potius quam maritus, relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Igitur natus est Christus, et in nativitate ejus fidelis, et verax comprobatus est ipse qui promisit Deus. Gratulamus omnes dicentes cum Psalmista : Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal. cxlii*). Item : Qui rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide (*Psal. xxxii*). — Quotquot enim promissiones Dei sunt, ait Apostolus, in illo est. Ideo et per ipsum dicimus : Amen Deo ad gloriam vestram (*II Cor. i*). Vere ad gloriam vestram quodammodo superatus est Deus licet fortior, et vicit volentem vincit fortis collectator noster per fidem pater Jacob. Quod dicimus ita scriptum est : Cumque mature surrexisset Jacob, et transductis omnibus remansisset solus, ecce vir luctabatur cum eo usque mane, qui cum videret quod eum sperare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ille : Si contra Deum, inquit, fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? Et benedixit ei in eodem loco. Dixitque Jacob : Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen. xxxii*). Juxta magnum et mirum illud presagium factum est, nascente Jesu Christo, et victor inventus est homo, sive genus Jacob, promissum exigens a Deo, et quasi jure superatus est Deus, promissi sui debitor. Num prava fuit aut ignota est collectatio ? Nonne saltem ex eo cognosci potest quod ait ad Moysen : Cerno quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos ? (*Exod. xxiii*). Ibi namque fortis fuit et invaluit Moyses eodem modo, quo pater ejus Jacob loco vel tempore jam dicto, de quo et in Osea taliter scriptum est : In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est, flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobis-

scum (*Ose. xii*). Hinc manifestum est qualis lucta illa fuerit, quia flevit et rogavit cum. Secundum illud presagium futurum erat et factum est, ut iratus Deus, quia saepe fuit offensus, et iratus multis eorum adinventionibus, minaretur, quod recederet, imo et genus Jacob disperderet atque deleret, et nunquam defuerunt in populo illo homines, quamvis pauci, in quibus esset fortitudo, id est fides Jacob, luctans et invalescens ad fortitudinem Dei, et quodammodo dicens, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Talium quisque flevit et rogavit eum, et hoc fuit invalescere, et fortem esse contra Deum. Hic ille Moyses, de quo jam exemplum prælibatum est, fortiter luctabatur stans in confractione, id est in nimia mentis humiliatione in conspectu ejus, cum dicente illo : Dimitte me ! ipse orabat Dominum Deum suum dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum ? Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum (*Exod. xxxii*), etc. Sic multoties idem Moyses flevit et rogavit eum, sic David flevit et rogavit eum, sic et alii plures fleverunt et rogarunt eum, quorum fletum et rogatum per ordinem narrare nimis longum est. Quid mula ? Contra Deum fortis fuit Jacob nec dimisit eum nisi benediceret, et benedixit ei in eodem loco. Et itidem contra Deum sive contra iram Dei fortis fuit progenies ejusdem Jacob, nec dimisit eum, nisi daret Christum suum, qui est omnium gentium benedictio. Tunc tetigit nervum femoris Jacob, ubi benedixit eum et statim emarcuit. Quid est hoc, nisi quia sic rationabiliter futurum erat, ut postquam promissio completeretur, postquam hic Jesus Christus nascetur, jam exunc omnis apud Deum genealogiarum vetus diligentia pro nihilo, imo et pro stultitia vel fabulis haberetur ? Sciendum quippe, quod omnis tam diligenter facta in lege tribuum ac familiarium sive generationum, domorum atque cognationum distinctio, verbi gratia, quod dictum est (*Num. xxxvi*) de filiis Juda per generationes et familias, ac domos, et cognationes suas, tot erant millia, maxime illud, quod jussum est, ut unusquisque de tribu ac familia sua duceret uxorem, in unum et solum omnino Christum tendebat, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum, ut dum veniret, dum nascetur, non incertum sciri posset, aut dici ad gloriam et ad laudem justi et fidelis Dei ; quia sicut promisit et juravit, sic et fecit benedictione, qua benedicentur omnes gentes mittendo de semine Abrahæ, de tribu Juda, de stirpe seu de domo ac familia David. Postquam ergo venit, postquam natus est, quæ cura de illo femore, de illa tribuum, generationum, familiarium, domorum, atque cognationum divisione, seu suppuratione ? Imo pro extrema stultitia totum illud reputandum est : Stultas, inquit Apostolus, quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita, sunt enim inutiles et vanæ (*Tit. iii*). Igitur omnium genealogiarum finis iste sit, quod idem Apostolus

aut : « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom. 1*). » Quod si ex semine David, ergo et ex tribu Juda, ut confirmetur veritas Dei, dicentes per os patriarchæ Jacob : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen. XLIX*). » Quod si ex tribu Juda, ergo ex semine Abrahæ, ad quem primum dictum est : « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen. XXII*). » Jam de cætero femur Jacob marcidum fit, sicut vere est. Nam revera emarcuit, ita ut jam neque rex, neque dux, neque propheta, neque sacerdos possit inde sperari, et omnino vigor, sive viror ejusmodi sic defecit in illo, ut sic infidelis, imo et infideli deterior, qui spem habet in carne ejusdem populi, recepturus Antichristum sub nomine Christi. (*Comm. in Matth., lib. I.*)

XI.—*Mariæ fides eximia.*— Verbum in mentem et in uterum Virgo, angelo nuntiante, concepit.

Est locus, et fuit tempus, de quo veraciter dicas, non solum ita confidit in ea vir suus, verum quod vehementius sonat et profundius penetrat intima mentis, « confidit in ea cor viri sui. » Ubinam hoc invenis? Profecto in anima sanctæ Mariæ Virginis. Ibi fides experta est, quod de semetipsa hic audivit, « confidit in ea cor viri sui; » etenim ibi vir suus ei cor suum aperuit. Quali apertione? Plane magna et ineffabilis, ut faceret in ea cor viri hujus illud, quod prædixerat per os David : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal. XLIV*). » Ita cor suum illi aperuit, ut ipsam substantiam Verbi æterni in corde suo concepti, de corde suo ante sæcula geniti mitteret in mentem et in uterum Virginis valde fidelis, quæ per ipsam fidem, de qua nunc sermo est, tanta divina mysteria, angelo narrante, concepit. Deum enim castis visceribus suscepit, et benedicta in æternum nobis et hominem (*add. genuit*). O igitur sancta fides, quam verus de te sermo hic: Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. » Quibus vel qualibus spoliis, nisi eloquiis Domini, eloquiis viri sui? Sic enim per os David ipsa dicebat : « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (*Psal. CXVIII*). » Ergo « spoliis non indigebit, » id est, sua eloquia vir tam familiaris intelligibilia facit cognitæ sibi fidei, certus de eo quod protinus sequitur : « Reddet ei bonum, et non malum omnibus diebus vitaे suæ (*Prov. XXXI*). » Non est enim hæc sicut illa superius infamata « mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens (*Prov. IX*); » mulier, inquam, non foris, imo contraria forti mulieri huic. Est enim impia hæresis, et ipsa reddidit, sicut Judaica persidia sive synagoga Satanæ (*Apoc. II*), malum et non bonum, omnibus diebus vitaе suæ; semper enim veritati resistit dura cervice. (*De glorificat. Trinit. lib. VII, cap. 6.*)

XII.—*Quomodo Maria fuit mater Joannis.*— Mater quoque Maria omnium Christi discipulorum.

« Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. » Stabat, inquit, mater juxta Filii crucem, sine dubio dolens, et dolores tanquam parturientis habens. Cruce namque ejus nimium ipsa cruciabatur, sicut ei prædictis Simeon : « Et tuam ipsius, inquit, animam pertransibit gladius (*Luc. XI*). » « Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Ad discipulum autem : Ecce mater tua. » Quo jure discipulus, quem diligebat Jesus matris Domini Filius, vel ipsa mater ejus est? Eo videlicet, quia salutis omnium causam et tunc sine dolore peperit, quando Deum hominem factum de carne sua genuit; et nunc magno dolore parturiebat, quando, ut prædictum est, juxta crucem ejus stabat. Si enim apostolos suos in illa hora sue passionis Dominus mulieri parturienti recte comparavit, dicens : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, et vos igitur nunc tristitiam habebitis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum (*Joan. XVI*). » Quanto magis mulierem hanc, stantem juxta crucem suam, mulieri parturienti, talem matrem talis filius recte similem duxit. Quid autem dico similem, cum vere sit mulier, et vere mater, et veros habeat in illa hora partus sui dolores? Non enim habuit hæc mulier hauc pœnam, ut in dolore pareret sicut cætere matres, quando infans sibi natus est; sed nunc dolet, cruciatur, et tristitiam habet, quia venit hora ejus, illa videlicet hora propter quam de Spiritu sancto concepit, propter quam gravida facta, propter quam completi sunt dies ut pareret, propter quam omnino de utero ejus Deus homo factus est. Cum autem hæc hora præterierit, cum totus iste gladius parturientem ejus animam pertransierit, « jam non erit memor pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo in mundum, » quia declaratus erit novus homo, qui totum renovet genus humanum, totiusque mundi sempiternum oblineat imperium; natus, inquam, id est, immortalis atque impassibilis factus, et angustias vitæ hujus in æternæ patriæ amplitudine supergressus mortuorum primogenitus. Próinde quia vere ibi dolores ut parturientis (*Psal. XLVII*), in passione unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo, justissime curam suæ matris habebat : « Mulier, ecce filius tuus. » Itemque ad eundem discipulum : « Ecce mater tua, » recte et de alio quolibet discipulorum, si præsens adisset, dici potuisset: Nisi quia licet omnium, ut dictum est, mater sit; pulchrius tamen huic ut virgo virginis commendari debuit, præsertim cum huic discipulo talis gratia reposita esset, ut Verbum ipsum, quod illa mater carnem factum pepererat, ipse quantum mortali homini

possibile fuit, imo plus quam alius quis mortalium omnium potuit, evangelico stylo describeret. « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. » In sua videlicet non prædia, quæ nulla habebat vel habiturus erat (quippe de illis unus, qui Dominum secuti reliquerant omnia (*Matth. xix.*), sed sic in sua dictum est, ut in illa quoque communione rerum qua dividetur singulis, prout cuique opus erat (*Act. ii, iv.*), ad hujus curam, quidquid illi esset necessarium pertinebat. (*Comm. in Joann. lib. xiii.*)

XIII. — *B. Mariae fuit tempus tacendi et tempus loquendi. — Apostolis multa de Christo B. Mariae enarravit.*

« Quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth. xx.*). » Quid porro ipsa mater? Numquid non saltem ipsa loquebatur, aut loqui poterat? Imo ipsam valde illud decebat, quod alius evangelista semel et secundo memorat dicens: « Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo (*Luc. iv.*). » — « Tempus tacendi, ait Salomon, et tempus loquendi (*Eccle. iii.*). » Discretionem ejusmodi virgo sapiens et prudens non ignoravit. Inde collaudans eam sponsus, quod utique fuit illi Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, cui concepit et peperit, dicit in Canticis: « Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus (*Cant. iv.*). » Denique hoc quidem sponsus Christus Dei Filius, convenienter dicit sponsæ suæ Ecclesiæ, sed hoc ipsum non minus congrue dicat persona Dei Patris, dilectæ sibi beatæ Mariæ, statim subiungens: « Emissiones tuæ, paradiſus maiorum punicorum, cum pomorum fructibus (*ibid.*). » Etiam hoc præmiserat: « Favus distillans labia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua (*ibid.*). » Quandiu Filius hominis manere debuit minoratus paulo minus ab angelis, sere tandiu fuit beatæ Virgini tempus tacendi, et tandiu tacuit, tandiu in silentio fuit, velut « hortus conclusus. » — « Hortus, inquam, conclusus, fons signatus, » quo accedere, cujus secretum audire nullus meretur nisi cognitus, nullus cui talis hortus talisque fons clausuram vel signaculum oris sui aperire indignum arbitraretur, ubi autem gloria et honore coronatus est Filius hominis resurgendo, et in coelum ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem beatæ Virginis fuit tempus loquendi, et hoc amicis, id est sanctis apostolis et talia loquendi, qualia prius portare non potuissent, quod sciens: ipse Filius hominis, dixerat quodam loco: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan. xvi.*). » Ubi venit, spiritus veritatis, primus quidem et princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed et ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, et taliter locuta est auri bus fidelibus ut proinde recte dicat dilectus ejus Deus: « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Emissiones tuæ paradiſus maiorum punicorum cum pomorum fructibus, cyprusecum narbo, nardus et crocus, fistula et cinamomum, cum universis lignis Libani, myrrha et aloë cum omnibus prinnis unguentis. Fons hortorum, puteus aqua-

rum viventium, quæ fluunt impetu de Libano (*Cant. iv.*). (*Comm. in Matth.*, lib. ii, c. 2.)

XIV. — *B. Maria templum Domini et sacrarium Spiritus sancti. — Mariae incorrupta virginitas.*

Tertia igitur Dominici adventus hebdomada, quarta feria brunalis temporis jejunium præfixum est; quod propter adventum Domini aliorum temporum jejuniis celebrius est, et officium tam diurnum quam nocturnum magis plenarium habet, ad ipsum Domini pertinens adventum, ut dum caro jejuniis affligitur, anima redemptionis suæ testimoniis, ex lectione sacra vel concentu Ecclesiae, copiosius lætetur. Prima jejuniæ die, scilicet quarta feria statio ad Sanctam Mariam convenienter ordinata est. Ad illud enim templum Domini, ad illud sacrarium Spiritus sancti, in quo totus Deus novem mensibus habitans, dignatus est homo fieri, totum ejus diei officium proprie pertinere manifestum est (*Luc. i.*). Nam ex Evangelio Dominicæ recitatur annuntiatio vel incarnationis, propheticis tubis ante declamata, per angelum præsentialiter allata, per fidem beatæ Virginis suscepta, per incorruptum ejus uterum completa et redditæ. Quæ omnia propheticus clangor in introitu breviter percinens: « Rorate, cœli (*Isa. xlvi.*), » inquit, et cætera. Dicendo « rorate, cœli, desuper, » ministerium angelicæ expressit allocutionis, qua verbum Deus in interiore aurem credulæ Virginis, sicut pluvia in vellus (*Judic. xvi.*), descendit, et per hoc quod ait, « et nubes pluant justum, » se atque cæteros prophetas, qui ut nubes justi, scilicet Christum, et fideles ejus in terra cordis nostri cœlesti doctrina depluunt. « Aperiatur, inquit, terra (*Isa. xlvi.*), » suscipiendo Verbum, et dicendo, « ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc. 1.*), » et germet salvatorem benedicta in æternum, Deum nobis proferens et hominem. Quæ post hæc sequuntur, omnia similiter Evangelico sensui consonant. Epistolaris lectio jejunantium animas dupliceiter reficiens, primo montem illum prædicat, qui secundum consonum Evangelium, sedem suscipiens David patris sui, et de lapide parvo crescens in montem (*Dan. ii.*), et implens orbem terrarum, regnabit in domo Jacob in æternum (*Psal. Lxv.*), cui lectioni pulchre succinit versus subsequens gradualis: *Quis ascendit in montem Domini* (*Psal. xxii.*), etc. Quia videlicet non nisi innocens manibus et mundo corde, et cujus vita concordat cum fide, partem habebit in illa Domini incarnatione. Reliqua officii membra patenter ad eundem Evangelii sensum pertinent, nec ad hoc probandum immorari opus est, quoniam manifestum est. Igitur hac die secundum hujusmodi officium statio ad Sanctam Mariam convenienter ordinata est. (*De div. Offic. lib. iii, cap. 6.*)

XV. — *De humilitate B. M. V.. quod causa illi fuerit rovendæ virginitatis.*

Domina nostra sancta Maria, mirabiliter eruditio ne ejusmodi fuit erudita; fuit enim præ cunctis mortalibus, imo præ omni creatura, tam angelica quam humana, mitis et humilis corde, ut ipsa testa-

tur, magnificans Dominum, et exultans in ipso, atque dicens : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. 1*), brevi quidein, sed valde sonora enuntiatione magnum significavit nobis thesaurum conscientiae suæ. Revera si aures audiendi habemus, percipere uteunque possumus qualis illi causa fuerit, ut virginitatis votum voveret, cuius non habebat exemplum. Nam si dicat quis, quod idcirco virginitatem elegerit, quia nubere filiosque suscipere videbatur ei status vilis, et vita despicibilis; repugnat valde veritas professionis jam dictæ, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. De qua pluribus virginalis propositi personis dubium esse non debet, quod eis idcirco virginitas custodienda complacuerit, quod vilipenderent conjugale sacramentum, quod Deus conjunxit. Existimandum est in nonnullis tantum humilitatis esse, ut licet de ejusmodi dicat Apostolus : *Quibus dignus non erat mundus* (*Hebr. xi*), ipsi vel ipsæ econtra mundo sese indignos vel indignas arbitrentur. Licet enim sint ejusdem propositi, cuius et illi quibus dignus non erat mundus, tamen de sua persona miro modo quisque vel quæque concertat et judicat tacita conscientia, quod indignus vel indigna mundo habeatur. Quid aliud arbitremur de illa beatissima Virgine, quæ dixit et verum dixit, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ?* Fateor, charrissime frater, mihi et necum nonnullis quos cognovi dilectionem et admirationem habere illius B. Virginis, hanc opinionem esse, quod nullum existimat in mundo esse corpus viri, cuius contubernio vel conjugio dignam se posset arbitrari. Ad summum illud constat, quia incomparabilis et post humilitatem Dei maxima fuit, et est illius ancillæ Domini humilitas, in qua requiescere potuit, et non extollit tam admirabilis virginitas. Haec pro causa præsenti non frustra dixerim, quia videlicet expedit his qui vel quæ propositum suscepserunt imitandæ ejus virginitatis, ut primitus imitari studeant exemplum ejusdem vere humilitatis, si cupiunt haereditare fructum ventris ejus, qui est ipse Deus, et Dei Filius, Verbum natum de corde Patris, Verbum incarnatum de utero tantæ Virginis. Neque enim aliter tam perfecte queunt evadere spurcias carnis, per quas amittitur palma virginitatis, nisi sectando humilitatem, quain in illa Dominus respexit, et meditando fidem Verbi, quod in mentem et in uterum illius cor Dei Patris eructavit (*Psal. XLIV*). — (*Liber De lœs. virg. cap. 5.*)

#### XV. — *Maria cœli porta patens et maxima.*

Ipsum nomen, quod dicitur vigilia, nos excitare debet, ut vigilanter advertamus ea, quæ in officio diei hujus congesta sunt. Quæ cum perspexerimus, quibus ex Scripturarum locis conquisita sint, miranda nobis significatio potius quam expressio sese offeret profundæ intentionis, qua compositor officii nostras in meditatione divina mentes occupare per hujusmodi officium intendit. Primum itaque de Introitu dicendum : *Hodie scietis quia veniet Dominus.* Hoc de Exodo parva

mutatione sumptum est. Nam cum dixisset Dominus filiis Israel : « Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, dixerunt Moyses et Aaron ad illos : Vespere scietis quod eduxerit vos Dominus de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam ejus (*Exod. XVI*). » Cum ergo nobis, in exspectatione Dominicæ nativitatis mente vigilantibus, hoc in introitu canitur, quod dictum est, tunc panem de cœlo, id est manna suspicentibus, facile persentit chorus eruditus quid innuat piæ calidus intentionis oculus, id est quo tendat, vel ad quid sensus nostros invitet officii compositor vere sapiens, et scriba doctus magni sibi thesauri conscius (*Math. XIII*). Denique ad hoc invitat nos, ut recogitemus, manna illud, quod datum est filiis Israel, de Ægypto egressis, et tendentibus ad terram repromotionis, figuram fuisse Verbi Dei, quod per Virginem carnem assumens, nos in se credentes pascere venit, qui eramus a Deo jejuni, solis carnis vitiis, tanquam carnibus Ægypti distenti atque crapiulati. Hujus interpres similitudinis, non quivis hominum, sed ipse est, qui dixit : « Ego sum panis vite : patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex illo manducaverit, non moriatur : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan. VI*). » Hoc igitur intelligentes, et magnifice exsultantes, amplius ex subjunctione psalmi dilatamur in intellectu gaudio spirituali, dicentes : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal. XXIII*). Quod de psalmo sumpta est offerenda quoque cum versibus suis. Convenit namque diei vel rei psalmus hic per omnis, quia totius hodierni officii psalmique hujus una fere intentio est. Nam et in vigilia præsenti contemplari jubemur, non solum quod natus sit, sed et cur natus, vel quando natus sit Christus, sicut et cantamus : *Intuemini quantus sit gloriosus iste* (*Hebr. VII*). Et in psalmo juxta titulum, qui talis est : « Psalmus David in prima Sabbati, » agit Propheta de victoria Christi, quæ facta est in resurrectione, in prima sabbati (*Luc. XXIV*), exhortans fideles, ut tanto regi semetipsos, sicut decet, præparent advenienti, tollentes, sicut in offertorio cantamus, portas suas, portas mortis, id est vitia, vel elevantes portas justitiae, virtutes, ut introeat rex gloriæ Dominus virtutum, ad debellandum fortè armatum, cuius est orbis terrarum, quia ipse super maria fundavit eum (*Psal. XXIII*), dum sicut olim « divisit mare Rubrum in divisiones (*Psal. CXXXV*), » ita et nunc orbem, id est populum Christianum, educens inter dissensiones amaricantium populorum, fundavit in fide, et super flumina præparavit, id est super principes sacerdotum stabilivit eum. Nihilominus et hoc, quod eidem introitui, in graduale transformato, versus iste subiungitur : *Qui regis Israel, intende* (*Psal. LXXIX*), sensum vigilantem ædificat. Nam psalmus ille oratio est pro Judæis, et gentibus, qui cito apparente Domino Jesu commutandi erant in eum. Et pro perfidis quoque Judæis, qui in titulo appellantur Assyrii, id est seipso dirigentes secundum reputationem

suam, et qui justitiam suam statuere volentes, justitiae Dei non sunt subjecti (*Rom. x.*), pro perfidis, inquam, Judæis orant in illo psalmo fideles, ut tandem convertantur, quod ipsi tandem futurum prævident, Et in supradicto versu sub nomine Israel Judaicus populus, sub nomine Joseph, quod interpretatur *accrescens*, gentium designatur multitudo, quæ illis addita est, juxta illud: « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere (*Joan. x.*), » etc. De Evangelio vel Epistola palam est, quod eis introitus supradictus conveniat, vide-licet quia sensus utriusque hoc maxime intendit attestari, qualem per portam cœli supradictum manna nobis Dominus pluerit, scilicet per Virginem, dicente angelo in Evangelio: « Quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet autem filium (*Matt. i.*), » etc. Pauli autem in Epistola: « Qui factus est ei ex semine David (*Roms. i.*). » Maxima uamque portarum cœli, quas Dominus, ut hoc manna plueret, nobis aperuit, Maria exstitit, per quam ad nos Verbum Dei, caro factum, de cœlo descendit. Siquidem aliae portæ, id est omnes sanctorum animæ, quæ ab initio verbum illud in gremio fidei meruerunt suscipere, ore suo verbum salutis pepererunt, id est prædicaverunt, sanctamque Scripturam composuerunt, dicentes: « A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram (*Isa. xxvi.*). » Hæc autem Verbum illud ita plena gratia concepit, ut visibilèm hominem factum pareret, in veritate carnis, eodem Spiritu sancto et per ora prophetarum verbum hoc eloquente, et conceptionem ejus in utero virginis operante. Quod et ipsum cœlitus significatum est in eo quod de supradicto manna scriptum est: « Cumque descenderet mane ros supra castra, descendebat pariter et manna (*Exod. xv.*). » Ros enim Spiritum sanctum, de quo nunc dictum est, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, manna vero, ut sæpe dictum est, verbum Dei significabat, quod per operationem ejus humanae naturæ unitum est. Et quod populus inobediens, de eo quod collegerat, reservavit, nec totum, ut jussum erat, comedit, hoc illud est quod non totum quod accepit a sanctis prophetis de verbo Dei, credere voluit. Quod autem de manna reservatum est, quale fuit? Computrui, inquit, et scatere cœpit vermis (*Exod. xvi.*). » Niniurum hoc est quod usque hodie Judæa de manna comedere, id est de verbo Dei credere refutit: Quod videlicet putredinem, id est carnem nostram assumpserit, et vere sit vermis, quod purum manna fuerat, id est homo vere mortalis sit factus, qui Deus, imo Verbum Dei erat, quod autem die Sabbati non computrui neque vermis est inventus in eo, quia pulchre illud significat, quod, ut ait Apostolus: « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom. vi.*). » Recte igitur in introitu cantamus: *Hodie scietis quia venie Dominus, et mane videbitis*, etc., quia hodie, id est in præsenti vita scimus et credimus quia de

cœlo descendit panis vivus, *mane*, id est in resurrectionis gloria, videbimus non solam humanam, sed gloriosam divinitatis ejus formam, et ut in communione cauinus, *revelabitur gloria Domini*, et videbit omnis caro salutare Dei nostri (*Isa. xl.*). (*De div. offic.*, l. iii, c. 15.)

XVII.— *Quod nos recte beatam Mariam in principio nostræ latitiae proponimus in processione, omni die Dominicæ, ad ejus memoriam prima statione divertentes, et quod credendum non sit quod Dominum resurgentem ipsa non viderit, et quod inter testes mater scribi non debuerit.*

Recte et laudabiliter a nostri, id est monachi ordinis, majoribus traditum est, quod hactenus pro lege fixum atque inconvulsum conservatur, ut in hujusmodi processionibus, cunctis per annum Dominicis beatæ Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, decantando quodlibet, quod ejus proprium sit, eaque salutata et oratione dicta tunc demum processionem ordine supradicto peragamus. Sicque fervente sacre religionis studio provisum est, ut infra claustrum habeatur ejusdem beatæ Virginis diversorum, scilicet sacratuni in ipsius honore, maxime propter hoc ipsum proprium nominis ejus oratorium. Quid Evangelicæ fidei convenientius Christiana sedulitas comminisci potuit? Quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari matri Virgini super resurrectione unigeniti, jam non morituri, in cuius passione gladius animam ejus pertransivit? (*Luc. ii.*) Perpendere gestit Christiana devotione, quantus torrens gaudii repente inundans, locumque vulneris replens, animam ejus ferro doloris confossam inebriavit, cum redivivus Filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, et dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Evangelio, referenti quod surgens Jesus primo Mariæ Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus, beatam Virginem matrem excipimus, testibus præordinatis, quos solos nominare ad Evangelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annuntiare decuit. Nunquid illam nuntiare decebat, ut verba ejus tanquam deliramenta viderentur ante apostolos? Si enim extranearum verba seminarum visa sunt eis tanquam deliramenta (*Luc. xxiv.*), quomodo non magis matrem amore filii delirare crederent? Verissime ergo matri Filius resurgens apparuit, sed illa, ut ab initio cooperat, ita et nunc et conservat omnia verba haec, conferens in corde suo (*Luc. ii.*). Quod si idecirco verum non videtur, quia nullus evangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est quod nunquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando, vel ubi apparuerit illi, nullus corum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem et matrem honorare præcepit (*Exod. xx*), absit, inquam, ut matrem propter se doloris gladio transverberatam (*Luc. ii.*), tam

dura negligentia talis filius inhonoraverit. Non sic apostolica sanctæ Romanae Ecclesie sensit veritas, quæ hanc beatam Hierusalem in principio lætitiae suæ proposuit. Nam, cum hæc prima die Paschæ stationem ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam missæ officio prescrispit, quid aliud quam Hierusalem in principio lætitiae suæ proposuit. Si enim omnis anima timens Dominum sic benedicitur, et ut videat bona Hierusalem, et videat filios filiorum suorum, pacem super Israel (*Psalm. cxxvii*). Et ideo dicitur, et est ipsa quoque Hierusalem, quod est visio pacis: quanto magis ista ter quaterque beata Virgo dicenda est Hierusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres (*Luc. i*), videt Filium suum pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum, de quo Apostolus ait: Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes. ii*). Ipsa præ omnibus, ipsa ante omnes videt hanc nostram pacem, ipsa est Hierusalem, pulchra, electa suavis et formosa, quam viderunt filii Sion (*Cant. vi*), et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt. Dum ergo hanc hodiernæ statione sancta Romana Ecclesia in principio lætitiae suæ, ut dictum est, proposuit, non hoc aestimavit, quod pacem super Israel venientem, id est Filium suum propter justificationem nostram resurgentem (*Rom. iv*), ipsa non viderit. Sed, ut ad propriam, de qua supra dictum est, hodiernæ et omnium dominicalium processionum causam sermo recurrit, nunquid vel tunc, quando undecim discipuli abierunt in Galilæam (*Matth. xviii*) in montem, sicut constituit illis Dominus Jesus, hanc beatam, de qua loquimur, Mariam præterierunt, et absque illa videntes eum adoraverunt? Imo non alias quam in domum illius, non alium in montem abierunt, et viderent eum, quam in illo, super quem civitas

eius Nazareth sita erat, sicut jam dictum est. Igitur pulchre et laudabiliter, ut supra diximus, traditum est a nostris majoribus, ut in hodiernæ, cunctisque per annum Dominicis processionibus, beatæ Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, eamdem ob causam, qua hodiernæ missæ officio statio ad Sanctam Mariam præscribitur, ut eam, sicut jam dictum est, in principio lætitiae nostræ proponamus, illud de Canticis récolentes, novum novæ Ecclesie sponsum, mox ut resurrexit, dixisse non vane arbitrantes: Vadam ad montem myrræ, et ad collem thuris (*Cant. iv*). Qua enim sui corporis parte altius, post ipsum caput suum Christum Ecclesie sublimitas eminuit, quam singularibus hujus Reginæ angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Christus, ut lapis de monte sine manibus (*Dan. ii*), est editus? Et quo in vertice montium tantum myrræ, id est mortificationis, cum thuris, id est, piæ orationis odoribus inveniri potuit, quantum in hujus beatæ Virginis anima, quam singulariter Dominicæ passionis gladius pertransierat. Ad hunc ergo montem myrræ vadimus et nos, sepe dicta statione ad Sanctam Mariam divertentes, ipsa quoque eloquia cervi emissi, de quo supra dictum, et eloquia pulchritudinis (*Gen. xl ix*), quibus illuc de baptizandis omnibus gentibus mandavit, exsultantes mystice deprimimus hac die cantando: Tota pulchra es. Nota namque omnium pene sententia doctorum est, novam his verbis Ecclesiam invitari, ut surgat et properet apostolica, quæ tunc numero parva erat Ecclesia de Libano venire (*Can. iv*), id est, candidatione baptismi gentes ad Christum adducere, Maria matre fidei nostræ adjuvante, id est, et omnia verba hæc, quæ hactenus conservabat in corde suo (*Luc. ii*), jam aperiente. (*De div. Officiis*, lib. vii, cap. 25.)

## HONORIUS, AUGUSTODUNENSIS EPISCOPUS.

I. — *Sigillum B. Mariæ, ubi exponuntur Cantica canticorum.*

*Discipuli ad magistrum.*

Optimo magistro, librorum registro, frequentia discipulorum, videre in Sion Deum deorum. Omnium fratrum conventus tuæ diligentiae grates solvit, quod eis spiritus sapientiae tot involucra per tuum laborem in elucidario evolvit. Rogamus igitur te omnes uno ore iterum novum laborem subire, et nobis causa charitatis aperire cur Evangelium, *Intravit Jesus in quoddam castellum* (*Luc. x, 38*), et *Cantica canticorum* de sancta Maria legantur, cum nihil penitus ad eam pertinere videantur.

*Responsio magistri.*

Quia pondus diei et æstus decrevi in vinea Domini pro denario portare, nolo terram, ut steriles sicut

nea, in vacuum occupare, sed ut oliva fructifera domui Dei aliquid decoris adducere, ut merear in ea quandoque mansionem percipere. Igitur quia vestrum collegium gratanter suscepit, quem misi libellum, dabo operam per clavem David vobis restringere, de quibus videmini dubitare.

Ad gloriam itaque Filii Dei, et ad honorem genitricis suæ, hic libellus edatur, et nomen ei *Sigillum sanctæ Mariæ* imponatur. Ipse autem intellectum tribuat, cuius sapientia omnem sensum superat.

*Sigillum sanctæ Mariæ.*

Dicitis vos mirari cur Evangelium, *Intravit Jesus*, et *Cantica* in festivitate sanctæ Mariæ recitentur, cum quasi nihil de ea sonare utraque a simpli-cibus aestimentur. Débetis igitur in primis de Evangelio scire, quod nihil potuit inveniri in tota Scripturæ

serie, quod convenientius, quod aptius, quod dignius legeretur in ejus sacra solemnitate. Dicitur itaque : *Intravit Jesus in quoddam castellum* (*Luc.* x, 54). In castello est turris alta, in qua contra hostes propugnacula; murus vero exterius, qui est tutela civibus interius. Hoc castellum fuit illud sancti Spiritus sacerdote, scilicet gloriosa Dei genitrix virgo Maria, quæ jugi angelorum custodia fuit undique munita. In qua turris alta, videlicet humilitas, pertingens usque ad cœli culmina, unde dicitur : *Respxit Dominus humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* i, 48). Murus vero exterius, ejus castitas fuit quæ cæteris virtutibus interius munimen præbuit. Hoc castellum Dominus intravit, quando in utero virginis humanam naturam sibi copulavit : *Et mulier quædam Martha nomine exceperit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria.* Per Martham activa vita; per Mariam contemplativa designatur, quam utramque perpetua Virgo Maria in Christo excellentius excoluisse prædicatur. Omnia namque Evangelii opera impendit ei per activæ vitæ ministeria. A pueritia namque propter nos exsulem, et in hoc mundo hospitem suscepit in uteri sui hospitium gemmis virtutum conspicuum. Propriis uberibus pavit eum esurientem, super genua consolabatur flentem. Infirmum cum fovit balneis, nudum involvit pannis, vagientem fascis cinxit, arridenti dulcia oscula fixit. Nimium erat solicita circa frequens ministerium, fugiens a facie Herodis in Ægyptum denuo rediens Archeleum inveniens. Multum conturbabatur erga plurima, ubique tuta querens abscondenti et celandi eum latibula. Quod autem dicitur conqueri de sorore quod eam solam reliquerit in labore, hoc est, Maria videns Christum ab impiis capi, crudeliter trahi, ligari, colaphizari, cædi, derideri, cum reis damnari, in crucis patibulo acerbiter cruciari; si possibile esset, vitam suam libenter pro sui ereptione dedisset.

Et cum in eo divinitatem corporaliter habitare sciret, quodammodo in animo suo anxia querebatur quod ei non subveniret, sed quasi noxiun reliquisset, quem velut abjectum tot malis exposuit. Secus pedes Domini sedens verba illius corde et aure sitiebat, quæ etiam in corde suo, per contemplativæ officium conferens, conservabat; et semper spirituallia meditans cœlestia desiderabat. Ipse quippe, sors sapientiæ in ea mansionem fecerat, et ideo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in ea absconditi erant. Nunc Marthæ labore sublatu, in illa vita fruitur non significata, sed vera Maria illo uno necessario, quo Filius sui inhærens complexibus perenniter divinitatis ejus cum angelis satiatur aspectibus. Ad quam gloriam hodie gloriosa virgo migravit, in qua eam Filius reginam cœlorum super omnes ordines angelorum sublimavit. *Optimam partem* quam hic elegit, duplum hodie de manu Domini percepit; *quæ nunquam ab ea auferetur*, sed cum plenum gaudium sanctis dabitur centuplum augetur.

#### *De Epistola.*

Cur autem de laude Sapientiæ in ejus die legatur

(*Eccli.* xxiv, 11), causa satis probabilis declaratur. Christus est Dei Sapientia, cuius hic loquitur persona : *In omnibus, subauditur gentibus requiem quæsiri*, sed *in hereditate Domini tantum*, id est in Ecclesia morandi locum inveni. Quæ gratulando subjungit : *Qui me creavit in tabernaculo meo requiebit.* Tabernaculum Ecclesiae vel Dei est beata semper virgo Maria, ut dicitur : *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* xviii, 6). In quo Filius Dei homo veniens requievit, et de quo ut sponsus de thalamo processit (*ibid.*). *In Jacob inhabita, et in Israel hereditare; et in electis meis mitte radices.* Ordo Apostolicus est Jacob, id est *supplantator vitiorum*; ipse etiam Israel, scilicet vir *videns Deum*. In quo Jacob Virgo Dei habitavit et cum quo Israel regnum Dei hereditavit, et in ipsis electas radices suæ castitatis et humilitatis misit. *Sic in Sion firmata sum.* Sion dicitur specula, et est Ecclesia, in qua Dei genitrix scriptis et prædicationibus est firmata ut columna; super cuius laudabilem vitam tota Ecclesia innititur fulta. *Et in civitate sanctificata similiter requievi.* Civitas sanctificata est superna patria, æterna claritate illustrata. In qua nunc perpetua Virgo cum angelis et sanctis requiescit, sed præ omnibus gloria et honore coronata fulgescit. Unde dicit : *In Jerusalem potestas mea.* Sion præsens Ecclesia; Jerusalem vero cœlestis patria intelligitur. Maria autem regina cœlorum vocatur, ideo non immerito Jerusalem potestas ejus prædicatur. *Et quia hic in populo honorificato*, id est in populo credentium exemplo sanctimoniacæ radicavit, ideo *hereditas illius in parte Dei sui*, id est Filii sui divinitate erit. *Et hoc in plenitudine sanctorum*, id est, cum completus fuerit electorum numerus, laudem et gloriam habebit ex omnibus. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Libanus est mons in terra repromissionis, in quo cedri et de cuius radice fluit Jordanis, Libanus dicitur *candidatio*, et est Judæus populus, cultu Dei et sacra Scriptura candidatus. In quo gloriosa Virgo ut cedrus fuit exaltata, id est odore et decore sanctitatis transcendens omnium merita; de cuius utero, ut Jordanis de monte manavit, qui fontem baptismatis mundo consecravit. *Quasi cypressus in monte Sion.* Cypressus incisa non revirescit, ideo antiquitus portabatur ante mortuorum funera. Dei itaque genitrix Virgo Maria cypres-sus in monte Sion fuit, id est in vera specula, scilicet Ecclesia cuius mens cum semel aruit sicut fucus nunquam reviruit de mundi gaudiis; ideo prædicatione antefertur omibus pro Christo mortificandis. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma datur victoribus, et hoc Cades, id est sanctificatis, quibus virgo alma exstat sanctificationis palma, dum per ejus generosam sobolem nanciscuntur victoram et sanctificationem. *Quasi plantatio rosæ in Jericho.* Jericho dicitur luna, id est Ecclesia, in qua rosa significat martyres, quos omnes sancta Θεοτόκος eminentia suæ passionis ita transcedit, ut rosa alios flores rubidine præcellit. Cum

enim Dei Filium ex se genitum tam innocenter in cruce torqueri vidit, majorem praे omnibus martyribus cruciatum in animo sustinuit. Unde et plus quam martyr fuit, dum alii in corpore, ipsa vero in anima, passa fuit, ut dicitur : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc. ii, 35*). — *Quasi oliva speciosa in campus*. Oleum significat misericordiam ; campus autem est terra inarata, et significat virgines, quae non sunt suctate per virilis amplexus vromeres. In quibus est casta *Xριστοτόξος* valde speciosa, ut in campus oliva decora; de qua profluxit oleum gaudii et misericordiae, quod nos sanans ab infirmitate, ungit in regnum cœlestis gloriae. *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*. Aquæ sunt populi per plateas gradientes, id est in sæculari vita, scilicet in conjugio fulgentes; inter quos præclara virgo ut platanus claruit, cum nobilem prolem fecunda attulit. *Sicut cinnamomum*. Cinnamomum dicitur immaculati; et significat innocentes, quibus haec virga cinnamomum exstitit, cum de immaculato utero largitorem innocentias edidit. Est autem arbor aromatica cinerei coloris, et significat pœnitentes, quibus iterum haec gloriosa cinnamomum fuit, cum eis remedium vitæ Jesum profudit. *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi*. Balsamum suaviter redolet, hoc frontes Christianorum signantur; hoc etiam sacerdotes et templo Dei consecrantur. Ut pretiosum balsamum haec Virgo odorem dedit, cum suavem animarum odorem Christum mundo genuit qui nos ad suum regnum chrisinat signat, et nos sua templo effectos, ipse rex et sacerdos in rege consecrat. *Quasi myrrha electa*. Myrrha mortuorum corpora condiebantur. Omnibus mundo renuntiantibus et Christo commorientibus jam saepè dicta Virgo et sepius dicenda Maria, non solum myrrha exstitit, sed etiam electa, cum carnem suam mundi illecebris crucifixit, et se jejunis et vigiliis affixit. *Odorem suavitatis spiravit*, cum Christum generavit odorem angelorum, qui praे omnibus electa myrrha se morti pro nobis Deo Patri obtulit in odorem suavitatis, ut nos mortificatos vitiis, participes efficeret suæ divinitatis. Nunc ipsa, de qua loquimur, auxiliante, et vestra simul oratione suffragante, stylum ad Cantica vertamus, et cur haec de ea legantur disseramus.

#### *Cantica canticorum.*

Gloriosa virgo Maria typum Ecclesiae gerit, quæ virgo et mater exstitit, etiam mater prædicatur, quia Spiritu sancto secundata, per eam quotidie filii Deo in baptimate generantur. Virgo autem dicitur, quia integratatem fidei servans inviolabiliter, ab heretica pravitate non corruptitur. Ita Maria mater fuit Christum gignendo, virgo post partum clausa permanendo. Ideo cuncta quæ de Ecclesia scribuntur, de ipsa etiam satis congrue leguntur. Dicitur ergo :

#### *CAPUT PRIMUM.*

*Osculetur me osculo oris sui*. Quem reges et prophetæ non meruerunt videre vel audire, hunc Virgo

non solum meruit in utero portare, sed etiam nato crebra oscula dare; plurima a sancto ejus ore percipere. *Quia meliora sunt ubera tua vino*. Qui pascit angelos in sinu Patris, hic suxit ubera Virginis matris. *Fragrantia unguentis optimis*, id est repleta Spiritus sancti donis, quamvis non sit frivolum ad litteram intelligere virginem charissimum filium suum unguentis optimis saepè pernuxisse. *Oleum effusum nomen tuum*. Oleum aliis liquoribus infusum supererat, et etiam infirmos sanat. Nomen autem virginis est Maria, quod sonat *maris stella*. Qui in tribulatione ejus auxilium invocant, omnia adversa, ut oleum, per eam supererantant, ut puerulus Judæus, quem in fornace a flamma protexit; quem pater suus ob hoc intus projecit, quia corpus Domini inter Christianos pueros accepit. Qui vero peccatis infirmi in eam confidunt, per oleum Christum citius salutem recipiunt, ut Theophilus, qui scripto Christum abnegavit, et se diabolo manibus tradidit; per eam chirographum a diabolo recepit, et indulgentiam reatus meruit. Similiter Maria, multis sordibus involuta, per eam non solum veniam facinorum habuit, verum etiam gloriosis miraculis claruit. Qui autem in salo hujus sæculi navigant, et ejus humilitatem et castitatem imitando ut stellam considerant, portum vitæ per eam tui intrant. Ut de quodam fertur, quod quotidie cum ante altare Virginis transiret, *Ave Maria* inclinando dicebat. In extremis positus cum dæmones de eo certi convenissent, ut eum ad barathrum deducerent, pia virgo subito adveniens, et capellanum suum profitens, ab impiis jam desperatum eripuit, et sic ille vertice tuto per eam evasit. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*, id est virgines imitantur te. *Trahe me post te*, dicit ad Filium, scilicet ad exercitia virtutum. Maria namque non didicit a filio suo celos creare, sed humilitate et mansuetudine radicare, ut dixit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth. xi, 29*). Ideo tracta est post Christum in cœlum. *Curremus in odore unguentorum tuorum*, id est fideles festinantes ad gaudia imitantur vitæ ejus exempla. *Introduxit me rex in cellam suam*, id est Rex gloriae assumpsit eam in vitam æternam. *Exsultabimus et lætabimur in te*, id est fideles gaudent de ejus intercessione. *Memores uberum tuorum*. Uebera Mariæ fuerunt castitas et humilitas, in his delectatur justorum societas. *Super vinum*, id est super humauam gloriam, *recti diligunt te*, id est angeli honorant te. *Nigra sum*, hoc est nata a pauperibus. *Ut tabernacula Cedar*, id est aliqua de peccataricibus. *Formosa sicut pellis Salomonis*, id est ego sum pellis veri pacifici, qui texit arcum, id est Christum. Et ideo filia Jerusalem, id est consors visionis veræ pacis. *Nolite me considerare, quod fusa sim, quia decoloravit me sol*, hoc est, quamvis ab humiliis sim orta, tamen Sol justitiae elegit me humiliem sibi matrem. Ideo *filii matris meæ pugnarebunt contra me*, id est prophete filii Synagogæ prædicaverunt de me. Vel apostoli, filii gratiae matris, pugnaverunt contra me, id est pro me contra ha-

reticos prædicando; qui dixerunt non Deum, sed phantasma, vel de homine peperisse: *hi posuerunt me custodem in vineis*, id est exemplum virginitatis in omnibus Ecclesiis. *Vineam meam*, id est virginitatem meam non custodiri, sed Spiritus sanctus. *Indica mihi quem diligit anima mea*. Anima Mariae Christum dilexit, ideo omnia secreta Patris ei innocentia. *Ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Castissima virgo Maria fuit meridies, de Spiritu sancto splendens, et servens, in quam Christus declinavit aestum libidinosorum. Cubavit in ejus humilitate, passus est in ejus castitate. *Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum*, id est notisca omnibus quod in me requieveris, ne hæretici dilacerent me, dicentes: Si virgo peperit, phantasma fuit. Per sacramenta apparent tui sodales, ideo ego vigor per eorum greges, quia in sectis et in conventiculis eorum sum psalmus illorum. *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres*. Maria ignoravit maculam sordis, et ideo pulchra, id est benedicta inter omnes mulieres. Quæ egressa est de muliebri levitate, et abiit de virtute in virtutem. *Post vestigia gregum*, id est per exempla sanctorum, et pavit *haedos*, id est, carnales sauctis operibus. *Juxta tabernacula pastorum*, id est secundum doctrinam apostolorum. *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea*. Sicut populus Dei a Pharaone per virgam Moysi, ita Ecclesia a diabolo per virgam Jesse Mariam et florem suum, id est Christum liberatæ est. *Pulchræ sunt genæ tuæ*. Genæ hujus virginis sunt ejus conversationes, in activa et contemplativa vita, quæ sunt pudibundæ, verecundantes peccare, *ut turturis*, scilicet gementes de terrenis, et suspirantes gaudia regni coelestis. *Collum tuum*, id est fides quæ eam Deo capiti conjunxit, est *sicut monilia*, id est ornatus in tota Ecclesia. *Mureulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, hoc est apostoli et eorum sequaces de his omnibus componunt ad honorem tui scripturam, sapientia et eloquentia ornatam. *Cum esset rex in accubitu suo*, id est Christus in sinu Patris: *nardus mea dedit odorem suum*, id est per humilitatem ingressus est ut in uterum Virginis. Nardus enim humilitatem, odor significat Christi incarnationem. *Inter ubera mea commorabitur*, id est in ventre meo incarnatus portabitur. *Fasciculus myrræ dilectus meus mihi*. Tunc erat quando in cruce coram ea pendebat. *Botrus cypri dilectus meus mihi*, hoc est fuit ei letitia in resurrectione. *In vineis Engaddi*, id est in Ecclesiis fidelium. *Ecce tu pulchra es, amica mea*. Maria vocatur amica, quia portavit Patris secreta, *ecce tu pulchra coram Deo in humilitate, ecce tu pulchra coram hominibus in castitate*. Pulchra virginitate, pulchra fecunditate, pulchra in virtutibus, pulchra in operibus. Pulchra hic laude hominum, pulchra in cœlis laude angelorum. Pulchra bis predicatur, quia sine interiori et exteriori macula declaratur. *Oculi tui*, id est operum tuorum intentiones, *sicut columbarum*, id est sinceri et simplices. *Ecce oculi tui*, id est exempla quæ alios ut oculi du-

cunt, donis Spiritus sancti plena sunt. *Foce in putcher es, dilecte mi, et decorus*, Christus pulcher ex casta virgine; decorus ex Patre. *Lectus noster floridus*. Lectus Christi Maria fuit, in qua ut in lecto requievit. Noster dicit, quia Pater et Spiritus sanctus semper cum eo fuerunt. Floridus, scilicet in virtutibus. Ipsa etiam domus Dei, in qua habitavit. Ligna principales ejus virtutes, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Laquearia bona ejus opera. Ipsa campus, videlicet inarata terra, a viro intacta, vel humiliis.

## CAPUT II.

*Ego flos campi*. Hujus flos est filius ejus, ipsa *lilium convallium*, id est ornatus humilium parentum. *Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias*, id est, sicut lilyum carduo et urticas decore et suavitate; sic Maria præcellit omnes Ecclesiæ castitatis decore et sanctitatis suavitate. *Sicut malum inter ligna silvarum*, sic Christus fuit inter omnes prophetas et apostolos Mariæ, obumbrans eam Spiritu sancto, ab omni carnali delectatione. *Sub umbra illius quem desiderabam sedi*, hoc est, in requiem ad visionem ejus jam veni, ubi pulchritudinem ejus sol et luna mirantur. *Fructus ejus dulcis gutturi meo*, id est gloria ejus duleis animæ meæ. Hanc enim nunc conspicio, quia introduxit me Rex gloriæ in cellam vinariam, id est in cœlestem Jerusalem; *ibi ordinavit in me charitatem*, ut quem prius ut filium, nunc diligam ut Deum. *Fulcite me floribus, stipate me malis*. Per flores innocentes, per malos, id est domesticas arbores, alii sancti intelliguntur. Ab innocentibus ipsa innocens exaltatur, a sanctis ipsa sanctior glorificatur. *Amore languet, quia in Deum jugiter prospicere desiderat*. *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Hoc est, cœlestia et terrestria magnificant illam. *Adjuro vos filiæ Jerusalem*, id est sacramento meæ incarnationis vos constringo, animæ fidelium, loquens per *capreas cervosque camporum*, id est per prophetas et apostolos doctores populorum, *ne suscitatis dilectam*, id est ne aliqua perversa doctrina inquietetis genitricem meam, *quoadusque ipsa velit*, scilicet ut prophetæ et apostoli docuerunt, quod Deum et hominem Virgo generat. *Vox dilecti mei*, scilicet filii mei, præcepit hæc quæ dixi, qui de sinu Patris saltavit in uterum matris. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Qui saltat, nunc sursum, nunc est deorsum. Christus venit ad Virginem quasi saltans, quia divinitate transcendent montes, id est in cœlo angelos humanitate transcendent, in terra colles, id est apostolos. De cœlo saltavit in Virginis uterum, inde in mundum, exinde in infernum, denuo in cœlum.

*Similis est dilectus filius meus capræ*, quæ eligit bonas herbas a malis, sic ipse bonos a perversis, *hinnuloque cervorum*, qui in umbra quiescit, ita ipse in casta Virgine quievit. *En ipse stat post parietem nostrum*. Paries est nostra mortalitas. Post parietem Christus stetit, cum mortalem carnem de Virgine

sumpsit. Sub pariete nos pressi jacuimus, quia naturaliter mortales fuimus.

Ipse vero non sub, sed post parietem stetit, quia voluntate, non natura mortalitatis existit. Stetit autem et parietem impelleret, id est mortalitatem destrueret. *Respiciens per fenestras*, natus de Virgine, in mundum respexit, quando per apostolos hominibus innotuit. Prospexit etiam *per cancellos*, quia per scripta prophetarum est manifestatus.

Ipsa quoque beata Virgo cœli fenestra fuit, per quam Sol justitiae in domum mundi splenduit. *Dilectus*, videlicet filius meus loquitur mihi : *Surge de mortalitate, propera ad immortalia, amica*, id est secretalis mea, formosa in castitate, et veni ad cœli gaudia; *jam enim hiems angustiae tuæ erga me transiit, imber tribulationum tuarum abiit*, omnis dolor penitus recessit. *Flores*, id est mercedes tuæ, apparuerunt in terra nostra, id est splendid in terra viveantium. *Tempus putationis totius mali a te, et tuæ retributionis advenit. Vox tururis audita est in terra nostra*, id est vox exultationis et lætitiae jugiter auditur in tabernaculis justorum. *Ficus* quod tu fuisti fructuosa, protulit grossos suos, id est bona opera, pro quibus remuneraberis. *Vineæ*, id est Ecclesiæ per tua exempla in virtutibus florentes, odonrem bonorum operum dederunt, pro quibus etiam coronaberis. *Surge de temporali riseria, amica mea*, in humilitate; *speciosa mea*, in castitate; et veni ad æterna præmia, columba mea, id est simpliciter confidentes in foraminibus petræ, id est in vulneribus meis que pertuli pro tua erexitio, in caverna maceriaræ, id est credens sententiæ sacræ Scripturaræ, quæ dicit: *Ipse Deus veniet et salvabit nos* (*Isa. xxxv, 4*). Et item: *Cujus livore sanati sumus* (*Isa. lxx, 5*). Sieut namque maceria vineam, sic sacra Scriptura munit Ecclesiam. Hæc virgo ad memoriam reduxit, cum eum clavis perforatum vidit. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Per faciem pulchritudo gloriæ, per sonum vocis ejus laus ab angelis intelligitur. *Vox enim tua dulcis*, id est laus tua maxima ab angelis; *facies tua decora*, id est gloria tua præcipua. *Capite nobis vulpeculas parvas*. Vulpeculæ sunt heretici, quæ demolunt vineas, id est venenis suis inficiunt simplicium Ecclesiæ, dicentes: Si Virgo peperit, phantasma fuit. Hi quasi rete capiuntur, cum tali syllogismo concluduntur: Deus omnia quæ vult potest, a Virgine nasci voluit; igitur quod Virgo genuit, Deus et homo fuit. Nam vinea nostra floruit, id est Maria Christum peperit. *Dilectus meus filius mihi sic locutus est*, ut dixi, et ego gratias ago illi, qui pascitur inter lilia, id est delectatur inter castrorum agmina; *donec aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbras hujus temporalitatæ*.

#### *Oratio Virginis pro conversis.*

○ *dilecte mi*, quem genui, qui incestos fugisti, ad poenitentes jam revertere, et similis esto capreæ, secernens castos Jain ab incestis. Aut hinnulo cervorum velociter currenti similare, suscipiens veloci-

ter vota et preces conversorum a pravitate; et constitue eos super montes, id est altos in virtutibus in domo Domini, scilicet in Ecclesia. Ipsa etiam Dei Genitrix est Bethel, id est domus Dei, in qua habitavit Filius Dei. Montes sunt ejus prophetæ, qui de ea praedixerunt. Sunt etiam apostoli qui de ea praedicaverunt; quæ vero per Spiritum de Christo sentiat, his verbis pronuntiat:

#### *CAPUT III.*

*In lectulo meo*, id est in requie meæ contemplationis, *per noctem*, id est in hac vita, quæsivi, intellige divinitatem Christi, quem diligit anima mea. *Quæsivi illum* in deitate cognoscere, et non inveni, id est non potui ad ejus altitudinem pertingere. Et dixi: *Surgam, corde ad coelestia, et mente circuibo civitatem*, id est angelorum agmina, *per vicos et plateas*, id est per angelos et archangelos, quæram Christum quem diligit anima mea. *Quæsivi illum* inter ordines angelorum, et non inveni similem illi ullum illorum. *Invenerunt me vigiles*, id est Angeli, qui custodiunt civitatem, id est Ecclesiam. Non est dubitandum quin crebro habuerunt angeli cum sacra Virgine colloquium. Et interrogavi eos: *Num quem diligit anima mea vidistis*, id est dicite si saltem vos Christi divinitatem intelligatis. Qui dixerunt paululum. Quanquam angeli de Deo intelligent multum, tamen ad comparationem ipsius veritatis videntur paululum. Nullus enim angelorum ita Deum intelligit, ut ipse cognoscit. Nam: *Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth. xi, 27*); quod creditur matrice esse.

*Cum pertransisset eos*, id est cum eorum naturam contemplando transcenderem, inveni quem diligit anima mea, omnem intellectum angelorum longe excellere. *Tenui eum Patri æqualem credendo, nec dimittam eum diligendo, donec introducam illum* verbo et exemplo in domum, id est in Ecclesiam, matris meæ, id est gratiæ, et in cubiculum genitricis meæ, id est in conventum Synagogæ, quod est dicere: *Quæ Spiritu sancto revelante cognovi de Christo, hæc Judæis et gentibus annuntio.*

#### *Corpus de Virgine ad doctores.*

*Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis dilectam*, ut superius dictum est, aliquid docendo contra eam, hoc hic iterum repetitur, ne quid frivolum de ea prædicetur. Sequitur laus angelorum cum ei occurserent petendo regna celorum: *Quæ, id est quam gloriosa, est ista, quæ ascendit ad cœli palatia, per desertum*, id est deserens periculosum mundum. *Ipsa virgula*, id est recta norma, *fumi ex aromatibus*, scilicet compunctionis et diversarum virtutum, et hoc myrræ, id est martyribus, et thuris, id est confessoribus, et universo pulveri pigmentarii, id est universis fidelibus Christi. Ipse enim est verus pigmentarius, id est animarum medicus. Congregatio justorum est collectio ejus herbarum. Quibus omnibus Virgo fuit condimentum virtutum ut pretiosus pulvis aromatum. *Quæ sequuntur viden-*

tur verba esse Ecclesiæ de assumptione corporis Mariæ. *En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt,* Beatae Virginis corpus, veri pacifici, scilicet Christi, lectulus. Quod sexaginta fortis, id est multa millia ex fortissimis Israel, id est summis angelorum Deum vere videntium ambiunt, et ad æthera producent. *Omnes tenentes gladios,* id est contra dæmonis custodias, et ad bella doctissimi, scilicet contra aereas potestates potentissimi. *Uniuscujusque ensis,* id est tutela, super femur suum, id est circa corpus, cuius femur genuit Christum; propter timores nocturnos, id est ne timores incutiant ei dæmones. Sequuntur verba doctorum de ea docentium. *Fer-culum fecit sibi rex Salomon,* Christus, verus rex pacificus, fecit sibi ferulum, id est lectum ad convivium, de lignis Libani, id est ex patriarchis et regibus Virginem elegit; in qua ut in lecto re-cubuit ipse positus ad convivium; quia fideles de carne, quam de Virgine sumpsit, epulantur. *Columnas ejus fecit argenteas.* Columnæ quibus fulcitur Virginis vita sunt quatuor Evangelia de ea scripta, quæ sunt argentea veritate, videlicet nitida et prædicatione sonora. *Reclinatorium aureum,* hoc fuit corpus Dominicum de ea sumptum; in quo divinitas se reclinavit. Quod fuit aureum, scilicet sapientia et charitate ornatum. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in cuius Christus se reclinavit uterum; aureum, splendore castitatis fulgidum. *Ascensum purpureum.* Sancta crux fuit, in qua nobis Filius ejus sua passione ascensum ad cœlos fecit. *Media charitate constravit,* id est communem vitam ejus dulcedine charitatis replevit, propter filias Jerusalem, id est ad imitationem fideliū. Ideo filie Sion, id est animæ filiæ Ecclesiæ, egredimini de vestra carnali conversatione, et videte oculis cordis, regem Salomonem, id est Christum verum pacificum, in diademate quo coronavit eum noster sua, id est mortali carne qua circumdebet cum mater sua, Maria, in die desponsationis illius, scilicet in die nativitatis, quando desponsavit Ecclesiam, vel in die passionis, quando posuit pro illa animam; et in die lætitiae cordis illius, id est in die resurrectionis ejus. Quando eadem Virgo et apostoli tantum sunt lactificati, quantum prius de morte ejus contrastati.

## CAPUT IV.

## Laus Filii de Matre.

*O amica mea,* cui notisieavi Patris secreta; quam pulchra es humilitate et castitate! quam pulchra es fide et operatione, et ideo decora in cœlesti gloria. *Oculi tui simplices ut columbarum,* quæ alias aves contuentes non cupiunt eas dilacerare, ita tu videns juvenes non cupisti te eis per obscenos amplexus sociare. Absque eo quod intrinsecus latet, scilicet charitate. Oculi Virginis prophetæ sunt, qui eam longe ante præudentes, multa de ea prædixerunt. Oculi ejus apostoli sunt, qui ejus magnalia et filii sui miracula populo demonstraverunt. Qui columbarum furcunt, quia Spiritu sancto pleni, simpli-

citer vixerunt. Ipsa etiam beata Virgo oculus est columbae, quia prævia dux est Ecclesiæ. Absque eo dulci affectu qui intrinsecus latet, in Dei solius conspectu. *Capilli tui non erant torti,* ut per eos allicerent juvenum animi. Virginis capilli sunt casti, quia ita ejus inhærent religioni, ut capilli capiti. Hi sunt ut greges caprarum, qui ad alta scandunt. Ita ipsi de virtute in virtutem ad Galaad, scilicet ad Christum nostri testimonii montem ascendunt. *Dentes tui non erant cibi delicati edaces.* Dentes Virginis sunt, qui de ea subtilia exponendo proferunt. Qui ut greges tonsarum ovium sunt, quæ de lavacro ascenderunt, quia in baptismate lotæ sunt, et se pro Christo rebus mundi denudaverunt. *Omnes gemellis fetibus,* id est pleni gemina dilectione, et sterilis non est inter eas, hoc est nullus vacans a bona actione. *Labia tua non erant dolosa,* sed a vanitate carnis maceratione stricta, ut capilli coccinea vita. Et eloquium tuum dulce, quia totum de Deo et futura requie. *Labia etiam Virginis sunt,* qui secreta Dei de ea aliis aperierunt. *Eloquium ejus,* prædicatio illorum. *Genæ tuæ erant a viris verecundantes,* illorum contubernia devitantes, absque eo pudore qui intrinsecus latet in corde. *Sicut fragmen mali punici exterius rubet,* interius candet: ita tu passione eras rubens, castitate albescens. Genæ etiam illius virgines sunt, qui peccare erubescunt. *Collum tuum non erat in superbia extentum,* ideo fecit te David, scilicet Christus turrim, id est Ecclesiæ munimen. Collum etiam Virginis sunt de ea scribentes, qui quasi collum cibum, verbum Dei deglutiunt, et in alios quasi in corpus transmittunt. Hi sunt ut turris David ab hæreticis inexpugnabiles: quæ adificata est cum propugnaculis, id est multis instructi sententiis. *Mille clypei pendent ex ea,* scilicet defensionis sacrae Scripturæ, omnis armatura fortium ad expugnandam pravitatem hæreticorum sanctam Virginem impugnantium. *Ubra tua nou* sunt illius viii manu tacta, ideo hinnulus qui passitur in liliis, scilicet Christus, qui delectatur in castis, suxit ea. *Duo etiam ubera Virginis sunt duæ leges,* que de ea et filii ejus scriptæ sunt præconii. *Duo hinnuligemelli capræ,* sunt duo populi Ecclesiæ inhiante sugentes de sacra Scriptura lac sententiarum de sancta Maria, qui pascuntur in liliis, id est delectantur in Scripturis, donèc aspiret dies, id est Christus, quo gloriam Dei genitricis aspiciant; et inclinentur umbræ, id est transeant quæ nunc in ænigmate considerant. Per verba sequentia vocat matrem Christus ad cœlestia. *Vadam ad montem myrræ,* et ad collem thuris. Quid est dicere: Veniam cum multitudine angelorum advocare reginam cœlorum, quæ est mons myrræ, id est martyribus, qui sunt myrrha, id est altitudo et collis thuris, id est confessoribus, qui sunt thus, celsitudo. Et loquar ei hæc verba: *Amica mea,* quæ portasti Patris secreta, tota es pulchra, quia in singulis sensibus tuis ut dixi, es per virtutes gratiosa. Et quia in te non est peccati macula, *veni de Libano,* id est de casti-

tatis candore ad coeli gaudia. *Sponsa ideo mea*, quia cum Patre sum unum, cui genuisti clausa Filium. *Veni de Libano*, scilicet de sanctæ vitæ candore, nimio exaltanda in supernorum civium triclinio. *Veni ad spiritalia gaudia*, *coronaberis de monte Amana*, hoc est recipies coronam de triumpho, quam promeruisti a diabolo, qui est mons Amana, qui est nocturna avis, id est ipse est Rex super universos filios superbie (Job xli, 25), ducens errantes ad noctem mortis. *Coronaberis etiam*, id est coronam recipies, de vertice *Sanir et Hermon*, videlicet quod principes sæculi per fructum ventris tui sunt humiliati, qui fuerunt *cubilia leonum*, id est habitatio demonum, et *montes pardorum*, id est munitamenta hereticorum. *Vulnerasti cor meum*, hoc est pro tui amore pertuli in cruce cruciatum vulnerum. *Soror mea*, quia cohæres in regno Patris, *sponsa*, eo quod me Deo Patri genueris. *Vulnerasti cor meum*, hoc est, tactus sum intrinsecus dolore, cum videbam te dolentem pendens in cruce. *In uno oculorum tuorum*, id est in uno materno affectu, *oculorum* id est bonorum exemplorum. *Et in uno crine colli tui*, id est in uno ornamento humilitatis quo mihi inhaesisti, ut collum capiti.

*Sequitur laus Filii exhibita Matri ad domum Patris sui advenienti.*

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, scilicet humilitas et castitas, de quibus lac sanctimoniae suxit virginum sobrietas. Et ideo *soror*, id est cohæres in regno, et *sponsa*, quia genuisti mihi virgines tuo exemplo. *Pulchriora sunt ubera tua vino*. Ubera Virginis fuerunt exempla in activa et contemplativa vita, quibus quasi lacte pavit parvulos in fide. Ea fuerunt vino pulchriora, id est legali doctrina digniora. *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*, hoc est, suavitas tuorum umerum est acceptabilior quam sacrificium carnalium observationarum.

#### *Laus Patris de Virgine.*

*Favus distillans labia tua*, *sponsa*. Sponsam vocavit, quia ei Filium generavit. Labia ejus sunt, qui de ea Dei secreta aperiunt, qui ut favus distillant, quia omnes sermones de ea dulcedine redundant. *Mel et lac sub lingua tua*. Lingua Virginis dicuntur qui ejus præconia loquuntur, de quibus mel et lac manat, quia eorum doctrina sapientes et insipientes satiat. *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Odor vestimentorum sunt conversi per famam ejus exemplorum, qui sunt thus Deo, id est ut incensum dirigitur eorum oratio.

#### *Iterum Christus de Matre.*

*Hortus conclusus*, *soror mea*, *sponsa*. Ipsa erat herbarum vel arborum hortus, id est plena virtutibus; quæ erat in partu conclusus, scilicet signaculo sancti Spiritus. *Hortus conclusus iterum*, quia post partum non est reclusum virginitatis signaculum. *Fons signatus*. Ipsa etiam erat fons, id est primum exemplum virginitatis. Qui fons erat signatus, id est Christi passione consecratus. *Emiss-*

*siones tuæ*, id est imitatores tui sunt ut paradisus diversarum arborum. Quidam mala punica, seilicet martyres; quidam pomorum fructus, videlicet confessores; quidam cyprus, qui alios unguento sanant exemplis; quidam nardus, id est humiles. Alii crocus charitate rubentes; alii fistula via mortificantes; alii cinnamomum poenitentes, et universa ligna Libani, id est omnes fideles Christi. De te fluxit fons *hortorum*, id est per te venit baptisma fidelium. Et puteus *aquarum viventium*, id est Christus, qui est sapientia sanctorum Scripturarum. Et haec cum magno impetu de Libano fluunt, quia cum abundantia Spiritus sancti de candore sanctitatis tue exundaverunt. Unde haec omnia, quia Deus Pater præcepit talia, dicens: *Surge, aquilo, et veni; austus perfla hortum meum*, hoc est aquilo, id est Diabolus, locum te tentandi non habeat, sed avester, id est Spiritus sanctus te hortum meum possideat. *Et fluant aromata illius*, id est per te incarnetur Unigenitus meus.

#### CAPUT V.

*Sequuntur verba Virginis, Christum in se venire optantis.*

*Veniat dilectus meus*, id est Christus, *in me hortum suum et comedat fructum pomorum suorum*, id est incorporet sibi obsequium operum meorum. Verba Christi applaudentis Matri: *O soror aea, cohæres in Patris gloria, sponsa Patris*, eo quod me genueris. *Veni in te hortum meum carnem assumendo, messui myrrham meam*, mea passione martyres colligendo, *cum aromatibus*, id est cum confessoribus. *Comedi favum cum melle meo*. Per favum corpus, per mel anima Christi accipitur. Favum quippe cum melle comedit, cum resurgens corpus de Virgine sumptum animæ ultra non moriturus conjunxit. *Bibi vinum meum cum lacte meo*. Per lac homines; per vinum angeli intelliguntur. Vinum cum lacte bibit, cum ascendens in humana carne Virgine genita homines angelis sociavit. Ad quos mox gratulabundus dicit: *Comedite amici, et inebriamini charissimi*, quod est dicere: Sieut convivantes de variis epulis jucundantur et de amicorum præsentia congratulantur, ita vos angeli mei amici congaudent, et congratulamini, quia vestrum gaudium numerosa hominum frequentia adauxi. Insuper nova festa contuli, dum matrem meam, vestram utique reginam, vestris gaudiis induxi. Per ea que sequuntur, Ecclesiam adhuc hic laborantem Virgo consolatur: *Ego dormio, hoc est in gloria requiesco, et cor meum vigilat pro vobis orando*. Vox dilecti mei, scilicet filii est pulsantis, id est ita me monentis: *Aperi mihi*, id est impetra a me tuis precibus, quo juste debeam misericordiæ omnibus, *soror mea* in Patris jam gloria; *amica mea*, gerens divina secreta; *columba mea*, Spiritu sancto plena; *immaculata mea*, ab omni sorde peccati segregata, *quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei*, id est electi surat cum perversis permisti. *Sicut guttae ir. caput* incidentes, de capillis elabuntur, ita reprobi

ad fidem venientes male operando, per noctem, id est diabolum retrahuntur. Subsequitur virgo : Si vultis preces meas non cassari, in his debetis me imitari. *Spoliavi me tunica mea*, id est dimisi secularia, et dixi; *Quomodo induar illa?* id est, nūquam revertar ad illa. *Lavi etiam pedes meos*, id est emundavi affectiones meas, et dixi : *Quomodo inquinabo illos?* id est, non revertar ad vomitum cogitando carnales illecebras. Ideo *dilectus meus*, scilicet Deus, quem elegi praे omnibus, misit manum suam, id est Filium suum in mundum, per foramen, scilicet per me, quæ facta sum ei ad homines veniendi foramen, humilitate quidem angustum, sed castitate lucidum, et ideo illi soli pervium. Et *venter meus intremuit ad tactum ejus*, id est obstrupuit de ingressu illius. *Surreai*, id est mentem sursum erexi, ut aperirem dilecto meo precibus, quo eum placare pro hominibus et orationi opera junxi. *Manus meæ distillaverunt myrrham*, id est operaciones meæ carnis mortificatione redundaverunt. *Et digitæ pleni myrrha probatissima*, id est studia mea variis tribulationibus comprobata. Tali modo aperui *dilecto*, scilicet filio meo, *pessulum estii mei*. In hac significantia est mea intransitiva grammatica. Sacra namque Virgo ostium fuit, per quod Christus in mundum introivit; pessulus autem erat moles peccatorum hominum, quod ideo ejus dicitur, quia et ipsa in peccatis nata creditur. Hoc ipsa ab ost' o removit, cum sancte vivendo peccata declinavit. Vel cum dilecto ingreditur, quia per ipsam misericordia in Ecclesiam venit. Unde sequitur : *Et ille per me declinaverat*, et in Ecclesiam transierat, quotidie pessulum peccatorum precibus removet, et per eam ingressus gratiæ Christi ad nos patet. *Anima mea liquefacta est in compunctione*, ut *dilectus locutus est*, de mirabili et desiderabili Patris visione. *Quæsivi illum cogitando*, et inveni magnitudinem ejus carnis gravatam nubilo. Vocari valde desiderando, et non respondit mihi majestatem divinitatis suæ demonstrando. *Invenerunt me contemplando*, quærentem custodes angeli qui circumiebant civitatem, id est muniunt Ecclesiam Dei, percusserunt me dolore, cum dicerent, nec se ad perfectum Deum scire, et me vulneraverunt, quia magis ad studium quærendi accenderunt. *Custodes muros*, id est prophetæ et apostoli instructores librorum, *pallium meum tulerunt*, id est carnalem vitam exuere docuerunt. O filie Jerusalem, scilicet animæ fideles, pro quibus ego sedule fundo preces, *Adjuro vos meo exemplo*, si inveneritis *dilectum meum Filium*, Patri æqualem, contemplando; *nuntietis ei*, id est per bona opera vos notificetis illi, ut sicut ego langui ejus amore, ita vos omnia incòmoda pro ejus sustineatis dilectione.

*Sequitur laus Ecclesiæ ad Virginem de Christo.*

*Qualis est dilectus meus ex dilecto*, id est quam magnificus filius tuus genitus ex Patris utero, pulcherrima mulierum, id est benedicta inter omne

genus parientium. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*, id est quam gloriosus Filius tuus ex Patris gremio, ideo quærimus eum fide et operatione, quia sic adjurasti nos, id est verbo et exemplo docuisti nos.

#### *Laus Virginis de Filio.*

*Dilectus Filius meus candidus*, id est natus per virginem, rubicundus per passionem, electus a Patre ex millibus, scilicet præ angelis et sanctis omnibus. *Caput ejus aurum optimum*, id est sicut aurum omnia metalla; sic divinitas ejus præcellit universa. Sive Christus est caput. Ecclesiæ, qui ut aurum decorat eam suo fulgore. *Comæ ejus sicut palmæ elatæ*, videlicet spinis ad nostram victoriam coronatæ, quasi corvus nigrae, id est cum sceleratis reputatae. Comæ etiam Christi sunt ei ut capiti inhaerentes, ut palma in virtutibus virentes, qui sunt ut corvus nigri, scilicet tribulationibus denigrati ad exemplum Christi. *Oculi ejus sicut columbae*, lucentes Spiritus sancti plenitudine. Per columbam quippe septiformis gratia Spiritus sancti intelligitur, quæ septem naturis vigere dicitur. Unde et super dominum in columba apparuit. Oculi etiam Christi sunt doctores Ecclesiæ, pleni Spiritus sancti munere, et hoc super rivulos aquarum, id est in scientia Scripturarum. *Quæ lacte sunt lotæ*, id est quorum animæ sunt candore virtutum enumdatae. Et resident juxta fluentia plenissima, id est conversantur per dona sancti Spiritus copiosissima. *Genæ illius sicut ureolæ aromatum*, quia amabilis erat oculus omnium eum intuentium. Genæ quoque illius sunt verecundi, qui sunt velut areolæ aromatum, id est collectione virtutum, consitæ a pigmentariis, id est ornatae doctrinis apostolicis. *Labia ejus sicut eloquia*, delectabilia sunt ut lilia, candore videlicet castitatis decentia, myrrham primam stillantia id est mortificationem per charitatem instruentia. *Labia ejus* sunt voluntatem illius aperientes; qui *myrrham primam stillant*, quia præcipua opera charitatis prædicant. *Manus ejus tornales*, vel *tornatiles aureæ*, id est opera ejus in perfectione rotunda, et omni gratia fulgentia, *plænae hyacinthis*, id est virtutibus. Manus quoque ipsius sunt bona operantes, qui sunt tornatiles et aurei, id est in moribus perfecti et in bonitate conspicui; pleni hyacinthis, id est eleemosynis. *Venter ejus eburneus*, id est fragilitas humanitatis ejus est casta, quia de virgine nata; et ideo ut ebur quod de elephante tollitur, quod castissimum animal esse perhibetur. *Distinctus sapphiris*, id est variatus cœlestibus signis. Venter etiam Christi sunt debiles in Ecclesia, qui sunt eburnei, id est casti, sapphiris distincti, id est, pura conscientia variati. *Crura illius columnæ marmoreæ*, id est de cora firmitas ejus in resurrectione, quæ est infrangibile fulcimentum Ecclesiæ: *quæ sunt fundatæ super bases aureas*, id est super fidem et charitatem. Crura etiam ipsius sunt, in justitia fortes, et alios per exempla sustinentes: qui sunt columnæ marmoreæ, id est recti et inflexibilis a vitiis: *fundati st-*

*per aureas bases*, id est in Evangelica et apostolica doctrina stabiles. *Species ejus ut Libani*, id est ipse est pulchritudo omnium sanctorum, ut Libanus est decor omnium montium. Et *ut cedri præ omnibus* lignis, ita ipse electus præ omnibus sanctis angelis. *Guttur*, id est doctrina vel promissio ejus suavissima : *et totus scilicet in humanitate et divinitate desiderabilis*, unde et angelica sublimitas est ejus visione insatiabilis. *Talis est ut dixi dilectus Filius meus, et iste est nunc in Patris gloria amicus meus, o filia Jerusalem, scilicet Ecclesiae fidelium.*

#### *Ecclesia ad Virginem.*

*Quo abiit dilectus tuus, qui ubique est totus, o pulcherrima mulierum ? id est sanctior omnium parentium. Quo declinavit dilectus tuus, quem non expit ullus locus ; die nobis si in aliquos veniat familiarius, et te imitando fide et opere eum tecum quæremus.*

#### CAPUT VI.

##### *Sequitur responsio Virginis.*

*Dilectus meus, quem cum Patre totus non capit mundus, de me carnem sumens, descendit de sinu Patris ad hortum suum, id est Ecclesiam, ut colligat virtutes, ut pascatur in hortis, id est ut delectetur in fructuosis, et colligat lilia, id est castos in externa horrea. Ego dilecto meo ad hoc opus placui, et dilectus meus præ omnibus placet mihi. Qui passitur inter lilia, id est delectatur inter castorum agmina, et sic blande locutus est ad me : Pulchra es in castimonia, et ideo amica mea, suavis per pia exempla, et ideo decora in cœlesti gloria sicut Jerusalem, id est sicut angeli qui vident faciem Patris, et frununt pace Domini ; terribilis contra vitia ut castrorum acies adversus hæreticos, et dæmones ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt ; quod est dicere : In humanitate mea delectare, quia divinitati non poteris perfecte approxinquare, quam quanto subtilius oculis mentis inspexeris, tanto a tua conditione elongari videbis. Capilli tui non fuerunt auro torti, ideo sunt angelorum diademata redimitti. Capilli etiam ejus sunt virginis per imitationem ei inherentes : quæ sunt sicut greges caprarum ascendentibus ad alta virtutum. Quæ de Galaad apparuerunt, id est pro testimonio Christi hoc faciunt. Denies tui non fuerunt edacitate assueti, ideo nunc deliciantur in dulcedine Dei. Dentes quoque ipsius sunt sultilio de ea exponentes, qui sunt sicut greges ovium tonsi a peccatis, sicut ascenderunt de lavacro baptismatis. Omnes gemellis fetibus, id est pleni gemina dilectione ; sterilis non est in eis, id est vacans a bona operatione. Sicut cortex mali punici rubet : ita genæ tuæ, id est verecundia tua exterius in castitate fulget absque occultis tuis, scilicet absque charitate quæ interius latet. Sexaginta sunt reginæ, hoc est multæ animæ, quæ suos mones in activa vita regunt per sex opera misericordie, et octoginta concubinæ, id est multi in contemplativa vita satagunt se sponsi amplexibus innectere,*

ut possint ad octo beatitudines pervenire, et adolescentularum non est numerus, hoc est fidelium sub eis degens populus. Tu una omnium transcendisti meritam, et ideo præ omnibus sola electa. *Columba mea*, in quam transfudi Spiritus sancti charismata ; perfecta mea, quam perfeci per virtutum munera. Haec est una imitabilis matris suæ, scilicet praesenti Ecclesiæ ; electa genitrici suæ, scilicet angelorum frequentiae. Viderunt eam oculis cordis filiæ Sion, id est Ecclesiæ ; et beatissimam prædicaverunt, ut dicitur : *Beatam me dicent omnes generationes (Luc. 1, 48).* Et reginæ et concubinæ, id est activi et contemplativi laudaverunt eam, ita dicentes : *Quæ est ista, hoc est, qualis est ista, quæ progreditur de peccatrice massa, quasi aurora de tenebris consurgens, de qua procedit Sol justitiae, hos qui in tenebris et in umbra mortis sedent illuminare. Haec in præsenti est pulchra ut in nocte luna ; electa in superna patria ut sol inter sidera ; terribilis exemplis contra vitia ut castrorum acies contra dæmones ordinata.* Quia Virgo dilectum in hortum descendisse dixit, Filius affirmando subjungit : *Descendi de sinu Patris in te hortum nucum per materiam carnis. Nuces sunt quique fideles, exterius amari per carnis afflictionem ; interius in anima dulces. His per partum Virginis fructuosus hortus exstitit, in quo lignum vitæ Christus germinavit, quando fructus aeternitatis in suo tempore pertulit. Hoc ideo feci ut viderem pomacvallium, id est remunerarem opera humilium, tuo exemplo viventium. Et inspicere si florissent vineæ, hoc est vineæ scilicet Ecclesiæ, facerem tuam vitam inspicere, et tuo exemplo in bonis actibus florete. Et germinassent mala punica, id est ut exemplo tuæ patientiæ cupiant pro me passionem subire.*

*Sequuntur verba pœnitentis Ecclesiæ, quandoque de Judæis convertendæ.*

Dolet se tam diu de Virgine et ejus prole errasse, et satisfacit his verbis de suo errore. *Nescivite, gloriosa Virgo, gratia plenam fuisse, et fontem gratiæ ex te fluxisse. Anima mea turbavit me, id est æmulationis legis quam pro anima mea habui, ipsa docuit me facere, et hoc contingit propter quadrigas Amianadab, id est propter Christi Evangelia, ut a me repulsa, imo impulsa ruerent per mundi climata. O Sunamitis jam diu a diabolo captiva, reverttere per fidem ad Christi mysteria, reverttere per spem, reverttere per Dei et proximi dilectionem, reverttere per operationem ; ut qui jamdudum sunt in Christo intueantur te, verba et facta tua imitando.*

#### CAPUT VII.

*Christus ad Matrem de Ecclesia convertenda.*

*Quid videbis in Sunamite nisi chorus castrorum ?* quod est dicere : In Ecclesia de Judæis convertenda, non videbitur nisi chorus laudantium Deum, et casta contra vitia pugnantium.

*Laus Ecclesiæ convertendæ de Virgine.*

*Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis,*

*filia principis!* Princeps David rex intelligitur, qui princeps in populo Dei fuisse legitur, de cuius semine quia Virgo propagatur, ejus filia appellatur. *Gressus* sunt ejus affectiones, qui erunt *pulchri in calcemontis*, id est in sanctorum exemplis. *Juncta femorum tuorum sicut monilia*, hoc est dicere, femora tua sunt felicia, de quibus processit pretiosum margaritum, scilicet Christus inæstimabile monile, qui est hortus totius creaturæ. *Quæ fabricata sunt manu artificis.* Artifex est Deus Pater, manus ejus Filius, per quem fecit omnia; per quem etiam incarnationis est disposita. *Umbilicus tuus*, subaudis beatus, in quo pependit Dei Filius. Ut enim in clivo clypeus; sic pendet in uberibus infantulus. Qui Filius est crater tornatilis nunquam indigens poculis, hoc est, omnibus se sitientibus præbet larga pocula intimi gustus. Uterus etiam tuus beatus, in quo latet Unigenitus Dei incarnatus, qui fuit triticum, de quo conficitur panis fidelium. Ipse etiam acervus, quia in eo cumulatur credentium populus; *vallatus liliis*, id est stipatus virginum choris. *Duo ubera tua*, subaudis felicia, quia suxit ea Dei sapientia. Caprea est Ecclesia. *Duo hinnuli* sunt duo fidelium populi, ex circumcisione et præputio; qui lac humilitatem et castitatem imitando suixerunt de uberibus beatæ Virginis. *Collum tuum* beatum, quod sæpius est brachio Filii Dei te amplexantis circumdataum. Et ideo *sicut turris eburnea*, quia castitate contra superbiam firmiter munita. *Oculi tui* beati, qui videbunt quod reges et prophetæ videre non meruerunt. Vel oculi Virginis sunt ejus doctrinæ verba, quæ *sicut piscinae in Hesebon*, id est ad mœrem pœnitentiarum sunt ducentia, ut dixit: *Misericordia ejus a progenie in progenies, super eum timentes* (*Luc. 1, 50*), scilicet pœnitentes. Et hæc *in porta filiæ multitudinis*. Porta est perpetua Virgo, per quam clausam Rex cœlorum ad nos intravit in mundum. Et hæc est *filiæ multitudinis*, quia multitudo fidelium per eam intrabit cœli palatum. *Nasus tuus* beatus, qui odorem æternæ vitæ Christum est odoratus. Vel nasus ejus fuit ejus prænoscentia, quia per spiritum sensit dicta prophetarum in se complenda. *Turris Libani*, id est munimen fuit Christi, quæ *respicit contra Damascum*, id est erecta contra diabolum. *Caput tuum* beatum, quod toties inclinasti ad Dei Filium osculandum, *ut Carmelus*, id est circumspectum in virtutibus. *Comæ capitis tui* beatæ, quas Christus infans deificis manibus suis voluit contrectare. Et hæc *sicut purpura regis*, quia eas lacerasti præ dolore in tempore ejus passionis. Et hæc omnia sunt *juncta canalibus*, id est fixa in credentium cordibus. Cum Christus matrem laudavit, a capite coepit; laus autem Ecclesiæ a pede inchoavit; quia Christus de summis venit ad ima ut matrem levaret ad summa; Ecclesia autem per Virginis merita condescendit ad alta.

*Sequitur laus Filii.*

O Mater, charissima, quam pulchra es in castimonia, et ideo decora, in cœlesti gloria! Et quia mihi

charissima ex istis, ideo frueris cœlesti desiderio. *Statura tua assimilata est palmae.* Christus fuit palma in cruce, quia per eum adipiscitur palma victoriae. Cui assimilata est statura, id est alta gloria Mariæ, quia sicut ipse Rex cœlorum, ita ipsa regina angelorum. *Et ubera tua botris*, id est merita tua assimilantur martyribus, qui velut botri pressi sunt in passionibus. Et ideo contigit, quia ego *dixi*, id est istud cum Patre statui: *De Virgine carnem assumam. In palmam*, id est in crucem ascendam, fructus ejus apprehendam; omnia ad me traham. Et tunc erunt ubera tua sicut *botrus vineæ*, id est merita tua erunt omnibus imitabilia, ut mea Evangelia, qui sunt vineæ botrus, scilicet Ecclesiæ potus. Et hic est botrus quem portaverunt filii Israel in vecte (*Num. XIII, 25*). Vectis erat crux; Botrus vero Christus: portantes erant apostoli et prophetæ.

Vinea de qua latus est botrus, fuit floridum Virginis corpus, qui botrus in prælo crucis est pressus, et inde fluxit fidelium potus. *Et odores tui sicut malorum*, id est exempla tua sunt imitanda sicut apostolorum. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Bonum vinum est legalis instructio; melius est evangelica eruditio; optimum est Spiritus sancti infusio. Guttur Virginis est ejus doctrina, a Spiritu sancto inspirata, quæ est ut vinum ad potandum, id est placens ad imitandum. Dixit enim: *Dispersit superbos, exaltavit humiles* (*Luc. 1, 51, 52*). Applaudit laudi ejus dicens: *Dignum dilecto meo hoc facere*, scilicet *Parcere subjectis et debellare superbos. Labiis et dentibus ejus ruminandum.* Labia Dei sunt voluntatem ejus aperientes; dentes vero ejus vitia conterentes. His est doctrina Virginis ruminanda, id est memoriae tradenda, scilicet quod *Deus superbis resistit, humiliis autem dat gratiam* (*I Petr. v, 5*). In sequentibus Virgo verba representat, quæ pro Ecclesia de Judæis convertenda ad Filium fecerat. *Ego dilecto meo pro vobis preces fudi, et ad me conversio ejus*, id est per me voluit ad vos in misericordia converti. Ita namque dixi: *Veni, dilecte mi*, ad Synagogam per misericordiam, quoniam ab ea fugisti ob persidiae culpam. *Egrediamur per fidem in agrum*, scilicet in universum mundum; *commoremur per operationem in villis*, id est in omnibus gentilibus. *Mane surgamus ad vineas*, id est ad Judeorum Synagogas, hoc est illud instans ultimum mane faciamus in cordibus illorum splendescere. *Videamus si floruerunt vineæ*, id est faciamus eos mente videre qualiter in fide floruit Ecclesia. *Si flores fructus parturiunt*, hoc est faciamus eos videre quomodo claruerunt per martyria. *Ibi dabo tibi ubera mea*, id est ad honorem tui imitabuntur mea exempla.

Notandum quod ter *si* dicitur, hoc est si hæc et hæc viderint imitabuntur ea cogitando, loquendo, operando. *Mandragoræ*, id est gentilitas, quæ ut mandragoræ sine capite Deo fuerunt, *odorem bonorum operum in portis nostris*, id est in virtutibus dederunt. Et quia jam plenitudo gentium intravit, jam tempus est ut æternus Israel salvus fiat, ad quod

*omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi, quod est dicere : Ipsi conversi omnia præcepta Novi et Veteris Testamenti servabunt ad honorem tui.*

#### CAPUT VIII.

*Quis mihi det te fratrem meum, de Judæa gentinatum, sugentem ubera matris meæ, id est in Synagoga sub lege edueatum, ut foris te inveniam, id est a Judæis, qui a fide adhuc foris sunt, te coli videam, et deosculer, id est ab eis diligi conspiciam et jam ne nemo despiciat, scilicet nullus de Judæis qui me virginem permansisse non credat. Apprehendam te, id est probabo te carnem de me sumpsisse sine viri semine; et ducam te per fidem in domum matris meæ, id est in corpus ipsius Synagogæ; et in cubiculum genitricis meæ, id est in intellectum legis Judaicæ. Ibi me docebis, ab eis coli et servare præcepta Domini. Et dabo tibi poculum, id est ab eis me imitantibus deseretur tibi opus bonum, ex vino condito, scilicet sapientia et charitate inebrians alios, et musto malorum granatorum meorum, id est divinum servitium virtutibus repletum. Læva ejus sub capite meo, id est temporalia pro Christo, qui est caput meum, despicient, et dextra illius amplexabitur me, id est sola cœlestia ipso instigante quærerent. Filius pro Matre alloquitur Ecclesiam de Judæis super conversam.*

*Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne dilectam suscitetis, id est ne aliquid sinistrum de matre mea Virgine sentiat. Hoe ideo tertio repetitur, ut quanta veneratione Dei Genitrix sit digna deceatur.*

*Sequitur laus Ecclesie conversæ de Judæis admirantis gloriam Virginis.*

*Quæ est ista, id est quanta vel quam digna quæ virtuosa ascendit de deserto mundi, deliciis affluens eccl., innixa super dilectum suum, id est adeo exaltata super choros angelorum? Filius matri præstatum Judæorum recitat, et econversationem quandoque conversorum insinuat. Sub arbore malo te suscitavi, id est in cruce te redimens super æthera exaltavi. Ibi corrupta est mater tua, scilicet Synagoga proprio ore maledicta me crucifigens, cum dixit: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (Matth. xxvii, 25). *Ibi violata est genitrix tua*, id est lex ab eis prævaricata, quæ dicit: *Justum ne interficias* (Dan. xiii, 53). Nunc autem quia toto corde ad me convertuntur: *Pone me ut signaculum super cor tuum*, id est imprime imaginem meam in cordibus eorum per dilectionem, ut signaculum super brachium tuum, id est exemplum mei imprime per operationem: *quia fortis est ut mors dilectio*, id est sicut prius mortem per infidelitatem meruerunt, sic nunc per dilectionem vitam inveniant. *Dura sicut infernus æmulatio*, id est sicut prius propter duritiam corruerunt in infernum, sic nunc propter emanationem vitiorum intrabunt in celum. *Lampades ejus, lampades ignis atque flamarum*, id est qui inter eos erunt charitatem habentes, erunt igne sancti Spiritus ardentes, et bonis operibus lucentes. *Vico tibi quod aquæ multæ*, id est sæculares deliciae*

vel divitiae non potuerunt extingueri illorum charitatem; nec flumina, id est omnia tribulationum genera obruerunt illam. Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, hoc est, si quis eis omnem gloriam mundi obtulerit, a charitate Christi eos separare non poterit.

*Sequitur sollicitudo Virginis pro Ecclesia de Judæis.*

*Soror nostra Synagoga, in hæreditate Patris nobis per fidem socianda, in numero nostrorum civium dinumeranda, parvula est, et non habet ubera, id est prædicationem. unde vivendi sumat exemplum. Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est? hoc est, quid erit de Synagoga in tempore quo ab Enoch et Elia erit prædicatio?*

*Consolatio Christi ad Virginem.*

*Si murus est, ædificemus super eum, hoc est ædificabo eam in virtutibus ut murum, contra vitia undique munitam. Et hoc per propugnacula argentea, hoc est per Scripturas nitentes eloquentia. Si ostium est, hoc est faciam eam alii exemplo ostium, ut per eam ad vitam ingrediantur. Compingamus illud tabulis cedrimis, id est ornabo eam spiritualibus fissiis.*

*Virginis promissio.*

*Ego ero murus eis, si vitam meam imitabuntur erunt inexpugnabiles a vitiis, et ubera tua turris, id est per mea exempla erunt tui in bonis. Ex qua facta sum coram eo quasi pacem reperiens, hoc est ex tempore quo eum precibus pro eis placavi, et eis pacem et gratiam ejus impetravi, hoc ideo contigit, quia vinea sui pacifico, scilicet Christo, quia vera vitis voluit in me germinari, beatorum propago. In ea quæ habet populos, id est in mea gente, quæ genuit humiles, scilicet apostolos. Tradidit eam custodibus, id est commendavit hanc gentem apostolis, dicens: *In viam gentium ne abieritis, sed ite ad oves domus Israel* (Matth. x, 5). Sive me vineam suam tradidit custodibus, cum pendens in cruce dixit: *Ecce mater tua* (Joan. xix, 27), quia et alii apostoli impenderunt ei necessaria. *Vir assert pro fructu ejus mille argenteos*, hoc est, quisque fidelis omnia que habet dat ut fructum hujus vineæ Christum lucrifaciæt.*

*Christus ad fidèles.*

*Vinea mea coram me est, hoc est, mater mea in gloria mea. Mille tui pacifici, id est multi erunt palmites de me vite, per fidem pullulantes, et te in eas stimonia imitantes, et ob hoc vitam hæreditabunt in pae lœtantes. Et ducenti argentei his, qui fructus ejus custodiunt, id est duplarem mercedem habebunt, qui me fructum vitæ per bona opera servabunt. Quæ habitas in hortis, il est jam, o Mater, ab utroque coleris, amici auscultant, id est quique electi te imitantes mihi obedient, nunc fac me vocem tuam audire, id est quid amplius desideres innotescere.*

*Sequitur supplicatio Virginis pro separatione justorum a reprobis.*

Qui in hac vita inter bonos et malos latuisti, jam a malis fuge, dilecte mihi, et assimilare capræ, quæ bona herbas discernit a malis, ita in judicio tuo segregat reprobos ab electis. *Hinnuloque cervorum assimilare*, qui solet in umbra requiescere. Ita transiens a paleis requiesce in granis. Et hoc super montes aromatum, hoc est super altitudinem angelorum, inter eos qui sunt montes et aromata, quia tu existis in omnibus omnia, alti meriti, odoriferi præmii. Hæc de Canticis sunt dicta.

Nunc pauca ad honorem Virginis sunt supera adjicienda. Sed cum scriptum sit: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Ecli. xv, 9*), non præsumo pollutis labiis laudare Matrem Conditoris. Denique quanta laude digna sit, ipse sanctificator et sanctitatis amator probavit, qui eam proprio habitu dignam judicavit. Qui cum a Virgine magis nasci elegerit, causa jam omnibus patuit, quia sicut mors per feminam virginem intravit, ita vita per feminam virginem intrare debuit. Et alia causa erat.

Quatuor modis facit Deus homines, de terra ut Adam; de solo viro ut Evam; de viro et femina ut nos, de sola femina Christum, quod sibi reservavit privilegium. Cur autem coelos ascendens non eam secum sumpserit, sed eam hic in terris ad exemplum fidelium duos annos reliquit, hæc causa est, ut ejus absentia dolore, ut aurum in igne examinaretur, et excellentior postea angelis præficeretur, et ecclie etiam novo gaudio exhilarescerent, dum cœlici ciues suæ regine Dei matri festive occurserent. Ilujus nativitas olim non agebatur, sed divinitus revelata, tali modo agi prædicatur. Solitarius sanctæ vite fuit, qui singulis annis harmoniam in cœlo nocte Nativitatis ejus audivit; qui cum miraretur, quod alio tempore hoc non audiret, cœpit Deum rogare quod significaret. Cui angelus Domini apparuerunt, qui ei talia retulerunt: *Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte genita fuit. Quod licet ab hominibus ignoretur, ab angelis in cœlis celebre habetur.* Quia revelatione divulgata, ejus Nativitatis celebratio ab Ecclesia est instituta. Cur autem nos inolevit, quod flores et herbæ in ejus festivitate consecrantur, ob duas causas fieri comprobatur. Una quod floribus ejus festivitas decoratur, quia ea die de ea cantatur: *Circundabant eam flores rosarum et lilia convallium.* Per rosas martyres, per lilia intelligimus virgines, per alios flores vel herbas sanctos quosque in bonitate olentes. Beata autem Dei Genitrix virgo et martyr fuit. Quamvis ergo multum a sanctis omnibus, tamen a virginibus et martyribus creditur glorificari specialius. Alia causa est, ut quia jure omnes fructus novi ante gustum deberent benedici, et hoc vix in monasteriis observatur, statuit Ecclesia ut in ejus Festivitate primitiae frugum a sacerdotibus benedicerentur. Cur autem eo die processio fiat, duxæ causæ nobis insinuant. Una, quia sanctissimum ejus corpus vel illa cum processione apostolorum et

aliorum Christi discipulorum ad tumulandum portabatur. Altera, quia ejus beatissimus spiritus angelis cum Filio Dei procedentibus ad ecclœstia ferebatur. Cujus corpus postea resuscitatum, et in superna gloria creditur collocatum.

Quod autem Ecclesia candelas in ejus festivitate manibus gestare consuevit, de ritu gentilium exceptum. Romanum imperium subjugaverat sibi universum mundum, unde etiam solvebatur Romanis census ab omnibus gentibus. Qui cum venissent, civitatem cum luminaribus lustrabant ob honorem suorum deorum, imo dæmonum, quod sibi orbem subdiderint, ut putabant. Cur autem hoc in Februario, in quo signum est aquarii, fecerunt; haec causa exstitit. Signum aquarii oppositum est signo Leonis. Sex etenim signa, sex aliis sunt opposita, dicebant philosophi animas ab æterno conditas et in compariibus stellis collocatas. Quæ cum ab alto prospicerent corpuscula in matribus procreari, cuperent incorporari et hoc desiderio a coelestibus labi. Dogmatizabant rursus philosophi duas januas esse cœli. Una in signo Canceris per quam animæ exirent; alteram in signo Capricorni, per quam redirent, et cum animæ de Canceris exirent ad Leonem pervenient, ibi descendere contra Aquarium inciperent, et sic per omnes planetas laberentur, atque tali modo incorporarentur. Postea autem corpus exuerent per regnum Plutonis, scilicet tenebrosum, qui etiam Pluto eodem mense colebatur, reverti deberent et sic ad Aquarium pervenientes, pristinam dignitatem recuperent et per Capricornum comparem stellam intrarent. Portabant ergo hac intentione lumina, ut transitus eis postmodum lucidus concederetur per loca tenebrosa. Hæc quidem illi agebant ex errore decepti.

Nos autem gerimus spiritualiter divino nutu instituti. Christi imperio totus mundus subjicitur, unde et ab omnibus divini servitii census solvitur. In candela tria considerantur, lumen, cera, lychnus. Lumen lucet, cera liquecit, lychnus ardendo evanescit; quæ significant Christum. Lumen est ejus divinitas, ut ipse dixit: *Ego sum lux mundi* (*Joan. viii, 12*). Cera est ejus humanitas, ut item dixit: *Factus sum tanquam cera liquecens* (*Psal. xxi, 15*). Lychnus est ejus mortalitas, quæ igne passionis est consumpta, quia hoc Simeon in Christo intellexit, ideo eum portando in manibus exultans dixit: *Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tue Israel* (*Luc. ii, 32*). Ob hanc significationem portat Ecclesia illa die lumen in manibus, ut cum quinque virginibus, per quinque sensus accensis virtutum lampadibus post mortem carnis mereatur regna tenebrosa evadere, et per stellam clarissimam, Dei genitricem Mariam, in lumine Patre, lumen Christum videre. Votis ergo laudibus celebrate Reginam celorum, ut ipsa pro nobis jugiter interpellat Filium Regem angelorum, ut post hanc miseram peregrinationem cum ipsa regnetis in sæcula. Amen.

II. — *De Nativitate sanctæ Mariæ.*

*Egredimini, filiae Hierusalem, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua in die sollemnitatis et lœticiae (Cant. iii).* Filiæ Hierusalem sunt animæ fideles, filiæ Ecclesiæ, pacem veram visuram [visuræ] in cœli culmine. Hæc jubentur egredi per mentis contemplationem et videre regem Salomonem, scilicet verum pacificum Christum in gloria Patris et pacis, præ sole fulgidum, in diademate quo eum mater sua in die sollemni coronavit, videlicet in carne qua eum mater sua virgo Maria in tempore gratiae humano generi generavit. Hunc regem debemus et nos in dyademate considerare quod in die sollemni portavit, quando eum mater Synagoga spinea corona pro nobis in die Paschæ coronavit. Materiam autem carnis in qua hæc pati voluit, de Virgine matre induit, de qua ut sol aurora processit et lucem æternæ claritatis mundo invexit. Hæc est quam Dominus benedixit in sua virtute dum eam ex omni carne eligens, per ipsam apparuit prò mundi salute. Per ipsam inimicos nostros ad nichil redigit duia dæmones humano generi hostes fidelibus subegit. Ideo non deficit laus ejus de ore hominum, quibus hodie celebris est et cœtibus angelorum. Ipsa est coelestis Hierusalem gloria et spiritualis Israel, scilicet *videntis Deum*, populi lœticia. Hæc cedro comparatur quæ nimis multiplicatur, a qua putredinis et veimium corruptela fugatur; ita hæc Virgo beata erat virtutibus dilata, ut cedrus multiplicata; quæ non sensit putredinem corruptionis et per quam fuggantur dæmones æternæ damnationis. Hæc maris stella dicitur quia genus huinanum de salo hujus sæculi ad æternam vitam per eam dirigitur; sed qualiter hæc stella maris bode ad ortum processerit de qua sol justiciæ mundo resplenduit, vestram dilectionem audire convenit.

Fertur quod pater ejus Joachim in Hierusalem natus fuerit et Annam de Bethlehem uxorem duxerit. Qui omnibus mandatis Domini [obedientes] sine quærela vivebant, plurimos annos absque sobole ducebant. Quadam die dum Joachim Deo sacrificat, sacerdos ejus sacrificium ob sterilitatem reprobavit, qui inde verecundatur atque in solitudine cum pastoribus commonoratur; cui angelus Domini apparuit, filiam de se generandam Mariamque nuncupandam retulit. Deinde Annae apprens eadem nunciat certaque signa insinuat. Ambo igitur convenient, visum alterutrum referunt. Post hæc Anna filiam peperit; secundum angeli dictum Maria ei nomine imposuit ablatandamque Deo in templo obtulit. Quam in domo Domini ponentes per gradus ad altare cum sacrificio scandunt, et ecce infantularum per omnes gradus post se concendisse conspiciunt, quam mox culmen virtutum ascensuram non ambigunt. Hæc dum infra septa tempri cum aliis pueris Deo oblatis nutritur, et eis aliquod opus injungitur, semper Mariæ aurum vel purpura sorte datur et inde regina ab eis appellatur. Hæc prima inter

mulleres vovit Deo virginitatem, et ideo sola inter mulieres meruit virgo summæ prolis fecunditatem. Itaque dum sacerdos omnibus puellis nuptias imperaret, et omnibus prono animo obedientibus, hæc sola virile consortium recusaret, Dominum pro hac re consuluit qui omnes de tribu Juda cum virgis adesse jussit; inter quos dum Joseph cum assuit, virga ejus floruit, columba cœlitus veniens flori incubuit. Hoc viso a mirantibus Deus laudatur huic que virgo saera despontatur. Ad Nazareth autem adducta ab angelo officiosissime salutatur, æterni Regis introitus ei annunciat, sieque certo tempore de stella Sol generatur. Hujus natalis olim minime agebatur, sed hoc modo institutus traditur.

Quidam de sanctis audiebat singulis annis hac nocte dulcem armonyam in cœlis personare et quasi chorus angelorum festum celebrare. Qui cum a Deo precibus inquireret cur hæc non alio tempore nisi illa sola nocte audiret, dictum est illi ea nocte mundo esse genitam Dei Genitricem, et ob hoc illam noctem angelis esse celebrem. A quo dum hoc publicatur, sancitum est ut etiam hominibus natalis ejus sollemnitas habeatur.

Quibus autem praœconiis hæc gloria Virgo ab omni sæculo sit colenda testantur dulcia ejus beneficia sæpius miseris impensa. Cuidam namque morienti et valde de actibus suis pertimescenti pia Virgo cum magna gloria apparuit, et utrum se agnoscet inquisivit. Qui cum diceret se minime eam agnoscere, dixit se matrem fore [pro esse] misericordiæ, afflictumque consolatur, qui mox in gaudio Domini lætitiscatur.

Huic Virgini solvannis omnes laudis præconia de qua processit ipsa misericordia. Ad hanc confugiat omnis miserabilis, ut per eam ei reconcilietur qui in sanctis suis est mirabilis. Igitur, karissimi, natalem Dei genitricis gloriosa virginis canticis ovantes celebremus, eamque ore et corde jubilantes laudemus, quatenus ipsius obtentu eam quandoque cum angelis exultantes glorificemus.

Festa hujus diei Deo dicati augent nobis merita beati martyris Adriani. Hic erat Maximiani imperatoris miles amicissimus et postea summi regis Christi martyr carissimus. Qui cernens Christi milites acerrimis suppliciis cruciari, inquirit quod præmium pro his pœnis sperent sibi recompensari. Qui cum dicerent quod oculus non vidit et auris non audivit et in cor hominis non ascendit (*I Cor. ii*) sibi a Domino redonari, rogat tortores nomen suum cum his notari. Quod audiens Maximianus jubet eum catenatum in carcerem recipi et omnibus pœnis affici. Uxor autem ejus Natalia, summa laude digna, postquam Adrianum pro Christi nomine inclusum comperit, gratias cum gaudio Christo egit, ingressaque carcerem multis verbis eum ad passionem confortavit, omnibus pro Christo inclusis necessaria ministravit; vincula eorum osculatur, ut pro suo domino orient precatur. Hanc aliae mulieres imitatae

cœperunt sanctis in carcere ministrare; sed cum iussu Maximiani mulieres prohiberentur ne ad dannatos ingredierentur, Natalia comam totundit, virilem habitum induit sicque sanctis fidele habitum [servitium] exhibuit. Post hæc Adrianus cum plurimis multis flagris dilaceratur atque cum viginti martyribus erurifragio ad mortem cruciatur, et sic a dolore mortis eruptus auctori vita laureandus associatur. Deinde Natalia ab uno de martyribus vocatur ad cœlestia, moxque sanctis conjungitur in gloria. Hodie, karissimi, beatam Dei Genitricem cum istis martyribus invocate, pro vestris necessitatibus omnime exorate quatenus post mortem carnis liceat vivere cum illis. Ubi oculus non, etc. (*Speculum Eccles.*)

### III. — In Annuntiatione sanctæ Mariæ.

*Qui audit dicat: Veni (Apoc. xxii).* Praecepit nobis Scriptura, dilectissimi, ut quæ de Deo et vita æterna intelligimus vobis intimemus et ad illa festinantes vos nobiscum invitemus.

Ista dies inter præcipuas festivitates computatur, quia totius Christianæ religionis summa ab ea exordium sumpsisse comprobatur. In hac quippe die mundus de peccatis perditus ad vitam Christi passione reparatus. In hac quoque Joannes Baptista decollatur, in hac etiam Jacobus frater Joannis capite truncatur. In hac sacra die Incarnatio Christi per angelum Virginis nuntiatur, sicut hodie a tota Ecclesia devote celebratur.

Legitur quod ea die eademque hora qua primus homo conditus est in paradyso, etiam Filius Dei in ea novus homo sit conceptus in Virginis utero. Ipsa quippe erat paradiſus malorum, fons hortorum, quia in ea surrexit Lignum vitæ, atque de ea profluxit fons sapientiae, omnibusque deliciis affluens, in qua omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi erant (*Coloss. ii*). Traditur etiam quod ea hora qua Adam de vetita arbore commederit, ea Christus in arbore crucis pendens, acetum cum felle biberit; atque ea hora quæ Dominus hominem de paradyso expulerit, ea Christus latronem in eum introduxerit. Quod totum hodie contigisse tradit Ecclesia. Unde, per quam continet, hodie magnificatur beata Virgo Maria.

Cum enim primi parentes in paradyso deliciis affluxissent, et diabolo propinante poculum mortis haūsissent, ac tota successionis eorum soboles per V milia annorum mortis sententiae succubuisset misertus Deus quod ille malignus prædo gloriabatur quod totum genus humanum quasi jure hæreditario possedisset, contra mortis potyrium sic homini per feminam, diabolo instigante, porrectum, miscuit vitæ antidotum, angelo ministrante per feminam ab humano genere acceptum, et mortem quam femina mundo intulit, femina depulit, insuper vitam omnibus detulit. Misit Deus angelum suum mysterium æternæ salutis Virgini nunciare per quod sibi vellet perditum mundum reconciliare, in quo sibi complacuit omnia in cœlis et in terris re-

staurare (*Coloss. i*). Gabriel itaque archangelus Virginem venerabiliter salutavit, quam Matrem Dei atque Reginam angelorum futuram prædicavit. *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ecce concipies et paries Filium, et Filius Altissimi vocabitur. Hic in Israel rex erit, et regni ejus non erit finis (Luc. i)*. Ad hæc verba mox illa ultra angelos beata, a Spiritu sancto impregnata, et a Verbo Dei virgo sacra ingravidatur. Tunc non ad lascivas fert gressum petulanter, nec de collata de collato munere more muliebri apud eas multiplicat verba arroganter; sed protinus ad Elisabeth sanctam humiliter properat, quam gravitas ætatis et vite meritum dignam fama reddiderat; quæ jam sexto mense, codem angelo nunciante Zachariæ, illum conceperat qui Domino in mundum venienti viam ad corda hominum præparare debuerat, et idcirco per VI menses se occultaverat. Igitur dum Maria Elisabeth salutavit, Johannes ad vocem ejus in utero matris exultavit, jam cupiens de claustris prorumpere et Domino suo venienti occurrere; jam volens egredi, Regem et Sponsum fidelis servus et amicus amplecti. Tunc Elisabeth, Spiritu sancto repleta, dixit omnia que Virgini dicta essent a Domino forent complenda. Tribus itaque mensibus apud illam deguit, usque dum Filium omnibus prophetis majorem genuit, qui ipsius Filii præcursor et præco in mundo præire debuit (*ibid.*). Deinde ad Nazareth reversa, cum a Joseph grava notatur occulte eam dimittere meditatur. Cui angelus in somnis apparuit, non esse illam dimittendam admonuit, conceptum autem esse a Spiritu sancto innotuit (*Matth. i*). Expletio ergo certo tempore, maris stella solem justicie mundo edidit, qui lux et rex angelorum omnium et vita et salus omnium hominum extitit.

(*Ex. xxiii*) Lex omnes virgines maledictioni adixerat, sicut scriptum est: *Maledictus qui non fert fructum in Israel. Hanc maledictionem Deus a virginibus per Mariam virginem detersit, dum ipse auctor benedictionis ab intemerato utero ut sponsus de thalamo processit. Steriles ab hac maledictione absolvit, dum Baptistam suum Johannem de sterili utero nasci voluit.*

Hæc, karissimi, olim multis modis præfigurata; hæc multifarie a prophetis prænunciata, Moyses namque vidit rubum igne comburi, nec tamen flamma consumi (*Exod. iii*). In quo Dominus apparuit, cum populum suum ab Ægyptiaca servitute eripuit. Hoc beatam Virginem præsignavit, quam ignis Spiritus sancti prole illuminavit, nec tamen flamma concupiscentiæ violavit. Ex qua Dominus visibiliter apparet mundum visitavit et populum fidelium a diabolica servitute liberavit.

Aaron quoque iussu Domini aridam virgam in tabernaculum posuit, quæ in crastino florens nuces protulit (*Num. xvii*). Per quod signum Deo fideles commendantur, rebelles vero confutantur. Arida virga quæ nucem protulit est virgo Maria quæ

Christum Dominum et hominem mundo progenuit. Per hunc justi in ultimis ut palma florebunt, reprobri vero ut siccus arida in igne ardebunt. Dominus filii Israel manna de celo pluit, et ne quid in crastinum de eo reservaretur jussit. Cottidie eis novum dare voluit, manna vero reservatum vermes protulit. Per manna sancta Maria accipitur de qua vermis Christus nascitur. Ipse namque dicit : *Ego sum vermis et non homo (Psal. xxi)*. Homo enim ex commixtione viri et mulieris nascitur, Christus vero ex sola Virgine procreatur, ut vermis ex mundi humino formatur.

Gedeon, dux Israel, vellus in aream tetendit, in quod ros cœlitus descendit, et aream siccitas tenuit. Rursum vellus exponens, area rore inmaduit, et vellus humore caruit (*Judic. vi*). Hoc signum suit victoriae fidelium et fugae hostium. Vellus infusum rore est Virgo sacra, secunda prole. Area inhumecta est virginitas ejus intacta. Rursum area rore inmaduit, quia Ecclesia donis Spiritus sancti secunda claruit. Per hoc signum, id est Virginis partum, dæmones, qui sunt humani generis hostes, devincuntur, et fideles cum triumphali gloria in celis coronabuntur. Vellus vero humore caruit quia Synagoga a donis spiritualibus sterilis aruit.

Hoc totum in Spiritu sancto propheta prævidit et his verbis dixit : *Exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini (Isa. xi)*. Jesse fuit pater David regis, qui erat radix hujus sacræ stirpis. De hac radice David ut arbor succreverat, de qua nobilis virga pullulaverat, quia virgo Maria de ejus progenie originem duxerat. Hæc virga florem protulit, dum virgo Maria Christum genuit. Ipse enim dicit : *Ego flos campi et lily convallium (Cant. ii)*. Campus est terra inarata, et est virgo inmaritata. Illic campus preciosum florem produxit, cum Christus de Virgine natus mundo illuxit. Qui flos erat lily convallium, id est Christus ornatus humilium. Super hunc Spiritus Domini requievit, quia plenitudo divinitatis in eo corporaliter habitavit (*Coloss. ii*). Hoc etiam propheta dixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est nobiscum Deus*.

Ezechiel quoque portam semper clausam vidit, per quam solus Rex regum transivit et clausam reliquit (*Ezech. xliv*). Sancta Maria est cœli porta quæ ante partum et in partu virgo fuit et post partum virgo permanxit.

Nabuchodonosor rex statuam vidit, cuius caput aureum fuit, pectus et brachia argentea, venter æreus, crura ferrca, pedes stictiles erant. Lapis vero de monte sine manibus abscisus statuam totam comminuit et in pulverem rededit. Ipse iu montem magnum crevit et totam terram implevit (*Dan. ii*). Per diversa statuæ metalla designantur diversæ potestatis regna. Lapis autem abscisus de monte sine manibus præcedentium est Christus, natus de Virgine sine manibus amplectentium. Illic omnia re-

gnæ suo imperio subjugabit et ipse solus perpetuo regnabit. Illic etiam Nabuchodonosor statuam aereum altitudine XL cubitorum, latitudine VI fecit, quam universum populum adorare præcepit. Huic cum Ananias, Azarias, Misael cervicem flectere recusarent et solum Denū omnium adorarent, rex iratus præcepit fornacem septuplo quam solebat incendi, in quam jussit istos tres viros ligatos mitti. Porro incendium divinitus de fornace excussum exteriores exurebat, interiorum autem nec unum capillum lædebat, immo eorum vincula dissoluebat ; et ipsi ymnum Deo in mediis flammis canebant, cum quibus rex Filiū Dei videbat (*Dan. iii*). Sic Spiritus sanctus beatam Virginem suo igne interius illuminans fecundavit, exteriorius ab omni concupiscentia obumbrabit. Unde et ea Filius Dei gentibus revelavit.

Daniel, permisso regis, idolum Babyloniorum destruxit, et draconem quem adoraverunt interfecit. Unde et Babylonii ira permotus cum in lacum leonum miserunt, et lapide magno usque ad VII dies clauserunt. Rex vero, cum Danielem diligenter, lapidem anulo suo signavit, ne eum interficerent. Porro angelus Domini prophetam Abacuc de Iudea cum prandio rapuit, et super lacum leonum statuit. Qui cibum Danieli intus detulit, nec tamen sigillum amovit. Septimo autem die rex veniens, et sigillum sanum et Danielem incolorem inveniens, Deo laudes dixit, eum de lacu eduxit, hostes ejus a leonibus devorandos includi jussit (*Dan. xiv*). Sic Christus, non amoto virginis pudoris signaculo, in thalamuni uteri introivit et rursum salvo signaculo de aula virginali lux et decus angelorum et hominum existivit.

Hujus virginis genealogia ab evangelistis quasi linea ad hamum contextitur, in cuius fine Filius ejus ut hamus annectitur, dum Jesus Christus de ea natus dicitur (*Matth. i*). Hanc lineam Deus Pater in virgam crucis innexit, in qua suus Filius ut hamus peperdit. Porro edulium hujus hami caro Christi erat quæ in sacra virgine ut in vase piscario abscondita fuerat. Hunc hamum Deus in mari hujus saeculi misit, et leviathan de cordibus fidelium extraxit. Cuius maxillam armilla Christi caritatis perforavit, ut exitus pateat his quos incautus devoraverit. Unde David egressus per nœnitentiam patuit, quem per adulterium et homicidium devoravit. Petro stendo patuit, quem perjurando et Dominum abnegando in gutture habuit . Mariæ lacrimando patuit, quæ per multa sordidum [sordium] crimina in ejus ventre latuit. De hujus beata Dei genitrix suam æquivocam salvavit Mariam Ægyptiacam. Hæc in Ægypto oriunda, in tenera adhuc ætate Alexandriam venit et XIII annis publicum scortum se omni vulgo præbuit. Cum autem populus Hierosolimam navigio properaret, ut exaltationem sanctæ crucis ibi exaltaret, ipsa cum aliis navem intravit, absque modo animas juvenum laqueis diaboli innovavit. Cum vero Hierosolymam pervenissent, et po-

pus ex omni urbe confluxisset, omnes quos potuit ad facinus petulanter inclinavit et miseros insaciabilis diaboli decipula volutabro sordidum [sordium] ingurgitavit. Itaque festo imminente, et populo cattervatim ad ecclesiam concurrerente, ipsa cum aliis templum intrare voluit, sed divina virtus eam longe a foribus expulit. Sæpius autem turbis innixa, ingredi conabatur, sed conatus ejus frustrabatur, quia iterum atque iterum a foribus repulsa efferebatur. Tunc nutu Dei instincta, multitudinem facinorum suorum ad memoriam reducit, imaginem Dei genitricis Marie in pariete depictam conspicit, ac coram ea protinus cum lacrimis corruit, preterita crimina deflens, futura devitare pollicens. Ab oratione surgens, ita libere templum ingreditur, quasi a cunctis eam prius repellentibus traheretur. Adorata autem salutifera cruce egreditur, et iterum imagini sacrae lacrimans prostrernitur. Inde surgens tres panes emit, Jordanem transit, in heremo XL annis soli Deo cognita mansit. Et in primis quidem XIII annis tribus panibus et herbis agrestibus spiritum potius deficientem recepit quam corpus refecit; multa incommoda aeris de æstu vel frigore pertulit; multa diaboli temptamenta, maxime carnis incendia ac prioris vitæ desideria sustinuit. Sed postquam humi prostrata Dei Genitricem invocavit, euncta viriliter superavit. Post hæc, a peccatis purgata, digna Spiritus sancti ad habitaculum est habita. Qui eam dono gratiae scientia Scripturarum et præscientia futurorum interius illustravit, divinæ contemplationis pane saturavit, exterius vero incommoda aeris, passiones carnis clementer mitigavit, insuper præclaris miraculis glorificavit. Nam quidam monachus, dum in XLma heremum pervalet, si forte quisquam Deo serviens in ea inveniatur, Domino ducente, ei manifestatur. Quæ veste ab eo accepta et parte corporis coniecta, mox oratione facta, nomen et officium ejus prodidit, et Zosimam appellari, et sacerdotio decorari benedictionem petendo protulit. Unde ille stupefactus, quænam sit inquirit, euncta ab ea didicit, unde sit vel quæ egerit, vel quando illie venerit, vel quanta ibi perpessa sit. Quam cum ipse rogaret ut pro Ecclesia oraret, illa surgens manus ad cœlum tetendit, et in aere Spiritu sancto suspensa pendit. Hoc ille cernens expavit, fantasma esse putavit. At illa, cogitationi ejus respondens, se fantasma negavit, pulverem et cinerem se esse et baptimate circumdata affirmavit. Præter hæc de Scripturis cum eo disseruit, omnem consuetudinem ei monasterii sui aperuit, nomina singulorum fratrum recitavit, in quo abbas vel illi, vel illi corrigendi essent intimavit. Demum languorem corporis eum insequentis anno incursum prænunciavit, sed ut recepta salute se visitaret et corpus Domini sibi deferret, postulavit. Ille, multis lacrimis suffusus, vix ab ea est avulsus. Mœstus ad monasterium reversus, toto anno erat de ejus absentia tabescens, sitibundo pectore de ejus præsentia refici concupiscentis. Adveniente autem XLma languorem incidit

quem ei illa sancta prædixit. De quo postquam convaluit in Cœna Domini assumpto secum Christi corpore abiit. Illa vero eminus contra Jordaneum veniebat, et signo crucis aquis impresso, ut per liquidum, ita per solidum ibat, veniensque ad eum Dominica sacramenta ab eo accipiebat, expansisque manibus Deo gratias egit, et Zosimam ut se in futuro anno visitet pecit. Et iterum facto signo crucis, fluvium siccis pedibus transivit, et quod Zosimas prius XXti diebus, hoc ipsa unius horæ spacio iter ivit, atque in illo loco quo eam primo repperit invictum spiritum astris reddidit. Senex vero videns gloriosa miracula, solvit illi laudum præconia qui facit solus mirabilia. Anno autem transacto, heremum repetit, eam defunctam repperit, cuius exanime corpus toto illo anno incorruptum sub aere jacuit. Cumque super ejus morte mœstre afficeretur, et quod nomen ejus minime inquisisset contristaretur, et utrumnam ab eo sepeliri vellet auxilius quereretur, ecce nomen ejus et diem transmigrationis in terra conspicit, et ut eam sepe lat literis conspicit. Hæc eo in animo volvente, ecce duo leones de salu venientes locum sepulchri ungibus effoderunt et corpus sanctum cum sene in fossam ponentes, peracto officio ad abdita silvarum recesserunt. At Zosimas festinus ad cœnobium egrediens cuncta fratribus notificavit quæ ei Deus revelavit. Qui Deum glorificant, corpus ejus transtulerunt et cum digno honore apud se tumulaverunt. Ecce Maria, quæ aliquando cantu syrenarum illecta diu naufragium pertulit, tandem emergens, per stellam maris periculu evasit et portum salutis attigit. Hanc maris stellam omnes qui præviā secuti sunt ad portum salutis applicuerunt. Hæc, Ckarissimi, maris stella in summo cœlo super omnes choros angelorum splendida rutilat, post cujus humilitatem et castitatem omnes navim vitæ sue dirigant qui in salo hujus sæculi navigant ut per eam vitæ portu obtineant quo perhenniter cum omnibus sanctis gaudeant, ubi cœlus, etc. (*Speculum Eccles.*)

#### IV. — In Purificatione sanctæ Mariæ.

*Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (Psal. lxxxiv).* Christus, karissimi, ideo veritas dicitur quia per eum completur quicquid a Patre promittitur. Quæ veritas de terra orta est, cum de sancta Maria humanitatis sumpsit exordia. Hæc idcirco terræ comparatur, quia sicut prius Adam de munda terra formatur, ita secundus Adam Christus de munda virginе procreatur. Justicia quoque de cœlo prospexit. Christus est Patris justitia, quia justis per eum præmia, injustis justa irrogabit supplicia. Cœlum autem exitit sancta Maria, quia portavit secreta cœlestia atque ex ea sol justicie mundo fulsit, et luna Ecclesia resplenduit, et numerositas stellarum, id est multiplicitas sanctorum, micuit. De hoc cœlo justicia Christus prospexit, cum ad visitandum genus humanum de utero Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo processit (*Psal. xviii.*)

De hac Virgine omni gratia plena prædixit Ezechiel propheta. Hunc prophetam Spiritus Domini in montem duxit, ubi quasi ædificium civitatis fuit, et ibi portam perenni clausura obseratam conspexit. Et sic Dominus ad eum dixit : *Porta hæc in perpetuum clausa erit, et solus Rex regum per eam transierit (sic)* (*Ezech. xliv*). Civitas quam propheta in monte vidit est Ecclesia quæ in Christo firmata confidit. Porta nunquam aperta est sancta Dei Genitrix, nimquam virile consortium experta. Per quam solus Rex regum Christus nascendo in mundum transivit, et perpetua virginitate clausam reliquit. Hæc eadem Virgo scribitur cœli porta omnibus pie viventibus semper aperta. Per hanc habent transitum ad vitam pœnitentes et cuncti Christum adire cupientes. Hæc quoque Virgo intemerata pœnotatur in sancta historia. Cum populus de Ægypto ductu Moysi repatriaret, et ob murmurationem contra Moysen et Aaron eos furor Domini in heremo exterminaret, jussit Dominus ut de singulis tribubus virgas in tabernaculo reponerent, et cujus virga in crastino flores produceret, hunc Deum elegisse et huic obediere non dubitarent. Allatis itaque duodecim virgis et in tabernaculo sanctuarii positis, in crastino virga Aaron floruit et nuces iam mature [leg. maturas] protulit (*Num. xvii*).

Populus, qui per Moysen de Ægypto transgreditur, est populus Christianus, qui per Christum ad patriam paradysi de hoc mundo revertitur. Tabernaculum in heremo est Ecclesia in hoc sæculo. Virga Aaron arida, sed fructu florida, est sancta Maria, virginitate quidem arida et Spiritu sancto fecundata et partu grava. Hæc virga dulcem nucem edidit, dum Virgo Deum et hominem genuit. In cortice quippe nucis caro Christi, in testa ejus ossa, in nucleari ipsius anima notatur; vel exteriorem corticem humanitas ipsius.

Per nuclearis dulcedinem ejus divinitas declaratur. Nux quadam interlimnio in modum crucis funditur [leg. sinditur], et anima Christi a corpore ejus cruce dividitur. De hac nuce recreantur omnes animæ electorum. de hac epulantur cuncta agmina angelorum.

Hunc Dei Unigenitum beata virgo Maria, Filium suum hodierna die ad templum detulit, et legalem hostiam, scilicet duas columbas, pro eo obtulit. Cui venerandus senex Symeon occurrit, puerum gratulabundus manibus accepit, in templum portans Deo gratias retulit quod portantem se portare meruit. Qui etiam Christum in ruinam et resurrectionem multorum et in signum contradictionis prædixit constitutum, et gladium ipsius matris animam pertransitum (*Luc. ii*). Gladius Christi passio ejus fuit qua hostis antiquus transfixus succubuit. Qui animam Mariæ transivit cum eo [eum] magno dolore in cruce pendente vidit, unde etiam magis quam martyr extitit. Christus autem fuit ruina Iudeorum et resurrectio paganorum, cum Judæi per infidiam corruerunt, gentiles vero a viciis per fidem

Christi resurrexerunt. Signum contradictionis crux erat, cui Judæi et gentes ubique contradicebant.

Karissimi, si nos cupimus in templo cœlesti Christum suscipere, oportet nos in templo Ecclesie nunc hostias cum Dei Genitrice offerre. In lege erat constitutum ut divites mulieres purganda agnum in sacrificio darent, pauperes vero duas columbas vel par turturum immolarent (*Levit. xii*). Per agnum vitæ innocentiam, per turtures vero mœrentium designatur pœnitentia; pro canto namque gemunt et mœsta suspiria edunt. Quia igitur non possumus Deo offerre agnum innocentiae, offeramus turtures pœnitentiae. Et duos (*sic*) offeramus, ut videlicet jugiter desleamus quod paradysi gaudia amisimus, ob hoc quod ea quæ facere debuimus omisimus, vel quod supplicia tartari promeruimus, ob hoc quod multa quæ non debuimus commisi mus.

Et notandum quod Dominus non de regis aut alieni principis filia, sed de pauperrimis parentibus nasci voluit, quibus tanta rerum inopia incubuit quod agnum in sacrificium manus eorum invenire [non] potuit, quia nimurum venit humiles pauperes ad cœlestia revocare et superbos divites in tartara damnare. O quam innumerabilis multitudo supernorum civium ad hodiernam festivitatem, fratres, celebri cultu confluxit, dum mater virgo regem glorie humano generi produxit! Quam læto committatu ordinatim praecessit, dum regina cœlorum cum rege angelorum hodie ad templum processit! O in quantum filiae Syon in Dominum vivum hodie exultaverunt, dum regem Salomonem in diadema carnis a matre coronatum viderunt (*Cant. iii*)! Ideo in læticia et exultatione occurrerunt et eum in templum regis cum gaudio duxerunt (*Psal. xliv*). Hodie juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini (*Psal. cxlviii*), quia venit exaltare regnum populi sui. Virgines exultent et Christo devotis laudibus persultent, quia virgo Maria mundo Salvatorem edidit qui castis virginibus cœlestia munera tribuit. Viduae gaudent et Christo votive plaudant, quem vidua Anna hodie cum Symone templo intulit (*Luc. ii*), qui continentis cœli templo inducit. Conjugate jocundentur et Christo laudes consono ore modulentur, ad cuius matris ingressum Elisabeth maritata, Spiritu sancto repleta, prophetavit (*ibid.*), qui in legitimo conjugio viventes in cœlesti thalamo sibi copulabit. Grata infantilis ætas laudes Christo concrepando voces extollat, quia quem cœli capere non poterant, in cunis infans jacebat. Hunc Johannes infans in matris utero salutabat (*Luc. i*). Hunc milia infantium ejus causa ab Herode sua morte laudabant (*Matth. ii*). Florens puerilis ætas Christo ovando jubilet, qui puer in medio doctorum residet et formam discendi pueris præbet (*Luc. ii*). Fervens juvenilis ætas gratulando Christo præfudat, qui juvenis factus mundum miraculis illustrat:

Honorabilis dies! senilis ætas Christo læta-

bunda psallat, quia qui omnia nutu gubernat, hunc hodie senex Symeon tremulis ulnis portat. Totus orbis in lande ejus erumpat et grates debitas ei altis vocibus resonando persolvat, qui pro universo mundo Deo, Patri Adæ debitum solvebat. Propter Adam erat totus mundus maledictus et damnationi addictus; propter Christum universus mundus est a Deo benedictus et perenni gloriae ascriptus.

Quod hodie Ecclesia lumina in manibus portare consuevit, hoc de more gentili accepit. In hoc quippe mense Romani ad honorem deorum suorum cum luminibus civitatem lustrabant, quod quasi illorum favore totum mundum sibi subjugabant. Quia vero Symeon lumen omnium angelorum hodie in manibus portavit, quem lumen gentium et gloriam Israel prædicavit (*Luc. n.*), Ecclesia ad honorem summi Dei hodie lumina gestanda instituit, qui imperio suo universum orbem subjugavit et eum ad lucem inaccessabilem vocavit. In candela enim Christi humanitas, in lumine intelligitur ejus divinitas. Qualiter beata virgo Maria se invocantibus subvenire soleat, dilectionem vestram breviter nunc audire libeat.

Quidam puerulus Judæus inter Christianos pueros ad ecclesiam ibat, in qua super altare imago sanctæ Mariæ cum filio inscripta muro erat. Missa celebrata, cum sacerdos populo communionem distribueret, videbatur Judæo puerulo quod puerum illi picto similem populo divideret. Qui cum aliis accedens crudam carnem a sacerdote accepit, quam patri domum detulit. Qualiter acceperit ex ordine retulit. Pater, nimia indignatione succensus, fornacem multa silva incendit, puerum intus cremandum injecit. Mater exclamat, populus undique advolat. Fores infringunt, puerum de flammis eripiunt. Quem cum in nullo læsum admirarentur et interrogarent quomodo ab incendio non tangeretur, ille respondit: « Dominam quam super altare in ecclesia vidi, in fornace sedentem vidi; quæ me in gremio suo accepit, flamas a me disjecit, vestem super me misit, ignem me appropinquare non permisit. » Quo auditu voces et manus ad sydera sustulerunt et Christo omnium liberatori et ejus Genitrici gratias gaudentes retulerunt. Inquirunt a patre pueri si consentiat se baptismo ablui; quo renuente hisdem flammis exurendum tradiderunt, puerum vero et matrem et omnes qui aderant Judæos baptizaverunt.

Hanc reginam angelorum, karissimi, imitamini humilitate et castitate. Hanc pro vestris miseriis apud Filium suum devotis precibus intervenire exorate, ut, cum venerit in sanctis suis fieri admirabilis, immarcescibilis gloriae in templo ejus coronam percipiatis. Quam oculus, etc. (*Spec. Eccl.*)

#### V. — *De Assumptione sanctæ Marie.*

*Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? (Cant. viii.)*  
Quemadmodum populus Israel de Ægypto confusis

adversariis, hostibus in mari Rubro obrutis, in exukatione educitur et per desertum in terram desiderabilem cum cantico laeticæ introducitur, sic gloria virgo Maria cuius hodie sollemnia recessimus votiva, de hoc mundo confusis Judæis, dæmonibus in abyssum submersis, in laetitia et exultatione educitur, et per desertum aeris cum concantu angelorum et jubilione sanctorum in cœleste palacium regina celorum introducitur, in quo nunc cum deliciis est affluens, quia inter cœtus angelorum, inter agmina omnium sanctorum exundat eam habundantis voluntatis Dei torrens. Super dilectum suum est innixa, quia claritatem divinitatis Filii sui inspicio dulci affectu est ejus amori jugiter infixa. Nunc circumdant eam flores rosaram et lilia convallium quia rubedo martirum, albedo virginum dulci melo jubilat ejus perenne præconium; et merito: nam ipse Deus transiens fecerat sibi in ea hospicium, sicut hodie retulit evangeliū: *Intravit Jesus in quoddam castellum (Luc. x.).* In castello est turris alta in qua contra hostes sunt propugnacula, murus vero exterius qui est tutela civibus interius. Hoc castellum fuit illud Spiritus sancti sacellum, scilicet gloria Dei Genitrix virgo Maria, quia jugi angelorum eustodia fuit undique inuncta; in qua turris alta erat, videlicet humilitas pertingens ad cœli culmina; unde dicitur: *Respxit Dominus humilitatem ancillæ sue (Luc. i).* Murus vero exterius ejus castitas fuit quæ cæteris virtutibus interius munimentum præbuit. Hoc castellum Dominus intravit quando in utero Virginis humanam naturam sibi copulavit. *Et mulier quadam, Martha nomine, exceptit illum in domum suam; et huic erat soror, nomine Maria.* Per Martham activa vita, per Mariam contemplativa vita designatur, quam utramque perpetua virgo Maria in Christo excellentius excoluisset prædicatur. Omnia namque Evangelii opera impedit ei per activa vitæ ministeria. A patrio namque regno propter nos exulam, et in hoc mundo hospitem, suscepit uteri sui hospicium, geminis virtutum conspicuum. Propriis uberibus pavit eum esurientem, super genua consolabatur flentem. Infirmum enim sovit balneis, nudum involvit paninis; vagientem fasciis cinctum, arridenti dulcia oscula fixit. Nimium erat sollicita circa frequens ministerium, fugiens a facie Herodis in Ægyptum et denuo rediens ut audivit regnare Archelaum. Multum turbabatur erga plurima, ubique tuta credens abscondendi et celandi eum latibula. Quod autem dicitur conqueri de sorore; quod eam solam reliquerit in labore, hoc est Maria videns Christum ab impiis capi, crudeliter trahi, ligari, colaphizari, cædi, derideri, cum reis damnari, in crucis patibulo acerbiter cruciari, si possibile esset vitam suam libenter pro sui ereptione dedisset. Et cum in eo divinitatem corporaliter habitare sciret, quodammodo in animo suo anxia querebatur quod ei non subveniret, sed quasi noxiun reliquisset quem velut abjecticum tot malis exposuisset. Secus pedes Domini sedens verba illius corde et aure

siciebat, quæ etiam in corde suo per contemplativevitæ officium conferens conservabat et semper spiritualia meditans cœlestia desiderabat. Ipse quippe fons sapientie in ea mansionem fecerat, et ideo omnes thesauri sapientie et scientiae absconditi in ea erant (*Coloss. ii*). Nunc Marthæ labore sublato, in illa vita fruitur non significans, sed vera Maria illa uno necessario æternæ dulcedinis gaudio quo Filii sui inhærens complexibus, perhenniter divinitatis ejus cum angelis saciat aspectibus. Ad quam gloriam hodie gloriosa migravit in qua eam Filius suus regiam exolorum super omnes ordines angelorum sublimavit. *Optimam partem* quam hic elegit hodie duplice de manu Domini percepit quæ ab ea numquam auferetur, sed cum plenum gaudium sanctis dabitur, centupliciter augetur. Karissimi, quod haec singularis meriti regina cœlorum singulare sit asylum miserorum quanquam plurima exempla astruant, tamen præcipue hoc salvatio Theophilii approbat. Ille quippe Theophilus multis elemosinis multisque bonis operibus erat inclitus; unde defuncto episcopo ab omni clero et populo præsul eligitur; sed ipse ob humilitatem obstinaci mente renuit, et ob hanc necessitatem alius pontificali sedi præficitur. Qui episcopus dignates sui regiminis constituit prout sibi suisque placuit; unde Theophilum, qui vicedomnus floruit, dignitate privans, eam alteri contulit. Lividus itaque coluber, hostis animarum diabolus, transactis viri invidens piis laboribus, mortiferum virus ei inspirans, mentem ejus sancivit et clandestino dolore graviter instigavit. Cœpit nempe æstuanti ingerere se privatam dolere ac solito honore populique favore carere. Unde Judæi magi auxilium implorat, et ut sibi in hoc negocio subveniat magnopere exorat. Qui persidus perditum cum carta ad diabolum mittit, adjutorium ejus efficax promittit. Quo perveniens ecce diabolus quasi rex coronatus in sublimi sedebat, exercitus malignorum spirituum quasi turba militum astabat, e. qui se in angelum lucis transfigurat, ad deceptio-neum miseri multa luminaria circa se ardere simulabat, accipiensque ab eo cartam celerem opem spondet si modo Mariam et Filium ejus Jesum in scripto abneget. At ille infelix nichil moratus per cyrographum Dei virginem Deique Filium ex ea progenitum abnegat, litterasque sigillatas in manum perditoris complicat. Quem deceptum deceptor animarum per osculum in suum dominium allegat, pollicens quod celerius primatum totius episcopatus ferat. Alia dic episcopus quasdam dignitates mutavit, Theophilum suo officio restituens in tota sua potestate eum vicedomnum exaltavit, cumque per

aliquot tempus in hujuscemodi nacta dominatione exaltaretur, et perdita mente sibi divicias affluere letaretur, divino instincto cœpit intra se anxius meditari quod hodie vel cras aut quovis tempore moriens æternis tormentis deberet pro his cruciari. Divinum vero perhorrescens judicium, clam ecclesiam intrat, XL dies jejuniis, vigiliis, lamentis continuat, actus suos toto corde abdicat, indignum se suffragio omnium sanctorum judicat, quippe cum ipsum Deum largitorem bonorum ejusque præ omnibus electam virginem Matrem abnegaverit, insuper in scripto diabolo tradito januam sibi venie obcluserit. Tandem spe animatus ejus misericordiae qui omnes homines vult salvos fieri (*I Tim. ii*), inexhausta divina pietatis viscera continuis precibus pulsat ejusque piam Genitricem largis flentibus invocat; et misericors et miserator fons pietatis non sprevit neque despexit depreciationm pauperis (*in Psal. xxi, vers. 25*). Quadam namque nocte nimio ploratu fatigatus obdormivit, et ecce beata Dei Genitrix, consolatio miserorum, refugium peccatorum, reparatio lapsorum, moerenti astitit, Christum preces exaudisse, veniam reatus sui ea opitulante cum consecutum retulit. Qui expergesfactus magno quidem gaudio perfunditur, sed rursus maximo mœrore concutitur dum abhominale manuscriptum diabolum habere reminiscitur. Unde iterum humi prosternitur, uberrimis lacrimis turbatur, ejus vultus conteritur rursusque fessus sopore premitur; et ecce iterum salus mundi, porta cœli, Domina regum, decus mulierum, gemma virginum, lux sæculorum, gratulatio angelorum, honor credentium, astans tristem consolatur; cartam super pectus ejus ponens, ut gaudeat de beneficiis Dei hortatur. Ille evigilans manuscriptum super se inveniens exultat in Domino, ineffabile gratiae ejus solvit ymnum in jubilo; cor ejus et caro exultaverunt in Deum vivum (*Psal. lxxxiii*), quem cœli, terra, mare et omnia quæ in eis, laudent in æternum, quoniam ipse solus, quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal. cxxxv*). Reliquum tempus quod supervixit, in Dei servicio duxit, et accepto Christi corpore ut kompas a lumine illuminatur, et mox per Dei Genitricem ad videndum verum lumen Christum in lumine Patre ad superna regna vocatur. Ad hanc omnes, karissimi, tota mente fugiamus, vota precum, hostias laudum ei reddamus, quatenus eam cum Filio suo coetibus angelorum imperantem videamus et aliquam partculam gaudii ejusdem regni ea favente obtineamus. Quam oculus, etc. (*Spec. Eccles.*)

## EADMERUS, CANTUARIENSIS MONACHUS.

## I — DE EXCELLENTIA VIRGINIS MARIE.

## CAPUT PRIMUM.

*Quod Maria excellit omnes creaturas.*

Supereminentem omni quod post hominem Deum creatum est excellentiam beatæ Matris Dei quomodo docunque et saltem lippienti oculo coris contemplari anhelans, et, contemplando, quod inde mihi capere conceditur ad communem notitiam proferre desiderans, horreo peccatorum quibus premor enormitatem, et valde timeo ne mihi tam alta petenti mox objiciatur illud sacrae Scripturæ dictum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isa. xxvi, 10).* Verum cum recogito sanctum Filium ejus, ob hoc ut peccatis hominum mederetur, factum esse filium ejus, non nihil spei concipio quod vel parum percipiendi de sublimitate tantæ Matris, sciens videlicet illam magis propter peccatores quam propter justos factam esse Dei matrem. Dicit enim ipse bonus Filius ejus *se non venisse vocare justos, sed peccatores (Matth. ix, 13).* Apostolus quoque testatur quod *Christus venerit in mundum peccatores salvos facere, quorum se fatetur primum esse (I Tim. i, 2, 15).* Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me meique similes, facta est Domini mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit desperare veniam eorum, cum tam ineffabile donum sit factum ex ea ob curationem eorum? At ipsa curatio ad quos efficiacus progredietur, aut in quibus misericordius operabitur quam in illis a quibus tantum bonum natur, amplectitur et veneratur. Excitemus ergo mentem nostram, fratres mei, et enitamur, quantum possumus, ut in celsitudinem tantæ Virginis attendamus; et, quæ nobis miseratio filii ejus revelare dignata fuerit, pro laude ejus proferamus, prolata ruminemus. Erit enim fortassis hoc ipsum optatae nobis causa non parva salutis, et sauciatis ex virtutum punctionibus animis medicina salubris. Qui namque fieri potest ut ex memoria laudis ejus salus non proveniat peccatori, cuius uterus factus est via ipsi, ad sanandum peccatorem venienti Salvatori? Quid dixi, via, cum idem uterus thalamus Dei, aula Dei, in qua habitaret, sit factus? vere etenim habitavit in eo, quoniam seipsum ipse in eo, et ex eo quod prius non erat fecit. O habitaculum mirabile! O habitare ineffabile! quem cœli cœlorum, quem omnes rerum creatarum machinæ capere nequeunt, virginalis uterus beatæ Mariæ cepit, quando eundem ipsum de se verum et perfectum Deum et hominem in una persona concepit et generavit, via tamen ipse uterus exstitit, quia per illum Deus homo factus in mundum visibilis venit.

## CAPUT II.

*De origine Virginis Marie.*

Quanvis igitur hoc solum de sancta Virgine praedicari, quod Dei Mater est, excedat omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest, et altissimum quid habeat in hoc ad contemplandum et ruminandum mens humana quæ a eam anhelat. Tamen quoniam mihi venit in cor ut de ea aliquid dicam primo de ejus origine, ac deinceps, si quid tenuitas sensus mei de ipsa quod dignitati illius existinem non adversari capere potuerit, in medium proferre libet. Adsis igitur, domina, et non mea, quæ exsecror, sed tua, quæ precor, merita illis digneris attendere, quæ veneror. Tu quidem nosti mentem meam in hoc esse quod me omnino indignum judico de te loqui, aut quidquam scribere. Sed, quoniam insitæ tuæ pietatis oculo super multos mei similes scio te respexisse, aliquo, licet dignitati tuæ indigno, meæ devotionis obsequio vellem agere erga te, quatenus ipso consuetæ misericordiæ tuæ oculo quandoque digneris et me respicere. Tacitis itaque illis quæ ab initio omnis creaturæ, usque ad sanctum filii sui adventum, de hac Virgine prophetata sunt tam per eos qui ante legem quam et per eos qui sub lege justi fuerunt, illud conjicio apud me, nativitatem ejus (quam quidem ex linea generationis humanæ non nesci descendisse), magna quædam atque miranda divinorum signorum inditicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam sibi antequam nasceretur, in matrem elegit; quod ea re, ut autumo, et non incongrue actum credi potest, quatenus eo major veneratio fidelium circa ejus ortum existaret, quo sublimitatem tantæ rei altiori secreto celari quisque perpenderet. Nec enim Ecclesia Dei inconcussæ auctoritatis dicit ipsam Scripturam, quæ ortum illius ab angelô prænuntiatum refert. Nam licet beatus Hieronymus, juxta alterius cuiusdam Scripturæ materiam, quam in adolescentia sua legisse, et cuius auctorem se fatetur ignorare, eam fecerit; dicit tamen non eo pacto se scriptisse quod scripsit, ut aliquam descripta rei certitudinem Ecclesiis vellet inferre, sed hoc solo ut rogantibus amicis simpliciter morem gereret. Unde, quemadmodum dixi, scriptum illud in auctoritatem Ecclesia suscipere noluit, videlicet indecens esse reputans de beata matre Dei quid dubitabile in laudem ejus recitari, cum ea quæ incunetanter de illa vera existunt tanta laudis materia sint referta ut, quicunque in laudando eam.

morari desiderat, necesse sit ut facultas ejus magnitudini et veritati succumbat. Sicut enim sola præ cunctis meriti singularis enituit, ita quidquid eam attinet, speciali quadam veritatis firmitate dignum est enitere.

### CAPUT III.

#### *De Annuntiatione angelica.*

Nata igitur, et infantiles annos exuta, quam caste, quam sancte, quam Deo digne vitam instituerit, et institutam egerit, quis vel cogitat, non dico dictu, queat conjectare? Nulli denique dubium castissimum corpus et sanctissimam animam ejus funditus ab omni fuisse macula peccati, jugi angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, et ex qua hominem in sue personæ unitatem ineffabili fuerat operatione sumpturnis. Et quid mirum? Nam et inter homines usus obtinuit (si tamen a cœlestibus ad terrena potest esse comparatio ulla) ut, cum præponens aliquis et persona dives aliquo vadit hospitatus clientes percurrent ut locum inuident, mundent, ornent et custodiant quo venienti donino suo aptus ad inhabitandum congruus fiat. Quod si talis apparatus fit pro adventu terreni hominis et momentaneæ potestatis, qualis apparatus omnibus boni putamus siebat pro adventu cœlestis Regis et æterni in corde sacratissimæ Virginis, quæ filium non solum erat in semet transitive hospitatura, seletiam ex substantia sua factum hominem paritura? Siquidem ubi venit plenitudo temporis (*Gal. iv, 4*), quod suo adventui ipse Deus ante tempora prædestinavit, misit angelum Gabrielem, unum de primis principibus regni sui, nuntiare tibi, o beatissima seminarum, instare salutem generis humani, et se eamdem salutem operaturum, et ex te castissima, per Spiritus sancti operationem, verum hominem nasciturum. Audis, domina, quæ feruntur, et ad rem omni sæculo inauditam paves et miraris. Nulla tamen incredulitate moveris; verum indubitanter tenes apud te omnimodis impossibile fore non fieri quod angelus dixit futurum esse. Credidit ergo et cœriissime intellexit Deum tam bonum, tam pius, tam omnis misericordiae visceribus plenum ut ad terras de cœlesti sede descendere, et homo factus, per indebitam sibi mortem, genus humanum a perpetua vellet morte qua tenebatur eripere. Respondens ergo nuntio ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. i, 38*). O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio jucundius Deo oblata! Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certe sola fide Abraham fertur Deo placuisse; et hoc solum quia Deo credidit ad justitiam illi reputatum fuisse (*Gal. iii, 6*). Super humiles autem et quietos, ac verba sua trementes (*Isai. lxvi, 2*). Spiritum suum requiescere, et obe-

dientiam se præ sacrificiis malle asserit Deus (*I Reg. xv, 22*). Cum igitur in his quæ tantopere Deo placent sancta virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crediderim ipsam ulla ratione excellentius placere potuisse, nimirum teneimus fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis sive actualis peccati supererat, ita mundatum corporis illius ut vere super eam Spiritus Dei, scilicet super humilem et quietam et trementem verba sua totus requiesceret, ipsam voluntati Dominicæ castissimo ac simplici corde obedientem omni holocausto suavius acceptaret, virtuteque Altissimi obumbratam, Filium Dei ex illa incorporaret. Hic se suberigat intentio mentis humanæ, et, pro posse, paucis intendat quanti penderit omnipotens Deus merita hujus beatissimæ Virginis. Intendat, inquam, et contempletur, videat et admiretur unum Filium sibi consubstantiale, coæternum, coomnipotentem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, et per eum omnes creaturas visibles et invisibles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam unicum quam dilectissimum, et in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eumdem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ unicum, et dilectissimum, et naturalem filium, nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius Dei, alius filius Mariæ, sed idem ipse qui Filius Dei, in una persona esset filius Mariæ, et qui filius Mariæ, unus et idem esset in una persona Filius Dei. Quis haec audiens non obstupescat et quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quod dici potest admirabile ducat? Puella de propagine Adam nata, de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Evæ benedicta prædicatur super omnes mulieres, et concipit, et parturit, et parit hominem Deum, omnes prævaricationes ab Adæ filiis propulsatum, eosque in cœlesti regno suo sibi cohæredes constituturum.

### CAPUT IV.

#### *De amore Virginis ad Filium.*

Quam mirabilis itaque et ineffabilis amoris affectus considerari queat inter hunc talem tantæ matris filium, et hanc talem tanti filii matrem, perpendant hi saltē quoquo modo qui unico dilectionis fervore sese altrinsecus amant, mater scilicet filium et filius matrem Perpendat, inquam, aliqua bona mater quo affectu teneatur erga unicum et bonum filium, et bonus filius similiter modo perpendat qua pietate moveatur erga bonam ac dulcissimam suam matrem, et aliquatenus tentent, si quomodo in se conjectare valeant, amorem hujus bonæ matris erga vere bonum et unicum filium suum, et istius boni filii erga vere bonam et dulcissimam matrem suam. Et quidem omnes homines ex conjunctione durarum personarum, hoc est, maris et feminæ procreantur, et auctorem suum utrique personæ, id est patri et matri naturaliter debent qui sic generantur, ipsis-

que nihilominus suum parentes ambo, qui eos generunt. Cum autem amorem, quem pater et mater singuli debent filio suo, debet haec felicissima matrum sola filio suo, amorem etiam, quem debet, quilibet filius simul suo patri et matri, ille filius vere Virginis debet sive soli matri. Nam sicut alii filii nascuntur ex patre et matre, ita filius ejus natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes amor istius matris in filium suum et istius filii in matrem suam. Et haec quidem ita se habent, juxta rationem filiationis quae facta probatur extra legem humanæ procreationis. Alio quoque modo si placet, amorem hujus filii et hujus matris perscrutemur, et, quantum inde nobis concessum fuerit, prout possumus, speculemur. Certe quæ generat virgo est temporaliter nata; qui generatus Deus est per quem omnia tempora sunt, et ipsam virgo creata. Ostendit ergo ipse primus amorem, quem habebat erga Virginem, et amorem, quo nullum putamus esse majorem; matrem suam fecit illam, et virginitatem illi non ademit. Et quidem haec duo ipsa jucundius amabat, scilicet virginitatem et secunditatem; virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; secunditatem, quia sine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrire metuebat. Vicit tamen amor in ea servandæ virginitatis, et exclusit ab ea timorem incurriendæ maledictionis. Virgo itaque tenera et delicata, regali stirpe progenita, et speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit ut corpus et animam suam Deo virginitate perpetua consecaret. Sciebat enim quod quanto sanctius eam conservaret, tanto sublimius ei qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius esse cognovit Domino legis, speravit et creditit se plene evasuram maledictum datæ legis, reputans secum illum tantæ bonitatis et tantæ sapientiae ut, dum se nullatenus, juxta conscientiam suam, melius scire aut posse facere quam faciebat adverteret, certum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret; nec decepta est. Quis enim speravit in Domino, et derelictus est ab eo? (Psal. xxx, 2.) Denique ubi tam sanctam intentionem ejus, tam castum propositum ejus, tam firmam fidem; constantem spem, et indeficientem vidit charitatem ejus, eo misericordiae suæ intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur, ne aut firmitas fidei infirmata a spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo desiceret. Dedit ergo illi ut et virgo, quod magis optabat, permaneret, et, ut nemo illam a maledicto legis libertinam dubitaret, secunda fieret. Et unde secunda? Secunda Spiritu sancto, qui omnia secundat, omnia vivificat, omnia nutrit; secunda, inquam, illo, sine quo omnis secunditas in sterilitatem vertitur, et igni consu-

menda succiditur. Et revera dignum fuit ut, eo in Virginem superveniente, illa secundaretur, quæ paritura erat Deum per quem totus mundus salvatur. Quid ergo hic diceimus? Estne, putatis, ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare, quando et illi, quod charius amabat, sic integre servavit, ac eam tam digne et caste secundatam, sui ipsius matrem fecit. Potestne, quæso, ullus hominum aut angelorum istius amoris immensitati, aut dignitati honoris illius quidquam vel cogitat percipere comparabile? Erigite, obsecro, fratres mei, erigite aciem mentis vestræ ad contemplandum tam miram divinæ dignationis operationem, tam inessabilem et stupendam omni sæculo hujus mulieris gratiam et exaltationem. Et tu, o beatissima seminarum, in quam fluvit tam copiosa et supereminens gratia omnia gratarum, quid animi, quæso, gerebas ad eum, qui tibi haec magna fecit, unde, sicut ipsa dixisti, jam ab omni generatione beata dici meruisti? (Luc. i, 48.) Vere magnificavit anima tua Dominum; et spiritus tuus exsultavit in Deo salutari tuo (ibid. 46, 47). O salutare mirabile! quod non solum, domina, te inæstimabili salute sublimavit, sed et totum mundum, peccatorum vulneribus putridum, ex te prodiens mira dispensatione sanavit. Verum, dum illum, qui sibi haec miranda fecit, parvulum inter manus suas versari, et ad ubera sua pendere atque ad parvas parvi corporis laesiones parvolorum more vagire consiperet, quo, precor, affectu piissimus ejus animus movebatur, quove studio ad occurrendum cunctis, quæ incommoda illi fore timebat, parabatur eastissimum corpus ejus. Deus Filius hujus felicissimæ matris, qui es virtus et vera sapientia summi Patris, oramus te quatenus ipsa misericordia, qua factus es homo pro nobis, insinuare digneris cordibus nostris que animo, qua cogitatione tenebatur haec dulcissima tua mater cum te, inquam, talem ac tantillum in brachis suis exsultans et leta teneret, cum tibi ut infantulo gestienti dulcibus osculis atque frequentibus congauderet, cum te lacrymantem super genua sua quibus poterat modulis consolaretur, cum denique aliis et aliis studiis, ad quæ ipsam maternam pietas informabat, tibi pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur? Doce, inquam, nos vel paululum inente percipere affectum ipsum quo replebatur cor illius, ut, si eum peccatorum nosrorum squalloribus obruti, quantus fuerit plene non meremur contingere, saltem pauca de illo intelligendo mereamur in nostris ærumnis aliquatenus respirare; nec putetur ab aliquo contemnendum vel parum quid sentire quemlibet in se de affectu istius matris in filium suum. Nullo siquidem modo crediderim quod is qui ad eum intelligentum provelhi meruerit ab amoris ipsius dulcedine extraneus usquequa existere possit. Qui autem in dilectionis suavitatem transit, nullo pacto diffidendum quin et

in retributionis ejus participium transiturus sit. Quam vero retributionem sui amoris sit adepta tota Christianitas novit, quæ illam super omnes cœlos exaltatam et angelicis choris prelatam certissime credit. Eia, fratres, quantum possumus, emittantur aliquo modo, affectum istius tam bonæ matris agnoscere, et in nobis saltem rei magnitudini succumbendo degustare, quo ipsius meritis adjuti, et dilectionis ejus suavitate recreari et aliqua futuræ consolationis mereamur remuneratione sublimari. Quicunque igitur aliquem sincero et dulci dilectionis affectu diligit eique omnia commoda et jucunda ei succedere cupit illius incommodis, si quæ acciderint, mortuus ingemit, volvat et revolvat hunc suum affectum apud se, et cogitet quid sibi esset, si adhuc numero, quem singere libet, multiplicatus in se idem affectus major existeret. Quod cum fecerit, et hunc suum amorem, quantumcunque in intellectu suo magnificatum, amori istius piissimæ dominæ matris in Deum Filium suum aliquatenus comparari posse putaverit, nescio utrum audiendus in hac sua estimatione sit. Nec mirum, ipse enim Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris et Filii, ipse per quem et in quo amatur omne quod bene amat, ipse, inquam, corporaliter, ut ita dixerim, venit in eam, singularique gratia præ omnibus quæ creata sunt, sive in cœlo sive in terra, requievit in ea, et reginam ac imperatricem cœli, et terræ et omnium quæ in eis sunt fecit eam et alicui, bono ad tempus affectu debriato, in animum cadet se quidquam amoris habere, quod illis amoris queat comparabile estimari, quem hæc beatissima matrum ad id ipsum habebat a quo se tam ineffabili dignitate sublimatam intelligebat. Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores et dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suum, et dulcedinis immensitas qua exultabat et liquefiebat anima ejus in eundem Dominum Deum suum. Itaque cui saltem ita concessum fuerit sapientia dulci studio posse cogitare de illa, magnum promerendæ salutis indicium esse conjecto. Sed quid dicam? si tantus fuit amor ejus erga hunc dilectissimum filium suum, quo vel quali gaudio replebatur tota substantia ejus, quando eum, quem tantopere diligebat, quem Creatorem ac Dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum degentem, secum edentem, se quæcunque nosse volebat dulci affatu docentem haberet, quis capiet?

## CAPUT V.

*De Compassione beatæ Mariæ pro Filio crucifixo.*

Tanta dilectione, tanta exultatione ex præsentia illius et conversatione jucundata, perpendat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur, quando eum a se crudelium manibus avelli, quando ad condemnandum tradi, quando ad subeundam mortem judicio judicis iniqui tribunalij consiperet sisti. Forte tamen inter hæc

ei poterat esse ut more loquar humano, aliqua spei consolatio de evasione illius, dum sententiam mortis ejus pendere audiret sub altercatione præsidis ipsum liberare querentis, et Judæorum pessimæ plebis, ne liberaretur, regnum Cæsaris contra præsidem appellantis. Verum ubi, prolixa certa sententia mortis illius, omnis eam spes evadendi desereret eumque crucem, in qua suspensi debebat, humeris ad locum suæ passionis subvehere gemebunda consiperet, estne, precor, aliquis, qui queat percipere qualitatem pectoris ejus? Adjectus est his doloribus ejus, dolor alius: Petrus et alii discipuli, ab eo de nihilo in apostolatum electi, et jam instantæ celsitudinem virtutis, ut etiam dæmonibus imperarent, ercent, nec non secretorum illius consuetudines familiares in cunctis effecti, instantanea hora traditionis ejus fugam ineunt et eum pro quo se mortem paulo ante subituros promiserant, obliiti tantorum bonorum sponsonisque suæ, solum ipsa considerante relinquunt. Unde ipsum, ad passionem omnibus amicis destitutum tendentem, hac voce sequebatur gemens: Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus; non tibi occurrit Petrus qui dixit: *Pro te moriar* (*Matth. xxvi, 35*); reliquit te Thomas qui ait: *Eamus, et moriamur cum eo omnes* (*Joan. xi, 16*), et nullus ex his, nisi tu solus duceris, qui me castam conservasti, filius meus et Deus meus. Verum hæc verba, ex magna pietatis fonte producta, ita paucis ad hoc memorasse sufficiat, ut ea oculus pietatis attendens, dum tantæ matris gemebundus affectibus compatitur, pii amoris illius fructu remunerari aliquando mereatur. Sed, cum ad ipsam ejus passionem ventum fuisset, et ipse crucifixus hinc ipsam matrem suam, hinc discipulum, quem diligebat, prope stantes intutus esset, ne matrem penitus orbatam relinqueret, ei præsentem discipulum suo loco in filium subrogavit: *Mullier, inquit, ecce filius tuus* (*Joan. xix, 26*). O communiatio! pro æterno et incommutabili Deo purum et corruptibilem hominem, pro naturali et nimico filio servum accepit in filium. O domina, qui, precor, cogitatus in te sibi succedebant, cu[m] tam inæstimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Vere pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior exstitit omnibus doloribus eujusvis passionis corporeæ; quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum leve fuit, aut potius nihil, comparatione ipsius tuae passionis, que nimur sua immensitate transfixit cuncta penetralia tui benignissimi cordis. Et utique, pia domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitae, spiritus totius consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui filii, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjacentem, quod in ipso fieri coram moribunda videbas. Mortuus est ta-

men, et ab oculis tuis te inspectante sepulcro reclusus. Cætera silentio premo, penitus ignorans ubi vel unde aliquid dicendum assūmam ex quo luctus tui modum, o pudicissima virgo, considerandum alicui proponere queam. Siquidem cum illum, quem te virginem concepisse, virginem peperisse, et post partum virginem noveras permansisse, nec non per quem te intelligebas ab omni generatione beatam diei meruisse, videres iniquorum sævitiam crudeli nece peremptum, tam subito tuis aspectibus abstractum, et sepulcri antro reclusum, quid ego nescio quis haberem, ubi vel unde accipere in quod in considerationem tui status animi quem gerebas eo tempore cuilibet panderem; sed acerbitas mortoris post resurrectionem ejusdem filii tui in letitiam versa est. Et in quam qualimve letitiam intendamus, fratres mei.

## CAPUT VI.

*De gaudio Resurrectionis.*

Supra, dum gaudii ejus exultationem, qua replebatur in conversatione secum adhuc in carne mortali degentis istius filii sui, considerare nitremur in ipso nostro adnisu defecimus, et eam ultra omnem humanum intellectum magnam et mirandam esse advertimus. Si ergo tam magna fuit tum, cum ipsum bene sciret paulo post moriturum, quæ vel quanta putatis, fuit nunc, cum ipsum videret jam calcatis mortis legibus resurrexisse, non solum in æternum victorum, sed et cœlo et terræ omnique creaturæ perenni jure dominaturum? Nolo hanc immensitatem gaudii ejus penetrare quis laboret, quoniam, quæ ipsis angelis Dei est admiranda et impenetrabilis, non facile crediderim quod cuivis homini mortali possit esse penetrabilis. At si aliquis querit cur evangelistæ non referant ipsura piissimum Dominum a morte resurgentem, huic suæ dulcissimæ matri. ut ejus dolores mitigaret, primo ac præcipue apparuisse, dicinus quod a quodam sapiente de hoc ipso sciscitantes audivimus. Ait ergo tanta esse scitur auctoritas narrationis evangelicæ ut nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur. Itaque si matri Domini, si dominæ mundi ipse filius ejus ab inferno resurgens scriberetur, sicut alii cuilibet, apparuisse, eamque de sua resurrectione docuisse, quis non tale scriptum superfluum duceret? reginam videlicet cœli et terræ, omnisque creaturæ, coæquaret illi, vel illi, quibus apparuit, viro aut mulieri. Spiritus ejus in illa plene et perfecte quiescebat, qui sibi et esse illius et facta ejus omnia luce clarius revelabat; et evangelistæ scriberent tunc vel tunc illi talen ac talem semet exhibuisse. His ita paucis alienjus forsitan inquisitioni, prout accepimus, responsis, adhuc aliquid gaudii hujus beatissimæ Virginis matris speculando præ oculis constitutamus, non ea spe ut modum illius nos in hac mortalitate viventes perfecte intellecturos fore opinemur, sed

ut inde aliquantulum degustando qua possumus illud devotione veneremur. Sic enim inspectum et degustatum magnum in ejus amorem anhelantibus solet generare profectum. Eia, si gaudium habuit ipso filio suo secum in carne degente, si gaudium habuit eodem suo filio calcata morte ab inferis resurgente, num minori gaudio exsultavit ipso suo filio in ea carne, quam de se assumptam uoverat, coram oculis suis cœlos penetrante? quis hoc dixerit, imo quis gaudium ejus omnibus, quæ illud præcesserunt, gaudiis non crediderit eminere? Bonæ matres soleant magnifice in hoc mundo exhilarari, cum vident filios suos terrenis honoribus suannari; et ista mater, procul dubio bona, non ineffabili gaudio lætaretur, quando Filium suum unigenitum omnes cœlos dominandi jure penetrare, ac in Dei Patris omnipotentis vidi concessum ascendendo pertingere? Inno quid huic gaudio unquam fuit auditum simile? quid in medium prolatum, saltem per illud aliquo modo possit mens humana in istud aciem suam dirigere? Sed et haec gaudiorum suorum magnitudo nonnulli incrementi accepit, cum, adveniente super discipulos Spiritu sancto, mox ad prædicationem illorum filium filii sui tanta, sicut scitis, hominum multitudo suscepit. Nec mirum alieui videatur quod dico gaudium ejus in creditum conversione creuisse. Ibi enim excepto gaudio quod de salute generis humani in istam conversionem concipiebat, filium suum non fuisse gratis mortuum, cum tam efficaciter operari videbat fidem mortis ejus etiam in eis qui auctores ejus extiterant. Gaudium itaque ei erat in cœlo, gaudium in terra, gaudium insuper in omni creatura. Gaudium in cœlo, quia fructus ventris sui jam visor mortis et orbis in cœlo regnabat, suaque victoria Deuni Patrem omnipotentem glorificabat, et cuncta cœlestis curiae agmina inæstimabili magnificientia lætificabat; gaudium in terra, quoniam eos, pro quorum salute matrem Dei se factam sciebat, abjecto jugo diaboli, a quo captivi tenebantur, liberos in ipsam salutem currere conspiciebat; in omni quoque creatura gaudium habuit, eo quod illam a pristina oppressione erui, atque in illum ad quem facta fuerat statum redire vidit. Postquam enim homo Deum contempsit, et ejus mandatis tumidus contraire non timuit, in nulla creatura, quam Deus ad subsidium ejus iustinuit, justo judicio aliquid juris amplius habere debuit. Cum igitur et in contumacia sua contra Deum omnium rerum Dominum persistit, et tamen usum rerum in subsidium suum retorquere non destitit, Deo nino Deo injustiam, et Dei creaturæ violentiam intulit et oppressionem. At nuuc, cum jam reconciliatus homo per mortem filii hujus beatissimæ matris redit in gratiam Dei, redit etiam in jura libertatis, ad quam facta fuit creatura Dei, famulandi scilicet ei pro quo se institutam esse cognovit.

Hæc, sacratissima domina, vidi, hæc intellexisti, hæc per te tali modo impleta esse magnifice

gavisa es. Ista, fratres, dicimus dulce habentes, et vos dulce habere cupientes s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> revolve re atque recolere in memoria amorem et gaudium hujus Dominiæ, quibus jugi exundantia in Deum et de Deo jucundabatur tota illius substantia. Nihil enim utilius post Deum memoria matris Dei, nihil salutarius mediatione pii amoris quo servebat in memoria et contemplatione filii sui, nihil jucundius sapore prætractari beati gaudi ejus, quo multipliciter pasciebatur in eodem et per eumdem filium suum. S<sup>e</sup>p<sup>e</sup> quippe vidimus et audivimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis istius bonæ Mariæ, et omnis periculi malum illico evasisse. Velociorque est nonnunquam salus memorato nomine ejus quam invocato nomine Domini Jesu unici filii ejus. Et id quidem non ideo sit quod ipsa major aut potentior eo sit, nec enim ipse magnus aut potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo promptior salus in recordatione ejus quam filii sui s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> percipitur? Dicam quid sentio, filius ejus Dominus est et judex omnium, discernens merita singulorum, dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, protecto id justo judicio facit. Invocato autem nomine matris suæ, etsi merita invocantis non merentur, merita tamen matris intercedunt ut exaudiatur. Hoc denique usus humanus quotidie probat, cum quis, proposito amici sui nomine, efficaciter ab illo aliquid impetrat quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare valebat. Itaque si tam utilis est in subveniendo memoria nominis matris Dei, non mirum si magnæ salutis afferet fructum frequens meditatio sancti amoris ejus, si plenam jucunditatem dabit dulci studio cogitata et recognitata immensitas gaudii ejus.

#### CAPUT VII.

##### *De gaudio beatæ Mariæ in filii ascensione.*

Quapropter adhuc in speculationem gaudi ejus verba vertamus, et mentes nostras ipsius dulcedine aliquantis per enutriamus. Perpendamus itaque, cum tanta gaudi magnitudo impleverit intima piissimæ Dominiæ hujus, ex his quæ iam paululum intuendo, ut potuimus, prælibavimus, utrum ei super illa adhuc aliquid gaudi adjicere potuerit, id quod revelante Spiritu sancto, remota omni ambiguitate, sciebat se decurso vite labentis spatio in beatitudinem regni cœlestis ascensuram, filium suum omnipotenti Deo Patri in sua deitate coæqualem, sicut est, indecisiuti contemplatione visuram, sequente post eum omni creaturæ cœlestium, terrestrium et infernorum perenni jure dominaturam. At immensitatem gaudi hujus quis considerabit, qui non in ipsa consideratione penitus ab ea opprimatur? Et si causa gaudi talis ac tanta est, gaudium ipsum quale et quantum est? Sed, o bone Jesu, istius tuæ dulcissimæ matris piissime filii, quomodo potuisti pati at, te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres, et non cam

statim tecum regnaturam assumeres? Fortassis, Domine, ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, qui potius occurreret, tibi, videlicet Domino suo tuum primo regnum tuum in assumpta carne petenti: an ipsi dominiæ suæ in ipsum regnum jam suum materno jure effectum ascendent. Nam ut in partes suo occursu divideretur, quatenus pars tibi et pars illi in primo adventu obsequeretur, non decere existimo, præsertim cum tua sit tua, tota quoque sit per te eadem cœlestis curia sua. Prudentior ergo et digniori consilio usus præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac sic comitatus tota curia tua festivius ei occurres, eamque sublimius, sicut decebat tuam matrem, ad te ipsum exaltares. Et quidem non est abs re eredere ipsum his de causis matrem suam præcessisse, cum ipse idem Unigenitus hujus beatissimæ Virginis promiserit suis discipulis se, si abiaret, eis locum in cœlesti sede præparatum, ac deinceps eos ad seipsum accepturum. Si ergo locus ab eo parabatur ad gloriam et honorem discipulorum, quo modo non pararetur ad honorem et gloriam Matris suæ, dominæ scilicet et reginæ angelorum? Erat præterea, ut mihi quidem videtur, utilis et necessaria fidei nostræ conversatio sua, post ascensionem Domini, inter apostolos ejus, quia licet ipsi per revelationem Spiritus sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa, per eumdem Spiritum, ipsius veritatis profunditatem intelligebat, ac per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ in se nouum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Nec dilatio suæ assumptionis quo modo jaetur aliquam inferre valebat immensitati amoris et gaudi sui, quoniam ipsa perfectio amoris et gaudi ita illam resiciebat plenitudine sui ut hoc ipsum ei ad amoris et gaudi augmentum magnopere fieret quod se illic esse videbat, ubi Deum, quem præ cunctis amat, magis velle sciebat. Igitur ubi cunque erat, et ipsa in Deo, et Deus in ipsa jucundabatur, qua ipsa jucunditate felix, hoc præ ceteris ubique fieri cupiebat, quod sapientia Dei potissimum placere intelligebat. Hac inæstimabili amoris et gaudi immensitate prædicta fuit hæc Virgo sanctissima, quandiu eam in omni mortali carne manere placuit sapientissimo Filio suo.

#### CAPUT VIII.

##### *De Assumptione beatæ Genitricis Mariæ.*

Verum cum ipse in regnum suum eam assumere, et ei magnificentiam gloriæ suæ decrevisset ostendere, cuius, precor, dignitatis et honoris apparatus intendebat tota curia angelorum, quibusve vocibus exultationis et salutis resonabant numerosa tabernacula antiquorum Patrum ipsi curiæ nuper associatorum? Certe crediderim omnes illius beatæ patriæ cives festiviori solito ac subli-

miori nitore decoris ad adventum matris Domini sui præparari, ac nova quadam et ineffabili jucunditatis gratia pro tantæ rei exspectatione conjubilare. Et quid mirum? Ipse Jesus, Deus et Dominus omnium, filius hujus castissimæ Virginis et dominæ rerum, ipse ei sicut suæ unicæ matri totus festivus occurrere volebat, et aliquis de familiaribus suis se a tanti gaudii immensitate subtraheret? Utique inter homines moris scitur esse unumquemque bonum servum cuiusvis præpotentis domini eo majori gaudio in amici domini sui adventu exsultare, quo ipsum dominum suum cognoverit adventantem amicum magis amare. Cum vero de adventu parentum domini sui agitur, de quorum speciali dilectione nullus ulla dubitatione tenetur, ille nimurum magis felicem se æstimat qui majori jubilo et festiviori occursu lætitiae frena relaxat. Si ergo hæc ita se habent apud homines, quibus si qua bonitas inest, longe tamen supernorum civium bonitati impar est, contempletur animo, qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus jubilabant omnes beatorum spirituum ordines, quando et unicam Domini sui matrem adventare, et ipsum Dominum Deum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere. Stipatus itaque mille millibus, immo innumerabilibus angelorum agminibus Deus ipse huic piissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cœlos exaltatam, cunctæ secum creature perenni jure dominaturam in throno collocavit. O dies tanti occursus gloriosa et felix! Dies tam præclaræ exaltationis beata et celebris! Dies tam sublimis glorificationis festiva et omni sæculo admirabilis! Dies enim illa non solum te, domina, ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, necnon cuncta quæ in eo sunt, nova et ineffabili gloria decoravit. Nova quidem gloria cœlum decoravit, quia priorem gloriam ejus ex præsentia tui, ultra quam dici possit aut cogitari, magnificavit. Nam cum tu, domina, illuc ascendis, nova illud et præcellentí virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miseratioñum et gratiarum luce perlustras. Eadem quoque dies ascensus tui eos qui craves ejus ab initio creaturæ esse meruerant, solito festiviori exultationis gaudio induit, qui per gloriosum secundæ virginitatis tuæ fructum semirutam vident civitatem suam redintegrari. Vere in tuo adventu, per quam tantum bonum meruerunt, gaudii sui magnitudo jure debuit augmentari. Terram etiam dies exaltationis tuæ, o beatissima seminarum, mira gratia irrigavit, quia, dum te, quam de se et in se aliorum hominum lege progenitam cognovit, usque ad Creatoris omnium thronum exaltari cognoscit, antiquæ maledictionis pœnam, quam in peccato primorum suorum filiorum sese merito exceperisse sciebat, jam per tanta benedictionis tuæ abundantiam sese evadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum, domina? immensitatem quippe gratiæ et gloriæ tuæ considerare cupient sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim

omnia, quæ in cœlo sunt per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur, ita, per eamdem glorificationem, cuncta quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Singula nempe in immensæ dignitatis decus profecerunt, cum per tuam beatam et integerrimam virginitatem Dominum Deum suum quem non cognoverant, agnoscere, et agnatum colere et amare meruerunt. Quam super omnes cœlos ascendere ac in dextera Domini Dei sui filii tui Benedicti exaltari cognoverunt, in eo etiam didicerunt se eidem Deo suo totum debere quod sunt, quando tu, quæ inter illa et de illis una fuisti, tantam dignitatis eminentiam inernisti. Nihil igitur aut idolis homines, aut ullæ alia rerum species intellexerunt idolorum cultoribus se debere, ubi et singularem Auctorem sui, ex tuo castissimo utero ad restitutionem primæ creationis suæ progenitum, suscepserunt, et te, per quam amissam dignitatem suam recuperavere, omni creaturæ tam sublimiter præponi accepere.

## CAPUT IX.

*Quantum profuit beata Virgo Maria naturæ humanae.*

Quas itaque laudes quasve gratiarum actiones, non solum humana natura, sed omnis creatura huic sanctissimæ Virginis debet? Pura enim sanctitas et sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem sive sanctitatem transcedens, incomparabili sublimitate hoc promeruit ut reparatrix perditæ orbis dignissime fieret. Unde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus mundus ei jure debeat, cor alicujus sub mortali carne viventis æstimare nullatenus sufficit. Ne tamen aliquis eorum quæ dicimus, nimis insolens autem nos magis more indiscrete laudantium ista dicere quam rem, sicut est, considerationi fidelium quounque modo commemorando velle præfigere, plenius ea quæ humanæ naturæ per eam bona provenere commemorare juvat, ac sic qualiter omnes aliarum rerum formæ per ipsam sint reformatæ, nihilominus, prout poterimus, in medium proferre delectat. Quod ea quidem re facere placet ut præ oculis, aliquatenus deformatis singularibus beneficiis ejus, nemo relinquatur cujus consideratio immensitate promeritæ laudis illius non obruatur. Nota igitur; omni sæculo loquar, et de quo ad quid proiectus hujus dominæ meritis, pro posse, edicam. Itaque natura nostra ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur, et ejus gloria sine omni corruptione et mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum natura statim in primis hominibus perdidit, et in hujus mundi miseras infelix et præcepserunt, dehinc in æternas miseras decurso vite labantis articulo multo infelicius ruitura. Transierunt multa sæcula, et damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim sunum Dei sapien-

tae ullam in massa creationis humanae viam constituit, per quam, ut disposuerat, in mundum veniens tam luctuosae perditioni subvenire, donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset. Sed haec mox, ubi in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantia perfecte resplenduit ut eam ipsa sapientia Dei, ut a saeculis praedestinaverat, vere dignam judicaret, per quam in hominem veniens, non modo reatum primorum hominum, sed et totius mundi peccata deleret, et diabolum suis operis iniurium cum suis elideret; nec non damna cœlestis patriæ, illuc hominem dedueendo, redintegraret. Quis igitur ista perpendens aestimare queat qua laude digna sit, quæ tantorum bonorum sola præcunctis effici meruit mediatrix? Liberati ergo a lege mortis quia detinebamur, resurgimus in gloriam quam in primo parente perdidimus, imo in ampliorem, quam vel ipse in se, vel nos in ipso amissimus. Qui etenim adhuc etiam in carne mortali per fidem ad amissam gratiam seu patriam tendimus, in filiationem Dei per benedictum filium benedictæ matris Mariae transitus, eumdemque filium ejus nobis fratrem ipso auctore ascissimus. A morte enim resurgens nos fratres suos appellavit, et quod ad Patrem suum et Patrem nostrum, Denique suum et Deum nostrum foret ascensurus, familiari affatu nobis intimari præcepit (*Joan. xx, 17*). Quid igitur tantum patrem et tantum fratrem sortiti sumus, utique beatæ Mariae ascribere debemus, cuius integerrima secunditate in tantam dignitatem surreximus; quam quidem dignitatem nostra natura nequaquam adepta fuisset, si illius secunda virginitas Deum de sua substantia non genuisset. Cum igitur tam inæstimabili dignitatis honore, etiam in hujus mundi squaloribus degens, per pīx matris Dei Mariæ merita humana natura sit exaltata, vel advertat, qui potest, qua quali gloria decorabitur, cum hunc ipsum fratrem suum, omnipotenti Patri ejus coæqualem, in sua maiestate regnante acceperit, ejusque regni cohæres existens, perpetua et incomutabili glorificatione vultu ipsius præsens astiterit? Advertat, inquam, advertat quæ gloria, quod gaudium, vel quæ jubilatio erit omnibus illis qui, in regnum æternæ beatitudinis assumti, Deum Dominumque rerum omnium in suæ carnis substantia sibi similem viderint, et cuncta, quæ sive in celo, sive in terra, seu in inferno subsistunt, ad guttum illius pendere, eumque fraterno affectu, imo ultra omnem fraterni amoris affectum, seipso amare et quæcumque velle poterunt, sine mora, sine contradictione, sine defectu sibi æternaliter subministrare. Super haec cum ipsam dominam, per quam tanta bona eis provenere, præ oculis habuerint juxta Deum, quem de suo utero Virgo Filium pepererat residentem, et jure materno celo terræque cum eodem suo filio præsidentem, consideremus qua exultatione exultabunt pro tanta gloria ejus, quo honore sublevabuntur in tanta potentia ejus? Omnis

unica creatura deferret eis honorem, non solam quia videbit naturæ ipsorum consortem esse suum Creatorem, sed etiam quia dominatricem suam innatam ex eis esse conspiciet factam reginam angelorum. His igitur ita consideratis, tu quicunque ex humana stirpe progenitus es, quomodo potes et quantum potes, erige aciem mentis tuæ et quas grates, quas laudes, quæ obsequia ei perpetuo debeas, per cuius beatam et integerrimam secunditatem de tanto malo ad tantum bonum, ut brevi ostendimus, sis provectus, guarus attende. Nulla te ab horum consideratione sæculi delectatio moveat, nulla cujusvis vani amoris desidia a debita laudum exhibitione retardet.

## CAPUT X.

*Quantum profuit omni creaturæ, etiam præter humanam.*

Verum quoniam aliquantis per animadvertisimus quid boni per excellentissima beatæ matris Dei Mariæ inerita adepti sumus, paucis etiam, ut proposuimus, pro posse, quid aliarum species rerum, per eadem ejusdem merita sint adeptæ, advertamus. Scio quidem superius me quædam inde commemorasse, sed ad commendandam piis auribus tantæ dominæ eminentiam non videtur fore superfluum eamdem præsentare sententiam. Omnum itaque creaturam, tam cœlestem quam terrestrem, ad sui Creatoris laudem et gloriam institutam, nemo sicut sapiens ambigit, nemo sapiens silet. Quapropter, si aliquid ejus laudi aut gloriæ, sive honori derogat in quoquam, bene intuentibus liquet quod idem ipsum cætera, suæ subjectionis integratam ei servantia, quodam exinde confusionis verbere sauciatur. Nec enim ad Domini sui fidelitatem integræ sese tenerent, si verecundiam sui auctoris æquanimiter et inconcussa tranquillitate tenerent. Homo igitur, qui a Deo inter cæteras creaturas sublimis naturæ creatus Deum per inobedientiæ suæ reatum inhonoravit, omnia quæ sui juris prius erant amisit; omniaque, quæ sui status integratam servaverunt, ipsa reatus sui immanitate, quantum in ipso fuit, quadam confusione vulneravit; adjecta est eis super hac confusione et alia confusio, quia huic, quem a suo Conditore per malæ vitæ inerita exorbitare videbant, per suæ conditionis legem ministerii sui obsequium nullo tempore abnegare valebant. Ingerebatur igitur operibus Dei contumeliosa quædam oppressio, et siebat de eis gravis et injuriosa abusio. Jus siquidem nullum in his quæ Dei sunt juste deberet habere qui voluntati ejus non veretur pravis actibus contraire. In eo itaque quod lumine cœli et siderum motu in suis usibus homo retus potiebatur idem cœlum et sidera ipsa magni honoris detimenta patiebantur. Nempe illi serviebant propter quem se nequaquam instituta sciebant. Ad servitium quippe justi hominis, non injusti, qui tunc erat, condita fuerant. Hoc ipsum de aere, de terra, et quæ profert, de mari, et omnibus aquis ac de his quæ continent dicere licet et sen-

tire. Omnes igitur rerum formæ informi quadaū et contumeliosa obfuscatione tegebantur, eo quod ipsi, qui Deum suum incessanter offendebat, ministrare ac subdi sine intermissione cogebantur. Duravit autem haec in rerum substantiis injuria quoisque venit in carnem illa, de qua loquimur, beata Virgo Maria. At ubi venit ipsa, et in se Filium Dei incorporavit, et pristinam dignitatem in Deo, qui nascebatur, humana natura recuperavit, nihil ultra confusionis, aut injuriam alicui rerum speciei resedit, imo libertatem primæ creationis suæ confestim recipere meruit. Nam ipsa, cui juxta legem suæ conditionis jus libertatis maximum erat, obsequendi videlicet illi quem ad Dei imaginem conditum noverat, cum ipsum in Creatoris sui similitudinem, quam pescando in se corruperat, per bona opera redire consperxit, non mirum si deinceps obsequendo dominatus ejus, contumeliosæ jugum servitutis excussum.

## CAPUT XI.

*De eodem.*

Alio item modo, si placet, consideremus qualiter omnis creatura ad utilitatem hominis sit creata, et quemadmodum eadem utilitas ob peccatum primi hominis quodammodo evanuerit, quoque pacto per beatam Dei matrem virginem Mariam, primam suæ utilitatis dignitatem recuperaverit. Certe homo qui mentis ratione subsistens carnis fragilitate deprimitur ad hoc conditus erat ut contemplationis oculo formæ sui Creatoris jugiter intenderet. Sed quia ipse Conditor ejus incircumscripitus spiritus est, et nemo unquam carnis corruptibilitate vallatus in magnitudinis ejus notitiam, vel admirandæ divinitatis illius, speculationem, sicuti est, pertingere potest, proposita illi aliarum rerum existentia est, quatenus earum consideratione sublimitas ejus, quæ per se nequit videri, ab ipso intellecta conspicetur. Verum ubi post primorum hominum peccatum generationis humanæ propago in desideria cordis sui prolapsa per vitia sorduit, non solum Creatoris contemplatio, sed et rerum creatarum mirificæ dispositionis salutifera meditatio ab ea procul evanuit. Vides ergo quali modo in lapsu hominis ruit dignitas rerum. In consideratione enim illarum homo resurgere debuit in agnitionem Dei, et sic quasi quidam ei gradus fieri debuerunt pertinendi ad Creatorem ipsius et sui; sed haec in eis dignitas periiit, quando qui ea digne uteretur nullus exsistit. Nec ulla tenus, ex quo primus homo corruuit, receperunt amissam eminentiam tanti boni, donec Ille Agnus qui peccata mundi tolleret in persona Dei et hominis prodidit mundo per Mariam. Verum, in cognitionem Dei homine per hunc Agnum revocato, omnis etiam alia creatura in statum suæ conditionis et honore proprii congenitique decoris est revocata. Hujus igitur tam magni boni effectum illi profecto censemus imputandum, per cuius virgineum uterum is venit in mundum, qui et humanam natu-

ram in tantam; sicut diximus, dignitatis excellentiam sua sapientia revocavit, et omnem simul creaturam privilegio amissi honoris mira dispensatione redonavit. Quid ergo huic sacratissimæ dominæ omnis tam rationalis quam etiam irrationalis creatura jure debit, qui valet, ex his quæ paucis perstrinximus dilatato sensu advertat. Utique cuncta, quæ Deus bona et utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerant, sicut ostendimus, esse destiterunt, et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt et restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pater est et Dominus omnium, ita beata Maria suis meritis cuncta reparando mater est et domina rerum; Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria jussione constitudo; et Maria est domina rerum, singula congenite dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum per quem cunctis originem dedit, ita Maria de sua carne peperit illum qui in decorem primæ creationis omnium cuncta restituit. Item, sicut nulla rerum species, nisi per Dei Filium facta, subsistit, ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea filius Mariæ absolvit. Quis igitur, ista recto sensu et corde sincero perpendens, plene percipere queat excellentiam dominæ hujus, per quam tam ineffabili gratia, a tam æstimabili dejectione erectus est mundus? Quis, inquam, tam miram, et omni prorsus rei præter hanc inauditam gratiam hujus mulieris oculo mentis aspiciens, non obstupescat, et non modo elinguis, verum etiam a tantæ rei comprehensione prorsus immunis fiat?

## CAPUT XII.

*Oratio ad beatissimam Virginem Mariam.*

Quapropter ea quæ nobis sunt impenetrabilia intermittentes, precibus impetrare nitainur ut, quod intellectu capere uequimus, salutari saltem affectu obtinere mereamur. Rogamus ergo te, domina, per ipsam gratiam qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis obtineas, ut plenitudo gratiarum quam meruisti in nobis sic operetur quo participium beati præmii ejus nobis misericorditer quandoque donetur. Ad hoc quippe Deus noster per te factus est frater noster ut, quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri suæ divinitatis. Intende ergo, domina piissima, ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit, nec sis, quæsumus, exoratu difficultilis, quia procul dubio idem benignissimus filius tuus erit ad concedendum quidquid voles promptus et exaudibilis. Tantummodo itaque velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus. Quid igitur stringet larga misericordia tuae viscera, domina, contra nos, ut nolis salvari nos? Certe Deus noster

(teste Propheta) misericordia nostra est (*Psalmus*, 18), et tu ejusdem Domini nostri absque dubio vera mater es. Si tu ergo, quæ Dei mater es, et ea re vera misericordiæ mater denegas nobis effectum misericordiæ, cuius tam mirabiliter facta es mater, quid faciemus, cum idem filius tuus advenerit cunctos æquo judicaturus judicio? Siquidem licet ipse filius tuus sit per te factus frater noster, utique tamen ubi voluntatem tuam sic videlicet dulcissimæ matris magis porrectam adverterit, illue, servata æquitatis ratione, a qua te nullatenus discrepare velle videbit, et judicii sui sententiam, sive ad misericordiam inflectendo, seu ad justitiam intendendo, promulgabit. Subveni ergo nobis, domina, et non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis infletere. Cogita, quæso, et recogita apud te quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatorem Conditor noster ex te factus est homo. Cur itaque non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es elevata ut te dominam habeat et veneretur omnis pariter creatura? An ideo utrum percamus, amplius non curabis, quia quidquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriæ tuæ jactura nulla inde perveniet? Et hoc quidem fortassis aliquo modo, bona Domiuua, dici posset, si pro tui solius exaltatione et salute Mater Dei facta fuisses, si

utique Deus, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua et nostra communij salute. Si ergo, quæ plena salute es potita, non intendis ut eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usque pertingat, jam tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse videberis, et quæ pro totius mundi salvatione meruisti fieri mater Altissimi, cum nos proposueris, quos obvolvit finis sæculi, quid, quæso, proderit nobis tua gloriosa et felix exaltatio, et quam inde habemus, dulcis et affectuosa exsultatio? Ut ergo filium tuum totius mundi Salvatorem, et te ejus reconciliatricem esse veraciter sentiamus, eo nos propensiore studio juva, precamur, et fove, quo in fœcibus mundi natos et alitos potiori levamine prospicis indigere. Ab initio denique renovationis humanae, omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, et ideo præ omni creatura, omni laude dignissima dici et esse meruisti. Eia, succurre nobis, oramus, ut laus, quam per tot sæcula digne possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa qua mundo perditio subvenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus, effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur, et filio tuo Domino nostro Iesu Christo vita nostra iugi devotione famuletur. Qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit, dominatur et regnat per infinita sæcula Deus.

## II. — DE QUATUOR VIRTUTIBUS QUÆ FUERUNT IN BEATA MARIA, EJUSQUE SUBLIMITATE.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De his virtutibus generatim.*

Multi, dominæ sanctæ Mariæ laudes stylo formare conati, libenter humano generi pro viribus proposuere quanta olim in eam confluxit copia virtutum, et quanta nunc facilitate necessitatibus succurrat mortalium, quanta tunc fuerit donorum gratia sublimis et mirabilis, quanta nunc pietate sit potenter singularis, singulariter dulcis. Nam cum quatuor virtutes esse philosophi non tacuerint, justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, ex quibus, quasi ex gaudio [*forte leg. quadrivio*] limite, omne virtutum agmen emicet, quia majores nostri quatuor primas in ea regnasse docuerunt, certas appendices in ejus animo conquadrasse per leue fuit ut ostenderent.

Et justitiam quidem ejus sic asseruerunt, quod ipsa tanta tenacitate Dei præceptis per legem inhærebatur nec illa dimittenda putaret quæ ab ejus integritate progenerari [*forte leg. posse non observari*] noscuntur, verbi causa, purificationem post partum, pro sobole sacrificium, annum ad templum ascensum; hec enim ab ea ex abundanti facta quis fidelis ambigit?

Prudentiam, ut prima feminarum animadverteret rem quæ carebat exemplo, quam gratum Deo esset

pudicitiæ sacrificium quod ipsa voverat Deo, legis maledicto relicto in medio. Præterea, post salutationem angeli quam prudenter locuta, quam facile credula. Fuit enim ea fides et credulitas prudentiæ supellex, quod creditur posse fieri per Spiritum sanctum ut sine complexu maris absque periculo pudoris, exsulante urtica libidinis, produceret solum.

Fortitudinem, ut quæ juste debere fieri prudenter intelligebat, incunctanter voverat, et votum constanter persequeretur; justum autem est ut quod gratiosius et speciosius habeas Deo omnium bonorum largitori ad ejus nutum offeras. Id prudens Virgo sapienter colligens, virginitatem suam, quæ nihil amabilius, nihil formosius ducebat, Deo fortiter vovit et fortissime servavit.

Temperantiam, quod supradictas virtutes studio humilitatis continuaverit, per illam custodiens quidquid boni mentis ingenua devotio, et cœlestis gratia coacervaverant in ea. Fuit ergo justitiae, quod bonum fecit; prudentiæ, quod qualiter faciendum esset intellectus; fortitudinis, quod perseveraverit; temperantiae, quod in tanto fastigio locata, humili mente easum cavit.

### CAPUT II.

#### *De justitia et ejus appendiciis.*

Habent porro hæ virtutes alias, ut dixi, appendi-

ces et comites, habent pedissequas et collaterales. Quarum effectus in Domini matre ita, si bonae fidei memoriam habeo, disposuere. Justitiam, inquit, comitatur religio, quæ est munditia vitæ, ut per eum Deo placeatur; pietas, per quam diligitur proximus; gratia, quæ est beneficij accepti memoria; obsequentia, quæ obsequitur cui digne debet; veritas, quæ docet vivere pro natura, loqui pro re. Has virtutes ita beata Domini mater trivit ut religiosa munditia vitæ Domino Deo templum in suo aedificaret corpore; pietate proximum coleret; collatorum in se beneficiorum, Deo non ingrata, ipsi vicissim animam et corpus viva ipsa hostia libaret, obsequi majoribus et dignis sedula, adeo ut cum præeonio angelico matrem se Dei fore audisset, impigre in montana concenderet (*Luc. 1, 39*), anum cognatam obsequiis ad partum dilinitura. Veritatis mater veritati inuixa, pro natura vivere assueta, quæ ipsum naturæ opificem integris bajulavit visceribus. Pro re loqui non nescia, sponsonem angeli diligent rationis trutina examinavit, ut plane quomodo sciendum esset addisceret quod fieri posse et debere non dubitaret.

## CAPUT III.

*De prudentia et ejus sequacibus.*

Prudentiam sequuntur providentia, quæ prospicit quod in futuro utiliter fiat; intelligentia, quæ intellegit quid in præsenti utiliter fiat; memoria, quæ bene vel secus acta integre colligit, et de præterito dicta. Nullus autem hac domina providentior, quæ antequam voveret Deo virginitatem suam, perspicaciter providit quantum profectus illud votum factum et bene observatum sibi et toti mundo induceret. Non enim rem voveret exoticam, nisi provideret sibi et aliis incomparabilem inde accumulari gloriam. Nullus ea intelligentior, quæ, et expedita mentis acie et ipsius deitatis conscientia, plene intelligeret in Domini nativitate, passione, et resurrectione, quantum esset in præsenti bonum, quod in futuro esset incomparabiliter fructuosum. Memoræ erat tenacis et unicæ, omnia quæ sola de filio sciebat, secretiori consilio sibi tantum cognita coacerans in cunulum, conscientiae inculecavit homin'um. Unde de ea dicitur: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* (*Luc. 11, 19*). Debet ergo ei totus mundus salvationis suæ plenam notitiam, quæ pleuissimæ cognitionis apostolis non inviderit scientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increscere processus Evangelii, nisi cognosceretur tenor principii, merito illa dicitur et apostolorum apostola, et evangelistarum evangelista, per quam principalis ipsis fidei principibus illuxit doctrina.

## CAPUT IV.

*De fortitudine et ejus sequacibus.*

Fortitudini adhærent magnificientia, quæ magni-

sicut conatur quiddam aggredi; confidentia, quæ splendide cogitata fiducialiter arripit; perseverantia, quæ bonum inchoatum stabiliter urget; patientia, quæ utilitatis causa difficultia tolerat. Utile autem quod hic et superius nominavi, eo sensu volo accipi secundum beatum Ambrosium De officiis, ut idem sit utile quod honestum, et honestum quod utile, quamvis in sæcularibus scholis aliter definiatur.

Et permagnifice quidem felix puella egit ut bonus rimaretur inchoandum quod confidenter inchoavit, et perseveranter absolvit. Patientiam nec in suis, nec in filii contumelias rupit. Magnificentia fuit quod dixit: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Luc. 1, 46, 47*); confidentia: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*ibid., 48*); perseverantia: *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, et misericordia ejus a progenie in progneues timentibus eum* (*ibid., 49, 51*). Porro de patientia ejus dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc. 11, 35*).

## CAPUT V.

*De temperantia et ejus sequacibus.*

Temperantiae sunt contermiuæ continentia, per quam præcipua cupiditas animi regitur gubernatione consillii; clementia, qua refrenatur mens, temere in alieujus odium concitata; modestia qua sit ex utecumque superfluo diligens et cauta reciatio. Has virtutes beatam dominam exercuisse liquet perspicue, cum constet eam nec fuisse incontinentem alieujus voluptatis stimulo, nec præcipitem odio, nec immodestam animo. Quomodo enim illicita committeret, quæ a lictis temperabat? Accidunt ad continentiae præcepta mores quos virginem habere decet, sicut Ambrosius familiari illi suo, et aliis inimitabili nectare docet: *Ut sit virgo, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteret effectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, voluptatem ciborum duntaxat, si qua fuerit, parvo redimens, carnis vita omnino compescens, loquendi parcior, legendi studiosior. Cui sit non gestus fractior, non incessus solitior, non vox petulantior, ut ipsa species corporis sit simulacrum mentis et figura probitatis.* Quæ in matre Domini fuisse, nemo Christianus ibit inficias, cum ejus vita inclyta, ut canitur, cunctas illustret et informet Ecclesias.

## CAPUT VI.

*Has sanctæ Marie virtutes Christus confirmavit.*

Huius pueræ sic virtutum diademate redimitæ, totum se infudit Dei Filius, bona illa virginalis animi suo potissimum adventu custodiens. Namque ipse non solum justus, sed et ipsa est justitia, qui dicitur in psalmo: *Dilexisti justitiam et odisti iniuriam* (*Psal. XLIV, 8*). Matrem ergo suam jam justam justitia Dei penetrans, unxit eam oleo exultationis,

id est Spiritu sancto, præ omnibus participibus suis, id est omnibus virginibus. Fecunditatem matri conferens, virginitatem non auferens, ipse non solum sapiens, sed ipsa Dei sapientia est et in eo requiescent omnes thesaure sapientiae etiam corporaliter. Inveniens ergo sapientem pueram, sapientiam servavit Dei sapientia, id est mundam custodivit corde et corpore. Siquidem scriptum est : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subditu peccatis* (*Sap. 1, 4*). Ipse est temperans, et ipsa temperantia, sicut dicit in Canticis : *Ego lily convallium* (*Cant. 11, 1*), id est flos humilium. Idemque in Evangelio : *Discite a me quia misericordia sum et humili corde* (*Matth. xi, 29*). Dignatione ergo sua humilitatem virginis acceptans, plena divinitate in ejus influxit gremium, ut dicit propheta : *Super quem requiescam nisi super humilem et quietum?* (*Isai. LXVI, 2*). Itemque ipsa in Evangelio : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. 1, 48*). Ipse etiam est non solum fortis, sed et fortitudo Dei, per quem fecit Deus Pater omnia ex nullo. Qui fortis diaboli fortior superveniens exspoliavit atria, et divisit spolia (*Luc. xi, 22*). Non ergo fortitudinem matris enervem reddidit, sed sua potentia sublimavit, ut esset imperiosa creaturæ totius heræ, concilians et demulcens superos, deturbans et exterrens inferos. Eam scrutans corda et renes Deus (*Psal. vii, 10*), ex omnibus virginibus, quas capiebat mundus, elegit et sanctificavit, ut habitaret in ea corporaliter, quam jam plenam pridem supradictis virtutibus fovet et circumpletebatur spiritualiter.

## CAPUT VII.

*Non potuisse Deum ex alia virgine hominem effici.*

Unus mihi videatur a vero alienari qui dicunt Deum potuisse salutem humanam procurare, vel per aliam virginem, vel per aliud quam per virginem. Et illi quidem qui opinantur potuisse Deum incorporari in aliqua altera virgine, respondeo compendio : Imo non potuit, quia non voluit. Et e converso : Non voluit, quia non potuit. Quamvis enim omnipotens sit, multa sunt tamen quæ dicunt non posse; sicut nec mentiri potest, nec mori, quia non vult. Nam si vellet mentiri vel mori, non esset omnipotens, quia mentiri non est potentia, sed est peccatum, id est boni impotentia; et mori est desificere a potentia. Et ideo de Deo dicitur : *Omnia quacunque voluit fecit* (*Psal. cxiii, 3*), quia nihil voluit nisi quod decuit. Eodem modo dico eum nec potuisse nec debuisse nasci ex alia virgine. Et propterea, ut dixi, non potuit, quia noluit. Noluit porro, quia ratio non fuit. Deum certe rationis auctorem contra rationem nihil velle, nihil facere, nihil etiam posse, in promptu est. Quis vero non videat Deum a ratione resiluisse, si eum omnes omnino feminas infra sanctitatem beatæ Mariæ cerneret, alia qualibet in matrem electa, ipsam sperneret? Ipsam autem omnes mulieres sanctitate præcelluisse puto quod intelligit qui super-

rora animadvertis. Nam aliæ quæcumque partes gratiarum metuere; ipsa autem plena gratia ab angelo salutatur.

Amplius, qui dicit Deum debuisse vel potuisse aliter quam per partum virginis Adæ reparare peccatum, idem est quasi si diceret melius eum facere debuisse, vel tam bene aliter potuisse. Quod si melius fecisse debuit, vel tam bene aliter potuit, et tamen non fecit, vel noluit, vel nescivit. Si melius noluit facere, cum potuisse, invidus vel ignarus fuit. Si nescivit melius facere, cum debuisse, ignarus fuit. Quantum enim a Dei natura abhorreant invidia, ignoratio, ignorantia, fatetur qui videt quam pudendum sit hæc vitia cum bene honesto homini ascribere. Restat ergo ut qui hæc Deo assignare erubescit, nec prædictas ratiocinationes respuit, fateatur quod Deus non nisi per virginem et per hanc potissimum virginem mundum restaurare potuit. Non potuit aliter quia non voluit; noluit, quia ratio non fuit. Et quia ratio non fuit, non debuit. Quam gradationem si quis reciproce convertat, non irrita erit hoc modo : Non debuit aliter salvare genus humanum, quia ratio non fuit; et quia ratio non fuit, noluit; et quia noluit, non potuit, quia contra rationem facere nec potuit, nec voluit.

## CAPUT VIII.

*Sublimitas beatæ Virginis explicatur.*

Sensibus antiquorum Patrum de virtutibus beatæ Mariæ breviter defloratis et in unum coacervatis, nunc ad sublimitatem ejus commendandam, quam propter gratiam virtutum est adepta, vigilabit oratio. Ad quod perspicacius enucleandum, amorem Filii in Matrem et Matris in Filium proponam.

Deus Filius consubstantialis et coeterus et co-nipotens Patri, editus ex Patre ante tempora sine matre, voluit nasci de matre sine patre sub tempore, elegitque hanc pueram pro amore quem habebat erga eam, in quam tota divinitas influeret, et quæ Dei et hominis genitrix fieret. Amavit ergo eam, antequam ex ea nasceretur, ut esset de qua digne nasceretur. Parvusque hic amor est ut faceret ex filia matrem, ex creatura Creatoris genitricem? Nec post partum amor defecit, imo incomparabile augmentum accepit. Sicut enim omnes homines, ex utroque parente geniti, departiuntur amorem in utrumque parentem, ita Dominus Jesus ex matre genitus sine patre, patris et matris soli matri debuit et persolvit amorem. Item, duo erant in Virginis animo, invisibili sed magno concertantia prælio, Virginitatis amor, et legalis maledictionis timor. Verumtamen librato diu multumque consilio, vicit amor qui præponderabat, et dedit terga timor. Hic occurrit Dei auxilium, qui ei et quod timebat eriperet, et quod amat salvo signaculo non auferret. Dedit ei ergo ut esset et prole fertilis et virginalis damni immunis.

Quid illa? Nonne tantis filii beneficiis digno respondebat amore, plena Spiritu sancto, qui est amor

Patris, et prolis amor suavis et dulcis; amor non volaticus, sed aeternus? Nonne eum amabat qui eam fecit omnis creaturæ dominam, cœli et terræ reginam, fertilitatem, ut dixi, tribuens, integritatem non minuens? Hinc vero totis mediis, totis viribus in ejus amorem suspensa erat, amorenumque quem pater et mater soboli suæ debent, sola ista dulcis et terrena mater domino et filio suo impendebat. Nec est aliqua scientia quæ possit penetrare, nec eloquentia quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate parvulum foverit, quanta diligentia obsequioque adolescentem et in robur aetatis vadente provexerit, quanta lætitia juvenem miracula facientem et eorum gloria famosum audierit, viderit, quanta inæstitia patientem et morientem suspiraverit. Et hæc profecto tanto nobis sunt pene incogitabilia, quanto insueta. Jam vero resurgentem et ascendentem quam lætis oculis Virgo felix intuita, quanto triplio beata movebantur viscera, præsertim cum jam intelligereret in effectum prodire quæ tanto parturiebantur tempore? Genus humanum ad salutem vocari per apostolos videbat, cuius rei gratia Dei Filium de se incorporatum et in cruce passum ante intellexerat. Quapropter lætabatur quod spei quam ante conceperat, quodque salutare toti mundo fore ex voto virginitatis suæ speraverat, jam in rem veram transibat. Gaudebant et angeli qui videbant ci-vium suorum olim per peccatum diuinum numerum, nunc per beatum ejus partum redintegrari. Gaudebant et gaudent homines, quia quod per primam amiserunt feminam, centuplicati pretii scenore recipiunt per Mariam. Corruerunt servi, resurgent fratres et filii; fratres Domini, Mariae filii. Quod gaudium in incomparabile crementum pullulabit, cum illorum præsentia præsenti fruentur in cœlo lætitia, per quos tanta consecuti sunt gaudia. Gaudebat et gaudet omnis creatura, quia quæ in initio mundi a Deo ad obsequium hominis facta, quando se homo a cognitione et servitio Dei removerat, illi

qui Creatori suo rebellis erat, degeneri famulatu subterni dolebat. Illa, inquam, homine per beatam Mariam salvato, in antiquum decus evasit, in pristinum splendorem renituit, dum illi famulatur qui Creatori suo et fidei et opere obsequitur. Sicut ergo Deus est Pater et Creator omnium, ita hæc Virgo est mater et recreatrix omnium. Quia sicut nihil existit, nisi quod Deus facit, ita nihil recreatur, nisi quod filius sanctæ Marie redimit.

Ascendat ergo fidelis anima in mentis speculam et, quantum potest, videat in quam sublimi locata sit domina Maria. Omnis natura a Deo est facta, et Deus est factus ex Maria. Deus omnium factor se ex Maria fecit, et sic cuncta refecit. Qui potuit omnia ex nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus est igitur Pater rerum creatarum, et Maria est mater rerum recreatarum. Deus illum genuit per quem sunt omnia facta, et Maria illum genuit per quem sunt omnia refecta et salvata. Per has ergo ratiocinationes impossibile est ut aliquis homo ad eam conversus et ab ea respectus dñeatur. Nam quia ipsa genuit eum per quem mortua reviviscunt, per quem homines ex peccato salvantur, quia non est justificatio, nisi quam ipsa in utero sovit; non est salus, nisi quam ipsa peperit. Ipsa est ergo mater justificantis et justificatorum; ipsa est mater salvantis et salvatorum. Igitur mater Dei qui solus damnat, qui solus salvat, quem solum timemus, in quo solo speramus, est mater nostra. Judex et Salvator noster, est frater noster. Quomodo ergo desperemus, cum salus, sive damnatio nostra, ex boni fratris et piæ matris pendeat arbitrio? Nunquid sustinebit bonus frater puniri fratres suos quos redemit, bona mater damnari filios suos quorum ipa Redemptorem genuit? Dulcis mater regalit dulcem filium suum, pius fratrem nostrum; filium pro filiis, unigenitum pro adoptatis. Pius filius libenter audiet matrem pro filiis, Unigenitus pro iis quos adoptavit, Dominus pro iis quos liberavit.

### VEN. GODEFRIDUS, ABBAS ADMONTENSIS.

#### HOMILLÆ IN B. VIRGINEM MARIAM.

##### I.

IN SANCTAM NOCTEM NATIVITATIS DOMINI PRIMA.

*Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (Psal. xcvi).*

Verbis istis unigenitum Dei Filium Deum et Salvatorem nostrum suscipimus et salutamus, [qui] hac sacratissima nocte pro salute humani generis de intemperata Virgine nasci est dignatus. Ipse quippe ab aeterno cuncta disponens, et ante Luciferum a Patre in aeternitate sua genitus, nostræ mortalitatis particeps factus, hæc sacra nocte de matre Virgine nasci voluit. Proinde nox ista tanta redundat dulcedine, tam plena est totius suavitatis et gratiæ, ut qui-

que fideles hac nocte precum suarum consequantur effectum, et quod per totum anni circulum non possunt obtinere, hac nocte obtineant [cod. obtinebunt] votique sui compotes efficiantur [cod. efficiuntur] ex larga nascentis Filii Dei benedictione.

De excellentia hujus sacratissimæ noctis utriusque Testamenti paginæ loquuntur, sicut, et in Judicum libro in persona Filii Dei de Gedeone scribitur: *Igitur Gedeon de nocte consurgens, expresso vellere, concham rorè compleverat (Judic. vi, 58).* Gedeon circuiens in utero interpretatur, per quem Filius Dei designatur, qui majestatis suæ circuitu universa simul, cœlestia et terrestria complectitur, et tamen secundum humanæ naturæ substantiam utero Virginis includitur. Hic Gedeon de nocte consurrexit, dum noctur-

nis horis de aula virginali tanquam sponsus de thalamo suo processit. De hac nocte propheta sanctus, Spiritu propheticō illuminatus, gaudenter dicebat ad Dominum: *Custos quid de nocte; custos, quid de nocte?* (*Isa. xxi, 11.*) Ac si diceret: O Fili Dei, qui custos es humani generis, nostri causa formam hominis assumere, et in noctis silentio de maternis visceribus in salutem populi tui egrdere, rursusque devicto mortis imperio triumphans de sepulcro *media nocte exsurgere. Expresso, inquit, vellere, concham rōe compleverat.* In *vellere* assumpta humanitas Filii Dei exprimitur, sicut David in libro Psalmorum protestatur: *Descendet sicut pluvia in vellus* (*Psai. lxxi, 6.*) Isto *vellere expresso*, sancta videlicet humanitate Filii Dei ostensa, *concham suam rōe complevit.* In *concha* domina nostra perpetua virgo Maria, *meris stella accipitur*, quam *rōe* Spiritus sancti ex ea natus ita *complevit*, ut plena gratiae et visceribus redundans misericordiae, omnium miserorum necessitatibus et angustiis semper parata sit subvenire. Est enim unica post Deum spes afflictorum, eam toto corde in miseriis suis invocantium.

De hac rursus nativitate propheta sanctus protestatur: *Lapis, inquit, de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas adficiorum est, respondebit* (*Habac. ii, 11.*) *Lapis* iste est Dominus noster Jesus Christus, de quo Apostolus dicit: *Petra autem erat Christus* (*I Cor. x, 4.*) Iste *lapis de pariete clamavit*, dum Filius Dei in assumpta humanitate, quae per parietem designatur, de Virgine natus, mox ut ceteri infantuli clamare coepit, et laborem et dolorem humani generis se suscepisse ipsis vagitibus infantilium membrorum ostendit. Huic lapidi clamanti *lignum, quod inter juncturas adficiorum est respondit*, quia beata virgo Maria osculando, sovendo, leniendo omnibus fomentis et blanditiis, quibus poterat, eidem filio suo *respondit*. Et bene ligno, *quod inter juncturas adficiorum est*, beata virgo Maria comparatur, quia ipsa domina nostra perpetua Virgo in filio suo, quem clauso utero in salutem mundi edidit, ea, quae in cœlis et quae in terris sunt, pacificavit et conjinxit.

## II.

### IN FESTUM ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIE VIRGINIS PRIMA.

*Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria* (*Luc. i, 1.*)

Præclara dies hodiernæ festivitatis, licet multi modis sublimata sit solemnitatum gaudiis, maxime tamen in hoc celebris habetur, quod in ea per incarnationem Filii Dei exordium nostræ redemptio nis coepit, et in ipsa per sacramentum passionis suæ opus noster salutis idem Filius Dei consummari voluit. In hoc siquidem die æterni Patris Filius humanam naturam pro liberando homine suscepit et hanc eamdem humanitatem evoluto tempore

hac ipsa die pro salute totius humani generis ad passionem et mortem tradidit. Hæc est enim dies illa desiderabilis et jucunda ad quam omnes suspicabant, quam omnes desiderabant et optabant, qui ab initio saeculi Domino placuerunt, de qua obscuris prælocuti sunt sententiis, qui redemptionem generis humani oculo prævidebant præsagi cordis. Unde et unus ex illis, Isaías scilicet propheta, qui hunc incarnandum præviderat, venire jam ad terras ardenti desiderio sic exoptabat. *Rorate, inquit, cœli, desuper, et nubes pluant justum* (*Isa. xlvi, 8.*)

Verba hæc electi Domini prophetæ concordare videntur hodiernæ lectioni evangelicæ, in qua apertissime declaratum invenimus quod propheta obscuris et mysticis verbis est prælocutus. Per *cœlum* enim licet diversa valeant intelligi, hoc tamen in loco Gabriel ille archangelus, apte valet designari, qui tunc desuper *rorabat*, cum, ut Evangelium hodie refert, *missus est a Deo*, ut magnum illud et ineffabile divini consilii mysterium, quod pro sibi rando homine Deus Pater iniit, ad terras deferret. Et bene hæc annuntiatio Dominicæ incarnationis *rori* comparatur, quia sicut *ros* aridam terram irrigat et calore temperat, sic incarnationis Dominicæ aridum, ut ita dicam, mundum irrigavit, dum et laborem peccati in mundo extinxit, et ignem inferni refrigeravit. Rorantibus hoc modo cœlis, quid salutis et gratie totus mundus acceperit, verbis sequentibus intelligi poterit: *Et nubes pluant justum.* Licet per *nubes* nonnullis locis propheta designentur, nos tamen secundum hunc sensum quem tractare coepimus, per *nubes* Patrem et Spiritum sanctum, per *justum* vero Filium ejusdem Patris intelligere possumus. *Nubes* enim cum *cœlum* operuerit, quia pluviae inundatio secutura sit, nullus dubitabit. Rorantibus igitur cœlis *nubes pluere justum* coeperunt, quia loquente archangelo ad beatam virginem Mariam Pater Filium misit, quem cooperante Spiritu sancto Virgo mater concepit.

Nec prætereundum est quod *cœli rorare, nubes vere pluere* dicuntur. Scimus enim quia, pluvia inundante, majori ubertate terra secundatur quam rōre irrigante. Sic et verba illa archangeli *ros* quodammodo fuerunt, quia gratiam tantum future salutis prænuntiabant. *Nubes* vero ideo *pluere* dicuntur, quia illis pluentibus, hoc est Patre et Spiritu sancto Filium in hunc mundum mittentibus maximæ ubertatis, magnus, inquam, salutis et gratiae fructus in toto jam mundo est subsecutus. Et bene idem Filius Dei *justus* nominatur, quia ipse sine peccato conceptus et natus, ipse iustificans omnes, justus pro injustis, innocens pro nocentibus pati voluit. *Aperiatur, inquit, terra, et germinet Salvatorem* (*ibid.*) Quæ terra nisi perpetua domina nostra virgo Maria? *Aperiatur* hæc, inquam, *terra, aperiatur* scilicet sine delectatione concepido, *aperiatur* sine dolore pariendo, quemadmodum in laude ejusdem Virginis canimus: *Peperit sine dolore Salvatorem sæculorum.* Et germin-

*net Salvatorem, hoc est proferat de se aeternæ salutis auctorem. His verbis prophetæ concordare videntur verba lectionis evangelicæ, quæ hoc in veritate completum insinuant quod propheta obscure et mystice dudum prænuntiaverat.*

*Missus est*, inquit evangelista, *Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Omnipotens Dominus omnia sua, quæcumque operatus est, quod cœlum, terram, mare et omnia, quæ in eis sunt creavit, nulla, ut ita dicam, fortitudine usus est, quia tantum verbo dixit, et facta sunt* (*Psal. xxxii, 9*). *Quod vero homo fieri dignatus est, et in ipsa humanitate fortè illum armatum, qui totum mundum ditioni suæ subdiderat, prostravit, omneque humanum genus ab ejus iniqua dominatione liberavit, maxima ejus fortitudo fuit. Magna revera fortitudo fuit quod ille, qui erat invisibilis divinitate, incomprehensibilis majestate, tam parvum se fecit quod in utero teneræ Virginis comprehendi potuit, et in ipsa humanitate totum mundum ab aeternæ mortis damnatione liberavit. Ad hoc opus mundo nuntiadum archangelus ille *Gabriel*, qui *Dei fortitudo* dicitur, ab initio praordinatus erat, quia nimurum decebat ut ille, qui *Dei fortitudo* nominatur, fortè hunc *Dei Filium* incarnationem nuntiaret.* *Missus est ergo a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* *Nazareth flos munditiae* interpretatur. Quam bene domina nostra, perpetua virgo Maria, in hac civitate, quæ tali nomine præfult, domum habuisse describitur! Quia ipsa prima florem virginitatis et castitatis in se ostendit, ipsa prima inter omnes mulieres, nullius animata exemplo Deo virginitatem suam devovit, et post eam flos iste tantam in toto mundo suavitatem spiravit, quod innumera multitudo utriusque sexus ejus virginitatis exemplum secuti sunt, et adhuc sequuntur; et si plenam mentis integritatem custodi non possunt, quantum tamen ipsa adjuvante valent, corruptionem corporis declinare student. Vel ideo beatæ Virgini *Nazareth*, quæ *flos munditiae* dicitur, bene convenit, quia ipsa *Filium Dei* florem illum redivivum, incomparabile, inquam, decus virginitatis salva integritate sui corporis peperit. Quemadmodum enim, cum arbores proferre flores conspicimus, sequentem jam fructum speramus, sic cum hæc beata Virgo florem hunc, *Filium*, inquam, *Dei* concepit et peperit, totus jam mundus fructum aeternæ adeptus est salutis. Cui vero vel ad quem nuntius iste prepotens missus sit, verbis sequentibus evangelista innuit:

*Ad virginem, inquit, despontam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David. Beatus Joseph, vel ipsa beata virgo Maria divites secundum sæculum non erant, pauperem in hoc mundo vitam gerebant, sed virtutum divitiis pleniter circumvallati prænibant. Attamen de regali prosapia regis David progeniti erant. Beata enim Maria de illius stirpe exorta erat, cui juravit Dominus, quod de fructu ventris ejus esset nasciturus. Nam, ut legimus, Abrahæ*

tantum promisit quod in semine ejus benedicenda essent omnes gentes, huic vero beato David jure imando Filium suum Deus repromisit, quemadmodum ipse testatur dicens: *Juravit Dominus David, et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal. cxxxii, 11*). Unde non imerito beata Dei Genitrix vel ipse Joseph de domo *David* esse describuntur, non propter regalium dignitarum abundantiam, sed secundum genealogiam. Premissis ergo his omnibus, et nomine civitatis, in qua beata Virgo habitabat, et nomine viri, cui desponsata erat, nunc demum præclarum nomen ejusdem Virginis evangelista pronuntiat.

*Et nomen*, inquit, *virginis Maria*. Maria, ut notum est, *maris stella* interpretatur; quæ nominis interpretatio tam justis quam peccatoribus magnam spei fiduciam, magnam confert consolationis gratiam. Mos est nautarum, qui in aliquam terram navigare desiderant, quod noctis irruentibus tenebris sidus sibi aliquod eligunt, cujus luce et signo ad portum, quo tendunt, sine dispendio peruenire valeant. Hujusmodi sideris radio non imerito reginæ nostræ nomen assimilatur. Nam ipsa est sidus illud egregium, quod nobis, in mari humus sæculi periclitantibus et ad portum vitae aeternæ pervenire desiderantibus, tum per vitæ exemplum, tum per pietatis et misericordiæ lucet auxilium. Ponamus ergo ante oculos hanc præviam maris stellam, et si quis aut vento prosperitatis inflatur, aut vento adversitatis in desperatione dejicitur, stellam hanc respiciat, indeficenter lumen ejus maternæ pietatis exquirat. Si quis pondere peccatorum oppressus anxie contristatur pro innumeris delictorum sordibus, stellam hanc respiciat, fiducialiter anchoram spei sue in eam figat. Similiter etiam justus et innocens, si pro conservanda innocentia sollicitatur, totam mentis intentionem in stellæ illius figat claritatem, quia si fideliter gratiæ ipsius auxilium quæserit, sine dubio ipsa maris stella et peccatori indulgentiam, et justo secundum desiderium cordis ejus pietatis suæ auxilium præstabit et gratiam. Haec sunt festiva praesentis diei gaudia, haec, inquam, est dies illa celebris et jucunda, in qua pro redemptione generis humani Deus Pater *Filium* sibi coætermum constituit incarnari.

Missus vero ad beatam Virginem Gabriel archangelus, ubi, vel quibus actionum studiis intentam ipsum invenisse eam credimus? Non utique foris vagantem, sed intus ad magnificum aliquod opus pie sollicitudinis operam dantem. Nam licet minime Scriptura referat qualiter eam nuntius ille cœlestis invenerit, illud tamen aestimare possumus, quod magnificum illud opus habuerit in manibus, quo nil pretiosius et dignius, vel Deo esse poterit acceptabilius. Opus vero istud egregium Domino acceptable, hominique maxime proficuum, illud nimurum est, cum homo, collectis omnibus sensibus suis, aut pro remissione peccatorum Dominum flagitat, aut pro acceptis donorum ejus beneficiis humiliter

*gratias* agendo suppliciter se prosternit. Ad tale opus, uti credere possumus, domina nostra virgo Maria totam se collegerat; et ideo intus angelum eam invenisse credimus, quod etiam ex ipsis sancti Evangelii verbis colligere possumus: *Ingressus*, inquit, *angelus ad eam dixit*. Sicut præfati sumus, beata Maria, pro salute totius generis humani Domino supplicatura, districte se collegerat, et totam mentis intentionem ad hoc solum quod petebat exerxerat, ideoque tam inauditam salutationem, tam ineffabilem salutis gratiam apud Deum obtinere promeruit, quod ipsa salutem totius mundi generare digna fuit.

Et revera quilibet adhuc homo beatus, qui exemplo hujus Virginis, collectis utriusque hominis sensibus, ad Deum et sola cœlestia aciem mentis ita intentam habere studuerit, quod nil præter hoc solum quod postulat tempore orationis in animo versari permiserit, credere indubitanter possumus, quia etsi non eamdem vel tam plenariam visitationis gratiam, quod omnino impossibile est, a Domino acceperit, ipsum tamen, quem beata Virgo corporaliter portavit, ipse spiritualiter in utero mentis concipit et parit. At vero quicunque hujus exempli imitator esse renuerit, sed Dinam, filiam Jacob, egredientem ad videndas mulieres regionis alterius, secutus fuerit, ad percipienda hæc divinæ visitationis gaudia minime pervenire peterit. Dina hæc filia Jacob, est anima nostra, veri Jacob, scilicet æterni Patris filia, quæ tunc ad videndas mulieres alterius regionis egreditur, cum male vagando vanis hujus sæculi rumoribus aurum cordis et corporis libenter accommodat, et has vanitates secum revolvit et tractat, sive sit quod ab iniquo viro Sichem, per quem diabolus intelligitur, comprehensa violatur, dum pravis delectationibus voluntarie consentiendo inquinatur.

*Ingressus ergo ad beatam Mariam angelus, quid dixerit, quomodo eam salutaverit, audiamus:*

*Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum.* Quæ salutationis verba non ipse de se protulit, sed in cœlesti curia composita et præordinata a Deo Patre accepit. *Ave, inquit, gratia plena.* Ac si diceret: *Gratia plena es, quia ille, qui est incomprehensibilis divinitate, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in te comprehendendi, in te perfectus Deus et homo anima et corpore concipi dispositus.* Omnis quippe humana natura ex anima constat et corpore, quam humanam naturam sic Filius Dei de beata Virgine suscepit, quod mox ad verbum angeli, perfectum Deum, plenum hominem cum corpore et anima eum concepit. Vel sic eam *plenum gratia* dicere possumus, quia et justis debitrix quodammodo est et peccatoribus; justis quidem eo jure gratiam impendere debet, quia ad illius exemplum innocentis vita puritatem retinere contendunt; peccatoribus vero ideo largam in misericordia et pietate exhibere se debet, quia propter ipsos mater Dei electa est. Nam si peccatores non essent, Filius Dei

incarnandus ad terras non descendisset, nec ipsa eum genuisset

*Dominus, inquit, tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quod idem est ac si dixisset: Ideo *gratia plena* es, quia jam in proximo est quod Dominum virginali utero conceputa es. *Benedicta tu in mulieribus.* Quare *benedicta tu in mulieribus*, et non in viris? Ideo utique, quia maledictionis illius expers omnino erat, quæ super Evam facta est, cui dictum est: *in dolore paries filios.* Omnes quippe mulieres cum delectatione concipiunt, sed in dolore filios pariunt. Ilujus maledictionis beata Maria, ut prediximus, expers erat, quia sine delectatione concepit, et sine dolore peperit. Vel ideo *benedicta in mulieribus*, quia maledictionem illam, quam Eva omnibus contulit, ipsa desuper benedictionem ingerendo fugavit.

Possumus et aliter intelligere quod dixit, *benedicta tu in mulieribus.* Est enim quasi dixisset: Te benedictam dico in mulieribus, quia licet sint multæ mulieres, quæ per bonam devotionem Deo placeant, nulla tamen ab originali et actuali peccato libera esse poterit. Sed tu ideo *benedicta es in mulieribus*, quia sicut ab actuali peccato pene libera es, ita etiam ab originali peccato prorsus liberanda eris. Et quare plus te benedictam dico *in mulieribus* quam in viris? Sunt etiam aliqui in viris benedicti per laudabilis vitæ meritum, sed tamen nullus sine originali et actuali peccati. Video autem singularem virum jam ex te nasciturum solum originali et actuali peccato liberum. Et sicut ille solus benedictus super omnes erit viros, ita et tu *benedicta super omnes eris mulieres.* Sequitur:

*Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus.* Quomodo beatam Virginem turbatam credimus? quæ fuit illa turbatio? anne æstimanda est ad viri presentiam ideo trepidasse, quod virginitati suæ timeret? minime. Neque enim decebat tam præclarum meritum, tam pretiosam virtutibus, ut in aliquam desperationem ejus declinaret animus. Ipsa enim, ut superius diximus, pro salute totius humani generis Domino supplicans, totam mentis intentionem ab inferioribus ad superna suspenderat, et in tam serenissimo animo, quo solis celestibus intendebat, omnia quæ foris apparebant, transcederat, ideoque in ipsa hora divinæ contemplationis tanta a Domino et in Domino spei fiducia cor ejus solidatum erat, quod nulla desperatione tangi poterat. Turbata est ergo in sermone angeli, non quod aliqua desperatione titubaret, sed quia ad cœlestia meditanda totam se collegerat, et cum ad ea, quæ foris dicebantur, animum, quem in sublime exerxerat, flectebat, serenitas illa aliquantulum turbata est, nec ita pleniter, ut prius, cœlestium meditationi mens ejus infixa manebat, sicut etiam fieri plerumque solet, cum homo quilibet beatus his quæ sursum sunt totus suspensus intendit, si forte aliiquid exterius sonuerit, animus ab intentione aliquantulum resilit, nec totus ad ea quæ cœ-

perat collectus esse poterit. Quod tali perturbatione beata Maria sit turbata, ipsa innuere videntur verba sequentia :

*Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Cum enim salutationem angeli secum tractabat, ab ea intentione, qua prius se collegerat, animum aliquantulum retrahebat. Quam ita turbatam, ita cogitantem ipse secretorum Dei nuntius inauditæ salutationis verbis, ne timeat, admonet et hortatur, quemadmodum sequitur :

*Et ait angelus ad eam : Ne timeas Maria ; inventisti enim gratiam apud Deum.* Quis, aestimamus, fuit timor ille, qui in tam præpotentis reginæ virgineo versabatur pectore? Anne credere debemus phantasiam aliquam diabolicæ illusionis eam expavisse? Incongruum hoc videtur dignitati beatæ Mariæ diabolicam illusionem eam expavisse, quæ tam singulari et incomparabili virtutum excellentia Deo proximam se fecerat. Timuit enim non pro se sola aut parentum suorum salute, sed pro totius generis humani liberatione; timuit, inquam ne peccatis exigentibus aut omnino redemptio hæc non fieret, aut tam diu differretur, quod multitudo maxima mortis perpetuae exitio damnaretur. Quod haec timoris ejus causa fuerit, ipse angelus in hoc insinuare videtur, quod proprio eam nomine appellans dicit, *ne timeas, Maria.* Maria, ut notum est, *Domina in nostra resonat lingua.* Quod idem est ac si angelus dixisset :

Times pro redemptione humana, times ne in perpetuum genus damnetur humanum. Ecce dico tibi, *Maria, ne timeas, nec expavescas,* quia tu ad hoc es electa, ut totius mundi fias domina, ut totius mundi parias salutem, tuum ac cunctorum Redemptorem ac Salvatorem *Invenisti, inquam, gratiam apud Deum.* Gratian illam, quam omne humanum genus per superbiam primi parentis perdidera, tu in profunda humilitate quærendo invenisti, quia ipsum, per quem totus mundus salvari debet, concipere et parere meruisti. *Invenire* ille dicitur qui rem aliquam quærerit et invenit quam perdidit. Sic totum genus humanum gratiam Conditoris sui perdidera, illam dico gratiam, quod nullus, quamvis justus et sanctus, regni cœlestis merebatur introitum, sed post hujus vitæ exsilium omnes descendebant ad infernum. Hujus miseriae calamitatem beata domina nostra non pro se sola tantum, sed pro toto genere humano graviter doluit, hanc, inquam, perditam gratiam lacrymis et orationibus Deo Patri die ac nocte insistens quærerat, et quia corde contrito et profunda humilitate quæsivit, invenire tandem proneruit, dum importuna clamoris voce tantum apud Deum invaluit, quod vim ei inferens, de superis ad ima, de cœlestibus ad terras eum traxit. Præpotens ergo cœlestium secretorum nuntius, postquam dilectissimam Virginem inauditæ salutationis verbis sati est allocutus, cum Filium altissimi Patris clauso virginei pudoris sigillo de ea prædiceret fore nasciturum, omnia etiam humanitatis ejus sacramenta, quemadmodum in cœlesti illo auditorio didicerau-

eidem Virginem consequenti mox ordine denuntiat :

*Ecce, inquit, in utero concipies et paries filium.* Brevi siquidem verborum elocutione magnum et immensum opus comprehendit humane Filii Dei naturæ, post conceptionem videlicet nativitatem, siveque omnia sacramenta, quæ pro humanae salutis reparatione operari Filius Dei in sua dignatus est humanitate. In primo namque angeli verbo : *Ecce in utero concipies,* ipse qui secundum divinitatem incomprehensibilis est naturæ, animatum sumens corpus, perfectus Deus et homo in virginale thalamo est conceptus. Et quemadmodum læc eadem beata Virgo et mater, sicut ineffabiliter incarnandum Dei Verbum ad solum angeli sermonem de se concepit, ita etiam ineffabiliter et mirabiliter ac se erat paritura, congrue mox angelus post conceptionis mysterium in verbo hoc, *et paries,* nativitatis ejus subintulit sacramentum. Idem autem æterni Patris unigenitus, unicus intemeratae Virginis filius, quoniam non venit solvere legem, sed adimplere, qualiter etiam in ipso nativitatis ejus primordio per circumcisionis sacramentum observaturus esset legis præceptum, aperte angelus his denuntiat verbis : *Et vocabis, inquiens, nomen ejus Jesum.* Dicendo enim, *vocabis nomen ejus Jesum,* circumcisionis ejus præsignabat sacramentum. Nam teste evangelista in ipso die circumcisionis ejus, *vocatum est nomen ejus Jesus.*

Hic etiam splendor et forma paternæ majestatis, qui ita paulo minus minoratus est ab angelis, lapis, inquam, ille angularis, qui ita in abscondito latebat tectus tegmine humanitatis, qualis quantusque postmodum erat futurus, non solum juvenis factus signis et prodigiis vere divinitatis ostendens potentiam, sed etiam puer adhuc parvulus sub matris cura constitutus, idem ipse testatur nativitatis ejus nuntius, *hic, inquiens, erit magnus.* Magnus revera Rex et Dominus in oculis trium magorum est factus, qui in ipso primordio ejus nativitatis signum cognoscentes magni Regis, parvulum adhuc matris ubera suggestem, pannis involutum, vagientem in cunabulis mira devotione, utpote eum, quem Regem sæculorum, verum Dcūm et hominem signis attestantibus esse cognoverunt, auro, thure, et myrrha, juxta regiae majestatis magnificèntiam, magnifice venerari studuerunt. Hic etiam juvenis postmodum factus signis et prodigiis mundo apparet manifestus, mortuos resuscitans, cæcis visum reddens, leprosos mundans, ceteraque nonnulla divinæ potestatis ostendens miracula, *Propheta magnus, vir potens in opere et sermone coram Deo et omni populo a nonnullis est appellatus (Luc. xxiv, 19).*

*Et filius,* inquit, *Altissimi vocabitur,* scilicet in baptismo, cum facta est super eum vox paterna : *Hic est, inquiens, Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth. xvii, 5).* Esse hunc Filium Dei Petrus confessus est, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi (Matth. xvi, 16).* Esse hunc Filium Dei Martha etiam affirmabat, quæ ait : *Ego credidi quia*

*tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum vennisti* (*Joan. xi, 27*). Filius etiam Altissimi vocatus est in passione, quando centurio ille videns terrae motum, cæteraque omnia elementa morte ipsius esse concussa, piaë devotionis voce ipsum Dei Filium constitendo proclamabat : *Vere, inquiens, hic homo Filius Dei erat* (*Math. xxvii, 54*). Et quia post haec omnia, quæ in humillima humanitatis ejus passurus erat natura, secundum Divinitatis ejus potentiam resurgens quandoque a mortuis, et in cœlum ascendens, constituendus erat super omnia opera Patris, recte eadem gloriosissimæ resurrectionis et ascensionis ejus sacramenta intelligi valent per verba continuo sequentia :

*Et dabit illi Dominus Deus sedem David patrisejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Quod dicitur hic, *dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, duobus modis valet intelligi : primo quidem, quod sicut sedes regni David in Jerosolymis fuit, sic ipse Filius Dei, secundum humanitatem autem *filius* appellatus *David*, post resurrectionem suam in Jerosolymis regni sui initium habuit, cum in primitiva Ecclesia velut nobile veri David regnum esse ibi coepit. Quam etiam sedem *Pater ejus*, cui specialiter promissus erat, in Psalmo : *Dixit Dominus Domino meo (Psal. cix)*, quem de resurrectione et ascensione ejus compositum, figuraliter notavit. Nam sicut in psalmo precedenti passionem ejus præsignavit, sic nihilominus in isto sequenti resurrectionem et ascensionem ejus præfiguravit. Ait enim in eodem psalmo : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Quod licet de ascensione ejus specialiter dictum sit, quod tunc ad dexteram Dei Patris consederit, tamen de resurrectione ejus dictum esse non injuste creditur. Qualiter etiam Deus omnipotens Filio suo consubstantiali sedem David dederit, ipse post resurrectionem suam apparens discipulis suis insinuans ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth. xxviii, 18*). Et quomodo non solum Judæi, verum et gentiles, qui nomine Jacob, quod interpretatur *supplantator*, valent intelligi, post resurrectionem ipsius et ascensionem ad regnum ejus erant colligendi, ipsumque regnum post Judæorum abjectionem stabileque foret et firmum, recte mox subjungitur : *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Dedit ergo Pater æternus Filio suo *sedem David* in resurrectione, regnare cœpit æternaliter *in domo Jacob* in ascensione.

*Et regni*, inquit, *eius non erit finis*, tam in præsenti videlicet Ecclesia quam in illa quæ post judicium in vera æternitate erit colligenda. Cum ergo angelus, nuntius ille futurorum, Filium Dei venturum quandoque in carne, regnaturum prædicaret *in domo Jacob in æternum*, intellexit beata Maria, ut vere sapientissimi Salomonis filia, quæ jam æterni Patris sapientiam in se conceperat, implendum esse quandoque rei veritate, quod dudum in figura præsignatum erat et ænigmata, quod videlicet, sicut dudum Jacob fratri sui Esau supplantator exstitit,

sic rimirum vocatione gentium populus Judæorum supplantari debuerit. Unde licet de tam inaudita angeli salutatione, tam salutifera promissione in spiritu exultaret mentis suæ, sciens procul dubio quod desideratus ille cunetis gentibus pro redemptione generis humani de se erat nasciturus, cognoscens tamen ex verbis angeli gentem suam, plebem Judæorum, ejiciendam esse de misericordia Dei, ut erat semper pietatis et misericordiae visceribus plena, cœpit quodammodo mœrere et quasi tristior esse, et quomodo hoc fieri posset, plenus cognoscere volens, mox inquisivit ; unde et sequitur :

*Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Ac si diceret : *Quomodo*, id est quali modo id fieri poterit, ut æterni Patris ille Unigenitus qui de me, uti dixisti, pro salute hominum est nasciturus, cum totum mundum promptus sit salvare, gentem suam, hæreditatem, inquam, propriam, plebem videlicet Judaicam a consortio salvationis æternæ habeat exclusam, gentemque alienigenam, a cognitione divini nominis prorsus extraneam, dilectam sibi faciat, et saluti proximam ? Ad haec vero angelus, utpote divinorum secretorum conscientis, primo quidem magnalia Dei, quæ in illa et cum illa perficienda erant, congruo ordine denuntiat, ac deinde quo occulto Dei judicio salus extirpanda esset a populo Judaico, aperte sibi explicat evidenti rerum judicio, quemadmodum sequitur sancta lectio :

*Dixit autem angelus ad eam : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod idem est ac si dixisset : Veniente in superius, id est in animam tuam gratia Spiritus sancti, si qua nunc ignorantia, aut carnis concupiscentia in te latere videtur, prorsus tolletur et extinguetur, ut tam ab actuali delicto quam originali peccato sola cum solo filio tuo libera prorsus sias et expedita. Ideoque et quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur *Filius Dei*. Sanctum, inquam, illud sanctificans omnia, quo ex te nasceretur, non solum filius tuus, sed etiam *Filius Dei* in toto mundo vocabitur et prædicabitur.

Et notandum est quid significant duæ conjunctiones quæ hic positæ esse videntur, ubi sic dictum est, ideoque et quod nasceretur. Congruè quidem ibi conjunctiones sunt positæ, ubi conjunctio utriusque facta est naturæ, divinæ scilicet et humanæ. Sequitur :

*Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Ecce, inquit, *Elisabeth cognata tua*, id est gens et cognatio tua, plebs videlicet Judaica, pro qua tam piæ devotionis affectu es sollicita, *concepit filium in senectute sua*, hoc est per fidem et dilectionem concepit olim Filium in patriarchis et prophetis, cum divinis promissionibus credula, Unigenitum qui tunc absconditus latebat in sinu Patris, magnis desideriis, magnæ devotione

eis affectu venturum quandoque ad terras exspectabant causa humanæ redemptionis

*Et hic es: mensis sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Sextus mensis sexta aetas valet intelligi, in qua invisibilis Deus per carnem visibilis apparuit, et super terram conversatus est. Et est quasi dicat. Quia sexta ætas, id est quia jam plenitudo temporis advenit, in quo Pater omnipotens Filium suum ad terras mittendo, jusjurandum, quod suis interposuit fidelibus, persolvere decrevit, hæc prædicta gens Judaica sterilis est et erit, quia eum, quem paritura es, esse verum Deum et hominem reproba et obstinata mente usque ad finem sæculi procaciter renuit et despicit credere. Sed quia non erit impossibile apud Deum omne verbum, in fine sæculi ad fidem convertetur hæc ipsa gens Judæorum, quemadmodum olim in prophetis attestari de ipsis dignata est gratia divinæ promissionis: Si fuerit, inquit, numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquæ salvæ fient (Rom. ix, 27).*

Beata Maria postquam Judæorum repulsionem ex verbis angeli cognovit, tacta dolore intrinsecus contristari, ut prædictimus, pro gente sua cœpit. At nunc, ubi conversionem ipsorum audivit, tali consolatione animata, ad obediendum Deo humiliter se offerens, in vocem prorupit exultationis. Quod bene insinuare videntur verba humillimæ ejus responsionis: *Dixit autem Maria ad angelum: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Tanquam si diceret: Jam nunc devotam me ancillam Domini profiteor, jam ad obediendum Deo parata sum, jam ad suscipiendum Filium Dei devote me offero. Ad hoc enim portando, balneando, lactando libenter ancillæ fungar officio, libenter humanæ fragilitati omnia necessaria administrabo, ut ipse, qui de me est nasciturus, non solum gentium, sed etiam Judæorum salus fiat et redemptio. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Non sic dico, ut ego regina cœli, totius mundi siam domina, sed ut Verbum illud æterni Patris concipiam et pariam, per quod totus mundus æternæ salutis consequatur gratiam. *Fiat,* inquam, *mihi et genti meæ secundum verbum tuum,* id est ipse totius mundi salus et redemptio de meo nascatur utero, et abjecta nunc plebs Judæorum in fine saltem sæculi sorti annumeretur electorum.

O beata Maria, fac per tuam gratiam, ut fiat nobis secundum Verbum hoc, quod tibi fieri petisti, ut videlicet Verbum illud Patris æterni, quod de te incarnatum, Virgo, portare meruisti, nos tuis suffragantibus meritis digne concipere et parere mereamur in utero mentis, et ubi haetenus regnum peccati regnabit in corpore nostro mortali, nefario hoc vitiorum regno destructo, ipse Rex justitiae regnum suum, regnum scilicet virtutum, in nobis constituat, et ita in præsenti sedem regni sui in anima et corpore nostro ponat, quatenus in futuro cœlestis regni cohæredes faciat. Quod ipse præstare

dignetur, cuius Regnum et imperium sine fine permaneat in sæcula sæculorum. Amen.

### III.

#### IN IDEM FESTUM SECUNDA.

*Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate (Cant. iii), etc.*

Veneranda hujus dicti solemnitas, sicut cunctæ alias festivitates mysterii dignitate excellit, sic euntes ab initio sæculi fidelibus optabilis et desiderabilis fuit. Hæc est enim dies illa, in qua inchoata et consummata est salus nostra, in qua Deus homo factus nostræ naturæ, nostræ mortalitatis et misericordie in utero beatissimæ virginis Mariæ particeps fieri voluit, in qua eamdem quam assumpsit humanitatem pro nobis redimendis in cruce Deo Patri obtulit. Hujus diei ineffabile sacramentum intuens Solomon præsago cordis oculo futurum quasi jam præteritum, exclamavit et ait: *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die latitie cordis ejus (Cant. iii, 11).* Proprium est filiarum tenere diligere et diligi. Ideoque congrue per *filias Sion*, quod interpretatur *specula*, animæ ille accipiuntur quæ ad speculationem contemplationis divine tendentes, Deum tenere diligunt, et tenere a Deo diliguntur. Quas nimur filias Sion admonet Spiritus sanctus, ut egrediantur videre regem Salomonem. Per *Salomonem*, qui interpretatur *pacificus*, significatur Dominus noster Jesus Christus, ad quem videndum tribus modis nobis est egrediendum. Unde ait Deus ad Abraham: *Egredere de terra et de cognatione tua, et de domo patris tui (Gen. xii, 1).* *De terra* egreditur, qui de terrenis et malis actibus ad studium vitae melioris extenditur. Sed quia mala tantummodo opera relinquere non sufficit, si ad relinquenda et abjicienda etiam mala desideria homo non proficit, adjecit, et *de cognatione tua*. Facile quodammodo est *terræ*, mala dico opera, relinquere, difficile valde est, mala desideria, quæ quasi quadam *cognitionis* affinitate nobis cohærent et inhærent contemnendo abjicere. Quicunque tamen duos hos egressus per misericordiam Dei facere potuerit, non stet, non quasi qui ad perfectum pervenerit moram faciat, sed ad tertium adhuc egressum viriliter semetipsum accingat, qui mystice nobis innuitur, cum protinus subinfertur, et *de domo patris tui*. Pater iste, de cuius domo egrediendum est, diabolas intelligi potest, qui propter superbiam, qua primum hominem decepit et dejeicit, totius generis humani Pater et Princeps esse cœpit. Quia ergo per naturam filii ira eramus, non incongrue per *Patris* hujus *domum* cor hominis quod per superbiam inhabitabat, accipimus, quod etiam adhuc quasi antiquo jure domum suam efficit. dum fastu elationis et superbie decipit. Satagendum est igitur homini, ut si egressus est *de terra* sua mala opera relinquendo, si egressus est *de cognitione sua*, mala in *se* desideria comprimendo, egreditur nihilominus *de domo Patris* sui, de superbia cordis

egrediendo, et in vera se humilitate sollicite custodiendo. Quidquid enim malis actibus aëdicando, quidquid malis desideriis resistendo homo conquerit, perit, si humiliatis mansuetudine custoditum non fuerit.

De terra igitur et de cognatione nostra et de domo Patris nostri egrediamur, ut *videre regem Salomonem* mereamur. Per duo hæc verba *regem* utique *Salomonem* accipimus timorem et amorem. Ad *regem* enim timor respicit; *Salomonem*, qui interpretatur *pacificus*, amor congruit. Et quia sunt nonnulli qui vident *regem*, et non *Salomonem*, illi utique, qui propter peccata sua Deum ut *regem* metuunt, sed in ipsa sui trepidatione a spe deficiunt; atque econtra sunt alii, qui abjecta timoris reverentia plus præsumentes de misericordia Dei, quam debeant se metipsos negligunt, recte postquam dixit: *Videte regem*, addidit *Salomonem*. Videre debemus *regem* Deum sicut Creatorem nostrum timendo, et propter ipsum ejus timorem peccata declinando; videre debemus *Salomonem* Deum, ut Redemptorem nostrum diligendo, et propter ipsam ejus dilectionem bonis in spe remuneratiois humiliter insistendo. Vedit Judas, qui tradidit Dominum, *regem*, et non *Salomonem*, dum peccatum suum extimuit, et desperans, utpote qui non dilexit, abiens laqueo se suspendit. Vedit Petrus, qui negavit Dominum et *regem*, et *Salomonem*, dum negationis suæ culpam extimuit, nec tamen desperavit, quia amavit, sed egressus foras flevit amare, et salvari meruit. Igitur videre debemus, sicut diximus *regem* Deum timendo, videre debemus *Salomonem* Deum diligendo. Quid autem sit quod hæc duo, timorem scilicet et amorem ejus, in nobis exsuscit, sequentibus verbis innuitur, cum subditur:

*In diademate, quo coronavit eum mater sua.* Nobile et inestimabile hoc diadema fuit, ut aestimo, humana natura, qua coronavit eum mater sua, beata et gloria virgo Maria, in cuius castissimo utero hodierna die Deus factus est homo. Et bene dicitur *quo coronavit eum*. Ante hunc diem coronatus quodammodo non erat Dei Filius; quia licet in divinitatis suæ incassibili et interminabili excellentia nunquam aliquid ei accesserit, nunquam aliquid ei decesserit, sed semper idem ipse fuerit: corona tamen illa, quæ ex humana ei accessit natura, coronatus non fuit. Hac corona in hac die *mater sua* gloriose *eum coronavit*, hanc coronam ipse Dei Filius ad perfectum usque decorum hac eadem die sanguinis sui pretio provexit et ornavit. Duplici ergo diademate coronari voluit in die hac, uno incarnationis, altero passionis; uno quo coronavit eum *mater sua* virgo Maria, carnem de carne sua mirabiliter administrando; altero, *quo coronavit eum mater sua*, Iudea et Synagoga, superposita capiti ejus spinea corona, crudeliter morte damnando.

Egrediamur igitur, ut in hoc dupli diademate coronatum a matre sua videamus *regem Salomonem*. Ipse est enim Rex, qui egressum nostrum de terra, de cognatione, de domo Patris discutit et

examinat, ipse est Salomon, qui Deo Patri nos pacificat, qui nos cum Patre remunerat. Nec sine causa sanctissimum caput suum spinis lacerari et cruentari permisit. Est enim aliquid, quo eisdem ejus spinis respondere nos convenit. Oportet nos spinas spinis\* opponere. Debemus enim surgentes in nobis vitiorum tentationumque aculeos acumine mandatorum Dei configere, quatenus spinis spine eradicentur, hoc est, ut assiduis mandatorum Dei meditationibus vitiorum tentamenta comprimantur. Unde ait Psalmista: *Et memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea* (*Psal. cx, 18*). Et Salomon: *Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccl. xi, 41*).

Videte *regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die latitiae cordis ejus*. Per diem desponsationis illius, et diem latitiae cordis ejus unam eamdemque praesentis diei festivitatem prænotatam fuisse videmus. Dies enim iste Dominicæ incarnationis vere dies fuit desponsationis; quia in thalamo illo, beatissimæ Virginis utero, idem Filius Dei sponsus factus est et sponsa: sponsus secundum divinitatem, sponsa secundum humanitatem. Ait ergo Psalmista: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal. xviii, 6*). Tabernaculum Filii Dei fuit sancta ejus humanitas, in quo militavit Deo Patri pro salute generis humani. Sol, in quo tabernaculum hoc posuit, beatissima genitrix ejus virgo Maria fuit, quæ ad instar solis lucida et præclara in corpore et in anima, nulla post obumbrationem Spiritus sancti peccatorum sentire in se poterat nubila vel contagia. In hoc sole, in hac beatissima Virgine, nullam partem tenebrarum habente, tabernaculum suum Filius Dei posuit, dum animatum ex ea corpus assumens totus Deus, totus homo corporaliter in ea quievit. Processit tanquam sponsus de thalamo suo, quando natus est de sanctissimo ejusdem dominæ nostræ virginis Mariæ utero.

Præmisso et præsignato per Spiritum sanctum Dominicæ incarnationis sacramento, quo præsentem hunc diem Unigenitus Dei cunctis per orbem terrarum fidelibus honorabilem simul et amabilem fecit, subiungitur Dominicæ passionis mystrium in hac eadem die consummatum, cum dicitur, *et in die latitiae cordis ejus*. Fuit sine dubio dies passionis dies latitiae cordis ejus, in qua sponsam suam, humanam naturam, quam in utero Virginis carnem assumendo desponsavit, moriendo in cruce pro ejus amore sibimet ipsi copulavit. Ante suscepit enim humanitatis formam sponsus non erat, quia eum solis tantum angelis in cœlo gaudebat. At ubi divinitati suæ humanam naturam nascente univit, et in eadem humanitate sua moriendo in cruce obdormivit, ex latere Adæ fabricata est Eva, quia aperto lancea militis latere Christi exivit sanguis ei aqua, qua lavit et dotavit, mundavit et justificavit sponsam suam, quod est sancta Ecclesia.

Quanto desiderio diem istum desideravit, quar-

tam letitiam ad diem istum ab initio habuerit, ipse longe ante quam fieret ostendit, cum dixit : *Ludum in orbe terrarum, et deliciae meæ esse cum filiis hominum* (*Prov. viii, 31*). Postquam autem assumpta humanitate ad diem istum pervenit, quando omnia, propter quæ venerat, morte consummare voluit, quod vere dies ille *dies lætitiae cordis ejus* fuerit, alius verbis ostendit, cum dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc. xiv, 34*). Non ait, tristis est anima mea propter mortem, sed, *tristis est anima mea usque ad mortem*. Erat quidem tristis non in morte, vel propter mortem, sed *usque ad mortem*. Ex quo enim priuum humanum in se suscepit affectum, pro nobis erat in tristitia, compatiebatur electis et dilectis fidelibus suis qui erant in mundo; compatiebatur dilectis animabus fidelium suorum, qui sub mortis imperio captivi tenebantur in inferno; compatiebatur et sanctis angelis in cœlo, qui in quadam nihilominus tristitia idecirco erant, quia numerum illorum, qui imminutus erat, per electos homines restaurari non videbant. Sed quia hæc tristitia in morte ejus, ubi, Apostolo testante, pacificans per sanguinem crucis sua sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt, pro redemptione mundi in *lætitia cordis sui* se obtulit Deo Patri, finienda erat, recte dicebat, *tristis est anima mea usque ad mortem*. Unde dies ille, sicut diximus, vere fuit *dies lætitiae cordis ejus*.

Nunquam letitia aliqua comparari potest letitiae illi, quam habuit in semetipso Filius Dei instantे hora illa, quando jam jamque descensura erat sanctissima anima ejus visitatura et liberatura per multa millia annorum exspectantes se in tenebris et umbra mortis animas sanctorum suorum. Quanta putanus letitia vidit Abel, Abraham, Isaiae, et Jacob et alia multa millia electorum suorum sibi occurrentium, ineffabili et inexagitabili exsultationis et letitiae tripudio sibi sicut Creatori et Liberatori suo applaudentium? Unde ut letitia illa sua, suorumque in cœlo, in terra, in inferno perficeretur, in ipso mortis articulo clamavit Patri suo : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth. xxvii, 46*.) Verba ista non erant verba amaritudinis ex timore mortis procedentia, sed verba exsultantis nimio desiderio, ad visitationem et liberationem suorum qui erant in inferno existuantis. Et quia Deus erat in terris sine patre, in cœlis sine matre, ipse solus dicere potuit bis, *Deus meus, Deus meus*. Ac si diceret : Pater meus es in cœlis secundum divitatem, qua me coæternum tibi et consubstantiale genuisti, Pater meus es in terris secundum humanitatem, quia me sine patre de Virgine matre pro humano genere suscipere voluisti. Pater meus secundum divitatem, pater meus secundum humanitatem, *ut quid me dereliquisti?* Istud, *ut quid*, significat et notat nobis, ut estimo, illam gratiarum actionem, qua gratias egit Deo Patri pro redemptione generis humani, propter quam eum in hunc mundum miserat, quæ in eadem hora per passionem

et mortem descensionemque ejus ad inferos persicenda erat. *Ut quid me dereliquisti*, inquit. Ac si diceret : Ecce hora illa, pro qua me Unigenitum tuum misisti, propter quam ab adjutorio divinitatis me dereliquisti, ut per meam passionem humani generis operares salvationem. Rogo igitur, ut tua miseratione perficiatur, ut per crucem et sanguinem meum tua tibi creatura restituatur et reconcilietur.

Hæc sunt redeptionis nostræ sacramenta ab initio preordinata, hodierna die beatissima domina nostra virgine Maria mediante consummata, quæ sieut perditionem generis humani plus omnibus doluit, sic hodierna die præ cunctis hominibus ineffabiliter consolari meruit, cum angelo annuntiante, Spiritu sancto obumbrante, illo imprægnari meruit, qui hac eadem die mortem destruxit, suos ab inferis electos ad gaudia paradisi potenti virtute reduxit. Quidquid gaudii et exsultationis, et letitiae in cœlis fuit, totum illi divinitas summa hodie induit. Hodie dulcissimum illud osculum Patris et Spiritus sancti, quod erat Filius Dei, ad quod suspirabant antiqui Patres ab initio sæculi, dicente in persona ipsorum Salomone : *Osculetur me osculumoris sui* (*Cant. i, 1*), in tanta dulcedinis abundantia et plenitudine suscepit, quod non solum spiritualiter in sanctissima ejus anima, sed et corporaliter in sanctissimo ejus utero totus Deus, totus homo requievit.

In hac die tanti ejus gaudii quid nos miseris dicemus, qui in doloribus et miseriis constituti sumus? Quomodo dignis eam laudibus extollendo beatitudini ejus congaudere possumus, quibus in corpore mortis hujus nihil occurrit nisi dolor et gemitus? Attamen quia mater est misericordia, et laudationem humilium, devotionem peccatorum non despicit, ex ipsa convalle lacrymarum qua suspiramus, corde et animo ad ipsius misericordiam confugiamus, quatenus ipsius interventu egredientes de terra et de cognitione nostra, et de domo Patris nostri, ita humilitatem ejus imitari valeamus, ut verum regem Salomonem, Filium ejus, Creatorem nostrum ac Redemptorem, in diademate, quo coronavit eum in die desponsationis illius, et in die letitiae cordis ejus, cum ipsa sine fine videre mereamur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### IV.

##### IN FESTUM ANNUNTIATIONIS B. MARIE VIRGINIS TERTIA.

*In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal. xviii*).

In sole sunt tria, primum quod illuminat, secundum quod per calorem ascendit, tertium quod humore confecta exsiccat. Per solem intelligitur beata virgo Maria, in qua tria hæc, quæ in sole inventiuntur, verus sol operatus est Dominus. Illuminavit quidem eam per cognitionem sui, quando Spiritus sanctus superveniens in eam ab ignorantia animæ eam liberavit, ut seipsam cognoscens veraciter cognosceret quoque eum a quo benignissime fuerat aguta. Sed et accedit eam in

amore Dei Patris, ut a gaudiis saeculi praesentis omnino extranea tota in Deo arderet, totaque ad dilectionem Dei raperetur, quem solum pro omni bus diligebat. Exsiccavit autem eam per gratiam Spiritus sui omni carnali humore carnalique concupiscentia, ut in ea perfecte ab omni corruptione emundata tabernaculum suum poneret, corpus videlicet immaculatum, de Spiritu sancto conceptum, in quo pro nobis aeterno Patri militaret.

Et quia in his verbis, quae praelibavimus, conceptio Domini est præfigurata, sequentibus versiculis nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis sacramenta, imo post adventum Spiritus sancti totus ordo ecclesiastice religionis excellenter est expressus. Unde et sequitur :

*Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Cum de thalamo suo sponsus progreditur, certum profecto est quod sponsæ suæ conjunctus una caro cum ipsa sit effectus. Sic sane Christus Jesus, cum per nativitatis suæ primordia de thalamo virginali procederet, sponsæ suæ, quod est Ecclesia, per carnem quam assumpserat est unitus. Sequitur :

*Exsultavit ut gigas ad currendam viam suam : a summo celo egressio ejus.* Sic per incarnationem, ut prædiximus sponsæ suæ copulatus exsultavit ut gigas, exsultavit, inquam, magna cordis exultatione, magna mentis devotione, ad currendam viam, quam ex paterna obedientia suscepérat perficiendam, contemptaque confusione, proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Per passionem itaque consummatus a summo celo facta est egressio ejus, quia quod vivus egressus est de monumento, non ex carnis infirmitate, sed a summo celo, hoc est a summa divinitate resurgere habuit.

*Et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.* Resurrectionis itaque gloria clarificatus, occursus ejus per ascensionem usque ad summum ejus est factus, quia super omnes caelos ascendens ad summam divinitatem, unde venerat, occurrens rediit. At postquam illuc rediit, electos discipulos suos Spiritu sancto misso de caelis abundantiter repletos inebriavit, quod in verbis istis aperte datur intelligi : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

*Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Ante clarificationem Salvatoris et gratiam Spiritus sancti maculam quamdam lex habuit, quia carnaliter intellecta, carnaliter observata, nullam perfectionis metam suis observatoribus contulit, teste Apostolo, qui ait : *Nihil enim ad perfectum adduxit lex* (*Hebr. vii, 19*). Post ascensionem ergo Domini Jesu et Spiritus sancti adventum maculam, quam habuit lex, amisit, dum spiritualiter intellecta et spiritualiter consummata gaudia aeternæ vitæ repromisit. Legalibus itaque ceremoniis ad spiritalem intelligentiam translati, *lex Domini* apparuit *immaculata*, per quam magna postmedium conversio

facta est in Ecclesia. *Convertens quippe electorum animas*, Dominum Deum suum spiritualiter consuluit querendum et inveniendum. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Per testimonium Domini fidele sacrum Evangelium protest designari, quod post translationem legis tempore gratiae revelatum et in mundo prædicatum est, per quod opera Domini facta in veritate et æquitate Pater omnipotens testificatus est. Ita bene dicitur *fidele testimonium*. Nam quidquid sacrum reputmitt Evangelium, fideliter, imo veraciter fidelis adimplebit Dominus. *Sapientiam quoque præstat parvulis*, id est hominibus, quibus in vera humilitate parvulis effectis, magnum confert saporem divinæ dulcedinis.

*Justitiae Domini rectæ, latificantes corda.* Post apostolorum tempora, post evangelistarum sacra scripta, expositores Scripturæ apparuerunt in Ecclesia, per quos *justitiae Domini rectæ*, quæ in prædictorum verbis, et in prophetarum et evangelistarum scriptis fuerant occultata, aperte exposta manifestarentur. His sane expositoribus *justitias Domini rectas* mundo propalantibus multa inde corda hominum *latificata* sunt, et usque in præsentem diem latificantur, quia justitiae Domini rectas nusquam evidentius, quam in expositorum libris invenimus.

*Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* [Per] *præceptum Domini lucidum* apostoli sancti sunt designati, quibus ipse in carne presens dixerat : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan. xv, 12*). Hoc *præceptum* charitatis non solum ipsis aliis prædicaverunt, sed ipsis quodammodo hoc *præceptum* fuerunt, in quorum vita hæc præcepta, hæc dilectio, per quam oculi illuminantur, luce clarius est manifestata.

*Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi.* *Timor* iste non est timor servilis, sed sanctus amor, qui in timore incipit, sed in amore desinit. Quem profecto timorem et sanctum amorem beati martyres habuerunt, quia, nisi hoc amore perfecte inflammati fuissent, tot passionum tormenta, tot plagarum supplicia, tam diros corporis eruciatus omnino pro Domino perpeti non potuissent. Sed quia iste sanctus amor eos perfecte possederat, non solum ea, quæ in mundo crant, hujus amoris respectu spreverunt, verum etiam semetipsos amoris divini dulcedine transcendentes, amaras corporis sui torsiones contemnebant.

Post insignem martyrum victoriam, præclarus ordo confessorum mox subsecutus est, de quibus recte subjungitur : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* His verbis confessores sancti recte prænotantur. Nam *judicia Domini recta* verbo prædicationis sue populis fidelium nota faciebant, et, ut *judicia Domini* in semetipsis exercerent, vita et exemplo suo, imo exhortatione sua instruebant. Et quia cogitationes justorum *judicia* sunt, semetipsos districte judicabant, *judiciumque Domini*

ī si præveniebant, ae per noe *judicia Domini*, q̄æ alii prædicabant, in vita sua fortiter exercendo quodammodo justifiebant.

## V.

IN FESTUM ANNUNTIATIONIS S. MARIE VIRGINIS  
QUARTA.

*Locutus est Dominus ad Achaz dicens : Pete tibi signum a Domino Deo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra* (*Isai. vii.*)

Quæcunque scripta sunt, ad nostram scripta sunt dectrinam, ut per reetæ fidei operationem misericordiam consequamur divinam. Habet namque in se Scriptura divina, quo parvulus quisque pascatur, et ex quo perfectus quilibet abundantanter reficiatur. Quidquid enim legimus vel intelligimus, totum ad interioris hominis usum conferre poterimus. Si ergo totam Veteris ac Novi Testamenti seriem enucleati perserutari velimus, mysticum moralitatis sensum inditum ubique invenimus. Quapropter tota intentione mentis libet perserutari verba Isaiae prophetæ dicentis : *Locutus est Dominus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo sive in profundum inferni, sive in excelsum supra*. Admonitus vir iste fuerat, quatenus devota mente deprecaretur, ut ille advenire dignaretur, qui electos suos *in profundum inferni* demersos liberaret, et *in excelso supra* collocaret. Hoe quia vir sanctus multo diu desiderio desideraverat, ipsum salutis remedium ab eo pari orationis instantia obtinere volebat. Sed ad piam prophetæ admonitionem audiamus, qualem vir iniquus dederit responsionem.

*Non petam, inquit, et non tentabo Dominum.* Nam quia talem vitam suam non exhibuit, nee adhuc exhibere desideravit, idcirco a Domino se exaudiri desperavit. Quia enim Deum ante conspectum suum non proposuit, sed in pœnitentiâ permanere maluit, ideo salutis signum non quærebatur, quod invenire dignus non erat. Mentem itaque regis propheta sanctus a Deo alienatam videns, continuo ad totam Davidicæ stirpis prosapiam verba convertit, dicens :

*Audite itaque, domus David : Num parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ?* Iste Achaz et pene omnes sub ipsis imperio degentes peccatis exigentibus facti fuerant molestiam Deo quam hominibus. Unde recte propheta diebat : *Num parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ?* Ae si aperte diceret : Non sufficit vobis, quod hominibus facti estis execrabilis, nisi *etiam* coram Deo inveniamini abominabiles ? Propter hoc dabit vobis ipse signum, ipse Dominus dabit signum, vobisque nolentibus et ingratis clementiam ostendet sue pietatis. *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* *Ecce Filius Dei* utero virginali concipietur, et quasi sponsus de thalamo suo egredietur. *Et nomen ejus Emmanuel vocabitur*, quia palam in terris nobiscum conversari dignabitur. Hæc secundum littaram breviter dicta sufficiant. Nunc ad mysticum mo-

ralitatis sensum verba convertantur, et ad profectum animæ dulcius exponantur.

Rex iste Achaz, qui populum Dei temporali imperio rexit, quomodo in persona nostri intelligi valeat, nosse nos coavenit. Unusquisque enim nostrum suscepit ad regendum cogitationes, operationes omnesque sui corporis sensus; quos bene qui rexerit, vere rex dici et esse poterit. Non solū autem reges, sed etiam sacerdotes Domini esse comprobamus, si utrumque officium in nobis implere fideliter conamur, ita ut non ineongrue de nobis dici possit, quod Petrus princeps apostolorum in epistola sua dicit : *Vos estis genus regium et sacerdotale, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr. ii, 9.*). Quomodo ergo officium sacerdotis in nobis adimplere valeamus, diligenter attendamus. Officium namque est sacerdotis, in altari victimas et thymia ma boni offerre odoris. Sie oportet ut et nos in animo contrito et in spiritu humilitatis offeramus nosmetipso Deo in odorem suavitatis, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut hostia viva et immaulata et Deo placens esse possimus; et ut *signum*, de quo dicitur in consequentiis, non tentando, sed fideliter postulando obtinere valeamus.

Debemus namque jugi laerymarum fonte *signum* salutis quasi *in profundum inferni a Domino petere*, quatenus vulnera languentis patefiant animæ, et ut intelligere valeamus quæ ex parte illa opera fecerimus, quæ nos deduxerunt in puteum interitus. Cum ergo tali compunctione cordis oculi fuerint illuminati, tune demum *in excessum supra signum petendum* est, virtutes scilicet, quibus ad regnum cœlorum sit pervenientum.

Notandum vero quia nil *signi* nomine denotatur, nisi quod novum et inauditum esse comprobatur. Dignum est revera miraculo, quod homo pulvis et cinis, qui actibus semper subjacet imis, repente per virtutum fastigia ad Deum contemplationis culmine elevatus, *unus* secundum apostolum *cum Domino efficiatur spiritus* (*I Cor. vi, 7.*). Hoe *signum* fide non ficta omnique cordis puritate queramus ab illo qui prope est omnibus invocantibus se in veritate. Amatores namque hujus sæculi si instruerentur hujusmodi signum petere a Domino, superbo ore et elata cordis cervice responderent continuo : *Non petam, et non tentabo Dominum.* Qui enim vitio subiacent elationis, petere signum despiciunt humilitatis et subjectionis. Sed cum illi monita salutis non suscipiunt, sancti doctores per verba prædicationis subiungunt

*Num parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ?* Sciendum est quod nonnulli, qui *Deo molesti*, sed adhuc hominibus sunt dilecti, illi nimis quos mortifera persuasione inimicus lædit, sed eorum malitia ad hominum notitiam nondum pervenit. Sunt etiam alii hominibus quidem contrarii, sed Deo nondum molesti, illi revera qui male vivunt, sed vitam suam in melius mutare disponunt. H s prefecto *ipse Dominus signum dabit*, cum

de profundo peccatorum liberatos gratia sue dulcedinis illustrabit. Nam protinus sequitur :

*Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ecce anima illa, cum multis diu amatoribus prostituta, cum Domino vocante corruptori suo, immundo videlicet spiritui, abrenuntiare et fidem integrum illibatamque sponso suo servare cœperit, repente *virgo efficitur*, et ad thalamum immortalis sponsi assumitur : *concipietque et pariet filium*, virtutes scilicet, quibus decenter ornata ad æterni regis procedat triclinium. Cum ergo illa anima, Deo dilecta, dulcedine Verbi Dei fuerit imprægnata, desideriumque æternæ vitæ concipere mœruerit, et operando parere, tunc vere gaudenter poterit proclamare et dicere, *nobiscum Deus*. Sed cum conceptus fuerit et natus filius tantæ nobilitatis, considerandum summopere est, quibus oporteat refici alimentis, ne pereat consumptus inopia famis. Nam protinus sequitur :

*Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Quid per *butyrum*, nisi minus profunda Scripturarum scientia exprimitur, per quam parvulus quisque veluti potu lactis reficitur? Quid vero per suavitatem *mellis* intelligi valet nisi subtilis et spiritualis in littera sensus, qui perfectorum est cibus? His ergo alimentis iste reliquendus est filius, donec ad *reprobandum malum*, et ad *eligendum bonum* fiat idoneus. Debet namque *reprobare malum*, id est diabolum, qui caput et initium malorum est omnium. Ipse enim omnibus horis atque momentis rugiens, tanquam leo circuit quærens quem devoret, cuius millenas artes generosus iste filius omni studio *reprobare* debet. Illo ergo cum actibus suis reprobato, *eligendum* est summum et unicum *bonum*, Christus videlicet, qui est vera spes et requies sanctorum. Illum amemus, illum toto corde desideremus, illi soli attentius placere festinemus. Scrutemur vias nostras et quæramus, et ad ipsum revertamur, precantes, quatenus ipse finis esse dignetur desideriorum nostrorum, qui in æterna vita sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigione laudabitur, quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, cui est honor et gloria in sœcula sœculorum. Amen.

## VI.

### IN FESTUM ANNUNTIATIONIS B. MARIE VIRGINIS QUINTA.

*Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*, etc. (*Cant. v.*)

Cum ex radice primæ originis venundata sub peccato esset caro, ita ut pene nullum æterna Dei inveniret Sapientia, cum quo dulcia secreti sui misceret col'equia, inventa est a Spiritu sancto sponsa Sunamitis, virgo singularis, cui Deus Pater dulcissimum oris sui osculum familiarius imprimere curavit, cuius auribus verba dulcia, homini prorsus ineffabilia, suavius ceteris mortalibus instillavit. Ea propter electa eadem et præelecta ad vocem confabulantis dilecti quam suaviter liquefacta sit igne

anoris intimi, sapientissimus in Canticis cantorum Salomon exprimit, ubi inter dilectionis sponsi et sponsæ mutuae confabulationis colloquia hujusmodi verba subintulit : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.*

Hæc utique licet ex persona Ecclesiæ dixerit, speciali tamen et nobilissimæ illius, qui feminam nescit, sponsæ, dominæ nostre scilicet perpetuae virginis Mariæ, specialius ascribuntur, cuius in amplexus totus idem ruit dilectus, eique ineffabili locutionis genere talis ac tantus innotuit, qualis a nullo sanctorum ab initio sæculi cognosci potuit vel poterit. Unde præ omnibus dilecta plus omnibus dilexit, ita ut sola illa veraciter dicere possit : *Anima mea liquefacta est, dilectus locutus est.* Nam præillumina mentis excessus totis in Deum transiens, utriusque hominis affectibus tenera adhuc ætate sic semetipsam transcendere noverat, ut ab omni humano tumultu, non minus corpore quam corde, semota recte dicere posset cum Propheta : *Audiam quid loquatur in me Dominus* (*Psalm. lxxxiv, 9*). Tota enim ejus intentio ad hoc solum spectabat, ut ex omnibus, quæ Deus Pater suis exsequenda proposuit hæredibus, nil surda aure præterit, sed quæcumque auditu capiebat, operibus plenissime exsequi studebat.

Audivit sane, et perfectius sola præ cæteris mortalibus adimplevit, quemadmodum omnibus viam vite ingredi volentibus per Moysen Dominus præcepit : *Diliges, inquiens, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum.* Dilectio quippe, qua Deum diligere consuevit, omnem humanæ narrationis modum excedit. Nam mortua mundo soli vivere gaudebat Deo, nec quidquam opere vel cogitatione admittere novit, quod vel ad momentum eam retrahere posset ab illius internæ contubernio familiaritatis, quo eam sibi proximam fecit ipse munditiæ auctor et integratiss. Inter haec etiam quam inextinguibili charitatis ardore sanctissima ejus anima erga proximos inflammata fnerit, verbis sequentibus nobis insinuat evidenter, ubi, postquam ex dilecto dilecti colloquio liquefactam se dicit, continuo subjungit :

*Quasivi illum, et non inveni.* Quid est ergo quod hæc diletarum dilectissima dilectum se quæsisse, et non invenisse asserit, quem inter ubera sua comorantem, quem per internæ aspirationis dulcedinem semper præsentem habuit? Erat revera hoc ejus inquisitio incomparabilis, qua humanis condescendebat miseriis, compassio. Nam quoties sanctissime ejus incidit memorie, ad quantæ dignitatis honorem homo nil molestiæ, nihil indigentiae sentiens in paradiso conditus fuerit, et quod ipse proprio sui arbitrio hujusmodi gloriam in tantæ calamitatis et miseriae immutaverit ignominiam, in tantum irrecuperabilem ejus lapsum deplorabat, quod non solum tunc temporis præsentium, sed et omnium usque in finem sæculi procreandorum miseriis per misericordissimæ compassionis affectum communis-

cabat. Quod enim quisque in inferno positus sustinuit, hoc beata Virgo se sustinere credit, quia illorum poenas æque ut animæ suæ periculum deflebat, quod nulla se ratione evadere posse sciebat, nisi Unigenitus Patris, Patri per omnia consubstantialis, humana carne vestiretur, qui paradisi januas originalis vectibus criminis obseratas reseraret, et inimicitiarum pariete destrクト: pacis et gratiae sigillum inter Deum et hominem redintegraret. Ergo quia hunc talem, tam potentem Dei et hominum mediatorem, per leges et prophetas patribus suis promissum audivit, ut tandem aliquando in salutem populi sui egrederetur, ut contritos corde et in carne et extra carnem positos medereretur, desideriis omnino indefessis quæsivit, sed quia needum venit plenitudo temporis ut idem dilectus de occulto suæ egrederetur habitationis, eidem dilecta licet inquirendo nimium anxie, speciem decoris sui nequaquam præsentialiter dignatus est ostendere. Quid ergo fecit? Num quærere cessavit, quam totam totus amor dilecti possedit et occupavit? Nequaquam. Sed vis amoris desiderium humanæ salvationis excitavit, et multiplicavit in ea intentionem inquisitionis. Sequitur:

*Vocavi, et non respondit mihi.* Quomodo ergo hæc domina nostra, perpetua salutis mater [cod. materia] vocare dilectum adjecit, quem tandiu quæsitus minime invenire meruit? *Vocavit* sane, dum post longa humanæ restorationis desideria ad invictæ orationis se convertit studia, ubi igneo lacrymarum fluvio super se rapta contrito valde spiritu diversas Deo Patri calamitates enumeravit, et miseras, non solum horum, qui justæ et pie viventes beatum spem et adventum Unigeniti sui in carne exspectabant, imo et eorum, qui in tenebris et in umbra mortis sedentes ad eamdem redemptionis gratiam inconsolabili suspircabant. Erat igitur ejus vocatio intenta ad Deum die noctisque supplicatio, ut memor jura menti, quo se gratis apud hominem obligaverat, quo secundum gratuitam bonitatem Deus homini Dominus servo debitor esse curaverat, Unigenitum suum mitteret in mundum, qui incarnationis suæ mysterio genus humanum de hostili redimeret imperio.

In hac autem tam sollicita sui inquisitione, in hac constantissima sui invocatione, non illud hæc perpetua Virgo quæsivit (quod tamen Deus Pater ante constitutionem mundi per eam fieri decrevit, ob quod etiam mox, ut nata est, Spiritus sanctus in sui eam custodiā suscepit, ut, protectionis ejus munimine obumbrata, florens inter spinas rosa absque spinarum injuria in altum cresceret, ex qua dulcissimus totius suavitatis, totius munditiae et castitatis flosculus suo in tempore potenter <sup>emergere</sup>). Hoc ista dilectorum dilectissima, ut diximus, non quæsivit imo, ut ita dicam, quærere nescivit, quia licet incomparabili sanctitatis, innocentiae et castitatis vigore polleret, profunda tamen et indicibilis sanctissimi cordis ejus humilitas, qua cunctis superior omnibus se inferiorem fecerat, hoc non soluta-

non desiderare, sed nec cogitare quidem permittebat. Dilectam tantum dilecti in carne præsentiam ardentius sitiens, inter lacrymas et gemitus preces jungebat precibus cum sanctissimo Moyse contribulato valde spiritum in cœlum clamando quotidie: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod. iv, 15*). Ad hoc etiam ad succendendam validius desiderii sui flammam familiare, uti credimus, illud Psalmistæ habebat, quod ad videndum eumdem dilectum spirans gemebunda voce dicebat: *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal. lxxix, 4*).

Sed licet omnia cœli secreta gratissima tantæ vocationis penetraret humilitate, licet ipsum dilectum in aeternitatis suæ requie constitutum desiderabilis clamoris hujus die noctisque inquietaret improbitate, idem tamen dilectus, qui hanc sibi vim inferri gaudebat, quasi non audiens quod audire cupiebat, nec desiderata vultus sui præsentia quærentem laetificavit, nec aliquo responsionis verbo; si quando fieri deberet, clamanti satisfacere curavit. Quomodo autem, cui familiaris est suavitas, cui consubstantialis est bonitas, quomodo, inquam, ad quem clamor humilius ascendit, super tantis tantæ dilecta clamoribus tardi se continere potuit? Nunquid gematum ejus non audivit, quam ante tempora mundi sponsam sibi et matrem elegit et prævidit? Desiderium sanctissimi cordis ejus nequaquam eum latere poterat, cuius inspiratione eumdem etiam mentis fervorem conceperat. Nam ipse ab initio salutem humani generis ardenter sitiens ad hoc eamdem sibi dilectam fecit et creavit, eamque in loco peccati absque peccato conservans instituit et informavit, ut et in desiderio participem, et in perficiendo, quod desideravit, idoneam in tempore opportuno haberet adjutricem. Verum quoniam needum tempus accepabile, needum dies salutis advenerant, in quibus idem splendor paternæ gloriæ humanæ dignum duceret subvenire miseriæ, longa adventus ejus expectatio erat quodammodo quasi dura et intolerabilis diu exquisitæ responsionis negatio.

Attamen Virgo beata, cuius mens supra petram erat fundata, quia per immutabilem immutabilis affectum dilectionis ei, qui mutari nescit, immobiliter adhaerebat, de ineffabili sua omnino secura bonitate, ab inceptæ vocationis constantia nec dilationis mora, nec aliqua difficultatis revocari poterat injuria. Memor enim Scripturæ dicentis: *In die malorum ne immemor sis bonorum*, tanto validius vocem cordis exaltare studuit, quanto suavius inexhaustum ejus, quem quæsivit, dulcedinem, per interni saporis gratiam degustare meruit. Pro tali ergo sui constantia, pro tanta indefessi laboris perseverantia, quantam supernæ consolationis gratiam consecuta sit, verbis sequentibus manifeste exprimit: *Invenerunt, inquit, me custodes civitatis, percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum*.

Per custodes siquidem civitatis angelicos convenienter spiritus accipere possumus, quorum spe-

cialem custodiam et protectionis diligentiam haec Virgo gloriae tanto majorem circa se promeruit, quanto in carne praeter carnem vivens per singularis vitae innocentiam prima omnium angelicarum vitarum imitata est excellentiam. Quapropter cum angelis semper cognata sit virginitas, grata familiaritate, familiaris affinitate semper et ubique, maxime tamen orationis tempore eidem Virginis adesse gaudebant, sanetaque ejus desideria, preces, lacrymas et suspiria eidem quem quærebant dilecto offerebant. A talibus suis custodibus per invisibilem protectionis gratiam nunquam ei absentibus, tunc praesentialiter est inventa, cum ab initio absconditum individua Trinitatis consilium angelico ei affatu insinuatur, quemadmodum per evangelicarum textum Scripturarum aperte declaratur : *Ingressus*, inquit evangelista, *angelus ad Mariam ait : Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc. 1, 28*). Ibi sane, licet solus Gabriel archangelus nominetur, nequaquam tamen credimus quod solus et sine magno coelestis exercitus comitatu ad tantam tanti Domini sui sponsam introierit, qui non sibi soli, sed universo humano generi æternæ salutis nuntia detulit. Nam si antiquas hostis tanta, ut certum est, suorum multitudine similius miseram et infeliciem quamlibet animam opprimit, dum potestate desperata suo eam juri mancipare incipit, quid mirum, si tantum tanti Regis legatum non modico beatorum comitatu spirituum decenter credimus honoratum? Hoc enim missi et mittentis excellentiam, hoc salutandæ, imo et despontandæ Virginis per omnia decuit reverentiam.

Ad hanc etiam, ut minus sit in dubio, præcedentia ejusdem dilectorum verba sunt testimonio : *Inveniunt, inquit, me custodes civitatis*. Hæc sane dicens, non solum visitantem se sanctorum turbam angelorum, sed et speciale suorum prærogativam exprimit meritorum, scilicet quod sola inter omnes et super omnes benedicta, sola satis juste, satis digne præ omnibus electa fuerit, ex qua æternus Pater coeternum sibi Filium incarnari voluerit. Est enim, ac si dicat : Omnibus, quæ præsens voluit mundus, forti contemplationis pede concutatis, universis cordis corporisque aditis virginis clave pudoris diligenter obseratis, totam me intra *me invenerunt*, quia nil per cogitationes admittere, nil per desideria affectare neveram præter solam desiderabilem desiderabilis dilecti faciem, in qua me totumque genus humanum salvari non ambigebam. Talem ergo quia me invenerunt, percusserunt me, insuper et vulneraverunt. Sed quæ percussionses, quæ rogo, vulnerum istius modi fuere inflictiones? Timor nimis et amor. Timore siquidem quasi duro quodam verbere concentitur, dum non immemor Scripturarum, quia angelus Satanae transfiguratus se in angelum lucis, angelico stupefacta fulgore concutitur. Nisi enim pavidam et trementem specialis ille custos ejus eam conspexisset, nequaquam tam dulcibus eam blandimentis consolando continuo subintulisset : *Ne timeas, Maria* (*Luc. 1, 50*).

Sed dum tam blanda consolationis manu plagarum contusiones familiariter contrectare, lenire studeret atque sanare, sagittam nimis acutam subite sagittavit, quæ dulci nimium velocitate usque ad divisionem animæ ac spiritus pertingens dilectam dilectorum Virginis animam suavissimo amoris vulnere delectabiliter saucivit. *Ecce, inquit, concipies et paries filium* (*Luc. 1, 31*). Ne timeas, inquam, nec expavescas, quam tantæ dignationis respectu æterna invisere dignata est majestas. *Ecce concipies, ecce desideratus, quæsusitus diu et vocatus, non solum videndus tibi exhibetur, sed etiam humana ex te carne vestietur. O delectabile vulnus omni suavitate dulcior, quia sic vulnerari est ab omni penitus dolore sanari!* Sequitur :

*Tulerunt pallium meum custodes murorum.* Per pallium quippe sublatum originale accipi potest peccatum. Est autem peccatum originale concupiscentia carnis et ignorantia animæ. Hoc sane pallio, quia hæc Virgo beata, utpote in peccatis concepta et nata, nequaquam caruit, audita quidem credidit, sed quonodo fieri possent, penitus ignoravit. At ergo : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sed quasi ad auferendum et hujus et totius ignorantiae pallium continuo angelus manus extendit, dum et modum et ordinem concipiendi, necon et pariendi insinuando subintulit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superveniente quidem Spiritu sancto in eam prorsus ignorantia fugatur, quia nihil ex omnibus coelestis sapientiae thesauris ultra ei abscondi potuit, utpote quæ ipsam æterni Patris sapientiam, non solum in corde, sed et in virginali corpore suo susceptam corporaliter gestare digna fuit. Ad hanc etiam ut una eademque hora virtute Altissimi obumbrari meruit, totius concupiscentiae macula, originali criminis indita, funditus deperiit, quia licet ab ipso nativitatis suæ orta cunctis virginibus incomparabilis esset, ab ipso tamen novæ et inaudita salutationis angelicæ obsequio meritum sanctior, virtutibus celsior per omnia ei, quem conceperat, conformatur, quemadmodum ex sequentibus ejus dictis manifeste declaratur :

*Filiæ, inquit, Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Per filias Jerusalem hoc in loco eosdem, quos supra diximus, angelicos spiritus accipere possumus, per quos utpote mutuae testes et internuntios dilectionis hujusmodi dilecto suo, Deo scilicet Patri, talia remandavit verba legationis : *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, nuntiate, obscurio, ei quem immutabilem immutabili dilectione ab ineunte ætate dilexi, quia amore langueo.* Amore, inquam, ejus et desiderio, ad omnia, quæ præsens diligit mundus, languens hucusque et infirma apparet, quia totum quod Deus non erat sitiens, illum anima mea quasi fastidiendo despiciebat. Ipsum itaque solum quæsivi, illum solum vocavi, et ideo juste satis sola ego præ omnibus tanta divina merui dignationis responsione consolari, concipiendo et

pariendo illum, qui est totius humani generis vera consolatio, spes et redemptio, cui sit honor, potestas et gloria per infinita sacerdorum sacula, Amen.

## VII.

IN VIGILIAM ASSUMPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS PRIMA.

*Sapientia adificavit sibi domum (Prov. ix).*

Quia gloriosam beatissimam Virginis Mariam assumptionem celebratur sumus dignum est, ut de laude ejus, prout poterimus, aliquid loqui euremus. Quod enim eadem haec Virgo sanctitatis ac dignitatis merito omnes homines praecelleret, multis in locis sancta Scriptura presignavit, quae eam antequam nascetur, qualis et quam sublimis futura esset saepe praenotavit. Hinc etiam Salomon sapientissimus, de cuius genere ipsa erat nascitura, sicut multis eam testimoniis extulit, ita et in Proverbiis suis gratiam, quam cum illa et per illam universo mundo Deus operatus est, his verbis praetulit: *Sapientia adificavit sibi domum.*

Aeternali Dei Patris Sapientia, suaviter disponens omnia domum sibi adificavit, quando virginalem beatam Mariam aulam ad habitandum consecravit. Cum enim quis voluerit domum adificare primum si quid in ligno seu in lapide superfluum et minus aptum videt, abscondit, et planat, ut in junctura structure ordinate coaptari valeat. Sic nimirum sapientissimus ille architectus, Pater aeternus, cum Filio suo hanc eminentissimam domum preparavit, omnem originalis et actualis peccati contagionem penitus de illa abscondit, ita videlicet, ut nullam vel levem maculam in se haberet, sed tota munda, tota sancta, Regi celorum ad habitandum aptissima esset. Domus ergo haec tanto-pere preparata, qua virtutum sustentata fuerit eminentia, verba insinuant sequentia:

*Excidit columnas septem. Septenarius numerus, qui ex quatuor constat et tribus, specialia quedam virtutum merita nobis hoc in loco commendat, quibus septiformis Spiritus sancti gratia dominam nostram Mariam undique praemunierat quia videlicet fides sanctae Trinitatis pleniter in ea operabatur quatuor cardinales virtutes, fortitudinem, temperantiam, prudentiam atque justitiam. Fortis revera beata Maria fuit in castitatis proposito, quae nunquam per peccati maculam pollui permisit corpus suum vel animam. Videamus etiam quam temperans fuerit in silentio quia profecto cum Gabriel archangelus legationem illam in secreto celorum divinitus dictatam ei detulisset: Are, inquiens, gratia plena, Dominus tecum (Luc. i, 28). Non procax aut festina fuit statim ad respondendum, sed diu deliberans in animo cogitabat qualis esset ista salutatio (ibid., 29). Et quia fortis in castitatis proposito et temperans erat in silentio, prudens quoque fuit in responso. Denique cum idem angelus insolite salutationis ordinem pandisset et causam: Ecce, inquiens, concipies et paries filium, ipsa prudenti inquirit interrogatione quo pacto id fieri possit vel*

qua ratione: *Quomodo, ait, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Sciebat namque firmissimum suae integritatis esse propositum, et ideo mirabatur hujus conceptionis eventum. Quia ergo in silentio temperantiam, in responso habuit prudentiam, in vera humilitate perfectam exhibuit justitiam.*

Nam cum audisset quod ipsum Altissimi Filium per obumbrationem desuper venientis Spiritus sancti paritura esset, humillima Virgo humiliter respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum (ibid., 38).* Et alibi: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (ibid., 48).* Ac si diceret: Nullius meriti mihi conscientia sum ad tantam dignationem, nisi quod respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Unde et in Canticis canticorum dicitur: *Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum (Cant. i, 41).* Est nardus humilius herba, sed suaveolens, cui congrue humilitas sanctæ Virginis comparatur, quae tam amabilem suavitatis fragrantiam in cœlesti palatio respersit, ut ipse Dei Filius hujusmodi odore delectatus, de sinu Patris in uterum ejus descenderet, et humanæ carnis substantiam de illa acciperet. Haec est domus sapientiae divinitus adificata et septem columnis subnixa et excellenter ornata.

Si etiam *septem columnas* ad ipsum Christum rectulerimus, septem dona Spiritus sancti, qui in eo corporaliter requievit, per eas non immerito significari cognoscimus, quæ scilicet de monte aeternitatis, de sublimitate Trinitatis excidit et humanitati suæ divisit. Sic enim de ipso flore nobili, qui de virga Jesse processit, Isaías propheta prædixit: *Et requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientie et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini (Isai. xi, 2).* Spiritus timoris Domini eum replevit quia nemo eum unquam vidi nisi in timore sancto, quo se Deo Patri in humanitate sua humiliter subjicit. Requievit in eo *spiritus pietatis* quia quidquid faciebat, quidquid docebat, totum ad pietatem, totum ad dulcedinem gratiam respiciebat. Quid memorem *spiritum sapientiae et scientiae* in illo habuisse, cum ipse Dominus scientiarum fuerit, in quo omnes thesauri sapientiae sunt absconditi? In *spiritu fortitudinis* superavit tentationes, quas propter nos sustinuit, et ad extremum ipsam passionis ignominiam gloriose mortis trophae fortiter devicit. *Spiritu consilii* peccatores ad poenitentiam vocavit, quibus per pietatis ac clementiæ sententiam consilium dans ait: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum celorum (Matth. iv, 17).* Spiritum intellectus se habere in resurrectione sua potenter innotuit, cum discipulis suis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas. Sequitur:

*Immolarit victimas suas, miscuit vinum et propo-suit mensam suam. Christus profecto victimas suas immolarit, quando in ara crucis seipsum victimam salutarem, hostiam vivam, Deo Patri placitam in*

odorem suavitatis obtulit, de cuius revera immolatione victimæ tanta virtus excrevit, ut quoties modo immolatur ad sacrosanctum altare, peccatorum veniam tribuat et regnum cœlorum aperiat. *Miscuit vinum*, cum antiquæ legis severitatem in evangelicæ gratiæ convertit lenitatem. Sicut enim vinum aliquando cum aqua miscetur, ut ad potandum levius efficiatur, ita et is qui olim in veteri lege oculum pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente reddi jussit, in Evangelio debita debitoribus donari præcepit. *Miscuit etiam vinum quia resurgens a mortuis* discipulos suos in omnes gentes misit, qui ne in viam gentium abirent, ante eos prohibuit. *Euntes, inquit, in omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth. xxviii, 19*). Quando vero mensam suam proposuit, nisi cum in ascensione sua, corpora, ipso resurgentे resuscitata ad cœlos secum vexit? Nam cum is qui stans vel ambulans comedit, minus saturatur, sedens autem ad mensam pleniter et abundanter reficitur; sic nimirum ascendentे Domino plena illis et abundans facta est refectio, quia cum ipso considerunt ad epulas cœlestis convivii, cum eo pariter in æternum regnaturi. Cum ergo Christus ad cœlos ascendisset et promissum Spiritum sanctum apostolis misisset, tunc factum est quod sequitur:

*Misit ancillas suas, ut vocarent ad mænia et ad arcem civitatis.* Per ancillas sancti apostoli hoc in loco valent accipi, qui ante adventum sancti Spiritus fragiles erant et pavidi. An non beatus Petrus princeps apostolorum mollis et fragilis fuit quem unius ostiarior vox ad negandum Dominum emollivit? Sed post acceptam Spiritus sancti gratiam tantam ipse cæterique ejus coapostoli acceperunt fiduciam, ut ante reges et præsides nomen Jesu libere confiteri non timerent, imo et corpora sua pro ipso morti tradarent. *Ut vocarent ad mænia*, inquit, *et arcem civitatis*. Per mænia activa designatur vita per arcem autem civitatis fastigium theoricae contemplationis. *Ad mænia ergo et ad arcem civitatis sancti apostoli nos vocaverunt*, quia activæ et contemplativæ vitæ stabilite sanctam Ecclesiam fundaverunt.

### VIII.

#### IN FESTUM ASSUMPTIONIS B. MARIE VIRGINIS PRIMA.

*Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, exceptit illum in domum suam* (*Luc. x.*).

Intrans castellum præsentis sæculi duas in se naturas habuit Filius Dei, humanum videlicet et divinam, que etiam recte per has duas designantur sorores, *Martham* scilicet et *Mariam*. Per *Martham*, que sollicita circa frequens ministerium describitur, non incongrue assumpta humanitas omnipotentis Dei figurari potest; per *Mariam* vero, que sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus, divina ipsius natura designari valet.

Sed notandum est quod, cum de duabus sororibus in hac evangelica lectione sermo habitus sit,

(1) Id est Christus, qua Deus a Deo Patre est, scilicet Deus de Deo, etc.

cur evangelista nomen unius, quod est *Martha* describens, distincte continuo addiderit *mulier quædam*, nomen vero alterius, quod est *Maria*, simpliciter tantum sermone prænotaverit? *Mulier* siquidem nomen est infirmitatis quia Redemptor noster in humana natura, quam pro nobis assumpsit, infirmitatem nostram portavit. Sed divina ejus natura nulla infirmitatis molestia, nulla unquam humanæ fragilitatis tangi vel tenuiter poterat miseria. Sed hæc *mulier*, natura scilicet humana Dei omnipotentis, non quælibet, sed *quædam*, id est singularis fuit quia omnis humana natura, quæ in Adam infirmari coepit, infirma est, et semper erit in peccatis præter hanc solam, quæ revera *quædam*, ut diximus fuit, immunis nimis ab omnibus peccatis, expers prorsus totius humanae contagionis.

Hæc igitur *mulier quædam suscepit eum in domum suam*, in domum scilicet infirmitatis et misericordiae, quia pro nobis homo factus præter sola peccata omnem humanæ mortalitatis fragilitatem pati non est dignatus. Et bene hæc eadem mulier *Martha* nominatur, quæ *irritans* vel *provocans* interpretatur, quia Redemptor noster, ut diximus, humanæ fragilitatis membris indutus frequenti ministerio, quod pro humana redemptione Deo Patri exhibuit, fortiter adversum se antiqui hostis irani provocavit, quem etiam usque ad mortem provocando morte propria postmodum prostravit.

*Et huic erat soror, nomine Maria.* Sorores esse dicuntur et sunt, quæ ab uno patre, vel ab una progenitæ sunt matre. Humana ergo et divina omnipotencie Dei natura sorores invicem quodammodo erant, quia utraque natura de Deo Patre est, humana natura a Deo Patre creata est, divina natura a Deo Patre in Christo (1) genita est. Recte etiam per *Mariam*, quæ *dominans* vel *dominatrix* in nostra resonat lingua, divina ejus intelligenda est natura, quia quamvis apparet in carne humiliando se usque ad mortem indigna quæque sustinuerit humanæ fragilitatis et misericordiae, divinitate tamen, qua Patri semper mansit et manet coæternus, tam cœlestibus dominabatur quam terrestribus. Sequitur:

*Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus.* Sedere judicantis; stare vero est pugnans. Per pedes autem Domini, quemadmodum sacræ Scripturæ plerumque tradit auctoritas, universæ vite Domini intelligendæ sunt, misericordia videlicet et veritas. Secus hos pedes Domini divina tunc sedebat natura, quando æterni Patris Filius coæqualis, coæternus, coomnipotens cum eodem Patre iudicabat omnia in misericordia et veritate, quia omnes salvandi per misericordiam salvantur, et omnes damnandi per veritatem iudicantur. In hac infirmitatis quiete, in hac coæqualis substantiæ sedens maiestate audiebat verbum Domini, id est audiebat et obaudiebat Deo Patri, Verbum autem ejusdem Patris consilium fuit humanæ reparationis, quod ab initio mundi vera et æterna deliberavit divinitas, ut

videlicet pro reparando homine multa passurus homo Deus appareret in carne. Hoc *verbum*, hoc paternæ voluntatis consilium *audiebat*, delectabili videlicet devotionis affectu amplectens et desiderans, ut formam servi accipiens scipsum Deus exinaniret, hominique perditio per passionis et mortis ignominiam subveniret.

Sed inter hæc recurrentum est nobis ad nos intra nos, et sollicita consideratione ad oculos mentis revocandum, quantæ damnationis sit periculum, quod nos, qui utique terra et cinis sumus, pro commodo et utilitate propriæ salutis divinis obaudire præceptis contemnimus; cum ille, qui erat in sinu Patris, coæqualis in omnipotentia, indivisæ majestatis, nullam habens indigentiam, nullius indigenæ gratiæ, pro nostræ salutis dilectione æterno Patri non dignatus est obaudire. Sed qvoniā qualiter ad subveniendum nobis æterna se divinitas humiliando inclinaverit, audivimus dignum est, ut quanta benignitatis gratia humanitas ejus erga salutem nostram extiterit sollicita, pie considerando advertamus. Nam sequitur sancta lectio.

*Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Circa frequens enim ministerium Martha satagebat, quia totum, quod divina voluntas pro reparando homine fieri disponebat, assumpta postmodum humanitas voluntarie perficiebat. Satagebat etiam circa frequens ministerium, eum debitæ satisfactionis obsequium, quod pro se homo debuit, ipse in corpore suo Deo Patri serviens humiliiter persolvit. Libet adhuc in verbo hoc satagebat subtilioris sensus intelligentiam inquirere.*

Nam in hoc quod dicit, *satagebat*, idem intelligere possumus, quasi diceret, *satis agebat*. Dominus etenim et Redemptor noster, si tantum pro nobis natus esset, si, inquam, in mundo bene tantummodo vixisset, bene docuisset; si etiam ipsam mortem sustinens ad inferos pro liberandis animabus non descendisset, vel etiam post resurrectionem et ascensionem promissum Patris Spiritum sanctum in corda fidelium non misisset, non utique satis egisset. Sed postquam hæc omnia, uti humanæ perditionis indigebat miseria, in humanitate complevit assumpta, cum, inquam, opus consummavit quod dedit sibi Pater ut ficeret, jam tunc bene dici potuit quod *circa frequens ministerium Martha satagisset*, id est satis egisset.

*Circa frequens etiam ministerium tunc Martha satagebat*, quando in ultima coena corpus suum, hostiam sanctam, viventem suis contradidit disipulis, *hoc est*, inquiens, *corpus meum; hoc facite in mean commemorationem, quotiescumque sursumis* (*Luc. xxii, 19*). Quod nimurum ministerium recte *frequens* dicitur, quia quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.

Non solum enim *ministerium* illud quod in diebus carnis suæ Deo Patri exhibuit, tunc temporis pro peccatis mundi intercessit, sed usque ad consummationem sæculi idem frequentatur *ministerium*. id est

intercedere non desinit pro peccatis hominum. Nam ideo idem Filius Dei hostiam viventem se exhibuit Deo Patri, ut *ministerium* illud liberatis et liberandis *frequens* quodammodo esset, id est sicut tunc morte animæ mortuis vivificatio fuit veræ immortalitatis, sic quandiu præsens manet sæculum, mortui in peccatis per hoc vivificari valeant *ministerium*, hoc est quoties homo a via veritatis peccando erraverit, toties per hoc *ministerium* reconciliationem invenire possit. Ita ergo *circa frequens ministerium* Martha satagendo, quantum pro nobis serviendo laboraverit, quæ et quanta pro nobis sustinuerit, subsequens mox ratio aperte declarabit. Ait enim :

*Quæ stetit et ait. Sicut superius diximus, sedere judicantis, stare vero est pugnantis. Venit Filius Dei in hunc mundum non ad sedendum vel quiescendum, sed ad standum, ad expugnandum videlicet fortem illum armatum, qui custodiebat atrium suum, et in pace erant quæ possidebat. Stetit ergo non quiescendi gratia, sed laboriosi certaminis aggressus prælia. Laboriose enim stetit, dum sputa, colaphos et flagela omnemque humanæ mortalitatis miseriam perseveranter sustinuit. Unde etiam cum usque ad mortem stando laborasset, etiam immenso certaminis pondere fatigatus sanguinei sudoris guttas desudasset, sancta ejus humanitas, quæ sola passa est, quasi derelictam se conquerens : Domine, inquit ad Patrem, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Non est tibi curæ quod ego solus sine peccato, auctor innocentiae, tantam abjectione miseriam, tantam, tam multifariam passionis sustineo ignominiam? Pendens etiam in cruce, in ipso mortis positus articulo, clamans voce magna dicebat ad Patrem : Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? (Matth. xxvii, 46.) Sicut enim hic quasi interrogando dixit : Non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Ita et illuc interrogando quodammodo loquitur ad Patrem : Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? — Non est, inquit, tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Soror mea, id est divinitas mea, cunn impassibilis et immortalis sit, quasi solum me ministrare reliquit. Solum, inquam, me ministrare reliquit, quia totum certaminis labore, totum passionis dolorem cum sola sustinui et sustineo humanitatem.*

*Dic ergo illi ut me adjuvet. Tunc Filius æterni Patris adjutorium quæsivit divinitatis, cum, ut præfati sumus, factus in agonia oravit ad Patrem : Pater, inquit, si possibile est, transeat a me calix iste (Matth. xxvi, 39). Si possibile est, inquam, ut humani generis redemptio reparari possit sine passionis et mortis meæ pretio, dic illi, videlicet divinitati, ut me adjuvet, id est per divinæ majestatis potentiam imminentem passionis transfer a me miseriam.*

*Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Quod idem est ac si vox paterna passuro jam Filio in hæc respondeat verba : Novi, quod piæ compassionis af-*

fectu sollicitaris, ut homo perditus ad dignitatem reparetur ingenitæ hereditatis; novi quod *turbaris ergo plurima*, quia pati tot passionum dolores caro formidat infirma. *Porro unum est necessarium.* *Unum* istud necessarium salubre est passionis et mortis tuae remedium. *Necessarium est* enim ut justus pro iniquis, solus liber a peccatis pro servis peccati, Agnus innocens et immaculatus pro ovibus perditis patiaris. *Necessarium est*, inquam, ut morte tua mortis destruatur et dissolvatur imperium

Dignum est etiam intelligentiam sensus adhuc altioris in his Domini quærere verbis. Neque enim in discussum est relinquendum quod respondens Dominus Marthæ non semel eam nominaverit, sed repetens quodammodo bis eam nomine suo vocaverit: *Martha*, inquiens, *Martha sollicita es et turbaris erga plurima.* Verum quia omnis homo ex duobus constat, ex anima videlicet et corpore, duas etiam in se habet voluntates, unam secundum animam, alteram secundum corpus. Sic ergo incarnatus æterni Patris Filius duas in se habens naturas, humanam videlicet et divinam, duas etiam voluntates habuisse dignoscitur, unam secundum humanitatem, alteram vero secundum divinitatem; secundum humanitatem quidem voluntatem obedientiæ, secundum divinitatem vero voluntatem justitiæ. Sed humana natura voluntate quidem obediendi constricta, propter fragilitatem autem carnis ferre vim passionis infirma, cum quasi derelictam se conquerens sororis adjutorium quæsivit, ipse Deus in divina manens natura humanitati sue his verbis respondit: *Martha*, inquit, *Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* Quasi diceret: O humana natura, ex anima et corpore composita, sollicita es secundum animam, ut homo perditus redimatur; *turbaris* vero secundum corpus, quia pati tot certaminum labores, tot passionum dolores caro trepidat infirma. Sed ecce utilis admodum sollicitudo tua, proficia nimis *turbatio* erit tua; quia *turbaris erga plurima bona, erga plurimorum scilicet salutem.* *Porro unum est necessarium.* *Unum* istud necessarium divinitas mea est, qua mecum unus es, qua mihi consubstantialis, coæternus, coæqualis manes in æternum. *Porro* istud *unum est necessarium*, id est necessarium semper habet esse, quia divinitas mea, sicut nullam recipit commutabilitatem, ita etiam nullam admittit infirmitatem, nullam pati poterit passionem; ideoque *necessarium* valde est ut, illa incommutabili permanente, tu erga plurima *turbanis*, id est ut *turbatio* tuae passionis plurimis conferat salutem æternæ redemptionis, quia nisi tu factus obediens usque ad mortem (*Philipp. 11*) mortis interimas principem, morte animæ mortuum vivificari nullo modo poteris genus humanum.

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Optima pars Mariæ opus fuerit redemptionis humanæ. Optimum fuit opus redemptionis humanæ, quia opus misericordiæ fuit, quia omnia opera sua Deus per potentiam fecit; hoc autem opus redemptio-

nis humanæ fecit per misericordiam, et hoc opus misericordie sancta Trinitas ita inter se partita est, ut divina natura in Patre propitiaret, divina natura in Filio propitiaret, divina natura in Spiritu sancto igniret, et beatam virginem Mariam obumbraret per quam obumbrationem Dei Filium conceperet: *Quæ non auferetur ab ea*, donec perficiatur, donec homo redimatur.

Et non incongrue præsens Evangelium in hac sacrosancta beatæ Virginis legitur Assumptione, quia hæc eadem beatæ Virgo Maria humanæ redemptio singularis exstitit materia, utpote quæ Dei Filium, per quem opus istud misericordiæ, opus redemptio nostræ totum erat perficiendum, de se genuit incarnatum. Nunc ergo conversi ad ipsam deprecemur, ut plena gratia, pietate ac misericordia, sua nobis obtineat intercessione veneranda, quatenus hujus optimæ partiæ participes efficiamur, et in throno gl. riax, quo hodierna die gloriosa super ciborios angelorum exaltari meruit, ipsam videre mereamur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per immortalia sæculorum sæcula. Amen.

## IX.

### IN EAMDEM FESTIVITATEM SECUNDAM.

*Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quodam Martham nomine exceptit illum in domum suam (Luc. x)*

Quoniam solemnitatem colimus gloriosæ virginis Mariæ, libet magnificentiam sanctitatis ejus gloriæ contemplari in titulo lectionis evangelicæ, velut in speculo compositionis virginea. In eujus lectionis area, licet multorum et magnorum expositorum, tam modernorum quam antiquorum, subtilia et sublimia desudaverint ingenuia, odorifera tamen et sub palea litteræ recondita tam gloriosæ Matris virginis quam præcelsi Fippi regis, adhuc innunera redolent mysteria. Spiritus enim sanctus, qui auctor et descriptor est lectionis istius, apothecam thesauri sui, quibus voluit, prout voluit, mirabiliter aperuit, et eamdem inexhausta mysteriorum copia redundantem, adhuc quibus vult, prout vult, misericorditer detegit. Ait ergo evangelista:

*Intravit Jesus in quoddam castellum.* Castellum ubi pro tuitione construitur, munitione muri per circuitum undique cingitur, et, turre in medio eminente, ipsa muri constructio desuper protegitur, ut vicissim et a turre murus defendatur, et a muro turris munitatur. Hujus ergo castelli nomine intemerata beatæ Mariæ virginitas convenienter figuratur, cuius et vita sub magisterio sancti Spiritus constituta, tota continentia munitione mirabiliter roboratur, et ipsa incomparabili et inexpugnabili humilitatis arce contra omnia diabolica suggestionis jacula humiliiter defensatur. *In hoc ergo castellum Jesus intravit*, cum ille Filius Dei Rex angelorum, Creator cœlorum, beatissimæ virginis Mariæ incomparabili simul' cœtitate et humilitate delectatus, palatium uteri ejus visitavit, et instar solis fenestram vitream radio suo

perstringentis nec disrumpentis, virginitatem ipsius secundavit, non violavit, eamque suo introitu et exitu mirabiliter decoravit, glorificavit et sublimavit.

De quo nimurum gloriose et mirabili aeterni Regis introitu et exitu Ezechiel propheta magnifice disseveruit, dum in aedificio montis portam orientalem conspiciens, ita descripsit : *Et dixit Dominus, inquit, ad me : Porta hanc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portae ingredietur, et per viam ejus egreditur* (Ezech. XLIV, 2, 5). Porta enim clausa fuit beata Maria virgo perpetua, que soli principi patuit, dum soli Filio Dei ad redemptionem mundi uterum ejus suæ virtutis obumbratione Spiritus sanctus aperuit. Princeps ipse in ea sedit, et panem coram Domino comedit, dum ipse Rex regum et Dominus dominantium in ejus humilitatis et castitatis gremio velut hinnulus cervorum suavissimam et desiderantissimam suæ quietis umbram sibi elegit, sicut ipse per Isaiam prophetam prædictit : *Super quem requiescam nisi super humiliem, et quietum, et trementem sermones meos?* (Isa LXVI, 2.) Qui etiam re ipsa beata Virgo in cantico suo attestatur, dum per profundam humilitatem suam cœlitus a Filio Dei se respectam esse gratulatur : *Quia respexit, inquit, Dominus humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (Luc. 1, 48). Princeps ergo in ea sedens panem suum coram Domino comedit, cum Filius Dei, cooptante sibi majestate Patris ac Spiritus sancti, carnem in ejus utero assumpsit, quam pro redemptions mundi totius in cruce Deo obtulit. De quo pane dixerunt impii in libro Sapientiae : *Mittamus lignum in panem ejus* (Jer. XI, 19). Per viam vestibuli portæ ingreditur, et per viam ejus egreditur dum Filius Dei per fidem beatissimæ Virginis concipitur, et per fidem ejus ad redemptions mundi mirabiliter ex utero Virginis nascitur. Vestibulum enim portæ virginitas et humilitas beatæ Mariæ accipitur. Via vestibuli fides ipsius intelligitur, per quam ipsa cœlesti paronympho Gabrieli sic loquitur : *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1, 38). Unde et congrue in lectione evangelica sequitur :

*Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Mulier quædam, que hic ab evangelista describitur, ipsa profecto intelligitur, de qua Creator in paradyso serpentis loquitur : Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (Gen. III, 14). Serpens enim hostis ille antiquus accipitur; mulier beata virgo Maria intelligitur. Semen serpentis mors illa fuit, quæ per invidiā diaboli in orbem terrarum introit; semen mulieris Christus Dominus fuit, qui morte sua mortem et mortis auctorem in cruce peremit. De qua etiam muliere beatissima dicit Jeremias propheta : *Ecce*

*Dominus novum faciet in terra. Femina circumdabit virum* (Jer. XXXI, 22). Quia enim mulier a molitie dicitur, reete hoc nomine beatissima Virgo exprimitur, cuius cor igne sancti Spiritus liquefactum in amorem sui Creatoris eatenus resolvitur, ut ipsum in suo utero corporaliter concipere, et verum Deum verumque hominem parere mereatur, quem præ cunctis mortalibus incomparabili et ineffabili amore spiritualiter ejus anima complectitur.

Recte etiam mulieris nomine describitur, que singulare miserationis affectu ad compassionem humani generis ducitur, ut pro redemptione mundi continua precum suspiria fundat ei, quem specialiter ipsa præ omnibus diligit, Filio Dei. Cujus miserationis et compassionis vellementia in Leatissima Virgine Maria in libro Regum denotatur, ubi princeps quinquagenarius tertius, cœlesti igne consumptis primis duobus, ipse humiliter flexis genibus Eliam de monte descendere suppliciter deprecatur (IV Reg. 1, 13). Elias enim, qui *Dominus Deus* dicitur, Christus Dominus intelligitur; princeps quinquagenarius tertius humanum genus accipitur, quod tertio hujus saeculi tempore, scilicet post legem naturalem, post legem scriptam, sub gratia constituitur. Qui nimurum princeps quinquagenarius sua genua contra Eliam flectit, dum genua humanum Virginem beatissimam sua legatione functam Filio Dei opponit, ut ipsa eum suis lacrymis suisque precibus vineat, et victum de cœlis ad terras deponat, quem vincere nec patriarcharum nec proprio clamor intolerabilis poterat. Que nimurum Beata virgo Maria recte per genua principis exprimitur, quia in ea Deus homini jungitur et cœlestia terrestribus confederantur, sicut in genibus superior et inferior pars corporis continuatur. De hac muliere beata et gloria dicit evangelista : *Et mulier quædam, Martha nomine, exceptit illum in domum suam.*

Quia Martha irritans, vel provocans, vel etiam Syro sermone dominans interpretatur, recte hujus nominis etymologia beatissimæ Virginis corpus figuratur, quod jejuniorum, vigiliarum et totius continentiae nimietate hostem antiquum irritat, quod nimietate lacrymarum, contritione jejuniorum et vigiliarum vel flexione genuum Filium Dei de cœlis ad terras venire provocat, quo ipsa beata Virgo, ut cœlo et terræ dominari mereatur, humiliter elaborat. Hæc ergo Martha Jesum in domum suam excipit, dum beatissima virgo Maria Filium Dei sua humilitate, sua castitate, suaque dilectione de cœlis ad terras deponit; eumque pro nobis pauperem factum, pro nobis exsulem et peregrinum in sui corporis hospitium recipit, dum ei de suæ carnis substantia carnis materiam, quam pro nobis in cruce Deo Patri offerat, tribuit, denique dum ei uti Anna Samuelis parvam tunicam facit, qua ipse suæ maiestatis potentiam ab hoste antiquo occultare possit. Tunica enim parva Samuelis est humilis humanitas Christi Redemptoris, quam ei Spiritus sanctus in

utero Virginis intexit, qua eum mater Virgo de sua carne induit, ne divinitas ejus ab hoste agnoscatur, ne redemptio crucis praepediatur. *Si enim*, inquit Apostolus, *cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (*I Cor.* 11, 8). Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi contigisset. Sequitur :

*Et hic erat soror, nomine Maria. Maria stella maris, vel Syro sermone domina interpretatur, ac proinde sicut per Martham caro beatæ Virginis figuratur, ita per Mariam sanctissima ejus anima designatur. Quæ recte stella maris dicitur quia omnibus fidelibus in hujus saeculi salo fluctuantibus ipsa defensione sua, creptione et propitiacione stella efficitur, per quam peccatorum tenebras et mortis abyssum evadant, et ad portum æternæ salutis pertingant, ubi ipsa super choros angelorum a filio suo sublimata totius mundi mediatrix et domina est constituta. Maria ergo soror Marthæ esse describitur quia anima beatæ Virginis Mariæ, dum suo corpori in præsenti astringitur, hæres quidem Christi, cohæres autem Dei futura esse exprimitur, sicut ei Spiritus sanctus in Canticis loquitur : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

*Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Maria secus pedes Domini sedet, cum anima beatæ Virginis, in carne posita, amori Creatoris sui inseparabiliter inhæret. Secus pedes Domini sedet, dum totam sui cordis intentionem ad misericordiæ vel censure divinæ dirigit considerationem, qua scilicet misericordia homo de terra plasmatus in paradiſo fuerit locatus, quo judicio de paradiſo fuerit exsiliatus. Dum ergo ad pedes Domini sedet, verbum illius audit quia beatæ Virginis anima in carne posita, dum misericordiæ vel judicio Creatoris Dei jugiter intendit, dispensationem Filii Dei de redemptione mundi in Spiritu sancto recognoscit.*

*Verbum ergo illud Dei anima beatæ Virginis audit, quo Moyses in principio Genesis lucem factam describit. Lux enim per verbum Dei fit, quando ipse Filius Dei cooperatione Patris et Spiritus sancti animam rationalem et carnem suæ divinitati in utero Virginis personaliter unit, qui de seipso in Evangelio ait : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* viii, 12). De quo item evangelista ait : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i, 9). Moyses quoque verbum Dei describit, cum post factam lucem sic ait : *Dixit quoque Deus ? Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis* (*Gen.* 1, 6). Verbo Dei firmamentum in medio aquarum conditur, cum verus Virginis Filius operatione sancti Spiritus in salutem creditum temporaliter nascitur. Aque ab aquis dividuntur, cum fideles ab infidelibus per nativitatis ejus mysterium in futuro judicio discernuntur. Verbum Dei repetitur, cum post interpositionem firmamenti a Moyse subinfertur : *Congregentur aquæ, quæ sub**

*cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida* (*Ibid.* 1, 9). Aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum congregantur, dum per baptismum Redemptoris fideles omnes de lavacro baptismatis emergentes, et in unitate matris Ecclesiæ consistentes, in cœlesti regno quandoque coadunantur; ubi nimirum apparet arida quia in cœlesti regno viventium exuberat terra, de qua proclamat Psalmista : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* xxvi, 13).

Congregatis sub cœlo aquis Moyses subdit quia Deus ait : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen* (*Gen.* 1, 11). Terra herbam virentem germinat, cum post baptismum Salvatoris ipso prædicante verbum salutis erra sobolem creditum multiplicat. Quæ semen facit dum per fidem, spem et charitatem, cogitationibus mundis, verbis rectis, operibus piis æternæ vitæ successionem emitit. De qua emissione sponsus in Canticis dicit : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* iv, 15). Post germinationem terræ Moyses subdit, quia Deus dixit : *Fiant luminaria in medio cœli, et dividant diem ac noctem* (*Gen.* 1, 14). Luminaria in firmamento cœli fiunt, cum per passionem Redemptoris vulnera redemptionis in ejus corpore nitescant. Quæ diem ac noctem dividunt, cum mysteria passionis ejus Judam ab apostolis, latronem a latrone, fideles ab infidelibus in Inferno secernunt.

Post facta luminaria in firmamento cœli, Scriptura subdit quia Deus dixit : *Producant aquæ reptile viventis et volatile super terram* (*Ibid.*, 20). Reptile enim aquæ viventis de aquis producitur, cum anima Redemptoris cum innumeris fidelium turmis de inferni claustris triumphali pompa regreditur. Volatile super terram producitur, cum corpus Redemptoris mortuum, et in sepulcro positum anima regrediente tertia die de sepulcri sinu gloriose resurgendo educitur. Ubi vel reptilia vel natationilia vel volatilia Deus benedixisse describitur, quia in resurrectione Christi Deus Pater ordines sanctæ Ecclesiæ vel in conjugatis fidelibus, vel in continentibus, vel in prælatis propagasse intelligitur.

Post quæ omnia Moyses subdit quia Deus ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.*, 26). Homo enim ad imaginem et similitudinem Dei formatur, cum per ascensionem Redemptoris humanum genus ad imaginem et similitudinem sui Creatoris reformatur. Quæ nimirum reformatio in ascensionis ejus mysterio inchoatur, sed in futuro judicio pleniter consummatur, quando electos suos ad dexteram constitutos, ipse caput omnium fidelium uti membra sibi cohærentia benigne alloquetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv, 34). Tunc enim, inquit Apostolus, *similes ei erimus*, quando eum in regno Patris sui constitutum, sicuti est, *facie ad faciem videbimus* (*I Joan.* iii, 2), ut in ipso, qui est vita vivens in se, veraciter vivamus, ut in eo qui est summe beatus, veræ beatitudinis participes esse

valeamus, ut denique in ipso, qui est gaudium electorum omnium, æternaliter gaudeamus, et in eo qui est incommutabilis Deus, incommutabiles semper esse possimus.

*Maria ergo sedens secus pedes Domini verbum illius audit, dum beatæ Virginis anima in carne posita, et misericordiæ vel judicio Creatoris Dei intenta, dispensationem unigeniti Filii Dei de redēptione mundi, in Spiritu sancto pleniter recognoscit, quam ipse Dei Unigenitus, et suus primogenitus et unigenitus in suæ incarnationis, nativitatis, baptismi, passionis, resurrectionis, ascensionis et futuri iudicii mysterio misericorditer et mirabiliter peragat.*

Sequitur :

*Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Dum Maria verbum Domini audit, Martha circa frequens ministerium satagit, quia dum beatæ Virginis anima in carne posita redēptionis mysterium in Spiritu sancto recognoscit, corpus ipsius Spiritu sancto imprægnatum, verum Dei Filium, verum hominem concipiendō et pariendo ipsum redēptionis mysterium mirabiliter peragit. Proinde Martha circa frequens ministerium satagere describitur, quia ipsa mundi Domina nato de se Dei Patris Unigenito, suo primogenito vel unigenito frequens ministerium impertitur, dum ipsum pannis involvit, dum manus cruraque fascia constringit, dum eum in cunabula ponit, dum in præsepe reponit, dum lactis alimoniam sollicite tribuit, dum oscula lenigne porrigit, dum Magorum munera recipit, dum ad templum cum oblationibus inducit, cum ab Herode fugientem illum in Ægyptum deducit ac reducit, denique cum omnia illi maternæ pietatis et compassionis officia studiosissime in susceptæ ab ipsa et in ipsa humanitatis infirmitate impendit. Unde consequenter evangelista subjungit : Quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Stat beata Virgo dum suo filio in cruce positó astat maternæ compassionis affectu indefesso, cunctis ejus visceribus vel ossibus doloris nimietate irremediablem̄ concrepantibus, sanctissimis oculis ejus lacrymarum fluenta die noctuque incomparabiliter distillantibus. Ait beata Virgo, cum sui dilecti primogeniti et unigeniti acerba intuens vulnera, cruenta considerans membra, amara quoque sui cordis vulnera per continua illi lacrymarum exprimit profluvia. Domine, inquit, Fili Dei, Creator cœli, qui primum hominem de terra plasmasti, qui jussu Dei Patris pro Redēptione humani generis verum hominem de me matre Virgine suscepisti, non est tibi curæ quod tuæ non convenit misericordiæ, qui es misericordia Dei Patris, pendens in cruce pro salute totius humani generis, cui cura est de omnibus te diligentibus, in te creditibus, sub lege naturali, sub lege scripta te desiderantibus, te in inferno expectantibus, tibi per successiones temporum usque in finem sæculi militantibus. Domine, mi unigenite, non est tibi curæ de me paupercula, matre tamen*

Virgine, quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Non dignaris considerare quod anima mea, quæ in mea quondam imprægnatione sanctissima, in tua conceptione suavissima et desiderantissima olim exsultavit, et Deum Creatorem magnificavit, illa, inquam, anima mea nunc passionis tue gladio transfixa, sicut mili Simeon ille prophetavit, qui te infantem in suis ulnis portavit, illa, inquam, anima mea caligine mortis circumfusa, nunc ad portas inferi tristitia demergente appropinquavit.

Proinde soror mea me solam tibi ministrare reliquit quia, anima mea in dolore et mœrore mortis deficiente, corpus meum velut examinatum, meles vigilarum, tabes jejuniorum, imbræ lacrymarum ferre jamjamque non sufficit. Dic ergo tu, qui es Verbum Dei Patris ; qui verba habes æternæ vitæ, dic illi, dic animæ meæ desolatæ et amaricataæ verba consolationis æternae. Fae me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Dic ergo illi ut me adjuvet, ut anima mea, filiali tua consolatione sublevata, corpus meum examine, jamjamque mortuum et ruiturum sublevet, sustentet et vegetet, Sequitur :

*Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. Respondens Christus in sua passione matri sanctissimæ : Mulier, inquit, ecce filius tuus (Joan. xix, 26), qui in carne de te sumpta totius humani generis hostia in cruce sum factus. Dicit Christus in sua resurrectione matri sanctissimæ lætificans eam sua visione et apparitione : Mater, ecce vivit filius tuus, qui pro mundi salute in cruce fuerat mortuus. Quam quidem visionem et apparitionem sancti evangelistæ tacuerunt, qui sanctissimam Domini Genitricem ceteris hominibus, qui illum post resurrectionem suam videre meruerunt, non esse conferendam judicaverunt, et ideo forsitan factam illi apparitionem filii sui silentio suppressandam esse censuerunt. Ait ergo matri sue filius in cruce positus : Martha, Martha, mater dilecta et præelecta ! Martha, quæ me de te incarnatum materno affectu fovisti, procurasti et educasti ; Martha, quæ me in passione non deseris, quæ mili materna affectione compateris, sollicita es [pro fuisti] quæ me de te natum maternæ pietatis affectu prosequi studiisti, natum abluendo, nudum vestiendo, esurientem cibando, sitiensem potando, vagientem consolando, in præsepium reclinando, ad templum deportando, in Ægyptum transmigrando, de Ægypto reportando, annorum duodecim ad templum deducendo, perditum requirendo, requisitum recolligendo, et omnia in me maternæ pietatis et sollicitudinis officia diligenter explendo. Nunc vero in passione mea turbaris erga plurima, videns tot cruenta corporis mei vulnera, dolens tot et tanta sanguinis mei profluvia. Turbaris erga plurima, æstuans sollicitudine materna, qualiter et a quibus corpus meum post emissum spiritum de cruce deponatur, quomodo sepeliendum linteaminibus involvatur, quomodo ubi, vel a quibus sepulturæ tradatur.*

*Porro unum est necessarium.* Expedit ut ego unus homo, ego innocens Deus et homo, qui solus inter mortuos liber ero, expedit ut unus ego moriar pro omni electorum meorum populo, et non tota gens pereat, ne tota fidelium meorum plebs ab initio usque in finem saeculi in profundum barathri corrut. Necessa est impleri omnia quae de me in lege et psalmis aut prophetis sunt conscripta, quando quidem sanguine meo, qui de latere meo fundetur, ignita romphaea restinguetur, et fidei latroni meo paradisus aperietur, descensione mea ad inferos sanctorum populus eripietur, resurrectione et ascensione mea electis meis regnum celorum aperietur.

Proinde *Maria optimam partem elegit*, quia sanctissima anima tua, o mater dilectissima, omnium fidelium animarum domina, *optimam partem sibi elegit*, quae in carne posita solius Creatoris Dei aeterni terrena cuncta postposuit, et suae dilectionis integritate sibi et omnibus suis filiis celorum regnum promeruit. Dum enim me regem et principem ae caput omnium electorum, Virgo sanctissima, genuisti, ipsa mater omnium electorum meorum, uti membrorum meorum, ab initio usque in finem saeculi dici et esse meruisti. Quorum profecto omnium tecum, o mater dignissima, pars ista erit *optima visio* Creatoris Dei indeficiens et aeterna, exuberans satietate perpetua, sicut ait Psalmista : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos* (Psalm. xxxv, 9): *Quae non auferetur ab ea, quia a te sanctissima, dulcissima et amantissima matre mea, et a cohaerente tibi omnium electorum familia non auferetur visio mea, jucunditatis et gaudii plena, per quam oblivione delebitur cuncta praesentis vitae miseria per infinita saeculorum saecula.* Amen.

#### X.

##### IN EAMDEM FESTIVITATEM TERTIA.

*Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriarum* (Cant. 11).

Prælara hodiernæ diei festivitas, in qua assumptionem sanctæ Dei Genitricis veneramur et colimus, tanto solemnius, tanto celebrius, veneranda et recolenda a eunctis est fidelibus, quanto constat, quod idcirco eam de præsenti saeculo Dominus transference voluit, ut elevata super choros angelorum fiducialius pro peccatis nostris intercedat, quemadmodum præsenti festo universalis Ecclesia humiliiter supplicando exorat : *Magna est, inquiens, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialius intercedat.*

Ut autem haec eadem beata Virgo, cuius revera magna in auribus summae majestatis est oratio, fiducialius apud Deum pro nobis peccatoribus intercedere possit, hanc Spiritus sanctus in Canticis cantorum per os sapientissimi Salomonis ab haec valle lacrymarum super thronum gloriae exaltandam invitans ait : *Surge, amica mea, speciosa mea, et*

*veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriarum.* Haec etenim verba, nec non singula libri, mysteria, licet universali Ecclesiae seu fidei cuique animæ aptissime congruant, et dilectionem sponsi ac sponsæ mystico intellectu spiritualiter exprimant, specialius tamen convenienter videntur beatæ Virginis Mariæ, quae singulariter præ omnibus speciali dilectione plena fuit, et specialiter super omnes ab ipso sponso suo diligenter meruit. Et quia plus omnibus apud eumdem sponsum precibus suis obtinere poterit, jam sicut diximus, invitatur, ut surgat et veniat, quo majori fiducia sine intermissione pro delinquentibus interveniat.

*Surge, inquit, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriarum.* Quidnam haec diversa volunt nomina, ut *amica*, *speciosa* quoque nominetur, et *columba*? Quando quidem multis ac diversis adornata erat virtutibus, multis etiam ac diversis eam *Spiritus sanctus* honorare voluit nominibus. Nam singula ista nomina singularia prætendunt virtutum insignia, quibus mirabiliter eam divina adorauit gratia. Amica namque propter fidem, *speciosa* propter spem, *columba* nominatur propter charitatem. Nam quanta in beata Virgine fidei constantia fuerit, ex hoc manifeste datur intelligi, quod angelo mira et inaudita nuntianti indubitanter credidit, quod salva virginitate filium se concipere et parere non dubitavit, et sic bene eredula verbis annuntiantis angeli facta est specialis et singularis *amica* Dei. *Speciosa* nihilominus erat per spem, quia totam spei suæ confidentiam in Deo posuit, et omnia, quae dicta vel promissa illi per angelum fuerant, veraciter in se adimpleri certissime sperabat. Erat etiam *columba* per charitatem quia in charitate Dei et proximi nullus omnino eidem Virgini potuit vel poterit assimilari. Nam quis unquam ita dilexit Dominum? Quis ita condolere et compati novit miseriis et angustiis proximorum?

Possunt etiam aliter intelligi jam dicta nomina, *amica* scilicet, *speciosa* et *columba*, ut *amica* per humilitatem, *speciosa* per castitatem, *columba* appellanda sit per simplicitatem. Et bene per humilatem *amica* Dei nominari valet, quoniam vera et perfecta humilitas animam fidelem proximam et amicissimam Deo facit; et sicut superbia hominem, licet sanctum et pium, plerunque a Deo separat; ita humilitas hominem licet peccatorem et impium misericorditer reconciliat. Ubi enim vera et profunda virtus humilitatis, ibi procul dubio vera et fructuosa penitentia non deerit, quae humili satisfactione multitudinem peccatorum delet et abstergit. Sicut per superbiam ex angelo factus est diabolus, et de paradiso primus ille parens expulsus est et ejectus, ita per humilitatem beatæ et intemeratae Virginis destructo inimicitarum pariete facta est reconciliatio humani generis. Nam in quantum præ omnibus, quibus adornata erat, virtutibus sola humilitas in ea Domino placuerit, verba ejus-

dem Virginis patenter innuunt, ubi ait : *quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. 1, 48*). Licet enim sanctitate, castitate et humilitate omniisque morum honestate cunctis præcesset mortalibus, tamen in profunda cordis humilitate inferiorem se et abjectiorem judicavit omnibus. Et ideo non incongrue *amicæ* Dei dici et esse meruit, qui solis humilibus gratiam dare novit.

Facta etiam *speciosa* coram Domino per omnitudinem castitatem cordis ac corporis, nullis unquam carnalibus vitiata desideriis, quia non solum custodire studuit integratatem membrorum ac sensuum, imo illibatas custodivit universas intentiones cogitationum. Quæ dū sic *speciosa* esset in oculis Domini per castitatem, *columba nihilominus* erat per simplicitatem. Et quomodo eam simplicem dicamus, quam æterna inhabitavit Sapientia, ipse Deus? Est in plerisque minus astutis non laudanda quædam simplicitas, quæ magis vituperanda appellari solet fatuitas. Sed quis hanc fatuam simplicitatem in beata Virgine fuisse existimet, quæ mater æternæ Sapientiae esse meruit, quæ sapientior cunctis sapientibus exstitit? Bona namque et laudabilis illa simplicitas in ea fuisse creditur, per quam laudatur Job sanctissimus, de quo dicitur : *Vir simplex et rectus* (*Job 1, 1*). Quamvis recta, sancta et justa tota hujus sapientissimæ Virginis esset operatio, quamvis casta et munda esset universa virginice cordis intentio vel cogitatio, cuncta tamen tanto simplicitatis ponderabat moderamine, ut nil unquam suis meritis, nil propriis meritis, sed totum divinæ ascriberet pietati et misericordiae.

Hanc itaque *amicam* humilem, hanc *speciosam* corde et corpore castissimam, hanc *columbam* quoque vere simplicem Spiritus sanctus lætabunda voce revocat, monens eam, *ut surget et veniat*. Quo, vel ad quid eam hortatur surgere? Nunquid ad opus aliquod laudabile, quæ nunquam a bono cessavit opere? Hortatur utique eam, ut de hoc exsilio, de hujus vitae surgens miseria, ad regale regni solium perveniat, ubi sine labore, sine tædio miseris nobis et tribulatis, ut supra dictum est, subveniat. *In foraminibus*, inquit, *petræ, in caverna maceræ*. Quid per petram intelligendum est nisi Christus? *Petra*, inquit Apostolus, *erat Christus* (*I Cor. x, 4*). Per hujus autem firmissimæ petræ foramina intelligere non incongrue possumus cœlestia beatorum spiritum agmina. Nam sicut in lapidibus pretiosis foramina præparantur, quibus aurum interponi debeat, ut alterum ex altero ornatum accipiat, ita illi beati angelici spiritus lapidi pretioso, qui est Christus, cui inseparabiliter cohærent, æterni splendoris decorum habent; ipsi nihilominus ornamentum quodammodo Conditoris suo existunt, quia ad gloriam illius ab ipso conditi sunt, et non solum spiritus angelici decor et ornamentum sunt Conditoris sui, verum etiam beatæ electorum animæ quæ non incongrue designari videntur per *cavernas maceræ*.

*Videtur deesse epilogus.*

## XI.

## IN FESTUM ASSUMPTIONIS S. MARIAE VIRGINIS QUARTA

*Tota pulchra es, amica mea. et macula non est in te* (*Cant. IV*).

Quoniam electa et præelecta Mater Redemptoris sola solius nostræ exstítit materia redemptionis, merito generale omnium sanctorum dignoscitur esse studiū, Matri Creatoris, omnibus præferendæ creaturis, tam devotum, quam debitum laudis impendere obsequium, cuius excellentissima meritorum præconia merito et scientia laudabilium patriarcharum et prophetarum ubique ediderunt testimonia, exspectantium et desiderantium unicum hujus unicæ filium, cujus in carne adventus necessarius, addictæ captivitatis exoptatus fieret terminus. Hinc Salomon sapientissimus nitido sapientiæ suæ auronavam nobilitatis gemmam superaddit, dum inter cetera, quæ mirabiliter in Conditoris laudem edidit, singularis elegantiae carmen in gloriam Matris depromere gestit. Inter hujus carminis plurima admodum memoranda quodam in loco speciali eam laude notat, cunctis per ævum sæculis admiranda, *Tota, inquiens, pulchra es, amica mea, et macula non est in te*.

Digne et congrue beata Maria, mundi domina, ecclorū regina, angelorum imperatrix, sacramentorum omnium materia singularis, *tota pulchra, tota formosa* describitur, quæ, ut sunami Regis Matrem decuit, decore et pulchritudine virginæ carnis ipsam Patris Unigenitum induit, qui ut est ineffabilis, ineffabilia operari veluit in matre Virgine, cui in loco peccati peccatum non adhæreret ullum sive in verbo, aut cogitatione, vel in opere. Quæ quanta mentis custodia contra cogitationum se munierit illicita, indicio sunt verba Salomonis dicentis denuo in laudem Matris Salvatoris: *Consideravit semitas domus suæ et panem otiosa non comedit* (*Prov. xxxi, 27*). Liqueat profecto angustiorem esse semitam, quam latam et spatiosam viam. Quid ergo per *domus semitas* nisi cogitationes accipimus subtiles et minutæ? Has nimurum *semitas*, hoc est intentiones cogitationum, tam sagaci mentis intuitu *consideravit*, ut ipsas etiam radices cogitationum investigare et observare meminerit, ut *tota* intentio ad illum spectaret, cui se modis omnibus aptaret. *Panem quoque otiosa non comedit*, quia fructum, quem perceptit spiritualis doctrinæ, totum convertit ad observantiam laudabilis vitae. Panem enim otiosus quisque comedit, qui verba vitae, quæ auditu percipit, operibus adimplere negligit. Hinc quanta verborum beatae Mariæ inesset dulcedo, quanteque gravitatis pulchritudo, infertur continuo. *Et lex, inquit, clementiæ in lingua ejus* (*ibid., 28*). Ad laudem quippe et honorem filii sui dulcia legis testimonia, quæ sanctissimo vertebat in pectore, mellito eructabat gutture; et quem non solum ventre, sed et mente conceperat per Evangelium corde creditum ad justitiam, cumdem quodammodo peperit cordibus fidem.

lum annuntiando et prædicando ejusdem filii sui gratiam, quæ quoniam habitaculum pectoris dilataverat ad conferendum et conservandum omnia verba, quæ de ore filii avido auditu hauserat, jure nominari et esse meruit amica Dei specialis et intima, custos videlicet animi ejus fidelis et integra.

Sed notandum, cum tota pulchra mente et corpore castissima dicatur, cur inferatur subinde, *et macula non est in te*. Cum enim tota sit sanctitatis formula, quenam, rogo, hanc peccati contingere posset *macula*? Habuit ergo mater innocentiae maculam, nullam videlicet aliam nisi originalis peccati culpam, qua in ortu suo non caruit, quia ut cæteri Adæ filii sine crimen in mundum prodire non potuit. In deliciis enim concepta et nata — usu naturæ hoc cum aliis peccatoribus habuit commune, ut originali peccato tandi subjaceret, donec ipse ejus Unigenitus per semetipsum a Matre et per Matrem ejusdem originalis peccati maculam ab omnibus tolleret atque deleret. Quid sit autem originale peccatum, manifeste edocet sententia Patrum, ignorantia scilicet animæ, concupiscentia carnis, quam omnes homines quasi hereditario jure ex Adæ culpa contraximus, quam etiam Dominæ nostræ perpetuæ virgini Mariæ solummodo adhaesisse non ambigimus. At cum plenitudo multiformis gratiæ Spiritus sancti hanc ineibriavit et perfudit, omnem funditus ignorantiam, omnemque carnis concupiscentiam ita in ea attenuavit et exclusit, ut omnium divinorum secretorum non ignara scientem omnia sola sciret, nullamque carnis concupiscentiam virtute Altissimi obumbrante sentiret. Sic enim promittit sermo angeli pariturae Christum dicendo Virginis: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1, 35*). Veniente, inquam, Spiritu sancto in superius tuum, id est, animam tuam, omnis tibi ignorantia tolletur, omnisque carnis concupiscentia in te attenuabitur et extinguetur, ut sicut nulla tibi actualia, sic etiam nulla tibi peccata adhaereant originalia. Sequitur:

*Favus distillans labia tua*. Recte favo distillanti labia ejus comparantur, quia melliflua oris ejus eloqua tanta redundabant gratia, ut nunquam corda audientium sine fructu vacua redderet, qualunque modo vocem exhortationis emitteret. Nam, secundum Apostolum, nonnisi favos exhortationis sive ædificationis aut consolationis distillare consueverat, quorum stillicidiis corda proximorum infundere et resicere salubriter poterat. Hanc quippe formam doctrinæ unumquemque doctorum congruit tenere, ut bonis ad meliora tendentibus verba proponat exhortationis, tardos vero et ingratos ædificare non negligat, pusillanimes et vacillantes sustentare meminerit verbo consolationis. Quæ omnia Domina nostra virgo Maria tanto perfectius adimplivit, quanto dulcius et suavius non ex parte, sed

ex toto Dei Patris Unigenitum præ cunctis diligere et recognoscere meruit, a quo plenissime acceperat quod aliis dulciter administrare poterat. Unde et apte sequitur:

*Mel et lac sub lingua tua*. Cum enim per labia favum mellifluæ gratiæ distillantia utilitati proximorum deserviret, tempore orationis in illam requiem intimæ ingressa contemplationis, *mel et lac*, non in lingua, sed *sub lingua* repositum invenit, quia de ineffabili humanitatis et divinitatis Christi dulcedine, quantum libuit, tantum gustare licuit. Et ideo *sub lingua*, quia humanæ eloquentia non sunt digna. Oculus enim non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit quantum dulcedinis cordi instillaverit Virginis dulcissimus ipse filius Virginis.

*Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Quid per aromatum unguenta, nisi suave flagrantia virtutum odoramenta, quibus nimurum Donna nostra Maria ab intus et de foris ita erat delibuta, ut non solum odorem terris, sed et odorem virtutum inferret cœlis? Sed licet omnium in ea virtutum fragrarent aromata, duo tamen specialius virtutum meruit habere principalia, quæ *super omnia aromata*, omnia, inquam, supereminenter meritorum insignia. Sed quæ, rogo, hæc duo, e quibus tam misericordie odoris redolet magnitudo? Nimurum castitatis decus et humilitatis pondus, quibus eam custos suis, Spiritus sanctus ita circumdederat et supereminentem reddiderat, ut ipsis etiam spiritibus angelicis in admiratione esset et stupore, quomodo tanta tamque profunda se immergeret humilitate, quæ angelorum excellentiam, sanctitatem hominum meritorum transcenderet immensitate, ut quanto castior et mundior, tanto in oculis suis esset humilior; quanto præ cunctis mortalibus sublimior, tanto sibi videretur inferior. Cujus etiam adhuc nobilissima virtutum præconia latius exprimuntur, cum subjungitur:

*Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit*. Quid per *hiemem* nisi frigore infidelitatis congelata totius humani generis designantur corda? quæ profecto hiemalis congelatio tota in beata Virgine *transiit*, quia ex quo nata est, et in disciplinam Spiritus sancti assumpta, inextingibili dilectionis ardore semper ardere coepit, utpote quæ sola adhuc carne circumdata plenissima perspexit et recognovit, immo gustavit veritate, quale esset futuræ beatitudinis meritum, quo seipsum remunerationis auctor diligenteribus se dabit in præmium. Quid enim ignoraret, quam semper lœticavit in gudio cum vultu suo Pater cum Filio, Filius cum Spiritu sancto?

Inde ergo, quod *hiems transiit, imber etiam abiit et recessit*. Per *imbrem* fluxus immundi seminis accipitur, quo omnes homines in vulva matris procreamur et concipiuntur. Qui profecto *imber* tunc *abiit*, quando Domina nostra procedens ex peccato

seminis immundi, sine peccato vivens, facta est virgo Spiritus sancti. De carnis quippe concupiscentia nihil in hanc Virginem manavit, quæ de carnis commissione procedens, carnis delectationem ignoravit. *Recessit enim funditus*, quando homo ille nobilis, homo solus, non seminis concipi dignatus est in utero ejusdem Virginis. Inde ergo quod *hiems peccati transiit*, quod *imber immundi seminis abicit*, quod virtute Altissimi *recessit*, inde, inquam, multitudi *flores apparuerunt*, qui non nisi splendidissimas virtutum gemmas afferre potuerunt. In omnibus enim omnino corporis sensibus sic effloruit, quod sola de flore virtutum florem filium totius gratiae fructum edidit.

*Vineas florentes odorem dederunt*. Per vineas corpus et anima illius accipitur, ex quibus vinitor, summus Pater agricola, vinum novum, vinum jucunditatis et laetitiae expressit, unde ineibriavit angelos, laetificavit homines, odorem cœlo terraque respersit.

## XII.

### IN EAMDEM FESTIVITATEM QUINTA.

*Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolleetur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fenum terræ (Psalm. lxxi).*

Propheta sanctus David, venturum in carne Domini spiritu prophetico intuens, de ejusdem incarnatione Spiritu sancto repletus cecinit dicens : *Erit firmamentum in terra*. In firmamento Dominus noster Jesus Christus apte valet intelligi, quia sicut in firmamento cœli sol, luna et stellæ continentur, ita revera in Christo Jesu hæc omnia inveniuntur. Sol in Domino Jesu fuit divinitas, quæ in Christo corporaliter habitavit. Luna assumpta humanitas, stellæ virtutes, quibus ipse, qui est Dei virtus et Dei sapientia, repletus erat. Exsultavit ergo Propheta in Spiritu sancto, eo quod *firmamentum* hoc, quamvis esset, in cœlo, futurum tamen erat *in terra*, hoc est, quamvis Deus esset super omnia, carnem tamen inter omnia de nobili illa terra, de beata Maria virgine Filius Dei vellet assumere.

Sed dicit aliquis : Ergo si *firmamentum* hoc futurum erit *in terra*, si Verbum carnem assumet, quid fieri in cœlo ? Huic sic quærenti Propheta respondet dicens, *in summis, inquit, montium*. Summi montes sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus ; ac si diceret : Quamvis hoc *firmamentum* futurum sit *in terra*, quamvis carnis materiam de incorrupta Virgine induat, tamen a *summis montibus*, a Patre et Spiritu sancto Filius, qui una persona in Trinitate est, non recedet, sed in ipsis et cum ipsis in gloria divinitatis suæ permanebit. Jam quid de ipsa assumpta humanitate Filii Dei futurum sit, subnectit dicens :

*Superextolleetur super Libanum fructus ejus*. In Libano, quod candidatio interpretatur, angelica creatura, quæ in candore perennis vitæ cum Deo persistit, valet exprimi. Igitur *fructus ejus*, filius videlicet Dei et hominis, quem beata Virgo Maria

in Spiritu sancto fructificavit, peracta carnis dispensatione, quam pro nobis salvandis suscepit, in assumpta humanitate non hic remanebit, sed ipsam carnem, in æternum victurus in ea, super omnes choros angelorum exaltabit. Qualis autem *fructus* in sancta Ecclesia ex eo ortus sit vel oriatur, quod Dominus noster Jesus Christus pro nobis incarnatus, jam in ipsa carne super omnem creaturam angelicam est exaltatus, mox in consequentibus subinferatur, cum dicatur :

*Et florebunt de civitate sicut fenum terræ. Civitas est sancta Ecclesia, in qua nunc sanctæ animæ post Christi incarnationem et ascensionem *forent* flosculo virginitatis et castitatis, sicut fenum terræ. Fenum terræ est Christus Dominus homo factus, ad cuius feni similitudinem se nunc formant beatæ animæ, ipsius munditiam et integritatem sequendo, quia et Agni caro utique virgo.*

Ante incarnationem quippe Salvatoris pauci virginitatem suam Deo voverunt et consecraverunt. Sed postquam Filius Dei homo factus est, multi utriusque sexus virgineo corpore ipsum incorruptionis Sponsum sequendo et imitando castitate et integritatem, jam in sancta Ecclesia effloruerunt.

Hæc de Christi incarnatione et humanæ substantiæ, quam de intemerata Virginis utero sumpsit, super angelicam creaturam exaltatione Propheta præcimens, in superiori psalmo de potentia divinitatis ejus et de judicaria potestate, quam secundum humanam naturam a Deo Patre accepit, præmisit dicens : *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est. In brachio Domini fortitudo divinitatis ejus potest accipi. In brachiis quippe maxima hominis viget fortitudo, et per brachia fortia quæque et laudabilia opera exercentur et peraguntur.*

Proinde recte per brachium fortitudo divinitatis ejus accipitur, qua fortitudine fortia et laudabilia gessit et gerit opera, faciens quæcumque voluit in cœlo et in terra. Hoc brachium, hanc fortitudinem divinæ majestatis dixit Propheta se annuntiaturum generationi omni, quæ ventura est. *Generatio, quæ ventura est*, generatio justorum est, quæ ad verum esse tendit, quam Dominus sibi in hereditatem elegit, quæ in supervenientibus sæculis usque ad finem mundi ad fidem et dilectionem Filii Dei est ventura. Nam quisquis ad verum esse non tendit, nihil est, et in nihilo coram Deo computatur, quia sine Deo nihil est homo. Sequitur :

*Potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia. Deus, quis similis tibi ? Deus Pater Filio sub Domino nostro Jesu Christo secundum humanam naturam dedit potestatem et judicium facere, ut in forma servi, in qua judicatus est, judex sit vivorum et mortuorum, sicut ipse filius in Evangelio dicit : Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (Joan. v, 22).*

Igitur *potentia et justitia*, quam exerceat in iudicio, tam magna et tam disticta est, ut non solum in hominibus hanc judicariam exerceat potestatem, sed usque ad angelos haec æquitatis distictione pertingat, sicut hic dicitur: *Usque in altissima, quæ fecisti magnalia*. In verbo hoc, *altissima magnalia*, apostatae angeli possunt accipi, qui quamvis a Deo apostata degeneraverint, tamen in magno honore conditi, teste propheta, *principium viarum Dei* fuerunt (*Job xl, 14*).

*Potentia ergo sua, quam secundum humanam naturam a Deo Patre accepit, et justitia sua, qua utilitur in iudicio, ab hominibus pertingit usque ad apostatas angelos ipsos aeternaliter damnando in inferno, quia angelorum peccaverunt Domino.*

### XIII.

#### IN FESTUM ASSUMPTIONIS B. MARIE VIRGINIS SEXTA.

*In omnibus requiem quæsivi, et in hereditate Domini morabor* (*Ecli. xxi*).

Verba hujus sacræ lectionis, quæ de libro Sapientiæ [Ecclesiastici] sunt excerpta, si quis perfecte videre et intelligere posset, vel proferre idoneus aut dignus esset, totum opus humanæ redēptionis in eis inveniret. Congruē autem hæc eadem lectionis verba de libro Sapientiæ sunt excerpta, quia vere liber Sapientiæ, et opus Sapientiæ erat salus redēptionis humanæ. Licit enim universa opera sua æterna Sapientia in magna et mirabili sapientia fecerit, omnia tamen opera ejus opus redēptionis superexcellit. Et quia beata Dei genitrix Maria causa ejusdem redēptionis exstītit, utpote per quam, et per cuius filium complenda et perficienda fuit, recte et non incongrue in præsenti festivitate ad honorem ipsius legendam Spiritus sanctus instituit.

*In omnibus requiem quæsivi.* Hæc verba, verba sunt sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *In omnibus requiem quæsivi.* Omnia, quæ sunt, Deus creavit; sed in his omnibus requiem non quæsivit. Quædam fuerunt, in quibus requiem quæsivit. Hoc erat rationalis creatura, angelica videlicet et humana, propter quam omnia creavit. Et quia propter rationalem creaturam cætera omnia creata sunt, dum in hac, cui omnia subjecta sunt, æterna Dei sapientia requiescit, non immerito in omnibus requiem quæsisse dicitur. Ita autem requiem quæsivit et quærerit, non ut ei, cui secundum divinitatem nihil unquam accessit vel decessit, requies aliqua necessaria esset, sed ut angeli et homines sempiternam in eo requiem et beatitudinem invenirent, cognitionis et dilectionis ejus participes fierent. Sed in his omnibus requiem, quam quæsivit, non inventit, quia summus angelus cecidit, homo cecidit.

Sed tamen non omnino requies illa periit, quia cadente angelo apostata cum suis pars quædam angelorum remansit, in quibus morabatur et requievit, sicut ait, *et in hereditate Domini morabor*. Facti sunt enim hereditas Domini, in qua moraretur, dum per ipsum malorum angelorum ita firmati sunt, ut

nunquam possent cadere. Sed etiam nō ita non cecidit, quin posset resurgere, et ad eamdem hereditatem Domini, id est angelorum consortium aliquando redemptus pervenire. Quod quia sancta Trinitas ab aeterno prævidit et præordinavit, bene futurum tempus ponit, *morabor*. Semper enim in dispositione sua Deus Pater hoc habuit, ut requies illa, quæ perierat, reformaretur et repararetur. Et tamen quia hæc reformatio et reparatio fieri non potuit nisi per incarnationem et passionem Filiū sui, *tunc præcepit et dixit*, quod per incarnationem Christi, passionem Christi, resurrectionem et ascensionem Christi haec requies esset reformanda, et per adventum Spiritus sancti in universo mundo prædicanda. In tribus verbis *præcepit, dixit, Creator omnium*, tota simul sancta Trinitas intelligi potest: in verbo *præcepit* Deus Pater, in verbo *dixit* Deus Filius, in verbo *Creator omnium* Deus Spiritus sanctus. Ex præcepto enim Dei Patris venit Deus Filius in hunc mundum ad humani generis redēptionem; ex præcepto Dei Patris missus est Spiritus sanctus ad illuminationem et prædicationem. Quia vero opus redēptionis ad Filium solummodo pertinet, non aut *præcepit mihi*, sed *dixit mihi*. Ipse est enim Verbum Patris indicibile, per quod facta sunt omnia, sicut scriptum est: *Dixit, et facta sunt* (*Psalm. xxxii, 9*). *Dixit*, inquam, mihi, Filio suo, ut per me cooperante Spiritu sancto humani generis fieret redēptio.

Et dum præcepto Patris, mediante Spiritu sancto, obaudio, ille qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: *In Jacob inhabita, et in Israel hereditare.* Notantur hic omnia Christi sacramenta, in verbo *creavit me* incarnatione, *requievit in tabernaculo meo*. Deus Pater Filium sibi coæqualem, coæternum tunc quodammodo *creavit*, quando eum incarnari constituit: in eujus tabernaculo requievit, cum eum ad passionem misit. *Tabernaculum* enim, quod est militantium, sacrosanctum corpus ejus non injuste significat, in quo Deo Patri fideliter et fortiter militavit pro salute generis humani. Antequam tabernaculum istud, quod de intemerata virgine beata Maria induerat, per passionem in cruce disrumperetur, Deus Pater in nullo hominum requievit, quia post incarnationem Christi sicut et ante omnes post præsentis vite decursum ad inferos descendedunt, disrupto autem hoc tabernaculo in ara crucis Deus Pater tunc primum requiem, quam quæsivit, invenit. Nam per passionem Filii sui credentibus in eum diu clausa regni cœlestis janua est ieiunata. Post tropæum passionis statim subinfertur gloria resurrectionis.

*Et dixit mihi: In Jacob inhabita.* Per Jacob, quod *supplantator* dicitur, resurrectio Christi figuratur, quia per passionem et resurrectionem suam diabolum supplantavit, mortem et mortis imperium superavit. Et proprie resurrectionis congruit verbum hoc *inhabita*; quia ubi homo habitat, ibi stabile esse habere desiderat. Christus secundum humanam natum mortalis erat, et mori voluit. Resurgens autem

a mortuis ita seipsum stabilivit, ut ultra non moriatur, et in aeternæ incorruptionis stabilitate inhabitanter eælo terræque præsideat et dominetur, nobisque mortalibus post hujus vite instabilitatem corporis et animæ peracta resurrectione repromisit incommutabilitatem. Sed quia nee in incarnatione, nee in passione, nec in resurrectione ejus plena spes aeternæ visionis nobis esset, nisi eamdem humanam naturam, quam assumpsit, ad dexteram Patris collocearet, subjunxit et ait :

*Et in Israel hæreditare.* Per Israel, quod interpretatur vir videns Dcūm, recte ascensio figuratur ; quia Filius Dei, qui de sinu Patris descendit, hominem, quem assumpsit, ad visionem Dei Patris perduxit, ac per hoc nobis spem dedit, ut et nos quandoque illuc, quo ipse ascendit, pervenire debeamus, ubi aeterna beatitudinis requiem cum ipso possideamus. Et bène ascensioni congruit verbum hoc, *hæreditare*, quia quod hominem hæreditario jure attinet, a quoquam mortalium auferri ab eo nec valet nec debet. Sic, siq; Dei Filius cœlum hæreditavit, quando Deus Pater, cum quo omnia secundum Divinitatem habuit, omnia ei secundum humanitatem tradiit, sicut ipse ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Math. xxviii, 18*). Ut autem omnia hæc firmarentur et toti mundo insinuarentur, mittendus erat Spiritus sanctus apostolis. Unde continuo subjungitur :

*Et in electis meis mitte radices.* Electi Dei sancti erant apostoli, quos sibi de omni mundo elegit, in quos radices suos, omnia videlicet saeramenta incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis suæ misit dum eis eadem sacramenta ubique prædicanda et annuntianda commisit, dicens : *Euntes docete omnes gentes* (*ibid., 19*). Quare eadem sacramenta radicibus figurantur ? Ubi radix est, ibi fructus speratur, sive bonus sive malus. Si vero evulsa fuerit radix, spes nulla erit fructus. Sic quiunque Dominica sacramenta credunt, constentur, bonis operibus exsequuntur, talem profeeto fructum proferunt, per quem aëternaliter salvantur. Sequitur :

*Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.* Tria ista, civitas, Sion, Jerusalem tres ordines, qui sunt in Ecclesia, possunt significare : *Sion* quod interpretatur *specula*, contemplantes ; *civitas sanctificata* bene operantes ; *Jerusalem*, quod dicitur *visio pacis*, prælatos bene prædicantes. Peraeta passione, resurrectione et ascensione bene subiectum est : *Et sic in Sion firmata sum*, quia *sic*, id est in haec fide incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis firmata est illa requies in contemplantibus, in bene operantibus, in bene prædicantibus, quia nisi per ista sacramenta homo pervenire non posset, nec ad dulcedinem orationis, nec mentis contemplationem, nec ad sacre Scripturæ cognitionem. Hæc enim sacramenta dulciter hominem accendunt intrinsecus, Scripturam sanctam aperiunt, quæ tota

pæna et perfusa est pretio et decore redemptionis nostræ. Quia vero paucorum et perfectorum est virtus contemplationis, consolamur per hoc quod subiungit :

*Et in civitate sanctificata similiter requievi.* Per civitatem, in qua est multitudo hominum, in activa vita bene operantes, ut dixi, designantur, in quibus Deus similiter requiem suam firmat, quia sicut illi per mentis contemplationem, sic isti per bona vitæ actionem salvantur et sanctificantur. Sed quia his duobus ordinibus prælatorum deesse non debet sollicitudo, addidit, et in *Jerusalem* potestas mea. Nomen *Jerusalem*, quod interpretatur *visio pacis*, ideo prælati eensemuntur, quia iter illud, quo tenditur ad visionem aeternæ pacis, debet ostendere et insinuare, et per doctrinam contemplantibus et per bona opera bene operantibus. Qui bene admonentur in hoc quod ait :

*Et in Jerusalem potestas mea.* Quod enim aliis praeminent, et plus ceteris hominibus possunt, hoc non ex sua, sed ex Dei potestate habent. Et ideo dicit, *potestas mea* ; et ideo *potestas mea*, quatenus per hoc admoneantur, ut dominium et potestatem, quam in subditis suis exerceant, ita exerceant, ut non illorum, sed Dei potestas diei valeat. Et quoniam non solum in illis, qui in præsenti sunt, sed in illis firmata fuit, qui ante legem et sub lege erant, ante sequitur :

*Et radicari in populo honorificat, et in parte Dei mei hæreditas illius.* Populus honorificatus patriarchæ erant, quos vere Deus honorificabat, et in quibus fidem suam radicabat, licet videre et exspectare non mererentur quod eredabant. Noe enim ille pius et magnus patriarcha multum a Deo est honorificatus, quando pereunte mundo in diluvio solus eum paucis in area est salvatus. Abraham eximius et præcipuus patriarcharum valde honorificari meruit a Domino, qui præcipiente Domino exiit de terra, et de cognatione sua, et unicum filium suum Domino immolare non est reveritus, et per hoc doctor et propheta in populo Dei meruit nominari. Sic firmata requie ista in illis et in ceteris sanctis, qui erant ante legem, quonodo et in eis, qui sub lege erant, firmata sit, continuo adjunxit :

*Et in parte Dei mei hæreditas illius.* Pars hæreditatis Dei populus Judæorum erat, quos sibi in peculiarium elegit, et legem suam dedit. Omnes enim gentes permisit abiit in viam suam, istos tantummodo in hæreditatem suam sumpsit, sicut scriptum est : *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus* (*Deut. xxxii, 9*).

Denotatis, qui ante legem et sub lege erant, introducuntur etiam qui sub gratia sunt, dum dicitur, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Lieet enim in populo honorificato radieaverit requiem suam, licet ex pluribus partem quanidam in hæreditatem sibi tulerit, tamen in plenitudine sanctorum detentio ejus, quia quos sub gratia elegit et redemit, in plenitudinem gratiæ suæ admittens ita fortiter definit,

et ad se stringit, ut nec ipsi ab eo, nec ille ab eis in perpetuum separari velit aut possit. Quæ sanctorum plenitudo, qualis esse debeat in merito, et quid perceptura sit in premio, æterna Dei Sapientia, quæ hic loquitur, mystice demonstrat dicens :

*Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho; quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis: sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Quatuor hæc ponuntur, cedrus exaltata in Libano, cypressus in monte Sion, palma exaltata in Cades, plantatio rosæ in Jericho, per quæ quatuor omnium salvatorum et salvandorum vita exprimitur, quos ita subnotamus. Per Libanum, quod interpretatur candidatio, possunt accipi per baptismum candidati, vel emundati; per cypressum in monte Sion, pœnitentias per doctrinam illuminati; per palmarum exaltatam in Cades, per bonam vitam sanctificati; per plautationem rosæ in Jericho, per martyrium consummati.*

Et bene primi illi per baptismum candidati *cedro*, cuius odor serpentes fugat, comparantur, quia dum candidantur per baptismum et emundantur, procul maligni spiritus ab eis pelluntur et effugantur. Sed et per moutem Sion non incongrue accipiuntur pœnitentes per doctrinam illuminati. Mons enim Sion altitudinem significat doctrinæ, per quam edocti et illuminati intima satisfactionis et pœnitutinis studio seipso a peccatis suis emundare non desistunt. Hi tales per pœnitentiam ad veram conversi innocentiam similes sunt *cypresso*, cuius odor, sicut et cedri, fugat serpentes, quia vere pœnitentes fugiunt et detestantur mali illi serpentes, hostes videlicet invisiles, nihil in eis prævalentes. Post cypressum in monte Sion, id est post altitudinem illam pœnitentium sequitur *palma exaltata in Cades*. Cades interpretatur *sancta*, per quod intelliguntur per bonam vitam sanctificati, qui quasi *palma exaltata* in virtutibus proficienes, sublimiores per baptismum candidatis, eminentiores per pœnitentiam emundatis, per bonam vitam a Deo meruerunt sanctificari, sicut beatus Gregorius, Martinus, Nicolaus, Benedictus eorumque consimiles, qui sicut palma exaltabantur, dum de virtute in virtutem ire conabantur, hoc, quod secundum carnem in eis vivebat, vincentes, et secundum spiritum sancte ac juste viventes.

Post palmam exaltatam in Cades sequitur *plantatio rosæ in Jericho*. Per *rosam*, quæ rubet, bene intelliguntur per martyrium consummati, qui in *Jericho*, id est in defectum carnis suæ venerunt, dum pro veritate confirmando indubitanter sanguinem suum fuderunt, et per hoc in cordibus aliorum fidem Christi plantaverunt, sicut beatus Stephanus, qui plus tunc temporis sanguine suo in cordibus credentium fidem confirmavit Christi, quam facerent, aut facere docendo possent adhuc apostoli. Itaque quos nominavimus per baptismum candidatos, per

pœnitentiam illuminatos, per bonam vitam sanctificatos, per martyrium consummatos, possumus alio modo vocare innocentes, pœnitentes, proficienes sive vincentes, perficienes sive morientes.

His quatuor membris, que ita distinximus, alia quatuor membra, quæ sequuntur, recte respondent, *oliva speciosa*, *platanus exaltata*, *cinnamomum et balsamum*, *myrrha electa*, magnamque convenientiam praecedentia cum sequentibus, sequentia cum praecedentibus habent. *Cedro exaltata in Libano* recte respondet *oliva speciosa*, quod est misericordia; *cypresso in monte Sion* recte respondet *platanus exaltata juxta aquam in plateis*, quod est peccatorum indulgentia; *palma exaltata in Cades* recte respondet *cinnamomum et balsamum*, quod est castimonia carnis et munditia cordis; *plantatio rosæ in Jericho* recte respondet *myrrha electa*, quod est perfecta mortificatio. Cur autem et qua proprietate per singula verba has virtutes ita nominaverimus, modo Deo donante discutiamus.

Per *olivam* bene intelligitur misericordia, quia sicut oleum cunctis præcellit, quibus immisetur, liquoribus, sic misericordia Dei est super omnia opera ejus. Per *campum* autem, qui nec aratur, nec scinditur, innocentes accipiuntur. Et bene dicit, *oliva speciosa in campis*, quia revera illa est *oliva speciosa in campis* gratuita Dei misericordia in innocentibus, qua eos remunerat et coronat, qui nullo laboris aratro vel vomere disciplinae exarati vel scissi, mox transiunt et perveniunt ad gaudia cœlestis regni. Per *platanum*, quæ lata folia habet, non incongrue intelligitur indulgentia peccatorum, quæ debetur pœnitentibus, quia secundum peccatorum multitudinem indulgentiae suæ omnipotens Deus extendere debet latitudinem: *Omnes enim peccaverunt, et egerunt gloria Dei* (*Rom. iii, 23*). Juxta aquam in plateis, hoc est secundum carnalem concupiscentiam, latam et spatiösam sæculi viam incidentibus. Per *cinnamomum*, quod cinerei coloris, et *balsamum*, quod boni odoris, optime significari potest corporis castimonia, et cordis munditia, sive justitiae gloria, quam quidam ita perfecte assequuntur, ut in carne sua nullum aliquando illicitum motum sentiant; sicut de beato Benedicto legimus, quod post semel superatam tentationem, nullam deinceps in carne sua istiusmodi sustinuerit molestiam. Sed et cordis munditiam ita assequuntur, dum ita justificantur et glorificantur, ut sicut ad illicita non moventur exteriori, sic etiam pravam cordis delctionem non admittant interiori. Isti sicut *cinnamomum et balsamum aromatizantes* bonam de se aliis reddunt fragrantiam, dum corporis castimoniam et cordis conservant munditiam.

Post ista omnia bene sequitur *myrrha electa*, quod est perfecta mortificatio, quæ dabitur in futuro. Et ut breviter eadem verba comprehendamus, iterum repetamus, innocentibus in merito datur *oliva speciosa*, id est gratuita misericordia in premio. Pœnitentibus in merito datur indulgentia peccatorum

in præmio. Vincentibus in merito datur castimonia carnis et cordis munditia in præmio. Perficientibus sive morientibus in merito datur perfecta mortificatio in præmio. Quæ perfecta mortificatio ideo, ut diximus, dabitur in futuro, quia etsi sunt sese in præsenti mortificantes, nunquam tamen nisi in illa vita æterna, *myrrham* accipiunt *electam*, id est mortificationem perfectam, quia ubi mors non erit, ibi nec peccatum, nec dolor ullus aut infirmitas, nec aliquid corruptionis ulterius accedet, ubi odor suavitatis Dominus noster Jesus Christus erit, qui bonis omnibus electos suos satiabit et replebit per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

## XIV.

## IN EAMDEM FESTIVITATEM SEPTIMA.

*Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula sumi ex aromatibus myrræ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* (*Cant. iii.*).

In verbis istis, quæ quasi admirando Spiritus sanctus per os sapientissimi Salomonis pronuntiat, gloriam et beatitudinem intemeratae Virginis, cuius hodie festa colimus, evidenter insinuat. Nam quod casta et immaculata ejus in terris conversatio, et veneranda ejus, quæ hodie colitur, ad celos assumptio, non solum hominibus, sed et angelis admiranda fuerit, his paucis verbis breviter comprehendens ait : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula sumi?* Per *desertum* præsentis sæculi haec eadem beata virgo Maria immaculato calle transivit et ascendit, dum tota cordis intentione, tota animi devotione, solis cœlestibus intendens, cuncta visibilia et terrena mentis contemplatione transcendit. Unde hodierna ejus ascensio sive assumptio mirabilis et venerabilis cunctis angelicis erat spiritibus, quando in aeternum secum regnaturam cum gaudio ineffabili eam suscepit unigenitus Filius ejus.

Manens autem adhuc in hoc mortali corpore ascendebat quotidie corde et animo, ascendebat utique non sicut *virga*, sed *sicut virgula*, non sicut magna, sed sicut parvula, quia non se magnam, non sublimem et excelsam esse creditit, sed parvulam et humilem, ac omnibus inferiorem semetipsam existinavit. Sicut enim *virgula* recta est ac tenera, et facile flecti et inclinari valet, et per hanc homo ad disciplinam coerceri ac compesci solet, ita beata Dei Genitrix, rectas gradiens semitas justitiae, ad omne opus bonum et perfectum tenerum semper ac flexibilem habebat animum. Nam sibimetipsi facta *virgula* disciplinæ ita emnes sensus suos conservavit et compescuit, quod ab omni peccato animam et corpus suum custodivit. Et bene *sicut virgula sumi* ascendisse dicitur. Nam per fumum, qui in altum consurgens amarus est, et amaras excitat, lacrymosus ejus et contribulatus non incongrue accipiens est spiritus, quæ pro salute et redēptione humani generis amaras Deo quotidie offerebat lacrymas. Cujus nimurum lacrymosa deprecatio, ut suavissimæ *virgula sumi* in altum consurgens, de-

humili et contrito corde ejusdem Virginis ascendebat coram Domino.

Et unde orta est hujusmodi *virgula sumi?* Ex *aromatibus*, inquit, *myrræ et thuris*. Possimus per *aromata* non inconvenienter bonarum accipere virtutum opera, per *myrrham* carnis mortificationem, per *thus* mentis contemplationem. Quid de virtutibus sanctissimæ Dei genitrix Mariæ lingua humana dicere vel enarrare sufficiat, in qua ipsa Dei virtus et Dei sapientia corporaliter inhabitabat? Nam singula virtutum ornamenta, quæ *Spiritus sanctus*, prout vult, electis suis dividit, omnia simul Matri sue Deus homo dedit. De mortificatione vero *virgineæ carnis sue* licet nihil pene sacra Scriptura dixerit, nulli tamen dubium, quod carnem suam et ea, quæ carnis sunt, stabili et districto rigore semper in semetipsa mortificaverit. De contemplatione vero, qua soli Deo vacabat, quid dicere valeam, cum universa multitudo divinæ dulcedinis sine dubio repleverit eam?

*Et universi pulveris pigmentarii.* Licet *universi pulveris pigmentarius*, hoc est universarum virtutum operator magnificus aptissime accipiens est *Spiritus sanctus*, aliud tamen quiddam in his verbis accipere possumus. Sicut enim peritus quilibet pigmentarius universas pigmentorum species in tenuissimum pulverem conterere et conficeret satagit, quo curare diversas infirmitatum molestias possit, ita supra dictus ille verus utique pigmentarius *Spiritus sanctus universum pulvrem medicinalis gratia*, videlicet universa dona miserationis et gratia contulit et congregavit, in corde intemeratae virginis Mariæ; ut quoniam in genere humano multa et diversa sunt infirmitatum incommoda, multa etiam ac diversa curationum medicamenta habeat, quibus infirmas peccantium animas sanare et curare valeat. Nam etsi omnino homo peccator desperatus, sive in peccatis mortuus fuerit, si ipsa mater misericordiae manum intercessionis sue super ægrum imposuerit, nulla omnino infirmitas, nulla prorsus iniquitas peccatri animæ prevalere poterit.

Hæc ad laudem et gloriam hodiernæ festivitatis, prout potuimus, sub brevitate transcurrimus, nunc ad nos eadem verba transferre studeamus. Nam licet specialiter nobilissimæ reginæ nostræ conveniant, mystice tamen fideli cuilibet animæ aptari poterunt, quia et initium bonæ conversionis, et studium sanctæ conversationis et humiliati cordis et corporis contritionem nobis exprimunt.

Unde angelici illi spiritus, qui humanis semper congaudent et congratulantur profectibus, salvandum quemlibet, qui per *desertum* præsentis sæculi ascendere desiderat, his verbis quasi admirando laudant et magnificant. *Quæ est ista, inquit, quæ ascendit per desertum?* Per *desertum*, in quo crudelis sunt bestiae et animalia, quorum non est numerus, præsens sæculum sive cor hominis peccatoris apte intelligi potest. Per hoc *desertum* bona conversione et sancta conversatione homo salvandus

*descendere appetit*, dum divina misericordia præventus spiritales bestias ac nociva animalia, id est iniqüitates et peccata sua agnoscere et pertimescere incipit, et ne ab his bestiis et animalibus occidatur et pereat, proponit in animo suo *per desertum* super dictum *ascendere*, id est bonâ conversione ad Deum confugere. Sed quale initium, vel qualis voluntas hujus conversionis in primordio sit, verbis consequentibus patenter innuit.

*Sicut virgula*, inquit, *fumi*. In *virgula*, quæ, ut dixi, recta est ac tenera, et cum qua homo ad timorem disciplinæ compescitur, voluntas bona conversionis, quæ aut timore supplicii, vel timore districti judicij nascitur, non injuste accipitur. Nam sicut in *virgula* rectitudine ac teneritudine est, ita et voluntas novæ conversionis rectitudinem simul habet et teneritudinem. Habet quidem rectitudinem, quia recta voluntas est, quod homo animalis ad bona converti concupiscit. Habet teneritudinem, quod velle bonum nondum opere adimplere poterit. Unde et eadem voluntas non tantum *virgula*, sed etiam *virgula fumi* dicitur, quia sicut fumus videatur, sed tamen non tangitur, nec palpatur, ita et voluntas recta, licet adhuc infirma sit et tenera, videtur a Domino, videtur a sanctis angelis, et tamen non tangitur, non palpatur manibus, quia nondum bonis comprobatur operibus. Ad haec etiam sicut fumus amarus est et tenebrosus, ita amaritudinem et tenebras tunc homo in semetipso patitur, cui amarum valde est dulcia sibi gaudia mundi contemnere, et dulcia carnis desideria in semetipso mortificare et abscindere. Et ideo quasi in tenebris quodammodo ambulat. Nam quid eligere, quid respuere possit, ignorat. At ubi opitulante Domino velle bonum placita Deo conversione, compleverit, et in sancta conversatione laborare cœperit, sit profecto quod consequenter ait:

*Ex aromatis myrrha et thuris et universi pulveris pigmentarii*. In *myrrha* accipienda est mortificatio carnis, in *thure* contemplatio mentis sive odor bonæ opinionis, in *universo pulvere pigmentarii* humiliati cordis et corporis contritio. Mortificata carne cum vitiis et concupiscentiis per *myrrham* continentiae, per *myrrham* continui et indefessi laboris, succedit *thus* contemplationis sive *thus* bonæ opinionis. Nam postquam vigiliis et jejunis aliisque laboribus vitia ac desideria carnis mortificando devicerit, et divine contemplationis gratiam, quantum possibile in hac vita est, prægustare meruerit, fit plerumque ut odor bonæ opinionis et fama sanctæ conversationis illius ad aures multorum perveniat, et sic ventus elationis animum non bene providum incaute pulsare incipiat. Ibi profecto necessarium est ut tunc *universus pulvis pigmentarii* insurgenti apponatur elationi.

Universus etenim pulvis duplex non injuste accipienda est humiliati cordis ac corporis contritio, ut videlicet pro bona operatione foras humanam laudem non querat vel appetat, nec intus pro illu-

minatione mentis extollatur vel intumescat. Nam si pro bonis operibus ab hominibus laudari refugeret, et pro invisibili contemplationis gratia inaniter extolli non timeret, *pulvis* utique esset, sed *universus pulvis* non esset. Studeat ergo fidelis anima *universum* habere *pulverem*, pro bona scilicet actione et pro divina contemplatione profundissimam cordis humilitatem. Debet etiam hoc modo *universum* habere *pulverem*, ut si vitio elationis lapsa fuerit, sibimetipsi pro hoc in oculis suis dispiceat, et ad humilem satisfactionem veraciter penitendo recurrit.

Sed quia *universum* hunc *pulverem*, de quo dimus, sine dono et gratia veri illius pigmentarii, Spiritus sancti, nemo habere poterit, ipsam Matrem misericordiae, cuius hodie festa colimus, humiliiter imploremus, ut ipsa interveniente, quæ sanctorum omnium sanctissima, electorum omnium electissima, specialius se sola humilitate Domino complacuisse testatur, sic in praesenti sub potenti manu Dei humiliemur, quatenus in gloria, qua hodierna die super omnes choros angelorum exaltata est, in laetitia et exultatione eam videre mereamur. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### XV.

##### IN OCTAVAM FESTI ASSUMPTIONIS B. MARIE VIRGINIS PRIMA.

*Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris (Eccli. xxiv.)*

Jucundam festivitatem Assumptionis pretiosæ Dominae et reginæ nostræ, quam septem his diebus solemní devotione celebravimus, hodie octava die determinamus. Per sanctorum enim octavas quas digno laudum præconio colimus, futura quandoque corporum resurrectio et duplex, corporum simil ac animarum declaratur remuneratio. Sex quippe diebus in praesenti vita semper operamur et laboramus, septimo vero die ab omni labore cessamus. Qui septimus dies illud nobis tempus designat, in quo electorum animæ laborum suorum præmia consecutæ, æterna Conditoris sui fruuntur visione; corpora quoque tanquam de laborum nimietate erecta, in sepuleris requiescant a cunctis laboribus et doloribus jam secura. Cum autem desiderabilis octavæ diei splendor illuxerit, cum videbitur futura resurrectio advenerit, tunc nimis accepta duplice stola immortalitatis corpus et anima pariter triumphabunt gaudio plena securitatis.

Pro illius ergo octavæ diei ineffabili gloria si omnium sanctorum octavæ festivæ appareant et jucundæ, excellentiori tamen dignitatis honore veneranda est octava gloriosissimæ Virginis Mariae, per quam solam omnes sancti sunt sanctificati, et ad hanc gloriam a filio ejus prædestinati et vocati. Et sicut dignitas vitæ illius omnium sanctorum merita præcellit, ita nihilominus omnibus illis ipsa plus valet, et idcirco præ omnibus ipsis gra-

ta ejus est q̄ārenda, per quam solam omnium sanctorum ad Filium diriguntur suffragia.

Quali vero meritorum praeclarentia, quantave sanctitatis praerogativa ad tales gloriam perveniret, commendat nobis lectio hodierna, in qua Spiritus sanctus gloriosa ejus enumerat merita, dicens quasi ex ipsis persona: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Verba haec etsi generaliter ad sanctam Ecclesiam pertineant, aperte tamen dignitati beatæ Mariæ convenient, ad cuius laudem electa et ordinata sunt. Nobilis revera ipsa *vitis* fuit, in qua Spiritus sanctus desiderantissimos hortos plantavit, a quo bene culta et undique præmunita *suavitatem odoris fructificavit.* *Vitis* denique inter cætera ligna despicibile lignum est et deforme, sed fructus, quem profert, homines abundanti pascit dulcedine. Convenerienter itaque humilis Virgo viti seipsam assimilavit, quæ tanta se dejicit humilitate, ut in oculis suis inferior appareret omnium hominum comparatione. *Vitis* ergo haec fructifera verbis istis humiliatis suæ nobis insinuat præconia. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Quod idem est ac si diceret: *ego*, quæ me in aestimatione humilii cordis mei omnibus subjeci, *suavitatem odoris fructificavi*, quia ipsa humilitas mea suavis, sinum odorem respersit in aula cœlestis regni. Unde et in Canticis: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant. 1, 11*). Nardus quippe humilis est herba, sed nimis odorifera. Et recte ei humilitas beatæ Mariæ comparatur, cuius gratissima suavitate Rex regum amabiliter delectatur. *Cum rex*, inquit, *esset in accubitu suo* cum lateret in divinitatis suæ secreto, profunda humilitas mea tantæ *suavitatis* coram eo fragrabit *odore*, ut eum de sinu Patris Dei et de celso cœlorum attraheret in virginalem uterum meum. Hinc etiam ipsa alias ait: *Cum essem parvulo placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem.*

Quia igitur tantam *suavitatem odoris fructificavi*, merito flores mei sunt *fructus honoris et honestatis*. Flores siquidem cum apparuerint, sequens citio *fructus* speratur. Et congrue per flores hoc in loco cœlestes legationes et magnifica verba accipiuntur, quæ per gloriosum cœlestis aulæ principem Gabrielem eidem virginis deferuntur. Cum, inquit, hi flores mei apparuerunt, cum verba summæ legationis per archangelum auribus meis insonuerunt, statim secutus est *fructus* ille nobilis, *fructus honoris et honestatis*, quia mox Filium Dei concepi per virtutem desuper venientis Spiritus sancti.

Et bene eum appellat *fructus honoris*, quia revera ipse est honor Dei Patris, quem coeterum, coæqualem et consubstantiale sibi gennit in æternitate sua divinitatis. Honor quoque ejus fuit in humanitate sua, quia per illum Deus Pater agnitus est et manifestatus, qui prius occultus erat et ignotus. Ante adventum namque ejus in carne mundo incognitus fuit, quod sancta Trinitas, Pa-

ter videlicet Filius et Spiritas sanctus esset, et vix pauci fuerunt, qui fidei hujus agnitionem habere potuerunt. Sed ubi Christus in carne apparens prædicare cœpit, fides sanctæ Trinitatis per ipsum declarata toto mundo innotuit. Unde ipse in Evangelio ait ad Patrem: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi* (*Ioan. xvii, 6*).

Factus est etiam *fructus honestatis*; quia illius honestati omnium sanctorum honestas vel sanctitas non potest adæquari. Illi quidem in peccatis concepti et nati sunt, et quandiu vixerunt peccati labe minime carnerunt. Hic vero homo honestissimus sine peccatis conceptus et natus est, et nunquam peccati maculam verbo, actu aut cogitatione contraxit. Quia ergo fructum hunc nobilem *vitis* fructifera virgo et mater humillima protulit, recte de seipsa adhuc ait:

*Ego mater pulchra dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei.* Ac sic diceret: *Ego mater illius hominis, cuius revera solius pulchra dilectio* fuit, quia tantummodo de fonte misericordissimæ pietatis ejus proflaxit. Homo etenim hominem propter suum diligit commodum, sperans aliquod recompensationis ab eo beneficium, nec ista *dilectio pulchra*, sed potius dici poterit necessaria. Sola Filii Dei, qua nos dilexit, *pulchra dilectio* fuit, quæ non ex aliqua necessitate, sed ex incomprehensibilis fuit ipsis bonitatis magnitudine

## XVI.

### IN FESTUM NATIVITATIS S. MARIE VIRGINIS PRIMA.

*Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth* (*Luc. 11*).

Quia nativitas perpetuae Virginis Mariæ, quam debita veneratione recolimus, gaudium perpetuae vitæ annuntiavit omnibus in hac peregrinatione gentibus, debemus subtili inquisitione animadvertere quomodo præclara gloriæ ejusdem Virginis nativitas verbis sit expressa lectionis evangelicæ. Plerique enim sine intellectu remanentes spirituali, solent inquirere quomodo haec evangelica verba gloriæ Virginis congruant nativitati. Sed his, quibus intus spiritus loquitur, aperte datur intelligi, non solum nativitatis primordia, verum etiam laudabilis conversationis ejus merita in eis excellenter esse declarata. Ait enim evangelista:

*Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Tunc ergo primum domina nostra perpetua virgo Maria exsurrexit, quando regalibus orta natalibus virga de radice Jesse, Virgo floris, in lucem mundi processit. Sed videamus haec Regina cœlorum sic exsurgens quo ascenderit, quem in locum declinans abierit, ad quale virtutis opus ibidem se extenderit. *Abiit*, inquit, *in montana cum festinatione.* Abiit igitur Domina nostra Maria in montana, mox ut est nata, quia per ducatum sancti Spiritus, eam in sua suscepit, sic a terrenis omnibus est separata, ut toto corde transiret ad dilectionem Dei Patris juxta præceptum Dominicæ legis sic præcipiens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

*uo et ex tota anima tua, et ex omni mente tua, et ex omnibus viribus tuis* (*Deut. vi, 5*), quod est *toto intellectu, tota voluntate, tota memoria*. *Dilexit plane toto intellectu Dominum, quem sicut præceteris in virginalem thalamum suum a se incorporandum suscipere promeruit, ita sola solum, unica unicum unicæ majestatis Dominum præ cunctis mortalibus dilexit; ad eius etiam dilectionem omne, quod erat, quod vivebat, quod intellectu comprehendere poterat, toto conamine transferre satagebat*. Hanc autem dilectionem non segniter tenuit, sed exercere in opere *cum festinatione*, id est bona voluntate summodo curavit. *Nam nihil hominem tam festiuun et promptum tantæque reddit alacritatis, quemadmodum bona devotio voluntatis. Ad cumulum autem hujus dilectionis præcipue addidit beata Dei genitrix Maria quartum legis mandatum summo studio adimplere, ex omnibus utique viribus Deum diligere, quod est in civitatem Iudea abire*. Judas namque *confessio* sive *laudatio* interpretatur, quæ laus et confessio satis juste, satis digne Dominae nostre Mariæ ascribitur. In voce enim exultationis et confessionis *ex omnibus viribus gloriam sui quærebat Conditoris, tam corde quam corpore jugiter confitendo et laudando illum, per quem se noverat salvandam et benedicendam esse per ævum*. Sequitur :

*Et intravit in domum Zachariæ. Per Zachariam, qui memor Domini interpretatur, pudici pectoris ejus purissimæque dilectio mentis figuratur, qua tota memoria Deum diligebat, cui soli sic inhærebat, ut memoriam dilecti sui, regis sempiterni, nec ad horam de principali cordis sui pateretur auferri. Sic fervens in amore Creatoris mediatrix Dei et hominum non minori charitatis affectu erga salutem vigilabat proximorum, ut in verbis consequentibus apte colligere possumus. Ait enim :*

*Et salutavit Elisabeth. Per Elisabeth sanctam, quam hæc gloria Virgo amando salutavit amor innuitur proximorum, quem ita indeclinabiliter tenuit, ut salutem, quam sibi die noctuque tantis lacrymis exorabat, non minori charitatis affectu omni etiam humano generi profutram votis omnibus exoptabat, et ideo secundum legis præceptum proximum, ut seipsam diligebat. Non solum autem hanc salutem antiquis annuntiavit Patribus, sed revera quotidie Novi Testamenti annuntiat cohaeribus. Et quamvis carnis soluto debito in regnum transierit dilecti Filii sui, adhuc tamen nobis loquitur vita mirabili, suos exemplo adhuc salutat inæstimabili.*

*Et quia hæc breviter de gloria et intemerata virginie prælibavimus, videamus nunc, quomodo hæc verba in unaquaque fideli et electa anima valeant adimpleri; que tamen beatam Dei genitricem, in quantum fas est mortalibus, sequi voluerit et imitari. Ait ergo Evangelista :*

*Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Exsurgens beata et fidelis anima, cum de*

terrenis desideriis et vociptibus se erigit, cum vita et peccata deserit, dum in spiritu suæ mentis renovata novum hominera induit, corporeque simul et anima terrenis et noxiis actibus resistit. Quæ profecto cum sic exsurrexerit, exemplo dominæ nostræ Mariæ *in montana* condescendere [debet], ut ipsa diligat Dominum Deum suum ex toto corde suo et ex tota anima sua, et ex omni mente sua, et ex omnibus viribus suis. Debet denique sic *in montana* abire, ut omnem dilectionem suam ad illum montem Dei, Deum scilicet omnipotentem transferat, illum super omnia et inter omnia in quantum intellectu suo capere prævalet, dulci amore diligat.

Sed hoc abire, illud diligere non tepido et desidioso corde est agendum, sed *cum festinatione*, cum bona videlicet et devota voluntate ad hoc erit festinandum, quod est ex omni mente Deum diligere. Sic Deum diligendo, sic ad eum festinando beatam animam decet in civitatem quoque *Judæ* abire, ut quartum illud dilectionis membrum, quod in dilectione Dei a legislatore est propositum, possit efficaciter adimplere. Pergit sane in civitatem *Judæ*, si *ex omnibus viribus* suis Deum diligit. Nam, ut præmissimus, Judas *confessio* vel *laudatio* interpretatur, quam laudem et confessionem tunc veraciter Deo offerre poterit, si corde et corpore cœlestem Patrem laudans et confitens, nihil ex hoc meritis suis attribuit, sed tantummodo laudem et honorem Creatoris sui requirit.

Huic laudi et confessioni illam memorialem adjungat dilectionem, de qua in verbis sequentibus subiungitur, cum dicitur, et *intravit in aomum Zachariae*. Zacharias *memor Domini* interpretatur. *Domum Zachariae* fidelis anima *ingreditur*, quando in dilectione Dei ardens animus memoriam abundantiae suavitatis ejus die noctuque eructare et præmeditari nititur. Sequitur :

*Et salutavit Elisabeth. In beata Maria matre Domini Jesu, quæ Salvatorem nobis genuit, in plerisque Scripturarum locis prælati et doctores sunt designati, quia revera sicut ipsa carne incorrupta Deum nobis protulit, sic prælati et prædicatores verbo suæ exhortationis Deum quodammodo pariunt in subditis. Ita in præsenti loco per beatam Mariam illi prælati possunt figurari, qui tali, ut prædiximus, ordine in dilectione Dei stabiliti et sublimati, tandem Dei vocatione ad curam regimenque animarum merentur assumi. Per *Elisabeth* vero, quæ *saturitas Dei mei* interpretatur, boni subditi possunt accipi, qui ex nulla rerum transeuntium delectatione queunt aut volunt satiari, sed in solius Dei visione satietatem suam constituerunt, ut confidenter dicere possint cum Psalmista : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Istos bonos subditos, qui per *Elisabeth* designantur, boni prælati, qui per Matrem Jesu sunt designati, frequenter *salutant*, cum verbo dulcissimæ exhortationis eos alloquuntur, enī mandata et præcepta vitæ eis proponunt, cum verbis salutaribus, quæ ipsi ex ore Domini percepserunt, de salute sua eos sollicitos faciunt. Sic, sic bonis prælati subditos suos salutantibus, magnus ple-*

rumque profectus inde Deo opitulante proveniet, sicut verbis sequentibus aperte intelligi [datur].  
Nam sequitur :

*Et factum est ut audivit vocem Mariae Elisabeth, exsultavit in gaudio infans in utero ejus. Factum istud magnum et memorabile, de quo modo audivimus, inter verba prædicationis honorum prælatorum Deus frequenter solet operari in subditis. Auditio denique verbis divinae dulcediu*m*, ex Spiritu sancti gratia eos interius tangentibus et accendentibus [cod. tangentes et accidentes], talis plerumque obo*r*itur in eorum cordibus exsultatio, quæ recte nomine *infantis* potest exprimi. Infans enim quasi non *fans* dicitur. Revera hæc exsultatio, quam in cordis jubilo inter verba prædicationis percipiunt a Domino, talis est, ut eam fari non possit homo, ita ineffabilis est, ut eam humanis verbis exprimere et explanare nullus sufficiat.*

### XVII.

#### IN NATIVITATEM B. MARIAE VIRGINIS SECUNDA.

*Nativitas tua, sancta Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; et te enim ortus est Sol justitiae, Christus Deus noster (Ecclesia).*

Paritura Solem justitiae beatissima virgo Maria universum in mundum hodierna die illuminavit et lætificavit nativitate sua, quia tenebris peccatorum, tenebris æternæ damnationis ita involutum erat totum genus humanum, ut nullus ex antiquis esset Patribus, qui licet sancte, licet pie et juste viveret, tamen post longas vitæ hujus miseras, post longas mundi hujus tenebras cum dolore non descenderet ad inferos, donec in fine temporum ex eadem beata Virgine ipse ortus est Sol justitiae, qui peracta dispensatione assumptæ carnis sedentes in tenebris et umbra mortis ad patriam æternæ claritatis dignatus est reducere. Et nunc humanæ substantiæ dignitas tam mirabiliter et misericorditer reparata est, quod electus quisque, qui bene et feliciter in hac vita vixerit, mox in hora egressionis sue de corpore gaudia perpetuæ beatitudinis possidebit; impius vero et peccator etiam si in ultima hora perfecte pœnituerit, veniam, quam non meruit, exemplo latronis sero pœnitentis, procul dubio obtinebit; qui dum latrocinando multisque malis insistendo tempus vitæ perageret, tandem in cruce sero pœnitens, bona paradisi consecutus est per gratiam, quæ habere non mernit per innocentiam.

Et quia beata Dei Genitrix Maria materia, ut ita dicam, humanæ reparationis exstitit, omnis pene Scriptura, quæ opus creationis et reparationis humanæ commemorat, hanc eamdem Virginem quasi reparatricem humani generis speciali laude commendat. Nam si reparati non essemus, melius erat quod creati non fuissimus. Unde etiam primus ille divinæ legis lator Moyses ubique in Scripturis suis mentionem hujus gloriose Virginis faciens, quandoque eam nascituram et genus humanum misericorditer per eam reparandum pene in exordio Veteris Testamenti his verbis denuntiat, dicens : *Non enim pluerat Dominus Deus super terram; et homo non erat, qui operaretur eam. Sed fons ascen-*

*debat e terra, irrigans universam superficiem terræ (Gen. ii, 5, 6).*

Licet juxta litteram ita se rei veritas habeat, quod in primordio, quando cuncta creata sunt, super terram non plueret, mystice tamen aliquid spiritus veritatis innuit, quod ad landem et gloriam beatæ Dei Genitricis satis convenienter respicit. Nam pluvia visibilis, quæ desuper veniens terram infundit et inebriat, pluviam cœlestis disciplinæ, doctrinam videlicet castitatis et humilitatis, quæ exemplo castissimæ hujus Virginis quandoque futura erat, satis congrue significat, quia dum haec salutari pluvia terra humani cordis irrigatur et infunditur, multiplici bonorum spernum ubertate secundatur. Hanc profecto pluviam nondum Dominus super terram, id est super nullum bene terrenum hominem pluerat, sed specialiter præ cunctis nascituræ quandoque Genitrici dilecti Filii sui Deus Pater reservabat, ut hanc præ cunctis quoque mortalibus haec salutari pluvia castitatis et humilitatis perfunderet et secundaret, et sic exemplo illius in multorum corda Deo donante derivaret.

*Et homo, inquit, non erat, qui operaretur eam. Quia nondum, sicut dictum est, Dominus Deus pluerat super terram, homo non erat, qui operaretur eam, id est qui terram cordis et corporis sic operari sciret, ut et caste viveret, et hanc castitatem in tanta cordis humilitate custodiret vel qui sic terram suam operari sciret, ut post finem vitae ad gaudia paradisi rediret.*

Est et alia vere cœlestis pluvia, videlicet Spiritus sancti gratia, quæ in plenitudine temporis obumbranda et imprægnanda erat eadem virgo Maria. Sed pluvia hæc non desuper terram pluerat, quia Spiritus sanctus in hanc eamdem virginem nondum supervenerat. Hinc etiam eximus ille propheta Isaías, qui spirito prophetico prænotavit dicens : *Ecce, virgo concipiet et pariet filium (Isa. vii, 14)*, ipsam Virginem in opus humanæ redemptionis venturam, et Spiritu sancto gravidandam invitat et ait : *Rorate, cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem (Isa. xlvi, 8)*. Cum enim cœlorum nomine plerumque in Scripturis sancti et justi quique designari soleant, cur etiam per eosdem celos Pater et Filius et Spiritus sanctus rectissime intelligi non debeat? Quis ergo tam veraciter sanctus et justus, sicut est Pater et Filius et Spiritus sanctus? Unde est, ac si electus iste propheta, qui, ut dictum est, Virginem Dei Filium concepturam et paritutam prævidit, omnipotentiam summae Trinitatis pro eadem Virgine humiliiter interpellando expostulet, ut Deus Pater talem dilecto Filio suo matrem Virginem provideat, quæ hunc ad redemptionem humani generis Spiritu sancto cooperante concipiat et pariat. *Rorate, cœli*, inquit, *desuper*. Vos, inquam, o cœli cœlorum, id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus rorem misericordiae desuper mittite; tempus miserendi, quod expectamus, accelerate. Roret ergo Deus Pater Filium, sicut locutus est, mittendo; roret Filius Patri mittenti obediendo; roret Spiritus sanctus Virgi-

nem divino partui consecrandam superveniendo. *Et nubes pluant Justum.* Hunc ergo justum qui solus justus, justos de injustis misericorditer facturus erit, hunc, inquam, justum nubes pluant, id est, angelicæ virtutes desuper venientes Matri Virginis concipiendum et pariendum annuant. Veniat ergo summus ille cœlorum nuntius Gabriel, et dicat beatæ Virginis: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Aperiatur terra et germinet Salvatorem* (*Luc. 1, 35*). Terra illa, cui benedixit Dominus, terra, inquam, virginalis thalami aperiatur sine tactu pudoris unico Filio Dei; aperiatur, obsecro, æternō Principi, conceptura et paritura totius Salvatorem sœculi; aperiatur, dico, sic ut, quemadmodum eadem Virgo in animo suo disposuit, clausa semper et intacta permaneat, et Mater facta decus virginitatis non amittat. *Et germinet Salvatorem.* Quid est germinet Salvatorem, cum potius dici posset, pariat vel generet Salvatorem? Germen cujusque rei sive herbarum sive arborum in primis quidem exiguum valde, infirmum est et fragile; sed tamen spes sequentis fructus in ipso quodammodo præmonstratur germine. Sic etiam parvulus ille filius Virginis, dum teneris indatus membris inter arcta vagiret præsepio, spem tamen futuræ salutis, quam humano generi facturus erat per omnipotentiam habitantis in se divinitatis, plurimis virtutum indiciis præmonstrabat, et nunc fructus ejusdem virginis germinis, fides, inquam, tantillii infantilii totam replete latitudinem mundi. Unde et supra memoratus ille Moyses, laudem et gloriam tam Matris quam et Filii altius adhuc intuens, ait:

*Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Terra hæc, terra illa est vere beata, vere benedicta, de qua supra diximus; *fons* vero de illa egrediens parvulus est filius ejus, qui *irrigasse universam superficiem terræ* satis convenienter dicitur, quia per fidem incarnationis et passionis suæ solus Creator et Redemptor in universa terra adoratur et colitur. Et ecce, de fonte illo exiguo per fines orbis terrarum innumera processerunt flumina cœlestis sapientiae.

Et quia ad laudem Virginis matris salvo intellectu pene cuneta transferre possumus, quæ de filio ejusdem Virginis mystice in Scripturis intelligenda invenimus, ecce, jam per fontem ascendentem de terra, quem ad personam Filii pertinere diximus, satis congrue intelligi valet eadem mater et virgo, quæ de terra, id est, terrenis parentibus orta, universam irrigavit superficiem terræ, id est exemplo castitatis suæ et humilitatis universas illustravit Ecclesiæ. Ecce, jam *fons* ille virginalis ita universam terram irrigavit, ita rivos castitatis et humilitatis per fines orbis terræ dilatavit, quod jam innumerabilis multitudine utriusque sexus superficiem terræ suæ, membra videlicet sua, quæ sunt super terram caste vivendo mortificare non desinit, et non solum custodiare desiderat castitatem exterioris hominis, quod est integritas corporis, verum etiam castitatem spiritus, quod est vera humilitas cordis. Haec

est, inquam, fontis hujus salutifera irrigatio, quæ nunc diffusa et dilatata est in universa terra, quam etiam Solomon sapientissimus in Spiritu sancto providens, sic de eodem fonte testatur dicens: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium* (*Cant. iv, 15*). *Fons aqua* est de terra ascendens, et desuper terram manifeste fluens, *puteus* vero altus ac profundus est, et aquæ, quas habet, patenter videri non valent. Et hæc duo beatæ virgini bene convenire videntur. Nam quibusdam quasi *fons hortorum*, quibusdam quasi *putens* est *aquarum viventium*; *fons*, inquam, simplicioribus et minus intelligentibus *puteus* alta et profunda sapientibus. Sunt enim nonnulli, qui velut *horti* bene fructiferi, et exterius fructum bonæ operationis et interius fructum veræ dilectionis proferre satagunt, et tamen mystico Scripturarum intellectu ardua et sublimia loqui vel cogitare de hac eadem Virgine nesciunt, scientes tantum ipsam Matrem misericordiæ clementer intervenire pro peccatoribus, multosque pene desperatos piissimis ejus salvatos esse precibus, et sic eam a filio suo honorari, ut nil ab eo Matri roganti possit negari; et ideo simplici corde preces et lacrymas illi offerunt, humiliiter illi pro peccatis suis supplicant, ejusque interventu veniam delictorum se obtainere non dubitant. Sic profecto simpliciter de ea sentientibus, sic humiliiter eam invocantibus, quasi *fons hortorum* est. Nam aquas salutis de hoc eodem fonte hauriunt, dum misericordiam, quam ex postulant, ejus suffragantibus meritis inveniunt. Quæ sicut simplicioribus, ut diximus, *fons* quodammodo est, ita et perfectioribus alta et ardua sapientibus *puteus* est *aquarum viventium*, qui multa ad laudem Virginis pertinentia ex Scripturis sanctis mystico sensu intelligunt, qui post longa pœnitentiæ lamenta quasi digna satisfactione purgati de percepta spe indulgentiæ gaudent, et solo desiderio et amore cœlestis patriæ jam fere dulce habent. His profecto hoc modo *puteus* est *aquarum viventium*, quia si forte minus aliquando ad mysticum valent intellectum assurgere et minus valent de interna mentis gustare dulcedine, ad *puteum* istum, ad beatam videlicet Virginem dum orando et obsecrando veniunt, *aquas viventes*, aquas sapientiae et intellectus, aquas compunctionis intimæ de hoc puto misericordiæ hauriunt.

Unde aquæ istæ fluunt? *Quæ fluunt*, inquit, *impetu de Libano*. Per Libanum, quod *candidatio* interpretatum dicitur, candidus et immaculatus ipsius Virginis filius non inconvenienter accipitur, qui licet in carne peccati appareret, totus tamen revera erat candidus, quia nec minima erat peccati contagione respersus. De hoc namque Libano, id est de filio Virginis Domino nostro Jesu Christo totum omnino fluit, totum revera procedit, quidquid consolationis et gratiæ eadem Virgo Mater generi humano impendi.

Et notandum quia non simpliciter dictum est, *quæ fluunt de Libano*, sed additum est, *cum impetu*. Nam quid est aquas viventes *cum impetu* fluere, nisi fortiter, suaviter mentem hominis intus petere? Ergo

cum *impetu* magno fluunt, dum cor ab imis elevant, dum ad amorem invisibilium mentem erigunt, quia non sine magno fructu salutis esse poterit, quidquid precibus Virginis Matris homini supplicant desuper datum fuerit.

## XVIII.

## IN EAMDEM FESTIVITATEM TERTIA.

*Vidit Jacob scalam. Summitas ejus cœlos tangebat etc. (Gen. xxviii).*

Hodiernæ diei solemnitas, sicut speciale mundi contulit causam salutis, ita sancta Ecclesia speciali eam celebrat tripudio exultationis. Perpetua enim virgo Maria et totius mundi domina diem hunc ineffabiliter extulit, quæ ortus sui claritate universum orbem irradavit. Cum etenim aliorum sanctorum festivitates celebrantur, hoc quidem recolitur, quod de hoc saeculo migraverunt, et digna laborum suorum præmia acceperunt; illi vero soli hanc honoris prærogativam sancta mater Ecclesia attribuit, quem nullus sanctorum habere potest, nec poterit, praeter illum solum, qui est sanctorum Sanctus, quem ipsa incorrupta Genitrix genuit. Baptisæ etiam et præcursoris Domini Joannis nativitas honosifice recolitur, quod quidem non sic ad suorum dignitatem meritorum, quam ad ejus honorem respicit quem ipse sua nativitate præcurrit et præfiguravit.

Siquidem festiva hæc dies adhibet nobis quodammodo occasionem laudandi beatam Mariam, quia videlicet per ipsam maledictio illa ablata est, quam prima mater Eva posteritati suæ induxit; et dolor ille nobis temperatur, quem ipsa superbiendo promeruit. Cum enim ad hujus vitæ miseras nascimur, quid protoplasti parentes nostri meruerint, quidve nos passuri simus, in primo ortu nostro etsi non verbis, miserabili tamen et flebili clamore indicamus. Merito ergo hæc mater, hæc communi omnium laude digna est prædicari, speciali autem amoris et gratiarum actionis privilegio sexus mulierum attollere illam debet; quia ipsa opprobrium abstulit, quod prima mulier eis attulit. Nam si mulier hæc et Virgo nata non fuisse, forsitan viri dicerent quia mulier causa reatus et mortis esset. Sed jam hujus improperii objectio convenientiam non habet, quoniam domina nostra virgo Maria omnium viorum et mulierum vitam edidit. Ille quondam primus parens excusans suam culpam ad Deum dicebat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi (Gen. iii, 12).* Nunc vero tam viri quam feminæ in gratiarum actione dicere habent suo Creatori: *Mulier, quam dedisti nobis auctricem et reparatricem salutis, edidit nobis lignum vitæ, quo resciuntur animæ nostræ. Pomum quippe vitale est ille panis vivus, qui descendit de cœlo, qui quotidie sanctas animas resicit in altaris sacramento.*

Hujus itaque Virginis ortus universo mundo necessarius multis modis per sanctos Patres tam scriptis quam figuris insigniter est prænuntiatus. Hinc convenienter laudi ejus aptari potest, quod de Jacob patriarcha legitur, qui unus de tribus illis patribus

existit, quorum specialiter se Deum Omnipotens appellare consuevit dicens: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob (Exod. iii, 6).* Denique sic de eo legimus: *Vidit Jacob scalam (summitas ejus cœlos tangebat) et descendentes angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.* Quid per scalam hanc convenientius quam beatam virginem Mariam accipere possumus, cuius vita de imis ad cœlos semper creata [erecta?] fuit? Tria in hac scala fuerant, quæ merito summitas ejus dici possunt, summitas scilicet castitatis, summitas charitatis, summitas humilitatis.

Et revera hæc *summitas* illius *cœlos tangebat*, in tantum ut immensa charitatis ejus devotione, qua pro humano genere sollicitabatur, ad thronum divinæ majestatis perveniens orationibus omnium sanctorum præferretur, et quod ipsi optaverant illa pleniter obtinere mereretur. Moysi quidem et aliorum sanctorum oratio apud Deum multum valuit, sed ejus oratio ipsorum preces adeo excellebat, ut omnem divinæ virtutis magnitudinem ad se traheret, et ipse cœli creator in uterum ejus descendenter.

Notandum vero quod non singulariter dicitur *cœlum*, sed *cœlos tangebat*, quia Patrem et Filium et Spiritum sanctum tetigit, qui per *cœlos* designantur. Latera nobilis hujus scalæ corpus ejus erat et anima, in quibus tres gradus, humilitatis videlicet, castitatis et charitatis Deus posuit, in quibus per eam descendere de cœlis ad terras voluit. Hinc protinus sequitur:

*Et descendentes angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.* Si intueamur quali modo per eam angelii descenderint, eximium Archangelum sanctum Gabrielem ad ipsam de cœlis missum, his verbis mystice denotatum, intelligere possumus, qui, ut arbitramur, non solus ad salutandam tam excellente Virginem magnificum ei opus insinuatorus advenit, sed quasi præpotens princeps cum cæteris innumeris sibi subjectis angelis ad eam venit. Descenderunt quoque per eam sancti angeli ea nocte, quia Redemptorem nostrum peperit, quia, ut evangelista refert, dum unus pastoribus apparuisset, et salvationis nostræ opus eis denuntiasset, subito facta est cum eo multitudo cœlestis exercitus laudantium et dicentium: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 13, 14).*

Possumus autem et hæc verba ad unamquamque beatam animam referre, quæ diligendo et laudando Deum huic innititur scalæ. Quandiu in hoc mundo vivit, ad visitandam eam sœpe dignantur descendere, ac labores ejus, quibus in præsenti vita premitur, consolationibus suis non cessat revelare. Cum vero de corpore migrare jussa fuerit, si fixam in hujus scalæ firmamento spem habuerit, totus procul dubio angelorum exercitus ad suscipiendam eam descendet, et cum laude ac exultatione ad conspectum Regis æterni illam deducent. Merito itaque sanctus patriarcha, cum per Spiritum sanctum hanc scalam prævidisset, dixit: *Vere locus iste sanctus est.*

Celebrantes ergo natalem ejus solemnem devotionem, quidquid gratiarum actionis, quidquid laudis est, totum ad ipsius venerationem debemus expendere. In hac solemnitate impleamus verba Isaiae prophetæ. Ait enim : *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis; et ne detis silentium ei* (*Isai. LXII, 6*). Itaque ne taceamus a laude Genitricis Creatoris nostri (quia laus ejus honor est Filii) silere ipse faciat cor nostrum a strepitu vitiorum, ut libere illum laudemus, et ore ac corde ad eum clamemus. Et ut ipse non sileat in nobis, sed loquatur remissionis verba et pacis, dicere dignetur nobis verba, quæ Mariæ Magdalene dixit, quæ pedes ipsius lavit : *Remittuntur tibi peccata multa; vade in pace* (*Luc. VII, 48*). Remittat hic nobis peccata nostra, et in extremis nostris dicat: *Vade in pace*; et transferat nos ad æternam pacem, ut ipsum videamus facie ad faciem. Quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per infinita sæculorum Amen.

## XIX.

## IN EAMDEM FESTIVITATEM QUARTA.

*Dominus possedit me initio viarum suarum; antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum etc.* (*Prov. VIII*).

Quid causæ, vel quid rationis est quod lectio hæc hodierna die Nativitatis Virginis Mariae legitur, quæ tota æternitatem divinitatis unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qua coæqualis et coæternus est Patri, resonare et commendare videtur? Assisto quod hæc sit causa et ratio quia in festo temporalis Matris Dei idcirco legere lectionem hanc Spiritus sanctus ordinaverit, ut significaretur per hoc et affirmaretur, quia propter assumptam extemporalis matre humanitatem, eam, qua æqualis est Patri, nec amisit divinitatem, nec minuit potestatem. Hoc enim ipsum Verbum Patris affirmat in primordio lectionis hujus, cum dicit: *Dominus possedit me initio viarum suarum; antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret*. Tria hic posuit, per quæ inseparabilem et individuam Trinitatis substantiam mystice exposuit. Quæ sunt hæc tria? *Initium, principium, æternum*. In initio Deus Pater, in principio Deus Filius, in æterno Deus Spiritus sanctus non incongrue est intelligendus. Et bene unicuique personæ verbum sibi proprium et congruum assignavit et aptavit. Ad *initium*, quod est Pater, posuit *Dominus possedit me*; ad *principium*, quod est Filius, posuit *antequam quidquam faceret*; ad *æternum*, quod est Spiritus Sanctus, posuit *ordinata sum*. In verbo possedit duo quedam notantur, potentia videlicet et sessio, et haec duo proprie pertinent ad Patrem. Sessio designat quietem. Qui in hoc sæculo potentes sunt, ex occasione susceptæ potestatis magnæ inquietudini plerunque succumbunt. Sed non talis potestas Dei Patris. Potentia ejus potestas est et quies, semper potens est, semper quietus est. Hoc enim æterna Sapientia per hæc distinguit verba. *Do-*

*minus, inquit, possedit me, et addidit, initio viarum suarum*. Viæ Domini sunt, sicut sæpe audivimus, veritas et misericordia Domini.

In his etiam duabus viis Domini Filius et Spiritus sanctus potest intelligi. Veritas enim Filius misericordia Spiritus sanctus. Ipse Pater est, qui a nullo est; a quo cum Filius et Spiritus sanctus sit, recte nominatus ipse *initium viarum suarum*, hoc est initium Filii, initium Spiritus sancti. Per has enim vias ipse graditur quia omnia per Filium, omnia per Spiritum sanctum operatur. Et tamen *initium* hoc, quod habet a Patre Filius et Spiritus sanctus, sine initio est, quia coæternus Patri Filius, coæternus Patri et Filio Spiritus sanctus est. Nec injuste in verbo hoc *a principio* notamus coæternum Patri Filium. Invenimus enim in Evangelio quod ipse nominavit se principium. Interrogantibus eum Iudeis, quis esset, respondit: *Ego principium, qui et loquor vobis* (*Joan. VIII, 25*).

Et recte personæ illius convenit quod dicit: *An-tequam quidquam faceret*. Sicut enim possidere Dei Patris est, ita facere Dei Filii est. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan. I, 3*). Et quia proprium est Spiritui sancto, omnia a Deo Patre per Deum Filium facta ordinare, recte ibi ponitur, *ab æterno ordinata sum*. Ipse enim Spiritus sanctus cuncta disponit, cuncta ordinat, ipse informitati rerum formam donat. Sic enim legimus quia, cum crearet Deus cœlum et terram, omnia confusa erant, sed veniens Spiritus sanctus omnem omnium rerum informitatem formavit et ordinavit. Igitur possidere est Patris, facere Filii, ordinare Spiritus sancti.

Et ne quis putaret singularitatem aliquam vel divisionem esse inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ea quæ singulariter jam de differentia personarum dixit, conjunctim mox comprehendit, cum subjungit :

*Et ex antiquis, antequam terra fieret*. Hoc solo verbo coessentiam sanctæ Trinitatis substantiam satis decenter demonstrat quia et Pater et Filius et Spiritus sanctus omnes sunt antiqui, omnes coæterni, quia omnes coæquales, omnes consubstantiales. Scilicet quid est quod addidit *antequam terra fieret*? Intelligimus hoc in loco per terram assumptam propter nos humanitatem Filii Dei. *Antequam terra fieret*, inquit, quasi diceret *antequam ego, qui sum Sapientia Patris, terra fierem, antequam humanam naturam de Virgine matre assumerem, eram, ex antiquis, eram quasi in Trinitate, eram in Patre, eram in Spiritu sancto in deitatis æqualitate*.

*Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram*. Per abyssos angelicam creaturam intelligimus, quæ non incongrue abyssus nominari, et abyssu comparari potest propter profunditatem sapientiæ, in qua creata est; que et aliunde in sacra Scriptura notatur, ubi dicitur: *Prior omnium creata est Sapientia* (*Eccli. I, 4*). Non ibi intelligenda est æterna Patris sapientia, sed condita in sapientia et per sapientiam

angelica natura. Igitur *necedum erint abyssi*, inquit, *et ego jam concepta eram*. *Concepta eram* a Deo Patre in aeternitate, et tamen conceptio illa erat Deo Patri coetera. Vel etiam *concepta* in ordinatione Dei Patris, concipienda et generanda in tempore de carne virginæ matris.

*Necdum fontes aquarum eruperant, necedum montes gravi mole constituerant*. Possimus intelligere per *fontes* primos parentes nostros Adam et Evam, per *aquas* humanam creaturam. Nec incongrue primi parentes nostri *fontes aquarum* nominari possunt. Vere enim fontes et origo totius humanae creature fuerunt. Post tales hos fontes congruo ordine posuit *montes*, per quos satis congrue patriarchae designuantur, qui ob celsitudinem vitæ et morum jure montibus comparantur. His certe verbum hoc recte oppositum est, *necedum montes gravi mole constituerant*. Gravis illa moles originale peccatum accipi potest, quod ex corruptis fontibus, ex seductis per malitiam serpentis primis parentibus in illos et in totum genus humanum defluxit. Quod nimur originale peccatum, ut gravis et intolerabilis moles illis incubuit, miserabiliter illos depressit, qui dum tanto tempore in hujus mortalitatis ærumnis atque miseriis vivebant, cum fideliter Deo servierint, tamen post vitam præsentem omnes ad infernum descendebant.

Post montes ponit *colles*, quia post notatos in montibus patriarchas, succedentes patriarchis prophetas per *colles* significat dicens, *ante colles ego parturiebar*. Quomodo dicit, *parturiebar*? Dicitur parturire quasi parere gestire. Igitur verbum hoc *parturiebar* nota ineffabile illud quod habebat aeternus Patri Filius desiderium nascendi pro hominibus. *Ante colles*, inquit, *parturiebar*, ac si diceret: Ante patriarchas, ante prophetas, hoc semper desiderium meum fuit in aeternitate, ut pareret in temporalitate.

*Adhuc terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terre*. Possimus per terram hoc in loco non incongrue intelligere Ecclesiam. Quomodo dico Ecclesiam? Ideo dico Ecclesiam, quia non solum tunc primum corpit Ecclesia, quando nascente, moriente, resurgente et ascendentे in celum Dominino Iesu Christo multitudine credentium in fide crescet, et multiplicari incipiebat, sed coepit etiam in primo homine, qui prædestinatus est ad vitam. Nullum enim a constitutione mundi tempus erat, in quo aliquem Deus non haberet, qui ad Ecclesiam eius pertineret. Unde de eadem Ecclesia dicit in Canticis eadem, que et hic loquitur, aeterna Patris Sapientia: *Una est columba mea* (*Cant. vi, 8*), quia, licet diversa tempora, licet diversa fuerint sacramenta, *una* tamen apud Deum erat et est in fidei simplicitate Ecclesia. *Adhuc*, inquit, *terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terre*. Si per terram Ecclesiam intelligimus, quid per *flumina* intelligendum est nisi legalis et propheticæ doctrina, quibus infundenda et irriganda erat eadem sancta Dei Ecclesia? Per *cardines* autem *terre* sanctos apostolos possimus intelligere. Nec injuste ordo apostolicus per *cardines* præfigurabatur. In illo enim ostium totius sanctæ

Ecclesiæ versabatur.

*Ante hæc omnia eram*, ait aeterna Patris sapientia; eram ante abyssos, ante angelicam creaturam; eram ante fontes aquarum, ante humanam creaturam; eram ante montes et colles, ante patriarchas et prophetas. Adhuc Deus Pater omnia faciens per Filium, cuncta ordinans per Spiritum sanctum, *terram*, id est Ecclesiam, non fecerat; adhuc legalis et propheticæ Scripturæ flumina non emiserat, et ego eram in Patre omnia possidens, cum Patre omnia faciens, cum Spiritu sancto cancta disponens.

*Quando preparabat cœlos, aderam*, hoc est quando creavit rationalem creaturam in angelicis et humanis spiritibus, qui cœli ejus sunt, in quibus ipse sedet et requiescit, cum eo aderam, cum ips et in ipso omnia faciebam.

*Quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, et libravat fontes aquarum*. In verbis istis intelligere possumus malorum angelorum dejectionem, bonorum angelorum confirmationem, lapsi hominis reparationem. Intelligimus enim hoc in loco per *abyssos* malos angelos propter superbiam dejectos a Deo; per *æthera* bonos angelos *sursum*, ne cadere ultra possent, firmatos cum Deo; per *librationem fontium aquarum*, misericordissimam dispositionem Dei super reparatione lapsorum hominum. Et bene dicit, *quando certa lege et gyro vallabat abyssos*. *Certa enim lege ista et gyro sententia illa sempiternæ damnationis non inconvenienter intelligenda est*, qua justo Dei iudicio apostatici spiritus ita vallati et circuncclusi sunt undique, quod nulla unquam ratione eam ultra possunt evadere. Et recte quidem ordine prosequitur dicens, *quando æthera firmabat sursum*, quia post lapsum malorum angelorum facta est confirmatione honorum angelorum. Sed quid est quod sequitur, *et libravat fontes aquarum*? Verbum istud, si recte attendimus, si digne pensamus, suaviter nimis resonat. Suavem enim et mirificam Dei erga genus humanum miserationem magnifice notat. *Fontes enim illos aquarum*, Adam videlicet et Evam, a quibus propagatum est totum genus humanum, non vallavit Deus omnipotens certa lege et gyro aeternæ damnationis, sicut abyssos, sicut diabolum et angelos ejus, sed *libravit* eos. *Libravit* eos, ut ita dixerim, lance æquitatis et misericordiae, quia secundum multitudinem miserationum suarum pie pensavit quid essent, pensavit quia cinis et pulvis essent, pensavit quod suadente diabolo cecidissent. Illos, qui sola superbia ceciderunt, et malitia sua homines cadere fecerunt, certa lege et gyro sempiternæ damnationis, ne resurgere possent, juste vallavit; istos vero, qui non ex se, sed ex malitia diaboli decepti ceciderunt lance pietatis *libravit*. Deceptrors aeternaliter damnavit; deceptos misericorditer salvavit. Et quia duo erant populi, unus qui assumendus, alter qui relinquentus, mystice utroque notavit in sequentibus:

*Quando circumdabat mari, inquit, terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent terminos suos*. Potest intelligi per mare populus gentium; per

*aquas* populus Judæorum. *Terminus* ille, quem Deus Pater mari, id est populo gentium, *circumdedit*, præfiguravit non incongrue tempus illud, in quo per incarnationem Filii sui visitare eum, et ab amaritudine infidelitatis ad dulcedinem divinæ cognitionis perducere disposuit : *Lex* vero, quam ponebat *aguis*, præfiguravit justum Dei judicium, quo Judæi venientem ad se in carne Filium Dei reprobantes reprobati sunt a Deo, atque relieti infra fines suæ incredulitatis. *Istis posuit legem, ne transirent fines suos*, hoc est ut permanerent in perfidia sua et malitia ; gentibus *circumdabat terminum*, in quo salvandi et liberandi essent ab infidelitatis suæ stultitia. Sed terminus iste salvationis gentium usque dilatus est, quousque coæternus Patri Filius de beatissima virgine Maria homo factus est. Quam etiam in præsenti hac prophetia Sapientia Dei non tacuit, sed nobiliter atque decenter verbis sequentibus prænotavit ac præfiguravit dicens :

*Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Per terram illam terram benedictam, beatam virginem Mariam, credimus esse præsignatam. Fundamenta autem terræ hujus possumus dicere mirabilem castitatem ejus incomparabilemque humilitatem ejus. Sed quomodo fundamentis istis fundata erat, quomodo fundamenta hæc Deus Pater in ea appendebat, quæ needum nata erat? Certe quæ mundo needum nata erat, in præscientia et ordinatione Dei talis erat; talem eam Deus omnipotens prævidebat, qualis nascitura postmodum et victura in mundo erat. Sed quia præscivit et prævidit Deus, quod Virgo hæc in mirabili castitate, in incomparabili humilitate non solum cæteris mulieribus, sed cunctis prorsus hominibus præeminere deberet, hoc erat quodammodo appendere fundamenta ejus. Erat enim apud Deum tam ponderosa, tamque grata castitatis atque humilitatis virtus, quam futuram in eadem beata virgine Maria præviderat, ut solam inter omnes mulieres dignam judicaret; cui unigenitum Filium suum, humana carne vestiendum daret. Sed quando fundamenta ista Deus Pater primum per prædestinationem in ea posuit, idem Filius manens in Patre pariter cum Patre ea composuit. Hoc enim ipse hic ostendit, cum dicit : quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, quasi diceret, cuncta ista, castitatis videbilet et humilitatis insignia, eram componens cum Patre in futura Virgine matre.*

*Et delectabar per singulos dies. Quid est per singulos dies?* Dies unus dies erat castitatis, dies secundus dies erat humilitatis. *Singulos dies* istos, quia singulariter et præcipue in beata Virgine Maria futuros Dei Filius prævidit, ideo dixit, *et delectabar per singulos dies.* Per hoc ejus delectari præfigurabatur magnum illud desiderium, quod habebat de tam pretiosa Virgine pro humani generis salute incarnari. Desiderabat eam nascituram, quam tam dissimilem ceteris mulieribus præscivit futuram. Sed cum impletum est hoc ejus desiderium, cum

nobilissima hæc cœli et terræ regina nata est in mundum, respiciens eam de alto cœlorum habitaculo, tam inaudita et transacti temporis hominibus prorsus incognita castitatis et humilitatis virtute reliquis hominibus præcellentem, gaudebat super eam, desiderabat venire ad eam. Hoc enim probat nobis duplex ille ludus, de quo mox subjungit idem unigenitus Dei Filius :

*Et delectabar, inquit, per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Ludens erat coram eo, hoc est coram Deo Patre, omni tempore, hoc est in æternitate; ludens erat in orbe terrarum, hoc est secundum humanitatem, talem se matrem habiturum in terris. Duplex quidem erat gaudium Christi. Gaudium ejus fuit esse Filius Dei, gaudium ejus fuit esse Filius hominis. Illud gaudium erat propter se; istud gaudium erat propter nos. Quomodo propter nos, ostendit ipse in sequentibus :*

*Et deliciae meæ, ait, esse cum filiis hominum. Quare dicit deliciae? Quales delicias habuit cum filiis hominum? Deliciae dicuntur, ubi in cerculo dulcia et diversa apponuntur. Delicia Unigeniti Dei, quæ eum de sinu Dei Patris in uterum virginis Matris ad convivendum et communicandum filii hominum traxerunt, diversitates multarum, quas iuturas prævidit in sancta Ecclesia, sanctarum conversationum, diversitates sanctorum animarum fuerunt, quæ quotidie et momentis singulis Deo apponuntur, quia quotidie innovantur, quotidie multiplicantur et variantur. Iste deliciae Dei cum multitudine sanctorum angelorum fieri quodammodo non poterant, quia in eo quo creati sunt statu semper permanentes, multiplicari, innovari, variari nec poterant, nec necesse habebant. Deliciae vero, quas habet Deus in bonis hominibus, sancte et juste in hac vita viventibus, quas habet in sanctis animabus de hac vita quotidie ad Deum transeuntibus, illæ momentis singulis multiplicantur et innovantur. Quotidie enim ad Deum homines convertuntur, quotidie homines nascuntur, quotidie homines moriuntur, quotidie sanctæ animæ ad cœli palatium translatae mensæ Dei apponuntur.*

*Istæ sunt deliciae illæ, de quibus dicitur in Canticis : Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, et innixa super dilectum suum? (Cant. viii, 5). Per istam, quæ in deserto ascendit, assumpta in Deum humana natura non inconveniente intellegi poterit, innixa super dilectum suum, id est super Deum, super divinitatem suam. Quando unigenitus Filius Dei post mortem resurrectionemque suam cum sancta, quam nostri causa assumpsit, humanitatem sua in cœlum ascendit, eamque Deo Patri et sanctis angelis ostendit, possimus credere quod vox ista vox fuerit angelicæ multitimidinis, unitam deitati humanam naturam mirifica laude magnificantis et glorificantis, simulque admirantis sanctarum fructum animarum, quas morte sua idem Dei Unigenitus Deo Patri acquisivit, quarum tune copiosa multitudo eruta ab inferno cœlum cum ipso intraverat, et quotidie eum usque in finem sæculi illuc secutura fuerat.*

*Quæ est ista, inquit, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Quid est de deserto? Desertum possumus dicere mundum? Quare desertum? Ex quadam non inconvenienti similitudine. Quandiu enim in domo est aliquis, qui multum diligitur, cuius præsentia grata valde est et amabilis cohabitantibus, videtur, quasi ex ejus comitantia tota domus sit plena. Si autem recesserit, videtur eis, quasi tota domus deserta et vacua sit. Sic et mundus iste; quandiu in eo et cum eo erat nobilis et dilectus homo ille Jesus Christus Filius Dei, totus quodammodo plenus erat; sed cum relicto mundo Christus in cœlum ascendit, totus mundus erat quasi *desertum*, quia nusquam erat, aut est vera plenitudo, nisi ibi, ubi ipse est, in cœlo. Sed quomodo aut qualis est in cœlo eadem sancta humanitas Christi? Innixa super *dilectum suum*, innixa super Deum, innixa super divinitatem suam. Ita enim unita est humanitas deitati, quod nunquam ab invicem possunt separari. Est etiam semper *deliciis affluens*. Deliciae istæ sunt delicatae justorum animæ quæ quotidie ei affluent, dum de hujus mortalitatis miseria ad æternam vitam transeunt. Istæ deliciae non affluebant ei, nequid quando natus est, nequid quando mortuus est, sed quando resurrexit et in cœlum ascendit, tunc primum deliciis istis affluere cœpit, quia ex illa hora non erat dies, neque momentum, quo non affluent ei beatæ animæ, quæ vere ejus sunt deliciae.*

Et notandum quod dieit, *affluens*. Nemo potest venire ad Deum, nisi fluat ad Deum. Quædam enim flumina sunt, quæ de hoc mundo animas ad cœlum et in cœlum transvehunt. Est enim flumen baptismatis; est post susceptum baptismata et violatum, flumen lacrymarum, flumen compunctionis; est etiam flumen passionis. Regnum etenim cœlorum nullum prorsus recipit, nisi qui per aliquid fluminum istorum illuc affluxerit. Affluxerunt ei flumine passionis sancti martyres, qui pro Deo sanguinem suum fuderunt: affluxerunt ei flumine baptismatis, qui conservata suscepta in baptimate innocentia debitam Deo fidem conservaverunt; affluxerunt ei flumine lacrymarum et compunctionis, qui amissam innocentiam, quam in baptismo suscepserunt, qui corruptam fidem, quam omnipotenti Deo in baptismo voverunt, quotidiano compunctionis et lacrymarum flumine renovaverunt in hac vita et reparaverunt. Quocunque horum flumine Deo affluxerunt, magnæ et delectabiles ejus deliciae fuerunt. Istæ ejus deliciae quotidie et usque in finem sæculi semper innovantur et multiplicantur, quia etsi non flumine passionis, flumine tamen baptismatis, flumine compunctionis et lacrymarum, aut innocentia suscepta in baptimate post baptismata conservata, aut non conservata virtute lacrymarum reparata quotidie ei affluunt, quotidie in delicias ejus transeunt.

Et ut breviter eudem hunc versum comprehendamus in prima sui parte, qua dicitur, *quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* notatur nobis, sicut prenotavimus, Christi ascensio; in secunda sui parte, ubi subjungitur, *deliciis affluens*, collecta jam ad

enim, et usque in finem sæculi colligenda sanctorum congregatio; in tertia sui parte, ubi dicitur, *et innixa super dilectum*, eorumdem sanctorum confirmatio. *Dilectus iste, Deus omnipotens est*, cui modo quasi uno tantum pede innituntur. Nondum enim ita confirmati sunt in Deo, ut utrisque ei pedibus innitantur, hoc est ut nihil præter Deum solum affectare videantur. Adhuc enim de resuscitando corpore cogitant. Postea vero cum resumpto in fine mundi corpore, carne simul et anima beata immortalitate vestientur, tunc soli Deo utrisque pedibus, totis videlicet corporis et animæ effectibus ita unientur, ita semper innitentur, ut nihil amplius sit, quod vel ad punctum mentem eorum ab illo avertere possit. Ibi certe *deliciae* Ei plene perficiuntur. Ibi enim semper in sanctis suis deliciabitur, ibi sine fine in sanctis suis gloriabitur.

Has *delicias* quiescens adhuc in sinu Patris Filius Dei prævidit, prævidendo desideravit, cum dixit, *et delicia meæ esse cum filiis hominum*. Et quia desideravit eas, de sinu Patris descendit propter eas, quæsivit eas, homo factus est propter eas. Descendit ipse ad nos, ut ad se ascendere faceret nos. Unde subjungit et dicit :

*Nunc ergo, filii, audite me. Quasi dicat : Quia semper deliciae meæ erant, ut venirem ad vos, ut delicias meas facerem vos, modo, quia adsum, quia homo pro vobis factus sum, ergo, filii, audite me. Ante adventum meum, ante incarnationem meam eratis servi, serviebatis ut servi, [neque] partem neque hæreditatem habuistis in domo Domini, quia servi, sicut scriptum est : *Filius manet in domo; servus non manet in æternum* (Joan. viii, 55, 56). Nunc autem quia natus sum vobis, quia mutato per mortem meam nomine servorum hæreditare vos feci dulce nomen filiorum, per quod mansionem atque hæreditatem accepistis in domo, hoc est in regno cœlorum, ergo, filii, audite me. Quid audite me? Quid loquor vobis?*

*Beati qui custodiunt vias meas. Ut simpliciter hec intelligamus, vias Unigeniti Dei mansuetudinem ejus et humilitatem, vel opera ejus in carne, sive doctrinam ejus intelligamus. Has vias ejus vere custodimus, si humilitatem ejus et mansuetudinem inuitamur. Unde ipse : Discite, inquit, a me, quia misericordia sum et humili corde (Matth. xi, 29). Et iterum : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. v, 5). Sed si subtilius aliquid in viis ejus intelligere cupimus, possumus dicere quod quasi duas vias habuerint in divinitate, quatuor vero in humanitate. Due in divinitate viæ ejus est misericordia et veritas ejus. Quatuor in humanitate viæ ejus sunt quatuor sacramenta, incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis ejus. Istæ sunt viæ, per quas Deus ad homines venit; per easdem vias venire homo ad Deum debet. Nemo enim venire ad Deum poterit, nisi incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem ejus fideliter crediderit, et bonis, quantum potest, operibus imitatus fuerit. Omnes has vias, sive divinitatis ejus sive humanitatis ejus, qui custodiunt, hoc est,*

qui aut vias divinitatis ejus, quas misericordiam et veritatem ejus diximus, frequenter oculis præponunt, sollicite attentes et considerantes quod licet sit misericors, non tamen deserit æquitatem, sicut respectu misericordiae illius bona faciunt, ex metu veritatis et justitiae illius mala deserunt; sive qui vias humanitatis ejus fideliter credunt, sicut diximus et imitantur, quantum possunt, illi procul dubio beati sunt in hac vita, beati erunt in eterna vita. Subjungit ergo adhuc, et ait :

*Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjecere eam.* Quid est disciplina? Disciplina est et rerum cognitio et morum compositio. Disciplinatus homo non solum ille dicitur qui scit quæ scienda sunt, sed et ille homo disciplinatus est et dicitur qui scientiam suam compositis, hoc est bonis et honestis moribus adornare nititur. Ad hanc *disciplinam* hortatur nos Dominus hic, cum dicit, *audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjecere eam.* *Audite* per intellectum, *estote sapientes* per mentis affectum, *nolite abjecere eam* per operis effectum. Et bene sibi tria hæc invicem congruunt, quia ex eo quod homo frequenter bonum audit, inde intelligere etiam bonum incipit. Sed quia non multum prodest homini bonum audire et intelligere, nisi addat etiam bonum diligere, recte adjungit, *estote sapientes.* Et bene verbum hoc *sapientes* congruit dilectioni. Illud enim sapit homini quod diligit; quod non diligit, illud nec sapit. Sed quia sunt nonnulli qui audiunt bonum, et intelligunt, et diligunt, et tamen non faciunt, subjungit adhuc et dicit, *et nolite abjecere eam.* Ac si dicat : Si auditis *disciplinam* intelligendo, si sapientes estis diligendo, *nolite abjecere eam* opere adimplendo.

*Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Beatus homo quicunque ille est, qui ita, sicut jam dictum est, *audierit me, et postquam audierit me, vigilat etiam ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Fores sunt exteriora ostia in domo. Et satis congrue per *fores* legalis et prophética Scriptura potest intelligi, vel etiam doctores Veteris Testamenti, qui quasi *fores* erant, quia nec seipsos, nec alios in domini illam regni coelestis introducere valabant. Viam quamdam, per quam eundum esse illuc, ostendebant, aditum ejus reserare non poterant. Per *ostium* vero, quod interius et vicinus domui est, Christus et fides Christi, per quem fit introitus in regnum cœlorum, satis digne intelligi potest. Per duos *postes* hujus ostii spes et charitas, sive per *ostium* prædicatores Novi Testamenti, per duos *postes* evangelica et apostolica doctrina potest intelligi. Illa omnia, quæ præfigurata per *fores* diximus, licet foris, quemadmodum dictum est, fuerint, aditum quemdam regni coelestis docuerunt; *ostium* vero, quod est Christus, nec non fides, spes et charitas, quam docuit et dedit regni sui cohæredibus, sive evangelica et apostolica doctrina ipsam regni coelestis januam aperuerunt, et quotidie aperiunt his qui diligunt et custodiunt ea.

Nec prætereundum quod dicit, *qui vigilat ad fores*

*meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Ad legalem et propheticam Scripturam, cum difficilis et obscura sit, opus est vigilancia, opus est intelligentia; ad evangelicam et apostolicam Scripturam opus est observantia. Multi erant Veteris Testamenti observatores, et per hoc tamen non salvabantur: quotquot autem Novi Testamenti cultores et observatores erant aut erunt, perpetuam a Domino salutem consecuti sunt aut consequentur. Hoc enim in consequentibus misericorditer probat et affirmsat Dominus.

*Qui me, inquit, invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Quasi dicat : Qui sic vigilando ad fores meas, qui sic observando ad postes ostii mei *invenerit me, inveniet vitam,* hoc est inveniet in praesenti vita requiem animæ, per quam assidue cum Deo consolatur, misericorditer a Deo vivificatur; *inveniet post vitam presentem vitam sine fine manentem.* *Et hauriet salutem a Domino.* Quid est *hauriet?* Notat verbum istud ineffabilem futuræ vitæ beatitudinem inexhaustam qua post generalem resurrectionem omnes prædestinati ad vitam donabuntur sempiternæ jucunditatis plenitudine. Ex fonte sive puteo aqua hauritur. Et licet semper hauriatur, nunquam tamen fons vel puteus a suæ plenitudinis copia minuitur: cunctis haurientibus similem aquarum præbet copiam: ipse tamen nullam in seipso sentit inopiam. Fons sive puteus iste, qui semper hauritur, sed nunquam exhaustur, Deus omnipotens est omnibus ad salutem sufficiens, et nunquam in seipso deficiens. Qui fontem istum haurient, omnes prædestinati ad vitam intelligi valent. Quid *haurient* ab illo? salutem. *Hauriunt* ab illo in vita praesenti remissionem peccatorum; *haurient* ab illo, post decursam presentis vitæ miseriam, *salutem animarum;* *haurient* ab eo, post resurrectionem, duplum stolam immortalitatis animæ et corporis, inexhaustamque illam aternæ beatitudinis plenitudinem quæ nunquam recipit finem. Et illa plenitudo sine omni erit fastidio. Nullus in dante defectus, in accipientibus semper novus accipiendi erit affectus. Nunquam ibi deficiet desiderium accipiendi, nunquam ibi succedet fastidium hauriendi. Nulla in fonte illo licet semper hauriatur erit indigentia, imo erit in illo omnibus omnium bonorum plena et sempiterna sufficientia.

Hæc est lectio, quam in praesenti festo nativitatis beatissimæ Dei Genitricis Mariæ ad laudem et gloriam nominis illius legendam annuatim Spiritus sanctus ordinavit. Bene etenim excellentiæ ejus congruit, quia nunquam fierent ista omnia, nisi mediante illa, nisi inter Deum et hominem media-trix nostra facta fuisset, nisi illum, per quem salvati et liberati sumus, Dominum nostrum Jesum Christum in hunc mundum genuisset, ad hanc, de qua jam dictum est, aeternæ felicitatis gloriam nullus mortalium venisset, aut venturus esset. Et ideo nunquam sat digne ab humano genere laudari et glorificari poterit, per quam tanta nobis salus venit, et ventura erit. Et quia ipsa donante et adjuvante perstrinxisti

mus, pro modulo nostro, quid vel quomodo eadem Sancta lectio ad eam pertineat, quaeramus etiam et videamus si quid ex Evangelio occurrat quod eamdem beatissimam dominam nostram praefiguraverit, quod ad laudem et honorem ipsius referri possit. Ait namque evangelista.

*Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth. 1, 1*). Et sic quadraginta duas generationes enumerando usque ad Jacob descendit, per quem quasi claudere eumdem generationis Christi librum incipit, cum dicit: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*Ibid. 16*). Videamus imprimis quid causæ, quidve rationis sit, quod sacro-sanctum hoc Evangelium in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ singulis annis legimus. Multum videtur excellentiae illius congruere. Nam etsi totum Evangelium videre non possumus, nec digni sumus, invenimus tamen in eo aliquid quod ad eam ipsa adjuvante satis congrue referri possit. Invenimus ibi quatuor mulieres genealogiæ Domini nostri Jesus-Christi intextas et annumeratas, et has ex parte notabiles habentesque aliquid in se, quod muliebri obfuit verecundia. Una erat Thamar, altera Rahab, tertia Ruth, quarta suppresso nomine evangelista notat, Bethsabee mater Salomonis regis erat. Sed quare hoc, quod prætermissa Sara, Rebecca, Rachel et Lia cæterisque nobilibus et laudabilibus Israeliticæ stirpis mulieribus, quatuor notabiles has mulieres genealogiæ suæ inscribi voluit Christus? Si simpliciter intelligere volumus, magna hinc consolatio et spes datur peccatoribus, quod nullus videlicet tam sceleratus, tamque desperatus sit quin ascribi in libro vita promereatur, si per veram tantum poenitentiam atque satisfactionem redire ad Deum conatur.

Sed ad altiorem sensum beatissimam dominam et reginam nostram Dei Genitricem Mariam per quatuor mulieres istas intelligere possumus. Nec indignum hoc ejus clementiæ, injuriosum ejus excellentiæ esse credimus, quandoquidem vermiculo cæterisque abjectis rebus comparare seipsum, ut plerumque in Scripturis invenimus, dignatus est unigenitus Filius ejus. Sed primum de nominibus earumdem mulierum videamus, si in interpretatione eorum aliquid, quod ad eam respiciat, iuvare valeamus. Thamar interpretatur *amara*, Rahab *latitudo*, Ruth *festinans*, Bethsabee *putens satietatis*. Sed quomodo nomen Thamar, quod dicitur *amara*, dulcissimæ virgini Mariæ congruit, vel aptari poterit? Erat ipsa *amara* erga homines? Absit, ut hoc putemus, vel dicamus! Non est homo natus in mundo, præter solum, quem genuit, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tantæ esset mansuetudinis, qui erga omnes homines tantæ esset dulcedinis. Non erat *amara* ad homines, sed erat *amara* propter homines. Erat *amara*, amaram totius humani generis mortem amarissime quotidie gemendo atque deflendo; erat *amara* propter hoc quod omni humano generi, sub potestate diaboli constituto, tantum in

creatura sua Deus omnipotens detrimentum patiebatur, quod omnes homines quanquam sancte et juste in hoc mundo viventes, mox ut ex hac vita migrabant, ad infernum cuncti properabant. Sic nomen *Thamar* in se habuit. Videamus etiam, si quid de his quæ facta sunt cum Thamar, vel quæ ipsa fecit, ad eamdem beatissimam dominam nostram referri per mysterium possit.

Dicit historia de Thamar (*Gen. xxxviii*) quod Judas unus ex duodecim filiis patriarchæ Jacob eam primogenito suo, nomine Her uxorem dederit. Sed quia mortuus est hic absque liberis, et hoc legitimum servabatur in Israel, sicut et per legem postea firmatum est, ut dum aliquis inter eos absque liberis moreretur, reliquam uxorem frater defuncti duceret, primoque, quem haberet ex ea, Filio nomine imponeret defuncti fratris ad renovandam et conservandam memoriam ejus in Israel, junxit eam alteri filio suo, nomine Onan. Mortuo et illo absque liberis noluit eam dare tertio filio, cuius nomen erat Sela; timuit enim, ut ait Scriptura, ne et ille moreretur. Evolutis autem multis diebus mortua uxore Judæ, nuntiatum est Thamar quod ascendret Judas in Thamnas ad tondendas oves. Illa autem dolens esse se absque liberis (maledicta enim erat in Israel mulier illa quæ non haberet posteritatem), mutato habitu sedit in bivio, cooptaque vultu simulabat se coram Juda quod non erat, et accepto ab eo annulo suo, armilla et baculum, quem manu tenebat, concepit ab eo, et abiit. Post tres autem menses accusata est Thamar quod fornicata esset; quæ dum data super eam mortis sententia, duceretur ad pœnam, protulit annulum, armillam atque baculum dicens: *De viro, cuius haec sunt, concepi* (*Ibid., 25*), sicque salvata est. Instante autem partu effudit geminos, vocavitque nomen unius Phares, nomen alterius Zara.

In *Juda* Deum Patrem accipere possumus, in *Thamar* beatam virginem Mariam, sicut præmissus, in duobus filiis Judæ, *Her* videlicet, qui interpretatur *pelliceus*, et in *Onan*, qui interpretatur *mæror eorum*, infantia ejusdem beatæ Virginis atque pueritiae non incongrue valet intelligi. Nec injuste *Her*, quod *pelliceus* dicitur, ad infantiam virginis Mariæ refertur. Licet enim innocenter, ut vere credimus, hanc ætatem transegerit, sensibus tamen carnis, quandiu infans erat, sicut infans obnoxia subjacebat. *Onan* vero, quod interpretatur *mæror eorum*, congrue satis ad pueritiam ejus refertur, quia, postquam infantili decursa ætate altius sentire et intelligere poterat, vita ejus pro humani generis perditione semper in mœrore erat.

Ex duobus filiis istis quodammodo non peperit, quia nec tempore infantiae, nec tempore pueritiae parere illum idonea erat, cuius sanguine mediante tota prædestinorum ad vitam successio recreari et reparari debuerat. Sic duobus filiis illis *Her* et *Onan* sine posteritate e medio factis, hoc est duobus illis infantiae et pueritiae suæ temporibus sine fructu humanæ reparationis tandem transactis, cum

tertium filium, qui erat *Sela*, quod interpretatur *umbra*, diu exspectaret, hoc est cum remissionem peccatorum, que per *umbram* potest intelligi, et illis qui adhuc viventes vel etiam umbram, id est refrigerium, illis qui erant in tenebris et in umbra mortis sedentes, longo nimis desiderio optaret, et nequum tempus miserendi appropinquaret, sustinere diutius non potuit, exemplo *Thamar sedens in bivio*, Deo Patri se obtulit. Cui accepto prius ab eo annulo, armilla et baculo se supposuit. Sedens enim in *bivio*, hoc est inter viam vitae, quam aperiri sibi et omnibus hominibus optavit, et viam mortis, quam precludi omnibus desideravit, in hoc, inquam, bivio sedens ad Deum Patrem accessit, ejusque pedibus, fidei, spei et charitatis instantia, quod est quasi *annulus, armilla et baculus*, in suspisiis et lacrymis, orationibus, vigiliis et jejuniis tandem procubuit et succubuit, donee concepto ab illo fetu, apparerent *gemini in utero ejus*, hoc est donec plenitudo temporis veniret, ut illa imprægnaretur, qui geminae gigas substantiae erat, Domino utique nostro Iesu Christo, qui verus Dens et homo erat.

*Vocatumque est nomen unius Phares, nomen alterius Zara* (*Gen. xxxvii*). *Phares divisus, Zara oriens* interpretatur. Gemina haec nomina illi geminae giganti substantiae optime congruebant. In hac enim parte, quo homo futurus erat, recte appellari poterat *Phares*, id est *divisus*. Quomodo *divisus*? a se ipso. *Exinanivit enim seipsum*, ut ait Apostolus, *formam servi accipiens* (*Philipp. ii, 2*). In ea parte autem, qua Deus erat, merito appellandus erat *Zara*, id est *oriens*, hoc est unus atque idem Deus cum Patre, unus atque idem Deus in Patre sine fine permanens. Hoc modo beatissima haec cœli et terræ regina similitudinem *Thamar* in se expressit. Videamus etiam, si quid in *Rahab* fuerit, quod referri ad eus excellentiam possit.

Erat *Rahab*, ut Scriptura dicit (*Jos. ii*), meretrix in Jericho. Haec suscepit exploratores missos a Josue ad explorandam terram urbemque Jericho, celavitque eos ab his qui ad perdendum quærebant eos nuntiis regis, absconditos in solario domus suæ; acceptaque ab his securitate, ut tradita a Deo in manu eorum urbe Jericho, ipsa cum domo patris sui salvaretur, dimisit eos per funem de fenestra. Ob hanc igitur causam destrueta Jericho, ipsa salvata est et dominus patris sui, habitaveruntque in medio Israel.

Si *Rahab* meretrix fuit, imo quia fuit, quomodo illam præfiguravit, eui in innocence et castitate, et universa vita morumque honestate nullus mortaliū, præter solum illum, quem genuit, Dominum nostrum Jesum Christum assimilari potuit aut poterit? Dicimus salva gratia et pietate sua, quod satis convenienter per *Rahab* fuerit presignata. *Rahab* itaque interpretatur *latitudo*, quod nomen apte beatæ virginis Mariæ congruit, quia si appellari poterat *Thamar* propter amaritudinem, quam pro humani generis perditione habebat, poterit etiam nominari *Rahab* propter ineffabilem dilectionem, qua sanctissimum ejus cor erga Deum et proximum

ultra omnes homines dilatatum erat. Sed quam in ea parte, qua meretrix fuit, ad castissimam virginem Mariam *Rahab* convenientiam habere potuit? Prorsus nullam. Nam Spiritu sancto obumbrante eam et conservante, nunquam ei accedere potuit quod integerrimam castitatem cordis sive corporis in aliquo corruperit. Igitur non assimilamus eam *Rahab* in aliqua notabilis vita actione, sed in laudabili, quæ in quibusdam ejusdem *Rahab* actibus inveniri potest, significatione. *Meretrix* erat *Rahab*; et bene. *Meretrix* enim dieta est a *merendo*, eo quod mereatur pretium ab amatoribus suis proprio corpore suo. Amatores habuit *Rahab* sui similes, in justos homines et peccatores, quibus corpus suum prostituit; amatores habuit et Maria, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quibus virginei corporis sui integratatem consecravit, quibus virginem spiritus et animæ suæ castitatem omni tempore vitae suæ inviolabiliter conservavit. Igitur sicut apud amatores suos *Rahab* merebatur corruptione corporis sui pretium, quod sibi competit, sic beata virgo Maria ab amatoribus suis, Patre et Filio et Spiritu sancto incorruptione corporis sui pretium illud meruit, per quod venundatum sub peccato genus humanum ad vitam reparari debuit. Pretium illud nobilissimum erat Unigenitus Dei, quem sola fuit digna portare, et in hunc mundum generare; sanguinis enim illius pretio facta est humani generis salvatio.

Suscepit *Rahab* exploratores missos a Josue; suscepit et Maria exploratores missos a Deo Patre, quorum primus erat Gabriel archangelus. Qui bene explorator Dei altissimi diei poterat. Ad explorandam enim et despontandam eamdem beatissimam Virginem venerat. Sed quomodo suscepit eos? Suscepit eos fideliter universa credendo quæ dicebantur ei ab angelo. Suscepit etiam exploratores Dei, pastores videlicet, qui ad eam in ipso partu venerant, ut explorarent si verum esset quod super natum Salvatorem angelica multitudine attestante dicserant. Dicebant enim: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod Dominus ostendit nobis* (*Luc. ii, 15*). Nonne qui haec dicebant, exploratores jure dici poterant?

Suscepit et alios exploratores Dei, tres videlicet illos reges, qui ad investiganda, veneranda et adoranda nativitatis Christi mysteria stella duce venerunt ab Oriente. Omnes exploratores istos beata virgo Maria non solum suscepit, sed et in *solarium domus sue ascendere fecit*. Suscepit eos omnia verba eorum fideliter audiendo, abscondit eos in solario domus suæ, hoc est in superiori cordis sui diligenter omnia colligendo. Sic enim de illa dicit Evangelium: *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo* (*ibid., 19*). Sic erat *Thamar*, sic erat et *Rahab*.

Sed et in *Ruth* aliiquid invenire possumus, quod ad eamdem Dei Genitricem satis congrue referendum credimus. Erat *Ruth* in seipsa satis laudabilis, in genere suo erat notabilis. Erat enim de turpi et maledicta Moabitarum gente progenita. Haec relictis

parentibus et terra in qua nata erat, peregrinari elegit in terra non sua, et propter magnam, quæ in illa erat, vitæ morumque honestatem juncta est matrimonio euidam nobili Israeliticæ gentis homini, nomine Booz, genuitque ex eo filium nomine Obed, patrem patris David regis, ex cuius semine natus est Christus Filius Dei. *Ruth* interpretatur *festinans*. Et apte beate Dei Genitrici Mariæ nomen hoc congruere credimus, quæ semper *festinans*, hoc est fervens erat in sanctis et justis operibus. Erat Ruth ex turpi et maledicta gente progenita Moabitarum; erat et Maria ex populo illo edita, quem ignobilem et maledictum feeerant originalis peccati crimina. Reliquit Ruth patriam et parentes pro conservanda fide socrui sue, et peregrinata est in terra non sua; reliquit et Maria patriam et parentes suos, dum pro conservanda Deo Patri fide et castitate sua separavit se a communi vel conversatione sæculi. Reputabat se in hoc mundo exsulem et peregrinam, quia, despexit omnibus quæ præseus diligit mundus, ad solam et interminabilem festinabat cœlestis patriæ gloriam. Ex semine Ruth natus est rex David; ex virginæ carne Virginis Mariæ natus est verus noster David, vere *manu fortis* et *visu desiderabilis* Dominus noster Jesus Christus, per que nō totus salvatus est mundus.

Mulier quarta, *Bethsabee* videlicet, quam ablatam viro suo David sibi junxit matrimonio, genuitque ex ea regem Salomonem, nihilominus præfiguravit beatam Dei Genitricem, quia et eam, sicut dicere possumus, viro suo, Joseph videlicet, qui eam desponsaverat, Deus Pater quodammodo tulit, quia immaculatam conservavit. Sic, sic a viro suo se-juncta, omnipotenti Deo conjuncta ex Spiritu sancto concepit, et peperit illum verum Salomonem, verum pacificum Dominum nostrum Jesum Christum, qui per suum sanguinem pacem fecit inter Deum et hominem. Hoc enim et nomen illud *Bethsabee* significat. *Bethsabee* enim interpretatum *puteus satietatis* sonat.

Sic beata Dei Genitrix Maria quatuor mulierum istarum nomina in se mystice habuit. Erat enim, ut breviter comprehendamus, *Thamar* in cordis contritione, erat *Rahab* in vera Dei et proximi dilectione, erat *Ruth* in perfecta operatione, erat *Bethsabee* in plena Spiritus sancti perceptione.

Possumus etiam hæc omnia, quæ ad dominam nostram beatam virginem Mariam ipsa adjuvante retulimus, ex parte ad unum quemlibet salvandum hominem satis convenienter referre, qui primo sit *Thamar* amare peccata sua poenitendo, et pro concipienda a Deo virtutum sobole humiliter laborando, deinde sit *Rahab* Deum et proximum diligendo, et exploratores, id est prædicatores ejus et doctrinam eorum in superiori domus sue, hoc est in superiori cordis sui desideranter suscipiendo, libenter conservando; sit et *Ruth*, id est *festinans* et fervens in bene operando; sit *Bethsabee* mente contemplando. Dat Judas, per quem Deus omnipotens figuratur, primum homini duos filios suos, Her videlicet et Onan, per quos intelligere possumus corpus hominis et animam. Nec injuste. Hier enim interpre-

tatur *pelticeus*. Et hoc nomen apte referri potest ad corpus, quod ex carne et pelle constat. Onan vero interpretatur *mæror eorum*. Et hoc nomen recte ad animam respicit, que mœret et plangit peccata, quæ corpus committit.

Dubios filii istis morientibus, sicut heu! contingere solet, in peccatis, exspectat tandem *Thamar*, quod est homo poenitens, et accipere desiderat tertium filium, qui *Sela*, id est *umbra* dicitur, per quem remissio peccatorum satis congrue accipitur. Exspectat sane et optat remissionem peccatorum suorum. Sed dum considerat quod nullis suis meritis vel viribus consequi eam valeat, aestuat in se ipso et sollicitatur, ne moriente illo sine liberis, hoc est sine fructu bonorum operum, memoria illius de medio Israel, de medio *videntium Deum*, in futura vita auferatur.

Hæc dum sollicite secum agere incipit, audiens tandem quod Judas ascenderet in *Thamnas*, quod interpretatur *defectus*, ad tondendas oves, hoc est quod Deus omnipotens in defectum hujus sæculi venire dignatus est ad exonerandas animas a peccatis, quod propter hoc homo factus, universas infirmitatis nostræ miserias præter solum peccatum in se suscepit, ut morte sua veterem hominem nos exueret, et novum indueret, bene *Thamar* exemplo *mutato habitu venit et sedet in bivio*. Bivium hoc dicitur, ubi duæ viæ dividuntur. Nec incongrue in bivio spiritalem quamlibet conversationem intelligentam aestimo, quæ quasi duas vias dividit; unam, quæ ad mortem, alteram, quæ ad vitam ducit. Spiritales quique homines sedent quasi *in bivio*. Unam enim viam, quæ ducit ad infernum, prorsus despiciunt; viam alteram, quæ ducit ad regnum cœlorum, ante mortem attingere non possunt. *Mutat Thamar*, id est homo poenitens, *habitum*, quando relinquit peccata et sæculum; collocat se *in bivio*, quando in aliqua spirituali conversatione justorum hominum se conjungit consortio.

Sed veniente Juda, hoc est visitante cum supernæ pietatis gratia, susceptoque annulo ejus, armilla et baculo, hoc est fide, spe et charitate, jungit se Deo, ut diu desideratam virtutum sobolem concipiat ab eo. Imprægnata autem ejus misericordia tandem ad partum proficit, apparentque *gemini in utero ejus*, per quos cognitionem Dei et sui accipere possumus. *Vocabitur nomen unius Phares*, nomen alterius *Zara*. Nec incongrue per *Phares*, quod *divisus* dicitur, cognitio sui accipitur; per *Zara* autem, qui *oriens* interpretatur, cognitio Dei figuratur. Nam dum recte cognoscere incipit quot et quantis peccatis a Deo et a regno Dei seipsum divisorit, quam misericorditer divina eum pietas in tantis peccatis supportaverit, et a tantis malis liberaverit, per hanc Dei et sui cognitionem paulatim proficit ad dilectionem Dei, quæ semper *oriens* est; hic enim inchoatur, in futura vita plenius perficietur.

Ecce autem post tres menses accusata est *Thamar* quod fornicata esset. In his tribus mensibus tempus ante legem, tempus sub lege, tempus sub

gratia non inconvenienter accipere possumus. Post tres istos menses accusabitur Thamar, accusabitur, inquam, post transacta tria hæc tempora, hoc est post præsentis vite curricula, cum diabolus venerit, omnesque transgressiones ejus et peccata objicere illi cœperit. Sed quid tandem faciet anima illa in tantæ necessitatis articulo posita? A facie impie accusantis fugiet ad pietatem misericorditer salvantis. *De viro, inquit, cuius hæc sunt, concepi. Cognoscet cuius sit annulus, et armilla, et baculus (Gen. xxxviii, 25).* Cognosce, Judex clementissime, fidem, spem et charitatem tuam in me. Hæc tua munera, quæ mibi dedisti; hæc tibi, quantum te donante potui, conservata in testimonium salvationis meæ ad te retuli. Agnitis a Juda, id est a Deo Patre, muneribus istis, diabolus confundetur, anima in æternæ beatitudinis gaudia recipietur per eum, qui vivit et regnat per omnia sæculorum. Amen.

## XX.

## IN EAMDEM FESTIVITATEM QUINTA.

*Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra (Psal. lxxvii).*

Beatissima Dei Genitrix Maria, quia sola inter cunetas mulieres virgo benedicta, sola, inquam, ex omni humano genere digna esse meruit, ex cuius virginali corpore unigenitus Filius Dei perditio homini succurrere disponens homo fieri voluit, omnes, qui eamdem gratiam in Spiritu sancto prævidere meruerunt, eam utpote mediaticem ejusdem gratiæ non tacuerunt, sed dictis et scriptis dignitatis excellentiam multis in locis mystice præfiguraverunt et extulerunt. Ex quibus unus specialiter electus, scilicet propheta Domini David, prævidens in Spiritu sancto qualis eadem beata Virgo futura esset, longe antequam nasceretur, eam in quodam loco Psalmi septuagesimi septimi præsignavit dicens: *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.*

Quod dixit, *et ædificavit*, in hoc personam et opus Dei Patris, quod mirabiliter et ineffabiliter in eadem beata Virgine operatus est, satis convenienter expressit. Ipsi enim fuit *terra illa*, terra nobilis et benedicta, in qua vere Deus Pater *sanctificium suum ædificavit*. *Sanctificium* illud erat spiritus et anima illius, quam ab ipso nativitatis ejus primordio mirabili virtutum structura, inæstimabilis castitatis et munditiae sanctimonia in locum habitationis suæ Deus Pater mirabiliter composuit, decenter ornavit et sanctificavit.

Sed quomodo *ædificavit* illud? *Sicut unicornium*, hoc est, singularis gloria dignitatis ornatum, quia sicut sola sine exemplo singularis fuit in novo et inaudito quo Deo se consecravit castitatis voto, sic singularem dignitatem habet in presenti sæculo et in futuro. Singularem quidem dignitatem accepérat, quia post Deum talis homo non erat, neque futurus erit, scilicet, ut et virgo et mater, et non modo in auctoritate hominis, sed mater Dei et hominis fieret, ut virgo filium procrearet, materque virgo permaneret. Sic utique sano fidei intellectu intelligere possumus quod dixit: *Et ædificavit sicut unicornium*

*sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.*

Jam vero videamus quomodo terram illam, beatam scilicet Mariam, *fundaverit in sæcula*. Fundamentum nominari solet, quod surgentem in altum ædifici molem firmat et sustentat. Hoc utique aptissime convenit excellentiæ ejusdem dominæ nostræ. Ipsa enim est fundamentum hoc quod Deus Pater fundavit, cui domum sanctæ sua Ecclesiæ mirabiliter superædificavit. Ipsa est fundamentum fidei nostræ. Ex ea enim initium credendi sumimus, quia Matrem eam Creatoris et Redemptoris nostri Jesu Christi confitemur et credimus. Quam sic Deus Pater *fundavit in sæcula*, ut sine hoc fundamento, sine sacramento fidei illius, quæ in ea et in eo est, quem genuit, Salvatorem nostro, nullus salvare potuerit vel possit. Postquam prædictus Domini Propheta tanto laudis præconio matrem Virginem prophetando extulit, de eo quem paritura erat, in salutem generis humani subjunxit, et ait :

*Et elegit David servum suum.* David iste signum Domini nostri Jesu Christi præferebat, qui secundum assumptam humanitatis formam congrue appellatur *servus Dei Patris*, cui tanta fide et veritate nunquam homo servivit, quia quod paternitatis ejus oculos offenderet nec minima quidem cogitatione unquam admisit. Quomodo autem elegerit eum, manifestat in sequentibus, cum dicit :

*Et sustulit eum de gregibus ovium.* Greges ovium multitudo erat omnium qui Christum præcesserant electorum. *De illis gregibus ovium sustulit eum*, quia super illos extulit eum ut inter omnes homines solus ille esset, cui nulla, originalis sive actualis, macula criminis accedere posset. Sed unde eum elegerit, hoc est, de quorum progenie nasciturum eum præordinaverit, consequenter exprimitur :

*De post fetantes accepit eum.* Per fetantes sanctos patriarchas intelligere possumus, qui vel ideo, quod semen verbi Dei habebant, vel quod ex semine suo Christum nasciturum in promissione acceperant, convenienter *fetantes* dici poterant. Et quia *post fetantes*, id est patriarchas, prophetae exstiterunt, ex quorum progenie natus est Christus, recte dicitur, *de post fetantes accepit eum*, hoc est de semine sanctorum prophetarum, qui *post fetantes* erant, constituit eum nasciturum. Post tempora eum patriarcharum et prophetarum venit Christus in mundum. Et quare *de post fetantes accepit eum*?

*Pascere Jacob servum suum, et Israel hereditatem suam.* Jacob signum gerit omnium qui supplantantes in semetipsis vitia et peccata, constanter Deo serviunt in activa vita. Per *Israel* vero, qui interpretatur *vir videns Deum*, congrue illi significantur, qui in contemplativa vita positi, in interna cordis dulcedine assidue Deum contemplantur. Et recte loquens in propheta Dominus, *Jacob servum suum, Israel* vero *hereditatem suam appellavit*, quia licet misericordia sua *pascat* omnes fideliter propter Deum in activa vita laborantes, tamen speciali quadam dulcedine familiarius illos *pascit* quos in contemplativa vita sibi soli vacare conspiciunt. *Hæreditas*

enim ipsius sunt, ipsique nihilominus hæreditatem ejus familiarius quandoque cum ipso possidebunt.

*Et parit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Videretur nobis rectius sonare, si intellectum ad cor et innocentiam ad manus posuisset. Sed juxta mysterium sensus

spiritualis rationabiliter positum est, quos pietatis sue gratia in *innocentia cordis* servaverit, illos etiam ad *intellectum manuum suarum* perducit, ut intelligibiliter et prudenter omnia opera sua faciant, et nihil in his, nisi honorem Dei et salutem animarum suarum requirant.

### HUGO A SANCTO VICTORE.

#### I. — DE B. MARIAE VIRGINITATE LIBELLUS EPISTOLARIS.

##### PROLOGUS.

Sancto pontifici G. Hugo beatitudinis tuae servus. Narrasti mihi de beatae Mariae virginitate quæstionem Paternitatii tuae a quodam factam fuisse, in qua quidem ejusdem irreverentia admodum displicuit, eo quod non ut oportuit ita pudice de resacrosancta locutus sit. Ego igitur (sicut placitum fuerat, que super hoc dicenda videbantur) stylo signans legenda transmitto. Vale.

**CAP. I.** *Quod Maria in consensu conjugali virginitatis propositum non mutavit.*

De incorrupta virginitate matris Domini hoc fides pie et pietas fideliter confitetur, quod ejus perfectionem nullo modo imminuit conjugalis consensus quemadmodum castitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eademi virgo perpetua, et cum despontaretur viro, non tamen deseruit aut mutavit propositum continentiae; et cum fecundaretur (non a viro) concepit sine libidine; et cum filium ederet peperit sine dolore. Quid dicas nunc inquisitor contentiose et non pie auditor? Miraris an diffidis? Si miraris miranda, mirandus non es; si nou credis credenda, tolerandus non es; si falsa conaris asserere audiendus non es; si vera niteris oppugnare, convincendus es: denique si manifesta negas, confutandus es. Fateor, æquo animo ferre non possum temerariam præsumptionem tuam, quod tam impudica et nugaci loquacitate temerare sinceram et intactam maculare conaris. Stulte istis tenebris tuis in matrem luminis impiegisti. Quid enim sibi voluerunt exsufflanda illa argumenta tua, quæ tu cum longa ac diutina ruminacione texassis quasi novum et magnum aliquod inventum prolatus (sicut tibi consuetudinis est), circuire cœpisti aures pruriientes quærens; amplius quidem te doctis insipientem quam insipientibus doctum demonstrans. Quid enim? Doctor esse voluisti? Novitatis relator, an assertor veritatis? Sed esto. Inveneras quod doceres. Cur tibi visum est infamare castitatem, et oppugnare veritatem? Sed forte (quod et ego magis suspicor) nihil contra veritatem moliebaris, sed solita et tibi inolita levitate auras popularis famæ captans, acumen ingenii tui probare putasti, si prius rem (quasi quæstionis ambage) apud alios involveres, ut in ejus solutione postmodum tu doctor appareres. At nunc res tibi in contrarium versa est. In quæstione enim tua temerarius probatus es, sed in solutione non es doctus inventus. Videamus tamen quæ sit magna illa et gravis quæstio soli (ut putas) tibi non insolubilis.

Et quidem etiam, si gravis foret tanto verius multis plurquam tibi, quanto stultius tu præsumis tibi soli. Videamus tamen quæ sit. Primum quæris utrum sine consensu coitus conjugium fieri possit; hoc est, an illi matrimonium invicem contrahere possint, qui sibi non consentiunt in reddendo debito carnis. Movit ergo fortassis te quod dictum audieras: matrimonium non facit coitus, sed consensus. Et merito movisset si quidem quod dictum non audieras, sed intelligendum putaveras, consensus coitus, additum fuisse. Quæris ergo utrum sine consensu coitus conjugium esse possit. Post hæc his qui tibi respondent sine ejusmodi consensu verum conjugium non esse, tuam (ut audio) videris existimationem adjungere; propterea fortassis quia tibi de reliquo necessitatem tacendi imponeret, qui hoc quærenti aliud responderet. Deinde hoc concessio et statuto, scilicet quod sine talis consensus pactione conjugium stare non possit; persequeris et interrogas, utrum, verum fuit conjugium inter Mariam matrem Domini et Joseph, quem Scriptura virum Mariæ appellasse aliquoties invenietur, ipsamque Mariam uxorem sive conjugem ejusdem Joseph indubitanter nominasse. Quo concessio, quia et hoc negare absurdum est, cum id et sacre Scripturæ manifesta auctoritate probetur, et catholica hoc religio sua attestatione confirmet, iufers et dicas: Si verum fuit conjugium, ergo carnalis commissionis consensus ibi fuit, et invenitur Maria ad coitum carnis viro assensum præbuisse. Quod si verum est, imo quia si hoc verum non est, verum conjugium dici non potest, cur ipsa Maria vera semper virgo permanisse dicitur, quæ aliquando vera conjux fuisse non negatur? Aut enim non consensit, et vera conjux non fuit, aut consensit, et vera virgo non permanit. In eo ipso namque propositum virginitatis deseruit, quod se per consensum debito carnalis commercii in conjugali sacramento sponte subjicit. Ac per hoc quod virginitatis propositum in consensu copulæ carnalis deseruit, jam mente virgo esse desiit, etiam si carne virgo permanit. Quæ est igitur hæc Virgo virginum, singularis integritate, unica castitate, excellens dignitate? Quæ sunt ista præconia et assidue laudationes, imo potius quæ sunt quotidianaæ istæ adulatio[n]es quibus singulariter laudabilem et excellenter super omnes gloriosam Marie virginitatem prædicamus, quæ non solum omnibus virginibus præferranda non est, sed multis etiam postponenda; quæ et carne virgines probatæ sunt, et virginitatis propositum usque in finem mente casta atque devota

inviolatum tenuerunt? Comparetur nunc virginitas Agnetis et Mariæ et quæ fuerit in merito probata sublimior, digne etiam in laudibus excelsior teneatur. Illa se in custodia virginitatis tam invictam exhibuit, ut eam a proposito suo nec ipsa mors illata dejiceret. Haec se tam mobilem demonstravit, ut unius eam viri et pauperis affectus ad consensum sui inclinaret. Illa instantum virginitatem dilexit, ut quidquid in ejus comparatione pretiosum promitterebatur, contempnendum crederet; quidquid pro ejus defensione durum inferebatur, non timendum judicaret; haec virginitatem tam facile despexit, ut eam et sine præmio promisso desereret, et sine pœna illata abdicaret. Quid igitur restat nisi ut dicamus inferiorem habere graduum in merito ac laude virginitatis illam quæ a proposito conservandæ virginitatis sponte cecidit, etiam si carne virgo permansit; superiorem vero illam quæ cum carnis integritate propositum virginitatis usque in finem inviolatum custodivit! Hoc igitur est quod magna et laboriosa serutatione invenisse te gloriaris; et cum tu mentem simul et carnem corruptam habeas, mentem intermitte (cujus carnem non potes) falso criminari non pertimescis. Satius multo aut primum dixisses veritatem si eam non ignorasti, aut si hoc non poteras, saltem tacuisses pravitatem, qua dicta simplicium auditum violasti. Sed quid ages si eos quos falsa opinione depravasti veritas manifesta ita a periculo erroris liberet, ut tamen te a culpa teneritatis non einundes?

Videamus igitur nunc utrum mater Domini et vera conjux esse potuit, et vera virgo permanere. Discutiamus (ut postulas) quid sit conjugium; et ex ejus definitione proposita consideremus si simul esse potuerunt in virgine matre et consensus conjugalis, et propositum virginitatis. Quid enim est conjugium nisi legitima societas inter virum et feminam; in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri? Debitum autem hoc duobus modis consideratur, ut scilicet et se illi conservet, et se illi non neget. Conservet videlicet ne post talenm consensum ad alienam societatem transeat. Non neget ut ab ea quæ ad invicem est communi societate se non disjungat. Spontaneus ergo consensus inter virum ac feminam legitime factus, quod uterque alteri debitorem sui se spondet; iste est qui conjugium facit. Et conjugium est ipsa societas tali consensu fœderata quæ altero vivente alterum a debito non absolvit. Est adhuc alias consensus, scilicet carnalis commercii ad invicem exigendi atque reddendi, similem inter virum et mulierem pactionem constituens: comes et non effector conjugii, officium et non vinculum, qui et ipse tamen cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Quod debitum in hoc quoque consensu dupliciter (sicut in priori commemoravi) exhibendum est, ut videlicet uterque se alteri conservet, et neuter alteri se neget. Hoc est ut sui corporis potestatem ad hoc opus nec aliis præbeat, nec illi contradicat. De illo debito quo se et vir mu-

lieri et mulier viro debet conservare, ait Apostolus: Quæ sub viro est mulier, vivente viro, *alligata est legi. Si autem fuerit mortuus vir ejus, liberata est a lege viri* (*I Cor. vii*). Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. De illo autem debito quo se et vir mulieri, et mulier viro debet non negare, idem dicit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*ibid.*). Sed hujus debiti necessitas illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur vel sanciretur, hujus operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante, veritatem sive virtutem conjugii cessare credendum est, imo potius tanto verius et sanctius conjugium esse, quod in solo charitatis vinculo, et non in concupiscentia carnis et libidinis ardore fœderatum est. Quid enim? In concupiscentia carnis conjugium sanctum esset, et in charitate non esset? Absit! Sed multo verius et justius ibi sanctum et verum dicitur, ubi nihil habet castitas unde erubescat, sed charitas unde glorietur. Quomodo ergo conjugati ad invicem debitores sui efficiuntur? Ad quid deinceps se sibi conservare debent; aut in quo non negare, si haec de medio causa tollatur? Non videtur hoc excepto quare aut vir mulieri, aut mulier viro sociari debeat. Aut quare societati pariter tali ad invicem debito quale conjugium habere noscitur, dicantur alligati. Hoc tibi fortasse videbitur carni, et carnem solam consideranti. Nihil ergo aliud in conjugio invenire potuisti ut conjugalem societatem ob id solummodo sancitam et in eo sanctam esse confirmes? Nonne multo magis est si duo siant unum mente, quam si carne unum fierent? Si participem facit alter alterum carnis suæ, et sanctum esse potest; principem facit alter alterum animæ suæ, et sanctum non est? Absit! Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia (*Ephes. v*). Erunt duo in corde uno: sacramentum hoc majus est in Deo et anima. Ecce quo pacto se voluntariae sponsioni astringunt, ut adhinc et deinceps semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis, et fide devotionis, hoc uterque sit alteri quod ipse sibi, ut quisque alterum quasi unum secum factum attendat, tam in bonis quam in malis omnibus, sicut consolationis socium ac partem, ita et tribulationis et sufferentiae indivisum exhiheat. Postremo quantum foris ad necessitatem corporis attinet, quasi propriam carnem fovendam excipiat, quantum vero spectat ad amorem cordis intrinsecus, quasi animum suum in pace et tranquillitate (quantum in se est) sine perturbatione custodiat. Sic enim sit in sanctæ societatis pace et communicatione quiescentibus, ut duin uterque non sibi vivit sed alteri, felicius atque beatus uterque vivat sibi. Haec sunt bona conjugii et felicitas castam societatem amantium, quæ bona videre non possunt ii qui in con-

jugio nil præter male dulcem carnis voluptatem exquirunt. Ecce vides (excepto carnis commercio) qualia tamen et quanta bona conjugio relinquuntur; imo potius (excepto carnis commercio) qualia et quanta mala, hoc est, qualis servitus et quantus dolor a conjugio excludantur.

Sed dicas mihi iterum: Primam et principalem causam conjugii fuisse propagationem filiorum, quæ quod sine carnis commissione futura non erat, ex hoc manifeste ostenditur, quod in principio Deus cum hominem de limo terræ plasmasset, postea ei mulierem in adjutorium fecisse prohibetur. Non in aliud profecto adjutorium quam ut ipsa mulier ad futuræ sobolis propagationem viro fieret seminandi cooperatrix, seminis conceptrix, formandi locus, et edendi genitrix. Non igitur ad aliud mulier viro est sociata, quam ut per eam et cum ea semen suum in posteritatis originem vir ipse coitu carnali transfundens, substantiam carnis ministraret nascituris ex carne. Nam id ipsum ex eo quoque comprobatur quod Deus postquam mulierem viro sociaverat, ejusdem societatis causam declarare volens, utrosque suæ benedictionis gratia quodammodo prius ipse ad generandi potentiam secundans, *Crescite, ait, et multiplicamini et replete terram* (*Gen. 1*); simul dans et mandatum, ut scirent id propter quod juncti fuerant; et gratiam, ut implerent id de quo præceptum acceperant. Ex eo igitur officio quod conjunctis et sociatis ambobus ex præcepto auctoris sui injungitur, plane et indubitanter societatis ipsius causa demonstratur; quia omnino absurdum erat, ut cum formam vivendi et ministerium agendi societatis prescriberet, non id præcipue propter quod eos sociari voluerat, de reliquo exsequendum mandaret. Hinc est quod ipse Adam ad quem usum mulier facta erat agnoscebas: *Hoc, inquit, os ex ossibus meis, et caro de carne mea est.* Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Gen. 11*). Ecce commissio carnis in matrimonio primorum parentum, tam manifeste et ipsis exsequenda indicitur et ab ipsis futura prophetatur, ut qui sine illa conjugium verum esse dixerit et præcipienti Deo et homini consentienti Deo, contrarius esse non dubitetur. Et taliter fortassis supradictæ assertioni nostræ tibi opponendum videbatur.

Hoc igitur totum quod apportas quod Deus primo homini mulierem in adjutorium fecisse legitur; et quia sociata muliere cum viro utrisque ut crescerent et multiplicarentur, terraque replerent præcepisse memoratur; postremo quia a viro inter virum et mulierem carnis commissio futura prophetatur, idcirco nullatenus verum conjugium esse possit ubi quidem consensus carnis commissionis non fuerit. Si quidem tibi videtur. Primum itaque nunc conveniat inter nos ut mihi respondeas an aut propter hoc, duo in carne una sociati sunt; et de carne una facti sunt, quod in carne una sociandi fuerunt. Sic enim dicitur: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro*

de carne mea; propter hoc derelinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Quid est propter hoc? An propter hoc in carne una, quia de carne una? Sed non dixit erunt duo in carne una propter hoc; nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; sed: *Hoc, inquit, os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ et erunt duo in carne una. Tria dicit: Relinquet homo patrem suum et matrem suam; et adhæredit uxori suæ: et erunt duo in carne una. Quid est propter hoc? Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam; propter hoc adhæredit uxori suæ; propter hoc erunt duo in carne una. Propter hoc: propter quid? Propter hoc quia hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Ergo propter hoc in carne una, quia de carne una; non propter hoc de carne una, quia in carne una. Propter hoc erunt duo in carne una. Illoc nunc os ex ossibus incis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Consideremus singula quæ dicta sunt ne forte contra te dixeris quod pro te dicendum putasti. Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Fortassis idem dicere voluit adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una, ut hoc ipsum sit uxori adhærente, quod duos esse in carne una; tanquam si hoc solum dictum sit, relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et ipsa adhæsio non aliud quam commissio carnis intelligatur. Discutiamus si hoc stare possit. Relinquet, ait, homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ. Illos relinquet et huic adhæredit. Igitur ab illis discedit, ad istam accedit. Quod illis subtrahit, huic impendit. Quid est hoc? Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ. Igitur in eo patrem et matrem relinquit, ut uxori adhæreat; in quo uxori adhærente non potest, si patrem et matrem non relinquat. Relinquet homo patrem suum et matrem suam. In quo relinquit? Nunquid relinquet in cohabitatione an in dilectione? et si sic oportet dici, nunquid relinquet in commissione? si relinquet homo in cohabitatione patrem et matrem, et adhæredit uxori suæ; nunquid igitur in domo patris sui uxorem habere non potest? Aut nunquid uxorem diligere non potest, nisi patrem et matrem odio habuerit? Nam illud tertium quod propositum est nec oportet repeti, nec decet nominari. Tamen his modis adhæredit homo uxori suæ; hoc est secundum cohabitationem, secundum dilectionem, secundum carnalem commissione. Sed potest homo patri et matri sin. al. et uxori cohabitare; potest patrem et matrem simul et uxorem diligere, ergo nec secundum cohabitationem, nec secundum dilectionem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, quanto magis quæ

neque fuit neque esse potuit, secundum carnalem commitionem non relinquethomo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ? Secundum quid ergo relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, nisi secundum illam singularem societatem in qua semetipsum debet alteri? in qua homo affectum patris et matris non quidem deponit, ut affectum uxoris solum eligit; sed postponit affectum patris et matris, ut affectum uxoris illi præferat; ut eum non solum sed singularem haberet? Non igitur de commitione carnis, sed de affectu cordis et vinculo socialis dilectionis dictum est: adhæredit uxori suæ. Ut per hoc quod dicitur: adhæredit uxori suæ, sacramentum conjugii quod in spiritu est intelligas. Per id vero quod subditur: et erunt duo in carne una, officium conjugii quod in carne est non pactum fœderis conjugalis agnoscas. Relinquit ergo homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Ecce hic est conjugium, adhæredit uxori suæ; et hic est conjugii officium, erunt duo in carne una. Quare ergo relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ? Magna res. Præfert principio finem. Pater et mater principium est, unde venit; uxor finis est, ubi dilectio requiescit. Ibi dilectionem operata est sola conditio; hic electionem sine conditione facit sola dilectio. Diligit itaque homo patrem suum et matrem suam, et de ipsis semel vitam accepit; sed plus uxorem suam diligit; quia cum ipsa semper vivere elegit divinum prorsus sacramentum et profundum mysterium, pulchrumque et admirandum humanæ conditionis exemplum. Habet principium nostrum unde accepimus ut sumus; habemus et finem nostrum sine quo beati esse non possumus. Ab illo per conditionem naturæ ad esse venimus; in illo per electionem gratiæ beatum esse accipimus. Ab illo esse habent omnia quæ sunt; sed in illo non omnes leatum esse accipiunt. Minus igitur est, et minus diligendum est ab illo esse. Multo autem amplius est, et amplius diligendum est in illo beatum esse; utrumque tamen magnum et dilectione dignum est, et ab illo esse, et in illo beatum esse. Aliter ergo Deusest illorum, qui ab eo solummodo ut essent acceperunt; aliter vero illorum qui ut non solum ab eo essent, sed utin eo beati essent eum in præmium acceperunt. Illi quod ipsi sunt ab eo acceperunt; isti ut beate sint quod ipsi sunt, quod ipse est, ab eo accipiunt. Minus ergo diligendum est quod sumus et amplius quod beati sumus, quia in illo tantum est hoc quod nos sumus; in isto vero cum eo quod nos sumus id etiam quod ipse est a quo accepimus quod sumus. Relinquit homo patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, ut vetera novis supervenientibus postponens, a principio per dilectionem veniat, et in fine per dilectionem requiescat. Vides nunc quale et quantum sacramentum præfert amor conjugalis, ut in hoc discat anima rationalis sui finis consortium sine fine eligere, et individuo illo amoris

nexus et singularis dilectionis parilitate adhædere. Hæc fuit principalis causa conjugii, propter quod Deus instituit, ut relieto patre suo et matre sua, eligeret uxori suæ unice et singulariter individua semper dilectione sociari. Huic autem societati ad comodum futuri generis multiplicandi, certi et rationabilis sacramenti causa officium postea generandi injunxit; non quidem ut in eo conjugium consisteret, sed ut ex eo conjugium et per obedientiam ministerii in merito cresceret, et per fecunditatem prolis fructuosius appareret. Recite ergo dicitur: Relinquet homo patrem et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una, ut in eo quod adhæret uxori suæ sacramentum sit invisibilis societatis, quæ in spiritu facienda est inter Deum et animam; in eo autem quod duo sunt in carne una, sacramentum sit invisibilis participationis quæ in carne facta est inter Christum et Ecclesiam. Magnum igitur sacramentum, Erunt duo in carne una, in Christo et Ecclesia; sed maius sacramentum, Erunt duo in corde uno, in dilectione una, in Deo et anima.

Non satis fortassis ibi factum est ut ostenderetur quod conjugium non fuerat unio carnis, sed cordis, ne excellere putet ministerium officii super sanctitatem sacramenti. Instas ut consensus carnis sanctitas sit conjugalis, nec præter pactum coitus, vinculum matrimonii ratum esse concedis, quia manifeste dixit: Erunt duo in carne una; et non manifeste dixit: Erunt duo in spiritu uno. Prius manifeste dictum, in carne una, postea manifeste dictum, in spiritu uno, quia: *Quod carnale est, prius est, deinde quod spirituale est* (*I Cor. xv*). Per patrem carnalem prius dictum in carne una; per doctorem spirituali postea dictum in spiritu uno. Per prophetam Deus loquitur dicens: *Non accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti. Et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Et quid unus querit nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum et uxorem adolescentie tuæ noli despicer. Cum odio habueris eam; dimitte, dicit Dominus Deus Israel* (*Malach. ii*). Illic ergo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; hic dictum est: Hæc particeps tua et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? Ibi pars carnis dicitur, hic portio spiritus nominatur; ibi dictum est: Crescite et multiplicamini, et replete terram. Hic dictum est: Et quid unus querit nisi semen Dei? Ille igitur hic semen Dei in spiritu requirit, qui ibi semen carnis in carne multiplicandum imperavit. Ibi dictum est: Erunt duo in carne una. Hic dictum: *Cum odio habueris eam, dimitte, ut eadem carnis commissio, quæ ibi inter virum et mulierem futura prædictur, hic fœdere dilectionis (quæ est in spiritu) nihil prodesse demonstretur. Hoc est enim. Cum odio habueris eam, dimitte; non imperantis dissidium, sed*

doceatis, quod sine dilectionis fœdere cassa sit, et virtute carens, etiamsi permaneat societas carnis. Non ergo virtus sacramenti conjugalis in carne est, sed in mente, nec ille consensus ad sanctitatem perficiendam requiritur, qui et ante peccatum conjugatis indicebatur ad officium. Post peccatum vero eo usque descendit, ut jam nunc concedatur ad medium. Nequaquam ergo ex eo pensandum est conjugii sacramentum, in quo tunc sanctificaretur, sed exerceretur conjugalis castitas; et nunc sanctificaretur conjugium, sed excipitur conjugatorum insírmitas. Preterea olim, quando fides erat in populo uno, et tempus ad multiplicandum numerum fidelium opera officii conjugalis indiguit, carnale commercium ab uno in pluribus exercebatur, et in unici amoris singulare sacramentum non kedebat. Nunc vero quando populus Dei spirituali potius generatione multiplicandus est ad commendandam singularis sacramenti unitatem, quod est in spiritu, non nisi una uni in carne una fœderatur. Tunc propter necessitatē licentia carnis foris in opere laxabatur; et tamen sanctitas intus in virtute sacramenti integra servabatur; nunc propter perfectionem etiam opera carnis foris ad unitatem strinğıtur; et in eo tamen unitas singularis sacramenti non efficitur, sed commendatur. Haec dieta sunt pro eo quod propositum erat demonstrare, quod sine consensu carnali commercii conjugium sanctum et verum esse possit; neque in assensu coitus carnis, sanctitas sacramenti conjugalis consistat.

Post hæc nunc superest, ut de matre virgine sermonem in medium proponamus et inquiramus qua ratione vel auctoritate probari possit, ipsam et veram fuisse conjungem, et in assensu tamen conjugalis virginitatis propositum non mutasse: *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria* (*Luc. 1*). Ergo desponsata jam erat Maria, quando ad illam missus est angelus Gabriel a Deo. Videamus quod sequitur: *Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres. Quæcum andisset, turbata est in sermone ejus; et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Et ait angelus ad eam: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, etc.* Et ait Maria: *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* (*Ibid.*) Hoc est quod quærebamus verbum virginis, in quo ipsa confutaret æmulos suæ virginitatis. Sumamus igitur de ipsa testimonium per ipsam. Quomodo igitur fiet istud? Hoc est, ut filium pariam, quomodo fiet, quia virum non cognosco? Non ait, virum non cognovi. Hoc enim nihil impediret virginem desponsatam, et virum cognitaram filiumque paritram, sed virginem non permanuram. Non ergo ait hæc, virum non cognovi; quia hoc nec præteritæ fuisset virginitatis miraculum, nec futuri partus impedimentum, si virum adhuc non cognoverit, et virum ut non cognosceret dein-

ceps non proposnerat. Non utique dixit: Virum non cognovi, sed Virum non cognosco. Quomodo, inquit, fiet istud? virum non cognosco, et dico filium paritram; quomodo ergo fiet istud, ut filium pariam, et virum non cognoscam: Quia virum non cognosco. Quid est, Virum non cognosco? Propositum habeo virum non cognoscere; propositum habeo virginitatis decus usque in finem inviolatum conservare. Quomodo si dixerit quis: Vinum non bibo, non possum hunc calicem gustare; hoc est quia in voto habeo vinum non bibere, non possum gustare calicem istum. Et sicut dictum est: Nazaræi comam non incident (*Deut. xxxiii; Judith. xiii, xvi*), hoc est, volunt habent comam non incidendi; sic dictum est: Virum non cognosco. Quomodo itaque fiet istud, quoniam virum non cognosco?

*Et ait angelus ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1*). Noli, inquit, propter propositum virginitatis de promissione prolis diffidere. Spiritus sanctus superveniet in te. Concipies filium non e viro, sed de Spiritu sancto. Promissio quidem mea implebitur; sed tamen propositum tuum non violabitur. Tu vovisti virum te non cognitaram; et ego prædicto filium te paritram; et idcirco miraris, ne forte vel promissio cassa sit permanente proposito, vel propositum violetur, si impleatur promissio. Non enim possibilitas nature hic sufficit, aut ratio humana id comprehendit, ut pariat virgo, intacta filium generet, et sine opera carnis caro procedat ex carne. Idcirco miraris quomodo fiet istud, quia virum non cognoscis. Nam interim, quantum in te est, nihil inventire potes, cur de tua perseverantia debeas dubitare; et ob hoc quæraris, quomodo de mea possis promissione confidere. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Noli propter propositum de promissione diffidere, quia Spiritus sanctus superveniet in te. Noli propter promissionem de proposito formidare, quia virtus Altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus superveniet in te, ne per coitum corrumptatur integritas. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ne per libidinem polluatur castitas tua. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ministrabis substantiam, et non senties concupiscentiam. Non suscipes semen ex viro, et secunda fructum ventris germinabis in filio. Noli ergo dicere: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco; quia hoc per virum non fiet, sed per Spiritum sanctum, Spiritus enim sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce jam habemus Mariam desponsatam virginem, et adhuc tamen in virginitatis proposito permanentem. Veraciter desponsatam virginem, nec minus veraciter in virginitatis proposito permanentem: quid amplius quæraris? An adhuc desponsationis nomen aliquid tibi ambiguitatis relinquit? Audieras enim ad desponsatam virginem missum fuisse angelum; sed ad conjugatam non audieras. Forsan

ergo dicas, desponsata erat jam tunc Maria Josephi; sed adhuc conjux non erat, quia needum eam in suam acceperat. Nam si eam extunc in suam acceperat, cur ei postea dictum est: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam?* (Matth. 1.) Nondum ergo conjux erat, quando ad eam missus est angelus, sed tantum desponsata erat; et idcirco fieri potuit, ut non mutaverit propositum virginitatis, quando desponsata est, et mutaverit, quando conjux facta est. Hoc fortassis adhuc pro parte tua oppones. Sed absit a nobis, ut credamus eam, postquam se coelesti partu secundandam audierat, ulla-tenus ad carnale commercium assensum præbuisse, quæ et priusquam divini arcanum sacramenti (quod in se complendum erat) didicisset, votum virginitatis conservandæ tam inviolatum tenuit, ut cum se futuram conjugem sponderet, illud tamen eadem nihil minus qua cœperat, devotione, eadem perseverantia in finem usque custodiendum proponeret. Desponsata ergo erat, et conjux erat, et vera virgo erat, et virginitatis propositum non reliquerat. Consemur itaque virginem despontatam; consemur virginem conjugem factam; postea matrem quoque et virginem semper virginitatis propositum inviolatum tenuisse et castitatis decus perpetuum regnasse cum pudicitia conjugis et honore parentis. Intuere nunc, et diligenter considera virginem istam, virgunculam nostram singulariter castam, excellenter speciosam, unice mundam. Sed ego novi oculum tuum, quia lippus est, et quanto diligentius intenditur, tanto iniquius contemplatur. Lex, inquit, dixit: « Maledicta sit sterilis, quæ non parit; et quæ non relinquit semen in Israel (Deut. vii, 14; Exod. xxiii, 26). » Sed hæc peperit et sterilis non fuit, quæ semen benedictionis reliquit in Israel, in quo secundum reprobationem omnes gentes benedicuntur cum Israel, omnes qui benedicentur in Domino Deo Israel. Verumtamen in Sapientia audivimus felicem sterilem et incoquinatam, quæ non novit torum in delicto, quoniam fructum habebit in respectu animarum sanctorum (Sap. iii). Rursum in propheta Dominus continentia merces, quanta apud ipsum reposita sit, ostendit, dicens: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hoc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint sœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filii et a filiabus nomen sempiternum quod non peribit* (Isa. Lvi). Quis est ergo iste in continentia sterilitatem maledicens, continentiae puritatem non videns, et fructum non intelligens? At tamen audiamus, quod paret.

Maria, ait, maledictionem non effugit, quæ per virginitatis propositum sterilitatem incurrit. Amplius autem. Quare nubere voluit, postquam continentiam voverat? Duo sunt. Aut propter maledictionem sterilitatis virginitatem non proponeret; aut propter votum castitatis virgo permansura non nuberet. Nuic vero si iniquum jure dicitur maledictionem

potius quam benedictionem eligere: quale dicendum est votum fecisse integratatis et nubere? Libenter accipio, quod ex tua pervicacia laus virginis cumulatur. Sic vult manifestari veritas, sic vult confutari iniquitas. Videamus ergo, quale sit, in quo notandum putas virginem. Scilicet, ais, quia in proposito virginitatis, maledictione sterilitatis incurrit. Quanta ergo est maledictio sterilitatis? Tanta utique, quanta et benedictio secunditatis. Et ipsa itaque benedictio secunditatis quanta est? Primos illos nostri generis parentes, cum benediceret Deus, ait: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Ergo benedictionem secunditatis dedit illis: Multum ergo dedit illis, quando benedictionem secunditatis dedit illis, quando dixit: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Nonne et avibus cœli hoc dixit, et bestiis atque jumentis terræ hoc dixit: *Crescite et multiplicamini, et replete terram?* Peracta namque quinta nascentis sæculi die, cum produxisset ab aquis Deus pisces et volatilium genus, subjunxit Scriptura et dixit: *Videns Deus quod esset bonus, ait: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram* (Gen. 1). Rursum cum educeret Noe de arca eum omnibus animalibus terre in genere suo in universos suæ benedictionis munus diffundens iterum ait: *Crescite et multiplicamini* (Gen. viii) et replete terram. Secundum illam utique misericordiam, qua salvat homines et jumenta (Psal. xxxv); aperit manum suam et implet omne animal benedictione (Psal. cxlv). Igitur benedictio secunditatis non solum hominibus, sed jumentis data est. Quid ergo mali fecit Maria? Maledictionem, inquit, sterilitatis elegit potius quam benedictionem secunditatis. Intendite æquitatem. Judex noster virginem damnat, eo quod spreverit benedictionem jumentorum; et virginitatem eligens, benedictionem acceperit angelorum. *Inflammatum est*, inquit Psalmista, *cor meum, et renes mei commutati sunt; et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam; et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (Psal. lxxii.) Igitur Propheta, invento eo quod sibi in cœlo repositum est, quidquid in terra hactenus diligebat in ejus comparatione libenter despicit; et superna jam spirituali amore ambiens tam diu se per delectationem carnalem jumentum fuisse erubescit. Inflammatum est enim, ait, cor meum, et renes mei commutati sunt. Hoc est, per carnis semen in terra multiplicari cur appetam, cum mihi in cœlo hæreditatem conservari agnoscam? *Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (ibid.). Hæc est illa optima pars quam elegit Maria, quæ non auferetur ab ea (Luc. x). Et quia se in honore esse intellexit, non est comparata multis insipientibus, nec similis facta est illis (Psal. xlviii). Voluit ergo aliquid supra conditionem ju-

mentorum appetere; et idcirco parum judicabat, vel potius indignum reputabat, honori suo benedictionem jumentorum anteferre.

Quare, inquis, si melior erat virginitas secunditate, Deus prius secunditatem benedicebat; et postmodum lex sterilitatem maledicebat? Audi quare. Primum quando factus est mundus per Creatorem benedicta est fecunditas, ut multiplicarentur homines; postea quando ab uno tantum populo agnitus est Deus, per legem maledicta est sterilitas, ut multiplicarentur fideles; postremo quando instabat tempus, in quo nunc ab omnibus gentibus Deus colitur, benedicta est virginitas, ut ad vitam cælibem a carnis opera cuncti provocentur; audi adhuc aliud. Si prima illa benedictio fecunditatis ad salutem erat, et secunda illa sterilitatis maledictio ad damnationem: ergo fecunditas carnis meritum est, et culpa sterilitas. Ergo meliores fuerunt illæ mulieres, quæ multos filios pepererunt, quam illæ quæ nullos vel paucos habuisse leguntur. Melior erat Cethura quam Sara. Melior Fenenna quam Anna et cæteræ multæ, quas Scriptura commemorat Deo non in multitudine filiorum, sed per merita virtutum placuisse. Sed absit a nobis ut vel secunditatem carnis meritum, vel sterilitatem culpam esse dicamus. Absit a nobis ut credamus propterea legem sterilitatem carnis maledixisse, ut eam apud Deum damnabilem ostenderet; et non potius ut eam (illo quidem tempore, quando successio generis in multitudine filiorum quærebatur) apud homines infructuosam, et ob hoc quodammodo inhonoratam demonstraret. Non ergo culpanda est virgo Maria, nec accusanda de contemptu legis, in qua sterilitas maledicitur, imo sola singulariter laudanda, quæ prima legis verba non carnaliter sapienda considerans, elegit in terra abiectio plebis fieri et opprobrium hominum, ut per munditiam integratatis in cœlo fieret socia angelorum. Et pulchre prima inter feminas virgo Maria pro amore castitatis maledictum legis in carne sua pro nobis suscipiens a maledicto legis liberavit. Unde merito ei soli datum est, ut filium pareret et virgo permaneret, ut quia prima secunditati carnis virginitatem sponte prætulit, nunc et secunda sit carne et integra virginitate. Vides nunc qualis sit accusatio tua? Superest ergo illud, ut rationem jam reddamus, quare post votum virginitatis Maria virum habere consensit. Aut propterea virum habere consensit hæc saneta, ut celaretur propositum ejus; approbante et hoc ipsum Joseph, et idem propONENTE, aut si forte hujus propositi conscientius non erat ipse Joseph (quod fieri potuit) parentibus nuptias imperantibus inobediens esse timuit, et ob hoc viro nubere consensit speciali (per Spiritum sanctum, qui eam a principio castitatis amore accenderat) fiducia confirmata et spe, quam in Deum habebat, non dubia, quod eam divina misericordia ita custodiret ut posset et voluntati parentum in matrimonio contrahendo obedientiam exhibere, et tamen nihil

in eodem matrimonio impedimenti inventura esset, pro quo votum virginitatis (quod pro amore castitatis suscepserat) eogeretur frangere. Suscepit ergo conjugium, sed non mutavit virginitatis propositum. Et quia castitatem dilexit et obedientiam tenuit, inventa est in ea et sine detimento virginitatis conjugalis sanctitas; et sine opprobrio sterilitatis secunda virginitas. Sic beatus ille patriarcha fidei forma et obedientiae exemplum Abraham in reprobatione acceperat, quod in Isaæ benedicetur semen ejus; et tamen postea jesus a Deo eundem quem unigenitum habebat ex Sara uxore sua filium Isaac immolare, sine mora aut cuneratione paruit, sciens pro certo quod, tametsi secundum humanam rationem promissioni contraria videretur jussio, secundum illam tamen virtutem, qua Deo possibilia sunt omnia, et eum obedientia iussionis impleri posset promissio. Sieque factum est ut devotio obedientiae (qua Deo habenti parere non distulit) inveniret meritum; et fides, qua Deo promittenti credidit, promissionis fidelis consequeretur effectum. Ita etiam hic fieri potuit, ut beata ista virgo Deo commendans, omne desiderium suum tantum in ipso fiduciam habuerit, ut indubitate erederet, et parentibus se posse debitam obedientiam exhibere, et votum castitatis, cuius ipse solus conscientius erat, quemadmodum vellet eo patrocinante, inviolatum conservare. Sed sive ita, sive aliter factum sit, nos quidem nullatenus ambigere debemus; beatam Mariam certa ac rationali causa post votum servandæ virginitatis propositumque continentiae, conjugii sacramentum suscepisse, et tamen virginitatis propositum non mutasse, veraciterque nomen sumpsisse conjugis, et perseveranter votum tenuisse integratatis.

*Cap. II. Quod sacrosanta et perpetua virgo Maria non de viro, sed de Spiritu sancto concepit, quem et peperit Altissimi Patris unigenitum, Christum Deum et hominem.*

Prima igitur propositionis parte probata, quæ dictum est quod Maria in consensu conjugali, virginitatis propositum non mutavit, nunc ad expositionem secundæ partis, qua dictum est quod non de viro, sed de Spiritu sancto sine libidine concepit, sermo necesse est ordinem summ prosequatur. Primæ quidem partis sententia (quia magis in quæstione versabatur) prolixiori disputatione indiguit. Hæc autem quoniam de ea minus dubitatum est, non tam probationem quam expositionem requirit. Quærendum itaque in primis est, quomodo intelligi oporteat quod dictum est, beatam Mariam de Spiritu sancto concepisse. Scimus namque et omnes iam frequentissimo naturæ usu didicimus, quod cum mulier a viro concepisse dicitur, non aliud nisi substantiam carnis ad generandam carnem per carnis coitum suscepisse memoratur. Et hæc quidem carnis substantia de carne viri per ipsum carnis coitum transfusa cum carne mulieris una caro efficitur, ut id quod nasciturum est ex utriusque substantia ve-

ructer originem sumens, ab illo per istam etiam ab ista generetur; ergo mulier a viro concipit, cum a carne viri per coitum carnis semen suscipit ad generandam carnem. Nec aliud concipit quam ille est, a quo concipit, aut ipsa que concipit; et quod concipit, hoc parit. Quid ergo dicemus? Nunquid Spiritus sanctus de sua substantia semen partus infudit alvo virginis? Quomodo ergo semen carnis ministrare potuit substantia spiritualis? An forte semen carnis non fuit quod conceptum est, et caro fuit, quod natum est? Quid dicimus? Quomodo Maria de Spiritu sancto concepit? Et si de Spiritu sancto concepit, quomodo Spiritus sanctus pater Christi non fuit? Haec omnia magna consideratione indigent, ne forte in re difficulti et valde obscura sensus humanus aliquid amplius sua possibilitate præsumat. Nec ideo de his dubitandum est, quia obscura sunt, nec ideo aliquid temere definiendum, quia credenda sunt. Quæramus ergo quid concipit Maria. Aut enim carnem non concepit, et carnem non genuit; aut si carnem genuit, carnem concepit. Quod enim concipit, hoc genuit? Sed quomodo carnem ministrare potuit non caro, aut non carnem gignere caro? Ista perplexa inquisitio sive quærendi ratio, quemadmodum sane et competenter intelligi valeat consideremus. Et primum quidem in ea quæ secundum solitam ac usitatam naturæ operationem per agitur conceptione ejusdem naturæ opus quomodo compleatur intueamur. In parentibus carnaliter generantibus et per carnis coitum nascituram carnem ex carne fabricantibus utrobique natura substantiam ministrat partui creando, ut ex utriusque carne procedat, quæ solum in unius carne formanda est. caro. Tamen hoc vestigal (quod natura quasi debitum quoddam ex instituto Creatoris ad fabricam humani corporis absolwendam impendit) ita prorsus sine ulla necessitate aut coactione ab ea requiritur, ut non nisi sola dilectione, et, ut sic dixerim, spontanea charitate ad id tribuendum inclinetur. Nihil est enim, preter solam dilectionem, quod hoc debitum a natura extorquere possit; sed cum spontanea fuerit charitate persuasa, tunc nimur sibi mutuo ad opus consummandum ex utraque parte libenter atque grataanter occurrit. Sane quidquid violenter nolenti abripitur, ad ejusmodi causæ effectum incongruum prorsus atque inefficax demonstratur. Sola ergo dilectio est, quæ naturam persuadere, et volentem quadammodo cogere potest ad seminandum partum. Et quidem in muliere amor viri, in viro autem amor mulieris id agere solet, ut quia in altero solum natura sibi sufficiens non est, uterque alteri per dilectionem subveniat, ut quod neuter per se potuit, uterque per se cum altero possit. Igitur semen humani partus a sola muliere formandum concipitur, quod simul a viro et muliere seminatur. Quod quidem, sicut jam dictum est, in muliere per amorem viri, et in viro per amorem mulieris natura opera-

tur. Propter quod etiam mulier non nisi a viro concipere dicitur, licet tam de se quam de viro accipiat unde fecundatur. Et recte de solo viro concipit, quia id quod concipitur, in altero quidem de carne viri sumitur, in altero autem per amorem viri monstratur. Non itaque hoc solum de viro concepit, quod de viro accipit, sed hoc etiam de viro concepit, quod ex se de amore viri accipit. Hoc præmittere voluimus propter id quod dictum est, Mariam de Spiritu sancto concepisse. Concepit ergo Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus sancti semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne virginis divino partui natura substantiam ministravit. Nam quia in corde, quo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et cujus dilectio in corde illius non suscepit socium, ejus operatio in carne illius non habebat exemplum. Hoc igitur solum virgo concepit, quod de sua carne per amorem et operationem Spiritus sancti accepit; de quo etiam solo sine virilis seminis admistione filium genuit. Non ergo libido carnis conceptionem in virgine operata est, quæ nec de carne viri semen accepit, nec de sua carne per amorem viri concepit, sed per amorem et operationem Spiritus sancti. Nec ipse Spiritus sanctus idcirco pater Christi dicendus est, quia ejus amor conceptionem virginis operatus est, quia non de sua essentia virginis semen partus tribuit, sed ipsi de carne propria virginis per amorem suum atque virtutem substantiam ministravit. Christus ergo et de virgine natus est, quia de carne virginis carnis substantiam accepit. Et de Spiritu sancto conceptus est, quia ipsa eum virgo ex sola carne sua sine admistione virilis seminis per sancti Spiritus operationem amoremque concepit. Hinc est quod eidem Virginis pariture per angelum dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1).* Spiritus sanctus namque virginis supervenit, ut per ejus operationem caro Christi de carne virginis formaretur. Et virtus Altissimi obumbravit ei, ne substantiam carnis ministrans, carnali concupiscentia ureretur. Et sic quidem nos intelligendum putamus id quod de Spiritu sancto virgo concepisse dicitur. Sic etiam posse astrui, quod in concipiendo libidinem non sensisse prohibetur.

CAP. III. *Quod sine doloris et sine virginitatis detimento Maria Christum peperit.*

Restat nunc novissimum hoc ex his tribus quæ proposita erant, ut eam etiam sine dolore peperisse, nullumque in pariendo virginitatis detrimentum sustinuisse demonstremus. Audivi ego aliquando virginem concepisse, sed non peperisse virginem, quia talis de viro concepit quod peperit. Merito namque in partu corrupta est integritas, quia in conceptu virginitas polluta est, justumque erat, ut non pareretur sine dolore, quod conceptum non erat

sine libidine. Nequaquam partus dolorem afferret, si conceptus non sensisset libidinem. Quia si culpa delectationis illicita concipientem non pollueret, nunquam poena doloris parientem cruciaret. Prima namque illa nostri generis et doloris mater, postquam malam delectationem conceperat, tunc demum quod filios in dolore paritura esset, andiebat, ut aperte demonstraret, quod non idecirco pariat cum dolore, quod a viro concipit, sed quod cum libidine. Quis enim possit dicere, si homo non peccasset, utrum partus humanus etiam de viro conceptus aut integritatem corrumperet, aut castitatem violaret? Et quidem si non violaretur castitas, quare integritas corrumperetur? dicat qui potest. Beata autem virgo Maria ut supra primam conditionem esset secunda restauratio, et naturam generis gratia vinceret Salvatoris, non solum sine libidine concepit, sed neque de semine viri partum accepit; et ob hoc sine dolore filium edidit, et cum integritatis decore post partum virgo permansit.

CAP. IV. *Quæstio, utrum probabile sit, matrimonium sine consensu coitus contrahi posse.*

Quoniam quidem needum quæstiones finem acceperunt, cogor quotidie expositionem expositioni superinducere, et veterem parietem recenti temperatu rlinire, rudibus namque animis novo semper errore fatiscentibus nihil satis expositum esse potest; qui dum tenebris suis involuti alienam lucem non vident, omne quod intelligere nequeunt, obscure dici queruntur, atque ita defectum suarum mentium in causatione in transferunt sermonum. In eo tractatu, quem de beatæ Mariæ virginitate dictavi, quæstio in manibus habita est, in qua id potissimum agebatur, an quovis modo demonstrari posset, utrum sine consensu coitus conjugium sanciri valeret. Cumque nos, quod oportuit in hujus sententiae definitionem, proponeremus, ratio patefacta est in consensu carnis nequaquam consistere sanctitatem sacramenti conjugalis. Proinde determinantes ea quæ conjugii sanctio expostulat, signavimus conjugium esse legitimam societatem inter virum et feminam, in qua, excepto quoque carnis commercio, ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri, ut videlicet et se ille conservet, ne ad alienam societatem transeat, et se illi non neget, ut ab ea, que adinvicem, societate se non disjungat. Hoc cum sufficeret potuisse his, quibus ratio manifesta sufficeret, ecce iterum qui in matre Domini verum conjugii sacramentum verumque virginitatis propositum simul profiteri nolunt, propterea quod matrimonium sine assensu coitus carnis ratum non esse autument, nostram definitionem (quæ a conjugio carnis necessitatem excludit) hac ratione infirmare contendunt. Si, inquit, aliud non est conjugium, nisi talis societas, in qua excepto quoque carnis commercio ex pari consensu, uterque semetipsum debet alteri debito conservandi, et non negandi se ad eam, quæ in communione est societate, inseparabilem unionem ac-

fiderem: eur etiam in eodem sexu conjugium rectissime ac sanctissime celebrari non possit, et individua societas laudabili charitate sanciri? Quid enim impedit ut vir virum, et femina feminam tali sibi pactionis fædere et societatis amore non astringat? Quod si ridiculum omnino est, et ab humana prorsus ratione seclusum, ut scilicet in eodem sexu conjugii sacramentum celebretur, ubi nihilominus ejusmodi fœderatio societatis non prohibetur, restat, ut in conjugii pactione ipsam, quæ nisi in sexu utroque constituta non est, carnis unionem, quantum ad consensum spectat, necessarium esse profiteamur. Cogunt igitur, ut nos (si assensum coitus in conjugii pactione necessarium omnino non esse volumus quemadmodum ista societas, quæ in nostra definitione signata est, in eodem sexu sanciri non posse, demonstremus. Ad quod cum id solum sufficere posset, quod divina institutio hanc ad utrumque sexum fœderandum ordinavit, proptereaque in eodem sexu (ut si fiat) ita a conjugii sacramento fore aliena, quemadmodum ob id ipsum fiat illicita; et sicut in diverso etiam sexu inter matrem et filium foret inconcessa; idcereo a sanctitate conjugalis sacramenti esset vacua quia qui dixit: *Relinquet hominem patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori sue, et erunt duo in carne una* (Gen. 11), hanc societatem inter matrem et filium inordinatam et ob hoc non castam esse manifeste docuit, cum in conjugio sanciendo non matrem petendam, sed relinquendam ostendit. Hæc igitur ratio cum sola sufficeret ad comprobandum, quod in eodem sexu quamlibet casta et indissolubili charitate astricto conjugii sacramentum esse non possit; debemus tamen, sicut in omni assertione divina justum est, non nostri qui loquimur, defensionem tantum attendere, quantum eorum, quibus loquimur, ædificationem. Reddenda itaque ratio, quare conjugii sacramentum (quod in diverso sexu nihil ad sanctificationem sui præter spontaneam perpetuae ac indivisæ societatis charitatem exigit) in eodem nihilominus sexu simili atque eadem fœderatione sanciri non possit. Hoc facimus ita. In conjugio siquidem duo sunt: sacramentum conjugii, et sacramentum conjugalis officii. Hoc est conjugium et conjugii officium utrumque sacramentum. Conjugium est in fœdere dilectionis. Conjugii officium est in generatione prolis. Igitur amor conjugalis sacramentum est, et sacramentum in conjugiis est commissio carnis. Sed amor conjugalis sacramentum est illius dilectionis, quæ est in spiritu, inter Deum et animam. Commisso carnis in conjugiis sacramentum est illius participationis, quæ est in carne inter Christum et Ecclesiam. Quapropter amor conjugalis nequaquam inter pares esse debuit; quia ille, cuius sacramentum erat, inter pares non fuit. Juncti sunt itaque in unius societatis amore et masculus et femina, sicut juncti erant in unius societatis amore Deus et anima. Nunquid jam non vides quo tendat omnis nostre disputationis

assertio? Aspice ista duo collegia charitatis, in terra masculum et feminam, in cœlo Deum et animam, et considera quam rationabili providentia cuncta disposita sint. Creavit Deus masculum et feminam, et de masculo feminam; et quia de illo facta est, sub illo constituta est. Illi datum est, ut et vivacitate rationis et viribus corporis super excelleret: huic ordinatum est ut non solum obedientia, sed et natura subisset. Voluit ergo Deus, ut in illius fortitudine et providentia hæc (quasi suæ fragilitatis consortia) requiesceret; et ut in illo hujus infirmitas pietatem excitaret, quatenus et vir mulierem quodammodo ex pietate diligenter, et mulier virum magis ex necessitate amaret. Quod ergo vir mulierem diligit, quodammodo beneficium est, quia pietate vincitur, ne infirmitatem deserat. Quod autem mulier virum diligit, magis debitum est, quia naturali necessitate compellitur, ut patrocinium requirat, atque ita quodammodo tota dilectionis utilitas ad mulierem refertur; quia in ipsa causa est, pro qua vel ipsa virum diligit, vel a viro ipsa diligitur. Patefactum est igitur dilectionis sacramentum. Sacramentum dilectio, et dilectionis sacramentum dilectio. Nec opus jam est longa expositione, ut ostendatur, qualiter in hujus sacramenti figura vir imago Dei sit, et femina rationalis animæ typum in se formamque demonstret. Manifestum est enim, quod sicut viri amor ad mulierem pietate quadam et compassione naturali inclinatur, vir autem a muliere magis necessitate conditionis diligitor; ita Dens animam rationalem prius gratuita pietate diligit, et eam postinodum ad amorem sui quadam rationabili necessitate spontaneam tamen et volentem convertit. Diligit ille prior gratis nos, ut postinodam diligentes ad diligentem se convertat nos, sicutque una dilectionis societas, et propter nos, quia nobis necessaria; et propter illum quia in illo beata. In hac autem jucunda dilectionis conversatione amor Dei quodammodo caput est, quia ab illo in nos prius dilectio oritur; et ad illum a nobis dilectio conversa refertur. Simili quoque ratione in conjugali charitate, quæ hujus dilectionis est sacramentum, amor viri caput est; quia prior vir mulieri per compassionem pietatis in amore se sociat, ut mulieris dilectio per eruditionem ad virum conversa, et per spontaneam

benignitatem suscepta in societate charitatis umum fiat. Propterea dicit Apostolus: *Caput mulieris vir, caput viri Christi, caput Christi Deus est (I Cor. ii).* Nam quod est in sacramento conjugii caste sanctus amor viri ad feminam, hoc est in sacramento fidei amor Christi ad Ecclesiam; hoc quod est in incarnatione Verbi, amor Dei ad humanam naturam. Propter hoc in cantico amoris cum illa æterna charitas et amor ineffabilis sive Dei ad animam, sive Christi ad Ecclesiam; non qualis fuit, sed qualiter potuit, verbis promi debuisse; nihil in rebus visibilibus aut in humanis affectibus similius inveniri poterat, quam amor sponsi et sponsæ; aut non aliunde quam per suum sacramentum invisibilis illa et spiritualis dilectio ostenderetur, ut dum id quod humannus affectus neverat, auditus per Verbum acciperet; id quod non neverat, cor interius per amorem gustaret. Nam ipsam ibidem mutuae charitatis vicissitudinem, qua una uni sociata, nec dissidium in suo suscipit, nec consortium in alieno admittit sponsa significare volebat, cum diceret: *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia (Cant. ii), donec aspiret dies et inclinetur umbra (Cant. vii).* Et rursum: *Ego dilecto meo, ad me conversio ejus (Cant. vi).* Sponsus quoque ipse uniti amoti amoris prærogativam commendans. *Sexaginta* inquit, *sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea. Una matri suæ, electa genitrici suæ (Cant. vi).* Propter sacramentum ergo dilectionis aeternæ Deus conjugium sancire voluit propter utilitatem propagationis humanæ sexum creavit; et tamen amor conjugalis non propter sexum dissimilarem sacramentum est, sed propter naturam differentem. Non enim secus, sed natura disparem in alterutrum charitatem amori tribuit, et tamen sexus inæqualitatem naturæ discernit. Casta enim dilectio non ex tali sexu aliter afficitur, sed in tali sexu ex tali natura. Propterea quod extra talem sexum taliter affici non potest, quia extra talem sexum non invenitur talis natura. Sufficiat hoc eis, qui querunt quomodo amor conjugalis (cui carnis commercium excipitur) in eodem quoque sexu utrobique non simili veritate sanciatur.

## II. — SERMO DE ASSUMPTIONE B. VIRGINIS.

*Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (Cant. iv).* Verba ista, charissimi, nobis omnibus nota sunt, et magna cum dulcedine omnibus notificata sunt: quæ et propriam habent qua delectant dulcedinem, et ex ejus cui cantatur dulcedine ampliorem capiunt suavitatem. Ipsa enim tota dulcis est et tota suavis, unice pulchra et singulariter speciosa. Propter hoc tam speciosæ virginis præconium pulchrum esse necesse est, in quo laudatur dilectæ pulchritudo, et commendatur pulchrae dilectio. Ipse sponsus virginis, ipse præconium dicit virginitatis, a quo laudari tanto majus est,

quanto eum in laude eiusquam falli minus quam possibile est. Auctor pulchritudinis, et judex veritatis, ipse speciem commendat et approbat charitatem. Ipse se amare fatetur, quam fecit amabilem, et amari se gloriatur ab ea cui dedit dilectionem. O res mira! Ipse filius matris et sponsus virginis, integratæ auctor et fructus fecunditatis. Ipse dilectam laudat, speciosam commendat, amicam invitat. *Tota pulchra es, amica mea.* O admirabilis amator! o singularis doctor! Quid dicis? Ipsiæ est genitrix tua, ipsa amica tua. Et quomodo amica tua? Num genitricem ipsam credimus tuam amicam?

aut quomodo? Certe amica est tua, et genitrix tua. Amica tua quod intacta, genitrix tua quod secunda. Tu squidem integratatis filius, et secunditatis amicus, matrem habes virginem, et amicam prole lætantem. Prius te genuit amica tua, mater et virgo Maria. Postea de te genita est amica tua, mater et virgo Ecclesia. In carnem veniens factus es filius sponsæ tuæ matris et virginis corpore. In carne moriens factus es genitor sponsæ tuæ, virginis fide. Nascentio de sponsa tua accepisti substantiam infirmitatis, moriendo sponsæ tuæ dedisti sacramenta incorruptionis : utrobique dilector mirabilis, utrobique amator singularis. Sponsam tuam dilexisti, ut in ea nascereris, et sponsam tuam dilexisti, ut pro ea morereris. Et una est sponsa tua, una est amica tua, una est columba tua, perfecta tua ; una est matri suæ, una electa genitrici suæ (*Cant. vi*). Voca ergo sponsam tuam, invita amicam tuam. Voca formosus pulchram, speciosus decoram, dilectus unicum. Lauda pulchritudinem ejus, ne pertimescat ad pulchrum accedere ; dic formositatem ejus, ne se trepidet formosissimo sociare ; dic qualiter prior ad eam venisti, diligens et dilectionem querrens, ut ipsa ad te venire properet diligens et dilectionem reddens. Dic ergo, dilector, dic dilectione tuæ speciem suam, dic dilectionem tuam, ut dilecta diligentem diligat, ut concupiscat amplius diligi, et properet citius sociari. Dic ergo, dic : *Tota pulchra es, amica mea.* Quid ergo speciosa dubitas? Quid cunctaris?

*Ostende faciem tuam* (*Cant. ii*). Egressere, ut speciosum videas, et videaris speciosa. Quid moras nectis? desideras pulchrum videre; sed forte pavescis vel in modico non pulchra videri, et ideo forte exire metuis, manifestari trepidas, presentari erubescis. Tolle timorem, aufer formidinem. Ego, inquit dilectus, te video, qui voco te : præsentem habeo, qui te invito ut venias. Non enim te voco, ut incipiam videre te, sed ut me tibi manifeste videndum præbeam. Ergo ne timeas, vel mihi vocanti crede de te, quia nequaquam vocarem, si præparatam non cernerem, si minus dignam viderem. Mundam voco, sinceram invito, totam pulchram desidero : *Tota pulchra es, amica mea!* O qualis societas. Totus pulcher totam pulchram sibi sociat. *Tota pulchra es, amica mea.* Ego totus pulcher, et tu tota pulchra. Ego per naturam, et tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia omne quod pulchrum est in me est. Tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe est, in te est : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Tota pulchra es. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis, in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nivea, mente sincera. Tota pulchra es : nihil enim in te pulchritudo reliquit quod non possideat; totum decor obtinet, formositas tenet, regit honestas. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* O virginitas humilis et humilitas virginalis! quomo-

do in unum convenistis? quomodo in una societate estis, ut tale ac tantum miraculum efficeretis? Quid fecistis? Sic sublimastis humilem, sic secundastis virginem, ut virgo pariat Dei Filium, et humili habeat sponsum Deum. Nec alia talem decebat, nec aliis talis inveniri poterat. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, mater Dei, sponsa Regis æterni! Quam pulchra es, et quam suavis es, quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium perlubet magister veritatis. Ausulta ergo vocem ejus, inclina aurem tuam ad verba illius. Ipse est qui loquitur, ipse est qui auditur, ipse te invitat, ipse te audire desiderat, ipse dicit : *Tota pulchra es, amica mea, et macula nou est in te.* Exalta et jucundare, gaudie incomparabiliter, lætare singulariter. Responde gratulabunda vocanti, propera venire, festina occurrere, accipere regnum sponsi, possidere hæreditatem filii. Ne ultra desiderium amantis differas, ne dilatione exspectantem et cupientem affligas. Attende qua suavitate invitat te, et intelliges qua charitate expectat te.

Tunc postquam dixerat nullam in ea maculam inveniri, mundam et sinceram et ab omni, quod displicere poterat, alienam, ne forte adhuc ista laus minus animaret timidam, minus accenderet verecundam, adjecit insuper et prosecutus est, ostendens non solum immunem et liberam esse a malo, sed ineffabilibus bonis plenam, et omnium perfectione virtutum refertam, dieens : O formosa mea! o dilecta mea! o columba mea! Amica mea grataanter amplector, jucunde intueor, quod nullam in te maculam video, quod totam te pulchram aspicio, sed multo amplius ineffabiliter me delectat, quod totam te dulcedine plenam invenio. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Cant. iv*). Labia tua, lingua tua, unguenta tua, omnia dulcia, omnia suavia, omnia laude digna. Labia tua, lingua tua, unguenta tua. Tria commendantur, labia, lingua, unguenta. In labiis osculum, in lingua alloquium, in unguentis odor atque fragantia Tota ergo Trinitas venit ad Virginem. Susceperat enim in labiis ab ore Patris osculum. Susceperat in lingua Patris verbum. Susceperat in unguentis, Patris et verbi Spiritum. Inde labia tua, lingua tua, unguenta tua. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* *Favus distillans labia tua.* Et plenitudinem, et suavitatem habent labia tua. Ideo favus distillans labia tua : nam pressa emittunt dulcedinem. Propterea ergo favus distillans labia tua. Omnia ad similitudinem dieta sunt : *favus distillans labia tua.* Favus mel et ceram habet. Mel divinitas est, cera humilitas. Favus Verbum caro factum est in Virgine : ergo favus distillans labia tua. In te divina et humana natura soluta veteri discordia ad perfectam plenitudinem, et æternam unionem pacis osculo

conjungete. In te divinitas humanitati se infudit. Unde vera humanitate, et perfecta divinitate a te Deus et homo Christus exivit. Ergo, *favus distillans labia tua*. Ego, inquit, novi quod prædicto : expertus sum, quod lando. *Favus distillans labia tua*. Ego devinctus tibi charitate osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, et a dulei dulcedinem expressi. Valde enim expressi, et valde impressi, quia plene infudi, et perfecte sociavi. Valde ergo impressi dulcedinem, et vere expressi suavitatem, quando meum tuo in te sociavi, et per tuum a te cum meo pariter et tuo exivi. Mea divinitas mel erat, et tua humanitas cera erat, et inde meipsum favum feci, et factus sum. Et ecce favus distillans labia tua. Quod enim impressum est in te, assumptum est de te, et ipsum factura est dulcedine plenum in me. Modo ergo sum quod sum, et sum quod factus sum. Quod factus sum, modo sum : quod autem sum, semper sum, tamen utrumque vere sum, et quod factus sum, et quod sum; alterum ex te, alterum ante te. *Favus distillans labia tua*. O quain dulcis et suavis es! quæ sola digna eras, ut supernæ dulcedinis osculum, in tuo conceptu susciperes, et totius mundi suavitatem in partu stillares.

*Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua*. Quid est mel et lac sub lingua tua? Illoc est Verbum Patris sub carne tua. Quare ergo sub lingua tua? Quia Verbum, ideo sub lingua. *Mel et lac sub lingua tua*. Non supra linguam, sed sub lingua, quia Verbum absconditum est, et ideo mel et lac sub lingua tua. *Mel et lac sub lingua tua*. Sub lingua tua, sub carne tua. Sub lingua tua, quia verbum : sub lingua tua, quia absconditum. Mel et lac, Deus et homo. Mel divinitas, lac humanitas. Mel de rore coeli venit, quia divina natura supra omnia est. Lac de carne exprimitur, quia humanitas deorsum assumpta est. De carne caro. Ideo lac, non caro sub lingua tua, quia lac de carne, non caro; sed de carne caro, et tantum caro : non prima caro, sed de prima carne secunda caro : de carne veteri nova caro, de carne purganda hostia caro. Ideo mel et lac sub lingua tua, quia in tua carne Deus homo, et sub tua carne Deus et homo unus Jesus Christus. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua*. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Nam ipse dicit : *Spiritus meus super mel dulcis* (*Eccli. xxiv*). Ipse in te singulariter requievit, quæ præ cæteris omnibus gratia plena mater facta est Filii, et templum Spiritus sancti. Propterea unguentorum tuorum odor super omnia aromata, quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas. Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata, nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit super omnes filios hominum. Ave, iuquit, *gratia plena*. *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1*). Ergo super omnem gratiam, gratia tua; super omne meritum, excellentia tua,

eminenter cupetis, sanctior universis. Nemo ut in gratia plenus fuit, quæ sola sine exemplo mater virgo genuisti, castitatis lumen servasti cum fructu fecunditatis. Ergo Spiritus sanctus in tua humilitate singulariter requievit, qui in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit. Idecirco odor unguentorum tuorum super omnia aromata. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Tu ad jucunditatem unguenta accepisti, unguenta ad speciem, unguenta ad odorem. Antiqua illa Maria non minis tantum, non lepræ te reliquit haeredem, quæ nec maculam, nec rugam habuisti, quam unguenta tergerent : sed unguenta accepisti, ut speciem et formam tuam gratius commendarent. Ergo odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Alii unguentum ad curationem, alii unguentum ad stabilitatem, omnes unguenta ad necessitatem accipimus. Tu, filia delicata, et omni gratia plena, charissima in deliciis tuis uncta es ad gloriam decoris tui, et in signum dilectionis. Unctum paritura, et tu quoque uncta es, ut ipsum in te unguentum prins excellenter effunderet, quod postmodum in utero tuo, singulariter acciperet. Ipse etiam supra te, præ cunctis participibus suis accepit plenitudinem, tu post ipsum præ cunctis suavitatem. Propterea igitur odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

*Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, et vox tururis audita est in terra nostra* (*Cant. ii*). O mira decentia! tali talia præparantur. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Si talis est, et in tantum laudata est, cui hoc non poterat satis esse ad commendationem; sed restabat edicere et hoc, ut sciret ad quam patriam vocaretur, et a quo exilio educeretur. Propterea utrumque commemoratum est, et totum ordine factum est dilectæ pulchritudo, triste exsilium, et dulcis patria. Solida laus est quæ a senectipsa initium capit. Sua etenim quinque verius commendant. Ideo primum laudatur ipsa, deinde laudantur, et quæ ejus sunt, et totum hoc ad incitamentum amoris sit. Adversa quoque commemorantur, ut ardantis desiderium ad effectum festinet, et properet inde exire, ubi tristitia sedet, ubi luctus commoratur, et miseria regnat. Hoc totum exsilium est. Deinde patriam suam laudat, et dicit quæ gaudia, quæ deliciae, quantæ jucunditates et amoenitates ibi sunt. Et in his omnibus, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, vox tururis audita est in terra nostra. Amoris plena sunt omnia, et omnia amorem resonant: flores, odor, cantus. Nihil hic est quod animum non subeat, quod cor non penetret, et quod affectum non transfigat. In ipso auditu inardescit mens, flagrat desiderium, et concupiscentias suas animus ipse non capit. Neque enim sine delectatione audiri potest quæd

tanta dulcedine plenum est. Et qui id sibi non audit sibi non diligit. Multos enim ad se convertit, quos non trahit post se, et qui omnes ad habendum diligunt, non omnes diligunt ad sequendum. Dilecta autem vocatur ut veniat, quoniam qui non venit, non pervenit. Et ideo narratur ut audiat, invitatur ut veniat, et veniens perveniat et apprehendat. *Hiems, inquit, transiit; imber abiit et recessit.* Hoc de exsilio est. De patria autem : *Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, vox turturis audita est in terra nostra.* O anima misera, quæ hoc diligis, et hoc non diligis ! Quæcunque es, misera es, quæ hoc diligis quod tam fugiendum est, quod et si non fugiatur, ipsum tamen permansuram non est. Si vero hoc non diligis quod tam diligendum est, vivens in temetipsa, mortua es, quia non vivit in te, sine quo tu vivere non potes. Ergo *hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. Vox turturis audita est in terra.* Nota sunt, quæ referuntur, sed propter quæ referuntur, nota non sunt. Rerum visibilium species, quas sensus hominis novit, et ipsæ jacundæ sunt, et suaves hominibus ; ipsæ ad similitudinem proponuntur, ut ex eis cogitet homo quæ non novit, et omnia : quæ in similitudine currunt, *hiems transiit, imber abiit, et recessit.*

En, anima, age quod vis ; sive diligis, sive non diligis, mundus transit, et concupiscentia ejus. Transeunt omnia quæ temporaliter diligis : ante te transit quod diligis, novissime transis quoque tu, ac pertransis ipsa quæ diligis. Cur ergo diligatur quod transit, quod diligendum non erat, etiamsi transitorium non erat ? Nam cum stare nocte, cum pertransiret decepit. In altero crudele, in altero fallax. Audi ergo potius unde gaudeas, quia hiems transiit, imber abiit et recessit. Quid est hiems ? Nonne vita mortalitatis hiems est, quam corruptionis suæ torpor astrinxit, et ignorantiae caligo obnubilat ? Ad agendum enim bonum pigra est, et ad perspicuum omnib[us]. Et ubi est imber ? Nam gelu interius astringit, imber extrinsecus irruens dissolvit. Ergo imber est in iis, quæ præter ingenitam occupationem quotidie molesta ingruunt, quibus vita mortalitatis atteritur, cum dira intus mortalitatis necessitate astricta tenetur. Hiems ergo transiit, imber abiit, et recessit. O felix illa anima, quæ audire habet : *hiems transiit !* Nam hiems semper quidem transit, sed non omnes digni sunt hoc audire, nisi quibus transit priusquam transeat, id est a quibus contemnitur, priusquam supereretur. Istis enim hiems gravis est, et astas in desiderio. Isti ergo merentur soli audire. *hiems transiit*, ut in ejus transitu, consolatione accepta, gaudent, quia in ejus statu prius afflitti suspirabant. O felix hora, et tempus pre cunctis desiderabile ! quando ille sponsus eccl[esi]is dilectam suam post longa desideria de mundi carcere egrediente obvius excipit, et blanda charam consolatione ad se invitat, dicens : Egregere cum jueunditate, electa inter filias, nec tibi durum videatur

carnis corruptibilis indumentum morte deponere, quæ et vivens sciris carnis corruptionem non amasse. Nihil trepides vel expavescas, evadis exsilium, de ærumna liberaris. Non erunt ultra dolor et gemitus, quoniam hæc priora transierunt. *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.* Deinceps ergo corpus, quod corrumpitur, non aggravabit animam : nec terrena inhabitatio sensum deprimet multa cogitantem (*Sap. ix.*) . Hæc est enim hiems, quæ transit, cuius torpor gravis et gelu, triste austro spirante jam solvit, et caligo tenebrosa, orto sole justitiæ, dissipatur. Jam ergo hiems transiit, imber abiit et recessit. Propterea enim, quia transiit hiems, ideo imber abiit et recessit. Nam post carnis ergastulam, mundi evadis exsilium, nec mala adversitas ultra jam metuis, quæ lege mortalitatis soluta carnis corruptione non teneris. Ergo hiems transiit, imber abiit et recessit. Nisi in te fuisse mortalitas, nihil contra te valuisse adversitas, et idcirco cum morte carnis mortalitatis corruptionem exuisit, totum deinceps mundum, et mundi mala adversantia secura contemnit. Et ideo quia *hiems transiit, imber abiit et recessit.* (Jamjam enim hiems transiit, imber abiit et recessit).

*Flores apparuerunt, vineæ autem florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra.* Quid vult dicere, *Flores apparuerunt in terra nostra ?* Qui sunt flores isti, et quæ sunt vineæ ? et vox turturis, quæ est ? et terra ejus, ubi est ? Ne forte contingat nobis sicut Judæis, qui dixerunt : *Hunc ne scimus unde sit (Joan. ix).* Nam si scimus unde sit, novimus terram ejus, et scimus qui sunt flores isti, et quæ sunt vineæ, et qualis sit odor vinearum florentium. Postremo et turturum novimus, et vocem ejus qualis sit. Omnia scimus, si scimus unde sit. Et utinam non auditu solo sciamus unde sit, ne forte famam tantum audierimus, et non sciamus veritatem. Hoc enim parum est famam audisse de illo. Hoc perditio potuit et mors, et de hoc solo gloriantur. Non enim ultra eis conceditur. Ergo oportet ut non solum fama, sed experientia de illo nos doceat, ut gustemus, et videamus quoniam suavis est Dominus, et unctio ejus doceat nos de omnibus. Si ergo unctio ejus in nobis est, scimus eum unde est, et scimus terram ejus, et nunc poterimus prudenter solutionem reddere de floribus, et de odore vinearum, et de voce turturis. *Jam enim hiems transiit, et imber abiit et recessit.* *Flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis, audita in terra nostra.* Post tristia lata succedunt. Ubi transit quod doluit, succedit quod delectat, flores apparuerunt in terra nostra. Magna causa nobis imminet loqui de floribus et de vineis, et de voce turturis. Nam de hieme, et imbris, et tempestibus, et ventis multa novimus et satis evidenter dicta, nec opus est, ut modo dicantur plura, quoniam in praesenti satis dicta sunt. Tamen interim quantum ad contextum attinet lectionis, videntur hæc dicta ad superiora referri, ut hoc quod dicit *flores apparuerunt,*

respondeat ad hoc quod dixerat *hiems transiit*; hoc vero quod dicit *vineæ florentes odorem dederunt*, ad id quod dixerat *imber abiit et recessit*. Quia igitur *hiems transiit*, flores apparuerunt; et quia *imber abiit et recessit*, *vineæ florentes odorem dederunt*. *Hiems transiit*, flores apparuerunt. Nam ubi gelu brumæ verno calore liquatum solvitur, continuo terra, radiis tepentibus tacta, se ad partum aperit. Tunc et germina et flores prodeunt, et induitur rursum tellus decore suo. Ergo *hiems transiit*, et flores apparuerunt in terra. Nam quia *imber abiit et recessit*, continuo *vineæ florentes odorem dederunt*. Nam imbre inimici sunt floribus, et vehementissimi imbre flores vinearum executiunt, et ideo quia *imber abiit et recessit*, *vineæ florentes odorem dederunt*.

Mox ergo floribus vernantibus et vineis odorem suum spargentibus, turtur dedit vocem suam, et impletum est gaudium, et ait : *Vox turturis audita est in terra nostra, flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. Vox turturis audita est in terra nostra*. Terra, inquit, nostra, non mea, sed *nosta*, ut eam communicaret nobis. Si ergo terra nostra est, ubi flores apparuerunt, et ubi *vineæ florentes odorem dederunt*, et ubi audita est vox turturis, exsilium hic est, ubi in terra deserta, invia et inaquosa, in terra aliena cantare non possumus canticum Domini sed : *Super flumina Babylonis sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psalm. cxxxvi*). Nusquam hie flores sunt, vel *vineæ florentes*, sed salices steriles habentes folia, et fructum non habentes. Neque hie vox turturis auditur, sed suspendimus organa nostra, et non valamus cantare canticum Domini in terra aliena. Ergo ibi terra nostra est, hie exsilium nostrum. Ad illam suimus creati, ad hanc expulsi. Hic peregrinamur, illuc redituri. Illic exentes, huc venimus. Illic exentes, illuc redimus. Propter hoc postquam *hiems transiit*, *imber abiit et recessit*, statim flores apparuerunt in terra nostra, *vineæ florentes odorem dederunt*, et vox turturis audita est in terra nostra. Ubi ista subtracta sunt, continuo sine mora illa apparere coeperunt. Postquam horum concessio a nobis transiit, statim odor illorum ad nos pervenit. Cum horum genitus contineat, continuo illorum concentus auribus nostris insonuit, et vox turturis audita est. Et videtur magna quedam gaudia hie commendare in floribus, et odore et canticum. Nam haec tria solum commemorata sunt : flores, et odor et canticum. Et scimus quod flores ad speciem pertinent, odor ad fragrantiam, canticum ad jucunditatem. Species autem ad visum refertur, fragrantia ad olfactum, melos ad auditum. Quare ergo hi soli præ eunctis sensibus electi sunt, et nominati? Nam habent singuli voluptates suas, et poterant interna gaudia etiam gustu designari, sicut scriptum est : *Gustate, et videte quoniam suavis Dominus* (*Psalm. xxvii*). Et iterum : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psalm. xvi*). Et : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, Domine* (*Psalm. xxxv*). Sed qui jam gustat, fruatur, et pervenit ad finem desideriorum suorum; hic autem oportuit quedam primordia vitæ perennis significari, quando adhuc non sunt consummata omnia. Siquidem adhuc sponsa in exitu est, et invitatur ut veniat. Et ipsa jam egrediebatur tabernaculum carnis suæ, et se converterat ut veniret. Ibi revelati sunt oculi ejus. Et ecce de longe quasi terram, quasi patriam, quasi regionem amœnam usque adhuc invisibilem, sed usque adhuc visis omnibus pulchritudinem, plenam decorem, et jucunditatem refertam, cuius aspectus desideria æterna. Illic omnia, quæ in hoc sæculo pulchra visa sunt, sive quæ jam præterierunt, sive quæ nunc sunt, sive quæ futura sunt, incorrupta fligunt, et multo ampliori decore quam credita fuerint inæstimabiliter ostenduntur. In hunc ergo sponsa intuitum toto desiderio desixa, et se colligens ad se, concupivit plenus seire unde tam mira subito fulsisset pulchritudo.

Cumque in hanc tota intentione serveret, et jam se non caperet præ gaudio, ecce odor suavissimus illapsus est, et cantica quedam duleia sunt audita, et cuncta mira præter solitum. Ideo flores commemorantur, et odor, et canticum, et in omnibus dulcedo illa bonorum invisibilium et jucunditas designatur, et dicitur : *Flores apparuerunt, et vineæ odorem dederunt, et vox turturis audita est*. Et omnia haec in uno sunt, et omnia unum sunt, flores, odor, et canticum. Flores etenim sunt, quia monstrant speciem; odor est, quia fundit suavitatem; canticum est, quia sonat dulcedinem. Totum est, et hoc totum est, sed adhuc de longe. Quidquid ibi videtur, pulchrum est, suave est, jucundum est; sed quasi adhuc de longe est. Ideo adhuc gustu non percipitur, neque tactu attractatur, sed tanquam eminus constitutum auditur, odoratur, et cernitur. Et tamen mire etiam sic resicit, et trahit post se animam in concupiscentias sempiternas. Ideo ait : *Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Canticum i*). Et vox dilecti mei. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Canticum v*). Pulcher es, dilecce mi, et decorus, et totus desiderabilis : caput tuum, capilli tui, oculi tui, labia tua. *Fuge, dilekte mi, fuge, similis esto, dilekte mi, caprea, himuloque cervorum super montes aromatum* (*Canticum viii*). Flores ergo apparuerunt in terra nostra. *Vineæ florentes odorem dederunt*, et vox turturis audita est in terra nostra. Æterna itaque gaudia floribus, et odore, et canticum designantur. Et diximus, quod idcirco de gustu taciturni est, quoniam voluit demonstrare, quod de longe adhuc erant, et needum ad ea sponsa pervenerat, sed invitabatur ut veniret, et demonstrata sunt ei ut videret et concupisceret et properaret. Ideo convenienter designata sunt gaudia illa floribus, odore et canticum. Omnia enim haec de longe resiciunt, et delectant eminus constituta.

Multa autem sunt, quæ super his adhuc dici habuissent. Sed nos inopes sumus, et coactamur

scientia et sermone, nec sufficere possumus rebus tani immensis, et a nostra virtute tam sublimibus. Tamen non est tacendum illud quod se adhuc snggerit et offert manifestationi. Cum enim sint quinque sensus corporci, duo, id est tactus et gustus, magis sordibus appropinquant, et subjacent atramini, unde nec sinceram refectionem habere valeat, sed que purgatione egeat et defæcatione. Tres vero reliqui meram trahunt dulcedinem, et suas delicias magis ad jucunditatem animi convertunt, non enim ad necessitatem reficiunt, sed ad delectationem. Magna itaque rerum similitudo est, nec poterant invisibilia signis evidentioribus declarari. Sicut enim oculus rerum specie sine coquinatione pascitur, et sicut auris vocum suavitatem sine corruptione delectatur, sic, gaudia illa æterna suavitatem infundunt, et corruptionem non adducunt. Semper reficiunt, et nunquam deficiunt. Pascunt, et perseverant integra, ad fovendum se exhibent, et pernament incorrupta. Propterea flores apparuerunt, in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, et vox tururis audita est in terra nostra. *Flores apparuerunt.* Quales flores? Sicut lilia, sicut rosæ, sicut violæ: et non est flos, qui non habeat propriam speciem et pulchritudinem singularem. Omnis pulchritudo ibi est, ubi summa pulchritudo est. Unum bonum est, et omne bonum in illo bono est. Si flores nominas, si fructus nominas, totum ibi est. Nam et arbor est, et lignum vitae est, quoniam de ipsa Sapientia dictum est: *Lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam; et qui possederint eam, beati* (Prov. iii). Lignum autem vitæ plantatum est secus decursus aquarum, et fructum suum dabit in tempore suo; folium ejus non defluet unquam (Psal. i). Vide quod nihil ibi deest. Omnia ibi sunt. Florem habet, folia habet, fructum habet, nec folia deesse poterunt, quia et umbra ibi est, non tamen ad obscuritatem, sed ad refrigerium. Ipsa sponsa umbram ibi esse testatur: *Sub umbra illius, quem desideraverum sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cant. ii). Quid ergo illic querere possis, quod non invenias? Solum quod non est, ibi non est. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et quod factum est, in ipso vita erat (Joan. i). Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. ii). Et cum quid in eo videri incipit, non in eo esse incipit, quando videri incipit, quia quod ibi est, semper est, et semper totum ibi. Audi adhuc Sapientiam enumerantem jucunditates et delicias suas: *Ego, inquit, quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et pulchritudinis [honestatis]. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, quasi cypressus in monte Sion, quasi palma in Cades, quasi oliva in campis, et quasi platanus juxta aquam in plateis* (Eccl. xxiv).

Sed ne forte affluentia ista oblivicionem nobis inducat, et, relictis floribus, arboreos numeremus. Arboribus enim aliquid rigoris et duritiei inesse videtur. Nos vero incipientes et teneri, mollibus blandisque opus habemus; idcirco rursum ad flores

convertimur. *Flores, inquit, apparuerunt in terra nostra* (Cant. ii). Contemplatione ergo æternæ sapientie agitur, cuius aspectus desiderabilis omni jucunditate, et decoro plenus trahit concupiscentias sempiternas. Ideo flores apparuerunt in terra nostra. Qui per me introierit, dixit Sapientia, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet (Joan. x). Ergo intus pascua est, et ipsa est terra, in qua flores apparuerunt, cuius viror perpetuis nunquam marcescit, de quo dictum est: Super omne pulchrum viride (Isa. ii). Quanta enim putas pulchritudo in contemplatione æternæ Sapientiae est, ubi rerum omnium species sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate æternæ sunt? Si tam pulchrum est quod vere pulchrum non est, quid est quod vere pulchrum est? Ergo flores apparuerunt in terra nostra. Necdum fructus apparuerunt, qui reservantur in posterum; sed nunc interim flores apparuerunt, ut aspectum demulcent et desiderium accendant, quia hoc opus modo est, dum nondum pervenit quo invitatur ut veniat. Propterea flores apparuerunt in terra nostra. In qua terra est? Ubi est terra ista? Nec in cœlo, nec in terra est terra ista? quia et cœlum et terra est terra ista. Terra est quia nutrit et portat; cœlum est, quia protegit et illuminat. Terra ista in nobis est, et continet totum mundum. Tamen intus est, et non videtur nisi ab iis qui intus sunt. Invisibilis est enim terra ista, sed iis tantum qui tantum visibilia vident. Ista est terra, ubi lumen lucet quod impiorum oculi videre non possunt. Ipsa est terra, in qua flores apparuerunt, quia flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. *Ecce appropinquavit regnum cœlorum* (Matth. iii). Vineæ florentes odorem dederunt. Prius apparuit modo, jam ecce sentitur. Ecce odor ad nos usque pervenit. Vineæ florentes odorem dederunt. Primum flores vidimus, et non ibi erant flores vinearum; sed tamen flores apparuerunt in terra nostra. Nunc autem vineæ flores odorem dederunt. Illic jucunditas, hic utilitas. Illic delectatio, hic refectione. Illic species ad jucunditatem apparuit; nunc autem et ipse odor et ipsa dulcedo ad suavitatem et sanitatem sese infundit. Paulatim appropinquat, et magis semper ac magis crescit, et in perceptione dulcedo, et in clarificatione cognitio: et tamen nondum ad gustum perventum est. Nondum poculum illud inebrians ab ubertate domus ejus de torrente voluptatis propinatur. Nam et sponsa adhuc foris stat, et habet adhuc introduci in cellam vinariam, et idcirco de his in hujusmodi adhuc omnino tacetur tantummodo vineæ florentes odorem dederunt. Adhuc ergo flos, nondum botrus. Nusquam adhuc torcularia nominantur, nec musta fervent in ollis, ut vinum novum mittatur in utres novos, quia magna sunt ista, et sequentis epuli deliciis reservata. Modo tantum vineæ florentes odorem dederunt. Tantum vineas audivimus, et sensimus, odorem.

*Et tineat, inquit, florentes odorem dederunt (Cant. ii).*  
 Non ergo omnimodo relieti sumus, et nos spem habemus, et currimus donec perveniamus. Vineæ enim florentes odorem dederunt. Spes nobis data est futuræ ebrietatis, et ipsa spes suam interim habet refectionem, ut possimus sustinere, ne deficiamus in via. Nam vineæ florentes odorem dederunt. In flore spes, in odore refectione, et ideo vineæ florentes odorem dederunt. Et currimus, et sequimur, et festinamus inebriari, et cum pervenerimus, jam vineæ maturæ erunt et vina torculata, et intreribimus in cellam vinariam, et tunc deinceps de odore vinearum florentium nulla fiet retardatio. Nam haec omnia interim nunc ad inchoationem sunt et ad promissionem, et cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor. xiii*). Modo ergo vineæ florentes odorem dederunt. Res mira, ibi maturæ sunt, et incipiunt hic pro modo nostro velut flores habere nondum maturos botros. Nec nobis ideo tardandum est si modo florent vineæ, quasi tempus vendemiarum præveniamus, si curramus et ideo sensim ambulare velimus, quoniam multum adhuc supersit a flore usque ad botros maturos. Non sunt vineæ illæ sicut quas novimus, exteræ vineæ istæ. In te enim est quando maturescant. Nam tibi florere incipiunt, et tibi maturescunt. Sibi enim semper maturæ sunt; et tibi maturæ esse incipiunt, cum tu eis cœperis esse maturus. Si tardant, propter te tardant. Nam sibi festinant quantum vis. Idecirco ne timeas, sed festina tu. Et si jam odorem percepisti florentium, propera fructum carpere maturum. Audisti enim quid sponsæ dictum est. Quod enim illi dictum est, tibi dictum est; si tamen tu fueris ut unus de sponsi amicis, vel una de response adolescentulis. Omnes enim isti ad unum invitantur convivium: nec poterit vel ut sponsus sine amicis convivari, vel ut sponsa sine adolescentulis suis. Audi ergo tibi quod dictum est illi, quia quod dictum est illi, cum illa dictum est itidem tibi: *Surge, inquit, propera, amica mea, quia hiems transiit, imber abiit et recessit: et jam flores apparuerunt in terra nostra. Vineæ florentes odorem dederunt.*

Et novissime adjunxit, quasi unicum aliquid et singulare commendans: *Vox turturis audita est in terra nostra (Cant. ii).* Quid nunc dicere poterimus nos de voce turturis? Et tamen ne forte in mentem veniat, vel super cor ascendat, quia turtur gemitum habet pro cantu, planetum hic significari, non canticum: non ista modo recipimus in nostris gaudiis. Nam vox turturis amoris canit et dilectioni, et habet singularem dilectionem turtur cui canit, vel praesenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, et non novit aliud praeter amorem turtur. Et illi singularis amor est qui soli non adjungit alterum; et æternus, qui nec primo secundum. Ergo vox turturis amoris cantat, et amoris

canticum est vox turturis. Et ardent corda ad vocem turturis, et vox turturi audita est. Quæ est ergo vox turturis, de qua dicitur: *Et vox turturis audita est?* Et quid sonat vox turturis? Significationem habet vox turturis? quid dicit? Unum est, quod sonat vox turturis; et semper illud sonat, et resonat, et non fastidit unquam. Nunquam turtur vocem suam variat, nunquam canticum suum mutat; semper idem canit, quia semper idem diligit. Ergo vox turturis audita est in terra nostra. O vox turturis, quam dulcis es! Et quis dignus erit audire vocem turturis? In solitudine canit turtur, et semper turtur solitudinem diligit, quia singularem dilectionem querit. Non auditur in plateis vox ejus, neque foris clamorem suum proferet. Intus resonat, intrinsecus canit; et non possunt audire turturem, nisi qui intus sunt. Qui elongant in solitudine, qui secretum inhabitant, qui in silentio requiescent, isti sunt, qui vocem turturis audiunt. In horrore visionis nocturnæ, quando sopor solet occupare homines, tunc aperit corda virorum, et vocem ejus audiunt. Ibi verbum absconditum et secretum revelat amicis, et ipsi venas susurri ejus percipiunt, et secretum suum custodiunt, et ipse ablactat et educit in solitudine sponsam, et dulcibus alloquiis vocat, et monet, ut egrediatur, ut ibi loquatur ad cor ejus, et det illi intelligere charitatem.

O speciosa inter filias! audisti vocem turturis, audisti et intellexisti! Intus loquebatur, et tu intus eras, et ideo audisti, et intellexisti, et dixisti: *vox dilecti mei (Cant. ii).* Intellexisti enim, quia vox dilecti erat, et de dilectione erat, quia et audisti et intellexisti, ideo et tu dilexisti et dixisti: *Vox dilecti mei.* Intellexisti, et dixisti. Non enim intellexisses, nisi dilexisses, quia dilectionis verbum erat, et non poterat nisi a diligente intelligi. Dilectus loquebatur, et dilecta loquebatur, et dilectio commendabatur. Quia ergo vocem dilecti audisti, et dilectionem intellexisti, ne differas ultra, ne amplius moram facias. Surge velociter, aperi pessulum ostii tui, et egredere ad illum, ut videoas faciem ejus; et si fugerit, tu sequere super montes aromatum (*Cant. v*). Secura enim curris, quia venis de Libano, quia candida venis et munda. Venis casta et immaculata, ideo secura curris de Libano super montes aromatum (*Cant. viii*). De merito castitatis ad præmium beatitudinis, ideo de Libano super montes aromatum. Ibi exspectat te, qui natus est ex te, illuc præcessit te. Illic est filius tuus ille, et dilectus tuus; ille, qui vocat te, qui invitat te, qui venientem de Libano præcedit te, et exspectat te super montes aromatum. *Ibi flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt. Ibi vox turturis audita est in terra nostra: surge, propera, amica mea, et veni de Libano, veni, coronaberis (Cant. iv).*

## ROBERTUS PULLUS, S. R. E. CARDINALIS

I. — *Regina angelorum, mater Salvatoris Maria Virgo. — Semper Virgo Maria, facta mater Salvatoris, ultra quam dici queat, crevit.*

Si angeli non homines offendissent, cedentium stantes loca utique replerent. Et si ita placearet Deo, merito virtutum parti utrius prorogandi, si non numero, vel pretio totam aequiparent summam illam quæ de hominibus erat colligenda, et angelis illis qui erraverunt si minime erravissent. Sed et homines erraverunt. Verum de errore quotquot voluit Redemptor eripuit; ereptorum autem summam summae modo dictæ non solum æquavit, imo etiam prætulit, licet forte non paritate numeri, at transeensus meriti. Si enim sancti, angelis etiam confirmatis, sunt, ut aiunt, in regeneratione parificandi; angeli vero, ut ratio videtur, reliquis elatione feedatis, quoniam exemplum malitia recusaverunt, tam meruerunt propter statum augeri, quam illum propter casum minui (hoc profecto carituri augmento isti, nisi deliquerint illi), dubium non est quin longe immensioris meriti sint homines futuri, quam angeli extitissent, si nulli corruissent. Angeli quippe jam tanti, et homines in futuro, ut dictum est, sibi sperantur coæquales. Quare? quia et homines sua culpa viam justitiae deseruerunt, sed Dei gratia rediit, jam experti jacturam longe vivacius forsan arripuerunt: nimirum nisi prævaricati essent, futuri feliores, nunc autem nihilo facti deteriores. Transgressio ergo miseriam importavit, misericordia Dei sanctimoniam reparavit, aut, si ita credi oportet, auxit. Nam iuxta Apostolum: *Virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor. xii, 9*) Ergo quies bene agens meretur vitam; at militia, dum triumphat, gloriam: nam militia irruit, hinc suggestoris illecebra, inde tribulantis vesania. Sed utique fortitudine fulta oblectans concuti potest fragilitate mundana, subrui non potest Dei sublevante gratia. Nihil ergo damnationis est, licet titubet pro passione, dum dissentit ratione; aut etiam si humana fragilitate tacta cadit, quid nocet dum deinceps cautor, imo et humilitate melior resurgit? Nam *Spiritus omnia cooperatur in bonum* (*Rom. viii, 29*). Si ergo defuisisset lucta, defuisisset palma. Tolle stadium, tolletur et bravium; agonista jam non est: cautela prior sua cum humilitate deperiit, patientia recessit, et si quæ sunt cæteræ exercitio dependentia, quibus sine, si quietem agas, potes esse vir bonus, non potes esse miles bonus. Arripe haec arma, jam utrumque es, melior ergo es.

Ista eo spectant, ut sicut homines servata fierent obedientia perfecti, ita modo post perditam, miseratione Dei fieri sperent perfectiores. Neque enim siminur ambigere sit ne sancta Sion post excessum Adæ majoris excellentiae, cum [enim (*al. etiam*)] bis ejus unum, imo summum, id est, caput totius corporis neverimus Salvatorem nostrum Jesum, secundum reginam angelorum, matrem ejusdem in-

temerataam Mariam virginem. Mater vero [sic-  
nt] tanta fecunditate decorata, tantæque sobolis  
pretio redempta, nisi Redemptore equisset, lumina-  
ribus his tanquam sole et luna irradiata non fuisse-  
set, atque ideo nisi peccato inficeretur, curari non  
egens, longe inferior existeret salute servata, quam  
nunc restituta.

Nec solum civitas illa in se illustrius nitet, sed et  
cives illustriores obtinet. Namque semper virgo  
Maria, facta mater Salvatoris, ultra quam dici  
queat, crevit. Nonne ergo et sancti facti fratres  
Christi similiter crescunt? Utique crescunt, sed ut  
mater ipsa, ut fratres ipsi. Quomodo ut fratres?  
utrum solo honore? honor vero quid est nisi vani-  
tas absque comite utilitate? facti igitur videntur et  
merito meliores, et fratre Deo digniores; nimirum  
fratrem se declarabat dum Patri de fratribus per  
Prophetam aiebat: *Narrabo nomen tuum fratribus  
meis.* (*Psal. xxi, 23*). — (*Sentent. lib. ii, cap.  
17.*)

II. — *Maria intacta perpetuaque Virgo. — Quo-  
modo concepit de Spiritu sancto? Veneranda Virgo  
angelo respondit et Filius Dei advenit. — Vere Dei  
Genitrix.*

Agni immolatio veteris cessavit, novi cœpit: quem  
intacta viro concepit de Spiritu sancto. Intacta viro,  
ne ex libidine conceptus necessario nasceretur qui  
de corruptione reliquos literaturus veniebat. Quod si  
Deus potens est, ut vere est, ab omni æstu fœditatis  
maris et feminæ commissionem nunc quoque  
expurgare, more quidem inusitato nobis, ve-  
rum parentibus primis ante reatum debito:  
non tamen oportet in Deitate Patre Deo ve-  
nerandum, in humanitate quoque hominem pa-  
trem sortitum, eumdem duos habere patres;  
verum unum patrem, alteram matrem; matrem  
ex natura hominis, sed absque officio patris;  
patrem in natura Deitatis, sed sine cooperatione  
matris, ut sit ipse idem homo ex matre sine  
patre: Deus ex Patre sine matre, filius mirabili-  
ter matris, mirabilius Patris. Ergo *generationem  
ejus quis enarrabit?* (*Isai. LIII, 8*.) Pater castus  
gignit, Mater virgo parit, impletur Isaiae vatici-  
nium: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* (*Isai.  
vii, 14*). Quid est concipere, nisi semen de viro  
susceptum retinere? Non sic ergo, sed aliter Virgo  
concepit, utique non de viro, sed de Spiritu sancto.

Quomodo tamen de eo? Sicut ex coitu viri  
utrinque semen elicitor, sed turpiter, quia arden-  
ter, sita per Spiritum sanctum ex Maria virginie  
portio illa, quæ in hominem formanda erat, perso-  
naliter separata est; procul dubio venerabiliter,  
quia absque libidine. Parum dico, quia et absque  
originali omni labore. Nimirum ita illum decebat, qui  
hoc gerebat. Is enim homo de Spiritu sancto conci-  
pientebatur, non ut de patre, verum ut de conceptio-

nem procurante. Quippe Spiritus sanctus non hominem illum genuit, sed genitaram ejus, imo totam humanitatis seriem procuravit; non tamen solus, sed Pater et Filius. Opera quippe Trinitatis indivisa, divisim solent tractari propter personarum distinctionem. Unde dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal. xxxii, 6*), quasi cœli singulariter sint opera Verbi, virtus autem eorum Spiritus sancti. Et plura in hunc modum, ut per opera quæ diversorum diversa non sunt, tamen, dum diversis diversa assignantur, perpendamus in personis diversos, quos alibi doceatur in substantia unitos. Unde ter dicto *Sanctus, sanctus, sanctus* propter Trinitatem; semel subiungitur *Dominus Deus Sabaoth*, propter unitatem. Pleaque Spiritui sancto ascribuntur, maxime quæ nobis salubria Trinitas sancta ex amore largitur. Amor medius diversos inter se connectit, et Spiritus Patris communiter et Filii ex utroque procedit. Merito igitur quæ ex amore proveniunt Spiritui sancto, quia amori comparatur, specialiter convenientur.

Quocirca quoniam opera Trinitatis eadem esse necesse est, incarnationem Filii tota Trinitas operata est; incarnatus tamen nonnisi Filius est. Et quoniam ubique est Trinitas Deus, in utero quoque Virginis erat, imo et in carne quæ ibidem homo siebat. Solum tamen *Verbum caro factum est* (*Joan. i, 14*). Pater et Spiritus sicut ubique, ita et in illa carne. Filius et aliter in carne quam ubique; ubique est, sed nusquam unitus. In carne est, et personaliter unitus.

Verum hoc uniri sive incarnari, seu carnem sumere, quid est nisi opus Dei? quomodo autem id fieret, nisi Deus ficeret? Quod si Dei est, atque ideo totius Trinitatis, quare soli Filius datur incarnationis? Sed tota Trinitas instituit, solus Filius carnem accepit. Aliud est facere, aliud est in facto esse: est enim Deus in figura, quam non modo facit, quia jam fecit, quorum utrumque ita est singulorum, ut si pariter trium. Est tamen Filius tali modo alicubi, ut nec Pater nec Spiritus eo modo sit ibi. Est enim in humanitate assumpta, 'unitate personæ Filius, quo modo nec Pater est ibi, nec Spiritus.

Opus ergo et mansio totius Trinitatis humanitas; sed in humanitate solius Filii personæ unitas: haec unitas est susceptio humanitatis, mysterium incarnationis, *Verbum carnem factum esse*: et si quo alio modo benignitas et humanitas Salvatoris nostri designatur. Quod totum nihil aliud est, quam Deum esse in homine unitate personæ. Sed a Patre et a Spiritu alienandum est istud unum, ergo et illud totum: *Filius ergo unitur solus*.

Quando tamen unitur? Num in ipsa conceptione, id est dum originalis portio separatur a massa, an hominis effigie completa? Quod si homini formatio Deitatem cum anima contendimus unitam, utique ratio non obstabit, nisi quia super

illud capitulum, quo veneranda Virgo cœlesti respondit nuntio: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. i, 38*). Plerique dicunt, non quidem absurde, *simul cum hac concesione Filium Dei advenisse*. Si ergo cum conceptu, qui vere exstitit quando Gabrieli Virgo assensit, Filius Dei accessit, seque concepto coniunxit; fortasse miraberis unam substituisse personam, ex Filii majestate et humanitatis semine: sed mirari desiste, recogitans post separationem corporis ad invicem et animæ, haud secus ac prius divinitatem unitam utrique. Vita ergo corpus cum anima, non autem cum Deo coniunxit; quoniam mors corpus ab anima, non autem a Deo disjunxit. Sicut enim post mortem, ita ante vitam, vivus cum non vivo; Deus cum corpore jungi facilius creditur. Unde plerique fideles pleraque per loca ad generale fragilitatis nostræ subsidium, orationem ita inchoant: *Sancta Dei Genitrix, quæ digne meruisti concipere, Quem totus orbis nequivit comprehendere*, etc. Ergo Dei Genitrix illum concepit Quem totus orbis non comprehendit, attingentem a fine usque ad finem, majestate cujus repletur omnis terra. Unde patet quoniam Dei Genitrix Deum concepit: nam quomodo Dei Genitrix esset, nisi Deum concepisset? Quid est hominem concipere, nisi seminarium humanitatis suscipere? Quid ergo est Deum concipere, nisi seminario personaliter unitum Deum suscipere? alioquin, quomodo concepit quem nihilominus et ante habuit, quoniam nusquam deesse poterat.

Concepit itaque hominem, quando quam corporis sui portionem habuerat, habere coepit separatam ut alterius hominis materiam; concepit quoque Deum, quando quem communis aliorum modo habuerat, habere suo singulariter modo coepit in utero incarnatum. Unde in Symbolo quoque consitemur eumdem Filium Dei conceptum de Spiritu sancto quoniam a matre est conceptus de Spiritu sancto. Unde et alibi de eodem cantamus: *Descendit de cœlis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est*. Igitur quoniam virgo Maria Deum concepit, quando concipiebatur nisi cum incarnabatur? quid enim aliud est Deum concipi, quam incarnari? unde fortasse pro eo quod in Symbolo dicitur: *Conceptus de Spiritu sancto*, alibi habetur: *Incarnatus de Spiritu sancto*. Quippe ex quo descendit, mox illum Virgo concepit.

Quid est tamen quod descendit, qui et in cœlis post remanebat, et antea totam terram replebat? quomodo descendit de cœlis, unde nunquam recessit? quomodo descendit, ubi semper mansit? Impossibile est moveri loco, quem omni necesse est adesse loco.

Sed descendit, cum cœlo notus per divinitatem, nosce in terra coepit per humanitatem. Itaque per substantiam non descendit, per notitiam descendit. Haec autem notitia ex incarnatione facta est. Unde

predicta descensione mox additur incarnatio. Aut potius de cœlo descendit, cum incarnando in terram se humiliavit, teste Domino: *Exivi a Patre (Joan. xvi, 28)*. Unde et Apostolus: *Exinanivit se formam servi accipiens (Philipp. ii, 7)*. Nam majestatis erat quasi abolitio, servilis formæ susceptio. Igitur de cœlo descendit in terram, cum ex maiestate se depositus in carnem: nec tamen quod erat deseruit, sed quod non erat assumpsit, unde nihil aliud est descensio, nisi incarnatio. Ideoque descensu Filii dicto, expositionis gratia, agitur de incarnato, post subditur: *Factus homo (Joan. i, 14)*; nimis prius est concepiendo incarnatus, post *homo factus*. Quod fortasse evangelista intellexit, dum dixit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis (ibid.)*. Verbum caro factum est, ex quo incarnatum est; habitavit in nobis, postquam homo factum est.

Non tamen siebat caro, quomodo nec homo, ver-sibilitate naturæ, verum conjunctione. Non enim divinitas versa est in humanitatem, ne sit confusio substantiæ; sed hæc illi conjuncta est, ut sit unitas personæ. Utraque auctoritas altera per conceptum, altera per incarnatum, eundem Dei Filium innote- seit, mortuum atque sepultum: quod nunquam vere diceretur, nisi in unam convenienter personam Deus et mortuus sive sepultus. In hunc modum plerisque legendo locis invenies, matrem Dei Mariam concepisse Deum et peperisse, Deum passum, cæteraque magis congrua humanitati. Quoniam quoties diversæ naturæ personaliter uniuntur, consuevit et Scriptura et quotidianus usus, quod est alterius, alteri assignare. Unde quilibet homo prudens aut stolidus merito pronuntiatur, dum animæ prudenti aut stolidæ copulatur; ea autem absente, neutrum vere diceretur. Deus ergo nec sepultus, nec mortuus, nec incarnatus, nec conceptus recte videretur, nisi conceptui atque carni, mortuo quoque ac sepulso, modo junctus personali intelligeretur. Sicut Filium Dei nunquam vocares filium hominis, nisi una persona Deum et hominem fuisset complexa. Deus factus est homo, et cum unum et alterum sunt, tamen unus; sic Filius Dei factus est filius hominis: et cum sint duæ essentiae, et tamen unus, nonne etiam sunt unus Filius? Similiter sapiens Dei Filius, sapiens hominis filius, ita quoque Magister, Redemptor, Salvator, nonne ita duæ sunt naturæ, persona tamen una, ut sint Redemptor quoque unus et Salvator, Magister quoque et sapiens unus, juxta illud: *Unus est enim Magister vester (Matth. xxiii)*. (*Ibid. c. 15, 16.*)

### III.— *Filiū Dei claustra virginitatis integra suscep- perunt, integra quoque ediderunt.*

Sed quomodo Jesus juxta Evangelium etiam puer, plenus erat sapientia et gratia, cum pleno viro plena sapientia et gratia magis apta videatur? Num quod non erat puer specie apparebat, quod vero erat

vir plena quantitate latebat; sicut resurgens quam deposuerat veterem, ut cognosceretur, formam discipulis ostendit, novam immortalitati obnoxiam, quam mortales ferre nequirent, celavit? Num ergo matris in alvo virilem obtinebat quantitatem, licet natus infantilem nostris pratenderet obtutibus, juxta illud, *Ecce faciet Dominus novum: Mulier circumdat virum? (Jer. xxxii.)* Quid enim est circumdare virum, nisi in utero habere hominem jam ad ultimum, quod utique novum est et inauditum? Sed virum non quantitate, verum sexu intelligendum puto. Quare igitur novum? Quoniam ex sola matre absque patris cooperatione genitum. Nam parvulum sæpissima iteratione Scriptura dicit, imo et intelligit. Ratio quippe postulabat, ut, exclusa peccati macula, perdisequaque ejus ignorantia, parvitatem pueritæ, quam nascituris et natura tribuit, et necessitas requirit, sibi Dominus nostram vere naturam induendus assumeret: culpam enim atque insecitiam, quoniam Deo minime competit, abdicavit: carnem nostram etiam parvam, reliquis cum defectibus, quoniam redemptioni profuturam putabat, assumpsit. Quod utique Scripturis magis consonat, hominumque moribus concordat, hoc naturæ placet, ratioque probat. Licet enim hoc facile Christo fuerit, ut sicut se discipulis in Cœna sacramentaliter percipiendum, totum et integrum, licet mortitum, singularis exhibuit; ita triginta annorum magnitudo ventris in arco comprehendenderetur, tanto utique mirabilius, quanto rationi humanæ incomprehensibilius. Attamen fieri non oportuit, neque dici, ne hæreticorum versuta perversitas, reperto fulcimento, disfiliillime subrueretur, metiens omnia que fides certissime astruit, nou secundum veritatem rei, sed ut putabatur, et extra apparebat intelligenda. Nam si non pro vero, verum ut putabatur, parvulus in utero, parvulus natus, parvulus crevisse atque ad robur usque virile quibusdam gradibus pervenisse intelligitur, cur non hæresis simili ratione dicat quod mira fecerit, quod mira dixerit, quod crucifixus mortuus sit, quod sepultus resurrexerit, denique quod incarnatus sit, putatum est, et non est verum?

Rationi ergo et auctoritati consentientes, imo catholice fidei qua Catholici sumus obviare timentes, fatemur ac certissime asserimus Dominum nostrum pro capacitatem uteri parvulum more nobis usitato creuisse, ac inusitato natum esse: eum namque virgo concepit, virgo peperit: quippe quoniam absque ardore peperit; virtute Altissimi obumbrante, in castitate concepit; eadem virtute operante, illæsa peperit. Et quem claustra virginitatis integra suscep- perunt, integra quoque ediderunt.

Sed princeps per portam clausam (*Ezech. xliv, 2*) in perpetuum procedens de thalamo suo in eundem thalamum, quo ingressu usus est? si substantiam hominis attendo, plane ab utero exivit, in uterum non intravit; si substantiam Dei considero, illam nec locum ingredi, nec loco egredi decet, quoniam non est locus unde desit Dominus: quippe Filius

Dei et antea exstitit in utero Virginis; sed postmodum ibidem aliter esse cœpit, aliter utique non usu habitationis, verum unitione carnis. (*Sentent. lib. iii, cap. 27.*)

**IV. — Dei Filius gloriosam Mariam benedictam invenit, vel potius fecit.**

Quod si hominem Deus excedit in bonitate, excebat quoque in potestate: divinitas quippe hominem quemassumpsit ipsa creavit, potens illi quamplurimos creare pares. Posset quippe Pater, si vellet, in altero homine incarnari, Spiritus sanctus in tertio. Hoc fieri potuit, sed ut fieret opus non fuit: sive enim ad potentiam, sive etiam ad humilitatem, atque misericordiam Verbi pertinet incarnationis, quoniam tria hæc Trinitas tota indissimiliter habet, Patrem cum Spiritu sancto nulla difficultas, sed sola ab incarnatione voluntas detinuit, ne minus conveniret, si qui in Trinitate Filius non est, in hominie filius fieret.

Dei ergo Filius factus Mariæ Virginis filius, nonne sieut beatam Mariam maluit, aliam matrem eligere potuit? utique, quoniam Omnipotens sola id gratia agebat, in saecularum qualibet virginum homo fieri

poterat, nisi quia gloriosam Mariam benedictam in mulieribus invenit, vel potius fecit. Cur autem eam et non aliam idoneum sibi parare habitaculum maluit, ipse novit, id nobis forte manifestatus, cum ei similes erimus. Qui et sine matre homo fieri sciebat, nisi quia hominem inter homines converstantem similitudo nascendi decebat. (*Sentent. lib. iv, cap. 2.*)

**V. — De officio Gabrielis. — Virgini Matri incarnationem annuntiat.**

Gabriel *fortitudo Dei* interpretatur, quoniam negotiis quæ viribus egerint, qualia sunt bella, præfertur. Unde Virgini Matri ejus incarnationem annuntiat, qui aerias potestates debellare veniebat. Huic archangelo angelorum exercitus famulatur. Et quis nisi es qui sub tanto principe arduis gerendis cooperetur? Horum videntur ministerio bella justa inchoari, injusta præpediri, male autem cœpta leniri, bene copta administrari, et modo ad victoriam modo ad pacem perducí. Quorum quoniam virtus seditiones dispellere videtur, merito quoque foedera pacis astringere aestimatur.

### SANCTUS BERNARDUS, ABBAS CLARÆVALLENSIS.

#### I. — LAUDES GLORIOSÆ V. MARLÆ.

Syllabæ cœlestibus sacramentis plenæ, ore polluto, amorem mihi, et verecundiam intermitunt, quia vir *pollutus labiis ego sum* (*Isa. vi, 5*), cor immundum habeo, pollutam linguam rubigine pollutionis tinea denigratam. Ægra est conscientia quain tinea ad ultionem corruptionis corredit. Ad loquendum igitur de hac salutatione non solum sermonis infirmitatem, sed et silentium profiteor. Supercedebit ignis mili, ut non possim videre hunc solem in radio, imo radium, de quo sol verus procedit. Syllabas hujus salutationis cœlestibus sacramentis plenas de illo libro credo sumptus, queni signatut vidit Isaias qui si detur scienti, vel non scienti litteras, neuter legere poterit (*Isa. xxix, 11*). Regina cœlorum haec est, de qua loqui intimir, sed mater misericordiae terret hoc; solatur illud, sed quia mater misericordiae pro peccatoribus est facta porta Cœli, præsumit misericordiae confidentia quod dissuadet misericordiae altitudo. Scio siquidem quod fracti sunt ad numerum dentes mei. Scio certe quod non est splendida laus in ore peccatoris, et cum nou præsumperim psalmum, ut det tympanum sonum suum, *tanquam æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor. xiii, 1*), sed licet vox discordet a vita, scio tamen quod verbum de regina est ex altitudine magis gloriosum. Dicamus ergo: *Ave, Maria, gratia plena* (*Luc. i, 28*).

O nova, o cœlesti nectare delibata. O vere præ-

dicanda salutatio: *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant. iv, 16*); perfla nobis syllabas hujus salutationis in dulcedine, ut fluant aromata illius. In hac salutatione quellibet syllaba odore paradisi redolet, quia verba hæc vere sunt cœli melle mellita, et quia de throno procedunt in hac valle lacrymarum peregrina, vix habitant domos luteas Evæ filiis intelligenda. *Nardus cum croco, et crocus cum nardo fistula, et cinnamomum, myrra, et aloë, cum universis lignis Libani* (*Cant. iv, 14*). In salutatione mutua dulcedine respirant nitor verborum grammaticus, titubator dialecticus, exornator rhetorius, et his verbis obstupescunt quod mirabilis salutatio procedens a throno lampades habet coruscantes, ut lychnum pectoris perspiciat et illustret. Hæc salutatio in sacrario Trinitatis est digito Dei conscripta, cum in consistorio cœlestis palatii a notatione majestatis sumpsisset originem, uni de fortissimis palati ad deferendum est delegata. Gabriel namque *Dei fortitudinem* Hebræus interpretatur. Mittitur namque Gabriel archangelus, et egreditur de Rege ad reginam, de Imperatore ad imperantem, de civibus cœli ad condominam palatii. Ingreditur ad Virginem regis perelectam, et eo forte alacerius, ut cum angeli prius haberent Regem, habituri essent et reginam, et ut ad supplendam ordinis angelici ruminam, peccatores ingredi viam paradisi, *mater misericordia*, regina angelorum, porta fieret Cœli. Ingressus ergo angelus: *Ave, inquit, gratia plena, Do-*

*minus tecum.* Libet intueri, libet amplecti, libet admirari in hac salutatione titulos imperatricis nostræ radiantes in diademe, et ipsius gemmas contemplari. Inspice syllabas hujus altissimæ salutationis, et invenies in sigillo imperatricis nostræ, quasi characteres spiritualis gratiae annulo auctoritatis impressos. Videtur mihi videre in hoc sigillo quasi quatuor potentissimi luminis gemmas mutua redumbinatione rutilantes. Quarum prima est *Gratia plena*, secunda *Dominus tecum*, tertia *benedicta tu in mulieribus*, quarta *benedictus fructus ventris tui*. Quaram tres tulit Gabriel de ccelo, quartam loquente Spíritu sancto per os Elisabeth prophetantis expressit. Pereminet autem his quatuor veluti in fronte signilli siderum nomen Virginis, videlicet *stella maris*, quia sequentibus in mortali luce intimi luminis radios refundit. Turbulentissimo hujus mundi profundo superposita est hæc stella maris, ut a scopolis muniat, a fluctibus eripiatur, a piratis defendat, ad portum perducat. Quot autem, et quanta sint hujus impacatissimi maris pericula omnes filii Evæ ingemiscunt, qui vel ad prænias suspirant, vel exsilium deplorant. Tota enim vita præsens tentatio est, de qua nimis vincitur quisquis vinci non veretur. In hoc enim mari magno, et spatio manibus tot reptilia sunt quot vitia, tot naufragia quot excessus. O fidelis anima, in omni naufragio tuo leva oculos ad radium hujus splendidissimi sideris. Inspice stellam, invoca Mariam. Fige mentis aciem in hoc serenissimum lumen. Si cadis, resurges. Si mergeris, erigeris. Si petis, accipies. Si vadis, evades. Nonne splendida speculatione hujus splendidissimi sideris *Theophilus* involutus de profundo æternæ damnationis enatavit? Nonne contemplatione hujus serenissimæ claritatis *Basilius* in precibus exauditus consolationem accepit? Hæc stella maris cœlos exornat, terras illustrat, mare illuminat, abyssum penetrat. O singulare remedium omnibus, qui tam causa originis, quam damnationis Evam matrem circumferebant, qui in has tenebras exteriores, inferiores projecti tanti sideris claritate post tantæ mortis umbram inveniuntur! Hanc stellam si ægris inspexeris oculis sanat, si proficiens confortat. Hæc stella vere medicinales habet radios, quæ fugat tenebras, urit vitia, auget virtutes, et quanto magis inspexeris, tanto magis illuminat. Hanc stellam, si in profundo sis, suspice; si nunquam vidisti, aspice; si desuisti, respice; si magis illuminari vis, inspice. Hæc stella levat de profundo, monstrat viam, imo in portum dat sine periculo.

Domine Jesu Christe, sol æterni luminis, qui voluisti ut mater tua esset stella maris, per stellam ipsam, quæso, illumina tenebras meas. Hæc stella maris radios habet cœlis admirabiles, inferis terribiles, terris salutares. Hoc præclarissimum sidus admirantur, et laudant astra matutina, et jubilant omnes filii Dei. Ad hujus credo novitatem sideris tota fraterna multitudo proclamat: *Quæ est ista quæ ascendit?* (*Cant. III, 6*), et est terribilis, inque portis

inferni propter virtutum quibus præeminet excellentiā. Terribilis Judæo, terribilis Manichæo propter fecunditatem inauditam. Terribilis, inquam, hæreticis, qui in filio Virginis naturam confundunt, vel personam. Terribilis omnibus certe, qui de partu Virginis conjecturis naturalibus hebetati cœleste mysterium terrena argumentatione sugillant et corrodunt. Ad hujus cœleste radium lippit Judæus, obtunditur hæreticus, Christianus illuminatur. Lux enim, quæ sanos delectat oculos, ægros offendit.

Tibi autem, o fidelis anima, hujus stellæ radius illustrat mentis aciem, et depellit cœcitatem. Hæc est enim *gratia plena*. Plena, inquam, dulcedine, plena omni suavitate. Hanc enim inventor gratiarum omnium, distributor charismatum, Paracletus in accubitu totius Trinitatis tanquam regale palatium ornato mirabili præparavit. Ædificavit enim sibi domum in ea Dei sapientia, et spirituali opere columnas in ea septem erexit, dum illum Virgo gestavit in utero, in quo omnis pulchritudo divinitatis corporaliter habitavit. Si vasa pigmentorum diu servant aromatum fragrantiam, et diu retinent odorem, quem prius reperunt, quanto magis apotheca omnium gratiarum, in qua cœlestis pigmentarius cum omnibus suis unguentis se collacavit, et cum omnibus deliciis accubuit, *Nardus* Virginis dedit odorem suum (*Cant. I, 11*), et regem de accubitu gloriae attraxit, et virginis auke sacramentum angelorum plenitudo implevit. O inviolabile castitatis lily! Beatissima Virgo Maria, tu es vivum vivi Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, cella pigmentaria, thalamus Sponsi, aureum vivi Salomonis reclinatorium, lectus cœlestium nuptiarum, cœtus aromatum, paradisus omnium deliciarum. Tu plena gratia, de qua nobis plene plena gratia emanavit, quæ nobis omnia Pater cum Filio dedit, et merito cœteris es plenior, quia *Dominus tecum* in corde, tecum in utero, tecum in opere, tecum in verbo; tecum, ut te sanctificet, tecum, ut te conservet, tecum, ut in te inhabitet, tecum, ut te faciat matrem de filia, reginam de ancilla, cœlum de terra. *Dominus tecum*, qui misit me, *Dominus tecum*, qui loquitur in me, *Dominus tecum*, qui prævenit me. Sub eo, qui miserat, discurrebat angelus, sed mentes prævenit, quia velociter eucurrerit sermo ejus. Deus vero in omni creatura est, quodammodo eum significat in propositione, cum dicatur fuisse in Maria virgine. In prophetis quidem, et apostolis fuit per inhabitantem gratiam, sed longe aliter in Virgine, quæ facta est ipsius habitantis gratia gratiae habitaculum, et in ultraque natura inviolatum Verbo Deo præbuit hospitium. *Dominus tecum* Pater cum Filio, *Dominus tecum* Filius cum Paracleto, Trinitatis opere indiviso. Et ideo *Benedicta tu in mulieribus*, quæ singularis meriti es, *Benedicta tu in mulieribus*, quæ mulier salvatrix es, *Benedicta tu in mulieribus*, quæ mater et virgo es. O vere femina super feminas benedicta! O benedicta super omnes benedictas præelecta! O

vere præelecta super omnes præelectas unica! O vere gemma inæstimabilis de thesanro sapientia cœlestis producta, et totius Trinitatis artificio inseparabili- ter adornata! O mater, et matrem gloria! O singu- laris puerpera, de cuius partu stupet Romanam et fides, miratur natura, fugit consuetudo. Utrumque enim supra rationem est; utrumque credere fidei meritum est: et que mater virgo, et qui Deus homo. Mater Eva, mater doloris, quæ prius filios damna- sti quam pareres, amplectere cum omnibus filiabus pedes hujus novæ matris, quia ipsa tollit antiquam amaritudinem, tollit opprobrium, rescindit damnationis chirographum, delet proscriptionem.

O Virgo, virga nobilis, virga Jesse, per quam in ramo convaluit, quod perierat in radice. Radix amaritudinis Eva, radix æternæ dulcedinis Maria. Haec est miranda, et profundissima dispensatrix sapientie, quæ talis virga nasceretur de tali radice talis filia de tali matre, talis libera de tali proscripta, talis imperatrix de tali captiva, tam flo- rens rosa de tan sicca spina! Mater tua vix habuit innocentiam, et amisit. Vix stetit, et cecidit. Non dum pepererat, et nascituros damnavit. Sed beatissima virgo Maria contra lethiferum suasenit venenum facta est regale antidotum, ut ex suo utero præpararet medicinæ cœlestis arcanum. Tu es vere benedicta in mulieribus, quia tu es mira medicina, virginum deus, innocentie speculam, castitatis exemplum, integratatis forma, ut adducantur regi virgines; servit iis virgo mater prima, et proximæ ejus post eam afferunt letitiam, et exsultationem. Si enim filiæ regis in exsultatione, honore sponsi, si filiae Tyri intrant (*Psal. XLIV*, 13) ad nuptias, quanto magis tu Virgo, mater Sponsi, regina virginum in vestitu deaurato circundata varietate (*Ibid.*, 10), omnes choros cœlestium spirituum exornas. Tu es igitur ornementum cœlestis euriæ, stupor angelorum; tota unum miraculum, tota unum inestimabile novum. Tu es via compen- diosa in cœlo, obses fidei, arca spei in cordibus fidelium. Tu es inter Deum et hominem vivum vivi foederis tabernaculum. Tu es propitiatorium, quod non solum obumbrat cherubim, imo, et totius Trinitatis sanctorum sancta. Vere igitur *Benedicta tu in mulieribus*, quia benedictum nomen tuum. Ben- edicta maternitas tua, benedicta verba tua, benedicta pudicitia tua, benedicta humilitas tua, benedicta plenitudo tua, benedicta integritas tua. Et inde juste, quod *Benedictus fructus ventris tui*. Fructus vitæ, imo vitæ vita, omnesque paradisi delicias, aromati- zans sub tantæ dulcedinis essentia. Hujus fructus odore homo de terra ad patriam trahit. Angelus in patria satiatur. Hujus fructus odor non enim, ut Jacob, *odor agri pleni* (*Gen. XXVII*, 27), sed plenitudo communis boni inebrians plene, satians plene, non labens per ratatem quia *delectationes in dextera ejus usque in finem* (*Psal. XV*, 11). In hoc fructu ventris tui amplectitur anima, quia lignum vitæ de paradi- so in convallæ transplantatum, et pretioso filo balsa-

mi surculo insitum, ubi intus suavis ligni nobilitas quadam gemina dulcedine reddit odorem suum.

Tu es igitur pretiosi odoris filo balsami odor beata Virgo, imo quasi lignum vitæ, Verbum Patris in utero tuo. Cum felix illa peccatrix funde- ret unguentum super pedes Jesu, impleta est domus odore unguenti (*Luc. VII*, 38; *Joan. XII*, 5). Quanto magis domus pudici pectoris reddit odorem suum omnium gratiarum chrismatibus perfusum illustra- tione Spiritus sancti. *Unguentum effusum romanum*, Virgo Maria (*Cant. I*, 2). Unguentum est nomen Spensi, qui ex te natus est. Trahe nos post te, ut curramus in olorem ventris tui, quia adolescentes diligentes Sponsum diligunt te. Fac nos intrare ad nuptias Sponsi ubi bibunt amici, et inebriantur lu- mine, saturantur figurarum mysteriis, videlicet ut pagina, ubi virginei partus novitatem tot præcedentia signa designarunt, sicut Moysis visionem in ardente rubum (*Exod. III*); veneratur Aaron in arida virga flores unius sacramenti. Stupet Gedeon in secca terra, velut in Madijan (*Jud. vii*). In porta Ezechiel miratur clausa solius regis transitum (*Ezech. XLIV*, 2). Thronum quoque fecit Salomon ex ebore, quem vestivit auro purissimo castitatis suæ, et charitatis sue Matris virgo signans privilegium. Sed præce- dentium figurarum, quasi stellæ minores, velut coruscantibus radiis hujus diem salutationis Gabriel angelus plenius illustrat dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*. Speciosa et suavis facta es in de- liciis tuis sancta Dei Genitrix, quia totum tuis aspi- rat unguentis quidquid habet hortus odoris, vel thesaurus spiritualium deliciarum in cubiculo, et in hortis aromatum. O Virgo benedicta, et inter benedictas unica, ex intemerata tua pudicitia tha- lamo sacramenta nostræ redempcionis ordinata sunt. Tu es laus et decus humani generis, advocata pacis, et hominis in terris, miraculum angelorum, naturæ ornamen- tum, lampas solis, imo sol solis Tabernaculum illuminans mirabiliter a montibus æternis.

Ex te ineffabiliter ascendit lumen in testa nostræ carnis, ut drachmam diu perditam choris revocaret angelorum sapientia cœlestis. Secundum est ut, cum te, serenissima Virgo, tot gratiarum radiis sol vivus perfundet, qui non solum in septentrionali polo, sed et in toto mundo cœlum et terram illuminans rutili- lares stella maris, et qui te ministrante lumen divi- nitatis in testa nostre carnis per inventionem dra- chmæ decimæ hoc auctum est angelis, ut non solum de cœlestibus haberet gaudia, sed et in conversione peccatorum ampliorem gaudendi materiam inveniret in terris. O clementissima Virgo Maria, qui creavit te, regnat in te, et in suo corporaliter habitare figmento sigilus non degnatur. Unde gratulanter mons Sion dicet: *Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus, et sicut latitum omnium habitat in te, sancta Dei genitrix. Exultabimus ergo, et lætabimur in te memores uberum tuorum. Meliora unguenta tua, Sion, super omnia aromata. Multæ filiae congregaverunt divitias, tu supergressa*

*es universas (Psal. lxxxvi).* Quia ergo congrue dicitur, ut tibi oranti nihil negari possit, fac nos tecum introduci in cellam vinarium, ubi rex ordinavit in te charitatem suam, ubi Joannes evangelista custos tibi delegatus est, et ubi Gabriel paranyphus miratur plenitudinem tuam, ubi inter cœlestis militiæ Theophenias chori virginum sequuntur te reginam, ubi vera stella maris quasi eundem cuncto sole tenens circulum, ubi lux es eclipsim nesciens, ubi immortalis charitas est inter te et Filium. *Ubi gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Psal. lxxxvi, 3), Mater Dei, sedes totius gratiæ, lampas lucis æternæ.* Si enim *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (Sap. iii, 7),* quanto magis tu, quæ lumen de lumine, lumen a Patre luminum, lumen omnium proutlisti astrorum. O serenissima stella maris, respice pro me peccatore, preca suppliciter ad solem tuum, ut possim videre hanc stellam cum suo sole inter speculationes angelicas tantæ claritatis intuentum. Deus meus, illumina tenebras meas. O beata Virgo, descendenter in te Filium Dei Christiana pietas sincere fidei brachiis amplectitur, quæ quidquid in aliis matribus natura refert insimum, totum tibi transivit in sacramentum, ut inæstimabile generante secretum ullo modo præsumat attingere cor humanum, nisi forte quasi similitudine dissimili ut rorem in lana, qui trajecto per solis radicum speculo sic genitale aulæ thalamum verbum Patris introisse dixit. Non in igne, non in commotione domus, sed spiritus auræ tenuis, et in eo domus contremiscit, ut populus in deserto, quem terrent coruscationes, et fulgura, sed ad ultimum sol in conspectu luminis ex Virgine videndum se præbuit, pia tamen nube carnis opposita.

Gaude, beata Virgo, cuius gaudium in hac vita lucis contemplatione semper est indeficiens, dum eum lactas in terris, qui angelos nutritivit in cœlum. O gaudium matris contra matrem transcendens gaudia, cuius filius mortuos suscitat, et de morte triumphat, cœlos penetrat. Duo hæc nomina, Mater, et virgo in materiali repugnantia tibi, beata Virgo mirabiliter convenient, et quasi geminata luce tam salutarem quam mirabilem perpetuam merito claritatem infundunt. Tibi enī Christiana pietas plenissime credit esse collatam quædam participationem divinitatis a Domino filio tuo gratuitam, Virgo mater capere potuit, vel sustinere. Sicut enim Deus Pater nulli angeloruin dixit: *Filius meus es tu nisi Unigenito (Psal. ii, 7),* ita nulli inter filias Evæ dixit: *Mater Filii mei es tu, nisi tibi, beatissima Virgo.* Si autem cherubim et seraphim ardore charitatis ita inflammantur, ut forsitan quod tunc creatura potest in deitatis transeat statum, quanto magis tu mater Virgo unita es filio tuo, et tuam carnem deificatam in filio multitudine angelorum adorat. Licet enim Christiana pietas omnium sanctorum patrocinii juvetur, specialiter tamen plenitudo gratiæ humano generi ex tua intercessione, quasi puente aquarum viventium de Libano cœlesti copiosius

emicat. Persuadet enim, imo compellit tea nos cœlitudo credere quod per angelos, et per angelorum ministeria sæpe tuis devotis subvenias, et postremum ad regnum filii tui perducas. Si enim angelus angelorum mittitur, confidenter debet credere Christianus devotus, quod imperatrix angelorum tanto magis habet angelos in obsequium, quanto differentius per illum *nomen hereditavit (Hebr. i, 14).* Si autem cherubim et seraphim, immerito hoc hausto de fonte vite bibentes inferioribus angelorum ordinibus, ita de consilio palati quædam arcana revelant ut *fluminis impetus totum illam latifacet civitatem (Psal. lxxxvi);* quanto magis tu gloriosa theodosius [Sic. An θεοτόκος?] de occultis filii in amplexu ejus degustata mysteria, et angelis et hominibus copiosius effundis.

Quid dicemus de te, o præclara mater inter mulieres? Si solem te dixerimus, splendidior es. Si rosam, floridior es. Si cinnamomum, et balsamum aromatizans species, percellis odore, quia privilegia tibi concessa, non solum hominibus, sed et angelis, credimus admiranda. Si *splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini (Exod. xxxiv 29);* quam gloriosum credimus inter omnes sanctos lumen vultus tui, quæ cum filio una es caro ex mirabili genitûra, et unus unius ardentissimæ charitatis spiritus. Si Josue dux Israel cum esset in sanguinis effusione jussit solem stare in Gabaon, quomodo non omnia sidera ad nutum imperatricis gloriae discurrunt? Respice ergo beatissima Virgo, ad nos proscriptos in exsilio filios Evæ, in quibus, et primitiæ calamitatis participia et tributa mortis, et vesticalia peccati adhuc damnavit. Adhuc enim vœ quod propinavit Eva damnat in nobis. Adhuc in pugna sumus. Adhuc serpens Evans, Eva virum impugnat. Adhuc enim sensualitas rationem, adhuc rationis instantia partem inferiorem sollicitat. Adhuc in eadem domo quinque in tres, et tres dividuntur in duos, et *inimici hominis domestici ejus (Mich. vii, 6).* Ut igitur in eorum conflictu habeamus constantiam, mitte nobis illum egregium cœlestis curiæ principem paranyphum tuum Gabrielem, qui, sicut nomine, ita et virtute fortitudinem divinam nobis ex sua benignitate mittere velit. O Mater misericordiæ, resiliente te non est in tota sanctorum conversatione, qui pro nobis loquuntur, qui pro nobis intercedat ad filium tuum. Sed, te intercedente, *qualuor animalia, et viginti quatior seniores mittentes voces suas procedunt ante thronum coram Agno (Apoc. iv),* et universa multitudo sanctorum confidentium pro nobis orationem assumit. Precatur Moyses in conspectu Domini Dei sui, et orans pro populo suo rogat, ut *memor sit juramenti, quod habuit ad Abraham, et Isaac, et Jacob, et placatus est Dominus.* Sed tu, mitissima Virgo, roga Filium tuum, ut *memor sit fœderis sempiterni, quod firmavit Verbum in carne de te sumpta, quod pepigit Verbum in sanguinis effusione, quod sigillavit indissolubili chirographo in sacramentis redēptionis nostræ.* Qui ergo sub tua protectione confugimus, assume orationem ad

judicem nostrum, Filium tuum, ut tu salus, quæ salutem nostram proficiendo inchoasti, intercedendo perficias. Amen.

## H. — DE LAUDIBUS EJUSDEM VIRGINIS.

*Super verba Evangelii : « Missus est angelus Gabriel, » etc.*

### HOMILIAE QUATUOR.

#### PRÆFATIO.

Scribere me aliquid et devotio jubet, et prohibet occupatio. Verumtamen quia præpediente corporali modestia, fratrum ad præsens non valeo sectari conventum; id tantillum otii, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus intercipere sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sœpe animum pulsavit; loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis matris, super illa lectione evangelica, in qua, Luca referente, Dominice Annuntiationis continetur historia. Ad quod sane opus faciendum etsi nulla fratum (quorum me profectibus despervire necesse est) vel necessitas urgeat, vel utilitas moveat [*alias moneat*]; dum tamen ex hoc non impediatur, quo ad quæque ipsorum necessaria minus paratus inveniar, non arbitratur eos debere gravari, si propriæ satisfacio devotioni.

#### HOMILIA I.

*Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Virginis Maria (Luc. 1, 26, 27).*

1. Quid sibi voluit evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuntium qui mittitur, Dominum a quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque virginis: amborumque genus, civitatem ac regionem propriis designat nominibus. Utquid hoc? Putasne aliquid horum supervacue positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram (*Matth. x, 29*); putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffidere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac cœlesti singula dulcedine redundantia; si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, et colles fluxerunt lac et mel (*Joel iii, 18*), quando rorantibus coelis desuper, nubibusque pluentibus justum, aperta est terra lœta germinans Salvatorem (*Isa. xlvi, 8*): quando Domino dante benignitatem, et terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum et pingue misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt (*Psal. lxxxiv, 11*). Illo quoque in tempore unus iste inter cœteros montes non modicus, beatus hic videlicet evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mel-

lisfilo commendavit eloquio, veluti perflante austro, atque e vicino sole radiante justitiae, quædam ex eo spiritualia profluxerunt aromata. Utinam et nunc Deus emittat verbum suum, et liquefaciat ea nobis; perflet spiritus ejus, et fiant nobis intelligibilia verba evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, fiant et dulciora super mel et favum!

2. Ait itaque: *Missus est angelus Gabriel a Deo.* Non arbitror hunc angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebra soleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum *fortitudo Dei* dicitur; et quia non ab alio aliquo forte excellentiori se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, *a Deo*; vel ideo dictum est, *a Deo*, ne cui vel beatorum spiritum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto duntaxat archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali et nomine dignus haberetur, et nuntio. Nec discordat nomen a nuntio. Dei quippe virtutem Christum quem melius nuntiare decebat, quam hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum et nuntium communis censeris vocabulo; cum similis in utroque appellationis, non sit tanien utriusque similis causa. Alter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, alter angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive Christus Dei virtus (*I Cor. i, 24*) et dicitur et est, quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit; et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujusmodi meruerit prærogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expavesceret, confortare deberet: quod et fecit, *Ne timeas, inquiens, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sed et ipsius sponsum, hominem utique nihilominus humilem ac timoratum, non irrationaliter forsitan idem angelus confortasse creditur, quanquam tunc ab evangelista non nominetur. *Joseph, inquit, fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam (Matth. i, 20).* Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo quia tale illi negotium injungitur, recte tali nomine designatur.

3. *Missus est ergo angelus Gabriel a Deo. Quo?* In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Videamus si, ut ait Nathanael, *a Nazareth potest aliquid boni esse (Joan. i, 46).* Nazareth interpretatur *flos*. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divina cognitio, tanquam e cœlo jactatum in terras, allocutiones et promissiones factæ cœlitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac et Jacob; de quo semine scriptum est: *Nisi Dominus SabaOTH reliquisset nobis semen, sicut Sodoma suissemus; et quasi Comorrah*

*similes essemus* (*Isa. 1, 9*). Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quae ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto, in figuris et ænigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, et deinceps in visionibus et vaticiniis prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotii usque ad Christum. Christus autem hujus seminis et horum flororum non immerito fructus esse intelligitur, dicente David : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal. LXXXIV, 45*) ; et iterum : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal. CXXXI, 41*). In Nazareth ergo nuntiatur Christus nasciturus ; quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde et Nazareth civitas Galilæa dicitur, id est *transmigrationis* : quia nascente Christo, omnia illa transierunt quæ superius enumeravi, quæ, ut ait Apostolus, in figura contingebant illis (*I Cor. x, 41*). Hos ergo flores et nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus : et dum adhuc florere videbantur, transituri prævidebantur. Unde David : *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat : vespere decidat, induret et arescat* (*Psal. LXXXIX, 6*). Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum, factum ex mortali, factum sub lege (*Galat. iv, 4*), dicente ipso : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc. XXI, 5*) ; vetera transierunt et disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt et arescent. Unde rursus scriptum est : *Fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum*. Credo, non ambigis quin verbum fructus sit ; Verbum autem Christus est.

4. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum. Sed ubi est fenum quod aruit ? ubi est flos qui decidit ? Propheta respondeat. *Omnis caro fenum; et omnis gloria ejus, tanquam flos feni* (*Isa. XL, 8*). Si omnis caro fenum ; ergo carnalis ille populus Iudeorum ut fenum aruit [*alias, fuit*]. Annon fenum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, siccae littere adhæsit ? Annon etiam flos decidit, quando gloriatio, quam habebant in lege, non remansit ? Si flos non decidit, ubi ergo regnum, ubi sacerdotium, ubi prophetæ, ubi tempulum, ubi denique magna illa, de quibus gloriari solebant, et dicere : *Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis?* et iterum : *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis?* (*Psal. LXXVII, 5*.) Et hæc dicta sunt pro eo quod positum est : *In Nazareth civitatem Galilææ*.

5. In illam ergo civitatem missus est angelus Gabriel a Deo. Ad quem ? *Ad Virginem despontam viro, cui nomen erat Joseph*. Quæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab angelo ; tam humililis, ut despontata sit fabro ? Pulchra permisit virginitatis et humilitatis : nec mediocriter placeat Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed

quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat secunditas, et partus consecrat virginitatem ? Audis virginem, audis humiliem : si non potes virginitatem humiliis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur : *Qui potest capere, capiat* (*Matth. xix, 12*) ; de ista dicitur : *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum* (*Matth. xviii, 3*). Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvati ; sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam ; sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisse. *Super quem, inquit, requiescerit spiritus meus, nisi super humiliem et quietum?* (*Isai. LXVI, 2*.) *Super humiliem*, dixit, non, super virginem. Si igitur Maria humiliis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset ; si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet ? Patet itaque, quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respxit humilitatem ancillæ sue Deus* (*Luc. 1, 48*), potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

6. Quid dicas, virgo superbe ? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate : et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate ? *Respxit*, ait illa, *humilitatem ancillæ sue*. Quæ illa ? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Nunquid tu castior illa ? nunquid devotior ? Aut nunquid tua forte pudicitia gratarior castitate Mariæ ; ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua ? Denique quanto honorabilius es ex singulari munere castimoniae, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorum fœdas permistione superbiae. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas : multo tamen paucorum est cum virginitate humiliitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quod si et virgo, et humiliis es, quisquis es, magnus es.

7. Est tamen majus aliquid quod mireris in Maria : scilicet cum virginitate secunditas. A sæculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset et virgo. O si [*alias, quod si*] et cuius est mater attendas ! quo te tua super ejus mirabili celitudine ducet admiratio ? Nonne ad hoc, utte video nec satis posse mirari ? Nonne tuo, imo Veritatis' judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum ? Annon Deum et Dominum angelorum Maria suum andacter appellat filium, dicens : *Fili, quid fecisti nobis sic?* (*Luc. 11, 48*.) Quis hoc audeat angelorum ? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt et vocati angeli, testante David : *Qui facit, inquit,*

*angelos suos spiritus* (*Psal. cii, 4*). Maria vero matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec designatur nuncupari Deus quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit evangelista : *Et erat, inquiens, subditus illis* (*Luc. ii, 51*). Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo semina principetur, sublimitas sine socio. In landibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quounque ierit (*Apoc. xiv, 4*). Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?

8. Disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens evangelista, *Et erat, inquit, subditus illis*; haud dubium, quin Mariæ et Joseph. Erubescere, superbe cinis! Deus te humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te preponis auctori? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod et suo increpando respondit apostolo : *Vade, inquit, post me, Satana, quia non sapies ea quæ Dei sunt* (*Matth. xvi, 23*). Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo: et tunc vere nou sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est : *Et erat subditus illis*. Si hominiis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi Auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quounque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cuius rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quounque ierit. Sequitur quidem Agnum coquinatus humilius, sequitur et virgo superbis; sed neuter quounque ierit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, quia scilicet non coram tondente, sed coram occidente, se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbis: cum et illius innunditiam sua humilius satisfactio purget, et iujus pudicitiam superbia inquiet.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas: et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit secunda virginitas: et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul comitatur et

humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum vero si non hæsitas in eorum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fecunditas in virgine, an in matre integritas; sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur et cernitur in sanctis suis (*Psal. lxvi, 36*), mirabiliorum se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integratem: miramini etiam, vos sacræ virgines, in virgine secunditatem: imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum regem, nostri generis reparatorem, vestræ civitatis instauratorem. Cujus apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, a vobis pariter, et a nobis detur et dignitati debita reverentia, et dignationi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA II.

*In Luc. i, 26, 27.*

1. Novum quidem canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam cum ceteris, imo primam inter ceteras esse canturam, nemo est qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lœtificaturam esse civitatem Dei. Cujus utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur; quia soli merito decantandum servabitur, quæ sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriat dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit). Matrem suam singulari in cœlestibus donatus gloria, singulari in terris prævenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deo hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virginis partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, tales sibi ex omnibus debuit diligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placitaram. Volut itaque esse virginem, de qua immaculata purgaturus: voluit et humilem, de qua misericordia et humilitate prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virginis partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo angelus

eam in sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quidpiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?

2. Ut igitur quæ Sanctum sanctorum conceputa erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimis Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decoro præfulgida, specie sua et pulchritudine sua in cœlestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic Evangelista commendat, cum angelum perhibet a Deo destinatum ad Virginem: *A Deo, inquit, ad virginem*: id est, a celo ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite, matres; currite, filiae; currite, omnes quæ post Eam, et ex Eva, et parturimini cum tristitia, et parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si forte audiatis unde consolemini.

3. *Lætare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exulta, qui, sicut omnium parentes, ita omnium fui stis peremptores; et, quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Anibo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen. iii, 12*). Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre, mater, ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa [*alias, ita*] matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matresatisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, o Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi*. Verba malitiae sunt hæc, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occasione veniae, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humiliis pro superba; quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro veneno cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi; et dulce factum est super me ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est angelus ad Virginem.

nem. O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! o feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

4. *Missus est, inquit, angelus ad Virginem*. Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, quem describit Apostolus, mente et corpore sanctam (*I Cor. vii, 34*); nec noviter, nec fortuitu inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab angelis servatam, a patribus præsignatam, a prophetis promissam. Scrutare Scripturas, et proba quæ dico. Visne ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quædò ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen. iii, 15*). Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbìa deduxit ad nihilum.*

5. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod est dicere: Si ita de manu feminæ pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste victoria: fortis omnino necesse est ut provideatur [*alias, prævideatur*], quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæssisse putetur desperando, subdit prophetando, *Procul et de ultimis finibus pretium ejus* (*Prov. xxxi, 10*): hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed a summo cœlo egressio ejus. Quid deinde rubus ille quandam Mosaicus portendebat, flammis quidem emittens, sed non ardens (*Erod. iii, 2*), nisi Mariam parientem, et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida (*Num. xvii, 8*), nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus inysterium Isaias edisserit, dicens, *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa. xi, 1*): virgam, virginem; florrem, virginis partum intelligens.

6. Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententia, qua non virgæ flore, sed floris fructu designari dicebatur; noveris in eadem Aaronica virga (quæ non solum floruit, sed et fronduit, et fructum emisit) non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus euindem significari. Noveris et apud Moysen nec fructu virgæ, nec flore, sed ipsa virga demonstrari;

illa utique virga, qua feriente, aqua vel dividitur transituris (*Exod. xiv, 16*), vel de petra executitur bibiturnis (*Exod. xvii, 6*). Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari; et in virga quidem potentiam, in flore vero fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem, in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab aestu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos afflixerunt. Bona et desiderabilis umbra sub aliis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei, Domine Jesu, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas (*Psalm. lvi, 2*). In hoc tamen Isaiæ testimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem; quoniam et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorem floris lesit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.

7. Proferamus et alia Virgini Matri, Deoqne Filio congrua de Scripturis testimonia. Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur, et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur (*Jud. vi, 37-40*), nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detimento virginitatis? Cui utique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus [*alias, acciperemus*], qui vere sine ipsa non aliud quam terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis convenire videtur, ubi legitur: *Descendet sicut pluvia in vellus. Nam per hoc quod sequitur, et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psalm. lxxi, 6*), idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia nempe voluntaria, quam segregavit Deus hereditati sue, placide prius et absque strepitu operationis humanæ, suo se quietissimo illapsu [*alias, elapsu*] virginem demisit in uterum: postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatae sunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædictate super tecta* (*Matthew. x, 27*). Quod et fecerunt: etenim in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psalm. xviii, 5*).

8. Audiamus et Jeremiam nova veteribus vaticinantes, et quem præsentem monstrare non poterat, venturum et ardenter desiderantem, et fidenter promittentem: *Novum, inquit, creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum* (*Jeremiah. xxxi, 22*). Quæ est hæc femina? quis vero iste vir? Aut si vir, quomodo a femina circumdatus? aut si a femina circumdari potest, quomodo vir? Et ut apertius

dieam, quomodo potest simul et vir esse, et in utero matris? hoc est enim virum a femina circumdari, Novimus [*alias, dicimus*] viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam atque juventutem transeuntes, ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo iam adeo grandis est, quomodo a femina circumdari potest? Si dixisset, Femina circumdabit infantem; vel, Femina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit virum, querimus quæ sit hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut femina circumdaret virum, et vir intra feminæ unius corpusculi membra sese cohiberet? quid est hoc miraculi? *Nunquid potest homo, ut ait Nicodemus, in ventre matris suæ iterato introire, et renasci?* (*John. iii, 4*.)

9. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si forte inter plurima nova ac mira, quæ ibi profecto inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de Prophetæ protuli, reperiā novitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana [*alias, plena*]. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed angelos resistentem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pavore fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed, quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, inors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Nunquid non facile tibi est inter hæc feminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplecentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solum jam cum diceretur *vir propheta, potens in opere et sermone* (*Lucas. xxiv, 19*), sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus nequum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus [*alias, minor*] fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, aequo profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consili et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, spiritu timoris Domini (*Isaiah. xi, 2, 3*).

10. Nec te moveat, quod de ipso legis in alio

loco : *Jesus autem proficiebat sapientia . et aetate, et gratia apud Deum et homines (Luc. ii, 52).* Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est : non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet; sed quod accedere videretur, quando volebat ipse, ubi videatur [*alias*, ut videretur]. Tu, homo, cum proficiis, non quando, nec quantum vis proficiis : sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit vitam [*vitam deest aliis*] tuam, ipse disponebat et suam, et quando volebat, et quibus volebat sapiens apparebat, quando et quibus volebat sapientior, quando et quibus volebat sapientissimus : quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostendebat, prout cernentim vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Jesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in utero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est esse virum, quam esse Deum.

11. Sed vide si non etiam hanc Jeremie novitatem Isaías lucidissime aperit, qui et novos superius Aaronicos flores exposuit. *Ecce, inquit, virgo concipiet, et pariet filium.* En habes, feminam, scilicet Virginem. Vis et de viro audire quis sciit? *Et vocabitur, sit, nomen ejus Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deus (Isa. vii, 14)*. Femina itaque circumdans virum, Virgo est concipiens Deum. Vides quam pulchre et concorditer sanctorum mira facta et mystica dicta sibi invicem concinant. Vides quam stupendum sit hoc unum de Virgine et in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt. Unus nimirum fuit spiritus prophetarum, et licet diversis modis, signis et temporibus; eamdem rem diversi, non diverso spiritu et præviderunt, et prædixerunt. Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaroni in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore; hoc aperte Salomon prædictit in forti muliere et ejus pretio; apertius Jeremias præcinit de femina et viro, apertissime Isayas declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem [*Virginem deest aliis*] salutando. Ipsa namque est, de qua nunc Evangelista : *Missus est, ait, angelus Gabriel a Deo ad Virginem, despontatam Joseph.*

12. *Ad Virginem, inquit, despontatam.* Quare despontatam? Cum esset, inquam, virgo electa, et, ut ostensum est, virgo conceptura, virgo partitura, mirum cur despontata fuerit, non iuptura. Nunquid vel hoc easu factum quis dixerit? Non est easu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria, et divini prorsus adinventione consilii digna. Dicam quod mihi, imo quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio

desponsationis Marie, quæ et dubitationis Thomæ. Mos siquidem Judæorum erat, ut a die desponsationis suæ, usq[ue] ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiæ : quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi ipsi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, ita et Joseph Mariam sibi desponsando ejusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia : et dubitatio Thomæ, et desponsatio Marie. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fiduci videlicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere : sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de Filii resnrrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomæ dubitanti et palpanti, quam Cephæ audiensi et credenti : et de Matris continentia facilius sponso ejus custodienti et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendant. Dic, quæso, quis eam videns non despontatam et gravidam, non potius diceret meretricem [*alias, corruptam*] quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius vero atque honestius fuit putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quam de fornicatione.

13. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret ut ejus nec ortus infamaretur, nec mater criminaretur? Poterat utique ; sed non poterat latcre daemones, quod scirent homines. Oportebat autem a principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum : non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impeditri posse ab illo metucret : sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. Et quanquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisse; placuit ei tamen eo potius et modo, et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse : ut, sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit, ita prius a feminâ virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur : quatenus malitia fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret et fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret a fine usque ad finem fortiter, sed et disponeret omnia suaviter (*Sap. viii, 1*). Attingit autem a fine usque ad finem, id est a cœlo usque ad infernum. *Si ascendero, inquit, in cælum, tu illuc es : si*

*descendero in infernum, ades (Psal. cxxxviii, 8).* Utrobique vero fortiter, quando et de supernis expulit superbū, et apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat ut suaviter quoque omnia, cœlestia scilicet et terrena, disponeret : quatenus et illine dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret, et hic debellatur invidum, nobis prius suæ humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret : sive mirabili fieret moderamine sapientiae, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessario igitur despontata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sposo virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis matris. Alioquin quando pepercisset justus adulteræ? scriptum est autem : *Joseph autem vir ejus, cum esset justus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam (Matth. i, 19).* Bene, cum esset justus, noluit eam traducere : quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset ; sic nihilominus justus non esset, si probatam innoxiam condennasset. Cum ergo justus esset et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

14. Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Joseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (Luc. v, 8)* : propter quod et Centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum (Matth. viii, 8)*. Ita ergo et Joseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinæ præsentiae certissimum gestante in signe : et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit Centurio præsentiae majestatem. Exhorruit minirimi et Joseph, sicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem : et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris quod Joseph prægnantis sese consortio Virginis judicabat indignum, cum audias et sanctam Elisabeth ejus non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? Ait namque : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? (Luc. i, 43)*. Ideo itaque Joseph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, et non palam? Ne videlicet divertii causam inquireretur, exigetur rationem. Quid enim vir justus responderet populo durae cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli et crudeles Judæi subsanna-

rent illum, lapidarent illam? Quando namque Veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent nequum apparenti, qui postmodum impias manus injecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam.

15. Sin vero aliter quis sentiat, et Joseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, et ideo voluerit occulte dimittere eam, breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Joseph fuisse necessariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est : *Hæc autem eo cogitante, scilicet quod occulte dimitteret eam, appâruit ei angelus in somnis, dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (Matth. i, 20)*. Itaque propter istas rationes despontata est Maria Joseph, vel potius, sicut ponit evangelista, *viro, cui nomen erat Joseph*. Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est, merito appellatur quod necessarie putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari : sicut et pater Salvatoris nou quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso evangelista : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph (Luc. iii, 23)*. Nec vir ergo matris, nec filii pater exstitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus.

16. Conjice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus, et creditus sit : conjice et ex proprio vocabulo (quod *augmentum* non dubitas interpretari) quis et qualis homo fuerit iste Joseph. Simul et memento magni illius quondam patriarchæ venditi in *Ægypto (Gen. xxxvi, 27)* : et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam ædemptum, innocentiam assecutum et gratiam. Siquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus et ductus in *Ægyptum*, Christi venditionem præfiguravit : iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in *Ægyptum* portavit (*Matth. ii, 14*). Ille domino suo fidem servans, dominice noluit communisceri (*Gen. xxxix, 12*) : iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscentem, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum (*Gen. xl, xli*) : isti datum est conscientem fieri atque participem cœlestium sacramentorum (*Matth. i, 20*). Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo (*Gen. xl, xli*) : iste panem vivum e cœlo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater despontata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens,

quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritum, solum denique in terris magni consilii coadjutorem sibi fidelissimum. Huc accedit quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione : quem tanquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum : cui tanquam alteri David incerta et occulta sapientiae suæ manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus saeculi agnovit : cui denique datum est quod multi reges et prophetæ, cum vellent videre, non viderunt; audire, et non audierunt; non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire. Non tantum autem Joseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non fuisset sponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David; sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David, altero tamen conscientia et teste adimplente promissionis.

47. In fine autem versus, *Et nomen*, inquit, *Virginis Maria*. Loquamur pauca et super hoc nomine, quod interpretatum *maris stella* dicitur, et matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur; quia, sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui laesione virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integratatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat: terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, foveat virtutes, excusat vitia. Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgent venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbie undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso; cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deserbas conversationis exemplum.

Ipsam sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis; ipsa protegeunte non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa propitia pervenis: et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit, *Et nomen Virginis Maria*. Sed jam modice pausandum est, ne et nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis apostolicis utar, *Bonum est nos hic esse* (*Math. xvii, 4*): et libet dulciter contemplari in silentio, quod laboriosa non sufficit explicare locutio. Interim autem ex devota scintillantis sideris contemplatione, ferventior reparabitur in his quæ secuuntur, disputatio.

### HOMILIA III.

*In Luc. cap. i, 28-32.*

1. Libenter, ubi mihi congruere video, verba sanctorum assumo, quo vel vasculorum pulchritudine gratiora siant quæcumque in eis lectori apposuerim. Ut autem nunc a propheticis verbis incipiám: *Ve mihi, non quidem, sicut prophetæ, quia tacui, sed quia locutus sum, quoniam vir pollutus labiis ego sum!* (*Isa. vi, 5.*) Heu! quot vana, quot falsa, quot turpia per hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me recolo, in quo nunc cœlestia revolveare verba præsumo! Vehementer timeo, ne jamjam audiam ad me dictum: *Quare tu enarras iustias meas, et assumis testamentum meum per ostium?* (*Psal. xlix, 16.*) Utinam et mihi de superno altari, non quidem carbo unus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam et inveteratam pruriens oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat! quatenus angeli ad Virginem, et Virginis ad ipsum grata invicem ac casta colloquia Jignus habeat meo qualicunque replicare sermone. Ait igitur evangelista: *Et ingressus Angelus ad eam, haud dubium quin ad Mariam, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Quo ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem suum in abscondito. Solent angeli astare orantibus, et deleterari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, angelus indicavit, qui ingressus ad eam, tam reverenter salutavit. Nec fuit difficile angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiae suæ habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quo-cunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspicandum igitur non est, quod apertum inuenierit angelus ostium Virginis, cui nimis in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia; ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauerat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo

prudentissima, sed hominibus, non angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus.

2. Ingressus ergo Angelus ad eam dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Legimus in Actibus apostolorum, et Stephanum plenum gratia (*Act. vi, 5*), et apostolos fuisse repletos Spiritu sancto (*Act. ii, 4*) ; sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria : nec illi conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria. *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum.* Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat ? Sed hoc potius mirandum, quomodo qui Angelum miscerat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras ? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, et invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi, ex aromatibus myrræ et thuris ?* (*Cantic. iii, 6.*) Statimque Rex egrediens de loco sancto sno, exultavit ut gigas ad currendam viam ; et licet a summo cœlo egressio ejus (*Psal. xviii, 6, 7*), nimio tamen pervolans desiderio prævenit suum nuntium ad Virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cuius decorum concupierat. Quem prospiciens a longe venientem gratulans et exultans ait Ecclesia : *Ecce venit is saliens in montibus, transiiens colles* (*Cantic. ii, 8*).

3. Merito autem concupivit Rex decorum Virginis. Fecerat enim quidquid longe antea præmonita fuerat a patre suo David, dicente sibi : *Audi, filia, ei ride, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Et si hoc feceris, concupisces rex decorum tuum (*Psal. xliv, 11, 12*). Audiuit quippe et vidi, non ut quidam, qui audientes non audiunt, et videntes non intelligunt ; sed audivit et credidit, vidit et intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum, et domum patris sui : quia nec populum suum augere prolis successione, nec domum patris sui relinquere curavit heredem ; sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna dono rerum terrenarum habere potuisse, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucifacere. Nec fecellit eam intentio, quando et Christum sibi filium vindicavit, nec propositum pudicitiae violavit. Bene igitur gratia plena, que et virginitatis gratiam tenuit, et insuper fecunditatis gloriam acquisivit.

4. *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum.* Non dixit, Dominus in te ; sed, *Dominus tecum.* Deus enim qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quam in cæteris ; et ipsarum aliter in bonis quam in malis est per efficaciam. Ita sane est

in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatum ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed a bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiae subdunt, ut Deum non dedecat velle quod ipsi volunt : per hoc quod ab ejus voluntate non dissentunt, Deum sibi specialiter jungunt. Sed cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria : cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret ; ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret : qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine ; totus tamen Dei, et totus Virginis esset ; nec duo filii, sed unus utriusque filius. Ait itaque : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis ; sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis ; et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium sumum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum ; qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum, Dominus ergo tecum.

5. *Benedicta tu in mulieribus.* Libet adjungere quod Elisabeth, cuius verba sunt, prosecuta subjunxit : *Et benedictus fructus ventris tui* (*Luc. i, 42*). Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui : sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes, de cuius plenitudine tu quoque acceperisti cum cæteris, etsi differentius a cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus ; ille vero benedictus non in hominibus, non inter angelos, sed, *qui est*, ut ait Apostolus, *super omnia benedictus Deus in saccula* (*Rom. ix, 5*). Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel, si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur ; sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit *super omnia benedictus Deus in saccula*.

6. *Benedictus ergo fructus ventris tui.* Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat qui dicebat : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen. xxvii, 27*). Annon vere benedictus, cui benedixit Dominus ? De sapore hujus fructus quidam qui gustaverat [alias, quod gustaverat], taliter eructabat, dicens : *Gustate et videate quoniam suavis est Dominus* (*Psal. xxxvii, 9*) ; et alibi : *Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal. xxx, 20*). Et aliud quidam : *Si tamen, inquit, gustastis quoniam dulcis est Dominus* (*I Petr. ii, 3*). Et ipse Fructus de se, invitans nos ad se : *Qui edit me, ait, adhuc*

*esuriet ; et qui bibit me, adhuc siet (Eccli. xxiv, 29).* Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium et sipientium iustitiam, et esca, et potus est. Audisti de odore, audisti de sapore : audi et de specie. Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura, *delectabilis aspectu* (Gen. iii, 6) ; quanto magis hujus vitalis fructus vivissem decorem debemus inquirere, *in quem*, teste alia Scriptura, *desiderant etiam angeli prospicere?* (I Petr. i, 12.) Cujus pulchritudinem in spiritu videbat, et in corpore videre cupiebat, qui dicebat : *Ex Sion species decoris ejus* (Psal. xlvi, 2). Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio psalmo legis : *Speciosus forma præ filii hominum : diffusa est gratia in tabiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum* (Psal. xlvi, 5).

7. *Benedictus ergo fructus ventris tui*, cui benedixit Deus in æternum : ex cuius benedictione benedicta etiam tu in mulieribus ; quia non potest mala arbor fructum facere bonum. *Benedicta, inquam, tu in mulieribus*, quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est, *In tristitia paries filios* (Gen. iii, 16) ; et nihilominus illam, qua secutum est, *Maledicta sterilis in Israel* (Exod. xxiii, 26; Deut. vii, 14) : ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, et grave jugum super omnes filias Evæ! Et si parturint, cruciantur : et si non parturint, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, et non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quæ haec audis, quæ haec legis? Si parturis, angustiaris : si sterilis manes, maledicceris. Quid eliges, Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undique : melius est tamen mihi maledictum incurrire, et castam manere, quam prius quidem concipere per concupiscentiam, quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum : illinc vero et peccatum simul et ericiatum. Denique haec maledictio quid aliud est, quam hominum exprobratio? Neque ob aliud sane dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio et contemptui sit habenda, tanquam inutilis et inservitiosa, et hoc in Israel tantum. Mili autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina Veteris Testamenti vel præcipit, vel consultit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo : *Sapientia carnis mors est* (Rom. viii, 6) ; et : *Curam carnis ne perfeceritis in desiderio* (Rom. xiii, 14)? Ubi legeras de virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo aliud cantare potest, et sequuntur Agnum quocunque ierit? (Apoc. xiv, 4.) Ubi legeras laudatos esse, qui se castraverunt propter regnum

cœlorum? (Matth. xix, 12.) Ubi legeras : *In carnem enim ambulantes, non secundum carnem militamus* (II Cor. x, 5) ; et : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit?* Ubi audieras : *Volo vos omnes esse sicut et me ipsum?* et *Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium?* *De virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, consilium autem do* (I Cor. vii, 38, 7, 40, 25). Tu vero non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum : nisi quod unctione docebat te de omnibus; ac sermo Dei vivus et efficax, ante tibi factus magister quam filius, prius instruxerit mentem, quam induerit carnem. Christo ergo devoves te exhibere virginem ; et nescis quod ipsi exhiberi te oporteat etiam matrem. Eligis in Israel esse contemptibilis, et ut illi placeas cui te probasti, maledictum incurrire sterilitatis : et ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas secunditate recompensatur.

8. Aperi, virgo, sinum, expande gremium, præpara uterum : quia ecce facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, secunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato, grava eris, sed non gravata ; paries, sed non cum tristitia : nescies virum, et gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cuius Deus est Pater. Filius paternæ claritatis [al., charitatis; al., majestatis] erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, et de Deo concipies. Confortare ergo, Virgo secunda, casta Puerpera, Mater intacta ; quia non eris in Israel ultra maledicta, neque inter steriles deputata. Et si adhuc maledicceris ab Israel secundum carnem, non quia sterilem vident, sed quia secundam invident : memento quod et Christus maledictum pertulit crucei, qui te suam matrem benedixit in cœlis : sed et in terris ab angelo benedicta, et a cunctis generationibus tertæ merito beata prædicari. Benedicta ergo tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

9. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper pavidae, et inquam esse securæ ; et ut caveant timida, etiam tota pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more cœlestium conversari, et in carne cœlibem agere vitam. Ac proinde quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se aestimant machinatum. Idecireo et Maria turbata est in sermone angeli. Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum, inquit, et non sum locutus*; sed, cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui (Psal. lxxvi, 5, 6). Ita ergo et Maria turbata est, et non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Quod turbata est, verecundiæ

suit virginalis : quod non perturbata, fortitudinis : quod tacuit et cogitavit, prudentiae. *Cogitabat autem qualis esset ista salutatio.* Sciebat prudens virgo, quod sepe angelus Satanæ transfiguratus se in angelum lucis : et quia nimis humilis et simplex erat, nihil tale penitus a sancto angelo sperabat ; et ideo cogitabat qualis esset ista salutatio.

10. Tunc angelus intuitus Virginem, et varias secum volvere cogitationes facillime deprehendens, pavidae consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benigne ne timeat persuadet. *Ne timeas, inquit, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Nihil hic doli, nihil hic fallaciae est. Nullam circunventionem, nullas hic suspicere insidias. Non sum homo, sed spiritus ; et Dei angelus, non Satanæ. *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat ! angelico te indiguum nec alloquio judicares, nec obsequio. Utquid enim indebitam tibi dixeris gratiam angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum ? Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam ? Dei et hominum pacem, mortis destructiōnem, vitæ reparationem. Haec est ergo gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum : *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Iesum.* Intellige, prudens Virgo, ex nomine Filii promissi, quantam et quam specialem gratiam invenieris apud Deum. *Et vocabis, ait, nomen ejus Jesum.* Rationem hujus vocabuli aliud evangelista ponit, angelos sic interpretante : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth. i, 21*).

11. Duos Jesus lego in typo hujus, quem nunc in manus habemus, precessisse, ambos populis praefuisse : quorum unus populum suum de Babylone eduxit (*Agg. i; III Esdr. v, 5*), alter suum in terram promissionis introduxit (*Josue, i, 11*) : Et illi quidem illos, quibus prærerant, ab hostibus defendebant ; sed nunquid salvabant a peccatis eorum ? Is autem noster Jesus et a peccatis salvat populum suum, et introduxit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quis est hic qui etiam peccata dimittit ? Utinam et me peccatorem dignetur Dominus Jesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat a peccatis meis ! Vere enim beatus populus cuius iste Jesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo : vereor ne plerisque, qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth. xv, 8*). Novit enim Dominus Jesus qui sunt ejus (*II Tim. ii, 19*) ; novit et quos elegit a principio. *Quid me vocatis, ait, Domine, Domine, et non facitis quæ dico ?* (*Luc. vi, 46*). Vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis esse de populo ejus ? Fac quæ dicit Jesus ; et computabit te in populo

suo ; fac quæ jubet in Evangelio Dominus Jesus, quæ jubet in lege et prophetis, quæ jubet per ministros suos qui sunt in Ecclesia ; obtempera ejus vicariis præpositis suis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis ; et disce ab ipso Jesu, quia misericordia est et humili corde ; et eris de beato populo ejus, quem elegit in hereditatem sibi ; eris de laudabili populo ejus, quem Dominus exercitum benedixit, dicens : *Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel* (*Isai. xix, 25*) : cui, ne forte Israel carnalem æmuleris, etiam testimonium perhibet, dicens : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* (*Psal. xvii, 45*).

12. Sed audiamus quid idem angelus sentiat de illo, cui nequum concepto tale indidit nomen. Ait namque : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Bene magnus, qui *Filius Altissimi* merebitur appellari. An non magnus, cuius magnitudinis non est finis ? (*Psal. cxliv, 3*.) Et quis magnus, ait, *sicut Deus noster?* (*Psal. lxxvi, 14*.) Plane magnus, qui tam magnus, quam Altissimus, quia et ipse Altissimus. Neque enim Altissimi Filius rapinam arbitrabitur esse se æqualem Altissimo (*Philipp. ii, 6*). Ille merito arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cum de nihilo in angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, usurpavit sibi quod *Filius Altissimi* proprium est, qui utique in forma Dei a Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus Pater, quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantus ipse : et ideo nec altissimum. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum, *Æternus coeternum* ; ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam aestimat, nec injuriam. Recte ergo hic erit magnus, qui *Filius Altissimi* vocabitur.

13. Sed quare hic erit, et non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, quam ante vel sit, vel fuerit ? An forte propterea dixerit, erit, qui qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit ? Bene ergo, *Hic erit Magnus.* Magnus homo, magnus doctor, magnus propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio : *Quia propheta magnus surrexit in nobis* (*Luc. vii, 16*). Et a minori quodam propheta magnus itidem propheta venturus promittitur : *Ecce, inquit, veniet propheta magnus, et ipse renovabit Jerusalem.* Et tu quidem, o Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis : sed videns parvulum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum, adeo ut adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei. Magnificet ergo et anima tua Dominum, quia *hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Magnus erit, et magna faciet tibi qui potens est, et sanctum nomen ejus. Qnod enim sanctius nomen, quam quod *Filius Altissimi* vocabitur ? Magnificetur et a nobis parvulus magnus Dominus, quos ut faceret magnos,

factus est parvulus. *Parvulus*, ait, *natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai. ix, 6*). Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multo nobilior natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui, eum magnum habent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius.

14. Jam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus, parvulis [*Al.*, *parvulus*] desideratus! O vere parvulus, sed malitia, non sapientia! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso, quia mitis est et humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus. Ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris; quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis. Ipsum oculis Patris, ipsum offeramus et suis: quia et Pater proprio Filio suo non pepereit, sed pro nobis tradidit illum (*Rom. viii, 32*), et ipse filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philipp. ii, 7*). Ipse tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit ut non perirent (*Isai. lxxiii, 42*). Non possunt perire pro quibus Filius rogat ne perireant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant. Aequaliter ergo ab utroque speranda est venia, quibus aequalis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in deitate substantia, in qua unus cum eis Spiritus sanctus vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

#### HOMILIA IV.

*In Luc. cap. i, v. 32-38.*

1. Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; et rursum, cum Filium honoramus, a gloria Matris non recessimus. Nam, si juxta Salomonem, *Filius sapiens gloria est patris* (*Prov. x, 1*); quanto magis gloriosum est matrem ipsius effici Sapientiae? Sed quid ego tento in ejus laudibus, quam laudabilem prædicant prophetæ, perlibet angelus, narrat evangelista? Non ergo laudo, quia non audeo; sed tantum replica devotus, quod jam explicavit per os evangelistæ Spiritus sanctus. Sequitur namque, et ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui*. Verba sunt angelii ad Virginem de promisso Filio, promittentis quod debeat possidere regnum David. Quod de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quero autem, quomodo dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Jerusalem non regnaverit, quin in turbis eum volentibus constituere regem, non acqueiverit (*Joan. vi, 15*), sed et ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan. xviii, 36*). Denique quid ma-

gnum promittitur ei qui sedet super Cherubim (*Psal. lxxxix, 2*), quem propheta vidit sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isai. vi, 1*), sedere in throno David patris sui? Sed novimus quondam aliam Jerusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliori, multo diiore. Hanc igitur puto hie fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo saepereperis in Scripturis significans ponit pro significato. Tunc sane dedit illi Deus sedem David patris sui, quando constitutus est *rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psalm. ii, 6*). Sed hic propheta de quo regno dixerit, expressius aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit, sed *super Sion*. Nam ideo fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David: super Sion vero regnum est illius, de quo dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psalm. cxxxii, 11*): de quo et dictum est per alium prophetam, *Super solium David, et super regnum ejus sedebit* (*Isai. ix, 7*). Vides quia ubique reperis, *super?* Super Sion, super sedem, super solium, super regnum. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cœlestem. Quæ idcirco, ut jam dictum est, menoratur fuisse David, quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem.

2. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*. Hie quoque, si domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa, quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Jacob, in qua regnet in æternum, cuius regni non erit finis. An non denique domus illa Jacob exasperans impie abnegavit eum, et insipienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, *Regem vestrum crucifigam?* uno ore respondendo clamavit: *Non habenus regem nisi Cæsarem?* (*Joan. xix, 15*.) Require itaque Apostolum, et discernet tibi eum qui in occulto Judæus est, ab illo qui in manifesto; et quæ in spiritu est circumcisio, ab ea quæ sit in carne (*Rom. ii, 28*): spiritualem Israel a carnali, et filios fidei Abrahæ a filiis carnis. *Non enim*, inquit, *omnes qui ex Israel, hi sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, hi filii* (*Rom. ix, 6, 7*). Sequere ergo et die: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi sunt in domo Jacob. Jacob quippe ipse est qui Israel. Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inventi sunt, reputa in domo Jacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem et æternam dominum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in æternum. Quis ex nobis est, qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitii et concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Jesu, et nunc quidem per gratiam, et in æternum per gloriam? Beati in quibus Jesus regnabit in æternum, quia et ipsi cum eo regnabunt, et regni hujus non erit finis. O quam gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati

sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet et gloricandum eum qui super omnes est Rex regum, et Dominus dominantium: de cuius splendissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol in regno Patris corum (*Matth. xiii, 43*). O si et mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo et Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad laetandum in laetitia gentis sue, ut laudetur etiam a me cum haereditate sua! Veni interim, Domine Jesu, auctor scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit: Ego regnabo; ambitio, detractio, invidia et iracundia certant in me ipso de me ipso, cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto; renitor quantum juvorum. Dominum meum Jesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, et dico: Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo, Domine, disperge illos in virtute tua, et regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

3. *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fieri istud? quoniam virum non cognosco.* Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliiter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Jam vero confortata et bene premeditata, angelo quidem foris loquente, sed Deo intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente angelo: *Dominus tecum*); ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, laetitia verecundiam, dixit ad angelum: *Quomodo fieri istud? quoniam virum non cognosco.* Non dabitur de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim querit an fieri istud, sed quomodo. Quasi dicit: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suea non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei ut fieri istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium; et gaudeo de filio, et doleo de proposito: fieri tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placererit ei, impossibile non erit; tunc scio vere quia respexit humilitatem ancillae suea. *Quomodo ergo fieri istud? quoniam virum non cognosco.* Et respondens angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superior dicta est fuisse gratia plena: et nunc quomodo dicitur, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Nunquid potuit repleri gratia, et neendum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, *veniet in te, sed addidit super*, quia et prius quidem in ea fuit per

multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiae plenitudinem, quam effusurus est super illam? At vero cum plena jam sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo et ante plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debet: quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quae ante in illa, sicut et in multis sanctorum, spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?

4. Ait itaque: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid est, et virtus Altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere, capiat. Quis enim, excepta fortassis illa quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virginis sese visceribus infuderit; et ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisse, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animatae temperavit, reliqua massae umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo, *Spiritus sanctus superveniet in te*, qui utique sua potentia secundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, et Dei sapientia Christus, sie in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi. Ac si angelus responderet ad Virginem: Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Scies, scies, et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante: nec potest addisci nisi a suscipiente. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod est dicere: Quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies [*Alt.* Quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto, quod concipies], concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei; *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum et is qui a Patre est ante saecula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem et quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, et quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit filius.

5. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attende, queso, quam reverenter dixerit, *quod nascetur ex te Sanctum*. Utquid enim ita simpliciter *Sanctum*, et absque additamento? Credo quia

non habuit quid proprie digneve nominaret illud eximum, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite, *Sanctum*: quia quidquid illud sit quod Virgo gennit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem.

6. Et adject angelus: *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit! Legimus et Zachariæ ineruditatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatum: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus; quin potius fidem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnoscimus. *Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficiuntur in te quæ dicta sunt tibi a Domino* (*Luc. 1, 45*). Sed ideo sterilis cognatae conceptus Virginis nuntiatur, ut, dum miraculo miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro necesse erat non modico lætitiae et amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti inox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elisabeth nuntiatur Marie, quia profecto decebat ut verbum mox divulgandum ubique prius sciret Virgo per angelum, quam audiret ab homine: ne Mater videbilem Dei a consiliis Filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara. Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc præcursoris edocetur adventum, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii reseraret veritatem, quæ et plene de omnibus a principio cœlitus fuerit instructa mysteriis. Vel ideo adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elisabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio: sieque illa properante ad visitandum, parvulo prophetae locus et occasio detur, quo minori adhuc Domino suo offici Valeat exhibere primitias; et dum ad se invicem occurrit matrum, infantumque ab alterutro excita devotia, mirabilius fiat miraculum de miraculo.

7. Vide autem ne hæc tam magnifica, quæ ab angelo audis prænuntiata, ab ipso spares perficienda. A quo ergo si queris; ipsum audi Angelum. *Quia non erit, inquit, impossibile apud Deum omne verbum;* tanquam diceret: Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, sed de illius qui me misit, virtute præsumo. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in Verbo? Movet me et

hoc in verbis angelicis, quod signanter non ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne factum;* sed, *omne verbum.* An idcirco posuit verbum, quia quam facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facile, imo incomparabiliter facilis valet Deus opere implere, quidquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile esset facere quam dicere quod volunt; et ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris et vetus sermo est, multum interesse inter loqui et facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle; merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: potuerunt prævidere et prædicere prophetæ Virginem vel sterilem conceptaram ac paritaram; sed nunquid facere ut conciperet et pareret? Deus autem, qui dedit eis posse prævidere, quam facile potuit tunc quod voluit, per illos prædicere, tam facile potuit nunc quando voluit, per se ipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum a verbo, quia virtus est; nec modus a facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.

8. Audisti, Virgo, factum; audisti et modum: utrumque mirum, utrumque jucundum. Jucundare, filia Sion; et exulta satis, filia Jerusalem (*Zach. ix, 9*). Et quoniam auditui tuo datum est gaudium et lætitia, audiamus et nos a te responsum lætitiae quod desideramus, ut jam exsultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, et credidisti: crede et de modo quod audisti. Audisti quia concipies, et paries filium: audisti quod non per hominem, sed per Spiritum sanctum. Exspectat angelus responsum: tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exsul de paradyso, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitant sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat. Nec immerito quando ex captivorum, liberatio damnatorum: salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus quantum concupivit decorum tuum, tantum desiderat et responsionis assensum: in qua nimis propositus salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipse

tibi clamet e cœlo : O pulchra inter mulieres , fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas ? Quid igitur ? tu es cui hoc promissum est , an aliam expectamus ? Imo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat æternam , cum dicebat : *Exspectabo salutare tuum, Domine* (Gen. xl ix, 18). In qua denique, et per quam Deus ipse rex noster ante sæcula dispositus operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur ? quid per aliam exspectas , quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum , respondeas verbum ? Responde itaque citius angelo , imo per angelum Domino. Responde verbum, et suscipe Verbum: profer tuum, et concipe divinum : emitte transitorium, et amplectere sempiternum. Quid tardas ? quid trepidas ? Crede, confitere, et suscipe. Sumat humilitas audaciam , verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem: quia, etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata , cor fidei , labia confessioni , viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua ! Surge , curre , aperi. Surge per fidem , curre per devotionem, aperi per confessionem.

9. *Ecce*, inquit , *ancilla Domini*, *fiat mihi secundum verbum tuum*. Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humiliibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præparetur. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit ? Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat. Non mediocre revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione ; magna prorsus et rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocrem houorem provexerit Ecclesia, Deo nimis- rum hoc vel propter mea , vel propter subditorum peccata permittente; nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum ? Credo famæ [alias, sane], conscientiam non attendo ; et reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eo sanctiorem, quo superiorem me æstimo. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis; genus quoque suum erubescere, et infimos dignari parentes. Videas et homines pecuniosos [al. perniciosos] ad honores quosque ecclesiasticos

pervolare ; moxque sibi applaudere sanctitatem , vestium duntaxat mutatione , non mentium ; et di- gnos se æstimare dignitate ad quam ambiendo per- venerunt ; quodque ( si avideo dicere ) adepti sunt nummis , attribuere meritis. Omitto autem de his quos excœat ambitio, et honor ipse superbidi eis materia est.

10. Sed video ( quod magis doleo ) post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis su- perbiam magis addiscere , ac sub alis mitis humiliisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustrō, quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est , plerique in domo Dei non patientur haberi contemptui , qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt : ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores conteinnuntur. Video et alios ( quod non sine dolore videri debet ) post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis , rursus cupiditatibus terrenis immergi : cum magna cura erigere muros, et negligeat mores : sub prætextu quoque communis utili- tatis, verba vendere divitibus , et matronis saluta- tiones : sed et contra Imperatoris sui edictum con- cupiscere aliena, et sua cum lite repetere ; non au- dientes apostolum ex imperio Regis tubicinantem : *Hoc ipsum, inquit, delictum est in vobis, quod causas habetis. Quare non magis fraudem patimini?* (I Cor. vi, 7.) Itane mundum sibi, et se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant , modo circumeunte provincias et curias fre- quentantes, regum notitias, principumque familiari- tates assecuti sint ? Quid de ipso habitu dicam, in quo jam non calor, sed color requiritur ; magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur ? Pudet dicere ! vincuntur in suo studio muliereuke , quando a monachis pretium affectatur in vestibus, non ne- cessitas : nec saltem forma religionis retenta , in habitu ornari, non armari appetunt milites Christi : qui, dum se præparare ad prælium, et contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant (quod utique adversarii valde formidant), in molitie vestimentorum pacis potius præferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt , nisi quod illam, qua sæculum deseruimus, deserentes humili- tatem , dum per hoc cogimur inepta denuo sectari studia sæcularium , canes efficimur revertentes ad vomitum.

11. Audiamus itaque, quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ Dei mater eligeatur, sed hu- militatem non obliviscebatur. *Ecce*, ait, *ancilla Do- mini*, *fiat mihi secundum verbum tuum*. *Fiat* est desiderii signum, non dubitationis indicium. Et per hoc quod dicit, *fiat mihi secundum verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere deside- rantis , quam effectum requirere more dubitantis.

Quanquam nil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat. Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur: sive quod gratis datus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet a nobis: et dum nos prævenit tribuendo quod retribuat, gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti se muneri gratuitæ promissionis, junxit meritum suæ orationis: *fiat*, inquiens, *mihi secundum verbum tuum*. Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat, obsecro, mihi verbum, non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed et visible oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum et mutum, sed incarnationem et vivum: hoc est, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum: sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: et hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porro multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus in prophetis; et aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro ut in utero fiat juxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamaterie prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatorie somniatum; sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inviseratum. Verbum igitur, quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur et mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum.

*Excusatio S. Bernardi, quod locum istum Evangelii post alios expositores tractandum sumpserit.*

Lectionem evangelicam exposui, sicut potui: nec ignoro quod non omnibus placebit, sed scio me ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium; et aut judicabor superflus, aut præsumptor, quod videlicet post Patres, qui hunc ipsum locum plenissime exposuerunt, rursus in eodem novus expositor ausus fuerim mittere manum. Sed si quid dictum est post Patres quod non sit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Ubi autem dixi quod a Patribus accepi, dum sic absit typhus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiam de superfluitate causantes. Noverint tamen qui me tanquam de otiosa et non necessaria explanatione suggillant, non tam intendisse exponere Evangelium, quam ex Evangelio sumere occasionem loquendi quod loqui delectabat. Si vero peccavi, quod propriam magis ex hoc exci-

tarim devotionem, quam communem quæsierim utilitatem; potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualemque opusculum devotissime destinavi.

### III. — IN PURIFICATIONEM B. MARIE SERMONES IV. I.

*De eo quod pastores invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.*

1. Agnoscite, fratres dilectissimi, quanta sit ho dierna solemnitas, cui et dies brevis, et terræ angusta est latitudo. Loco pariter et tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cœlum replet antequam terram. Nox enim ut dies illuminata est, cum intempestæ noctis hora pastores circumfusit lux nova de cœlo. Et ut noveritis quo in loco solemnitatis hujus cœperint gaudia celebrari: quod jam angelis erat, futurum omni populo gaudium evangelizatur: sed et confestim adest divinis personans laudibus cœlestis exercitus multitudo. Hinc est quod solemnis ducitur nox ista præ ceteris, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus: et his potissimum in vigiliis sine ulla hæsitatione credendum est, cœlestes illos principes prævenire conjunctos psallentibus, in medio juvenclarum tympanistriarum. Sed quam multa hodie gemmis et auro fulgent altaria! quanti ubique palliis parietes adornantur! Putas ad hæc divergent angeli, et pannos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ovium magis apparuere, quam terræ regibus, quam sacerdotibus templi? Cur et ipse Salvator, cuius est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? Aut certe, cur paupertas ipsa tam sollicite enarratur ab angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur, et ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab angelo. *Hoc, inquit, vobis signum: invenietis infantem pannis involutum (Luc. II, 12).* In signum positi sunt panni tui, Domine Jesu; sed in signum, cui a multis usque hodie contradicuntur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, et ideo nec signati. Agnosco certe, agnosco Jesum magnum sacerdotem sordidis operum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, et quibus non ignota est propheticæ visio Zachariæ (Zach. III). Ubi vero exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc plane mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento, exemplum dedit nobis, ut et nos eadem faciamus. Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea quam stola linea, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum et membra sequentur caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, et dicat: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia (Psal. XXIX, 12).*

2. *Invenietis, inquit, infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Et post pauca: *Venerunt, ait evangelista, festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio (Luc. II, 16).* Quid est quod sola ab angelo commendari videtur

humilitas, nec tamen sola a pastoribus inveniri? Forte specialius commendat angelus humilitatem, quia ruentibus ceteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut propterea certe cœlitus annuntiatum humilitas, quod haec quasi propria virtus diuinæ exhibenda sit majestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Inveniunt ergo Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam pretendit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum, cuius laus est in Evangelio, non incongrue designatur. Sanc continentiam deberi carni quis nesciat? Justitia vero virtus est, quod suum est cuique tribuens: et haec erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subjectos, Deo placet in nobis; sicut ait Virgo beata: *Respxit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. I, 48*). Itaque qui forniciatur, peccat in corpus suum; qui injuriosus est, in proximum; qui extollitur et inflatur, in Deum. Fornicator semetipsum dehonstat; injuriosus molestat proximum; elatus, quod in se est, Deum inhonorat. *Gloriam meam*, Dominus ait, *alteri non dabo* (*Isai. XLII, 8*). Et superbis: Ego, inquit, mihi *eam*, licet non dederis, usurpabo. Nec enim placet ei angelica distributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus* (*Luc. II, 14*). Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane et infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis vero Deum colit, nisi qui voluntarie ei subjectus est, et sicut oculi servorum in manibus Dominorum, suorum, sic oculi cordis ejus ad dominum Deum suum?

3. Ut ergo inveniatur in nobis semper Maria, et Joseph, et infans positus in præsepio; sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos, et per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos; ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (*Tit. II, 11-15*). Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem: sed *hic erit magnus*, sicut de eo Gabriel locutus est (*Luc. I, 32*); et quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis et mansuetudinem, magnificabit postmodum et glorificabit magnus et gloriosus adveniens Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## II.

### *De triplici misericordia.*

1. Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit; Joseph quoque sistit Dominum, non suum, sed ejus filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem exspectabat; Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ post-

modum exultatione universæ terræ in omni loco et ab omni gente celebraretur. Nec sane mirum, si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebat. Nullum ibi locum peccator habuit: omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis, Domine? Crescat corpus, crescat et miseratio. Homines et jumenta salvabis, Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam, Deus (*Psal. XXXV, 7, 8*). In secunda jam processione praeeunt turbae, turbae sequuntur; nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque designatur, nec ipsos qui computuerunt tanquam jumenta in stercore suo: non designatur, inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processionis suæ gloria non censebit indignos. Magis vero et ipsam, quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam et prærogavit antiquis?

2. David, rex et propheta, exultavit ut videret diem istum: vidit, et gavisus est. Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio templi tui?* (*Psal. XLVII, 10*.) Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et qui-cunque sunt præordinati ad vitam: siquidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus: nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exhibis, anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Unde hoc? Nempe quia Lux venit in mundum, et dilixerunt homines magis tenebras quam lucem. *Et Lux, inquit, in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehendenterunt* (*Joan. I, 5*). Ac si dicat: Et in plateis derivantur aquæ, et alienus non bibit ex eis; et misericordia in medio templi est: nemo tamen accedit [alias, nec tamen accedunt] ex his quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis: ut morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini; sed potius rapiamini a rugientibus præparatis ad escam.

3. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Longe est haec gratiarum actio a voce illa gementis: *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (*Psal. XXXV, 6*). Quid

enim? videturne tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos coeligenas spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus paulo minus ab angelis, factusque est Dei et hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum quae in cœlis sunt, et quae super terram; ex hoc plane jam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim et nos natura filii iræ, sed consecuti sumus misericordiam. Cuius iræ filii, et quam misericordiam consecuti? Nempe filii ignorantie, ignoravæ, captitatis: et consecuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excœaverat nos; mollities viri abstracti et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos; malitia diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primum quidem viae civitatis habitaculi prorsus iguari; deinde imbecilles et ignavi, ut, etsi nota nobis esset via vita, propria tamen præpediremur et detineremur inertia; postremo captivi sub pessimo crudelissimo que tyranno, ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitus opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia et miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certe si jam salvi facti sumus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia a Deo Patre, et justitia et sanctificatio, et redemptio (*I Cor. i, 50*): quanta nobis vigilancia opus est, dilectissimi, ne fert, quod absit! inveniantur nostra novissima pejora prioribus, si denuo contingat iram incendere, utpote qui non natura jani, sed propria voluntate filii iræ sumus?

4. Amplexamur itaque misericordiam, quam in medio templi suscepimus, et cum beata Anna non dimoveamur a templo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, ait Apostolus (*I Cor. iii, 17*). Prope est hæc misericordia, prope est verbum in ore vestro et in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum ejus, et hæc sedes ejus: nisi forte excidit vobis quoniam anima justi sedes sapientiae est. Quod ergo frequenter, imo et semper admonere cupio fratres meos, obsecro et nunc, ambulemus non secundum carnem in carne, ne displiceamus Deo. Non sumus amici hujus saeculi, ne Dei constituamur iuimici. Resistamus quoque [*alias*, ergo] diabolo, et fugiet a nobis, ut libere jam ambulemus in spiritu, et in corde sit conversatio nostra. Siquidem corpus quod corruptitur, aggravat, et enervat, et effeminat animam; et terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit (*Sap. ix, 15*), ut ad cœlestia non assurgat. Unde et sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (*I Cor. iii, 19*); et a maligno qui superatur, ei et servus addicitur. Porro in corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus, in corde loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

## III.

*De ordine et modo processionis Christi in templum.*

1. Gratias Redemptori nostro, qui tam copiose prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantiae suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulo ante Nativitate, Circumcisione et Apparitione ejus, festus hodie nobis oblationis ipsius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis; hodie placabilis et Deo placens hostia virginis manibus offertur in templo, portatur a parentibus, a senibus exspectatur. Offerunt Joseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum; Simeon et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis clima solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo festivam hodie et nos ipsi, præter cæterarum consuetudinem solemnitatem, acturi sumus processionem, non inutile arbitror modum ipsius et ordinem diligenter intueri. Processuri sumus bini et bini, candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quelibet igne, sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Ad hæc futuri sunt in processione nostra novissimi primi, et primi novissimi: et cantabimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

2. Merito sane bini et bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis et socialis vitæ missos a Salvatore discipulos Evangelia sacra testantur (*Luc. x, 1*). Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat: nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Jam vero sicut non est bonum esse hominem solum, sic in conspectu Domini vacuum apparere est prohibitum (*Exod. xxiii, 15*). Cum enim arguantur otiositatis ipsi quoque quos nemo conduxit (*Matth. xx, 6*): qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe sine operibus mortua est (*Jac. ii, 26*). Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, et in desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est, ne forte tepidos nos evomere incipiatur, qui in Evangelio loquitur, dicens: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc. xii, 49*.) Hic plane sacer et benedictus est ignis, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, et cui benedicitur in ecclesiis, sicut scriptum est: *In ecclesiis benedicite Deo Domino* (*Psal. lxvii, 27*). Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum æmulator; habet, inquam, ignem suum et ipse, ignem concupiscentiae carnalis; ignem invidiæ et ambitionis, quem Salvator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in divino offerre presumperit sacrificio, etiamsi patrem habeat Aaron, morietur in iniuriate sua.

3. Porro super hæc quæ de sociali vita et fraterna dilectione, de bonis operibus, et servore sancto dicta sunt; humilitatis virtus maxima, maximeque necessaria est, ut honore præveniamus invicem: nec modo priores, sed et ipsos juniores sibi quisque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio est, et justitiae plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligit Deus (*II Cor. ix, 7*), et fructus charitatis est gaudium in Spiritu sancto; cantemus, ut dictum est, in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini (*Psal. cxxxvii, 5*): cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal. xcvi, 1*). In quibus omnibus si quis forsitan proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem; noverit quisquis hujusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero et in regressione; quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porro profectus noster in eo consistit, ut saepius me dixisse memini, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius; et imperfectum nostrum divinæ misericordiae obtutib⁹ jugiter exponamus.

## IV.

*De pueri, Maria et Joseph.*

1. Purificationem beatae Mariæ Virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moysi facta est, transactis a Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octava die circumcideretur puer: dehinc ablutioni et purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus: quibus expletis, offerret filium Domino cum muneribus (*Lev. xii*). Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio, liberam omnino matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matre Domini blasphemiae crimen incurgere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine?* Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Jeremiam, quia *novum* faceret *Dominus super terram*. Queris quod novum? *Mulier*, inquit, *circumdabit virum* (*Jerem. xxxi, 22*). Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem; sed intra viscera intacta et integra virum claudet: ita sane ut intrante et exeunte Domino, juxta alium prophetam, porta orientatis clausa jugiter perseveret (*Ezech. xliv, 2*).

2. Putas ergo, non poterat moveri animus ejus, et dicere: Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi?

Nihil in hoc conceput, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificatio observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculata? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circumcisio? Esto inter mulieres tanquam una earum; nam et filius tuus sic est in numero puerorum. Circumeidi voluit, et non multo magis velit offerri? Offer filium tuum, Virgo sacra, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationis hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth. iii, 17*). Sed oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis. De utroque tamen potes accipere quod propheta prædixit: *Oblatus est, quia ipse voluit* (*Isai. lxi, 7*). Nam et modo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia ipse voluit; et in cruce nihilominus oblates est, non quia meruit, non quia *Iudeus* potuit, sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate.

5. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorē quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit: et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit; tu quis es qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suspicere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi, longeque gloriōsius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam ut deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino *Judeus* mortuas hostias offerebat; sed jam nunc: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (*Ezech. xxxiii, 11*). Non vult Dominus mortem meam; et non libenter offero illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione

illa Domini tres fuisse leguntur; et in oblatione nostra tria nihilominus a Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus Matris Domini, enjus filius putabatur; fuit et ipsa Virgo-mater, et puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo et in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia earnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas et humilitas puerilis. Amen.

#### IV. — IN ASSUMPTIONEM B. MARIE SERMONES V.

##### SERMO I.

*De gemina susceptione, Christi scilicet et Mariae.*

1. Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim, cuius salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viseera claudunt (*Luc. i. 41*). Quod si parvuli nectum nati anima liquefacta est ut Maria locuta est, quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exsultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata ejus frui præsentia meruerunt? Nobis vero, charissimi, quæ in ejus Assumptione solemnitatis occasio, quæ causa laetitiae, quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentia totus illustratur orbis: adeo ut et ipsa jam cœlestis patria clarius rutilat virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio et vox laudis; sed plangendum nobis quam plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cœlum exsultat, nunquid non consequens est, ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens civitas; sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In qua si conscripti cives sumus, dignum profecto est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudiis, ejus participare laetitiam, maximeque eam, quæ tam copioso impetu levigat hodie civitatem Dei, ut sentiamus et ipsi stillecidia stillantia super terram. Praecessit nos regina nostra, præcessit, et tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominum servuli clamantes: *Trahe nos post te; in odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant. i. 5*). Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.

2. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando et accipiendo felici amicitiam fœdere copulentur humana divinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas.

Regina cœlorum est, misericors est; denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honore matrem; aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit.

5. Et hæc quidem propter nos dixerim, fratres, sciens difficile esse ut in tanta inopia charitas illa perfecta, non quærens quæ sua sunt, valeat inveniri. Ut tamen interim sileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebitur utique, quia vadit ad Filium. Plane, inquam, congratulabimur ei, nisi forte, quod absit! inventrici gratiæ omnino modis inveniamur ingratii. Quem enim in castellum mundi hujus intrantem prius ipsa suscepserat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediebus civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Felix nimur utraque susceptio; ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Utquid enim ea hodie in ecclesiis Christi evangelica lectio recitat, in qua mulier benedicta in mulieribus excepsisse intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus aestimetur, immo ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur et ista. Quis enim, etiamsi linguis hominum angelorumque loquatur, explicare queat quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia; et Dominus majestatis quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clauerit viscera factus homo?

4. Sed et illud quis vel cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quam placido vultu, quam serena facie, quam lætis [*alias, divinis*] amplexibus suscepta a Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censemus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, eum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, et dicens: *Osculetur me osculo oris sui?* (*Cant. i. 1.*) Christi generationem, et Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ ceteris, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se: quod præparavit

gignenti se, et, quod omnibus est certum, diligenter  
prae omnibus, quis loquatur? Felix plane Maria, et  
mult pliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive  
cum a Salvatore suscepitur: utrobique miranda di-  
gnitas Virginis matris: utrobique amplectenda  
dignatio majestatis. *Intravit*, inquit, *Jesus in quod-  
dam castellum, et mulier quædam exceptit illum in  
domum suam* (*Luc. x.*, 38). Sed laudibus magis va-  
candum est, quod festivis præconiis hæc dies debeatur.  
Quia vero copiosam nobis materiam lectionis  
hujus verba ministrant; cras quoque, convenientibus  
nobis in unum, communicandum erit sine invidia  
quod fuerit desuper datum, ut in memoria tantæ  
Virginis non modo affectus devotionis excitetur, sed  
et mores adficiantur ad profectum conversationis,  
in laudem et gloriam Filii ejus Domini nostri, qui  
est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

## SERMO II.

*De domo mundanda, ornanda, implenda.*

1. *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier  
quædam, Martha nomine, exceptit illum in domum  
suam* (*Luc. x.*, 38). Opportune satis hoc mihi loco  
prophética exclamatio assumenda videtur: *O Israel,  
quam magna est domus Domini, et ingens locus pos-  
sessionis ejus!* (*Baruch iii.*, 24.) An non ingens, cuius  
comparatione castellum dicitur terræ hujus spacio-  
sissima latitudo? an non ingens patria et regio  
inæstimabilis, quando ab ea Salvator adveniens,  
cum ingredieretur orbem terræ, dicitur introire ca-  
stellum? Nisi forte castellum quis aliud intelligentem  
putet, quam atrium fortis armati, principis  
mundi hujus, cuius vasa diripere fortior supervenit  
(*Luc. xi.*, 21, 22). Festinemus in illam ingredi beatitudinis  
amplitudinem, fratres, ubi nemo alium  
coangustat: ut possimus cum omnibus sanctis com-  
prehendere, quænam sit longitudo et latitudo, subli-  
mitas et profundum (*Ephes. iii.*, 18). Neque id  
desperemus, quandoquidem ipse cœlestis habitator  
patriæ, etiam et creator, nostri hujus castelluli an-  
gustias non refutat.

2. Sed quid introisse eum dicimus in castellum?  
Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorum  
introivit. Denique et mulier quædam exceptit illum in  
domum suam. Felix mulier, quæ non jam exploratores  
Jericho, sed ipsum potius fortissimum expoliato-  
rem stulti illius, qui vere ut luna mutatur; non  
legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere  
meruit verum Jesum Filium Dei. Felix, inquam,  
mulier, cuius domus Salvatore suscepto inventa est  
munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim  
vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam?  
Neque hoc solum; sed adhuc quoque in eam super-  
venturum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas,  
nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi ut  
adveniente jam Spiritu plena sibi, eodem superveniente  
nobis quoque superplena et supereffluens  
sit? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata  
seculicet gratiarum, ut de plenitudine tanta omnes  
accipiamus! Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est

per quam suscepimus misericordiam tuam, Deus:  
ipsa est per quam et nos Dominum Jesum in domos  
nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra  
sunt singula, et singulæ donis; et Sapientia pulsat  
ad ostia singulorum: si quis ei aperuerit, introibit,  
cœnabitque cum eo. Est vulgare proverbiū, quod  
multorum in ore, magis autem in corde versatur:  
Bonum, inquit, servat castellum, qui custodierit  
corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis  
inquit: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso  
procedit* (*Prov. iv.*, 23).

3. Esto tamen, cedendum sit multitudini; bonum  
castrum custodiat, qui custodierit corpus suum.  
Illiud sane querendum quænam huic sit adhibenda  
custodia castro. Reclēc custodisse tibi videtur anima  
illa corporis sui castrum, cuius membra, velut  
conjunctione facta, inimico ejus dominium tradi-  
dere? Sunt enim qui cum morte fœdus inierunt,  
pactum pepigerunt cum inferno (*Isa. xxviii.*, 15).  
*Ingressatus est*, inquit, *dilectus, et recalcitravit; in-  
crassatus, impinguatus, dilatatus* (*Deut. xxxii.*, 15).  
Hæc plane custodia, que laudatur a peccatoribus in  
desideriis carnis suæ. Quid vobis videtur, fratres?  
num et in hac parte cedendum est multitudini?  
Absit! Paulum magis interrogemus, utpote  
decem strenuum militiæ spiritualis. Dic nobis,  
Apostole, quæ sit tui custodia castri? *Ego, ait, sic  
curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi  
aerem verberans, Castigo enim corpus meum, et in  
servitutem redigo, ne forte, cum alis prædicavero,  
ipse reprobus efficiar* (*I Cor. ix.*, 26, 27). Et alio in  
loco: *Non regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali  
corpo ad obediem̄ concupiscentiis ejus* (*Rom. vi.*, 12). Utilis profecto custodia, et felix anima, quæ  
sic custodierit corpus suum, ut nunquam sibi vindictet  
illud inimicus. Fuit enim aliquando, cum hoc  
meum castrum tyranndi suæ impius ille subjece-  
rat sibi, potestate membris imperans universis.  
Quantum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indi-  
cat desolatio et egestas. Heu! nec continentiae mu-  
rum in eo, nec patientie antemurale reliquit. Exter-  
minavit vineas, messuit segetes, arbores extirpavit:  
quippe etiam oculus iste meus deprædabatur ani-  
mam meam. Denique nisi quia Dominus adjuvit me,  
paulo minus habasset in inferno anima mea. Dico  
autem infernum inferiorem, ubi nulla confessio,  
unde nemini datur exire.

4. Cæterum etiam tunc nec career illi deerat, nec  
infernus. Ab ipso nempe conjunctionis et prodigionis  
pessime deprehensa principio, nou alibi quam in  
domo propria carcerali est mancipata custodia, nec  
aliis quam sue ipsius familie data tortoribus. Erat  
enim illi conscientia career, erant tortores ratio et  
memoria, atque hi quidem crudeles, austeri et im-  
misericordes: sed longe minus a rugientibus illis  
præparatis ad escam, quibus erat jam jamque tra-  
denda. Sed benedictus Deus, qui non dedit me in  
captionem dentibus eorum. Benedictus, inquam, Do-  
minus, qui visitavit et fecit redemptionem. Cum enim

inferiori eam careeri tradere malignus [*additur alias et tortoribus*], acceleraret, sed et castrum ipsum ignibus cremare perpetuis, ut digna perjuris etiam fieret retributio membris, fortior supervenit. Intravit in castellum Jesus, qui fortem alligans, ejus vasa diripiuit; ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem. Contrivit portas æreas, et confregit ferreos vectes, vinetum de domo carceris et umbra mortis educens. Porro egressus ejus in confessione. Ipsa est enim scopa, qua mundatus career et ornatus, deinceps regularium institutionum juncis quibusdam pulchre virentibus de carcere reddit in dominum. Habet ergo mulier jam domum suam, habet ubi suscipiat eum, cui super tantis beneficiis exstat obnoxia. Alioquin vix ei, si eum excipere renuit, si non detinet, si non cogit manere secum, quoniam advesperascit. Rediens enim qui prius ejectus est, mundata quidem et ornata domum invenit, sed vacantem.

5. Relinquitur siquidem mulieri domus sua deserta, quam [*alias, quia*] Salvatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodo, inquis? Poteritne domus mundata confessione priorum delictorum, et observatione regularium institutionum ornata, indigua adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, et juncis, ut dictum est, strata virentibus, interius plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulcris, quæ videntur a foris speciosa, intrinsecus autem spurcitia et sanies universa replevit? Esto si quidem ut aliquando tanquam ipsa superficie delestat, incipiat velut primum apponere pedem, ei qui hujusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo: nunquid non resiliet illico cum indignatione? nunquid non aufugiet clamitans: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia?* (*Psal. LXVIII, 3.*) Virtutis enim species, et non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque vero ingressum ejus exterioris potest conversationis tenuis superficies sustinere; quoniam omnia penetrat, et in intimis cordibus ejus habitatio est. Quod si nequaquam spiritus discipline subditum manifeste peccatis corpus inhabitat, sicut utique non modo declinat, sed et effugit atque elongatur ab eo (*Sap. 1, 5.*) An vero aliud est quam fictio exsecranda, si peccatum superficie tenus radas, non intrinsecus eradicis? Certus esto quoniam pullulabit uberioris, et mundata, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat, hospes [*alias, hostis*] malignus intrabit. Reversus enim ad vomitum canis, odibilis erit multo plus quam ante; et si filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes inciderit, utsus lota in volutabro lutum.

6. Vis videre mundata, ornata et vacantem domum? Hominem intuere qui confessus est, et descriuit manifesta peccata precedentia ad judicium, et nunc solas movet manus ad opera mandatorum,

corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, plane quasi vitula Ephraim, docta diligere trituram. Exteriorum quæ ad modicum valent, ne unum iota praterit aut apicem unum; sed camelum glutit, dum euilicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, eulor avaritiae, gloriae cupidus, ambitionis amator; aut hæc omnia, aut singula quæque intus vitia sovens: et mentitur iniquitas sibi, sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic pallatum hominem, ut seducat etiam semetipsum, penitus non attendens verinem, qui interiora depascitur. Manet enim superficies, et salva sibi omnia arbitratur. *Comederunt*, ait propheta, *alieni robur ejus, et ignoravit* (*Osee VII, 9.*) Dicit: *Quia dives sum, et nullius ego: cum sit pauper, et miser, et miserabilis* (*Apoc. III, 17.*) Nam et inventa occasione ebullire sauciem, quæ latebat in ulcere, et excisam, non extirpatani arboreum in silvam pullulare videoas densiorem. Quod perieulum si volumus declinare, securum ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inveniatur in nobis exercitatio corporalis, ad modicum valens: sed inveniatur utilis ad omnia pietas, et exercitium spirituale.

7. *Mulier*, inquit, *Martha nomine, exceptit illum in domum suam; et huic erat soror, nomine Maria.* Sorores sunt, et debent esse contuberniales. Occupatur hæc circa frequens ministerium, illa Dominiæ est intenta sermonibus. Ad Martham spectat ornatus, sed impletio ad Mariam. Vacat enim Dominus, ut non sit domus vacans. Sed mundationem cui possimus attribuere? Erit enim, si et hoc inveniatur, domus, in qua Salvator suscipitur, et munda, et ornata, et non vacans. Demus eam Lazarum, si et vobis ita videtur. Et ei siquidem fraternitatis jure cum sororibus est domus ista communis. Dico autem Lazarum, quem quatriduanum, iam jamque fetentem a mortuis excitat vox virtutis, ut videatur satis congrue formam gerere pœnitentis. Intret ergo dominum Salvator, et frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria repletæ internæ dedita contemplationi.

8. Sed forte curiosius quisquam requirat, eur in praesenti evangelica lectione nulla prorsus Lazarus mentio fiat. Arbitror sane ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim dominum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quereretur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu saucto repletam eredere prohibet pietas Christiana: nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta naseeretur. Postremo cum omnimodis constet, ab originali contagio sola gratia mundata esse Mariam, quippe eum et nunc in baptismate

sola hanc maculam lavet gratia, et sola eam raserit olim petra circumcisionis : si, ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos, quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari : secedat inter vulneratos dormientes in sepulcris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha et Maria tanquam. Ipsa est enim quæ Elisabeth gravidæ et grandævæ quasi mensibus tribus humili deservivit officio (*Luc. i, 56*) ; ipsa quæ verba, quæ de Filio dicebantur, conservabat conferens in corde suo (*Luc. ii, 19*).

9. Nemitem ergo moveat, quod suspiciens mulier Dominum, non Maria, sed Martha vocatur : quando in hac una et summa Maria et Marthæ negotium, et Mariæ non otiosum otium invenitur. Omnis quidem gloria filie regis ab intus : nihilominus tamen in limbris aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum : prudens est virgo; lampadem habet, sed in vase oleum portat. An forte excedit vobis evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? (*Math. xxv, 1-13*.) Erat quidem domus earum munda, virgines enim erant : erat ornata, quia simul omnes, id est fatuae cum prudentibus, lampades ornaverunt; sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est, quod nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus coelestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus ejus, quia non extinguetur in nocte lucerna ejus (*Prov. xxxi, 18*). In suggillationem hoc dicitur satuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur sero, et dicunt : *Quia lampades nostræ extinguntur*. Processit igitur gloriosa Virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent : *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* (*Cant. vi, 9.*) Clarius enim cæteris rutilabat, quam repleverat oleo gratiae præ participibus suis Christus Jesus, Filius ejus, Dominus noster.

### SERMO III.

*De Maria, Martha et Lazaro. (Luc. x, 38-42.)*

1. *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam*. Quid est, fratres, quod e duabus sororibus altera tantum Dominum legitur excepisse, et ea ipsa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit. Sed prior natu Martha videtur, et salutis initium sibi magis actio, quam contemplatio noscitur vindicare. Laudat Christus Mariam, sed a Martha suscepitur. Amat Rachelem Jacob, sed Lia supponitur ignorantis. Si de fraude queritur, audiet non esse consuetudinis ut juniores prius tradantur ad nuptias (*Gen. xxix,*

25-26). Quod si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat quam Maria. Quod enim ait Apostolus: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor. vi, 20*), Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc nimurum corporis uitrum instrumento, cum illi potius sit impedimento. Denique *corpus*, inquit, *quod corruptitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap. ix, 15*). Nunquid et operantem? Martha igitur in domum suam excipit Salvatorem in terris : Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in cœlis. Forte tamen et ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu : Dominus enim spiritus est.

2. *Huic*, inquit, haud dubium quin Marthæ, *soror erat, nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius*. Vides quod utraque suscepit Verbum, hæc in carne, illa in voce. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Putas, in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmurationis audiatur? Felix domus, et beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legis Mariam causantem, Quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit, absit ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam! Martha semper insufficiens sibi et minus idonea videatur, aliquis magis in operis quod administrat optet imponi. *Respondit autem ei Jesus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima*. Vide prærogativam Mariæ, quem in omnicausa habeat advocationem. *Indignatur siquidem Pharisæus* (*Luc. vii, 39*), conqueritur soror, etiam discipuli murmurant (*Math. xxvi, 8*) : ubique Maria tacet, et pro ea loquitur Christus. *Optimam*, inquit, *partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*. Hoc unum illud quod necessarium est; hæc una, quam Propheta tam sedulo requirebat : *Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram* (*Psal. xxvi, 4*).

3. Quid tamen sibi vult, fratres, quod optimam partem Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit, quod adversus eam proferre solemus, si quando forte administrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare voluerit: *Melior est iniqüitas viri, quam benefaciens mulier?* (*Eccli. xlvi, 14*.) Ubi erit et illud: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum*. *Pater meus?* (*Joan. xii, 26*.) Et illud: *Qui major est restrum, erit minister vester?* (*Math. xx, 26*.) Postremo, quæ consolatio est laboranti, quasi in ejus suggillationem, partem sororis attollere? Unum ergo arbitror e duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quod pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda; aut certe ut neutrum dicatur defuisse,

nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet sit parata. *Quis enim sicut David fidelis, ingrediens et egrediens, et pergens ad imperium regis?* (*I Reg. xxii, 14.*) Denique paratum, inquit, *cor meum, paratum cor meum* (*Psal. lvi, 8.*) non semel tantum, sed et secundo, et vacare tibi, et proximis ministrare. Hæc plane pars optima, quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur quoconque vocaveris eam. *Bonum, inquit, acquirit gradum, qui bene ministriaverit* (*I Tim. iii, 13.*) Forte meliorem qui bene vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tameu id de Martha licet suspicari. Nonne enim quasi otiosam reputasse videtur, quam sibi dari petiti adjutricem? Sed carnalis est, et omnino non percipit quæ sunt spiritus Dei, si quis forte vacantem animam sua de vacacione redarguit. Audiat igitur optimam esse hanc partem, que maneat in æternum. Nunquid enim non rudit quodammodo videtur anima, quæ divinae contemplationis penitus expers, illam intraverit regionem, ubi hoc unum oninum opus, unum studium, eadem vita?

**4.** Sed consideremus, fratres, quemadmodum in hac domo nostra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Marthæ administrationem, Mariæ contemplationem, Lazarī pœnitentiam. Habet hæc simul quæcumque perfecta est anima; magis tamen videntur ad singulos singula pertinere, ut alii vacent sanctæ contemplationi, alii dediti sint fraternæ administrationi, alii in amaritudine animæ suæ recognitent annos suos, tanquam vulnerati dormientes in sepulcris. Sic plane, sic opus est, ut Maria pie et sublimiter sentiat de Deo suo, Martha benigne et misericorditer de proximo, Lazarus misere et humiliter de se ipso. Gradum suum quisque consideret. *Si inventi fuerint in civitate hac Noe, Daniel, Job; ipsi justitia sua liberabuntur, ait Dominus: sed filium aut filiam non liberabunt* (*Ezech. xiv, 14-16.*) Nemini nos blandimur: utinam nec vestrum quispiam se seducat! Quibus enim nulla credita est dispensatio, administratio nulla commissa, his omnino sedendum erit, aut secus pedes Jesu cum Maria, aut certe cum Lazarī intra septa sepulcri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ sollicita est pro multis? Tibi vero cui necessitas hæc non incumbit, e duobus unum est necessarium: aut non turbari penitus, sed delecati magis in Domino; aut, si id necdum potes, turbari non erga plurima, sed, ut de se propheta loquitur, ad te ipsum (*Psal. xli, 7.*)

**5.** Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem: oportet te, frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat; aut cum beato Job virum dolorum, et scientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te et nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit aut sui consideratione calidum et charitatis igne flagrantem; aut una ipsius cognitione frigidum, et aqua compunctionis ignita diaboli jacula

restinguenter. Sed et ipsam quoque Martuam admonitam esse necesse est, id maxime queri inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt querat, sed quæ Jesu Christi, ut sit intentio pura; nec suam faciat, sed Domini voluntatem, ut sit actio ordinata. Sunt enim quorum non simplex est oculus, et recipiunt mercedem suam. Sunt qui feruntur propriis motibus animalium, et contaminata sunt universa quæ offerunt, quippe cum voluntates eorum inveniantur in eis. Veni nunc mecum ad nuptiale carmen, et considemus quemadmodum sponsus, ubi sponsam vocat, nec ullum omiserit ex his tribus, nec his addiderit quidquam. *Surge, inquit, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, et veni* (*Cant. ii, 10.*) An non amica est, quæ Dominicis luceris intenta, fideliiter ipsam quoque pro eo ponit animam suam? Quoties enim pro uno ex minimis ejus spirituale studium intermitit [*alias, interponit*], toties pro eo spiritualler ponit animam suam. An non formosa, quæ revelata facie gloriæ Domini speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu? (*II Cor. iii, 18.*) Au non columba, quæ plangit et gemit in foraminibus petræ, in cavernis maceræ (*Cant. ii, 14.*), tanquam sepulta sub lapide?

**6.** *Mulier, ait, Martha nomine, excepit eum in domum suam.* Certum est hujus tenere locum fratres officiales, quos fraternæ charitatis intuitus variis administrationibus deputavit. Utinam autem et ego ipse inter dispensatores fidelis merear inveniri! Quibus enim convenientius videtur aptandum quod Dominus ait: *Martha, Martha, sollicita es, quam prælatis, si tamen digna in sollicitudine præsunt?* Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui et Mariæ vacantis, et Lazarī pœnitentis, sed et ipsorum, quibus onera sua partitur, universa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam. Apostolum loquor, qui prelatos sollicitudinis admonitus, gerit ipse sollicitudinem omnium Ecclesiarum. *Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uor?* (*II Cor. xi, 29.*) Suscipiat igitur Martha Dominum in domum suam, cui nimis credita est dispensatio domus. Mediatrix est, ut sibi pariter et subjectis salutem obtineat, suscipiat gratiam, sicut scriptum est: *Suscipient montes pacem populo, et colles justitiam* (*Psal. lxxi, 3.*) Suscipiant cæteri coadjutores ejus singuli pro qualitate ministerii sui; excipiant Christum, serviant Christo, ministrent ei in membris suis, ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus et peregrinis.

**7.** Quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, et videat quenam suavis est Dominus. Videat, inquam, quam devota mente, quam tranquillo sedeat animo secus pedes Jesu, providens eum semper in conspectu suo, et verba ex ore ejus excipiens, cujus et aspectus delectabilis, et eloquium dulce. Diffusa est enim

gratia in labiis ejus, et est speciosus forma præ filiis hominum, iuxta etiam super omnem gloriam angelorum. Gaude et gratias age, Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, et aures quæ merentur audire quod audis. Beata plane, quæ venas susurri divini percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum exspectare. Simplex esto, non tantum sine dolo et simulatione, sed et absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus, cuius et vox dulcis, et facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in sensu tuo, et velis plus sapere quam oportet sapere: ne forte dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano, de quo non est hujus temporis disputare. Nam Lazarus quo devenit? ubi posuistis eum? Sorores alloquor, quæ sepelierant fratrem prædicatione et ministerio, exemplo et oratione. Ubi ergo posuistis eum? Absconditus est fossa humo, sub lapide jacet, non facile invenitur. Propterea non erit incongruum quatriduanum quartum reservare sermonem, ut juxta Salvatoris exemplum audientes: *Ecce quem amas, infirmatur (Joan. xi, 3)*, et nos maneamus hic die isto.

## SERMO IV.

*De quatriduo Lazari, et præconio Virginis.*

1. Tempus loquendi est omni carni, cum assumuntur incarnati Verbi mater in cœlum; nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine. Sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut ineruditæ potest locutio parturire. Hinc est quod et ipsi cœlestis curiae principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? (Cant. viii, 5.)* Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc? aut unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini latifaciat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ voluptatis torrente [alias, gloria] potamur. Quæ est ista, quæ de sub sole, ubi nihil est nisi labor et dolor, et afflictio spiritus, aseendit deliciis spiritualibus affluens? Quidam delicias dixerim, virginitatis decus cuius munere fecunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto regina mundi, etiam angelis sanctis, ut canit Ecclesia, speciosa facta est et suavis in deliciis suis. Desinant tamen deserti hujus mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum (*Psal. LXXXIV, 13*). Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendenter. Longe enim ampliori miraculo dignum videatur, Dei Filium paulo minus ab angelis minorari, quam Dei matrem super angelos exaltari. Illius si-

quidem exinanitio, facta est repletio nostra: illius misericordia, mundi deliciae sunt. Denique cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur (*II Cor. viii, 9*). Sed et crucis ignorantia, credentium facta est gloria.

2. Adhuc autem et ad monumentum properat vita nostra, ut quatriduanum reducat a monumento: et eum, de quo vobis hodie (si bene meminit charitas vestra) sermo debetur, Lazarum querit, ut queratur, et inveniatur a Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur, Domine, quære quem amas, ut et amantem facias, et quærentem. Quære ubi posuerunt eum: jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, et tanquam lapide superposito premitur et opprimitur onere pœnitentiæ, maxime quod desit interim fortis ut mors dilectio, et charitas omnia sustinens; et in his omnibus jam fetet, Domine: quatriduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligent quem velim dicere Lazaram: cum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fudit sibi pœrietem, ut videat abominationes multas (*Ezech. viii, 8, 9*), et malas pravi et inscrutabilis cordis sui, et juxta prophetam alium ingressus est in petram, absconditus fossa humo a facie furoris Domini (*Isai. ii, 10*).

3. Sed quid est: *Domine, jam fetet; quatriduanus est enim?* Forte enim fetorem istum, et quatuor dies istos non continuo quisvis intelligat. Ego primam arbitror timoris diem, qua nimur irradiante cordibus nostris peccato morimur, et quodam modo sepelimur in conscientiis nostris. Secunda, ni fallor, agitur in labore certaminis. Solet nempe inter primordia conversionis acris insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix extingui possunt jacula ignita diaboli. Tertia nihilominus doloris esse videtur; dum recognit quis annos suos in amaritudine animæ sua, et nec tam laborat declinando futura, quam præterita plangendo deplorat. Miraris quod hos dixerim dies? Sed tales sepulturæ debentur, dies nebulae et caliginis, dies luctus et amaritudinis. Sequitur dies pudoris, non dissimilis tribus: quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ et quanta deliquerit, et in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa: non sibi parcit durus judex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio, et digna miseratione crudelitas, facile sibi divinam concilians gratiam, dum pro co mens æmulatur etiam contra se ipsam. Verumtamen, Lazare, veni foras, ne in tanto fetore diutius immoraris. Caro putida putredini proxima est; et qui confunditur vehementius et tabescit, prope est ut desperet. Propterea, Lazare, veni foras. Abyssus abyssum invocat: abyssus lumenis et misericordiæ, abyssum misericordiæ et tenebrarum. Major illius bonitas quam iniquitas tua: et ubi peccatum abundat, super-

abundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras* (*Joan. xi, 39, 45*). Ac si manifestius dicat: Que usque conscientiae tuae caligo te detinet? quandiu in cubili tuo gravi corde compangeris? Veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in propheta legisti: *Infrenabo os tuum laude mea, ne pereas* (*Isai. xlvi, 9*). Evidenter quoque propheta alius de se ipso: *Ad me ipsum, inquit, anima mea turbata est; propterea oro memor tui* (*Psal. xli, 7*).

4. Jam vero quid sibi vult quod ait: *Tollite lapidem, et post pauca, solvite eum?* (*Joan. xi, 39, 44*) Nunquid post visitationem gratiae consolantis cessabit agere penitentiam, quoniam appropinquavit regnum cœlorum; aut abjiciet disciplinam, si forte iraseatur Dominus, et percitat de via justa? Absit hoc! Tollatur lapis, sed poenitentia maneat, non jam premens et onerans, sed vividam et robustam mentem roborans magis atque confirmans: nimurum cuius cibus sit, quem antea nesciebat, Domini facere voluntatem. Sic et disciplina non jam constringit liberum, secundum illud: *Justis non est lex posita* (*I Tim. i, 9*); sed voluntarium regit, et dirigit in viam pacis. Super hac Lazari suscitatione manifestius psallit propheta: *Non derelinques animam meam in inferno*; quia, ut dixisse me memini secundo hujus festivitatis die, infernus quidam et carcere animæ, rea conscientia est. *Nec dabis sanctum tuum* (non suum ipsius, sed tuum utique, quem ipse sanctificas) *videre corruptionem*. Corruptione siquidem proximus erat quatriduanus, qui cooperat jam fetere. Prope erat ut penitus dissolveretur, et veniens in profundum malorum contemneret impius; sed præventus voce virtutis, et ab ea vivificatus gratias agit dicens: *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me letitia cum vultu tuo* (*Psal. xv, 10, 11*). Ad ipsius siquidem contemplationem evocasti et eduxisti ab inferno animam meam: dum anxiaretur super me spiritus meus, intuens conscientiae propriæ faciem nimis abominandam. *Clamavit*, inquit, *voce magna*: *Lazare, veni foras*; magna utique vox, non tam sono clamosa, quam pietate et virtute magnifica.

5. Sed quo devenimus? Nunquid non supra cœlos Virginem prosequbamur euntem? Et ecce cum Lazaro descendimus in abyssum. A splendore virtutis ad setorem quatriduani proelvis occurrit oratio. Cur hoe, nisi quia pondere proprio fercbamur; et trahebat nos materia, tanto uberior utique, quanto familiarior? Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria Virginis matris habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, et prærogativam penitus singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est, universi, ut licet de ca loqui gestiant omnes; tamen quidquid dieitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus

sapiat, quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim si in ea laudavero virginitatem, mili multæ virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur forte vel pauci, qui, docente Filio ejus, mites facti sunt et humiles corde (*Matt. xi, 29*). Si magnificare voluero misericordie ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiae viri, etiam et mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. *Optimam*, inquit, *partem elegit sibi Maria* (*Luc. x, 42*). Optimam plane, quia bona secunditas conjugalis, melior autem castitas virginis; prorsus autem optima est secunditas virginea, seu secunda virginitas. Mariae privilegium est, non dabatur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulariter est, sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidein. Quid si et illud adjicias, euojus mater? Quæ jam poterit lingua, etiam si angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem matrem; matrem autem non cùjuscunque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa: duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeque conveniens. Neque enim filius alias virginem, nec Deum decuit partus alter.

6. Verumtamen non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. *Quomodo*, inquit, *sicut istud? quoniam virum non cognosco*. Immobile propositum virginitatis, quod nec angelo filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo*, inquit, *sicut istud? Neque enim eo modo, quo sicer solet in cæteris. Virum penitus non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis.*

7. Quanta vero et quam pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, imo cum tanta gratiae plenitudine? Unde tibi humilitas, et tanta humilitas, o beata? Digna plane quam resipseret Dominus, cuius decorum eoneupisceret rex, enjus odore suavissimo ab aeterno illo paterni sinus attraheretur aceubitu. Vide enim quam manifeste sibi concinuant Virginis nostræ cantuum, et nuptiale carmen: nimurum eius uter, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: *Resperxit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. i, 34, 48*). Audi eamdem in epithalamio: *Cum esset rex, inquit, in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant. i, 11*). Nardus quippe herba humiliis est, et pectus purgat: ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, eius odor et decor invenerit gratiam apud Deum.

8. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meininerit defuisse. Nos quidem servuli tui

ceteris in virtutibus congandemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcias, misericordiam amplectimur charius, recordamur saepius, crebrius invocamus. Haec est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam* (*Luc. 1, 30*), utique quam quærebas. Quis ergo misericordiae tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudine ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restorationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptions. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae cœlestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et piissima charitas et affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectu, æque hæc pœuples in utroque.

9. Ad hunc igitur sicutem sitibunda properet anima nostra: ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseris nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus saltem a longe, Virgo benedicta. Sit deinceps pietatis tue ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam, medelam agris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis et lætitiae dulcissimum Mariæ nomen cum laude invocantibus servulis per te, regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amer.

### SERMO V.

*De duo locis prærogativis B. V. Mariæ, ex verbis Apocalypsis XII, 1: « Signum magnum apparuit in celo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. » Infra octavam Assumptionis B. V. Mariæ.*

1. Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere: sed, gratias Deo, per unum nihilominus Virum, et Mulierem unam omnia restaurantur; nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni estimationem beneficij magnitudo. Sic nimur prudentissimus et clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam.

Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem et nunc omnis sufficiencia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter desuisset. Fidelis plane et præpotens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sed divinam in eo reverentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium (*Psal. c. 1*); quia, etsi didicit ex his quæ passus est compassionem, ut misericors fieret, habet tamen et judicariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est (*Deut. iv, 24; Hebr. xii, 29*). Quidni verecatur peccator accedere, ne, quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei?

2. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in haec reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim nimis stra seductionis; hæc, propitiationis: illa suggestit prævaricationem, hæc ingessit redemptions. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austерum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligenter evangeliæ historiae seriem universam: et si quid forte inreceptorum, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordiae, quæ ad eam pertinent inveneris; age gratias ei qui talem tibi mediatrixem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptions, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam; ut non sit qui se abscondat a calore ejus.

3. Putasne, ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem, ut de præsenti Ecclesia id intelligendum propheticæ visionis series ipsa demonstret; sed id plane non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimur ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non disertit merita; sed omnibus sese exorablem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur

affetu. Nam et defectus omnis sub ea : et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum disxisse videbimur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quam super omnes angelorum choros, super cherubin quoque et seraphin exaltatam nefas est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnunquam vero et Ecclesiam hujus temporis designare ; illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utraque vero, ut ita dixerim, luna sub Mariæ pedibus congrue satis ponitur, alio tamen atque alio modo : siquidem *stultus ut luna mutatur; sapiens autem permanet ut sol* (*Ecli. xxvi, 12*). In sole nimirum et fervor, et splendor stabilis; in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum : ut quantum sine personali unioni creature conditio patitur, luci illi inaccessible videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur (*Isa. vi, 7*), illo igne seraphin accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatum tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus : cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne subobscurem saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari.

4. Insipientia vero omnis longe sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, et collegio virginum fatuarum. Imo vero et unicus ille stultus, et totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura : cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est (*Gen. iii, 15*), sed sine causa. Sola enim contrivit universam hereticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; alias parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; alius, vel post partum, viro eognitam blasphemabat; alias Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime suggillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculeati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et continuo per Herodem draeo insidiatus est parienti, ut naseentem excipiens filium devoraret, quod iniuste essent inter seini mulieris et draconis.

5. Jam si Ecclesia lunæ magis intelligenda videatur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat,

sed ab eo qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan. xv, 5*); habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendavimus, evidenter expressam. *Mulier*, inquit, *amicta sole, et luna sub pedibus ejus*. Amplexamur Marie vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamus. Teneamus eam, nec dimittamus donee benedixerit nobis : potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus operum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris, Moyses sancte, et curiosius desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si aceedere concupiscis. *Vado, inquit, et ridebo visionem hanc magnam* (*Exod. iii, 5*). Magna plane visio, rubus ardens sine combustione; magnum signum, mulier illæsa mauens amicta sole. Non est rubi natura, opertum inuidice flaminis, manere nihilominus incombustum; non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humana, sed nec angelica quidem : sublimior quædam necessaria est. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te*. Et tanquam responderet illa : Quoniam spiritus est Deus, et Deus noster ignis consumens est: *Virtus*, ait, non mea, non tua, sed *Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 55*). Nihil itaque mirum si sub tali obumbraculo talis sustineatur amictus.

6. *Mulier*, inquit, *amicta sole*. Plane amicta lumine tanquam vestimento. Non pereipit forte carnalis : nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Nou sic videbatur Apostolo, qui dicebat : *Indumentum Dominum Jesum Christum* (*Roma. xiii, 14*). Quam familiaris ei facta es, Domina! quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantum invenisti gratiam apud enm! In te manet, et tu in eo; et vestis cum, et vestiris ab eo. Vestis enim substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum (*Jerem. xxxi, 22*), nec alium quam Christum, de quo dieitur : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach. vi, 12*). Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo mernit coronari. Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diadematæ, quo coronavit eum mater sua (*Cant. iii, 11*). Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte reginam in diadematæ, quo coronavit eam filius suus.

7. *In capite ejus*, inquit, *corona stellarum duodecim*. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium (*Ecli. L, 8*). Nimirum

hæc sponsi sub capite ejus et jam dextera illius amplectatur eam (*Cant. ii, 6*). Quis illas aestimet gemmas? quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis, abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamus [*alias, valeamus*], quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginæ nostræ diadema præfulgeat universis. Mihi sane singularis rutilat fulgor; primo quidem, in Mariæ generatione; secundo, in angelica salutatione; tertio, in Spiritus superventione; quarto, in Filii Dei inenarrabili conceptione. Sic et in his quoque sidereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione secunda, quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrum cordis. Vestræ quidem sedulitatis erit singula quæque diligentius intueri. Nos interim satis fecisse videbimus, si breviter ea potuerimus demonstrare.

8. Quid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quod longe ante eisdem patribus cœlius re promissa; quod mysticis præfigurata miraculis; quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit (*Num. xvii, 8*); hanc Gedeonis vellus, dum in medio siecæ area maduit (*Judic. vi, 57, 58*); hanc in Ezechieli visione orientalis porta, quæ nulli unquam patuit (*Ezech. xliv, 4, 2*), præsignabat. Hanc denique præ ceteris Isaías nunc virgam de radice Jesse oiruram promittebat (*Isa. xi, 1*); nunc evidenter virginem parituram. Merito signum hoc magnum in celo apparuisse scribitur, quod tanto ante de cœlo noscitur fuisse promissum. Dominus ait: *Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet* (*Isa. vii, 14*). Magnum profecto signum dedit, quia et magnus ipse qui dedit. Hujus ergo prærogativa fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quod tam reverenter atque officiosissime ab archangelo salutata est, ut jam tune in regali solio supra omnes cœlestium ordines legionum exaltatam cernere videretur, et paulo minus adoraturus feminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari; excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, et singularis gratia commendatur.

9. Nihilominus fulget etiam novus ille conceptio nis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum

cæteræ omnes, sed superveniente Spiritu sancto, sola, et de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quod verum Deum et Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est lumen: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cætero sane et virginitatem carnis et propositum virginitatis, maxime et ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quod videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium angelo respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc. i, 34*.) Forte enim propterea primo turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimurum benedici in virginibus semper optabat. Et extunc quidem cogitabat qualis esset ista salutatio [*alias, benedictio*], quod jam videretur esse suspecta. Ubi vero in promissione filii manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Merito proinde et illam meruit benedictionem, et hanc non ansit; ut longe gloriösior fiat et virginitas ex fecunditate, et ex virginitate secunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur. Magnum enim est virginem esse; sed virginem matrem esse, longe amplius per omnem modum. Jure etiam illud molestissimum tædiū, quo reliquæ omnes gravidae mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso sue conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conspedit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethlehem, immidente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. Sic et in partu quam lucidum est quod nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parturientium aliena. Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliciter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

10. Cæterum quæ restant adhuc, et imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multisarie multisque modis promitti divinitus, cœlitus prænuntiari: sed nec ab archangelo Gabriele tam novæ salutationis obsequiis honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis: plane secretum suum sibi. Sola enim est, de qua dicitur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth. i, 20*): sola cui dicitur: *Quod ex te nasceretur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 35*). Offerantur regi viagi-

nes, sed post eam: nam primum sola vindicat sibi. Multo magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum a nobis exigitur; sed exigitur plane nonnihil. Nunquid enim, si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis, negligentiā nostrā munērūm singularitas excusabit? Gratissima sane gemma in diadema, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An vero quis putat, quod hac earuerit gratia, quae gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat querens loqui filio (*Matth. xii, 46*), nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut habitationem irruptit, in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum, si bene meminimus, nonnisi quater Maria loquens auditur. Primo quidem ad angelum, sed cum jam semel atque iterum allocutus eam fuisset: secundo, ad Elisabeth, quando vox salutationis ejus Joanne in exultare fecit in utero, et ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit (*Luc. i, 34-55*): tertio, ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa et pater ejus dolentes quæsissent eum (*Luc. ii, 48*): quarto, in nuptiis ad Filium et ministros (*Joan. ii, 3, 5*). Et is quidem serino certissimus index ingenitæ mansuetudinis, et virginis verecundiae fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est a Filio, tanquam mitis et humili corde, nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis.

¶ 1. Nunquid non ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse leguntur? *Inveniunt*, ait evangelista, *Mariam et Joseph, et infanten positum in præsepio* (*Luc. ii, 16*). Sic et magi quoque, si recolis, non sine Maria matre ejus puerum invenerunt (*Matth. ii, 11*), et induens in templum Domini templi Domini, multa quidem a Simeone audivit tam de eo, quam de se ipsa (*Luc. ii, 34, 35*), ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc. ii, 51*): sed in his omnibus neque de ipso incarnationis Dominicæ sacramento quocunque verbum fecisse reperies. Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus! Væ qui totum proferrimus spiritum, qui, juxta illud comicæ, pleni rimarum effluimus. Undique (Terent. *in Eunuco*, I, ii, 25). Toties denique Maria filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit exspirantem, vidit resurgentem, vidit et ascendentem: sed in his omnibus quoties verecundissimæ virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur

audita? Denique legis in Actibus apostolorum, quod redeentes a monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione. Qui? si forte Maria adfuit, nominetur prima, que supra omnes est, tam Filii prerogativa, quam suæ privilegio sanctitatis. *Petrus et Andreas*, ait, *Jacobus et Joannes*, et cæteri qui sequuntur. *Hic omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus, et Maria Matre Jesu*. Itane et mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Vere carnales adhuc discipuli, quibus needum Spiritus erat datus, quia Jesus needum fuerat glorificatus (*Joan. vii, 39*), quando facta est inter illos contentio de primatu (*Luc. xxii, 24*); cum Maria, quanto major erat, humiliaret se non modo in omnibus, sed et præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ, cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. *Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis; si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus*. Nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximeque monachum nihil adeo decet.

12. Et quidem manifesta satis in Virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elueet. Nimirum collectaneæ sunt humilitas et mansuetudo, in eo confederatae germanius, qui dicebat: *Discite a me quia mitis sum et humili corde* (*Matth. xi, 29*). Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera nonnisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tamen Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed evidenter resonat in sermone. Audierat: *Quod ex te nasceretur Sanctum, vocabitur Filius Dei*: et nihil aliud quam ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elisabeth, et continuo Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique et mirabatur personam venientis, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Commendabat et vocem salutantis, adjiciens, *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo*: et beatificabat fidem creditris: *Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficiuntur in te quæ aicta sunt tibi a Domino*. Magna quidem præconia: sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini: sed *magnificat anima mea Dominum*. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed *exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*; et ipse quoque, tanquam amicus sponsi, gaudio gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicas quæ credidisset; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generatio-*

*nes* (*Luc.* 1, 38-48), quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus.

3. Verumtamen numquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique loquebatur, errasse. Absit! Beata plane quam respexit Deus, et beata quae credit. Hic enim magnus divinae respectionis exstitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus supervenientis tanta humilitati magnanimitas tanta in secretario virginis cordis accessit, ut, quemadmodum de integritate et fecunditate praediximus, haec quoque nihilominus sicut stellæ ex respectu mutuo clariores, quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cum in sua aestimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimes, ut quæ nihil aliud quam exiguum sese reputabat ancillam, ad incomprehensibilem hoc mysterium, ad admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimis in cordibus electorum gratiae prærogativa divina, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas: ut inveniantur eo amplius timorati, et largitori munerum non ingratiti; ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepatur: sed quo minus de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

4. Martyrium sane Virginis (quam nimis inter stellas diadematis ejus, si meministis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. *Positus est hic*, ait sanctus senex de parvulo Jesu, *in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam*, ad Mariam autem dicebat, *pertransibit gladius* (*Luc.* 11, 34, 35). Vere tuam, o beata mater, animam gladius pertransivit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, que ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimis anima jam ibi non erat; sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immitto prædicemus, in qua nimis corporeæ sensum passionis excesserit compunctionis effectus.

5. An non tibi plus quam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus: *Mulier, ecce filius*

*tuis?* (*Ioan.* xix, 26.) O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro; filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero! Quomodo non tuam affectuissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra, licet saxa, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Non miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium criminis memorantem, quod sine affectione fuissent (*Rom.* 1, 31). Longe id fuit a Mariæ visceribus, longe id sit etiam a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Nunquid non eum præscierat moritum? Et in ubi tantum. Nunquid non sperabat continuo resurrectum? Et fidenter. Super haec doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam patientem, quam Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis alera non fuit. Jam te, mater misericordiae, per ipsa sincerissimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens pro voluta pedibus luna mediatricem sibi apud solem justi. i.e. constitutam devotis supplicationibus interpellat: ut in lunine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mereatur obtenu, quam vere amavit præ omnibus, et ornavit, stola gloria induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti, immixta super dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, Domina; ipsi quoque catelli de micis edant, nec pueru Abrahæ tantum, sed et camelis potum tribuas de supereffuenti hydria tua (*Gen.* xxiv, 15-20): quia tu vere puella es præelecta et præparata Altissimi Filio, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

#### V. — SERMO IN NATIVITATE B. V. MARIE.

##### *De Aquæductu.*

1. Fecundæ Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimis totius boni illuc exhibitio, hic recordatio invenitur; ibi satietas, hic tenuis quedam libatio primitiarum; ibi res, et hic nomen. *Domine*, inquit, *nomen tuum in æternum, et memoriale tuum in generatione et generationem* (*Psal.* c1, 13). Generatio et generatio, non angelorum profecto, sed hominum est. Vis scire quia nomen et memoriale ejus in nobis est, præsentia in celo? *Sic orabitis*, inquit: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* vi, 9). Fidelis oratio, cuius ipsa primordia et divine adoptionis, et terrenæ peregrinationis admoneant: ut hoc scientes, quod quandiu non sumus in cœlo, peregrinamur a Domino, ge-

mamus intra nosmetipsos, adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Patris. Signanter proinde et de Christo propheta loquitur, dicens : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus ; in umbra ejus vivemus inter gentes* (*Thren. iv, 20*). Nam inter cœlestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore. *In splendoribus sanctorum*, inquit, *ex utero ante luciferum genui te* (*Psal. cix, 3*). Verum id quidem Pater.

2. At mater sane eumdem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, nonnisi ea tamen, qua obumbravit Altissimus. Merito proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum, quæ in excelsis et in splendore est, sed quæ interim peregrinatur in terris : *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cant. ii, 3*). Lucem quippe meridianam, ubi pascit sponsus, sibi petierat indicari : sed repressa est, et pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait : *Sub umbra ejus quam desideraveram*; sed : *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi*. Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profecto meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus ejus, ait, dulcis gutturi meo* : ac si dieat, gustui meo. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam ineam? Quousque manet illa sententia : *Gustate et videite quoniam suavis est Dominus?* (*Psal. xxxiii, 9*.) Et quidem suavis gustui, et dulcis gutturi, ut merito etiam super hoc sponsa proruperit in vocem gratarum actionis et laudis.

3. Sed quando dicetur : *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, charissimi?* (*Cant. v, 1*) *Justi epulenter*, ait Prophetæ, *sed in conspectu Dei* (*Psal. lxvii, 4*), utique non in umbra. Et de se ipso : *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua* (*Psal. xvii, 15*). Sed et Dominus ad apostolos ait : *Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam* (*Luc. xxii, 28 30*). Sed ubi? *In regno meo*, inquit. Beatus plane qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque nomen tuum, per quod uteunque interim in nobis es, Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. Adveniat regnum tuum. Veniat utique quod perfectum est, et evacuetur quod est ex parte. *Habetis*, ait Apostolus, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam* (*Rom. vi, 22*). Vita æterna, fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat, fons hortorum, pateus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano : et fluminis impetus lætitias civitatem Dei. Quis vero fons vita, nisi Christus Dominus? *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss. iii, 4*). Sane ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia et sanctificatio, et remissio ; needum apparet vita,

aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatae sunt aquæ, licet non habat alienus ex eis (*Prov. v, 16, 17*). Descendit per aqueductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillecia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis minus. Plenus equidem aqueductus, ut accipiant cœteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.

4. Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aqueductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si nou prout est, saltem prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit : *Ave, gratia plena*. An vero inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aqueductus, cuius nimurum summitas, instar profecto scake illius quam vidit patriarcha Jacob, cœlos tangeret (*Gen. xxviii, 12*), imo et transcederet cœlos, et vividissimum istum aquarum, quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur et Salomon, et velut desperanti similis aiebat : *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov. xxxi, 10*.) Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod needum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aqueductus. Nec mirabere diutius expectatum, si recordaris, quot annis Noe, vir justus, in arcæ fabrica laborarit, in qua paucæ, id est octo animæ, salvæ factæ sunt, idque satis ad modicum tempus.

5. Sed quomodo noster hic aqueductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? sicut scriptum est : *Oratio justi penetrat cœlos* (*Ecli. xxxv, 21*). Et quis justus, si non Maria justa, de qua sol justitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique et quod quærebat invenit, cui dictum est : *Invenisti gratiam apud Deum* (*Luc. i, 50*). Quid? plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quærerit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed, quemadmodum scriptum est : *Qui bibit me, adhuc sitiens* (*Ecli. xxiv, 29*); petit supereffluentiam ad salutem universitatis. *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te* (*Luc. i, 35*), et pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat, circumquaque. Ita est : jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo. Jam clamamus : *Oleum effusum nomen tuum*, et memoriale tuum in generatione et generationem. Verum id quidem non in vanum : et si oleum effunditur, sed non perit. Propterea siquidem et adolescentulae, parvulae scilicet animæ, sponsuni diligunt (*Cant. i, 2*), idque non parum; et unguentum descendens de capite, non modo barba, sed et ipsa vestimenti ora suscepit.

6. Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore

aream rigaturus, totum vellus prius infudit (*Jua. vi, 57-40*) : redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Utquid hoc? Forte ut excusaretur Eva per filiam, et querela viri adversus feminam deinceps soperetur. Ne dixeris ultra, o Adam : *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno retito* (*Gen. iii, 12*); dic potius : Mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Piissimum sane consilium ; sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Verum id quidem, sed parum est, ni fallor, desideriis vestris. Dulcedo lactis est; elicitur forte, si fortius premimus, et pinguedo butyri. Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea neverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens austus ille divinus, ut undique fluant et effluent aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum : ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi : quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimae tenebræ relinquuntur?

7. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens misericordia, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, dissidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas; Jesum tibi dedit mediatores. Quid non apud tales Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua : Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudiatur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiatur utique Matrem Filius, et exaudiatur Filium Pater. Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meæ. Quid enim? potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti, sit angelus, gratiam apud Deum.* Feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur.

8. Quid nos alia concupiscimus, fratres? Quæra-

mus gratiam, et per Mariam quæramus; quia quod querit, invenit, et frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? num gratiae est quod hic sumus? Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos parjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptore, purgamenta utique mundi hujus. Consultite conscientias vestras, fratres, et videte, quia ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Maria non prætendit meritum, sed gratiam querit. Denique usque adeo fudit gratiae, et non altum sapit, ut salutationem angelicam vereatur. *Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio* (*Luc. i, 29*). Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur: Unde hoc mihi, ut veniat angelus Domini mei ad me? Ne timeas, Maria, ne mireris angelum venientem: et major angelo venit. Ne mireris angelum Domini: et Dominus angeli tecum. Postremo, quidni videoas angelum, cum jam angelice vivas? quidni visitet angelus vitæ sociam? quidni salutet civem sanctorum, et domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas: et qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.

9. Videsne quod et hoc nihilominus modo aquæductus noster ascendit ad fontem; nec sola jam oratione cœlos penetrat, sed etiam incorruptione, quæ proximum Deo facit, sicut Sapiens ait? (*Sap. vi, 20*.) Erat enim virgo sancta corpore et spiritu, cui specialiter esset dicere: *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp. iii, 20*). Sancta, inquam, corpore et spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites aquæductu. Sublimis equidem valde, sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Nec enim est fatua virgo, cui non modo olenum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo dispositus, conversatione pariter, sicuti jam diximus, et oratione ascendens. Denique abiit in montana cum festinatione, et salutavit Elisabeth, et in ministerio ejus erat quasi mensibus tribus, ut jani tune posset dicere matri mater, quod tanto post filio dixit Filius: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Math. vii, 15*). Plane montana condescendens, cuius justitia sicut montes Dei. Tertius enim hic ascensus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficile rumperetur. Fervebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat exaltabitur, quid hac humilitate sublimius? Venisse eam mirabatur Elisabeth, et dicebat: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc. i, 43*.) Sed jam magis miretur, quod instar utique Filii et ipsa non ministrari venierit, sed ministrare. Merito proinde cantor ille divinus in ipsius admiratione præcinctus, aiebat: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum*

*acies ordinata?* (*Cant. vi, 9.*) Ascendit plane supra humanum genus, ascendit usque ad angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem superreditur creaturam. Nimirum supra angelos hau-iat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam.

10. *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vere sancta corpore et spiritu, et integritatem carnis habens, et propositum integratatis. Respondens autem angelus, dixit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 34, 55.*) Ne me interrogaveris, inquit ; supra me est, et non potero ad illud. *Spiritus sanctus, non angelicus, superveniet in te ; et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non ego. Ne steteris vel intra angelos, Virgo sancta ; sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur. Paululum cum pertransieris eos, invenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam, non quia non incomparabiliter superemineat, sed quod inter eum et ipsos medium nihil iuvenias. Transi ergo virtutes et dominationes, cherubin quoque et seraphin, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur ad invicem : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (*Isai. vi, 3.*) *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 35.*) Fons sapientiae, Verbum Patris in excelsis. Hoc Verbum mediante te caro fiet : ut qui dicit : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan. xiv, 10.*) dicat nihilominus, quia *ego a Deo processi et veni* (*Joan. viii, 42.*) In principio, inquit, erat Verbum. Jam scatet fons ; sed interim tantum in semetipso. Denique et Verbum erat apud Deum (*Joan. i, 1.*) lucem profecto habitans inaccessibilem ; et dicebat Dominus ab initio : *Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* (*Jerem. xxix, 11.*) Sed penes te est cogitatio tua, et quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognoverat sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus erat ? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis : Verbum caro factum est, et habitat jam in nobis. Habitat plane per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, et usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaret ?

11. Incomprehensibilis erat et inaccessiblem, invisibilis et inexcogitabilis omnino. Nunc vero comprehendunt voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quoniam modo, inquis ? Nimirum jacens in praesepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, aut in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, et in inferno imperans, seu etiam tertia die resurgens, et apostolis loca clavorum victoriae signa demonstrans, novissime coram eis cœli secreta condescendens. Quid horum non vere, non pie, non sanete cogitatur ? Quidquid horum cogito, Deum cogito. et per omnia ipse est Deus meus. Haec ego meditari dixi sapientiam, et prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis, quam in huiuscmodi nucleis virga sacer-

dotalis copiose produxit; quam in supernis han-riens, uberior nobis Maria refudit. In supernis plane, et ultra angelos, quæ Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est : *Dies diei eructat verbum* (*Psal. xviii, 3.*) Utique dies Pater : siquidem dies ex die Salutare Dei (*Psal. xcvi, 2.*) An non etiam Virgo dies ? Et præclaræ. Rutilans plane dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.

12. Intuere igitur quemadmodum usque ad ange-los plenitudine gratiæ, supra angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria ? Sed ostensum est superius, ut quidem a nobis ostendi potuit : supereminentiam prosequamur. Cui enim angelorum aliquando dictum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei ? Denique Veritas de terra orta est, non de angelica creatura : nec ange-los, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est angelo ut minister sit Domini ; sed Maria sublimius quiddam mernit, ut sit mater. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellen-tior angelis facta munere singulari, quanto differen-tius præ ministris nomen matris accepit. Hanc iuuenit gratiam plena jam gratia, ut charitate fer-vida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est : quod ex ea natum est, Sanctum vocatur, et est Filius Dei.

13. De reliquo, fratres, curandum nobis sum-mopere est, ne Verbum, quod de ore Patris ad nos egressum est, Virgine mediante, vacuum revertatur : sed per eamdem nihilominus Virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriā, donec præsentiam suspiramus, et suæ red-dantur origini fluenta gratiæ, ut uberior fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, et in-fideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Modicum plane memoria ad presentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod mereimur : longe infra desiderium, sed nihilominus supra meritum. Sapienter proinde sponsa et pro hoc modico non modice gratulatur [*alias, gloriatur*] Cum enim dixisset : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant. i, 6.*) recipiens exigua pro immensis, et pro pastu meridianō libans sacrificium vespertinum, minime tamen, ut solet fieri, murmu-rat aut tristatur, sed gratias agit, et in omnibus sese exhibet devotorem. Novit enim quod si fidelis fuerit in umbra memorie, lucem præsentie sine dubio obtinebit. Itaque, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium. Nimirum qui præ-sentem habent Dominum, exhortatione non indi-gent : et quod ait Prophetæ aliis : *Lauda, Jerusalem, Dominum ; lauda Deum tuum, Sion* (*Psal. cxlvii, 1.*) congratulationis est potius, quam commonitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant.

et ne dederint silentium ei. Loquitur enim, et loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad eum. Ceterum cum saepe sanctus eris, et cum viro innocentie innocens eris (*Psalm. xvii, 26*) : et audientem sese audiet, et loquenti sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti si taceas. Sed unde si taceas? A laude. *Ne taceatis, inquit, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra* (*Isai. lxii, 6, 7*). Laus Jerusalem, jucunda et decora laudatio. Nisi forte angelos cives Jerusalem mutuis opinamur laudibus delectari, et decipere de vanitate in ipsum.

44. Fiat voluntas tua, Pater, sicut in celo et in terra, ut laus Jerusalem stabiliatur in terra. Quid enim modo est? Non querit angelus ab angelo gloriam in Jerusalem, et homo ab homine laudari cupit in terra? Exsecranda perversitas! sed eorum sit, qui ignorantiam Dei habent, qui oblii sunt Domini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis a laude ejus, donec stabiliatur et perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imo et laudabile magis. Est et sermo non bonus. Alioquin non diceret propheta, *bonum esse homini prestolari cum silentio Salutare Dei* (*Thren. iii, 26*). Bonum silentium a jactantia, bonum a blasphemia, bonum a murmure et detractione. Alius enim ob laboris magnitudinem et pondus diei exasperatus, animo murmurat; et dijudicat eos qui pro anima sua pervigilant, tanquam reddituri utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit, quam audiri non patitur, vocem verbi. Alius pusillanimitate spiritus in expectatione deficit: pessimumque hoc verbum blasphemiae est, quod nec in hoc saeculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat; et in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa; putans se aliquid esse, cum nihil sit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim: Quia dives sum, et nullius egeo. Porro Veritatis sententia est: *Vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram* (*Luc. vi, 24*). Contra vero: *Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Math. v, 5*). Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua; quoniam bonum est in hoc triplici silentio Salutare Domini prestolari, ut dicas: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg. iii, 10*). Ejusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed adversus eum, sicut legislator murmurantibus ait: *Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exodus. xvi, 8*).

45. Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra jactantiam in confessione, ut obtineas veniam de praeteritis. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, ut ampliorem invenias gratiam in praesenti. Loquere in oratione contra dissidentiam, ut consequaris et gloriam in futuro. Confitere, inquam, praeterita, et pro presentibus gratias age, ac

deinceps ora studiosius pro futuris: nt ne ipse quidem sileat a remissione, ab immissione, a promissione. Ne taceas, inquam, et ne dederis silentium ei. Loquere, ut et ipse loquatatur, et dicere possis: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant. ii, 16*). Jucunda vox, et eloquium dulce. Nimurum non vox murmuris hæc, sed vox turturis est. Et ne dixeris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Psalm. cxxxvi, 4*.) Non jam aliena reputabitur, de qua sponsus ait: *Vox turturis audita est in terra nostra*. Audierat enim dicentes: *Capite nobis vulpes parvulas* (*Cant. ii, 12, 15*): et forte ex eo in vocem exultationis erupit, ut diceret: *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Plane vox turturis, quæ tam viventi, quam mortuo, singulari utique castimonia, suo compari perseverat, ut eam neque mors, neque vita a Christi separat charitate. Intuere etenim, intrumnam aliquid hunc dilectum avertere potuerit a dilecta, quominus ei et peccanti, et aversa perseveraret. Glomeratae nubes radios offundere contendebant, ut iniuriantes nostræ separarent inter nos et Deum: sed incaluit [alias, invalidus] sol, et universa dissolvit. Alioquin quando rediisses ad eum, nisi ille tibi perseverasset, nisi clamasset: *Revertete, revertete, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te?* (*Cant. vi, 12*.) Esto ergo illi et tu nilominus perseverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris.

46. Luctare cum angelo, ne succumbas; quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. An non lucta, *dilectus meus mihi, et ego illi?* (*Matthew. xi, 12*.) Notam fecit dilectionem suam; experiat et tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat saepius, avertit faciem, sed non in ira. Probationis istud est, non reprobacionis. Sustinet te dilectus; sustine tu dilectum, sustine Dominum, viriliter age. Nom illum vicere peccata tua; te quoque ipsis flagella non superent, et obtinebis benedictionem. Sed quando? Cum aurora fuerit, cum aspiraverit jam dies, cum stabilierit Jerusalem laudem in terra. *Ecce, inquit, vir luctatur cum Jacob usque mane* (*Gen. xxxii, 24*). Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia speravi in te, Domine. Non tacebo, nec dabo tibi silentium usque mane; utinam nec jejunium. Nimurum dignaris et pasci, sed inter lilia. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia*. Nimurum et supra, si meministi, in eodem Cantico evidenter expressum est, quod florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende, quod locum, non cibum indicare videtur; nec quibus pascitur exprimit, sed inter que. Forte enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum; nec liliis vescitur, sed versatur. Nimurum odore potius quam sapore lilia placent; et visui magis sunt apta quam esui.

47. Ita ergo pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et venustati florum fructuum succedat ubertas. Interim [alias, ita] quippe florum, non fructuum tempus est, dum in spe magis, quam in re sumus;

et per fidem, non per speciem ambulantes, exspectatione magis quam experientia gratulainur. Considera denique floris teneritudinem, et memento verbi, quod ait Apostolus, quia *habemus thesaurum istum in vasis fistilibus* (*II Cor. iv, 7*). Quanta enim videntur imminere pericula floribus! Quam facile spinarum aculeis lilyum perforatur! Merito proinde canit dilectus: *Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant. ii, 2*). An non erat lilyum inter spinas, qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* (*Psal. cxix, 7*.) Cæterum etsi justus germinat sicut lilym, sed non ad lilyum sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem. *Ubi, inquit, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth. xviii, 2*). Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Curemus habere lilia, fratres, exs irpare spinas et tribulos, et inserere lilia festinemus: si quando forte et ad nos pascendus dignetur dilectus descendere.

18. Apud Mariam usque pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Erunt tamen et nobis lilia, quamvis inferiora valde: sed ne inter hec quidem dignabatur pasci sponsus; siquidem eas, quas prædiximus, actiones gratiarum devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (*Isai. i, 18*). Cæterum quidquid illud est, quod offerre paras, Mariae commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiae gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, et sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideoque [alias, itaque] modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quedam lilia sunt: nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit. Amen.

#### VI. — SERMONES QUINQUE DE DIVERSIS.

##### 1. — *De virginitatis et humilitatis connexione.*

*Ave, Maria, gratia plena.* Non in sola virginitate constare poterat gratiae plenitudo: neque enim omnibus est de ea accipere. Felices qui non inquinaverunt vestimenta sua, et cum Regina nostra virginitatis privilegio gloriantur. Sed num unam tantum benedictionem habes, o Domina? Et mihi obsecro ut benedicas. Periit virtus illa a me, non est jam vel aspirare ad illam. Computui in stercore meo, et ut jumentum factus sum; sed numquid non erit mihi etiam aliquid apud te? non erit ubi possim esse tecum, quia jam sequi non

valeo quoquaque ieris? Quærerit angelus poellam, quam præparavit Dominus filio domini sui. Bibit ipse de hydria tua, cognata sibi virtute delectatus; sed numquid non et jumentis potum tribues? Bibit angelus, quod virum non cognoscis: bibant et jumenta quod de humilitate singulariter gloriari. *Respexit, inquit, Dominus humilitatem ancillæ sue* (*Luc. i, 48*). Nam virginitas sine humilitate habet fortasse gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper Excelsus respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal. cxxxvii, 5*). Humilibus dat gratiam, superbis resistit (*Jac. iv, 6*). Sed forte ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua: capax est etiam tertiae, ut non modo angelus et jumenta, sed ipse jam bibat architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod servavimus usque adhuc, minister angelus haurit, sed ut serat architriclinio (*Joan. vi, 6-10*). Patrem loquor, qui principium Trinitatis, architriclinus jure vocatur. Ait sane angelus, fecunditatem Maræ commendans, quæ tertia est metreta: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 33*); ac si dicat: *Cum eo solo tibi est generatio ista communis.*

##### 2. — *De quadruplici superbia.*

*Ave, Maria, gratia plena.* Bene plena; quia Deo, et angelis, et hominibus grata. Hominibus per fecunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. In hoc tertio a Domino se respectam testatur (*Luc. i, 48*), qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal. cxxxvii, 5*). Sicut enim oculi Satanæ omne sublime vident, ita oculi Domini omnem humilem intuentur. Unde ait in Cantico canticorum: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant. vi, 12*). Quartus dicit, revertere, propter quadruplicem superbiam, per quam aversa a Domino non videbatur. Est enim superbìa cordis, superbìa oris, superbìa operis, superbìa habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est. Centra quam Sapiens orat, dicens: *Excellentiam oculorum meorum ne dederis mihi* (*Eccli. xxii, 5*). Et alibi: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris!* (*Isa. v, 21*). Superbia oris vel linguae, quæ et jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur. Unde Psalmista: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam* (*Psal. xi, 4*). Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit. De qua idem Psalmista ait: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam* (*Psal. c, 7*). Superbia habitus est, quando homo, ut gloriose videatur, pretiosis se ornat vestibus. Unde Paulus: *Non in veste pretiosa* (*I Tim. ii, 9*). Et Dominus: *Qui molibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth. xi, 8*), ubi superbìa abundat. Sunt autem quinque, quæ ad remedium tam mortiferæ pestis a Domino rationali animæ sunt posita, locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Christi et ejus conversatio. Locus, quia exsilio; corpus, quia onerosum; tentatio, quia inquietat; Christi prædicatio, quia ædi-

sciat, et ejus conversatio, quia informat. His quasi quinque sensibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim anima vita est corporis, ita Deus vita est animae: et sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quae per haec a Domino non humiliatur.

3. — *De paupertate voluntaria.*

*Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Maritha nomine, excepit illum in domum suam (Luc. x, 38).* Castellum, ubi Christus intravit, voluntaria est paupertas, quæ habitatores suos a gemina impugnatione, qua hujus mundi amatores expugnantur, reddit securos, scilicet propria invidia, et aliena. Paupertas enim, dum putatur misera, aliena caret invidia: et quia est voluntaria, nemini quidquam invidet. Due istæ sorores duas vitas amatorum paupertatis significant. Quidam cum Martha solliciti Domino Jesu duo pulmentaria præparant, scilicet correctionem operis cum salsa mentis contritionis, et opus pietatis cum condimento devotionis. Illi vero qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis; contemplantur quia Deus est mundi rector et gubernator, hominum liberator et adjutor, angelorum sapor et decor, in se ipso principium et finis, reproborum terror et horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in se ipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

4. — *De Mariæ Purificatione, et Christi Circumcisione.*

Quid est quod dicimus neatam Mariam purificari? quid vero, quod ipsum Jesum dicimus circumcidere? Enimvero tam non iudicuit illa purificatione, quam nec ille circumcisione. Nobis ergo et hic circumciditur, et illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut a vitiis continentis, primum per ipsam continentiam circumcidamus, deinde a commissis per pœnitentiam purifescemur. Quid est autem quod Maria portat Jesum in utero, Joseph in humero, in Ægyptum scilicet iens et inde rediens; Simeon portat in brachiis? Significant isti tres electorum ordines: Maria, prædicatores; Joseph, pœnitentes; Simeon, bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Jesum in utero portat, ut eum aliis, vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Galat. iv, 19).* Qui vero pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutions patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab aliis illata patienter ferunt, merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus et ab ipsa Veritate dicitur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum (Luc. ix, 23),* etc. Si quis autem est qui porrigat panem esuriens, potum sitienti, cæteraque misericordiae opera sollicite impendat agenti, nonne iste recte videtur eum portare in brachiis? Hujusmodi enim dicturus est in judicio Dominus: *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis (Matth. xxv, 40).*

5. — *De domo divinae Sapientiæ, id est Virgine Maria.*

1. *Sapientia ædificavit sibi domum (Prov. ix, 1), etc.* Cum multis modis sapientia intelligatur, querendum est quæ sapientia ædificavit sibi domum. Dicitur enim sapientia carnis, quæ inimica est Deo (*Rom. viii, 7*); et sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum (*I Cor. iii, 19*). Utraque ista secundum Jacobum apostolam terrena est, animalis, diabolica (*Jac. iii, 15*). Secundum hanc sapientiam dicuntur sapientes, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt (*Jerem. iv, 22*); et in ipsa sua sapientia arguuntur et perduntur, sicut scriptum est: *Comprehendam sapientes in astutia eorum (I Cor. iii, 19)*; et: *Perdam sapientiam sapientium, et Prudentiam prudentium reprobabo (I Cor. i, 19).* Et utique talibus sapientibus videtur mihi digne et competenter dictum Salomonis aptari, quo ait: *Est malitia quam vidi sub sole, virum qui videtur apud se sapiens esse.* Nulla talis sapientia, sive carnis, sive mundi, ædificat, imo destruit quamecumque domum inhabitat. Est ergo alia sapientia quæ desursum est; primum quidem pudica, deinde pacifica (*Jac. iii, 17*). Hic est Christus Dei virtus, et Dei sapientia, de quo Apostolus: *Qui factus est, inquit, nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (I Cor. i, 30).*

2. Hæc itaque sapientia quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus preparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit (suerit dico per præsentiam majestatis), ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius coelestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum;* et post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1, 28, 35).* Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum; habes Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Neque enim potest esse, aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus sanctus, ipso Filio dicente: *Ego in Patre, et Pater in me est;* et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera (Joan. xiv, 10).* Manifestum est fuisse in corde Virginis fidem sanctæ Trinitatis.

3. Utrum autem et quatuor principales virtutes tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis saecularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, hæc Virgo est quæ apud Salomonem legitur: *Mulierem fortem quis invenerit? Procul et de ultimis finibus pretium ejus (Prov. xxxi, 10).* Quæ adeo fortis fuit, ut illius ser-

pentis caput contereret, cui a Domino dictum est : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum* (*Gen. iiii, 15*). Porro quod temperans, prudens et justa fuerit, ex angeli colloctione, et sua ipsius responsione luce elarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab angelō : *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, non se extulit, quasi quae ex singulari gratiae privilegio benedicetur, sed siluit; et qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Quia in re quid nisi temperans fuit ? At vero, cum de cœlestibus mysteriis ab eodem angelo doceretur, diligenter quæsivit quomodo conciperet ac pareret, quæ virum utique non cognosceret : et in hoc sine dubio prudens exstitit. Justitiæ autem præfert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur (*Luc. i, 28-38*). Nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait : *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo* (*Psalm. cxxxix, 14*). Et alibi justis dicitur : *Et dicetis in confessione : Opera Domini universa bona valde* (*Ecclesiastes. xxxix, 21*).

4. Fuit igitur beata virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis ; quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur et caro, ac virgo singulari gratia eamdem ipsam Sapientiam earne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat. Nos quoque si ejusdem Sapientiae fieri domus volumus, necesse est ut eisdem septem columnis extruamur, id est ut fide et moribus ei præparemusr. Et in moribus quidem solam puto sufficiere justitiam, cæteris tamen virtutibus circumfultam. Itaque ne errore fallatur ignorantiae, sit ei prævia prudentia : sint hinc inde temperantia atque fortitudo, ne forte labatur, vel in dexteram, vel in sinistram partem declinando.

#### VII. — Sermo in Canticum B. Virginis Mariæ.

1. *Magnificat anima mea Dominum*. Magnificat voce, magnificat opere, magnificat affectu. Magnificat laudando, amando, prædicando. Magnificat, laudandi, amandi et magnificandi formam simul et materiam dando. *Magnificat anima mea Dominum* : quia magnificæ a magnifico Domino magnifica est. In primis ad imaginem et similitudinem Dei anima mea mirabiliter a Domino creata est; sed postea in Adam miserabiliter deformata, nunc mirabilius, glorioius et magnificenter a Domino renovata est. *Magnificat anima mea Dominum*. Magnificat omnis creatura Dominum, sed amplius super omnem creaturam anima mea Dominum magnificat. In omni enim creatura nihil tam magnificæ fecit Dominus, sicut animam meam. Sed Dominus est : sicut voluit, sic factum est. *Magnificat anima mea Dominum*, Dominum magnifica, non temetipsum. Qui semetipsum magnificavit, quantum in ipso fuit, Deum ex honорavit : et ideo non se exaltavit, sed præcipitavit. Tuum est te ipsum humiliare, Domini exaltare.

2. *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Vide qualis ordo. Prius citharam, postea psalterium tetigit; prius animam, postea spiritum posuit : non enim prius quod spirituale, sed quod animale; deinde quod spirituale. *Et exsultavit spiritus meus*, extra omuem creaturam, extra se ipsum etiam præ immissitate gaudii saltavit. In quo? Non in me; sed in *Deo* creator meo, cognitione et amore ejus fervendo : et hoc non per me, sed mediante et salvante me *Salutari meo* Jesu filio meo, singulariter meo. Meus est Deus, meus Salutaris, meus est filius. Omnia quidem et mei conditor est, sed mei solius filius est : et me mediante omnium salus est. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Non auderet ancilla sua nec oculos ad eum levare, nisi ipse prior ad ancillam suam dignaretur respicere. Ab illo prius repexit super nos misericordia, quia nos nimis despectos nostra reddiderat miseria. Me autem inter omnes specialiter respexit, cui super omnes singulare privilegium concessit. Et vide, quia non fuit contenta dicere, *respexit me*; aut, *respexit ancillam suam*; aut, *respexit humilitatem meam*; sed semetipsum depressi valde, et firmissima locavit fundamenta, ubi tantæ magnitudinis et pulchritudinis firmiter exciperet, et servaret ornamenta : *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*. Singula verba suo pondere libranda sunt. Sunt enim ancillæ, sed non humiles. Ancilla fuit Agar, sed superba : dominam suam despexit (*Gen. xvi*). Sunt multæ satis humiles, sed non usque ad ancillas : sed multæ humiles etiam ancillæ, sed non Domini. Humilitas ergo contemptum sui : ancilla famulatum sua devotione commendat. *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Respiciendo me per gratiam suam, et humilem me fecit, et ancillam suam. Suam, inquam, suam me fecit, qui de me et in me suum speciale opus fecit.

3. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. O dilatatum cor! quam perlucidis oculis omnem subito creaturam in vera beatitudine collaudandam simul aspexisti! *Ecce*, inquit. Intuentis est hoc verbum et demonstrantis. Ecce video quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me, quot et quanta bona, non mihi soli, sed omnibus generationibus pervenient per me. *Beatam me dicent omnes generationes*. Beatam me non dicent, nisi de eadem beatitudine, quam habeo, aliquid attingerent. Quomodo eructabit qui non manducat? *Beatam me dicent*, de eius bono fructum percipient omnes generationes. Ex meo fructu benedicentur; et cum omnes beatificantur, omnes tamen beatam singulariter me dicent. *Omnis, inquam, generationes* : generationes cœli, generationes terræ, omnes Angeli et omnes electi. Nam et in Angelis generationes sunt. Unde dicitur Pater spirituum, et ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur (*Ephes. iv, 6*). Alii enim aliis in cœlo patres sunt, quibus paterna charitate præsunt; in quibus generant et exprimunt omnem paternitatis affectum. *Ex summo enim Patre omnis corum paternitas nominatur* : quia sicut sum-

mus et verus Pater omnes patrue diligit, et docet et regit; ita et ipsi secundum donum paternitatis quod acceperunt, subjectos sibi patrue diligunt et docent, et regunt. Sic et boni patres, qui sunt in terra, a summo Patre paternitatis suae munus accipiunt: secundum quod et ipsi plus vel minus ad notitiam et amorem summæ paternitatis accedunt. *Omnes generationes beatam me dicent.* Angelicarum namque generationum numerus per generatum redintegrabitur: et hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum fructum ventris mei ad æternam benedictionem regenerabitur. Inter has et super has omnes generationes, *beatam me dicent omnes ipsæ generationes.* Merito ergo, Domina, beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generatioibus veram et æternam beatitudinem genuisti.

4. *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.* Hoc, inquam, quod omnes generationes me beatificant, non mihi attribuo, non meis ascribo meritis, sed ei qui fecit mihi magna. Ex hoc enim beatificor ab omnibus, quia ab ipso beatificata sum, quasi in speculum beatitudinis omnibus proposita sum. *Quia fecit mihi magna.* Non enim aliquod magnum fecit mihi, sed multa magna. Magnum est per se, quod virgo sum; magnum per se quod mater; magnum, quod simul utrumque et virgo et mater sum: et cuius mater? Dei Unigeniti, Plasmatoris et Salvatoris omnium. *Fecit mihi magna.* Non potest narrari, non potest cogitari magnitudo et multitudo bonorum quæ fecit mihi. Et quisnam est ille qui tam magna fecit tibi? *Qui potens est, et sanctum nomen ejus.* Nolite mirari, nolite dicere: Quomodo possunt hæc fieri? potens est ille qui fecit hæc: potens est, imo omnipotens. Potentiam ejus attendite; quia omnia quæcumque vult, potens est facere. Magna sunt quæ attenditis in me; sed magna est illa potentia, quæ tam magna fecit mihi. Ex magnis et mirabilibus quæ fecit in me, magnam et mirabilem potentiam illius perpendite. Et quare hic tam magna fecit tibi? *Quia sanctum nomen ejus.* Propter nomen suum, non propter meum meritum, tam magna fecit mihi: nomen suum quod est mirabile, et sanctum, et ineffabile, voluit in me declarare. Quod est hoc nomen? Bonus. Quia nemo bonus, nisi solus Deus. Ergo propter solam bonitatem suam tam magna fecit mihi; quia et potentiam et bonitatem suam in me voluit declarare: potens enim singulariter, et sanctum nomen ejus. Sed sicut in ipso sanctum est nomen ejus, sic sanctificetur et in nobis: sicut in ipso ab æterno prædestinatum est, sic compleatur in nobis.

5. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Ecce nomen ejus dicitur *misericordia ejus.* Ubi? *A progenie in progenies.* A Iudea in omnes gentes: vel ab initio saeculi usque in finem, misericordia ejus impenditur, non passim, sed timentibus eum. Non est personarum acceptio apud Deum. Iudeus et Graecus, barbarus et Scytha, servus et liber, masculus et femina in omni gente et progenie, si ti-

niet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Coloss. iii*). *Misericordia ejus timentibus eum.* A timore incipitur, ut ad amorem perveniat. Non desperent adhuc timentes pro peccatis suis, quia misericordia illius super timentes eum. Misericordia ejus remittit peccata timentibus eum; remissio peccatorum nutrit amorem sipientibus eum: qui autem diligunt eum, nomen ejus agnoscunt. Amor ipse notitia est: sed quanto adhuc a notitia ejus distamus, tanto etiam eum minus amamus. Si autem nondum illum perfecte amare possumus, quia nec perfecte novimus, vel cum amore timeamus. Qui autem sine amore timet, non filius sed servus est: et hic timor penam habet, non notitiam.

6. *Fecit potentiam in brachio suo.* Natura quidem filii eramus iræ; sed per redemptionem Jesu Christi facti sumus filii misericordiae: quia fecit potentiam in brachio suo, alligans fortem, et *vasa ejus diripiens.* Alioquin nisi nos filius liberasset, et per mortem suam Deo reconciliasset; non esset super timentes blandiens misericordia, sed super timentes eum puniens justitia. Quia *dispersit superbos mente cordis sui.* Quoniam ergo universæ via Domini misericordia et veritas; sicut supra de misericordia qua humiles redemit, ita nunc et de justitia qua superbos judicat, agit: et quasi geminum parietem ex utrisque vicissim tractando constituit. *Dispersionis superbos mente cordis sui.* Ab initio mundi tam homines quam angeli superbientes sunt dispersi. Projectus est de cœlo draco magnus, Satanus, et dispersus est per hunc aerem tenebrosum; quoniam in unitate veritatis stare noluit. Qui enim in veritate Dei collectus non est, in sua vanitate dispersus est. Dispersionis sunt superbii qui ædificabant turrim Babel, quia unitas linguæ eorum in multitidine scissa est. Omnis superbis eo ipso quod superbis, dispersus est. Quid enim superbis, nisi pulvis in altum sublatius, et in ventum dispersus? *Dispersionis superbos mente cordis sui:* hoc est, eos qui superbiant mente cordis sui. Quam dilucide secretum pessimæ elationis latibulum reseravit!

7. Est enim quædam quasi bruta et vilis superbis, quæ omnibus etiam stultis palam est, quæ maxime in carnalium sensuum voluptate moratur; sicut est aut de nitida carne, aut de pulchra veste, aut de cibi vel alicuius immundi desiderii expleta voluptate gestire. Est et alia quæ sibi pulchrior videtur superbis, et tamen longe turpior; sicut est de scientia vel potentia, vel de ingenii subtilitate super alios extolliri, et cæteros quasi pecora præse reputare; quæ præclaros hujus sæculi solet occupare. Est et tertium genus teterrimum, uti de virtutibus, de miraculis, de intelligentiis Angelorum linguis, vel mysteriis cœlestibus apud se gloriari. Isti enim sunt qui superbiant mente cordis sui. Mens subtilitas est intelligentiæ; cor affectio inanis gloria. Et bene additum est, *sui;* quia etsi a Deo aliqui habent scientiam, sed tamen a se ipsis habent extollentiam. Omnis ergo generis superbos dispersit, pe-

cora campi, volueres cœli et pisces maris. Isti enim pisces qui retia rumpunt, qui subtilia rimantur, qui inter fideles quasi in aquis humiles esse videntur; sed tamen non de fluminis dulcedine, sed de maris amaritudine sunt, pisces maris sunt: ideo non cœli, sed maris semitas perambulant. Nam etsi aliquid cœleste quasi in aera saltando percipiunt; totum in profundum maris secum demergunt. At vero volueres cœli manifesta levantur superbia, qui pro temporali gloria, quasi vertice sidera tangere sibi videntur: qualem sacra historia describit Antiochus fuisse (*Machab.* i), vel Herodem (*Act.* xii); quales etiam multos hodieque non legere, sed lugere licet et videre. Pecora enim terræ, hoc est, homines gula tantum et luxuriæ dediti, facilius resipiscunt a diaboli laqueo, quam qui prudentes sunt in oculis suis. Dispersit igitur superbos mente cordis sui, quia ex omni genere superborum quosdam conterit, ut in æternum pereant; et quosdam humiliat, ut ad vitam redeant.

**8. Depositus potentes de sede, et exaltavit humiles.** Primo dæmones rectores tenebrarum harum, qui potentes erant affectu malitiæ suæ, a sua potentia infirmavit, et exterminans Jebusæum in Jerusalem, regni sui sedem in ea collocavit. **Depositus potentes de sede**, quando pervenit sermo ad regem Ninive, hoc est, usque ad imperatores hujus sæculi, et descendit de solio suo indutus sacco et cinere, et humiliavit se, ut ab ira Dei declinaret (*Jonæ.* iii). **Depositus Saul**, et exaltavit David (*II Reg.* vi). **Depositus et superbum Achab de sede**, sicut ad prophetam suum dicit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* (*III Reg.* xxi, 29.) Sed quia in humilitate non permanxit; ideo non exaltavit humilem, sed superbum damnavit. Deponit etiam quotidie potentes hujus sæculi; alias quidem ad supplicium æternum, alias ad humilitatis regnum. Habet enim in manu sua stateram suam; et cui vult miseretur, et quem vult indurat (*Rom.* ix, 18). Cur autem hunc depositum damnat, et hunc repositum salvat; ipse sibi in thesauris suis reconditum servat. Unum hoc pro certo scire licet; quia si non humiliatur, non salvamur.

**9. Esurientes impletivit bonis, et divites dimisit inanes.** Prius humiliavit, postea pavit. Prophetæ spiritus est; futura, jam quasi præterita narrat; nondum enim bonis impleti sunt esurientes. Si enim bonis impleti, quomodo esurientes? et si esurientes, quomodo bonis impleti? Nisi forte dicamus secundum illud: *In quem concupiscunt Angeli prospicere* (*I Petr.* i, 12): qui tamen semper vident faciem Patris, et esurientes sunt, et impleti bonis habent desiderium in satietate, et satietatem in desiderio. Sed satietas illa sine fastidio, et esuries sine cruciatu; imo ipsa beata esuries semper satiat eos. Sed non sicut in patria, sic in via. In via sitiunt et esuriantur justitiam; in patria saturabuntur, cum manifestabitur

gloria: interim et hic in via esurientes implentur bonis, quia dat illis escam in tempore opportuno. Bonis implentur, malis evanescuntur; implentur bonis, hoc est, Spiritus sancti donis. Esurientes implentur non fastidentes, pauperes saturantur: nam divites dimisit inanes. Dives erat Esau; ideo fratris sui dona non curavit. *Habeo, inquit, plura; sint tua tibi* (*Gen. xxxvi*, 9). Dives erat Jethro saecordos cognatus Moysi; ideo noluit consentire ut iret cum eo ad bona quæ promiserat Deus Israeli (*Num.* x). Dives erat Hiraim rex Tyri; ideo civitates suas separabat ei Salomon, parvi pendit (*III Reg.* ix). Nunquam ergo tibi plenus et dives videaris, ne inanis et vacuus dimittaris. Dic semper Domino Deo tuo: *Egenus et pauper ego sum* (*Psal.* lxxix, 6): in manu tua, Domine, panis et vestimentum est animæ meæ. Si dideris mihi panem ad edendum, et vestimentum quo operiar, eris mihi in Deum, et lapis iste in signum (*Gen. xxviii*, 20-22). Si autem Aegypto dederimus manum et Assyriis, ut saturemur pane (*Thren.* v, 6), jam extendimus manus nostras ad Deum alienum. Ad hoc ergo pascit et vestit nos Deus in via ista, et esurientes implet bonis consolationibus suis, ut tandem efficiamur Israel, id est, contemplati.

**10. Tunc enim, hoc est, in contemplatione, suscepit Israel puerum suum.** Quandiu Jacob vocatur, in laboribus sudat: in alieno quidem, sed fideliter servit. At ubi ad patrem suum cum sua substantia regreditur, jam nunc aliud nomen sortitur, hoc est Israel, quia suscepit Israel puerum suum. Suscepit revertentem de Mesopotamia Syriae, fatigatum laboribus et ærumnis, spirantem jam ad videndam faciem patris. Suscepit nutrientum, suscepit perficiendum, et usque ad faciem suam perducendum. **Suscepit Israel puerum suum**: non superbum, sed humilem; non pilosum, sed lenem; non venatorem, sed pastorem. Et quare suscepit eum? **Recordatus misericordiæ suæ**: haec sola causa est quare suscepit eum, ut ostenderet divitias gratiae suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Videbatur oblitus esse misereri Deus, quando usque in finem sæculorum distulit mittere Filium suum: sed recordatus est, quod nunquam oblitus fuit, ut nos semper memores simus, et in æternum misericordias Domini cantemus. **Suscepit Israel puerum suum**. Suscepit naturam, suscepit causam, suscepit negotium ejus, suscepit pater filium suum: suscepit in filio puerum suum, id est totum corpus ejus, a primo iusto usque ad novissimum. Suscepit eum in odorem suavitatis sacrificium vespertinum: suscepit eum in hæreditatem immarcessibilem, et incontaminatam conservatam in cœlis. Nota quod finalis versus cantici hujus misericordia est. A misericordia incepit, a misericordia finit, circa misericordiam ubique versatur.

**11. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et**

*semini ejus in sæcula.* Ultimus iste versus est, qui decalogum adimpleret; qui decem cortinis consummat tabernaculum. In hoc versu et promissorum Dei veritas, et utriusque Testamenti auctoritas, et omnium credentium unitas comprobatur, et convenienter ad omnia, et ad singula quæ superius dicta sunt, refertur: quasi diceret: *Hoc et hoc fecit mihi qui potens est, et misericors et justus, et verax in omnibus verbis et operibus suis.* Ita, inquam, opere complevit omnia: *Sicut locutus est ad patres nostros,* Et semel quidem locutus est Deus qui creavit omnia; sed quod in ipso semel æternaliter factum est, his quæ temporaliter decrevit, semel indicari non potuit. Unde multifariam multisque modis locutus est Deus patribus (*Hebr. i, 1*): sed tamen non nisi perperam et obscure, et per pauci de hoc verbo cognoverunt; donec novissime locutus est nobis in Filio, qui semetipsum expressius intimavit. Nec dum tamen verbum illud nisi per speculum in ænigmate, et a paucissimis videtur, donec tandem novissime in splendoribus sanctorum ex utero Patris ante luciferum genitus, ab electis cognoscetur. Ab initio ergo locutus est ad patres nostros, quod in fine sæculorum cœpit declarare; ut unus idemque lapis et antiquos, et novos filios in unius fidei charitatisque compagem colligaret, essetque una columba, et una speciosa, et que venturum credidisset, et quæ venientem exceperisset. Inter quos utique patres, egregius et princeps et maximus fuit Abraham in cuius semine astumantur fideles omnes: quibus etiam non loquatur Deus per columnam nubis in die, et per columnam ignis in nocte, et loquetur in sæcula superventura, non per speculum, aut per visionem, aut per somnum, sed per se ipsum loqueretur semel in omnibus, facie ad faciem, cum tradiderit regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus (*I Cor. xv, 28*).

### VIII. — LAUDES IN B. VIRGINEM MARIAM.

#### 1. — *Virga Jesse virore virgineo pullulavit.*

1. Ilodie, dilectissimi, cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel, et pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi (*Psalm. LXVII, 9, 10*). Spiritus enim sanctus procedens a Patre, largiori munere suæ majestatis in apostolos supervenit, et tribuit eis charismatum dona. Post magnificentiam enim resurgentis, post gloriam ascendentis, post residentis sublimitatem, non restabat nisi ut *exspectata [alias, exspectioni] justorum letitia adveniret*, et cœli muneribus cœlestes homines implerentur. Vide autem si non et sententiarum pondere, et verborum ordine hæc omnia Isaías longe ante prædixit. *Erit, inquit, in die illa germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel!* (*Isa. iv, 2*). Germen Domini Jesus Christus [*alias, non germen Adæ*], solus de mundissimo conceptus semine; quia, etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ; quia non sicut natura filius iræ, sicut reliqui omnes, qui in iniuritatibus

sunt concepti. Istud ergo germen, quod de virga Jesse virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset a mortuis; quia tunc, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem et decorum induens, amictus lumine sicut vestimento (*Psalm. ciii, 1, 2*). Quanta autem ascendentis gloria, cum medius angelorum et animarum sanctorum ad Patrem deduceris, et triumphatrice palma cœlis invectus, susceptum hominem in ipsa divinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quam sit fructus terræ sublimis in consessu ad dexteram Patris, quod utique cœlestium oculos reverberat naturarum, quod angelicus intuitus contremet, non attingit? Veniat ergo exultatio, Domine Jesu, his qui salvati sunt de Israel, apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus qui sordes abluit, et infundat virtutes, in spiritus judicii, et spiritu ardoris [*alias additur Dei*].

2. Eia igitur, fratres, cogitemus super nos et in nos opera Trinitatis ab initio mundi usque ad finem, et videamus quam sollicita fuerit illa maiestas, cui administratio pariter et gubernatio sæculorum incumbit, ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, et sapienter omnia gubernabat, et utrarumque rerum, tam potentiae quam sapientiae, signa manifestissima tenebantur in creatione et conservatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, et bonitas multa nimis; sed latebat in corde Patris, cumulanda quandoque super genus filiorum Adam in tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus: *Ego cogito cogitationes pacis* (*Jeremiah. xxix, 11*), ut mitteret nobis illum, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum. ut jam daret pacem super pacem his qui longe, et pacem his qui prope (*Ephes. ii, 14, 17*). Verbum igitur Dei in sublimi constitutum, ut ad nos descendere propria benignitas invitavit, misericordia traxit, veritas qua se promiserat venturum compulit, puritas uteri virginalis salva Virginis suscepit integratam, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis et miraculis manifestavit.

3. Prorsus amplissima mihi nunc materia et malorum meorum suppetit, et bonorum Domini mei, ut cum cogitaverim vias meas, convertam pedes meos in testimonia sua. Illa enim bona ineffabilia sunt, quia, ut brevi verbo cuneta concludam, nihil melius invenire potuit, unde nos redimeret Sapientia Dei in omni sapientia sua. Sed et mala circumdederant nos, quorum non erat numerus; quia *veceavi* (justus loquitur) *super numerum arenæ maris;* et: *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim* (*Psalm. xxiv, 11*). Missus est coluber tortuosus a diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, et sic resfunderet in totius posteritatis originem: missus est interim Gabriel angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem et men-

tem ipsius eructaret, ut eadē via intraret antidotum, qua venenum intraverat. Vere vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre; quia totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei nisi dulce, nisi paternum, humani generis trepidatio suspicetur. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas. Erraveramus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato et in peccato concepi.

4. Christus ergo ibi primum medicinam apposuit, ubi primus vulneri patebat locus: et substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est; ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius otiosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, ut dicitur, usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et tunc jam operabatur salutem nostram in medio terra, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ, mirabili proprietate, terræ medium appellatur. Ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum, respiciunt et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur; et qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut prophetae fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificantur. Eo beatam te dicent omnes generationes (*Luc. i, 48*), Genitrix Dei, domina mundi, regina cœli. Omnes, inquam, generations. Sunt enim generationes cœli et terræ. *Pater spirituum*, ait Apostolus, *ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur* (*Ephes. iii, 15*). Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te enim angeli letitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt [*alias, invenerunt*] in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creature, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit. (Ex Serm. in festo Pent.)

2. — *Maria thesaurus Dei. — Radix Jesse, aliaque figuræ B. Mariæ Virginis.*

*Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Miraris quod Nazareth, parva civitas, et tanti Regis nuntio illustretur, et tanto? Sed magnus latet in hac parva civitate thesaurus; latet, inquam, sed homines latet, non Deum. Num thesaurus Dei Maria? ubique illa est, et cor ejus. Oculi ejus super eam, ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. Novit cœlum Unigenitus Dei Patris? Si novit cœlum, et Nazareth. Quidni sciat patriam suam? quidni noverit hæreditatem suam? Cœlum ex Patre, Nazareth ex matre vindicat sibi, sicut ipse se et Filium David, et Dominum esse testatur* (*Matth. xxii, 42-45*). *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filii hominum* (*Psalm. cxvi, 16*). Cedat ergo ei nrumque necesse est in

possessionem, quia non modo Dominus, sed et filius hominis est. Audi etiam quomodo terrani sibi tanquam filius hominis vindicat, sed et communicat tanquam sponsus. *Flores*, inquit, *apparuerunt in terra nostra* (*Cant. ii, 12*). Neque hinc discrepat, quod Nazareth interpretatur *flos*. Amat florigeram patriam *flos de radice Jesse*, et libenter inter lilia pascitur *flos campi et lily convallium*. Commendat enim flores pulchritudo, suaveolentia, et spes fructus; gratia triplex. Teque florem reputat Deus; et bene ei complacet in te, si tibi nec honestæ conversationis decor, nec bona opinionis fragrantia, nec intentio desit futuræ retributionis. Fructus enim spiritus est vita æterna.

*Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum. Quauntam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Utramque sine dubio, quia plenam, et eo singularem, quo generalem: ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo, inquam, singularem quo generalem: nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem, quod sola hanc inveneris plenitudinem; generalem, quod de ipsa plenitudine accipient universi. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui est; sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area; sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit* (*Judic. vi, 37-40*). In te sola Rex ille dives et prædives exinanitus; excelsus, humiliatus; immensus, abbreviatus, et angelis minoratus est: verus denique Deus et Dei Filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhaerentes Deo, incipiamus unius esse spiritus cum eo. (De Serm. in Nativ. S. Joan. B., n. 7, 8.)

3. — *Maria secretorum Dei conscientia.*

Gratias tibi, pater orphanorum et judex pupillorum, incaluit super nos mons coagulatus, mons pinguis, cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, effusum est oleum, dilatum est nomen, quod nobis et cui nos invidebat iniquus; dilatum, inquam, usque ad corda et ora parvolorum, et in ore infantium et lactentium perficitur laus. Porro peccator videbit et irascetur; et erit sicut ira implacabilis, sic flamma inextinguibilis, quæ jam parata est ei et angelis ejus. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Quomodo me amas, Deus meus, amor meus? quomodo me amas, ubique recordatus mei, ubique zelans salutem egeni et pauperis, non solum adversum homines superbos, sed etiam adversus sublimes angelos? In cœlo et in terra judicas, Domine, nocentes me, expugnas impugnantes me; ubique subvenis; ubique assistis, ubique a dextris es mihi, Domine, ne commovear. Haec cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quandiu sum. Haec virtutes ejus, haec mirabilia ejus quæ fecit. Hoc primum et maximum judicium, quod mihi illa conscientia secretorum aperuit Virgo Ma-

via : *Deposuit, inquiens, potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc. 1, 52, 53*). Secundum autem simile est huic, quod iam audistis, *ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan. ix, 39*). In his duobus judiciis consoletur se pauper, et dicat : *Memor fui iudiciorum tuorum a seculo, Domine, et consolatus sum* (*Psal. cxviii, 52*). (*In Cant. serm. 17, n. 7.*)

**4. — Maria Mater charitatis.** — *Amoris sagitta Mariæ animam confixit et pertransivit.*

Est et sagitta sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio anticipi (*Hebr. iv, 12*), de quo Salvator : *Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium* (*Matth. x, 34*). Est etiam sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinquaret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligenter, et esset gratia plena. Aut certe pertransivit eam, ut veniret usque ad nos, et de plenitudine illa omnes acciperemus, et fieret Mater charitatis, cuius Pater est charitas Deus, parturiens et in sole ponens tabernaculum ejus, ut Scriptura impleretur quæ dicit : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ* (*Isa. xlix, 6*). Hoc enim impletum est per Mariam, quæ in carne visibilem edidit, quem invisibilem nec de carne, nec cum carne suscepit. Et illa quidem in tota se grande et suave amoris vulnus accepit : ego vero me felicem putaverim, si summa saltem quasi cuspide hujus gladii pungi inter me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnera, dicat etiam anima mea : *Vulnerata charitate ego sum* (*Cant. ii, 5*). Quis mihi tribuat in hunc modum non modo vulnerari, sed et expugnari omnino usque ad exterminationem coloris et caloris illius, qui militat adversus animam ? (*Ex serm. 29 in Cant., n. 8.*)

**5. — Maria gloriatio in sola humilitate.**

Humilitas (ergo) virtutes alias accipit. Servat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super quietum et humilem (*Isa. lxvi, 2*). Servatas consummat; nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate, perficitur (*II Cor. xii, 9*). Inimicam omnium gratiarum, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se quam a cæteris virtutibus superbiam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cum ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum superbiam, sola hæc omnium propugnaculum quoddam turrisque virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. Sola denique est, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putavit. Auditio quippe ab angelo, *Ave, gratia plena, quasi solam ex illa plenitudine humilitatem in se cognosceret, solam rependisse ac respondisse memoratur in gratiam : Respxit, inquiens, Deus humilitatem ancillæ suæ* (*Luc. 1, 48*). (*Tract. De morib. et offic. episc. cap. 5, n. 17.*)

**6. — Maria clementia et benignitas.**

Jam vero sequamur una cum discipulis ad nuptias

euntem Dominum, ut videntes quod facturus est, pariter credamus cum illis. *Deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent.* Comparsa est enim eorum verecundia, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas ? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomis servabit odorem ? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis afficit, in quibus novem mensibus requievit ? Nam et ante mentem replevit, quam ventrem ; et cum processit ex utero, ab animo non recessit. Durior fortasse et austerior videri posset responsio Domini : sed noverat ille cui loqueretur : et quis loqueretur illa non ignorabat. Denique ut scias quoniam responsum ipsum acceperit, ant quantum de Filii benignitate præsumpsit, ait ministris : *Quacunque præceperit vobis, servate, et facite.* (*Dom. 1, post Epiph. serm. 1, n. 2.*)

**7. — Maria fides fermentum.** — *Caro Christi vere de Virgine sumpta.* — *Flos de radice Jesse.*

Sed et illa tria sata de Evangelio (*Matth. xiii, 33*), mixta et fermentata in panem unum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongrue id mihi facere videbitur. Quam bene ea mulier fermentavit, ut nec divisione quidem facta carnis et animæ, a carne vel anima Verbum divideretur ! Mansit et in separatione inseparabilis unitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit unitati præscribere, permanenti in totis tribus. Sive conjunctis, sive disjunctis duabus, nihilominus perseveravit in tribus unitas personalis. Æque unus Christus unaque persona, Verbum, anima, et caro, etiam mortuo hominæ perduravit. In utero Virginis, ut sentio ego, commixtio hæc et fermentatio facta est : et ipsa mulier quæ miscuit, et fermentavit. Nam fermentum non immerito fortasse dixerim fidem Mariæ. Plane beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei a Domino (*Luc. 1, 45*). Perfecta autem non essent, si quoniam juxta verbum Domini est fermentatum totum, et perpetuo fermentatum, servans nobis tam in morte, quam in vita pariter unum atque integrum Mediatorem Dei et hominum cum sua deitate, hominem Christum Jesum.

Advertere est in hoc admirabili sacramento juxta numerum satorum, miræ et decentissimæ distinctionis gradus, novum, antiquum, æternum. Novum, animam, quæ de nihilo tunc creata creditur, cum infusa : antiquum, carnem, quæ a primo usque hominum, id est ex Adam, traducta cognoscitur : æternum, Verbum, quod ab æterno Patre coæternum illi genitum indubitate veritate assertur. Et in his triplex, si diligenter advertas, divinæ potentiae genus, quod factum sit de nihilo aliquid, de vetusto novum, æternum beatumque de damnato et mortuo. Quid hoc ad nostram salutem ? Multum per omnem modum. Primum quidem, quod peccato redacti in nihilum, per hoc quodammodo iterato creati sumus, ut simus initium aliquod creaturæ

ejus. Deinde quod ex vetusta servitute in libertatem filiorum Dei translati, in novitate spiritus ambulantes. Postremo, quod de potestate tenebrarum vocati ad regnum claritatis aeternae, in quo jam et consondere nos fecit in Christo. Alieni sunt a nobis, qui Christi a nobis carnem alienare conantur, novam creatam in Virgine, et non de Virgine sumptam, impie asserentes. Pulchre propheticus spiritus louge ante occurrit huic sententiae, imo blasphemie impiorum : *Egredietur, inquiens, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isa. xi, 1).* Dixisse poterat, Et flos de virga ; sed maluit, de radice : ut unde virgam, inde florem duxisse originem demonstraret. Inde igitur sumpta caro, unde orta Virgo : nec nova in Virgine, quæ prodiit ex radice. (*De Consid. lib. v, cap. 40, n. 22, 23.*)

**8. — Miranda Virginis maternitas. — Dedit nobis Deus Christum per Mariam. — Quidquid habes, per illam accipis.**

*Et mane, inquit, videbitis gloriam ejus.* O mane ! o dies, quæ melior es in atriis Domini super millia, quando erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato, cum splendor lucis et fervor charitatis usque in altissima illa magnalia terrarum ineolas illustrabit ! Quis de te cogitare, nedum aliquid praesummat recitare ? Interim tamen edificemus, fratres, fidem nostram, ut si mirabilia illa, quæ nobis reservantur, videre non possunus, saltem mirabilia quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulum contempnemur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixture, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, invicem potuere conjungi.

Et primo quidem intuere creationem, positionem et dispositionem rerum : quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia in compositione quanta benignitas. In creatione vide quam multa et quam magna potenter creata sunt; in positione, quam sapienter cuncta locata sunt; in compositione, quam benignè suprema et insima connexa sunt, tam amabiliter quam admirabiliter charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde s'irgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum vitam habeant, sed et sentiant quinquepertita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solum vivunt, sentiunt, sed et discernunt inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, inter verum et falsum. Voluit quoque insinuaria nostra abundantiori gloria sublimare, et contraxit se Majestas ; ut quod melius habebat,

videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublinius, nil vilius limo : et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commissione trinitas est in substantiis, in persona unitas : et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiae ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et super omnia opera sua ! Verbum enim, et anima, et caro in unam convenire personam; et hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mistura; et hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, et non sis superbus; quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus.

Secunda mistura est, Virgo et mater, admirabilis plane et singularis. A sæculo non est auditum quod virgo esset quæ peperit, quod mater esset quæ virgo permansit. Nuaquam juxta rerum ordinem virginitas est, ubi secunditas prædicatur. ne secunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua virginitas et secunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tertia est fides et cor humanum; et hæc quidem prima et secunda inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quod Deus homo esset; quod virgo manserit quæ peperisset. Sicut ferrum et festa jungi non possunt, sic et hæc duo nequeunt communisceri, si non misceat glutinum Spiritus Dei. Ergone credendum est quod iste Deus sit qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui consupitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulcro, et inter duos lapides concluditur, excelsus et immensus ? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in convivio, in thalamo; qui dicit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, et solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam ? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum ? Et tamen tam facile, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudine. Juvenes et virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quam vel ad momentum ab ista fide deficere.

Et hæc quidem mistura excellens, sed excell-

lentior est secunda, tertia vero excellentissima est. Primam auris audivit, sed oculus non vidit: quia anditum est et creditum usque in fines terrae magnum illud pietatis sacramentum; sed tamen oculus, Deus, non vidit absque te, quomodo te intra virginis ventris angustias humano corpori conjunxisti. Secundam oculus vidit, quia se secundam et virginem illa singularis Regina conspexit, quae conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo: cognovit et Joseph non minus testis, quam custos tantae virginitatis. Tertia in cor hominis ascendit, cum quod factum est, sicut factum est creditum est: cum magis oraculo quam oculo credimus, cum quae dicta vel facta sunt, tenemus firmissime, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in secunda per quid in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo et homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusae sunt autem et comunitae haec duas species in utero Virginis, tanquam in mortariolo; sancto Spiritu, tanquam pistillo, illas suaviter commiscente. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberet: quae per hoc quod mater est, genuit tibi Deum: per hoc quod virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua et totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei ut salvaretur per filiorum generationem: si sola virgo, sufficeret sibi; nec benedictus fructus ventris ejus, mundi pretium esset. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adjutorium est; quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. In tertia autem meritum est, quia enim haec firmiter credimus, jam meritum habemus: et in fide sanitatis est, quia qui crediderit, salvus erit (*Marc. xvi, 16*). (In *Vig. Nat. Dom. Serm. 5, n. 7-9.*)

#### 9. — *Tria mirabilia in Maria. — Tria nobis contulit Marie secunditas.*

Auctor mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria. Integritatem munditiae mirabiliter suscitavit, ut arca testamenti auro purissimo tegeretur. Puritatem virgineam potentialiter fecundavit, ut rubus ardens non combureretur. Ima supernis ineffabiliter copulavit, ut scala Jacob mediante, terrena coelestibus unirentur.

*Tria nobis contulit Mariae secunditas.* Avertit jugum captivitatis antiquæ: remisit iram indignationis divinæ: delevit notam iniquitatis humanæ. (*Ex lib. Sent. n. 57, 58.*)

#### 10. — *Maria flos, florem cœlestem in utero attraxit.*

Bonus profecto flos viola, qui florem cœlestem Verbum aeterni Patris in uterum terreni floris beatissimæ Virginis mirifica dulcedine sui odoris attraxit, ipsa attestante quæ ait: *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Quid dicis? numquid non alios flores habes? Habeo, inquam. Tota enim floreo, nullius floris exvers, quia nulla virtute careo, cum tota speciosa

sim, et macula non sit in me. Habeo lilyum castitatis, quia prima votum conservandæ virginitatis vovi Domino. Habeo rosam charitatis, quia si non usque adeo dilexissem Dominum, unde mihi tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera et verecunda et adhuc sub parentum jure et præceptis legis constituta inchoarem? Sed, ut verum fatear, audacem faciebat amor: coegit rosa ardens, servilem timorem devorans, ut facerem novum votum, et singulare lilyum, ut possem quandoque dicere dilecto meo: Candida sum et rubicunda, sicut et tu candidus et rubicundus. Habeo et alios quoscumque flores, sed nullum horum tanta dignatus prærogativa respexit in me Dominus, ut florem violæ meæ: *Respexit enī humilitatem ancillæ suæ.* Et vultis videre omnes, cui mutuavi flores meos, quantum ex flore sim consecuta? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc. i, 47, 48.*) *Ex hoc* dico, quia respecta sum a Domino. Flos violæ meæ, quia nardus mea dedit odorem suum, quæ idem significat quod viola, id est, humilitatis virtutem, cuius fragrantia delectatus est Rex, Filius Regis, Deus Dei Filius, cum esset in accubitu suo (*Cantic. i, 11*), id est, in sinu Patris; et odore tam delectabili quasi quadam illius violentia tractus est in me, et voluit concipi flos in flore intra florem, id est, intra Nazareth, quod interpretatur Flos, ut fieret ipse flos florens, hoc est Nazarenus. Concordant omnia flori. Concipitur flos manens in flore, hoc est, in Nazareth. Bonus ergo omnino, et optimus violaceus flos, qui odoris sui fragrantia, quas quadam delectabili vinculo, florem cœli in eternum nostri floris humilis Virginis inclinavit.

Discant omnes, sed præ omnibus, mundi flores, id est virgines, qui in tota Ecclesia Dei excellunt, tanquam flores in gramine, quod Virgo virginum prima, virginum devotarum sanctissima et castissima omnium, summam gloriam ponit in violæ humilitatis, licet in ea candeat singulariter lilyum castitatis, rosa charitatis rubescat. Nolite gloriari virgines, de castitate corporali, licet illa sit laudabilis virtus. Sed quanto majores estis vos, tanto humiliare vos in omnibus, ut inveniatis gratiam apud Deum. Non enim castitatem respexit Dominus, sed humilitatem ancillæ suæ. Si vultis oculo misericordiæ, oculo gratiæ a Domino respici, humiles estote. *Humilibus enim, Scriptura ait, dat gratiam* (*Jacobi iv, 6*); quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Matth. xxv, 1-12*). Si vultis lampades vestras esse refertas oleo, cum sponsus ad nuptias venerit, id est, si vultis integrum et lætam conscientiam habere (oleum enim in lampade, est lætitia spiritualis in corde), nolite de altitudine lili vestri, id est, de puritate castitatis vestræ, alta sapere. Nolite laudem exteriorem appetere: ne clauso ostio regni cœlorum, dicat vobis sponsus, *Amen dico vobis, nescio vos;* et a se excludat, qui respexit humilitatem ancillæ sue. Multæ enim virginum excludentur, quia superbarum nulla ingredietur. Humilium vero nullus, nec conju-

gatus, nec virgo, nec vidua merebitur expelli. Areta est janua regni cœlorum, nec recipit nisi parvos. Tumidi repelluntur, imo nequaquam possunt accedere, cujuscumque sexus sive conditionis fuerint vel ætatis. Et breviter dico, Nulla virtus accedit, nisi ad hunnilitatis violam fuerit inclinata. Dicit enim et docet hoc ipse humilitatis Magister, qui ad vocans parvulum statuit eum in medio discipulorum, et dixit: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus hic, non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. xviii, 1-3). Numquid posuit ibi in exemplum discipulis lily castitatis Joannem, vel rosam charitatis Petrum, qui et tunc præsentes erant; quorum prior ab ipsis nuptiis, ut asseritur, vocatus fuit et electus a Domino; sequens vero trina confessione Domino benigno Jesu, cui mentiri non potuit, perfectæ charitatis affectum contestatus est? sicut enim Joannes de speciali prærogativa castitatis, ita Petrus de ferventiori charitate commendatur. Nec tamen istos in exemplum posuit cœlorum januam intraturis; sed parvulum humiliatis virtute præcelsum. (*Vitis mystica*, n. 56, 57.)

## IX. — EPISTOLA

AD CANONICOS LUGDUNENSES, DE CONCEPTIONE S. MARIE (1).

*Conceptionis festum novum esse, nullo niti legitimo fundamento: ceterum non fuisse instituendum inconsulta Sede apostolica, cui sententiam suam subiicit.*

1. Inter Ecclesias Galliae constat profecto Lugdunensem hactenus præminuisse, sicut dignitate sedis, sic honestis studiis, et laudabilibus institutis. Ubi etenim æque viguit disciplinae censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in officiis ecclesiasticis haud facile unquam repentinis visa est novitibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate Ecclesia plena judicii. Unde miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum,

(1) 4° In confessio est, S. Bernardum suam ad canonicos Lugdunenses dedisse epistolam, ut eos redargueret, quod inconsulta Sede apostolica novam festivitatem de Virginis conceptione adoptaverint; 2° exinde ipsum B. Virginis ortum sanctum fuisse deducere, quod solemnitas Nativitatis in Ecclesia universa celebraretur; 3° impetrissime Conceptionis cultum eo quod careret objecto. Siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit prins quam conciperetur, cum nequererit *ante sancta esse quam esse*: sed nec in ipso conceptionis momento id potuit: *Quomodo namque, ipse pergit, aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit ubilibido non desuit?* Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse; sed id hactenus inauditum, etc. Nempe ideo Claravalleus abbass sanctam Virginis Conceptionem initiatur quia maritali complexu genita est. Minime vero periude peccatum appellat libidinem utpote peccati causam, quasi censuerit libidinem in conjugali actu *formale*, ut vocant, peccatum esse. Quod vel suspicari in tanto viro nefas esset. Que cum ita sint, patet sanctum doctorem de prima Virginis conceptione, quam activam dicunt, non autem de

novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesie nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse.

2. At valde honoranda est, inquis, Mater Domini. Bene admones: sed honor Reginæ judicium dilit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, insulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem: mirare secunditate in Virgine, Prolem venerare divinam. Extolle nescientem, vel in concepiente concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædicta reverendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inventricem, mediaticem salutis, restauratricem sæculorum: exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare. Ego vero quod ab illa accepi, serurus et teneo, et trado: quod non scrupulosius, fateor, admiserim.

3. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quo assumpta de sæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum; firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam acceperisse ut sancta prodiret. Et de Jeremias siquidem lego, quod, priusquam de ventre [al. de vulva] exiret, sanctificatus sit: et de Joanne Baptista non secus sentio, qui ex utero Dominum in utero sensit (Luc. 1, 41). Videris etiam tu, an de sancto David id ipsum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: *In te, ait, confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus* (Psal. lxx, 6): item, *De ventre matris meæ Deus meus es tu,*

conceptione passiva, seu de animationis momento de quo nos agimus, esse locutum.

Reipsa sensu autores S. Bernardo suppare conceptionis vocabulum usurpasse ostendit Mabillonius (in nota 141, in epist. 174 S. Bernardi, col. LXII); qui proinde S. Bernardi effata de conceptione activa, seu de seminis excisione ad fœtum gignendum et effornandum exposuere. Ita Alensis, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura. Nobis hic satis sit verba S. Bonaventura describere, qui in iii, dist. 3, q. 1 ad 4, scribit: « Non huic obviavit dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione (activa scilicet, præcedente animæ infusionem de qua loquitur), quam erga Virginem devotionem nostram minuere. » Ac objecto sibi hoc Bernardi contextu: *Nec in ipso conceptu (sanctificari poterat) propter peccatum quod inerat, ita difficultatem solvit: Constat quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuerint ipsam concipere sine peccato; ergo dicit: Propter causam peccati que erat in carne. Ergo videtur, quod sanctificatio (Virginis) non fuerit ante infusionem animæ. (Hæc nota est P. Perronii, De immaculato B. V. Mariae Conceptu, p. 146 et 147.)*

*ne discesseris a me (Psal. xxi, 11).* Et Jeremie quidem sic dictum est : *Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de vulva sanctificavi te (Jerem. 1, 5).* Quam pulchre inter figurationem in utero, et parturitionem ex utero divinum distinxit oraculum ! ut illam tantum præcognitam, istam et sanctitatis munere præornatam ostenderet : ne quis Prophetæ prærogativam de sola præscientia seu prædestinatione putaverit æstimandam.

4. Esto tamen ut hoc de Jeremia concedamus. Quid respondebitur de Joanne Baptista, quem angelus prænuntiavit Spiritu sancto repletum iri adhuc in utero matris suæ ? Prorsus hoc ad prædestinationem præscientiamve referri posse non arbitror. Verba nempe angeli, sicut ipse prædictit, completa absque dubio sunt in tempore suo : et quem prælocutus est Spiritu sancto repleendum, non est fas credere non repletum ; idque loco et tempore quo prædictit. Certissime autem sanctus Spiritus quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro illo propheta, vel si quis alias simili præventus gratia fuerit, non temere dixerim. Sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, et cum eadem sanctificatione prodisse ex utero, quam acceperunt in utero : nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullaenam horum natali jam donatau[m] præpedire seu præcipere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu sancto repletum, manere adhuc filium nihilo minus ire ; et, si mori in utero contigisset cum hac plenitudine spiritus, pœnas luiturum damnationis ? Durum est. Minime tamen ausim hinc quidpiam mea sententia definire. Sed quidquid de hoc sit, merito Ecclesia, que cæterorum non nativitatem, sed mortem sanctorum judicat et prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneraturque illius natalem, de quo nuntiante angelo singulariter legit : *Et multi in nativitate ejus gaudebunt (Luc. 1, 14, 15).* Cur enim non sit illius exitus sanctus, ac proinde festivus et lætus, qui potuit exultare et in utero ?

5. Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit procul dubio et Mater Domini ante sancta, quam nata : nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, et omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens. Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descederit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem : quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimis Reginam virginum singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam : quæ duu-

peccati mortisque pareret peremptorem, nimis vita et justitiae omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas sanctum fecit illum.

6. Quid adhuc addendum his putamus honoribus ? Ut honoretur, inquit, et conceptus, qui honorandum prævivit partum : quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoratur. Quid si alias, propter eandem causam, etiam utrique parenti ejus festos honores asserat deferendos ? Sed de avis et proavis idipsum posset pro siwili causa quilibet flagitare : et sic tenderetur in infinitum, et festorum non esset numerus. Patriæ est, non exsiliī frequētia hæc gaudiorum : et numerositas festivitatum cives decet, non exsules. Sed profertur scriptum supernæ, ut aiunt, revelationis (1) : quasi et quivis non queat scriptum æque producere, in quo Virgo videatur idipsum mandare et de parentibus suis, juxta Domini mandatum, dicentis, *Honora patrem tuum et matrem tuam (Exod. xx, 12).* Ipse mihi facile persuadeo scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inveniunt favere auctoritas. Nam quid consequentia habet, ut quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea reputetur et ipse sanctus ? Nunquid quoniam præcessit eum, fecit et sanctum ? Etsi præcessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas, quam secuturo transmitteret ? An non potius quia præcessit absque sanctitate conceptus, oportuit nimis sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur jam partus ? an forte mutuatus est sanctitatem a posteriori prior ? Potuit sane illa, quæ in jam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem : redire vero retrorsum ad conceptum qui præcesserat, jam omnino non potuit.

7. Unde ergo conceptionis sanctitas ? An dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus ; quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus ? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse : siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit, et concepta ? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit ? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit ? Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse : sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum sanctum in eam, non cum ea venisse, dicente angelo : *Spiritus sanctus superveniet in te (Luc. 1, 35).* Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, et verum ipsa sentit : dico gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse ; dico peperisse virginem, non

(1) Hujusmodi scriptum Elsino abbatii Anglo tribuitur.

tamen et partam a virgine. Alioquin ubi erit prærogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exultare et munere proliis, et integritate carnis, si tantumdem dederis et matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat: restat ut post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accipisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem.

8. Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen et concipi: ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus et ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cætero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniurias, inquiens, conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Psal. l, 7).*

9. Cum hæc ita se habeant, quænam jam erit festivæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est: aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter gloria hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicæ Sedis auctoritas, et non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simpli corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, et cuius specialiter filius sum (1), superstitione deprehensa; nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsentim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.

#### X. — ORATIO DEVOTA

*ad Dominum Jesum, et B. Mariam Matrem ejus.*

Summe summi tu Patris unice,  
Mundi faber et rector fabricæ,  
Pietatis respectu deicæ,  
Peccatores afflictos respice,  
Pie Pater.

Summa summi tu Mater Filii,  
Clavem nostri tenens auxiliæ,  
Fove tui lacte consilii,

Peregrinos hujus exsillii,  
Pia Mater.

Consolentur, o bone Domine,  
Respirantes in tuo nomine,  
Qui pro mundi tollendo crimine,  
Dignatus es nasci de virgine,  
Matris Pater.

Consolentur, o bona Domina  
Sipientes tua solamina,  
De qua sola felice femina  
Prædicantur hæc duo nomina,  
Virgo Mater

O figura Patris substantiæ!  
Tu es splendor Paternæ gloriae  
Tu es verum Lumen justitiae,  
De quo manat totius gratiae  
Plenitudo.

O Regina regni Davidici!  
Tu es virga floris Dominicæ!  
Tu es arca panis angelici,  
De quo nostra meretur refici  
Solitudo.

Virtus Patris et sapientia,  
Suaviter disponens omnia,  
Tu et Pater una substantia,  
Æquus honor, eadem gloria.

Est utrique.

Stella maris, Regina sæculi,  
Tu es Mater illius parvuli,  
Quem adorant fideles populi,  
Semper omnes et semper singuli,  
Et ubique.

O sanctorum Sancte mirabilis,  
Toti mundo desiderabilis,  
Homo potens et Deus humilis:  
Non est tibi nec erit similis,  
Deus meus.

O sanctarum sancta dulcissima,  
Sola tanto partu dignissima,  
Ut de tua carne mundissima  
Nasceretur majestas maxima,

Homo Deus.

Jesu Christe, fons indeficiens,  
Fons humana corda reficiens,  
Te suspiro, te solum sitiens:  
Sonus eris mihi sufficiens,

Fili Dei.

Mater Christi, decus virgineum,  
Thronum sedens super aethereum:  
Nomen tuum sapore melleum,  
Liquefacit affectum ferreum

Cordis mei.

Summum bonum plenum dulcedine,  
Verum lumen de vero lumine,  
Solo cujus auditu nomine,  
Satiatur mira pinguedine  
Cor justorum.

(1) Lugdunensis nempe Ecclesia Bernardi mater i metropolico jure, ut ipse loquitur in epistola 172, quippe Fontanæ, natalis ejus locus prope

Divionem, et monasterii sedes Claræ-Vallis, erant sub metropoli Lugdunensi, diœcesis Lingonensis.

Summi boni reclinatorium,  
 Dulcis vini dulce cellarium,  
 Quod indulcans dulcedo dulcium,  
 Praelegit sibi in proprium,  
 Rex celorum.  
 Patrum Pater praeclere ceteris,  
 Reparator humani generis :  
 O qui carnem pro nobis miseris  
 Mulieris de carne pauperis  
 Assumpsisti.  
 Matrum Mater et Virgo virginum,  
 Apotheca salutis hominum,  
 O, quæ munda de carne Dominum,  
 Sine carnis mixtura seminum  
 Concepisti.  
 Audi, precor, o qui das gratiam !  
 Peccatoris hujus misericordiam,  
 Et per tuam misericordiam,  
 Peccatorum meorum veniam  
 Mihi dona.  
 Audi, precor, o plena gratia,  
 Peccatoris hujus suspiria,  
 Et pro tua misericordia  
 Deo meo me reconcilia,  
 Mater bona.  
 Tibi, Pater, fac beneplacitum  
 Peccatoris istius gemitum,  
 Solve mel reatus debitum  
 Quia malum protendo meritum,  
 Et protendi.  
 Tibi, Mater, fac acceptabilem  
 Peccatoris hanc vocem flebilem.  
 Redde mihi Deum placabilem,  
 Ne se praestet inexorabilem,  
 Quem offendit.  
 O intactæ Fili puerperæ,  
 Audi planctus animæ miseræ,  
 Quæ peccati jacens in pulvere,  
 Ut jumentum se computrescere  
 Lamentatur.  
 O intacta Virgo puerpera.  
 Ad te clamat mens mea misera,  
 Quæ nefanda semper ad sceleræ

Ab ætate nunc usque tenera  
 Effrenatur.  
 Pie Pater, errantem corrige,  
 Piam manum labenti porrige,  
 Jam de luto me fæcis erige,  
 Et in viam tuorum dirige  
 Mandatorum.  
 Pia Mater, orantem visita,  
 Pio corde de me recogita,  
 Coram Jesu benigno clamita,  
 Ut meorum remittat debita  
 Peccatorum.  
 Esto nobis, Pater, propitius,  
 Quorum frater es atque socius :  
 Te laudamus, te benedicimus,  
 Adoramus atque diligimus  
 Mente tota.  
 Esto nobis, Mater, propitia,  
 Quorum soror es atque socia :  
 In tuarum laudum præconia,  
 Corda nostra fac voluntaria,  
 Ac devota.  
 Benedicte Creator omnium,  
 Benedicas mentes fidelium,  
 Nomen tuum benedicentium,  
 Mortis tuæ per beneficium  
 Quos salvasti.  
 Benedicta tu in mulieribus  
 Benedic te benedicentibus,  
 Benedictis tuis uberibus,  
 Qui dat escam esurientibus,  
 Quem lactasti.  
 Laus et honor sit Dei Filio,  
 Salus, virtus et benedictio,  
 Benedicta sit incarnatio ;  
 Mors illius et resurrectio  
 In æternum.  
 Benedictus sit Pater luminu  
 Benedicta sit Virgo virginum,  
 Benedicat cor meum Dominum,  
 Sitiatque fontem dulcedinum,  
 Sempiternum. Amen.

## PROSA DE NATIVITATE DOMINI.

Lætabundus  
 Exsultet fidelis chorus,  
 Alleluia.  
 Regem regum  
 Intactæ profudit thorus;  
 Res miranda.  
 Angelus consilii  
 Natus est de Virgine,  
 Sol de stella.  
 Sol occasum nesciens,  
 Stella semper rutilans,  
 Semper clara.  
 Sicut sidus radium,  
 Profert Virgo Filium

Pari forma.  
 Neque sidus radio,  
 Neque Mater Filio,  
 Fit corrupta.  
 Cedrus alta Libani  
 Conformatur hyssopo,  
 Valle nostra,  
 Verbum ens Altissimi  
 Corporari passum est  
 Carne sumpta.  
 Isaias cecinit,  
 Synagoga meminit  
 Nunquam tamen desinit  
 Esse cæta.

Si non suis vatibus,  
 Credat vel gentilibus,  
 Sibyllinis versibus  
 Hæc prædicta.  
 Infelix, propera,  
 Crede vel vetera;  
 Cur damnaberis,  
 Gens misera ?  
 Quem docet littera,  
 Natum considera  
 Ipsum en genuit  
 Puerpera.  
 Amen.

## GUERRICUS, ABBAS IGNACENSIS.

I. — DE ANNUNTIATIONE DOMINI SERMONES TRES.  
SERMO I.

*De gaudio hujus diei et de laudibus Virginis Matris.*

1. Opportune nobis in his diebus Quadragesimalis observantiae solemnitas intervenit Dominicæ Annuntiationis, ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali; et quos humiliavit poenitentiae luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sie quippe scriptum habes: *Mœror in corde viri humiliabit eum; et sermone bono lætificabitur* (*Prov. xii, 25*). Prorsus sermo bonus, sermo fidelis et omni acceptione dignus, Evangelium nostræ salutis; quod angelus missus a Deo, hodierna die Mariae evangelizavit, ac lætum de Incarnatione Verbi, dies diei, angelus Virgini verbum eructavit. Sermo ille, dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captivis, adapertioem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille, dum Filii regnum prædicat, justorum quoque gloriam annuntiat; terret inferos, lætificat cœlos; et, sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua, quem non consolatur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David, *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dediti; hæc enim me consolata est in humilitate mea* (*Psal. cxviii, 49, 50*). Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

2. Si ergo David sola spe salutis hujus, quæ nobis servabatur, animum pascebatur, quod gaudium, quæ deliciae, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O felicitas temporum istorum! o infelicitas temporum istorum! An non felicitas temporum in quibus tanta plenitudo gratiæ et omnium bonorum? an non infelicitas temporum in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suum, ut fiat Filius hominis, hominumque Salvator; et ecce magnitudo temporis, ut Salvatorem suum fastidiat homo peccator. Annuntiatur salus perditis, et contemnunt; promittitur vita desperatis, et negligunt; venit Deus ad homines, et non assurgunt. Assurgit, qui aliqua devotione se erigit ut det gloriam gratiæ Dei; assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem, scio quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille procul dubio quem prius humiliavit pius mœror in corde suo: mœror de peregrinatione et exilio, mœror de vinculis mortis et periculis inferni; qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupaverint eum laquei mortis, et pericula inferni invenerint. Huic nimis jucundus advenit hodiernus ille nuntius de celo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio; huic, inquam, lugenti et mœrenti quod tantis sit malis præventus et circumventus, non sine gau-

dio liberator annuntiatur; qui oleum gaudi daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; qui videlicet finem dabit miseriis, et sine fine beatitudinem dabit miseris. Beati ergo qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati quos humiliavit pius mœror in corde suo, quoniam letificabuntur sermone bono. Bonus plane sermo et consolatorius omnipotens Sermo tuus, Domine, qui hodie a regalibus sedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam sedem sibi regalem exstruxit; in qua cum etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris.

3. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regie nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, et venientem a regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe et ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov. ix, 1*), in ipsa et ex ipsa paravit sibi thronum, cum in ea et ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum et congruum, ut et dominus ei sit ad quiescendum, et thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, et cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David patris ejus (*Luc. i, 70*), quam ei dandam promittit angelus; non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta et fabricata sit. Et certe, si sedes David non est, tamen sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ipsa est. Si solium David non est, certe solium excelsum et elevatum super omnem creaturam ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem, quem rex Salomon sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretetur, quod Pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum a vero videbitur abhorre; quandoquidem et illud quod sequitur, et vestivit eum auro fulvo nimis (*III Reg. x, 18*), eidem satis corpori congruit; quod jam Dominus decorum induit fulgoris intolerabilis. *Vestivit*, inquit, *eum auro fulvo*. Prorsus, si interroges oculos Apostolorum qui transfiguratum in monte viderunt (*Matth. xvii, 1, 2*), consitebunt aurum nimis esse fulvum, id est, fulgorem corporis esse nimium, quem ferre nequierunt, quamvis nimis pro Valde ponere consuetudinis sit Scripturarum. Cætera namque que prosequitur Scriptura de illius throni magnificentia (*III Reg. x, 18-20*), accommodatus, nisi fallor, si quis tractare voluerit, accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia.

4. Mihi sane magis mirari modo libet illud ebur tam pretiosum, imo et imprefiabile, virginis castitoniæ, de quo scilicet sedem sibi facere de legit, qui sedet super Cherubim: *Hæc, inquiens, requies mea in sæculum sæculi; hic sedebo, quoniam elegi eam* (*Psal. cxxxii, 14*). Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque divitis Regis placuit, in

enjus diebus argentum nullius est pretii! quam frigidum, quod nec a conceptu inealuit! quam solidum, quod nec partus violavit! quam candidum simul et rubicundum, quod candor lucis aeternae ignisque Spiritus sancti, universa sui plenitudine replevit! Maria siquidem et ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo; cui scilicet incomparabilem et castitas candorem, et charitas seu martyrium rutilantem praे antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam et suam ipsius animam pertransivit gladius, ut mater summi Virginis et Martyris esset et virgo ipsa et martyr, candida et rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus et rubicundus (*Cantic. v, 10*). Denique, sicut Salomon in omnibus thesauris suis et opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriae sua judicaret ebori præferendum, sic Maria singularem praे omnibus electis Angelorum et hominum invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet et pareret Filium, atque ex ebore corporis ejus thronum sibi virtus Altissimi sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet quia non est factum tale opus in universis regnis (*III Reg. x, 20*), quod facile testimoniis probaretur Angelorum, qui semper et insatiabiliter in gloriam et decorum Dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis regnis non est tale opus factum, quidquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, coelestium, terrestrium, et inferorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animalium, miraculum Angelorum, solium summæ majestatis, thronusque potestatis, cibus vita immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! Quotquot, inquit, tangebant eum, sanabantur a languoribus suis (*Marc. vi, 56*): nam virtus de illo exibat, et sanabat omnes (*Luc. vi, 19*).

5. Beatus igitur venter, qui te, Domine Jesu, portavit! felix castitas uteri virginis, quæ huic operi materiam ministravit! Felix prorsus, fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiae, nec argentum eloquentiae, nec gemmam alicujus excellentis gratiae, nostri præfert electio Salomonis; si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus (*Id. i, 48*). Proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem prædicaret virginis, seu sponsæ, videlicet seu sponsi (quia quorum spiritus unus et caro una, in plerisque etiam laus una), ut castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam alii virtutibus doceret, ait: *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris* (*Cantic. v, 14*). Ut autem noveris quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu unguentariae nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut David in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, *Canticum pro dilecto*, de Sponso Ecclesiæ accipiendo ostendit.

*Myrrha*, inquit, et *gutta*, et *casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo (*Psal. xliv, 9, 10*). Corpora siquidem eburnea sanctorum, domus Christi sua vestimentum Christi sunt; membra Christi sunt; templum Spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum et charismatum, ex quibus delectant et honorant Regem regum filiae Apostolorum et Prophetarum. Probasti et ipsi, fratres mei, ex quo cœpistis possidere unusquisque vas suum in sanctificatione et honore, non passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum (*I Thess. iv, 4, 5*), quid unguentorum, quid odoramentorum divina largitate sit infusum; quo modo corpus, quod erat sentina sordium, nunc Spiritus sancti sit venerabile sacrarium; et quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum.

6. *Myrrha*, inquit, et *gutta*, et *casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*. Inhabitamus quidem domos luteas, sed quæ materie qualitate sunt luteæ, continentiae virtute sunt eburneæ; ex quibus si myrrha prima spirare cœperit per mortificationem voluptatum, consequentur et aliae species aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabiliter, tanquam de vestimentis suis; spirabunt etiam longe lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco, Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim ut sensit Isaac: *Ecce, inquit, odor filii mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus* (*Gen. xxvii, 27*). Sed et Sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus et vestimentum ipsius est, loquitur dicens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* (*Cant. iv, 11*). Quem nimur odorem thuris Sponso gratissimum, pietas, o fratres, vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans et devota fuerit ut dirigatur oratio vestra sicut incensum in conspectu Altissimi, et ascendat coram eo sicut virgula fumi ex aromaticis myrræ et thuris (*Id. iii, 6*). Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris; fragrat utique et mihi: utinam ita et thus fragret de cordibus vestris, quatenus Sponsus probans vos sicut castos, sic etiam devotos, frequentius vos sua visitatione dignetur, et dicat: *Ibo mihi ad montem myrræ, et ad collem thuris* (*Id. iv, 6*). Videtur tamen sermo iste, prophetia hujus esse diei, per Salomonem olim prædicta, per Jesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrræ et thuris, sed et omnium aromatum; dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue, nisi fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, et thus pietatis. Odor, iste, fratres mei, super omnia aromata; odor iste Dominum majestatis de excelsis attrahit et invitat, ut inclinet cœlos et descendat, sicut probat dies hæc, cum Altissimus, angelo misso de cœlis, ipse quoque descendit in uterum Matris, qui semper manet in sinu Patris, cum quo vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

*De Verbi incarnatione in Maria et in anima fidei.*

1. Hodie Verbum caro factum est, et habitare coepit in nobis, secundum regulam scilicet sanæ fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum definitio tradidit nobis. Firmissime namque tenet, et nullatenus dubitat Ecclesia, carnem Christi non prius conceptam quam a Verbo susceptam; sed ipsum Verbum Dei carnis acceptance conceptum, carnemque Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia aedificare coepit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, et ad aedificandam unitatem Ecclesiae, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit; dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob, quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra (*Psalm. LXXXIV, 10*). Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, et rorantibus cœlis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere prævaricatoris, quæ etiam exercitata spinas et tribulos germinat hæredibus maledictionis (*Gen. xi, 17, 18*). At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit universis, et filiis Adæ præjudicium originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec semiuata, de solo rore cœli Salvatorem germinat, et mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaque terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta; videbatur esse eremus solitudinis, sed erat paradiſus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei, eremus cuius campi germinaverunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo Agnum dominatorem terræ Pater emisit. Emitte, inquit, Agnum, Domine, de petra deserti (*Isai. XVI, 1*), id est, abscinde Petram de Petra, Sanctum et inviolabilem sancta et inviolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christi oecus ortui, sepultura respondet conceptioni, dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condensus in petra monumenti; et cuius corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui, et corpus sibi excidit de petra, et corpori locum in petra; sic integratatem petræ, cum de ea emitteretur, non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cum de ea egredetur, aperiens.

2. Si ergo petra Christus (*I Cor. x, 4*), ut ait Apostolus, non degenerat a Matre Filius, quando et ipsa petræ nomine censetur. An non recte vocatur petra, quæ et in amorem integratatis proposito firma, affectu solidâ, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat et lapidea?

an non recte petra virginis integritas, quæ et nihil parit per naturam sui; et cum parit, roris virtute divini, nec admittens conceptum, nec emitens partum, novit aperiri? Sed aperiatur terra, inquit Isaías, aperiatur, et germet Salvatorem (*Isai. XLV, 8*). O sancte Isaia, qui dicis aperiatur, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur: *Porta hæc clausa erit, et non aperietur* (*Ezech. XLIV, 2*)? An tibi reseratum fuit tantummodo consilium secundando Matris, et clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integratatis? Absit! inquit; nemo magis quam ego conscientius hujus secreti. Quomodo enim me latuisset perpetua virginitatis mysterium, qui tanto ante prædicti: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isai. VII, 14*)? Quæreris igitur quomodo dicamus, ego, aperiatur; ille, non aperietur? Non aperietur viro, aperiatur Domino; sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem: *Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Aperietur autem Domino non virginis integritas corporis, quia, sicut Ezechiel post prædicta subdividit: *Hæc clausa erit ipsi etiam principi* (*Ezech. XLIV, 2, 3*), sed aperietur auris et porta cordis; quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, et exivit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens namque Verbum Dei, etsi infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quominus contra naturam carnis, et supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset et integra trahicere, sicut etiam [ad] discipulos ingrediens januis clausis, oculis probavit, quod ratio non capit.

3. Secura igitur, o Virgo intemperata, o porta sanctuarii perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi jam dudum clamat: *Aperi mihi, soror mea, amica mea* (*Cantic. V, 2*). Non est quod timeas integratati tuæ: Deus non novit integra violare, sed violata consolidare. Si Verbo Dei apta es, tum demum non modo clausa, sed et signata es. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (*Id. VIII, 6*). Jesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum plane et munimentum est inviolabile castitatis sponsæ suæ, et eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiā. Sit ergo, o Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum et mens tua ad credendum: aure percipe verbum angelii, et corde suscipe Verbum Altissimi, et corpore conceipe Filium Dei. Dic et tu, o beata, tam humilis quam fidelis, dic *Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii* (*Isai. L, 5*). *Ecce ancilla Domini*: præsto sum ejus voluntati; quinimo juvabo votis si possum, *sicut mihi secundum verbum tuum* (*Luc. I, 38*). Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, et spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra, ut, quem rorabant cœli desuper, susciperet rorem, et germinaret Salvatorem. Nobile germen,

germen justum, germen odoris, germen Domini, quod jam est in magnificentia et gloria, cum idem fructus terrae sublimis est super omnia, id est, exaltatus est super cœlos Deus, et super omnem terram gloria ejus. Nihil enim interest sive germen, sive fructum aut florem dixeris, cum haec omnia, imo infinita alia unus Christus sit, res una, sed multifermis gratia, et virtutis unius operatio multisaria; cui si infinita nomina paupertas humani sensus et sermonis pro similitudine commodaverit, rei tamen implere significationem non poterit. Bene autem simul vocatur germen, et flos, et fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute et gratia in se ipso exstitit perfectus. In nobis enim primum ipse *germen* est, cum fides in confessionem prorumpit vel opus manifestum: postmodum *flos*, cum super proficentem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum; demum autem *fructus*, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sane ac vigilantissime non solum mysteria, sed et mysteriorum præsagia dispensatio præordinavit divina, ut locus in quo terra germinavit Salvatorem *germen* justum, et flos de virga et radice Jesse ascendit, Nazareth, id est *sancitas*, germen, flos, virgultum vocaretur; ut videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque et nomen loci rem gerendam pronuntiaret, et res gesta causam nominis indicaret.

4. Ignoscite mihi, fratres mei, quia, qui morum vestrorum servire debueram instructioni, plus forsitan quam necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione et præconio mysterii. Quid enim mirum si miror quod stupent Angeli, si prædicare gestio, quam coeli enarrant, gloriam Dei? quid mirum si me delectat quod beatos spiritus laetificat, quod peccatores justificat, justosque glorificat? Nescio tamen si ulla esse possit efficacior ac suavior morum ædificatio, quam hujus mysterii, id est Verbi incarnati, fidelis et pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens hominem amor Dei tam vehementer ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo et natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse majus aliquod existimo, quam exinanitionem Dei in formam servi, et servitudinem plus quam servi. Castitatem porro quid æque commendat, sicut quod ipsa castitas Salvatorem germinat? Aut fidei virtutem ac meritum quid evidentius ostendit, quam quod Virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa divinitus impleri promeruerit? Beata, inquit, quæ credidit, quoniam perficiuntur quæ dicta sunt ei a Domino (*ibid.* 45). Et ut plenius noveris conceptum Virginis non solum esse mysticum, sed et moralem; quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem; ut manifeste evacues in te gratiam sacramenti, si

non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit, quod videlicet si verbum ex ore nuntii cœlestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis et ipse concipere. Concipere autem corde, imo et corpore, licet non corporali opere aut specie, tamen plane corpore tuo; quandoquidem jubemur ab Apostolo glorificare et portare Deum in corpore nostro (*I Cor.* vi, 20). Attende itaque, ut scriptum est, diligenter auditui tuo, nam *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei* (*Rom.* x, 17); quod tibi absque dubio evangelizat angelus Dei, cum de timore aut amore ejus tecum agit prædictator fidelis, quem angelum Domini exercitum dici et esse non est tibi fas ambigere (*Malach.* ii, 16, 17). Quam beati qui dicere possunt: *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isa.* xxvi, 17, 18)! qui nimur non est alias quam spiritus Salvatoris, quam veritas Jesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incomprehensibilis mysterii: qui creavit te, creatur in te; et, quasi parum esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicumque, inquit, fecerit voluntatem patris mei, ipse meus et frater, et soror, et mater est* (*Matth.* xii, 50). O fidelis anima, expande sinus, dilata affectus; ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi Verbo Dei aurem audiendi: hæc est ad uterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis.

5. Gratias tibi, sancte Spiritus, qui ubi vis spiras. Video munere tuo non unam, sed innumeratas fidelium animas illo generoso germine gravidas; custodi opera tua, ne aliqua illarum abortiat, conceptumque divinæ sobolis informem aut mortuum executiat. Vos quoque, o matres beatæ tam gloriose prolis, attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in yobis (*Galat.* iv, 19); attendite, ne quæ foris offensa gravior fetum tenerum lœdat, ne quid ingeratis ventri, id est menti, quod spiritum quem concepistis extinguat. Parcite, si non vobis, certe Filio Dei in vobis; parcite, inquam, non solum ab operibus et sermonibus malis, sed etiam a cogitationibus noxiis et delectationibus mortiferis, quæ plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia servate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet, cum scilicet matyrus se partus absolvet, et vita Christi, quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit, tristitiam habet* (*Joan.* xvi, 21) laboris; cum autem pepererit puerum, jam non memor erit pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo Christus in mundum exteriorem corporis nostri, quod et minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus

est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiriti charitatis suæ, tunc velut homo naseetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ, in qua vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO III.

*De hujus mysterii signis.*

1. *Audite, domus David : ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet (Isai. vii, 13, 14).* Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris. Hodie namque illud ineffabile conceptus virginis miraculum, sicut audieratis promissum, sic auditistis impletum : Virgo hodie concepit. Et hoc signum, prioribus retro sæculis inauditum, nostris sæculis Dominus dedit. Et sicut Jeremias eodem spiritu et eodem sensu prædictis : *Creabit Dominus novum super terram, quia semina circumdabit virum (Jerem. xxxi, 22).*

Quid est enim, *creabit Dominus novum super terram, semina circumdabit virum*, quod ait Jeremias, nisi quod ait Isaïas : *Dabit Dominus signum, Virgo concipiet filium (Isai. vii, 13, 14)*? Hoc nempe est, *circumdabit*. Non de consortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam concipiet, et solius materni corporis involucro vestiet. Alioquin dicant, si possunt Judæi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, ut ipsi falso interpretantur, concepit; aut quid novum Dominus creavit, si femina masculum de masculo susceptum circumdedit. Potest quidem mentiri iniqüitas sibi; sed in multitudine virtutis tuæ, o Domine, mentientur tibi inimici tui, ut virtutem tuam dum negat pravitas et paucitas Judæorum, glosiosius et copiosius confiteatur fides omnium populorum. *Consiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes, quia terra dedit fructum suum*, Virgo germinavit Jesum (*Psal. lxvi, 6*). Velint, nolint Judæi, creavit Dominus novitatem hujus miraculi, in signum eorum incredulatis; utique in signum cui contradicunt usque hodie, plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quam ignorantia miserabili.

2. Non alienum tamen ab origine et consuetudine vixerit germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est, qui ab initio in patre et rege suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. *Locutus est enim Dominus ad Achaz, dicens : Petetibi signum. Non petam, inquit, et non tentabo Dominum (Isai. vii, 10-12).* O religio profana! o pie-tas exsecranda! o humilitas dolosa! Ne tentes, ut aies, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non graviter tentas, quem manifeste contemptu irritas? Novimus utique, novimus dolum et invidiam Judaicæ radicis, quæ et antequam Christus nasceretur, invidere cœpit gloriae illius. Nam et iste Achaz, quantum ex vita et moribus ipsius intelligi datur (nam cultor idolorum erat), non alia religione aut metu signum recusavit petere cum juberetur, nisi ideo scilicet ne Dominus glorifica-

retur. Sane mira et plane digna ira Dei et hominum, tam dira perversitas Judæorum, qui, cum jubentur signa querere, renunt, non, ut fingunt, ne tentent, sed ne glorificant Dominum (*Matth. xvi, 4*); cum non jubentur, tentant et querunt. Nam velut natura et usu Judæi signa querunt, et, si dantur, caluminiantur et inficiari contendunt, ut manifeste confiteantur quia tentantes quærebant, non ut crederent facienti, sed ut insultarent non facienti. O gens peccatrix, *semen nequam, filii scelerati!* (*Isai. 1, 4*)! ait Isaïas, *Numquid parum est vobis molestos esse hominibus, mihi et aliis prophetis, imo universo generi hominum, quia molesti estis et Deo meo?* Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum (*Isa. vii, 13, 14*). Quia enim vos in perversum adversum eum inceditis, et ipse, ut ait, perversus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi; et ipse propter hoc dabit, ut ipse glorificetur, et vos confundamini. Fac, Domine, fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur (*Psal. lxxxv, 17*), ait de Judæis ad Patrem Filius.

3. Primum autem signum quod Pater et Filius operati sunt in confusionem infidelium et gloriam fidelium, in testimonium sue virtutis et opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse Virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, *dabit Dominus signum*, quasi querentibus quod signum, intulit contextus Prophetæ, verbis tamen Evangelistæ, *Ecce virgo concipiet et pariet filium (Isai. vii, 14, et Luc. 1, 31)*; ut plane aut consequentia vel veritate contextus careat, aut (quod est probabilius) mendacium Judæorum latebram non habeat. Merito proinde cum jam generatio prava et adultera signum querit, signum non datur ei, nisi signum Jonæ (*Matth. xvi, 4*); ut videlicet qui ob perversitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scilicet sepulturæ et mortis. Nam verbum crucis et mortis Judæis, qui pereunt, scandalum est; his autem qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est (*I Cor. 1, 18*); nec minor aut infirmior nobis est Filius hominis in corde terræ, quam in consensu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusaverunt, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione devota suscipimus, agnoscentes Filium quem concipit Virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis et veniam; in excelsum supra, signum et spem exultationis et gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ, ut in sanguine testamenti sui extraheret vinculos de lacu in quo non est aqua, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Ephes. iv, 9, 10*). Jam levavit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni, et exaltavit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei a populo Judæorum, et quotidie a quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signum O Ra-

dix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem jam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Judæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculato concepsus tui contradieunt, et nee angelo Gabrieli eredunt dicentes quia non est impossibile apud te omne verbum (*Luc. i, 30, 31*). Beata quæ credit, cui haec ratio satisfecit, et, eum quæsisset quomodo Filiū susciperet, quæ non cognoseeret virum, tam de integritate quam de prole securam deinceps effecit.

4. Quidquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiatur et pariat Virgo Filiū; nos quippe signum habemus in bonum, etiana Matrem et Filium. Nobis plane Mater tota miraculum est, quæ singulariter et sine exemplo mater est et virgo; nobis Filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est et homo. Mater, virgo concipiens et pariens, signum nobis est quia Deus est homo iste qui concipiatur et paritur; Filius, divina faciens, et humana patiens, signum nobis est quia in Dicūm transferet hominem, pro quo concipiatur et paritur, etiam et patitur. Omnia tamen humanarum infirmatum vel injuriarum quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in utero eoncipi, in utero novem mensium tempore majestas illa ineireumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanavit? aut quando ita penitus a semetipso defeeisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic in eruce visus est infirmus, ubi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: quando et moriens glorificat latronem, et exspirans inspirat Centurionem; quando horarius dolor passionis ei non solum compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero autem sic est quasi non sit, sic omnipotens virtus vacat quasi nihil possit, et Verbum æternum sub silentio se premit.

5. Vobis tamen, fratres, vobis illud silentium verbi loquitur, vobis elamat; vobis utique disciplinam silentii commendat. *In silentio enim et spe erit fortitudo vestra* (*Isai. xxx, 15*), sicut Isaías promittit, qui cultum justitiae silentium desinivit (*Id. xxxii, 17*). Sicut namque puer ille conceptus in utero ad maturitatem partus sub alto et diuturno profecit silentio, sic et spiritum hominis disciplina silentii nutrit, format et roborat, et quanto oculatus, tanto tutius et salubrius inerementum præstat. Nescit homo animalis, qui non percipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, et quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis (*Eccle. xi, 5*); sed non occultatum os meum a te, ait sanctus Deo, quod fecisti mihi in occulto (*Psal. cxxxviii, 45*) mentis, sub secreto silentii. Sed nec a vobis occultatum est hoc mysterium, fratres mei, quorum

experientia et confessio testis mihi est quomodo quietus et modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat et floreat; quomodo e contrario per verba, velut quadam paralysi, dissolvatur et defluat; quomodo macrescat, et marcescat, et aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequam dixisset: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* (*Prov. xxv, 28*). Cæterum, si queraris quo negotio sit oceupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, eomede de panem tuum, sicut et ipse Dominus conceptus suo tibi commonstrat exemplo. Quid enim propheta de eo dixit, eum loqueretur de porta orientali semper elusa in domo Domini, quæ tamen Deum Israel admisit et emisit? *Princeps ipse, inquit, sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino* (*Ezech. xliv, 5*). *Sedebit, inquit, in ea, quoniam requiesceret in ea, de qua et ipse loquitur: Haec requies mea* (*Psal. xxxi, 14*); sedebit in ea tanquam in throno grandi, quem, sicut alias dixi, *Salomon rex sibi de ebore fecit* (*III Reg. x, 18*). Si attendas angustias uteri, locus prorsus angustus est, si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam uterus tantæ majestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedet et panem comedit; quia *si quis, inquit, aperuerit mihi, intrabo ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum* (*Apoc. iii, 20*).

6. Non est haec eœna sine pane, quando et ipse qui eœnat panis est vitæ, panis qui hodie descendit de celo et dat vitam mundo. Sed res mira, si idem est qui eœnat, et quod cœnatur; et qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Revera res mira, sed res vera; quia Christus non alio pane quam se ipso paseitur. Ipse namque totus est panis, Verbum propter se, caro propter unionem Verbi. Alioquin caro non prodest quidquam, cum spiritus sit qui vivificat (*Joan. vi, 64*), nec in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod proeedit de ore Dei (*Matt. iv, 4*). Omne verbum proeedens de ore Dei unum et unigenitum est Verbum Patris, quod, cum simplex sit, in se tamen continet rationem et formam omnis verbi divini. Verbum itaque pascitur de Verbo, Filius vivit de se ipso; quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*Joan. v, 26*). Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine, Verbo paseebatur anima illa, Verbo ipsi in persona conjuncta; et incomparabili felicitate princeps ille sedens in porta virginis uteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis tu quoque, si sapis, in silentio tuo aetablis, ut panem verbi divini comedas eoram Domino, eonservans, sicut Maria, quæ de Christo dicuntur, et conferens in corde tuo. Hunc panem tecum Christus manducare delectabitur; et qui te pascit, ipse in te pascetur (*Luc. xxii, 45, 49*); et panis ipse quo plus editur, plus abundabit edendus: quia gratia non minuitur usu, sed augetur.

7. In hoc propterea tibi sit exemplo Jesus con-

ceptus et gestatus in utero, ut, sicut onus illud leve ac suave, etsi gravidavit, non tamen gravavit uterum Mariæ, sic te non sentiat gravem aut molestum uterum Ecclesie. Gravida est, o fratres, Ecclesia, non, sicut Maria, solo Jesu, sed, sicut Rebecca, Jacob et Esau, non solum scilicet bonis et modestis, sed etiam dyscolis et indisciplinatis; quos tamen et ipsos, propter nomen Jesu, vel forsitan aliquod initium substantiae ejus, Ecclesiam viscera suscipiunt et amplectuntur. Sed cum sese colliderent parvuli discordes in utero Rebecæ, quæ prius oraverat ut conciperet, dolensque ventrem suum a tribulatione malorum et dolore, pene penitebat quod concepisset: *Si sic, inquit, futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* (Gen. xxv, 22.). Si de aliquo nostrum, fratres, sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille; nisi quod nec de talibus sinit nos desperare, qui etiam de lapidibus suscitat filios Abrahæ (Luc. iii, 8). Ipse in eis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris; ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos, qualescunque sint, portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus, perfectus homo vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## II. — IN ASSUMPTIONE B. MARIE SERMONES TRES.

### SERMO I.

*Quod Maria dupli titulo sit mater, quodque recte dicatur thronus Dei.*

**1. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum.**

— Multi vocati, pauci vero electi. Beati quos elegisti, Domine; habitabunt in atriis tuis (Psal. lxiv, 5): imo tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa et præelecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens, *Hic requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam* (Psal. cxxxii, 14). Habitavit in ea novem mensibus, habitavit cum ea et sub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatum: habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, et divinorum desiderabilis sapientia sermonum. Nunc autem in ea et cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantum gloria visionum; foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens. O Maria, non vocaberis, ait Dominus, ultra derelicta, et terra tua non vocabitur ultra desolata, ut quia virgo, ideo sis infecunda: sed vocaberis Voluntas mea, id est, dilectus Filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis in virgine, et habitabit in te Filius tuus; imo, si magis placet, ut non recedamus a verbis Scripturæ, habitabunt in te filii tui (Isa. lxii, 4, 5).

**2 Quid, hæretice, caput erigis? quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiae rapis?** Unum quidem genuit: qui sicut unicus est Patri in cœlis, ita unicus est Matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemias, alios postea filios genuit; sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuae virginitatis in matre, ita sacramentum catholice unitatis in prole. Ipsa tamen unica virgo Mater, quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eumdem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa, non tam mater quam noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis. Dicta est quidem mater cunctorum viventium: sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium; cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare (Gen. iii). Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium: quæ et ipsa, sicut Ecclesia, cuius forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ qua vivunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes generabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis; sic in Christo ante initium, propter semen spiritualis regenerationis.

**3. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii; cura quoque se matrem eis præstat et affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem feta, sed nunquam effeta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gravidam te, o pia Mater, inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens et affluens, et in horto concluso castitatis fontem signatum charitatis semper abundare faciens; qui licet signatus sit, foras tamen derivatur, et in plateis aquæ ejus nobis dividuntur. Licet namque fons charitatis, proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen ejus impertire gaudet etiam inimicis. Denique si servus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus (Galat. iv, 19); quanto magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longe divinius atque sanctius, Verbū ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.**

**4. Vide autem si non et filii Matrem videntur agnoscere, dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primo vel maxime refugiant in omnibus ne-**

cessitatibus et periculis, tanquam parvuli ad sinum inatis. Unde nimirum de his filiis puto non absurdum intelligi, quod per prophetam promissum est ei, *Habitabunt in te filii tui* (*Isai. Lxxv, 5*); salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia haec prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commorarimus, tanquam sub umbra alarum ejus : et postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confoscebimur. Tunc erit vox una letantium et aggratulantium Matri : *Sicut lætaniam omnium nostrum habitatio est in te* (*Psal. lxxxvi, 7*), sancta Dei Genitrix. Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis et gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ, cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.

5. *Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum.* Non poterat signantius aut elegantius describi prærogativa gloriæ ejus, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur : *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis sue, sedebitis et vos super sedes* (*Matth. xix, 28*). Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cœlo spectans et incitans decertantes : *Qui vice rit, inquit, dabo ei sedere tecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi in throno Patris mei* (*Apoc. iii, 21*). Matri vero, cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, ut judicanti conseudeas, nisi et ipsa mihi sedes fias : ut majestatem regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, et specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio ; continebis immensum in animo. Fuisti divisorium peregrinantis ; eris palatum regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo ; eris solium triumphantis in coelo. Fuisti thalamus Sponsi incarnati ; eris thronus Regis coronati.

6. *O Fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo disciplinavit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio.* Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas : nihil ruinosum, quia nulla erat superbìa, sed fundatissima humilitas : nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas : nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te regem Christum non solum hospitem susceptura ; sed et sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decoro virtutum et gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria ejus filia regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate* (*Psal. xliv,*

14, 15) : et alias, *O quam pulchra est casta generatio cum charitate !* (*Sap. iv, 1.*) Domum tuam decet, Domine, hujusmodi sanctitudo et decor. Is decor te invitavit ut intrares : illèxist, ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti : sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea : cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ ; nunc autem, thronum gloriæ.

7. Dicuntur quidem et sunt alii throni, quidam scilicet spiritus divini, præ aliis, ut putamus, subjectis ordinibus, Dei præsidentis majestate pleni : quorum quæ sit prærogativa, Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed et anima cuiuslibet justi dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit et gloriæ. Sit igitur illud cœli palatum plenum sedibus et thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se et aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine injuria vel invidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum et elevatum super gloriam omnium ; Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum ; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum ; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediátorem solum : cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, et representet unico Filio suo Iesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

### *De mutuo amore Jesu et Mariae.*

1. *Filiae Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo* (*Cantic. v, 8*). Verba ista quæ a nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus, si placet, cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo sacerdotalium, sed etiam ecclesiasticarum autores litterarum nonnunquam usi sunt, maxime in tractandis Canticis, unde haec sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salva veritate, quadam ampliori utitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, ut beatus Hieronymus ait, non tam loquitur quæ revera facta vel dicta sint, quam ejusmodi fuisse negotium ostendit, ut ea quæ dicuntur, etsi facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, ant etiam in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurde credi possint. Maria igitur migratura corpore decumbebat, ut est humana infirmitas. Porro filiaæ Jerusalem quæ sursum est, id est angelicæ Virtutes, scientes nimirum quia obsequiis Matris captanda est gratia Filii, visitabant satis officiose Dominam suam, Matrem Domini sui. Et fortasse aliquid hujusmodi primo post salutationis officia locuti sunt ei Angeli ; sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel usui :

2. Quid est, obsecro, mi Domina, quod sic ægra

videris et languida? quid est quod præter solitum tristis et pigra, ab heri et nudiustertius, sicut solebas, non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariae ascendentem, ut ibi locum crucis impleres lacrymis; aut ad sepulcrum Filii adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. — Oh hoc ipsum siquidem creditur in valle Josaphat commorata (ubi et sepulchrum ejus monstratur, ut ait beatus Hieronymus, in ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu), ne scilicet a sanctis locis longius recederet, sed saepius ea invisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestorum, velut corporaliter in ipsis effigiatam locis, duleius amplectetur, ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.

3. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, et ex toto decumberet: Langueo, inquit. Quare langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitavit? De corpore illius Filii tui virtus exhibat et sanabat omnes, adeo ut etiam simbria vestimenti hæmorrhiosem sanaret (*Matth. ix, 20-22; Marc. v, 25-34, et Luc. viii, 43-48*): et tu quæ tamdiu ipsum in utero, in sinu, in gremio continuisti, ulli infirmitati, aut languori vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini, si illud ipsum corpus Filii mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego novi quæ ipsum in utero alui, uberibus lactavi, sinnu fovi: nec solius infantiae, sed et sequentium defectus extatum vidi, et eis, ut potui, ministravi: ad extremum non sine passione mea, ludibria et supplicia passionis et crucis aspexi, per singula discens quam vere de eo noster Isaías dixerit, *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (Isai. lxx, 4; Matth. viii, 17)*. Cur ergo doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba, ut quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sane aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento: sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique, ut minus miremini languorem meum, amore langueo. Langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris: plus vulnerata charitate, quam gravata infirmitate.

4. Heu! inquiunt illi, quam frequentes, imo continuæ causæ languoris! Bone Jesu, quomodo hæc Mater tua postquam te genuit, nunquam fere nisi in languore fuit? Primo languit timore; poste, dolore; nunc, amore. Timore, a nativitate usque ad passionem, cum semper vitam Filii insidiis appeti videret: dolore, toto tempore passionis, donec redivivum reciperet: nunc amore et desiderio felici-

cius, sed mirabilis cruciatur, quia sedentem in celo non tenet. Quomodo, Jesu bone, qui summi fructus es gaudii, tam longi factus es illi causa martyrii, ut charissimam tibi ipsius animam, tot et tam acuti sine cessatione pertranseat gladii? Sed obseramus te, Domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem ut resideat hic iste Gabriel symmystes tuus, ut assideat et ministret tibi, qui ab initio conscient et minister mysterii tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit Virgo. Sufficit mihi meus novus in carne angelus, discipulum dico quem diligebat Jesus, cuius me dilectionis hæredem reliquit, cum illum mihi, et me illi in cruce commendavit: cuius obsequio nihil mihi gratius, quia conversatione et affectu nihil castius, moribus nihil suavius, nihil sincerius fide, nihil sanctius sermone. Nos ergo, aiunt illi, in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filia*, inquit, *Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo*. Ipse novit quomodo meo medendum sit languori.

5. At nosti, inquiunt, quia cum sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæsierit, quid illud sit quod tuo vulnere velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus paranyphus; non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur: tantum ne judicer temeraria, quod majora me quædere videar. *Osculetur me osculo oris sui*. Si quid mihi conscientia essem, contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus et conditor? Cum parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem avertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderii eram nimia; ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labiis ejus, et dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia et desiderium, castarum scilicet animarum. Unde sicut ipse de se confitetur, *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient (Eccli. xxiv, 29, et Joan. vi, 35)*: quanto gratiam oris illius gustavi suavius, tanto nimirum repeto nunc ardentius. Crevit quidem gloria et majestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine et bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ sæcularis elogium: «Honores multant mores.» Sublimior est, sed non superbior; gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidet matrem quam elegit, nec aternam electionem suam novo iudicio reprobabit.

6. Ne timeas, Maria, ait Gabriel more suo: inventisti enim gratiam apud Deum. Etiam in cæteris qui longe jacent tuis sub vestigiis, probare con-

suevit improbitatem hujus affectus et precis; qui nihil nimium, aut injuriosum sibi deputat, quod in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conversus ad sociam multitudinem: Eamus, inquit, eamus; ne ipsi Filio facere videamur injuriam, si gloriam Matris differamus. Cum ergo reversi nuntiassent hæc Domino suo, quid putamus Jesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem et matrem filii honorandos commendavi; ego ut facerem quod docui, et exemplo essem aliis, ut Patrem honorarem, in terram descendи: nihilominus, ut Matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi et præparavi ei locum, thronum gloriæ; ut a dextris Regis Regina coronata conseedeat in vestitu deaurato, circumdata varietate. Neque hoc dico, quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. Veni igitur, electa mea, et ponam in te thronum meum. In te mihi quamdam regni sedem constituant, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea. Communicasti mihi præter alia, quod homo sum: communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum cris, quinimo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo et indissolubili: quia concepivi speciem tuam, etiam desiderantius quam tu meam; nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificearis. Gloria tibi, Domine Jesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi, Domine Jesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam; te praestante cui est honor, et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO III.

*Quod beata Virgo Mariæ et Marthæ officia impletivit.*

1. *Maria optimam partem elegit (Luc. x. 42).* Hoc de Maria sorore Marthæ scriptum est: sed in Maria matre Domini plenius et sanctius impletum est. Hodie namque beata virgo Maria optimam partem elegit, imo quam-dudum elegerat, hodie perpetuo possidendum accepit: ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniter fruatur Dei Verbo. Nec alienum aut incongruum, si quod de illa Maria dictum est, in istam transumatur; cum ad convenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit uteri. *Et qui creavit me, inquit, requievit in tabernaculo meo (Eccli. xxiv, 12).* Illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius (*Luc. x. 39*): hæc sedula circa curam humanitatis ejus, conservabat omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo (*Eccli. ii, 19, 51*). Sed et cum evangelizans circumiret Jesus civitates et castella, Maria comes individua vestigiis ejus adhærebat, pendebatque ex ore docentis: adeo, ut nec procella persecutionis, nec horrore supplicii a consecutato Filii et Magistri potuerit abstrerreri, *Stabat, inquit, juxta crucem Jesu Maria mater ejus (Joan. xix, 25).* Plane Mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quo-

modo enim morte terrori poterat, cujus charitas fortis ut mors, immo fortior quam mors erat? Plane juxta crucem Jesu stabat, cujus mentem dolor crucis simul cruci figebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confosum corpus Filii cernebat vulneribus. Merito igitur ibi mater agnita est, et cura ipsius idoneo tutori delegata est, ubi maxime probata est et Matris ad Filium sincera charitas, et Filii de Matre vera humanitas. Nam alias velut dissimulasse Matrem visus est: sive cum in nuptiis flagitanti miraculum ait, *Quid mihi et tibi, mulier? (Joan. ii, 4.)* sive cum in mediis sermonibus Evangelii dicentes uidam, *Ecce mater tua et fratres tui stant quærentes te: Quæ est, inquit, mater mea? (Matth. xii, 47, 48.)* Sed et Matri, cum miraculum posceret, sic respondendum erat, ut aliunde quam a Matre se miracula habere significaret: et illi qui sermonem Evangelii parentes annuntiando interrumpebat, melius respondere non poterat, ut videlicet spiritualia carnibus præferrenda monstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio Evangelii quærentibus: *Quid est quod me quæritis? Nescitis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? (Luc. ii, 49.)*

2. Absit enim ut Matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit! Absit, inquam, ut in terra fastidierit Matrem, cujus e cœlo concupivit decorum! Imo potius ordinabat in nobis charitatem, tam verbis quam exemplis nobiscum agens, ut carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi Patris adoptavit dignatio, quo fideliter dicamus cum ipsius Unigenito: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est (Matth. xii, 49).* Prorsus filiis Dei competit vox ista, nec ullum fidelius testimonium reddit ipse Spiritus spiritui nostro quod simus filii Dei, quam ut sonet de cordibus nostris hæc vox Unigeniti Dei. Itaque Mariam, quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Jesus probat: quandoquidem et ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa prædicaret Pater, *Vocaberis voluntas mea in ea (Isai. lxii, 4).* Igitur ubi eam visus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse invenitur: cum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eumdem Filium, quem alvo gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.

3. Cæterum cum dilexisset eam, esus, in finem dilexit eam, ut non solum propter ipsam finem vivendi, verum et in ipsam finem pene faceret loquendi: dum velut inter ultima verba testamenti, curam Matris, cuius debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, et Joannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus divisit, ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Joannes Mariam. Huic plane competit

hæc portio non solum jure propinquitatis, sed etiam amoris privilegio testimonioque pudoris. Decebat namque ut nounisi virgo virginis deserviret, quatenus et Virgo beata, divino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis, et virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, ut de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris; mysteria quoque divinitatis, et arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam, ut Matri Domini non alius obsecqueretur quam dilectus Filii: quatenus et Mater semper suspirans Filium in dilectum Filii suavius respiraret, jet discipulus Magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, Magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commode provisum, ut scripturus Evangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscientia erat omnium; quippe quæ ab initio omnia Filii sui diligentius observaverat, conservans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo (*Luc. ii, 19, 51*). Sic nempe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi; ut nihilominus Mariæ partes exsecuta creditur in studio verbi cognoscendi. Maxime tamen postquam idem Filius ascendit ubi erat prius, Mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque Spiritu, quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis accepit, plenius illuminata, gaudebat nimis vacare, et videre quoniam Jesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudii, summæque delectationis omnibus qui diligunt Jesum; sed præ omnibus illi quæ genuit Jesum: cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi; sic et prærogativa gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria Virginis matris, videre Deum regem omnium in diadema carnis quo coronavit eum; ut et Deum agnoscat et adoret in corpore proprio, et corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, ut opinor, contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea. Quia enim negligens aut segnis non exstitit in opere Marthæ, nequam vacua derelicta est a fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea, inquit, quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur (Isa. liii, 11).*

4. Vobis hæc dicimus, fratres, ut si quis desiderio tangitur illius optimæ partis quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius quæ in Martha non improbatur: nec æquum est ut præmium ante meritum requiratur. Jacob prius oportet jungi Liæ, quam fruatur amplexibus Rachel (*Gen. xxix*): sed et ipsum prius vocari et esse Jacob, quam Israel. *Rectorem, inquit, te posuerunt? curam illorum habe, et sic considera, et omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, et ornamentum gratiarum accipias coronam (Eccli. xxxii, 1-5).* Labor si quidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt justitiae: pro quibus gaudia metenda sunt

ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait propheta: *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ (Osce x, 12).* At enim qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictione, de benedictionibus et metet (*II Cor. ix, 6*). Nullus sane tam profusa benedictione seminavit, sicut illa benedicta in mulieribus; quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semeu dicam, an fructum? Melius utrumque. Qui enim semen est operantibus justitiam, fructus erit inctentibus gloriam. Seinen, in passione: fructus, in resurrectione. *Potens in terra semen istud, quod cadens in terram mox excitavit potentiam suam, ut multum fructum afferret, et in semine illo benedicerentur omnes gentes. Unde et ibi sequitur: Generatio rectorum benedicetur (Psal. cxii, 2).*

5. De benedictionibus suis itaque Maria metat: et quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent, inquit, omnes generationes (Luc. i, 48).* Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. *Viderunt hodie ascendentem filiæ Sion cœlestis et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam (Cantic. vi, 8).* Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritualiter in eam omnimoda benedictio illa quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus sanctus, de fructu ventris sui; et saturetur illo quem genuit. O Mater misericordiæ, saturare gloria Filii tui; et dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam, Domina; nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ sue, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus, in mensa præsentium sacramentorum: per te eudem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Jesum benedictum fructum ventris tui; cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

### III. — SERMO IN NATIVITATE B. MARIAE.

*Comparatio partus Virginis cum vite quæ incorrupta dat odorem suum.*

1. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris (Eccli. xxiv, 23).* Natalem beatissimæ Virginis matris celebremus, de qua Vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua Salus omnium voluit nasci, ut natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie Mater nova, quæ primæ matris maledictionem dissolvit; ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova mater, quæ novitatem attulit filiis inveteratis, vitiumque sanavit tam ingenitæ, quam superadditæ vistustatis. Prorsus nova mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, et virgo sit; ipsumque pariat, qui omnia matremque ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fecundæ virginitatis, sed longe mirabilior novitas editæ prolis. Nulli enim incredibile jam erit Virginem permansisse quæ peperit,

qui Deum agnoverit' esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum injuria maternæ nasceretur integratatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit: nec veritas assumpti corporis potentiae præjudicavit Creatoris, quominus servaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturás invenies nasci sine corruptione gignentium, et quadam voce sua Creatori super inviolabili partu suo perhibere testimonium.

2. Sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscientia est mysterii, et nos edoceat quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non novae assertionis argumento, sed antiquo prophetiae oraculo: quia, ut ait Petrus apostolus, etiam miraculis firmior testis est propheticus sermo (*II Petr. i, 19*). Quid enim minus patet calumniae, aut suspicionem admittit falsitatis, quam testimonium divinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat, et tam divinitatem Filii, quam integratatem Matris, opus videlicet suum, contra blasphemias impiorum defendebat, et in persona ipsius, si modo communem intellectum sequimur, quod nunc auditus dicebat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Ecli. xxiv, 23*). Quod enim personæ Sapientiae, id est ipsius Filii, tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis Scripturarum, nihil huic præjudicat intellectui, quomodo, sicut alia multa, possint aptari personæ quoque Virginis matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio servientia: sed non erit fraudanda exspectatio vestra de his quæ lectio proposuit hodierna.

3. Respondeat ergo Maria blasphemis tam pro se, quam pro Filio; cunctasque hæreses solo interimat verbo, et dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæreris quomodo virginitas genuit Salvatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedid odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quam flos inviolati corporis? Quid aliud est filius virginitatis, quam suavitas odoris? Tu tamen cave ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salvi sunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt, nimis tanquam odor vineæ florantis animalibus venenatis. Sane suavitatem hujus odoris refocillabatur spiritus patriarchæ senis, qui filium tangens, et fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantia suavitatis illius eructabat, |dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen. xxvii, 27*). Suavitatem hujus odoratus est Deus Pater, et delectatus repropitius est humano generi, cum Filius offerret semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Hoc suavi odore trahimur, cum

per conversionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cum per devotionem currunt post ipsum. Quanquam alias sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur, alias odor iste qui de vestimentis vel unguentis, vel de ipso fortassis corpore ejus quodammodo crassior aspergitur. Qui utique non est aliud quam virtus quæ de illo exit, quæ piger excitat, et fervorem amoris innovat, ut a currēdam viam mandatorum exsultare faciat.

4. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria et dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Pulchre quasi vitis: nam Lorus Cypri dilectus suus illi (*Cantic. i, 13*), de quo non solum torcular passionis rubens mustum expressit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebrat; sed et quotidie devotio sancta sibi vinum exprimit, quod latifiscat cor hominis, et inebrat voluptate gaudii et amoris. Verum non prius inebrat gustus saporis, quam trahat suavitatis odoris; nec latifiscat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus, nec gustabimus quoniā suavis est Dominus (*Psal. xxxiii, 9*). Fides siquidem est quæ odoratur, experientia quæ gustat et fruitur. Ideo fortassis Maria Jesum suum describens per virtutes ipsius et efficientias, primo suavitatem odoris eum nominat; quia videlicet hoc initio Jesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis sit autem fructus unde iste odor prodit, et quo nos trahat, aperit cum subdit: *Et flores mei fructus honoris et honestatis* (*Ecli. xxiv, 23*). Prorsus iste est Jesus suavitatis odoris invitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suavitatis odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas, per quam deducimur: honor, ad quem perducimur. Pulchre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summa dignitatis et gloriæ statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ et morum sedem ei præpararet. Nullus tunc, sicut nunc, passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec ullus honestus sine honore. Est ergo Jesus primo suavitatis odoris his quos vocat: deinde, honestas his quos justificat: demum, honor illis quos magnificat. Nam quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom. viii, 30*).

5. Talis est igitur Dilectus meus, ait Maria: et iste est filius meus, o filiæ Jerusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificaverunt flores mei. Non ait, flos; sed, flores: quia cum virgo sancta est, flos virginitatis in ea multifloris est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus et foris, tota vernabat quædam florulentia et venustate pudoris. Nam et in te quoque si castimonia perfecta sit, non solum reflorabit caro tua, sed et super te totum effloreat sanctificatio quædam divina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitia floridus; non sermo lasci-

vos aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non pruident aures libidine audiendi nova vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus : non ipso habitus non dicam meretricius, sed neque superstitionis, imo religiosus ; totusque hominis tui status sanctimoniae gratia florulentus, ut recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum invitaveris, *Lectulus noster floridus* (*Cantic. 1, 45*). Quinimo ipse totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat,

## ECKBERTUS, ABBAS SCHONAUJIENSIS.

## I. — In beatam Virginem Deiparam Sermo panegyricus.

1. Mentem et oculos pariter cum manibus ad te, Regina mundi, attollimus, et eoram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, cervicem inclinamus, ac plenis suspiriis ad te preces in cœlum transmittimus. Tu altitudo cœli, beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi misericordiam projectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram tremendo Judice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ sue vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo, Domina, tam i'oneus, ut gladio Domini manum pro nobis obliquiat, ut tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu, Mater misericordie, benignissimi cordis tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus a facie formidinis [al. fortitudinis] Dei. Ad te, Domina mea, stillant oculi nostri; te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui Domini nostri iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges; ejusque gratiam, a qua ingrati excidimus, nobis tua conciliat: cuius livore sanati sumus, ejus iterum medelam depositimus; quia putruerunt et corruptæ sunt cicatrices nostræ, et non est in nobis sanitas. Attende, Domina, et vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis feminam et venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum et lubricum impolluto calle transisti; et adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate fecundaris, ut sola solio Regis æterni immediate approximare mereueris.

2. Tu peccatorem, quantumlibet fetidum, non horres, non despicias; si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit, tu illum a desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras; foves, nec deseris, quounque horrendo Judici miserum reconciles. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratia Theophilus, ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris. Nec mirum, o

cum ait : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cantic. 11, 5*). Hujusmodi justus, etiam cum senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ vive in resurrectione, id est in resroritione justorum, germinabit sicut lily : et florebit in æternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium, Sponsum et coronam virginum ; florem, inquam, quo coronanda est non solum integritas virginum, sed et castitas continentium : ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SCHONAUJIENSIS.

Domina, si tam copioso misericordiae oleo tui cordis perfusum est solarium, cum illud inæstimabile opus misericordiae, quod prædestinavit Deus ante sæcula in recompunctionem nostram, primu[m] in te a mundi artifice sit fabricatum. Quando enim placuit gratia superioræ, ut habitaret in nobis, a quibus diu elongata fuerat; tu sola inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum et Dominus dominantium, a regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, architectura ineffabili, domum sibi aedificavit Dei Sapientia : suffulsiit eam septem columnis argenteis, ac reelinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei; et haec est unica illa Salvatoris femina [al. anima], in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Bene Spiritus sancto in te complacuit, o Maria, cum divinis adeo mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sautissimam animam tuam totam inflammavit, se ipso atque splendore divinæ majestatis implevit, tuumque uterum ineffabili modo fecundavit; fecitque ut Deum et hominem clausa conciperes, clausa pareres, et post partum virgo permaneres.

3. Jam ergo uterum tuum, Domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initia est : ibi decorum indutus est Dei Filius; ac præelectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit, desideratum diu osculum prælegit [fort. porrexit], ac prædestinatas [al. præordinatas] a sæculo nuptias virgo cum virgine prælibavit. Ibi ruptus est paries inimicitarum, quem inter cœlum et terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi consederata sunt terrenis cœlestia, et obviaverunt sibi in osculo pacis, quando in unam eamdemque personam concurrerunt divinitas et humanitas : factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, et homo Deus. Ibi magnus Elisæns in mensuram suscitandi pueri sese contraxit. Ibi Antiquus dierum præelecto Filio suo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca, futurorum præscia, magnificandi filii manibus pelliculas hædorum circumdedit, et collis nuda protexit. Ibi enim, cooperante gratia

Spiritus sancti, Filius a Deo Patre hereditandus in omnibus gentibus, divinae majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit; et quasi absconditus est vultus ejus in infirmitate: unde nec repudavimus eum. Ibi [fort. add. divini] consilii providentia inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de celo trajectus est. Inde egressa est armilla aurea, ut perforaret maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi secure degliverat.

4. Hortus deliciarum nobis est sacratissimus tuus uterus, o Maria; quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus quam magna multitudo dulcedinis toti orbi inde afferens. Hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum a cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter verna: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam dominum Domini replete, o Maria, viola humiliatis, lilyum castitatis, rosa charitatis. Merito de Dei [fort. tali] areola flos ille speciosus praे filiis [fort. floribus] paradisi electus est, super quem requievit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitae mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitae, qui ex ore Altissimi prodidit, de medio ventris tui exsiliavit, atque in te [fort. leg. atque inde] in quatuor capita sese dispergens [fort. dispertiens] ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, letificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum; et erit plus quam paradisus hic, de cuius aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæductus esse meruisti! O lampas luculentissima, quantos letificasti, quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris et umbra mortis prestatisti! Te nimurum ille divini epithalamii præcentor a longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cantic. vi. 9.*) Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, o Maria, quando veri Solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis diem propitiacionis, diem quem fecit Dominus, a tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei munera extitisti: talis dies talem auroram diei decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol justitiae de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis sue radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat [al. induxerat], in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus Solem mundo invexisti.

5. Tu pulchra ut luna dieris, cique non imme-

rito compararis. Illa enim omnium astrorum sola soli simillima, et candore venusta argenteo cæteris in celo præmicit sideribus: tu vero [al. veri] Solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in celo gloria præfulges. Illa enim transfuso in se solari lumine nocteni nostram illuminat: tu virtutum tibi a Deo inditarum magnisctis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consecutatus fuerit, non ambulabit in tenebris; sed lumen vite inveniet. Tu ergo pulchra es ut luna: imo et pulchrior luna, quia tota pulchra es, et macula non est in te (*Cant. iv. 7.*), neque vicissitudinis obumbratio. Tu electa es ut sol; ille, inquam, Sol solis conditor. Ille enim electus est ex milibus virorum: tu electa ex milibus seminarium. Ille electus ex omnibus quæ sunt: tu electa ex omnibus quæ per illum sunt. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem æmatura omni fortiore instructam contra se procedere feminam, feminam fortem et ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos? In circitu ejus acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tueruntur; siquidem ordinatione perseverat dies: sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum (*Cant. iii. 8, 7.*), ac providebant, ne preparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicarent: Ecce plus quam Eva haec. Castra Dei sunt haec, fugiamus Israelem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo eum qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu et spiritum elationis Evæ vertice humilitatis comploisti: quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit [*in manuscriptis:*] Tu enim spiritum devotionis ea virtute humilitatis compressisti, qua omnem Angelorum altitudinem ascendere meruisti]. Nunquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Tu et ardorem vetitæ concupiscentie virtute castitatis in tua carne virginea eatenus extinxisti, ut is in ejus conspectu nec astra munda sunt, tanta munditiae carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ divine puritati agglutinari non despicerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnat, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conversa est.

6. Gloriosa dicta sunt de te, Dei Genitrix. Sed adhuc locus est tuæ laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquæ, neque sermones in omni natione quæ sub celo est, quibus amplitudo glorie tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, o pia, o multum amabilis Maria! tu nec nominari quidem petes, quin accendas; nec cogitari, quin crerees affectus diligentium te: tu nun-

quam sine dulcedine divinitus tibi insita pise memoriæ portas ingredieris. Et nunc sequimur te, o Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: Adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliccam, quæ nos circumdedit. Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, et supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua. De manu quippe ipsius duplicitis mali semen terra nostra suscepit et concepit, et peperit nobis spinas et tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrōbique. O infelix haereditas! o dira humanae carnis infirmitas! usquequo patiemur te? Multum dorsa nostra incurvasti, quia gravis es valde, et diu te sustinuimus. Multum minuisti nos ab Angelis, equo et jumentis insipientibus coequasti; nimis invaluisti, quæ nonnisi morte Filii Dei sanari potuisti. Nimis super nos te extulisti, quando et usq[ue] ad eum qui super omnia est, incaute ascendisti.

7. Et quis liberabit nos a corruptela hujus misericordiae pelliculae? Gratia Salvatoris nostri Filii tui, o Maria, qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est: et ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, ut loquatur ad cor Domini nostri Jesu Christi, ut tu felix Maria, quæ in secretissimis amplexbus amantissimi Filii tui recubas in meridie semipaterno, ejusque familiarissimo colloquio cum plena cordis lactitia perfrueris? Loquere, Domina, quia audit Filius tuus; et quæcumque petieris, impetrabis. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut cravamur a vetusta hac lepra carnis et spiritus. Exsurge [manuscripti, exsuge, omisso exinanitura] virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quando succi noxialis gustu ebriata est, et reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ehibisset, non item in nos diffusisset [manuscripti, aut totum ehibisset, aut totum effusisset]. Te igitur, Domina, exorante, omne jugum nostrum computreseat a facie olei divinæ misericordiæ: renovetur, ut aquilæ, juventus nostra; ut novi, novâ voce, novum canticum, novis civibus aggregati, illic ubi nova sunt omnia, jubilum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis, concinamus. Tollatur crassa nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantentes, in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur a Domini Spiritu; ac Deo nostro in vinculis charitatis asticti, unum cum ipso efficiamur [alias, unus cum ipso spiritus efficiamur]. Præstet hoc nobis tuo interventu, o Maria, Filius tuus Jesus Christus Deus et Dominus noster, cui laus et gloria, et gratiarum actio in sempiterna sœcula. Amen.

## II. — *De B. V. Maria Sermo alius.*

4. Miraculum fuit quod virgo peperit: mentis clavis, virginis amor; virtutum zelus, vitiuum fuit occasus. Virgo sanctissima, quæ Salvatorem genuit, peperit et aluit, quæ jugiter ejus adhæ-

sit lateri, quæ comes individua nullo fere attut itinere, quæ intenta præ cæteris invigilavit verbo et operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia operum opera; melliflua prædicationis genera inaudita, contra mundum et peccatum, et tartareum zabalum, divine severitatis accrima eloquia, quo eis diu interfuit, specialis vidit, secretus audivit, ci-tius aguovit, propensius retinuit, et Apostolis aliisque discipulis luculentius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit. Hinc est quod de ea legitur in Evangelio: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (Luc. ii, 49, 51).* Hinc in ejus laudibus legitur: *Multæ filiae congregaverunt divitias, tu sola supergressa es universas (Prov. xxxi, 29).* Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret ut amicis: quædam tamen ercentium est, præ cæteris Matrem suam quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudisse, quædam ei secretius intimasse, frequenter eam ad montem myrræ, et ad colles thuris sublimasse, in cellam vinarium occultasse; sui, prout novit et voluit, gloriam deificam, et supercœlestem révelasse notitiam. Unde Joannes in Apocalypsi: *Dethrono, ait, scilicet de Maria, procedebant fulgura et voces et tonitrua (Apoc. iv, 5)*: quia Maria mater Filii Jesu Christi parabolas, ænigmata, legalia et mirifica gesta, dicta, opera avidius ehibit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque aliis edidit.

2. Hæc Maria a natura reverenter conservata, et a lege diligenter venerata, a gratia clementer est præelecta; quia sic præfatis sua jura sigillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet, et insuper momenti quiddam superaddiceret. Natura siquidem illi summae virginitatis florem; lex soli virginæ secunditatis honorem; gratia divinæ maternitatis præ cæteris decorem, ac spiritualis matrimonii divinissimum reservavit odorem. Natura, quod suum est, libidinam virginem servando: lex, reverenter eam ab aliis distinguendo: gratia, virginitatem sine semine secundando. Natura, rebus loquendo non verbis, dum in ea integratatem servaret, et de ea Deus nature intonaret, dicens ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius (Gen. iii, 15)*: lex, dum eam ab aliis distinguendo clamaret: *Mulier quæ suscepto semine peperit, immunda erit septem diebus (Levit. xii, 2)*; gratia, in eo quod dictum est, *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (Luc. i, 28, 42)*. Natura huic detulit, dum terra sine germe pareret in principio; lex, dum rubus arderet sine incendio; gratia, dum sine semine pareret virgo. In hac enim habitavit Pater et Filius ut creator in mundo, imperator in regno, paterfamilias in domo, pontifex in templo, sponsus in thalamo. Prius enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in justitia et sanctitate coram ipso

fundaret, et fluentis sapientiae irrigaret, et cœlestibus desideriis, instar scilicet aeris sublimaret : et igne dilectionis ascendendo illustraret. Hinc in ejus mente tanquam in quodam firmamento solem posuit rationis, et lunam scientiae, et virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ : solem, qui lucem divinæ cognitionis ficeret; lunam, quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet. Et merito Domini est terra, quia sic super maria fundavit eam. Creato igitur mundo, volens visitare regnum, imperavit angelo.

3. *Missus est igitur angelus Gabriel a Deo. Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. 1, 35*). Ita Paterfamilias domum intravit, in qua earnis habitum suscepit, quam obtulit Deo Patri pro salute generis humani. In ara crucis sacrificium, quasi pontifex in templo suum peregit sacerdotium : sed quia oportebat pati Christum et resurgere, et ita intrare in gloriam suam, oportebat ad gregem propriis reportari humeris ovem centesimam, oportebat populum qui ambulabat in tenebris, lucem magnam contemplari ; mundum prædicationis suæ, et miraculorum novitate irradiavit. Descendens itaque de Patre luminum Speciosus forma præ filiis hominum, indutus stola candida, in vestitu deaurata, tanquam sponsus de thalamo processit ad publicum. Inerat sol in sidere, oriens in vespere, artifex latuit in opere : opus, dum Regi præparatur; vesper, dum in tanta sublimitate humiliatur; sidus, dum tanquam stella illustraret fines orbis. Artifex igitur eam ornando, oriens de ea nascendo, sol mundum ab errore convertendo, et eam aliis in exemplum præbendo.

4. De Genitrice Dei cum talia et tanta referantur, pauca rei pretiæ nobis tamen esse videntur. Haec est enim scala, ribus, area, sidus, virga, vellus, thalamus, porta, hortus, aurora. Haec est enim scala Jacob, quæ quando caput in lapide posuit, Angelos ascendentibus et descendenter videre meruit. Scala ista duodecim gradus habet inter duo latera. Dextrum latus est contemptus sui usque ad amorem Dei : sinistrum, contemptus mundi usque ad amorem regni. Ascensiones hujus duodecim humilitatis gradus. Primus est odium peccati, secundus est fuga delicti; tertius, metus odii; quartus, in omnibus his subesse Creatori; quintus, obedire meliori; sextus, obtemperare compari; septimus, obsequi inferiori; octavus, subesse sibi; nonus, finem suum jugiter meditari; decimus, opera sua semper vereri; undecimus, cogitationes suas humiliiter confiteri; duodecimus, per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moveri. Per hos gradus ascendunt Angeli, et sublimant homines : sic disponuntur in corde ascensiones, sepsim proficiendo, et pedetentim ascendendo : sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Hi sunt duodecim apostoli, qui sequuntur in eremis vestigia Jesu Christi.

5. Rubus, qui visus est ardere sine sui incendio, Virginem significavit conceptoram de Spiritu sancto absque virginitatis sue detimento. Rubus, ad quem non est Moyses ausus calecatus accedere (*Exod. m, 2, 5*), Virginem doctit sine mari tali opere mirabiliter parere. Traditio Hebreorum visionem in humili arbuseculo asserit traditam, ne populus occasione aliqua laberetur ad idolatriam. In humili virguncula mirabilis nobis exhibita est visio, in qua nullimoda fornicationis vel minima fuit occasio. Fornicatio siquidem triplex est. Alia est humana, quædam est mundana, nonnulla est divina. Humana sit illicito aetu; mundana, per verso affectu; divina, seelerato cultu. Prima peccatur in proximum; secunda, in se ipsum; tercia in Deum. Prima facit carnis immunditiam; secunda, mundi concupiscentiam; tercia, idolatriam. Maria coatra hæc tria singula adhibuit remedia. Contra earnis immunditiam, virginitatem; contra mundi concupiscentiam, perfectam humilitatem; contra idolatriam, perfectam charitatem. Fuit enim Maria mundissima carne, humillima corde, devotissima mente.

6. Arcas duas fuisse legimus in Veteri Testamento : unam aream, diluvii; aliam, Testamento. In Novo autem Testamento tres fuerunt aliæ. Prima arca est Ecclesiæ, secunda, gratiæ; tercua, sapientiæ. Licet enim prima Veteris Testamenti in typis fieret primæ Novi; et secunda in typo præcesserit secunde Novi : tercua vero sicut excellenter omnibus est dissimilis; ita nulli penitus est comparabilis. Siquidem arca Noe significavit aream Ecclesie. arca foederis, aream gratiæ, sanctitatem scilicet Mariæ. Per sapientiæ arcam intelligimus humanitatem Jesu Christi sanctissimam. Hanc enim merito arcum sapientiæ deceat nuncupari, in qua omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi (*Coloss. ii, 3*); sapientiæ, inquam, excellenter, in qua habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Arca etiam Noe significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ. Sieut enim per illam omnes evaserunt diluvium : sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit : istam Christus (qui est pax nostra et requies), ut humanum genus redimeret, sibi præparavit. Per illam octo animæ tantum salvantur : per istam omnes ad æternam vitam (quæ per octonarium numerum significata est) vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio : per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio : in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis : ista de virtutibus aedificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii : ista non sensit naufragia ullius vitii.

7. Triplex quidem diluvium est. Primum facit aquarum inundatio; secundum, vitiorum incurso; tertium, tribulationum oppressio. Primum igitur est aquarum; secundum, culparum; tertium, oppressionum. In primo periclitati sunt homines; in se-

cundo, virtutes; in tertio, voluptates. Primum quis naufragium patitur, deinde in pœnarum diluvium peccator inducitur, in tertium deinceps pœnarum infernalium retruditur. Sic infernus hic incipit, alibi perficitur, cum anima vitio, caro suppicio atteritur. Per arcam vero Ecclesiæ evadimus a primo; per arcam gratiæ, a secundo; per arcam sapientiæ, a tertio. Siquidem per arcam Ecclesiæ vitiorum fit extinatio; per arcam gratiæ, virtutum reparatio; per arcam sapientiæ, summi boni delectatio. Fit enim in Ecclesia peccatorum confessio, in confessione remissio, et vitiorum extinatio: sic enim facta est inter Deum et homines reconciliatio: deinde data venia, subsecuta gratia, virtutum fit insertio. Hanc sequitur justitiæ perfectio: huic autem succedit areanorum coelestium contemplatio. In hac autem invenitur quædam coelestis suavitatis et intima etiam duledo, et perfecta boni et perseverans dilectio.

8. Triplex ergo est diluvium: unum, iniquitatum; aliud, adversitatum; tertium, calamitatum. De primo per Nahum dicitur: *In diluvio prætereunte consummationem faciet* (*Nahum i, 8*). Ac si diceretur: Si diluvium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illis desperare; quia super quos inundare permitto injustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc dicitur per prophetam: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* (*Jerem. xxxi, 3*). Diluvium ergo prius veniet, et Dominus tunc consummationem faciet: quia Dominus electos suos innumeris lapsibus et vitiorum incursis permittit ad tempus affligi et humiliari, omnem removens præsumptionis elationem; postea ab eo incipiunt sublimari: sie in eis nutriens perfectam dilectionem. Hinc est illud propheticum: *Veniens usque Babylonem, et ibi liberaberis; ibi redimet te Dominus de manibus inimicorum tuorum* (*Mich. iv, 10*); et illud Isaiae: *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te* (*Isa. liv, 7*). Consummationem ergo Deus faciet præcente diluvio, quia de profundo vitiorum suos Deus viriliter erigit, quos ponit in virtutum culmine, et illustrat contemplationis radio. De secundo diciunt in Cantico cantieorum: *Aqua multæ non poterunt extinguerre charitatem, nec flumina obruent illam* (*Cant. viii, 7*). Hinc per Psalmistam de his qui adversitatibus franguntur, et temptationibus succumbunt, dicitur: *In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt* (*Psal. xxxi, 6*). De hoc quoque diluvio Deus suos eripit, juxta illud Apostoli: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act. xiv, 21*); item: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut sustinere possitis* (*I Cor. x, 13*); et in Osce: *In tribulations sua mane consurgent ad me* (*O.e. vi, 1*); et Psalmographus: *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal. xxxiii, 20*). De tertio dicitur in Job: *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte eum opprimet tempes* (*Job xxvii, 20*). Primum igitur diluvium

est vitiorum; deinde, diluvium tribulationum; deinceps, diluvium misericordie et tenebrarum. Primum est peccati; secundum, mundi; tertium, inferni. Pisces primi sunt obiectamenta; secundi, iniqua tentamenta; tertii, perpetua tormenta. Hinc in Evangelio de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus, dicitur: *Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt* (*Matth. xiii, 48*). Arcæ vero gratiæ gratias referimus, quia per eam, scilicet Mariam et ejus Filium, utrumque diluvium evasimus.

9. Area quoque testamenti typum tenet sanctæ Dei Genitricis. Illam fecit Bezeleel; istam condidit Emmanuel. Bezeleel Oliab in opere socium habuit: et Virgo quoque virginum condita, præelecta, præservata, præparata, et ornata per Spiritum sanctum et ejus omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur Umbra Dei; Oliab, Protectio mea: prior ille Spiritus sancti, iste vero typum tenet Filii. De illo dicitur ad Mariam in conceptione Filii beatissimi: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 35*); item ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth. i, 20*). Iste vero ad Patrem clamat in Psalmo: *Protege me a facie impiorum qui me affixerunt* (*Psal. xvi, 8, 9*); item de eodem: *De ventre matris meæ tu es protector meus*; item: *Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis* (*Psal. lxx, 6, 7*). Bezeleel ergo eum socio arcam Testamenti fabricavit: saneta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumque mundissimum sibi præparavit, thalamum quoque de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi Spiritum et Filium cooperari voluit. Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem similiter et Filius facit. Neque enim Filius potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem (*Joan. v, 19*). De Spiritu quoque legitur in libro Psalmorum: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal. xxxii, 6*). Apostolus quoque de tribus personis ita: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria* (*Rom. xi, 36*). Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem; Filius, humilitatem; Spiritus sanctus, charitatem. Pater lumen exhibuit rationis; Filius, cinerem humiliationis; Spiritus sanctus, oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam; Filius, sapientiam; Spiritus sanctus, omnium virtutum gratiam. Pater, auctoritatem contra peccatum; Filius, humilitatem contra mundum; Spiritus sanctus, charitatem erga Deum et proximum. Filius, carnis mortificationem; Spiritus sanctus, compunctionem; Pater coelestium contemplationem. Filius docuit eam divina operari; Spiritus sanctus, amare et amari; Pater, coelestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus eam provehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat, Pater eam honorificat. Hæc dicens, opera vel dona Trinitatis

non divido, sed fideliter inseparabilia assero. Sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas.

10. Arca vero Testamenti de lignis Sethim facta est; et Maria de spinoso et hispido Iudeorum populo et arido procreata est, qui utique spinosus detractione, hispidus superstitione, aridus fuit unctio ne divinae gratiae. Unde spinosus spineam coronam Regi suo exhibuit, et in eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur Spinæ. Alter Eva spina, rosa Maria. Revera Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit, et posteritati suæ peccati aculeum infixit. Unde Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et sic in omnes pertransiit (Rom. v, 12).* Ligna vero sancti Patres fuerunt, quilibet in radice aruissent arboris, spem tamen certissimam habentes in adventu Salvatoris, tanquam peregrini et incolæ in hoc mundo habitabant, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor. vi, 10*). Castigabant cum vitiis et concupiscentiis corpora suæ, eentes ibant et flebant mittentes semina sua (*Psal. cxxv, 6*). Unde quidam ita : *Conversus sum, inquit, in ærumna mea, dum configitur spina (Psal. xxxi, 4)*. Ad commendationem vero gratiæ suæ, et ad destructionem humanae sapientiæ, Deus de femina, sed virgine, descendente de spinosa Patrum origine, dignatus est carnem assumere, ut similem similis redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissime déleret. Humilitas per sexum feminineum commendatur, gloria virginis et majestas opitulatur, peccatum gratia ejicitur. Eva ergo spina fuit, Maria rosa extitit : Eva spina, vulnerando; Maria rosa, omnium affectus mulcendo. Eva spina, infigens omnibus mortem : Maria rosa, reddens salutiferam omnibus sortem. De liquore sphei corticis fit encaustum unde scribitur : de carnali mente tua fluxus nascitur concupiscentiæ, qui in ipsa et in Adam peccatum actuale, in posteris originale transfudit. De hac vero Apostolus ita clamat : *Littera occidit, spiritus autem vivificat (II Cor. iii, 6)*. Ac si diceret : *Per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectione mortuorum : et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I Cor. xv, 21, 22)*. Maria autem rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem : candida, carne; rubicunda, mente : candida, virtutem sectando; ru-

bicunda, vitta calcando : candida, affectum purificando; rubicunda, actuum carnalem mortificando : candida, Deum diligendo; rubicunda, proximo compatiendo.

11. De lignis vero Sethim condita est arca (*Exod. xxv, 10*), in qua thuribulum, manna et virga sunt recondita : quia lieet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, præelecta tamè per Spiritum sanctum et præservata ad purum, Deum nobis obtulit et hominem. Thuribulum sacrosanctam carnem significat Salvatoris, quæ aurca dicitur; quia nullius passa est detrimentum pudoris, Agnus scilicet sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est delus in ore ejus (*I Petr. ii, 22*), de quo per propheticum dicitur eloquium : *Ecce puer meus electus, posui super eum spiritum meum (Isa. xlii, 1)*. Carbones thuribuli, sunt opera Jesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque vero sunt ignei; quia in Salvatore nostro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat divinitas. Ignis in carbone, divinitas est innocens in opere. Ignis in prunis, evidens est indicium divinitat's. Carbo mortuus, in præsepe jacens : igneus, Ædæmonia expellens. Mortuus, in Ægyptum fugiens : igneus, vendentes et clementes columbas de templo ejiciens. Mortuus, dormiens in navi : igneus, imperans ventis et mari. Mortuus, subditus parentibus : igneus, quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus, ad puteum Jacob rogans potum : igneus, circa Jericho illuminans cæcum, et sanans leprosum. Carbo erat mortuus, dum a diabolo tentaretur : igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Mortuus, in proditione discipuli : igneus, in filio Reguli. Sopitus, ante præsidem : igneus, circa Tyberiadem. Sopitus, dum ei Herodes illuderet : igneus, dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Sopitus, dum ei acetum cum felle mistum propinaretur : igneus, dum ab eo decem leprosi mundarentur. Sopitus, dum a Iudeis se absconderet; sopitus dum cum publicanis et peccatoribus ederet : igneus, dum ambularet super undas; igneus, dum ex aqua facto vino letificaret convivas. Sopitus, jacens in cunbulis : igneus, fulgens in miraculis. Sopitus, ante tribunal præsidis : igneus, in filia Chananitidis. Sopitus, in cruce : igneus, in monte. Prunæ ergo mortuæ erant humanitatis opera : ignita, divinitatis miracula.

## B. AMEDEUS, EPISCOPUS LAUSANNENSIS.

### HOMILIAE OCTO IN B. MARIAM VIRGINEM.

#### HOMILIA PRIMA.

##### DE FRUCTIBUS ET FLORIBUS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIE.

Omnis sancta et rationabilis anima, investigans cœli secreta mysteria, et distinguens ordines superiorum spirituum, invenit primam post Redemptorem illam in mulieribus benedictam, illam plenam gratia, quæ Deum genuit, et virginitatis gloriam non amisit. Ille igitur Virgo beata omni

luce clarius, omni suavitate gravior, omnique potentatu sublimior, totum mundum illuminat, et unguenti optimi profusione innovans omnia, Cherubim et Seraphim agmina potestate transcendit, et majestate. Gloriosis ergo meritis ejus introducat nos rex in cubiculum suum, et reseret nobis arca secretorum proles Davidica, quæ claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit (*Apoc. iii*). Pandat nobis gaudia Genitricis suæ, decorum electæ

matris suæ. Moyses et prophetæ attestati sunt illi. Evangelistæ vero et doctores, vitam, mores et gratiam ejus postmodum exceperunt, ut veritas sibi consona redderetur, et quod illi futurum prædixerunt, hoc isti recolerent gestum.

Unde nos tot et tantis præconiis excitati, curramus in odorem unguentorum ejus (*Cant. i.*), et gratiarum illius attrahentes spiramina, dum ab ejus aspectu suavissimo differinur et retardamur, requiescamus in floribus, quibus se fulciri jubet in Canticis dicens : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant. ii.*). Qui sunt hi flores, nisi divina in laude ejus mysteria, et olim a sæculis abscondita sacramenta, quæ jam in carne apparentia, in spiritu manifestata, ex dictis Patrum, velut ex quibusdam gemmis arborum proruperunt? Mala vero explicat Apostolus dicens : *Fruitus spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Gal. v.*). Fulcitur ergo floribus, cum prædicta oracula apparent. Stipatur malis, cum sit quod scriptum est : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus* (*Prov. xxxi.*) Sed quia de veris floribus, et sempiterno fructu justitiae sermo se intulit, necesse est ut, adjuti dono Spiritus, eosdem flores et fructus latius exsequamur.

Advertamus itaque duos tanquam calathos aureos plenos fructibus, et floribus adornatos, Novum et Vetus Testamentum, hinc et inde, læva dextraque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transit in levam, et nova gratia coruscat in dextra. Jure quippe lex mortis in sinistra, et lex vitae in dextra, quia illa facit transgressorum, et haec tollit transgressionem. Ipsa Virgo virginum vernans in floribus, et in fructuum suavitate delicians appetet media, et velut arbor plantata in medio paradisi, attollit verticem in altitudinem cœli, et de superiore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloriae, fructum vitae, de quo qui ederit, vivet in æternum. Et ut clarescant quæ dicta sunt, paradius est hortus, ad quem Ecclesia invitat dilectum suum. *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomiferarum suarum* (*Cant. v.*). Hortum namque dilecti se nominat, quem fontes Salvatoris irrigant, et rivi donorum inebriant, ut maritata amore spiritus lætetur, in stillicidiis ejus germinans, et gaudeat in prole multorum filiorum, tanquam in ubertate geniminum suorum. Haec vocat dilectum comedere fructum pomiferarum, quia servavit ei poma nova et vetera (*Cant. vii.*), dicta scilicet utriusque Testamenti. Aut consummatus sensus cordis sui, quos gerit inter ubera, sicut legitur : *Erunt ubera tua sicut botri vineæ* (*ibid.*). Vel certe bonos quosque spiritus et angelorum et hominum, quorum alii in novitate vita perseverant, alii gerunt de vetustate et corruptione, quod doleant.

Possunt quoque per poma nova et vetera, novi

et antiqui Patres significari, in quibus pascitur amor Sponsi, *donec aspiret dies, et inclinentur umbrae* (*Cant. ii.*) : inter hos et horum media consurgit arbor quam diximus salutifera, generans cibum vitae et manna ecclæste : manna habens omne delectamentum, et omnem suavitatem, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum. Hunc panem se esse perhibet Filius hominis in Evangelio, dicens : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan. vi.*).

Ut igitur redcamus ad prædictos calathos, et flores lævae, fructusque dextræ perpendamus (quia quod lex promisit in flore, hoc gratia exhibuit in operatione : ibi proferatur quod futurum est, hic virtus consummata landatur, illie sacramentum, hie res sacramenti est) : attendamus eosdem calathos Christi gloriam, et partum Virginis præfrentes, hæc enim summa, hic finis testamentorum, Christum proloqui, Christum ostendere, Christum annuntiare, et Virginem Mariam. Et id quidem nunc sacramentis tegitur, nunc ænigmatibus aut similitudinibus obvolvitur, nunc rito festo celebratur, nunc sacrificiis obumbratur, nunc declaratur prophetia, aut evangelica assertione roboratur. Et in hac condensitate saltus Libani, in hoc monte embroso et condenso, aperit se nobis sponsi dignatio, et thalamus egressionis ejus, Salvator gentium, et terra germinans Salvatorem, stella ex Jacob, et dux de Israël, virga de radice Jessæ, et flos de radice ejus. Alibi namque legimus Christum nascitum ex Virgine, passum in carne, resurrectum in gloria, ascensum in jubilatione, et dona Spiritus credentibus donaturum : alibi natum, passum, resurgentem, ascendentem et dona Spiritus suis infundentem.

Sic in Scripturis veritatis de sancta Matre ejus annuntiatum est, quia virgo conciperet, et virgo pareret filium, cui nomen Emmanuel (*Isa. vii.*), et egressus ejus a principio, a diebus aeternitatis (*Mich. v.*). Hunc sola Virgo meruit suspicere, sola parere, sola lactare, in votis et ardenti præstolatione deprecantis et dicentis Ecclesiæ : *Quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris meæ ut inveniam te foris et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* (*Cant. viii.*) Inveniam te, inquit, foris in luce, qui es secretum Patris, inveniam te apparentem in carne, qui lates in invisibili majestate; inveniam te sponsum procidentem e thalamo (*Psal. xviii.*), qui in ventre virginali conceptus es de Spiritu sancto. Et deosculer : deosculer unita tibi in perceptione carnis tuæ et sanguinis, et jam non sinus duo, sed una caro. Deosculer in uno spiritu adhaerens tibi, quia qui adhaeret Deo, unus spiritus est (*I Cor. vi.*). Et jam nemo me despiciat. Non Deus Pater, videns proprium Filium incarnatum; non angelus sanctus, adorans Deum hominem factum; non superbus dæmon, dolens a Christo se superatum.

Cæterum est, ut de Evangelio inferamus aliqua. Legimus (*Luc. i*) Virginem ab angelo salutatam, a Deo despontatam, de Spiritu sancto concepisse, Deum verum et hominem genuisse, qui salvum faceret populum suum a peccatis eorum (*Matth. i*), *et regni ejus nou erit finis* (*Luc. i*). Ille est qui remissus est Abraham, quod in semine ejus benedicentur omnes gentes (*Gen. xxii*). De quo pulchre Apostolus ait: *Intumini quantus sit iste* (*Hebr. vii*), qui ingreditur ad salvandas gentes. Vere magnus, quem unigenitum Pater misit in mundum, quem virgo corporaliter effudit, quem virgo concepit et peperit, et post partum virgo permansit. Annuntiatur ab archangelo, concipitur de Spiritu sancto, nascitur ex sacra Virgine, et a Joanne adhuc clauso inter materna viscera præmonstratur (*Luc. i*). Suscipitur a sene Simeone cum ineffabili gaudio, a quo lumen gentium et gloria plebis Israelitæ predicitur (*Luc. ii*).

Videsne ergo sapientiam attingentem a fine usque ad finem fortiter, et disponentem omnia suaviter (*Sap. viii*); a pueru nondum nato, usque ad senem decrepitum, tam congrua sibi testimonia proferentem, et tam dulci concordia veritatis organa modulanter? Hinc per Prophetam dicitur: *Non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal. xviii*). Cujus egressus a Patre, regressus ad Patrem; excursus ad inferos, recursus ad sedem Dei. Quis enim se a calore ejus abscondebit, quem infans sensit in utero, quo senex frigidus flagravit in templo? Ille quasi significaret se velle occurrere Domino, exultabat motu quo poterat. Ille accipiens in ulnas suas, incredibili desiderio expectatum Jesum, divinum amorem hausit medullitus, nec ferens in carne fragili suavissimum odorem supercœlestis essentiae, et vim verbi flammigerantis in ossibus precabatur sui corporis dissolutionem, quo liberius effracto mortali domicilio, prægustata dulcedine frueretur et natum Salvatorem, quem apud superos prædicabat, habitantibus in regione umbræ mortis nuntiaret. Sed quid agimus aut quo rapimur? Ecce dum benedictam in mulieribus prædicare cupimus, fructum ventris ejus benedictum attollimus, et dum quærimus laudare speciem arboris, fructus nimia dulcedine detinemur. Omnis enim arbor ex fructu suo dignoscitur (*Matth. vii*), et ex propria ubertate pensatur. Ut palma ex dactylorum suavitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex olivæ pinguedine; ita nimirum laus nati genitrici exuberat et honorem puerær partas divinus accumulat.

Liber, dilectissimi, quæ præmissa sunt alio sensu repetere, et alia rursus assertione comprobare, ut cæca infidelitas arguatur a lumine, et fides Christi se palpabilem præbeat, et inoffensam. Ingrediamur itaque Sancta sanctorum et intueamur propitiatorium, habens desuper duo cherubim, ipsum cum versis vultibus respiciens et obumbrantia extensis aliis (*Exod. xxv*). Illic inter cætera resulget urna au-

rea, habens manna reconditum. Illic est virga Aaron, que fronduit (*Num. xvii*, *Hebr. ix*). Propitiatorium intellige de quo ait apostolus, quoniam ipsum est *propitatio pro peccatis nostris* (*I Joan. ii*). Duo cherubim duo Testamenta significant. Cherubim namque interpretatur *scientie plenitudo*, et scientie plenitudo in Testamento est. Bene ergo cherubim propitiatorium, versis ad se vultibus, respiciunt, teguntque Christum, quem Testamenta concorditer prædicant, figuris et ænigmatibus velant. Urna aurea beata est Maria, aurea per excellentiam vitæ, aurea per integritatem et puritatem, aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc urna manna reconditum habuit, quæ panem angelorum, qui de cœlo descendit et dat vitam mundo, sacrosancto gessit in utero. Virga vero dicitur, utpote gratiosa et recta, subtilis et porrecta. Gratiosa per verecundiam et formositatem, recta per judicium et æquitatem, subtilis per contemplationis ingenium, porrecta per vitæ meritum. Effloruit autem de Spiritu sancto, sicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum, ista et optimum protulit amygdalum, habentem nucleum et testam. Nucleum, ut reficiat; testam, ut contegat. Nucleum in Divinitate, testam in humanitate. Vis nosse nucleum? Audi, quia *in principio erat Verbum* (*Joan. i*). Testam nosse desideras? Audi, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*). Vides ergo, quia nucleus in testa Verbum est incarnatum. Et quoniam testa etiam corticem habet, corticem intellige in carnis amaritudine, testam in resurrectione, nucleus in deitate. Cortice Christus nos sanat, testa corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hoe nucleum, hoc Verbum inter utrumque nos illuminet, et usque in cubiculum genitricis suæ nos introducat, quod vivit et regnat cum eodem Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA II.

### DE JUSTIFICATIONE VEL ORNATO MARIE VIRGINIS.

Quia semel annuente Deo beatissimæ Virginis laudes exorsi sumus, restat, ut ejusdem præconia medullis cordis et vocis officio persolvamus. Intendantur gloria ejus, et ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde et inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone: *Via ejus via pulchræ, et omnes semita ejus pacificæ* (*Prov. iii*). Quod si dicente eodem propheta: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov. iv*); quis lucem et splendorem semitarum ejus eloqui sufficiet? Harum tamen processus et incrementa viarum partim explicare conabimur, ut in gradibus suis gloria dignoscatur, et per singulos gradus suos pronuntietur.

Habuit enim distinctos gradus et incrementa divisæ, ut pulcherrimo castitatis ordine incederet, et de virtute in virtutem proficiens, videret Deum

deorum in Sion (*Psal. lxxxiii*), translata a gloria in gloriam, *tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor. iii*). Primo itaque omnium virtutum decore meruit ornari. Secundo Spiritui sancto fôdere maritali copulata est. Tertio mater inventa est Salvatoris. Quarto animam ejus pertransiit gladius, et carne sumpta de carne ejus, mundi perditi ruina reparatur. Quinto exultat in filio resurgentem et ascendentem super Cœlos cœlorum ad Patris dexteram. Sexto de hoc sæculo rapitur, et occurrente sibi Domino supra cœligenas omnes collocatur. Septimo demum perficietur, cum plenitudo gentium introierit, et omnis Israel salvus erit (*Rom. xi*). Gaudet enim ultra quam dici aut credi fas est de communi electorum salute, sciens quod propter eos Dei Filius carnem suscepit ex ea. Tunc ergo perficietur, *Deo melius providente, ne sine nobis consummarentur* (*Hebr. xi*).

Jam vero nomina ipsorum graduum considere-  
mus. Primus dici potest justificatio vel ornatus, se-  
cundus copulatio vel fôderatio, tertius Virginis  
partus aut nova progenies, quartus mentis robur  
sive martyrium, quintus gaudium vel admiratio,  
sextus assumptio vel exaltatio, septimus plenitudo  
seu perfectio. Prædicta justificatio, vel ornatus,  
procedit ex timore Dei. Copula quoque talis et  
fôderatio, ex incredibili pietate provenit. Nam Vir-  
ginis partus et nova soboles lumen scientiae ef-  
fudit universitat. Opus fortitudinis Christo mo-  
riente, et matre aspiciente exhibitum est. Eodem  
vero resurgente, profundissimum et inscrutabile  
consilium, quo hostem callidum decepit, et mundum  
redemit, in gaudium et admirationem profluxit.  
Inde cœlis apertis bona invisibilia reserantur, et  
fit quoddam mirabile, ut, sicut Deus in homine ho-  
minis passiones experimento didicit; sic homo as-  
sumptus in Deum, Dei gloriam pleno intellectu  
percipiat. Demum sapientia adducet plenitudinem  
et perfectionem, ut perfecta in perfecto appareat,  
et in plenitudine glorietur.

Repetamus quæ dicta sunt, et eisdem denuo gra-  
dibus commorantes, Dominum innixum scalæ, an-  
gelos etiam ascendentes et descendentes ad Virgi-  
nem contemplemur. Mirantur enim pueram castis-  
simam matrem Domini, cœlique reginam mox futu-  
ram, et in his erumpunt vocibus admirationis et  
laudis : *Quæ est ista* (*Cant. iii*), quæ ascendit deal-  
bata ? Quid est dealbata, nisi albis vestibus or-  
nata ? ornata scilicet ornata decoris et honestatis,  
justitiae et sanctitatis. Harum vestium ornata pro-  
phetarum eximius fulgebat, cum diceret : *Gaudens*  
*gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo*  
*meo, quia induit me vestimento salutis, et corona*  
*justitiae circumdedit, quasi sponsum decoratum co-*  
*rona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis* (*Isa.*  
*lxii*). Hinc per Psalmistam dicitur : *Sacerdotes tui*  
*induantur justitiam* (*Psat. cxxxii*). Isaias vero hor-  
tatur Hierusalem, ut excussa de pulvere induatur  
vestimentis gloriæ suæ (*Isa. lii*). Et per expro-

brationem primo angelo dicitur : *Et tu signaculum*  
*similitudinis in paradiso deliciarum Dei fuisti, omnis*  
*lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius,*  
*japsis, chrysolithus, onyx, et beryllus, sapphirus,*  
*carbunculus, et smaragdus* (*Ezech. xxviii*). Scendum  
vero quod hæ vestes albæ sunt et odoriferæ, pre-  
tiosæ et variae. Albæ propter innocentiam, et puri-  
tatem, et lucis æterne candorem; odoriferæ pro-  
pter fragrantiam opinionis et bonæ famæ, pretiosæ  
ob sui dignitatem, et commoditatem. Variae ad va-  
rios usus et qualitates distinctas.

De albedine jam supra dictum est. Quæ est  
ista, quæ ascendit dealbata? Et alibi legimus:  
*Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consur-  
gens, pulchra ut luna, electa ut sol?* (*Cant. vi*) *Quasi*  
*aurora surgens* de tenebris ad lumen, de errore ad  
fidem, de mundo ad Deum, et in ortu sui diluculo  
infecta murice verecundiæ, cum humilitatis ve-  
nusto pallore. *Pulchra ut luna*, quia casta perma-  
nens in sæculum sæculi, supereœlestis luminis il-  
lustratione perfunditur, et obumbratione lætatur.  
*Electa ut sol*. Ubique claritas, ubique splendor,  
ubique candor vestium designatur. Possent et alia  
dici de hoc candore, ut illud Domini dicentis de  
suis : *Ambulant mecum in albis, quoniam digni*  
sunt (*Apoc. iii*). Et illud : *Qui vicerit, vestiatur*  
vestibus albis (*ibid.*). Sed brevitatis studio perurge-  
mur, jam de odore earumdem vestium verba sponsa-  
laudantis epithalamio audiamus

*Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cant.*  
*iv*). Afferunt odore thuris dæmones effugari, lacry-  
mas excitari, Deum lacrymis mediantibus placari.  
Ego vero libenter dixerim, odore virtutum sanctæ  
Mariæ angelos tenebrarum effugari, et quodam va-  
lidio turbine, huc illucque raptari, ut in eis im-  
pleatur quod dictum est : *Fiant tanquam pulvis*  
*ante faciem venti* (*Psal. xxxiv*). Odor iste mortuos  
in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos  
incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor,  
qui regem in accubitu suo (*Cant. i*) per virginem  
provocavit, ut ad nos veniens, nostra reciperet, sua  
daret, constituens nobiscum amicitias lege immobili,  
et pace sempiterna. Sic itaque fragrantia vestimen-  
torum sanctæ Mariæ hostes fugat, bonos invitat,  
Deum placat.

Nam de pretiositate eorum et varietate, cum Psal-  
mista speciosæ formæ præ filiis hominum (*Psal. xliv*),  
de laude sponsæ ejus loqueretur, cecinit dicens :  
*Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, cir-*  
*cumdata varietate* (*ibid.*) Et paulo post subintulit :  
*Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis au-*  
*reis circumanicta varietate* (*ibid.*) Non solum autem  
vestitu deaurato et fimbriis aureis decoratur, verum  
etiam veste stragulata, quam fecit sibi, dicente Sa-  
lomone (*Prov. xxxi*). Et omni lapide pretioso coo-  
peritur (*Ezech. xxviii*). Nulla enim gemma, nullus  
lapis pretiosus, nulla pretiosa margarita huic deest  
operimento, ut non jam simpliciter pretiosum, sed  
omni pretiositate pretiosum jure appellari queat.

Nam sicut una pretiositas momento, momenti, imo ultra omne momentum et partem momenti discurrans, multis efficit pretiositates, sic multæ in unam convenient, ut unius participatione in una sint unum. Et hæc pretiositas est charitas, vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam, aut rugam (*Ephes.* v), vestis impartibilis, inconsutilis, desuper contexta per totum. Quia, per quam et in qua sunt omnia chara, quæcumque chara sunt; omnia bona, quæcumque bona sunt. Et ipsa sunt unum in unitate, idem in deitate, simplum in simplicitate. In toto totum obtinent, et de toto gaudent seposita ab omni diminutione, et duplicitate, et numerositate.

His dictis de pretiositate ornementorum, de varietate, cuius superius exempla posuimus, disseveramus. Hujus duæ sunt species, una in coloribus, alia in usibus. Item quæ in coloribus consistit, dividitur in albedinem et nigredinem, in ruborem et viriditatem. Hos principales colores asserunt, et hi maxime exornant præfatam vestem. Viret enim ut oliva vel laurus, et ut iris virens in nubibus. Viret in fide et spe æternorum, in obedientia mandatorum, in contemplatione æternæ viriditatis et virore æternitatis. Rubet vero ut sphæra ignea, ut regis purpura, ut cooccus bis tinctus (*Exod.* xxxi), præferens amorem Dei et proximi. Fuligo ejus ut cornu, et ut elatae palmarum, aut certe velut ebur intinctum, et ut cœli serenitas in mediis noctibus. Color iste in fundamento ponitur, et cæteris coloribus substermitur, ut nobis innuat virtutem humilitatis in fundamento poni debere. Si candorem querimus, candet perpetua virginitate et perfecta puritate. Decoris quoque suavitate fortem rhinocerotem inclinat, Deum majestatis invitat. Alia multa de varietate et significatione colorum a spiritualibus spiritatiter inveniri possunt.

Verum varietas, quæ usibus accommoda deseruit, multis et ipsa refulget speciebus. Alia namque ornamenta illud caput altissimum collumque bene ornant et velant. Alia crines et aures, alia pectus et brachia, alia manus et dğitos. Quædam totum corpus induunt, quadam lumbos accingunt, quædam pedes muniunt. Caput ejus mens ejus diciter. Nam sicut caput regit membra corporis, ita mens sensus animæ regit, et moderatur. In collo, quod cæteris membris eminent, et vitalem gratiam capit is artibus subministrat, altitudo illius exprimitur, qua præsidens membris Ecclesiæ, caput suo connectit corpori, quia Christum conjungit Ecclesiæ et vitam quam primo loco suscipit, reliquis membris infundit. Decebat enim ut sicut per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum (*Rom.* v). Et sicut in Eva omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent (*I Cor.* xv). Illa male credula verbis serpentis, mortis venenum miscuerat. Hæc conterens caput serpentis (*Gen.* iii), antidotum vitae cunctis ministravit, ut mortem occideret et vitam repararet. Crines capitis sunt cogitationes cordis, aures auditus interior.

## MARIE SCRIPTA, ACTA, ETC.

In pectore secretum latet, et cogitatio volvitur. Unde hic nos inolevit, ut rei pectora tunderent, et quasi feriendo suam injustitiam accusarent. Per pectus ergo arcana illius gloriæ pectoris designantur, per brachia virtutes operum, per manus ipsa opera, per digitos operum divisiones. Corpus ejus operum ejus indivisa connexio, lumbi voluntates ejus. Pedes affectus illius sunt, quibus ingressa semitas æquitatis, præclara vestigia postcris dereliquit. Hi pedes calceantur exuvia mortuorum animalium, quia exemplis præcedentium Patrum muniuntur. Lumbi præcinguntur præcinctorio fidei et cingulo justitiae. Corpus induitur amictu illo, de quo Apostolus ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* iii). Qui nos hortatur, ut induamur novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* iv). Vide, homo, et obstupescce ad tantam novitatem cum Jeremias (cap. xli) dicat: *Novum faciet Dominus super terram, Mulier sola circumdabit virum*. Eadem, quæ circumdedit, circumdata est; circumdans carnem, circumdata est a spiritu; circumdans virum novum, circumdata est ab homine novo; circumdans et generans, circumdata est et regenerata; generans in forma humanitatis, regenerata in forma novitatis.

Transeamus ad reliqua. Annuli ornant digitos, quia singula opera ejus fide et dilectione clarescent. Annulus enim significat fidem et castam dilectionem, manus enim tornatiles, aureæ, plena hyacinthis (*Cant.* v); tornatiles propter perfectionem operis, aureæ propter fulgorem sapientiæ, plena hyacinthis propter puram et fervidam intentionem. Hyacinthus quippe cœruleus et rubeus, lucidum et ferriferum opus demonstrat.

Brachia ejus illo sunt impressa signaculo, de quod sponsus ait in Canticis: *Pone me signaculum super brachium tuum* (*Cant.* viii). Aut certe ejus dexteram operit ignea lux, et sinistra rutilat purpura Dominicæ passionis. Auribus dependent inaures obedientiæ, crines ligat vita disciplina, pectus exornant monilia mundissimarum et lucidissimarum cogitationum, torques aureus additur collo ejus. Hoc soliti sunt secundi in regnis coronari, et hæc est secunda corona. Prima namque præfulget in terribili capite Dominatoris universæ terræ. Secunda cecidit in sorte matris ejus. Ipsa enim singularis regnat in regno Dei et Christi; dehinc sub illa, et post illam sancti altissimi. Caput ejas virginitatis gloria obumbratur, et charitatis coccino velatur. Benedictio Domini super illud, et benedictione omnium gentium repletur.

Coronatur etiam coronis omnium populorum, et exultatione cunctorum promovetur. Cerne in decole diadematis ejus sanctorum concentum, vibratum a repercuesso lumine; cerne sculptos lapides, gemmas vernantes, stellas coruscantes, patriarchas exspectantes, prophetas præmonstrantes, apostolos comitantes, martyres triumphantes, confessores et

virgines exultantes. Corona illa rubet rosis, liliis albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni suavitate referata. Haec nos, dilectissimi, de justificatione Virginis vel ornatum dixisse sufficiat. Superest ut ejus sacra manuductione ad pertractanda profundiora et secretiora mysteria in visione Domini paremum. Amen.

## HOMILIA III.

## DE INCARNATIONE CHRISTI ET VIRGINIS CONCEPTIONE DE SPIRITU SANCTO.

Domine, audivimus opera tua et expavimus (*Isa. iii.*), consideravimus mirabilia tua et defecimus. Descendente Verbo tuo, cor nostrum liquefactum est, et omnia interiora nostra contremiscentia patuerunt illi. Nam *dum medium silentium teneret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit* (*Sap. xviii.*). Effudisti enim, Pater, viscera charitatis tue super nos, et multitudinem miserationum tuarum (*Psal. L*) ultra cohibere non potuisti. Effudisti lucem in tenebris, rorem in siecitate et in magno gelu ignem vehementissimum accendisti. Ideo apparuit nobis Filius tuus ut copia ciborum, imminentis fame gravissima, et ut fons aquae vitae animæ laboranti, et deficienti præ siti in æstu. Aut certe sicut apparet sole fortis adjutor, et liberator obcessis, jamjamque ruituris in prælio, quibus mors intentatur præ oculis, hostili gladio comminante, et armata dextra siente cruentem : sic ille nobis apparuit, et factus est in salutem. Verumtamen salutis nostræ exordia repete, et incarnationem ejus retractare, recolere unde venerit, qualiter descendedit, ubi et quomodo conceptus fuerit, optimum ac saluberrimum est. Modo vero conceptionis extremum ponimus, ut exsequentes propositum nostrum, illam ineffabilem conjunctionem, qua de Spiritu sancto B. Mariæ venter effloruit, latius in fine disseveramus.

Licet enim sit ineffabilis, multa tamen jucunditas, mira et stupenda suavitas ubertim elici potest. Illic enim est summa nostræ fidei, illic honor substantiae, radix vitæ, lumen scientiæ, amoris vinculum indissoluble, et patens aditus ad æterna. Sed jam occurrat nobis beatus David, et dicat unde venerit. A *summo cælo egressio ejus* (*Psal. xviii.*). Quid est a summo cælo? A Deo qui est summa essentia, summu bonum, summa beatitudo. Summa essentia est, quæ nec loco circumscribitur, nec mutabilitate movetur, nec tempore clauditur; sed omnia loca majestatis immensitate circumscribit, omnia mutabilia movet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum est eadem essentia, non ex alio essentia, ex alio bonum, non solum per dictam immensitatem, immutabilitatem, et æternitatem; verum etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturivit in tempore; et infinitam sapientiam, qua antequam quidquam esset, cuncta disposita in æternitate; et amorem in-

effabilem, quo opus futurum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Iterum summa beatitudo consistit in summo bono, siue adeptione effecta vere beatos. Ejus namque participatione vita æterna aequiritur, perfecta sapientia tribuitur, amoris plenitude possidetur; ut plena sinceritas sit in æternitate vite, plena jucunditas in lumine sapientiæ, plena suavitas in amoris dulcedine. Haec de summa essentia, summo bono et summa beatitudine diximus, ut interluceret nobis summum cœlum, de quo venit Christus.

Sed quia hoc summum cœlum Pater, hoc summu cœlum Verbum, hoc summum cœlum Spiritus sanctus : venit Christus a Patre, venit etiam quodammodo a Verbo, venit a Spiritu sancto. Qualiter vero venit a Patre, qui nunquam reliquit Patrem? Qualiter a Verbo, qui nunquam Verbum esse destitit? Qualiter a Spiritu sancto, cum Spiritus sanctus a Patre, et ab ipso procedat? Difficilis est haec quæstio, et multa indiget profunditate. Et quis erit nobis progressus ad hæc sancta Dei? Quo ordine iter aggressum consequemur? Ecce condensa nebula, nubesque lucidissima itinera nostra praependiunt. Aqua illa, quam vidit egredientem de templo sancto Ezechiel (cap. XLVII), non solum talos et genua, verum renes et collum operiens diffunditur super nos, ne transvadare possimus. Adest tamen ille in quo speramus, in quo ab adolescentia confidere edocti sumus, qui effundat animas nostras, et levet nos super eos, ponens pedes nostros quasi cervorum, ut educat nos super excelsa nostra (*Psal. xxvii.*), statuens nobis specula in monte cum Moyse et Elia (*Matth. xvii.*), quatenus quod quærimus revelata facie contemplari possimus (*II Cor. iii.*). Ibi ostendetur omne bonum, ibi plenius de visione Domini erudiantur.

Quo si volnerimus accedere ad caliginem, in qua ipse est, ingressi medium nebulae, et permoti gloria tantæ majestatis, perterriti etiam magnitudine illius infinitatis, non subsistemus, et erimus quasi nihil. Deus enim lucem inhabitat inaccessibilem (*I Tim. vi.*), cuius ignis sicut stipulam carnes devorat, cuius faciem nemo videre potest, et vivere; ad cuius abyssum indagandam angeli non sufficiunt, ad quem nulla potestas aspirat, præter illam quæ in unitate personæ copulata est. Denus itaque gloriam Deo, et cadentes in facies nostras, adoremus a longe vestigia Trinitatis, credentes corde, et confidentes ore, quia quidquid de ipso senserimus, aut dixerimus, sub ipso est.

Hac fide præmuniti, ad solvendam quæstionem propositam redeamus. Christus venit a Patre, venit a Verbo, venit a Spiritu sancto, quando tota Trinitas conceptionem et humanationem illius operata est. Nihil enim aliud fuit a summa Trinitate venire, quam operante eadem Trinitate concepi et humanari. Ideo dictum est : *A summo cælo egressio ejus.* Venit etiam Unigenitus a Patre et a se, secundum alterius modi intelligentiam. Venit et

a Spiritu sancto. Aliter tamen a Patre, et a se, aliter a Spiritu sancto. A Patre namque genitus aeternaliter, ex matre prodit genitus temporaliter, apud Patrem manens invisibiliter, et cum hominibus visibiliter conversatus. Hoc enim fuit illi egredi a Patre, quod tempora nostra suscipere, quod foris visibiliter apparere, et fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod vero dictu mirabile est, iste venit ab eo, a quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat, ut sine intervallo totus esset in aeternitate, totus in tempore, totus inveniretur in Patre, quando totus in Virgine, totus in sua et Patris majestate, quando totus in nostra humanitate. Si queris, quomodo? collige veritatem ex imagine. Verbum in corde genitum aliquando integre exit in voce, ut perfecte ad alios veniat, et totum in corde remaneat. Sic Verbum bonum de corde Patris eructatum, et in campum existit, et Patrem non reliquit. Venit etiam Verbum a se, descenditque sub se, quando *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i*), quando semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip. ii*). Illa exinanitio ejus descendit. Ita tamen descendit, ut sibi non decesset. Ita *curo factum est*, ut Verbum esse non desineret, nec minuit gloriam majestatis, humanitatis assumptio.

Sciendum quoque qualiter a Spiritu sancto venerit, cum Spiritus sanctus ab illo procedat. Procedit quidem ab illo Spiritus sanctus aeterna processione, sed ille natus ex Maria Virgine, venit de Spiritu sancto temporali conceptione. De aeterna processione Spiritus per Psalmistam dixit: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal. xxxii*). Verbum Patris os Domini nominavit; in quo semel Dominus nobis locutus est. Spiritum oris Spiritum sanctum appellavit, dictum Spiritum oris, quod ab ore procedat. Nam quoniam et Verbum de Spiritu sancto venerit, sic habes in Habacue: *Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan* (*Habac. iii*). Per austrum in quo est vitalis calor, virtusque genitiva, Spiritus designatur, qui confert vitae novitatem, faciens oriri germina virtutum. Et licet beatus Hieronymus, quem sequi eupimus, montem Pharan Patrem appellari, non incongrue tamen monte Pharan idem Dominus significatur: mons dictus propter excellentiam charitatis; Pharan propter gratiarum divisionem. Pharan quippe interpretatur *divisio*. Et Spiritus Domini dona sua singulis prout vult dividit (*I Cor. xii*). Venit ergo Deus ab austro, quia de calore vivificante, et regenerante conceptus est. Venit de monte Pharan, quia de ineffabili celsitudine divisionis charismatum emanante profluxit. Dic nobis, sancte Daniel, qualiter de hoc monte descenderit. *Præcisus est*, ait, *de monte lapis sine manibus* (*Dan. ii*). Quis lapis? *Lapis quem reprobaverunt adificantes* (*I Petr. ii*). Lapis angularis (*Ephes. ii*), lapis quem unxit Jacob (*Gen. xviii*), lapis in quo sunt septem oculi (*Zach. iii*; *Apoc. v*), hic præcisus est de monte

sine manibus; quia Virgo sacra suscepit eum non ab homine, neque per hominem, sed de Spiritu sancto.

Dic etiam nobis, beate David, modum descensionis ejus. *Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal. lxxi*). Prius dicendum est quod hoc vellus, quæ terra, dehinc qualiter pluvia descendit in vellus, et qualiter stillicidia stillant super terram. Vellus cum sit de carne, excrescit extra carnem, et carnis passiones ignorat. Attactu leni, colore humili, mansuetudinem et humilitatem denuntiat. Formæ etiam habilitatem, simplicitatem et innocentiam gerit indicium, et naturali velamine membrorum sovet teneritudinem. Designat autem gloriosam Virginem, quæ in carne degens, extulit se extra carnem, et carnis passiones mactavit robore Spiritus. Nam mansuetudine et humilitate nulli similis exstisset dignoscitur. Simplicitatem ejus et innocentiam dicere nullus sufficiet. Charitatem, qua humanum genus incessanter protegit et sovet, mentis intelligentia non comprehendit. Porro præfata terra eamdem virginem demonstrat, terra nomine appellatam, propter quamdam similitudinem (*Gen. ii*). Sicut enim vetas Adam de terra incorrupta nullumque passa contignum formatus est, sic terris terra virgo novum Adam procreavit.

Si non credis mihi prædicanti ortum novi hominis de terra, crede Psalmistæ dicenti: *Veritas de terra orta est* (*Psal. lxxxiv*). Quæ major novitas quam ut oriatur de terra ille qui est veritas? Crede etiam tubæ ductili Isaiae producentis gracilem et suavem admodum sonum, ac dicentis: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra, et germet salvatorem* (*Isa. xlvi*). Qui iterum dixit: *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis* (*Isa. iv*). Germen Domini in magnificentia et gloria exstitit, quando conceptum de Spiritu sancto, et ortum de radice Jesse in summitate virgæ totum effloruit, imo flos fuit. *Et requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini* (*Isa. xi*). Fructus vero terræ sublimis fuit, quia benedictus fructus Mariæ divinitatis celsitudine meruit sublimari. Haec idcirco diximus, ut terræ nomine Mariam intelligi debere monstraremus.

Restat disserere qualiter pluvia descendat in vellus, qualiterve stillicidia profluant super terram. Pluvia descendit in vellus absque strepitu, sine motu, sine ulla scissione aut divisione. Leniter infunditur, tranquille suscipitur, suaviter bibitur. Sic stillicidia sensim et paulatim infundunt terram tam mirabiliter decursu, tantaque subtilitate, ut in introitu vix pateant, et in exitu germina producant. Ita imber veniens de ultra super coelestes aquas, descendit in gremium Virginis sine humano opere, absque motu concepientiæ, salva integritate, et claustris virginis obseratis leniter infusus est, tranquille susceptus, incarnatus ineffabiliter. Stillavit quoque

super terram ejus, in introitu non comparens, et in exitu prodiens manifeste. Sunt ad hæc tante rei aliæ similitudines. Namvero ut claritas solis vitrum absque lesione penetrat, et ut radius oculorum tranquillo et claro liquori sine scissione et divisione immingerit, ut usque ad fundum universa rimetur: sic Dei Verbum adiit virginem habitatulum, et inde prodit clauso virginis utero. Quippe qui facile posset extra virginem corpus creare de nihilo, facile potuit corpus acceptum de virgine, extra sine earnis scissione trahicere. Neque enim legi naturæ se subdidit, sed legem naturæ subdidit sibi.

Ecce diximus qualiter descenderit Dei Verbum. Ubi namque descendenter, simili modo manifestum est, quia descendit in uterum Virginis, uterum impollutum, immaculatum, consecratum manu unctionis divinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, implevit sacramentum, et secretissimum sacramentum, ut essent duo in carne una (*Gen. ii*), et uno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus invisibilis, homo visibilis. Impassibilis et immortalis, passibilem se et mortalem exhibuit. Incircumscripitus, lineis nostræ substantiae circumscribi voluit. Clauditur alvo puerperæ, cuius immensitas claudit ambitum cœli et terræ; et quem Cœli cœlorum non continent, Mariae viscera complectuntur. Si queris quomodo factum est istud, audi summum angelum exponentem Mariæ ordinem rei, et dicentem ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i*). Gaudete ergo, et lætare, Maria, quia concepies de spiramine; gaudete, quia inventa eris habens in utero de Spiritu saneto. Desponsata quidem eras Joseph, sed a Spiritu saneto præventa (*Luc. i*). Ille qui te ereavit, signavit, et assignavit te sibi; plasinator tuus ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ, qui plasmatore ipse te vocat, dicens: *Veni, amica mea, formosa mea, columba mea, jam enim hiems abiit, et recessit, veni* (*Cant. ii*). Ille decorem tuum concupivit, et tibi conjungi desiderat. Impatiens moræ, ad te venire festinat.

Surge ergo, induere vestimentum gloriae tuæ, ornare pretiosissimis ornamentiis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge in oecursum sponsi tui, et Dei tui, et dic ei: *Ecce ancilla Domini* (*Luc. i*). Festina, noli tardare, quia ille non tardabit, sed exultabit ut gigas ad eurrentiam viam (*Psal. xviii*). Festina et tu, obliviscere populum tuum, et domum patris tui (*Psal. xliv*), currens obviam ei, ut oseculeris oculo oris ejus (*Cant. i*), ejusque beatissimis immisearis amplexibus. Egredere, quia jam thalamus collocatus est, et sponsus veniet tibi, veniet tibi Spiritus sanctus. Ille *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, subito. Dum vero speras, dum damna dilationis deploras, et dilecti terbaris absentia, velox et improbus superveniet in te, ut inopinato perfruaris gaudio, et nova lætitia perfundaris. Superveniet non solum tibi sed in te, ut proprius revisat te, et inspireret tuam gratissimam

dilectionem, insinuans tibi intima aspersione verbum bonum, verbum plenum congratulationis et admirationis, plenum consilii, plenum gaudii, plenum salutis.

*Spiritus sanctus superveniet in te*, ut a tactu ejus venter tuus contremiscat, uterns intumescat, gaudeat animus, floreat alvus. Macta, id est magis aueta, quæ tanta suavitate perfrueris, tam cœlesti oculo dignaberis, tali sposo conjungeris, a tali marito fecundaberis. *Spiritus sanctus superveniet in te*. In alios sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superveniet, quia præ omnibus et super omnes elegit te, ut superes universos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Implevit quidem Abel tanta innocentia, ut innocens manibus et mitis corde, de manu fratris necem susciperet (*Gen. iv*). Tua vero innocentia millia nocentium innocentia reddidit, et saluti. Transtulit Enoch (*Gen. v*), sed caro, quam generabis, cum assumpta fuerit de terra, omnia trahet ad se (*Joan. xii*). Implevit Abraham fidem (*Gen. xvii*), et obedientia profutura posteritati, sed fide tua et obedientia mundus salvatus gratias agit. Implevit Moysen (*Exod. xix*), et legis, non gratiæ latorem instituit, tibi autem tribuens non solum legis latorem, sed gratiæ et gloriæ largitorem. Ascivit David in prophetam et regem (*I Reg. xvi*), sed ille tibi scribit, et Filium tuum Dominum suum nominat (*Psal. cix*). Quid plura memorem? Omnes superas, præs universis non solum hominibus, sed et summis cœlorum virtutibus.

Hinc est quod gloriosius præ illis nomen hereditabis; nam cum alius dicatur angelus Dei, alius propheta, alius præeo, et quisque suo censeatur nomine, pro ordine, et dignitate; tu singulari et speciali nomine appellaberis Mater Dei. Et ideo mater salutis, mater gratiæ, mater misericordiæ. *Spiritus sanctus superveniet in te*, superveniet in libertate, in affluentia, in plenitudine et in effusione earnis et animæ. Cumque repleverit te, erit adhuc super te, et super aquas tuas feretur, facturus in te quoddam melius, et mirabilius, quam cum ferebatur super aquas a principio (*Gen. i*), ut materia creationis in distinctionem formamque produceret. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, obumbrabit tibi Christus Dei virtus et sapientia. Ille humanam ex te naturam suscipiet, et plenitudinem divinitatis, quam ferre non posses, habebit in earnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta a Verbo humanitas objicit, cuius objectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.

Libet, charissimi, in tanta solemnitate gaudiorum adhuc paulisper immorari, et de præfata conceptione aliquid quærere; libet ipsum divinum agalma ipsum pretiosissimum, et sanctissimum vas, in quo Dei Verbum conceptum est, apostrophando interrogare. Rogamus ergo, Domina, Dei mater dignissima, non asperueris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulsantes cum charitate; rogamus, quo

affectu movebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cum haec fierent in te, et Verbum carnem susciperet ex te? Ubi erat anima tua, ubi cor, ubi mens, ubi sensus, ubi ratio? Ardebas ut rubus, qui olim ostensus est Moysi (*Exod. iii*), et non comburebaris; liquefiebas, et non consumebaris. Ardebas liquefacta supernis ignibus, liquefacta in igne, vires resumebas ab igne ut semper arderes et interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminosus unctionem praebuit, mactio semen sanctum praesitit. In quo re promissum est Abrahæ, quod in eo benedicentur omnes gentes (*Gen. xxi*). Haesisti enim, Virgo pulcherrima, strictis amplexibus auctori pulchritudinis, et effecta plus Virgo ino plus quam Virgo, quia Mater et Virgo, hoc sacrosanctum seminum deifica infusione suscepisti: *Ave igitur gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui* (*Luc. i*), Jesus Christus, qui est super omnia benedictus Deus in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

## DE PARTU VIRGINIS, SEU CHRISTI NATIVITATE.

Heri, dilectissimi, sermo noster habitus de copula spirituali et conceptu virgineo, ad partum festinat, ut quia de Spiritu sancto concepisse cognovimus, Deum verum et hominem genuisse profiteamur. Enixa est enim puerpera Dei Filium, ut mira dignatione, mira et incredibili pietate Deus ad corpus descenderet, et assumpta carne destitutos filios Adæ visitaret. Factus est ergo Dei Filius hominis filius, ut in unitate personæ Deus esset et homo; Deus ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo ex substantia matris in saeculo natus. Exsultavit itaque gigas geminæ substantiæ, modulatis vocibus ex tinnulis suavissimis in cithara corporis decantare, et in carnis organo compacto dulcissimos sonos edere, et ineffabili concordia resonare; ut lapides suscitaret, ligna commoveret, feras traheret, homines abstractos a carne educeret in sublime. Nam suavitate mirificæ cantilenæ suscitavit de lapidibus filios Abrahæ, et ligna silvarum, id est corda gentilium ad fidem cominovit. Feras quoque, id est feros motus et incultam barbariem moraliter composuit, et homines ab hominibus eductos in numerum deorum instituit. Bene autem David, cuius voces resonant in extrema terræ, cantoris officio perfunctus est, quia de semine ejus magnus iste præceptor erat nasciturus.

Sed jam qualiter eum beata Virgo peperit, advertamus. Peperit eum, salva virginitate, quia, salvo pudore, concepit. Peperit inviolata, quia illibata suscepit. Et quia in delictis non concepit, absque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum passa in partu discidium. Si enim, quod nefas est cogitare, in carnis voluptate conceperet, procul dubio in partu doleret, dicente Scriptura: *Voluptas pœnam habet* (*Apoc. xvii*). Unde prima parens omissa vero et æterno gaudio, quo poterat in Dei sui amore et contemplatione perfui,

fluxa carnis voluptate resoluta corruit, et per intemperantiam ignominiosam damna passionem, et diræ mortis aculeos toleravit. Hinc est quod usque hodie Evæ filiae in dolore pariunt, et quod cum dulcedine excipiunt, in magna carnis amaritudine profundunt. Non solum autem illæ, sed et omnes filii Adam, qui in carne delectantur, carne cruciantur, ut inde cruciati, unde delectati, sentiant ex verbere, quid præsumpserint ex delectatione, et discant carnem non amare, nec carnis desideria perficere. *Qui enim in carne seminaverit*, dicente Apostolo (*Gal. vi*), *de carne metet corruptio-*

*nem.* Porro Dei Genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata, et in conceptione virginior, et in partu exstitit sanior, obstetricante illa manu, de qua per Psalmistam Deo dicitur: *Fiat manus tua, ut salvet me* (*Psalm. cxviii*). Manus quippe Dei, unigenitus Patris appellatur, per quem fecit saecula (*Hebr. i*). Haec manus facta, quando incarnata non solum nullum vulnus inflxit, verum, attestante propheta, languores nostros ipsa tulit, et dolores nostros ipsa portavit (*Isa. lxxii*). Planc manus ista plena remediis, plena medicinis, sanavit omnem languorem, morbos expulit et mortuos suscitavit (*Matth. iv*). Inferni claustra dissipavit, fortem ligavit, et vasa ejus diripuit, et spiritum charitatis suorum cordibus infudit (*Matth. xii*). Manus ista solvit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, diligit justos, custodit advenas, pupillum et viduam suscipit (*Psalm. cxvi*). Tentatos eripit a tentatione, dolentes reficit consolatione, moestis reportat læticiam, laborantes sub umbra sua protegit, meditantibus leges scribit, orantium corda tangit et benedicit, ut attractu consermentur, in benedictione amore proficiant, et perseverent in opere, dehinc ad patriam reducit et ad Patrem perducit. Ideo enim caro facta est, ut carne carnem traheret, et carni conjungens carnem, glutino charitatis ad Dei invisibilia, et invisibilem Patrem omnipotentem ovem erraticam reportaret. Nam quia, relecto Dœo, illa in carne cecidit, necesse fuit ut hujus incarnatae manus ministerio, quasi quodam vehiculo, ad Patrem sublevata rediret. Hac igitur obstetricante manu, Maria non solum non doluit, verum etiam in partu virgo fuit. Haec est illa janua, de qua in Ezechielis volumine legimus: *Porta ista clausa erit principi, et per eam princeps egredietur* (*Ezech. xliv*). Per hanc nimium princeps regum terræ Christus egressus est, quam siue in ingressu non aperuit, sic in egressu non patescit. Pertransit in pace, et semita ejus non apparuit. Et si miraris clauso utero Mariæ, signatoque virginali pudicitia Deum natum, mirare quod clauso obseratoque aditu seculeri ad superos rediit, et clausis januis ad discipulos introivit. Non enim tollimus admirationem, sed increduilitatem arcebimus.

*Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit* (*Psalm. xxxiv*), et universa opera ejus mirari possunt, non

investigari. *Cunctæ res difficiles*, ait Salomon, *non potest eas homo explicare sermone* (*Eccl. i*). Nam, ut omittam qualiter ex uno parvo grano ingens arborum silva oriatur, et qualiter ex Adam et Evæ semine, humani generis massa producta sit, aliaque innumera præteream, quis explicet naturam ciniphis de terra? unde alarum extensio, et pedum deambulatio? unde ocelli et forma capitis? unde effigies corporis? unde aculeus tam subtilissimus, ut ab oculis interdum evanescat? ita concavus et perforatus, ut exhausto sanguine brevissimi corpusculum animantis impletat? Si autem inquisitione ciniphis succumbit tua ratiocinatio, o homo, erubet esse altiora te quererere, et fortiora te investigare. Nam si te ipsum et brevem abyssum animi tui non colligis, in infinitatem majestatis qualiter ascendis? Qui nescit usque ad primum limitem numerare, quomodo poterit de arithmeticæ judicare. Qui nescit quid sit punctus aut linea, eritne perfectus in geometria? Qui nescit sonum edere, musicamne poterit docere? An erit peritus astronomus, nesciens quid sit motus? Ita qui se ignorat, alta Dei non penetrat.

Quid est enim humana sapientia divinae sapientiae comparata? Nec locum puncti, nec punctum puncti apud eam obtinet. Nam ut quoddam mirabile proferam, oculus ciniphis aliqua proportione magnitudini cœli comparari potest, humana vero mensura nulla proportione contingit divinam immensitatem. Quæ enim pars finitum infiniti? mensurabile immensurabilis? momentaneum aterni? Aut qua multiplicatione vel numero creatura comparabitur Creator? Si millia millium extenderis in infinitum, casso labore coneris, et ne ulla quidem vel extrema portiuncula humanam scientiam divinæ sapientiae poteris comparare. Unde si Dei essentia contemplatur, hominis substantia non invenietur, attestante propheta, qui ait: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi monumentum, et inaxe reputatae sunt* (*Isa. xl, 17*). Et Dominus ad Moysem: *Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (*Exod. iii*). Cum se esse prohibuit, ab illis esse removit. Crede ergo Deo, humana parvitas, imo humandum nihil, et super omnipotentissima sapientia sit firmissima argumentatio tua. Illam præpone, illam assume, et de illa fac conclusionem. Credo vero quod quiunque auctori suo perfecte adhæserint, non arcebuntur lege naturæ, sed supra naturam, cum auctore naturæ stabilientur. Neque enim auctori suo natura legem imposuit, sed auctor leges dedit naturæ quas voluit; et quando vult, mutat ipsas leges, sicut quando de aqua vinum fecit (*Joan. ii*), et de luto formavit oculos (*Joan. ix*). Quando etiam seipsum in manibus continens distribuit edendum et bibendum discipulis suis, totus extra remanens, et intus edentes se pascens (*Matt. xxvi*). Sic (quod ad rem attinet) foras exiit clauso utero Virginis. Hæc contra incredulos, et pro incredulis dicta sunt.

Nec vos, Judei, intactos præteream, qui prophetas ad vos missos occidistis (*Matt. xxii*), et Dei Filium, qui salvandis vobis venerat, interemistis; idem poterum miscentes Domino prophetarum, quod et prophetis ante miscueratis. Dixistis enim: *Hic est hæres, venite, occidanus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matt. xi*). Imo quia hæredem occidistis, hæreditatem amisistis. Nec jam vestra dicenda est hæreditas, quam, emenso mille annorum spatio, perdistis. Quare ergo dicitis nondum venisse Messiam, nondum natum Christum? Aut ipsi mentimini, aut veritatem mendacem facitis, quæ loquitur in *Psalmo de David* dicens: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli* (*Psal. LXXXVIII*). Et iterum: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum?* et testis in cœlo fidelis (*ibid.*). Rogo, ubi est ista promissio, ubi thronus David perfectus sicut sol in conspectu Dei? et perseverans sicut dies cœli? Quod si veritas non fallit, nec fallitur, præsentim dicente beato Jacob: *Non auferetur scepterum de Juda, et dux de semore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen. XLIX*). Venite ad Ecclesiam Dei, et videbitis Filium et Dominum David sedentem in throno suo, cum potestate magna, et majestate.

Quod si adhuc impudenter et irrationaliiliter contenditis, et dicitis: Christus cum venerit, regnabit gens nostra cum illo. Videte primitivam Ecclesiam de gente vestra. Videte fratres vestros, qualiter regnant cum Christo. Ecce corda eorum vivunt in sæculum sæculi (*Psal. xxi*). Sapientiam eorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat omnis Ecclesia sanctorum (*Eccl. XXXIX*). Et adorant eos tribus et populi, et incurvantur ante eos filii matris eorum (*Gen. xxvii*), id est Ecclesiæ. Erubescite, inimici Christi, concubari sub pedibus ejus cui a Patre dictum est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal. cix*), et incepit fieri de membris ejus, ut bibatis redemptionis sanguinem, quem patres vestri fuderunt in suam pernicie.

Et de vobis gentilibus, quid dicam? Caro nostra et os nostrum estis, quæ res amplius de vestra vos reddit salute sollicitos. Quare enim non creditis Christum Deum esse? Creditis quidem illum natum, et natum ex Virgine absque ullo peccato vixisse. Sed quia Deum illum esse non creditis, erratis perniciose et perditissime delinquitis. Sed dicitis: Ita credere a propheta nostro edocti sumus. Si vultis scire quod vester ille pseudopropheta fuerit, ex verbis ejus condemnamus eum, et ex ore illius stultitiam ejus improbamus. Ille dicit Christum vere de Virgine natum, absque ullo mendacio et absque ullo peccato conversatum. Sed Christus qui ejus testimonio semper verax fuit, attestantibus prophetis et apostolis, Deum, et Dei Filium se esse apertissime in Evangelio professus est: ergo ille mendax

fuit, qui Christum Deum non esse perhibuit. Confiteite ergo viscera vestra ad Ecclesiam catholicam et apostolicam, quia sicut olim in diluvio præter arcani nullus inveniebatur locus salutis (*Gen. vii*), ita nunc præter Ecclesiam Christi nullus est locus disfugii.

His omissis, redeamus ad id de quo tractabamus, et differentiam partuum Mariæ et Evæ perpendamus. Eva parit corrupta, Maria incorrupta peperit. Eva in dolore, Maria in salute. Eva in vetustate, Maria in novitate. Ista servum, illa Dominum. Ista reum, illa justum. Ista peccatorem, illa justificantem a peccato. Evæ partus mortes multiplicat, partus Mariæ a morte salvat. Evæ parturienti draco insidiatur, partui Mariæ ab angelis ministratur. Evam parturientem tremor cordis occupat, parientem Mariam virtus divina letificat. Eva quos parit, multis exponit easibus, quos parit Maria, salvat a malis omnibus. Eva pariente, abundavit malitia, pariente vero Virgine Maria, superabundavit gratia. In partu Mariæ cœli lactati sunt, et terra exsultavit, infernus etiam commotus expavit. Cœli lætam dederunt stellam, irradientem (*Matth. ii*), et angelorum gloriosum exercitum collaudantem, et dicentem : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis* (*Luc. ii*).

Exsultans terra dedit pastores glorificantes (*Luc. ii*), et magos adorantes offerentesque munera, aurum, thus, et myrram (*Matth. ii*). Infernus conturbatus dedit regem impium, et commovit in iram satellitem grassantem in necem innocentum, nec miserante in lactantibus nteris, avulsosque ab ube-ribus occidentem (*ibid.*). Ita pariente Maria, boni lactati sunt et mali turbati, quia ille nascebat, qui bonis bona redderet et malos debita ultione feriret. Puta quando enixa est puerpera, faciem universitatis risisse, et lætum orbe suo plausisse Dominum. Puta cœlum abstersis nubibus induisse decorum, et sidera dicentia : Adsumus (*Job xxxviii*), luxisse ei cum jucunditate. Puta noctem effusisse lumen in tenebris, et pro caligine ministrasse splendorem. Nox illa dedit lumen antequam oriretur, et lucem quæ ob nimium splendorem jubar solis omnibus.

De hac nocte per Psalmistam dicitur : *Nox illuminatio mea in deliciis meis* (*Psal. cxxxviii*). Et conversus ad Dominum dixit : *Tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus* (*ibid.*). Fulgebat aeris grata et serena temperies, et cuncta pacata in ordine suo auctorem suavitatis et pacis venisse testabantur. Annon putas in ortu Christi cuncta pacata, quæ legis, illo moriente, cuncta turbata? Illo moriente turbarentur, et nascente non pacarentur; morientem suo sensu sentirent, nascentem nescirent? Si autem illo nascente cuncta letata sunt, mater ejus qualiter letabatur? Si cuncta gaudebant, illa quanto gaudio fruebatur? Ast quæ erat in genitricem lætitia, si ita gandebant omnia? Lingua bal-

butit, eor refugit, sensus expavescit ad pondus tanti gaudii. Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteum et mortale ad tantam vim gaudiorum poterat durare? quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbraverat. Ille dabat sufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat, et quam gloria majestatis replebat ineffabili abundantia, virtus Divinitatis mirabilis potentia continebat.

Cum igitur natum repromissum edidisset, diem ex die in nostrum peperisset, conversa ad Deum toto corde, vocem gratiarum et laudis sue auditam fecit in excelso (*Psal. xcvi*), obtulit acceptum labiorum sacrificium, et hostiam jubilationis immolavit, et dedit holocausta cordis pacifica, et thus odoris suavissimi in incensum Domini adolevit. Accipiens vero natum Emmanuel aspergit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, et sensit ignem aquis inexstinguibilem. Suscepit in testa carnis genitrix falgorem illuminantem omnia, et Verbum universa portans, portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, sicut aquæ maris inundantes rapiunt extra se, et mente sursum elevata, altissima contemplatione desfigitur. Miratur se virginem assumptam in matrem et Dei genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa patriarcharum promissa, prophetarum oracula et Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, et ortum ejus votis omnibus exspectabant. Videt Dei Filium sibi commendatum, et mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem et in se loquentem Dominum Deum : *Ecce elegi te ex omni carne* (*Eccl. xlvi*), et inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendavi tibi Filium meum, commisi tibi, unicum meum. Noli timere lactare quem genuisti, educare quem peperisti, agnosce non solum Deum, sed et filium. Filius meus est, filius tuus est. Filius meus ex divinitate, filius tuus ex assumpta humanitate. Quo itaque affectu et studio, qua humilitate et reverentia, qua dilectione et devotione id explerit, hominibus incognitum est et Deo cognitum, qui renum et cordium est scrutator (*Psal. vii*). Deo cognitum, qui *spirituum ponderator est* (*Prov. xvi*).

Sæpe, ut credimus, oblita esus ac potus, spretaque carnali necessitate, noctes insomnes agebat, ut Christum mente cogitaret, Christum carne videbat, cuius ardebat desiderio, cuius flagrabat obsequio. Sæpe etiam agebat, quod in Canticis cantorum scriptum est : *Ego dormio et cor meum vigilat* (*Cant. v*). Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete somniens, quæ per singulos dies cogitabat, et vigilans in eisdem se inveniebat et artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat (*Psal. iv*). Ubi erat thesaurus ejus, ibi et cor; ubi gloria, ibi et conscientia. Diligebat Deum ac Filium suum ex toto corde, ex tota mente et ex omnibus viribus suis; ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione,

et mandatorum omnium exsecutione. Videbat oculis et manibus tractabat verbum vitae. Felix cui praestitum est sovere eum, qui sovet ac nutrit omnia, portare portantem universa, laetare filium qui lac ipsis uberibus infudit, pascere cuneta pascentem et escaen avibus administrantem. Pendebat in collo ejus Patris sapientia et in humeris ejus virtus movents cuneta residebat. Stabat in sinu materno parvulus Jesus, et in gremio quiescebat virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, lœva dextraque tenentem, vulta placidissimo, Genitricem aspiciebat, quam desiderant angeli videre, et blando murinure vocabat genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus.

At illa repleta Spiritu sancto, sanctum pectus pueri suo pectori copulabat, et faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus et brachia, et materna confusa licentia, ab ejus ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat et audiebat, quem *multi reges et prophetæ voluerunt videre, et non viderunt, et audire et non audierunt* (*Luc. x.*). Proficiebat igitur magis ac magis in amore, et animus inardescens mente-pervigili, divinis obtutis inhærebat. Non labores, non dolores, non discrimina, non penurias aut necessitudines, non formidines, aut mortes, non regis impiissimi furorena et fugam redditumve in *Ægyptum*, et ex *Ægypto* pro nati charitate formidabat. Erat gratissima in opere, lætissima in actione, promptissima in obsequio, de votissima in ministerio, et humillima in famulatu. In eunetis prospere agebat, cuneta strenue et sapienter administrabat. Universa humanitatis officia vultu sereno, et mente tranquilla percurrit. Nam siue in theoria nulli similis exstitit, sic in activa vita similem non invenit. Sed quo tendit oratio? vineimur, et nos vinci gratulamur. Valde supra nos est, quod attentavimus, longe inferius jacemus. Ergo redeamus ad nos, et culpas fletibus diluamus. Rogemus matrem pretatis per areana gaudii, et ineffabiles amores, quos singulari privilegio meruit, ut maternæ pietatis affectum nobis impendat, et pro nostris excessibus apud proprium intercedat filium. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

#### HOMILIA V.

##### DE MENTIS ROBORE SEU MARTYRO BEATISSIME VIRGINIS.

Memores sponsonis nostræ et scientes quod a nobis nihil possumus facere (*II Cor. viii.*), non enim sumus sufficietes aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, a Patre luminum cordis laminationem et oris apertione imploramus. Scendum itaque duo esse genera martyrii, unum in manifesto, aliud in occulto, unum patens, aliud latens, unum in carne, aliud in spiritu. Carne sancti apostoli et martyres passi sunt, qui ob amorem veritatis, in testimonium Jesu se ipsos impenderunt, et effecti hostia Christi calicem Domini biberunt, ut

per crucem ascenderent ad majestatem, et per mortem temporalem vitæ æternæ particeps effici mercerentur. Isti in Canticis canticorum (*Cant. vii.*) ascendunt in palmam apprehendere fructus ejus et per ascensum purpureum (*Cant. vii.*) in lectulum veri Salomonis congregantur, ut discubant in reclinatorio aureo, et deliciis affluent universis, edentes ac bibentes in regno Dei, Christo illis administrante (*Luc. xxii.*). Spiritu vero sancti illi passi sunt, qui aliquid passione carnis durius in suis spiritibus pertulerunt. Spiritu passus est Abraham, quando jussus Isaac filium suum, quem unice diligebat, immolare, paterno pertentatur affectu et ab imis visceribus pietate nati movebatur (*Gen. xxii.*). Agebat tamen nihilominus injunctum opus impiger executor, et divinae jussionis accelerans imperium, itinere trium dierum pervenit ad montem Oreb, ubi, sicut ei fuerat imperatum, struem lignorum composuit, ligatum Isaac superimposuit, acceptoque gladio immolasset filium, nisi voce cœlitus lapsa repressus audisset: Ne extendas manus in puerum, nunc cognovi, quod timeas Deum. Vir iste supra carnem passus est, quia filium, quem carne propria plus amabat, et fide, et devotione offerre non distulit, et plenam faeti deliberationem, tertia die deinde ostendit.

Ita legislator Moyses animo passus, quando stetit in confractione in conspectu Dei, et pro populi salute rogatus, salutem suam longe projecit, dicens: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti (*Exod. xxxii.*). O jaculum in corde! o vulnus durius omni vulnere! o plaga intimes animæ visceribus inhærens! Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti. Optabat anathema esse a Christo pro fratribus (*Rom. ix.*), et aliorum suam reputans salutem, alieno quam suo damno magis affligeatur. Neque enim sibi fore integrum eredit, si aliis morientibus ipse viveret, et aliis perclitantibus solus regnum intraret. *Charitas quippe non quarit quæ sua sunt* (*I. Cor. xiii.*), quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Unde David et ipse animo passus, cum videret angelum cædente populum, ingemuit, et ex toto corde conversus ad Deum, se peccasse, se inique egisse commemorat, in se converti gladium exorat (*II. Reg. xxiv.*). Exenstat Israelem, se eum stirpe sua deleri expostulat, tantum ut muero madens sanguine a cæde conquiescat, et ultrix ira innocentes ultra non perimat. Futa advertimus ex his, quod mentis martyrium earnis tormenta excedat.

Hoc itaque patiendi genere gloriosa triumphans, quanto eunetis vicinior, tanto eunetis gloriosior, venerandæ cruci Dominicæ passionis inhæsit, hausit calicem, libit passionem, et torrente doloris potato, nulli unquam similem potuit perferre dolorem. Currit post Jesum, non tantum in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum. Non solum in gaudio consolationum, verum et in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem mater ejus in diade-

itate, quo coronaverat (*Cant. iii*) eum noverca synagoga, et ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. *Stabat autem juxta crucem (Joan. xix)*, ut illud duleissimum caput nati, unctum oleo justitiae p̄e participibus suis (*Psal. xliv*), arundine percussum et spinis coronatum tristi spectaculo videret. Aspiciebat specioso forma p̄e filii hominum non esse speciem (*ibid.*) neque decorum; excelsum super omnes gentes, despectum, et novissimum reputatum; Sanctum sanctorum eum sceleratis et iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, et cervicem sustinentis omnia, humeris inclinata pendere; serenissimam faciem Dei emarcuisse, et decorum vultus ejus absconditum. Ille illi per prophetam dicitur: *Vere tu es Deus absconditus (Isa. xlvi)*. Quare absconditus? quia non erat ei species, neque decor, et cornua in manibus ejus. *Ibi abscondita est fortitudo ejus (Habac. iii)*. Annon absconditus, quando manus misit ad fortia, et palinæ ejus clavos consecutæ sunt? Lucebat in manibus fixura clavorum, et latus innocuum dedit vulneri locum. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit plantas ejus, et bases ejus stipiti affixa sunt. Haec vulnera a suis, in domo sua, pro nobis passus est.

O præstantissima ejus vulnera, quibus mortem occidit, et inferna memordit! *Mors, inquit, ero mors tua, morsus tuus, inferne (Osee xiii)*. Capitus est Leviathan hamo, et dum hiatus ad escam vermis clamantis in Psalmo: *Ego sum vermis, et non homo (Psal. xxii)*, horum vulnerum ferro sauciatus inhaesit. His ergo tam pretiosis vulneribus irretitus est diabolus, et homo liberatus. Habet ergo, Ecclesia, habet, columba, foramina petræ, et cavernam mætræ, in quibus requiescas (*Cant. ii*). Ne timeas Goliath furentem (*I Reg. xvii*), animo atrocem, vultu minantem ingentia, quando a vero David mucrone proprio enervatus volebat percutere, et percussorem invenit; vulnerare curabat, et graviter ipse vulneratus est. Nodis ipse se suis implieuit, et suo se conatu dejecit. Non sua rapuit, et sua amisit. Alienam invasit et propria perdidit. Appensus est in statera sanguis Christi, et paterno judicio preponderans, hominum peccata, et diaboli vincula dissolvit. Exsoliatus itaque tam vasis pretiosissimus, quam omni gloria substantia, et armis in quibus habebat fiduciam (*Luc. xi*), hostis ille antiquus reservatur in iudicio, pro effusione sanguinis Filii Dei poenas æternas luiturus. Et vos cum illo, Judæi, ingrati, blasphemi, parricidæ, ardebitis, ut quos ministros invenit in scelere, sodales habeat in igne.

*Filios, ait Dominus, nutriti et exaltavi, ipsi autem contemnentes sprevrerunt me (Isa. i)*. Vere ille vos enatrivit, et exaltavit, et scelere vestro in cruce exaltatus est. Induit vos coccino in deliciis (*II Reg. i*), et ornato gloriae, et insanæ vestra denudatus est. Corona inclyta protexit vos (*Prov. iv*), et coronam spineam capiti ejus imposuistis. Cibavit vos ex adipe

frumenti (*Psal. cxlvii*), et fel ei in escam dedistis. Dederunt, ait, in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal. lxviii*). Longos fecit funiculos hæreditatis vestre, et clavos vestros consolidavit (*Isa. liv*), vos autem brachia ejus extendistis, et manus, quæ mortuos suscitaverant, clavis affixistis. Obstupuit cœlum super hoc, et indutum est tenebris quasi sacco cilicino. Sol et luna retraxerunt splendorem suum, (*Matth. xxvi*), et habitu mæroris circumdati, visi sunt flere factorem suum. Aer obtenebratus, et densa caligine congregatus est. Terra tremuit, et commota est. Saxa scissa sunt, monumenta aperta sunt, et ab inferis mortui surrexerunt (*ibid.*). Infernus ipse seclus exhorruit, et inferi furiæ conturbatae sunt. Judæus vero terra insensibilior, saxis durior, inferno crudelior, dæmonibus infidelior, neque sensit Dominum, neque sciit animum, nec seclus exhorruit, nec fidem adhucuit. Et quid facies, popule nequam, gens scelerata, domus effundens sanguinem Crucifixi, cum venerit in nubibus cum potestate magna et majestate, descendet ardenter cœlis et terra, et adventus sui terrore elementa dissolvet, et cum venerit, signum crucis apparebit in cœlo, et ostendet dilectus cicatrices vulnerum, et loca clavorum quibus a te in domo tua confixus est? Tunc planges te super te planctu quasi unigeniti, et dices montibus: *Operite nos, et collibus: Cadite super nos (Luc. xxiii)* a facie gladii columbæ, et ab ira furoris Domini. Pone te in elibanum ignis in tempore vultus sui, in ira sua conturbabit te, et devorabit te ignis (*Psal. xx*). Turbo veniens rapiet te, tempestas sæva demerget te, ignis æternus succendet te, tartareumque chaos sero precantem involvet. Et ne dicas more tuo solito: *In longum prophetat iste (Ezech. xii)*, ecce Dominus asportari te fecit, ut asportatur gallus gallinaceus, et sicut amictorum sublevavit te (*Isa. xxii*), ut vilis et exsul moriaris in terra non tua, et duplice contritione contritus, sola vexatione amissum intellectum recipias, et discas ex poena, quæ ex culpa præsumpsisti.

Igitur tam pro nati morte, quam pro Judæorum perditione, ineffabili dolore gloriose pectus urebatur, et altissimo pietatis jaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarus ipsa morte, et quod hominum genus ferre non posset, adjuta divino munere femina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem et passa est ultra humanitatem. Torquebatur namque magis, quasi torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat. Et ut paulisper omittamus acerbissimam illam de morte nati mœstiam, quis explicet quo dolore arcebatur beata Virgo, quibusve premebatur angustiis, cum propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, et ipsius olim civitatis sancte Hierusalem eversionem. Certe prophetæ præscii futurorum prædixerunt exiendum Judeorum, et interi-

tum suorum fletu multo prosecuti sunt. Ipse Dominus movit lacrymas super Hierusalem (*Luc. xix.*), et apostoli multo tempore flevere perfidiam patriae. Paulus plenus pietate optavit anathema esse a Christo pro fratribus (*Rom. ix.*), qui erant secundum carnem, ut eos ad salutem provocaret, et emulacionem; quanto magis Mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret, quibuslibet se penitus et mortibus objiceret, et imminentem interitum, et cladem a gente sua submoveret.

Sed honor regis judicium diligit, et Dei summi justitia irrefragabilis justissime disponebat, quando alma redemptoris et misericordiae Mater plangebat. Nec vero quisquam opponat, Judaeos exosos Dei genitrici, eo quod filium suum morte turpissima condannarunt. Quos enim morti aeternae appropriare videbat, nequaquam odio suo dignos existimavit, et sugillatione, sed affectu plurimo, sed lacrymis multis et magna miseratione. Unde tam particeps charitatis, quam crucis Jesu assumpsit orationem pro eis, corde perfecto paternae pietatis aures compulsans: *Pater, dimitte illis hanc noxam, quia ne-  
sciunt quid faciunt* (*Luc. xxiii.*). Haec vox ejus, desiderium ejus fuit, quod melius aures pulsantur in circumscripsi Spiritus, replentis omnia, et ubique audientis. Ceterum quicunque diligitis matrem Domini, advertite, et totis affectuum visceribus considerate, quantum et inimicos Unigeniti plangeret morientis. Effugit omnem sensum, humanos intellectus exsuperat concepta de passione nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam moeroris acerbitatem accedit comparatio. Quae enim mater dilexit filium suum, ut ista? Non enim fortuito concepit, ut ceterae mulieres, sed unicus Patris pia electione et gratuita bonitate matris visceribus influxit, hoc est unde magis diligebat. Neque vero, ut ceteri, offensam in vita sua matri retulit, sed gratiae gratuitatem infudit, dicente de eo Scriptura: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolor in ore ejus* (*I Petr. ii.*). Item ait de gratia: *Speciosus forma praefilii hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum* (*Psal. xlvi.*). Hoc est unde magis diligebat. Eumdem quoque habuit Deum, quem et Filium, quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal. lxxxvi.*). Et hoc est, unde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim a saeculo meruit habere eumdem filiumque et Deum.

Ergo abysso abyssum invocante (*Psal. xli.*), duæ dilectiones in uiam convenerant, et ex duobus amoriibus factus est amor unus, cum Virgo mater filio divinitatis amore impenderet, et in Deo amorem nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat plus doluit, et amoris magnitudo attulit somenta passionis. Quid enim ageret, cum in Calvariae consistenter loco, et videret crucem, clavos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exsatiatam immanitatem Pharisæi furentis invidia? Pendebat ille luens nostra, non sua delicta, et Pharisæi cum scribis illudentes

percutiebant caput ejus, et offerebant acetum felle mistum ori ejus (*Joan. xix.*), ut impleretur propheta David dicentis ex persona Christi: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (*Psal. lxviii.*). Inter haec Dei genitrix consternabatur animo, et dolores ut parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi moeror, ibi dolor, ibi agonia, ibi astus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, ubi vita non tollitur et mortis angustia toleratur. O veneranda, et plena devotionis et lacrymarum memoria! recordari, qualiter sancta illa anima gloriose passa sit, quasve pertulerit de Christi morte angustias! Pallidus vultus Jesu exsanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Denique contumeliae et opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi amarior morte fuit. Et licet edocta Spiritu resurrectorum non ambigeret, necesse illi tamen fuit paternum calicem bibere, et horam suee passionis non ignorare. De hoc illi prophetavit reverendus senex Simeon, dicens: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit* (*Luc. ii.*). O Domine Jesu, terribilis in consiliis super filios hominum (*Psal. lxxv.*), nec Matru tuæ pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret. Hac nobis per igneum gladium, atque versatilem transeundum omnibus in communione ad lignum vite, quod est in medio paradisi (*Gen. iii.*).

Sed ad ordinem redeamus. Poterat ergo beata Maria illud, quod specialiter Christo convenit, exclamare: *O vos omnes, qui transitis per viam, atte-  
dite et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus* (*Thren. i.*). O quantus et qualis dolor, o quæ et qualis in illo dolore Maria, et nunc qualis erat, quantum distabat ab illa, quæ inter choros angelorum nato obsequia deferebat pastoribus glorificantibus, et magis adorantibus cum oblatione munereum mysticorum? Distabat vero, non virtute, sed moerore, non gratia, sed pressura. Nam virtute augebatur et multiplicabatur gratia. Propterea in tanta posita adversitate, nec resolvit pudorem verecundiae, nec amisit vigorem constantiae. Ad cujus rei probationem ait de ea beatus Ambrosius Mediolanensis episcopus: *Lego stantem juxta crucem Domini, non lego plorantem. Stare namque in illa cordis amaritudine magne ascribitur constantia, abstinere a lacrymis summæ verecundiae adnotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissima quadam animi magnanimitate.* Itaque nec dolor excussit lacrymas, nec animum poena dejicit. Quia hinc pudor honestus, illinc fortis constantia decertabant. Ergo, charissimi, imitemur Matrem Domini, ut inter adversa non obliviscamur verecundiae et memores simus constantiae. Non deerunt tristitiae, non deerunt adversa, non deerunt tentamenta, et mors ipsa transitum faciet per nos. Vallemus animum humili verecundia, et firma constantia. Vivat in mortem pudor, et inter gladios animi constantia perseveret. Tunc effecti morum similitudine similes Genitrici Dei, post eam addu-

cemur in templum regis et filii sui. Cui cum Patre et Spiritu sancto laus est ab omni creatura, per infinita saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA VI.

DE GAUDIO ET ADMIRATIONE B. V. IN RESURRECTIONE ET ASCENSIONE JESU FILII SUI AD PATRIS PEXTERAM.

*Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi (Cant. v).* Invito vos ad mensam sapientiae et ad vini libanina, que miscuit vobis in cratere calicis praeclari. Invito vos ad epulas gloriose, ad convivium Dc: Genitricis. Felix, qui tali potitus convivio, coram recumbentibus in ueste nuptiali fulgebit! Apponetur ei panis vitae, confirmans, replens et satiaus suavitate mirifica. Et vinum letitiae, vinum procedens de genimine vitis, vere vinum resurrectionis, expressum de ligno Dominicæ passionis. Hoc vinum botrus ille protulit (*Num. xiii.*) qui ablatus e terra promissionis in vete ligneo pepenit. Edet præterea præfatus conviva in stola prima, et annulo pacis, occisum a patre vitulum saginatum, accinctus renes zona fidei et castitatis, habens etiam calceamenta in pedibus (*Luc. xv.*), utpote ad omne opus bonum præparatus, agni Paschalis assas igni carnes manducabit (*Exod. xii.*). Nec deerit edentis voluntati hihiuulas cervæ gratissimæ, et cervus saliens de valle inferi in montem cœli. Delinc percepto pisce, qui ad littus maris inventus est super prunas (*Joan. xxi.*), apparente discipulis Domino in resurrectione, gustabit simul favum mellis. Sumensque Canticum de Canticis cantorum dicet in illa die: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo (Cant. v).* Afluenus itaque deliciis universis, ita secum alios ad prandium invitabat (*ibid.*): *Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi.* Et ego, fratres ad hoc prandium vos invito. Edite panem vitae, vinum letitiae bibite, inebriamini gaudio resurrectionis. Ebrietas haec summa sobrietas est, haec mundi memoriam obliterat, et Deum præsentem animo semper incoleat, hac ebrios quisque cunctorum semper obliviscitur, et solius divinae charitatis recordatur. Hac igitur et vos inebriamini, dilectissimi, cum Dei Genitricc inebriamini, et gaudete cum gaudente, qui cum lugente luctistis.

Tempus gaudii, et tempus mœroris, ait Salomon (*Eccl. iii.*). Mœror abiit, gaudii tempus advenit, verum gaudium, quod de Christi resurrectione provent. Surrexit enim, et erexit animum Matris sue. Jacebat illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus jacuit in sepulcro. Illo namque resurgentे, revixit spiritus ejus, et quasi de gravi somno evigilans, solem justitiae et radios resurgentē in luce matutina respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ, et præcedentem in filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, et mente ceruebat gloriam Divinitatis, ut intus et foris egrediens et ingrediens fueretur pascuis verae sempiternæque felicitatis.

Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhaesit corde letissimo Patri spirituum, et conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur. Domine, in virtute tua letitia est valde, et super salutare tuum exsultata est vehementer; desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam (*Psal. xx.*). Corona capitis ejus Christus est, dicens sapientissimo, quod filius sapiens corona sit matris sue (*Cant. iii.*). Et quis sapientior illo qui est Patris sapientia. Bene autem corona de lapide esse dicitur, quia in Novo et Veteri Testamento nomine lapiðis Christus significatur. Dictus est lapis, propter potentiam, pretiosus propter gloriam. Et utraque Psalmista complexus est, dicens: *Dominus virtutum ipse est rex gloriae (Psal. xiii.)*. Quia Dominus virtutum, ideo lapis; quia rex gloriae, pretiosus. Nihil vero lapide fortius, nihil gloria pretiosius est.

Habes ergo, o beata, gaudium tuum, impletum est desiderium tuum, et Christus corona capitis tui attulit tibi cœli principatum per gratiam, regnum mundi per misericordiam, inferni subjagationem per vindictam. Ille tibi ab inferis vitor ascendit, ille contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit (*Psal. cvi.*). Inferni munitiones obtinuit, et capita draconis allisit. Dedit hostium tuorum strages innumeræ, et principem lethi religavit occidit mortem, et mortis auctorem projecit in vinculis. Catenis igneis auctor ille mortis religatus est.

Inde eduxit suos de tenebris, et vincula eorum discepit. Animas omnium justorum ambulantes in lumine vultus ejus, et in nomine ejus exsultantes associavit sibi, in justitia ejus exaltata sunt, quæ propter injusticias suas humiliabantur. Solus fuit in transitu ad inferos Dominus Jesus, sicut ex persona illius David cecinīt, dicens: *Singulariter sum ego, donec transeam (Psal. cxi.)*. Solus in ingressu, sed in egressu minime solus, qui innumeræ sanctorum millia secum reduxit. Cecidit in terram, et mortuus est (*Joan. xii.*), ut fructum multum afferret. Depositū se in sementem, ut humanum genus colligeret in segete. Felix alvus Mariæ, in qua seges ista coaluit. Felix cui dictum est: *Venter tuus ut acervus tritici vallatus liliis (Cant. vii.)*. Annon ut acervus tritici venter ejus, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum seges excrevit? In fonte quippe baptismatis peccatis, et nobis ipsis mortui, per lavaerum regenerationis Christo renascimur, ut ei vivamus, qui pro omnibus mortuus est. Unde Apostolus ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal. iii.)*. Ergo ex uno grano multæ segetes, et ex alvo virginis granum illud. Ideo acervus nominatur, ut seminis, non numerositate, virtute, non pluralitate.

Liliis namque vallatis dicitur, eo quod uteri materni pereennis integritas Scripturæ sacræ eloquis comprobetur. Quid enim sunt aliud divina eloquia,

nisi quædam lilia emanantia candorem puritatis, et gratum puritati spirantia odorem suavitatis. Hinc est quod verbum Patris, et sapientia, et candor lucis æternæ (*Sap. vii*), nominatur. Et de divinis eloquiis per Psalmistam dicitur : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terra, purgatum septuplum* (*Psal. xi*). Nam de odore scriptum est in Canticis canticorum : *Curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant. i*), id est in notitiam eloquiorum. Eloquia enim Domini unguenta pretiosissima sunt, quibus morbus animalium expellitur, quibus congrua, vulneribus medicina confertur. Horum antidoto dira serpentis venena diffugiunt, horum fomentis acerba vulnera cedunt, horum ope sauciatus ille curatur, qui incidit in latrones, cum descendenter ab Hierusalem in Jericho (*Luc. x*); de quorum item odore in praefatis Canticis haec sponsi ad sponsam vox est : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Cant. iv*). Cui alibi dixit : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* (*Cant. i*). Habet enim Ecclesia sponsa Christi ubera testamentorum, quibus infundat parvulis lac consolationis, perfectis lac exhortationis.

Nee mirum, si ejus lacte perfecti alantur, quæ ait : *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens* (*Cant. viii*), hæc ubera meliora sunt vino. Et Paulo attestante : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (*I Cor. iii*). Meliora ergo sunt ubera ejus vino inanis philosophiæ, vino sæcularis scientiæ, vino cupiditatis mundanæ, non quidem expresso de vinea Sorec, neque de vinea Cypri, aut de vinea Engaddi (*Cant. i*), sed de vinea Sodomorum et de suburbanis Gomorrhæ, aut certe de uva fellis et botro amaritudinis. Itaque adolescentule memores uberum spouse, super vinum lactis ejus copia enutriti desiderant, ut eo crescant in salutem : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* (*Cant. i*). Fragrant hæc ubera unguentis optimis, cum præfata Ecclesiæ testamenta perfectis innotescunt eloquiis, ut pro sensuum capacitate alios historicæ superficie nutriant et alios morali suavitate instruant, alios mystica intelligentia ad alta sustollant. Fragrant etiam unguentis optimis, cum eisdem testamentis additur gratia spiritualis intelligentiæ, et virtus charitatis divinæ, ut velut quædam lilia candeant ex dono intelligentiæ, redoleant ex amoris suavitate. Inter haec lilia dilectus pascitur, ut ejus dilecta voce dicitur : *Dilectus, inquit, meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia* (*Cant. ii*). Inter lilia quippe pascitur, cum verbi ejus interna dulcedine legentis animus in Scripturis satiat. His ergo liliis vallata Dei Genitrix audivit ab ore Salomonis : *Venter tuus ut acervus tritici vallatus liliis* (*Cant. vii*).

Possunt quoque per lilia sanctorum animæ designari, candentes per vitæ meritum, fragrantes per virtutis exemplum. De candore Psalmista Deo ait : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis*

*me, et super nivem dealbabor* (*Psal. i*). Et de odore ita pronuntiat : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal. xliv*). De quo et Apostolus : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor. ii*). Vallata igitur liliis Redemptoris Mater, aptissime hunc illis congruentem poterit proferre sermonem : *Gaudium meum et corona mea* (*Phil. iv*); omnes vos estis acquisiti sanguine meo et carne sumpta de carne mea. His etiam liliis septus erat, dum animas justorum ab inferno eriperet, suæque gloriae dotatione bearet. Verus enim Jacob in baculo crucis transiit Jordanem (*Gen. xxxii*) mortalitatis, et cum duabus turmis regressus est. Ego duas turmas, circumisionem et præputium, eos qui in lege et ante legem fuere, intelligo. Ergo solus obiit, et senore multiplicato revixit. Nam vita omnium ipse est, et vita omnium cum ipso resurrexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor. xv*). Cujus morte pullulavimus, cuius sanguine radix nostra succrevit, cuius resurrectione corpus effloruit.

Effloruit vero non ut fenum, sed ut verbum, non ut dies sæculi, sed ut dies cœli. Hinc voce summi Patris de semine David dicitur : *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli* (*Psal. lxxxviii*). Igitur aeternus flos de radice ejus ascendit, qui aruit ex passione, sed refloruit ex resurrectione. Refloruit autem non ut denovo decidat, tanquam flos agri, sed ut verbum Domini maneat in aeternum. Nam : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i*). Propterea vir desideriorum Daniel (*Cap. vii*), Filium hominis usque ad Antiquum dierum venisse perhibet, ut Filium hominis demonstraret. Quem bene intuens Psalmista ait : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui* (*Psal. xliv*), et quæ sequuntur. Ecce qui Deum nominat, cuius sedem in sæculum sæculi esse memorat. Hunc postmodum unctum a Deo oleo lætitiae præ consortibus narrat (*ibid.*). Deus enim ab aeterno cum Pater narrat, regnat in sæculum sæculi, et homo ex tempore nungit oleo lætitiae præ consortibus suis. Vere præ consortibus, cui Pater ait : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal. ii*). Et illud : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal. cix*). Quem ut Patri æqualem ex divinitate intelligas, audi dicentem in Evangelio : *Ego et Pater unus sumus* (*Joan. x*), et : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan. xiv*).

De ipso quoque Apostolus ait : *Quia Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Phil. ii*), et cætera quæ sequuntur. Equidem genu inferorum flectitur illi per terrorem, genu terrestrium per acquisitionem, genu cœlestium per beatificationem (*ibid.*). Iстis namque intentat supplicia, illos eduxit a miseria, illos extollit in gloria. Iстis terribilis in judicio, illis misericors in auxilio, et his munificus in præmio. Dæmones enim subjicit gladio suo, homines redimens sanguine suo, angerlos satians vultu suo.

Ergo inferna prosternunt genu, trementes potentiam ejus, terrestria curvant genu, laudantes clementiam ejus, cœlestia flectunt genu, elamantes : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth (Isa. vi).* Ipse est Filius tuus, o Maria, ipse amor tuus, resurrexit tibi die tertia, et in carne tua ascendit super omnes cœlos, ut omnia adimpleret. Habes ergo, o beata, gaudium tuum, attributum est tibi desiderium tuum, et corona capitis tui. Attulit tibi cœli principatum per gloriam, regnum mundi per misericordiam, inferni suljugationem per potentiam. Tantæ igitur, tamque ineffabili gloriae tuæ diversis affectibus cuncta respondent; angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore. Cœlo namque venerabilis, mundo amabilis, orco terribilis es.

Gaudete itaque, et lætare, quia surrexit susceptor tuus, gloria tua, exaltans caput tuum. Gavisa es in conceptione, afflita in passione, iterum gaudie in resurrectione, et gaudium tuum nemo tollet a te. *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors icti ultra non dominabitur (Rom. vi).* Propterea vocat te : *Surge, propria amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit (Cant. ii).* Amica mea, per conjunctionem ; columba mea, per unionem ; formosa mea, per decus et compositionem ; surge de mœrore, de afflictione, de humiliatione et pulvere, quæ doloris indicia sunt : propria, tolle moras, onus excute, gravitatem exue, levitatem inde, cursum arripe, volatuum assume, et veni. Veni, ut gaudias gloriam Dei, primitias resurrectionis, primogeniti ex mortuis. Jani hiems transit, qua Petrus torpens negavit, qua corda Judæorum congelata, extinxere sibi solem justitiae, prunis voluntatum suarum succensi. Imber abiit, et recessit, imber turbidus, luctulentus, ruinosus, mistus nive et grandine abiit, et recessit. Imber conclamantium, et dicentium : *Crucifige, crucifige eum (Joan. xix),* abiit, et recessit. Abiit quoque imber, quo area gentiliuin, et vellus Judaici populi meruit exsiccati. Flores apparuerunt in terra nostra, flores utique beatorum spirituum et angelorum alternatim vernantia, et locum odore suavissimo spargentium, ubi positus Dominus.

Ilos vetus Scriptura significans expressit, cum duo cœlata Cherubim super propitiatorium in utraque summitate instituit (*Exod. xxxvi*), ac ea in foribus tabernaculi cum palmis depinxit (*III Reg. vi*). Causa evidens est, figuris fuit obumbrata, nunc reipsa exhibita. Palmæ præferunt insigne resurrectionis ; fores, et propitiatorium designant illud qui est patens aditus ad regnum, et propitiacionem pro peccatis hominum (*Joan. ii*). Duo namque cherubim, duo sunt angeli, quorum unus ad caput, et unus sedet ad pedes, ubi positum fuerat corpus Christi (*Joan. xx*). Qui flores jure nominantur, quia summi Dei æternitas ver illis præbet æternum,

ut semper florent, nunquam marcescant, nunquam decadant, et specie inviolabili idem permaneant. Flores etiam visi sunt in terra nostra, cum ascende Domino astiterunt duo viri juxta apostolos, qui et dixerunt : *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (Act. i).* Tempus putationis advenit, putatus est infernus, et de corde creditum diabolus amputatus. Os Domini separavit pretiosa a vilibus, præcidens sarmenta de vitibus (*Jer. xv*), et colligenus zizania de messibus, ut grana condat in horrea (*Matth. xiii*), rogo tradens ad comburendum zizania. O triste divortium, luctus et gaudium passim mista! O dulcis et amara dies, cum justus Iudex rediens ab inferis, aliis dorsum opposuit, aliis faciem desideratam ostendit, alios reliquit in suppicio, alios extulit coheredes in regno, illos dimisit arsuros cum diabolo, hos evexit coronandos in cœlo! Viderunt impii, et sine spe ingemuerunt : viderunt boni, et corde pleno letati sunt. O miseri, quibus non subvenit misericordia! o boni, quibus occurrit in gloria! O miseri, quos ipsa unigeniti passio non adjuvit! o boni, quos a morte perpetua eripuit! Viderunt impii, et sine spe ingemuerunt; viderunt boni, et vocem in jubilo levaverunt.

Pariterque tu gloriosa natum ab inferis ascendenter vidisti, natigloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti et defecisti. Defecit caro tua et cor tuum (*Psal. lxii*), liquefacta es (*Cant. v*), ut vocem dilecti filii tecum loquentis audisti. Factum est verbum ejus quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo divinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suavissimum obtulisti. O Phoenix aromatizans gratius cinnamomo et balsamo, et nardo suavius regem in aspectu tuo delectans. O Phoenix congregans omnes species, et igne circumfusa superessentiali, ut cœlum cœlorum, et cœli potestates angelicas mirifice repleas suavitatis incenso. Hoc incensum suavissimum est, hoc thymiana bene compositum procedit de thuribulo cordis Mariæ (*Exod. xxx*), et universa suaviter olentia excedit. Porro thuribulum sequens incensum et elevatum manu Domini, ascendit usque ad thronum Præsidentis. Ascendit stipatum prosequitione angelicorum spirituum, clamantium in excelsis, atque dicentium : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? (Cant. iii.)* Sed jam sermo noster iste usque ad ascensum pertractus finiatur, ut alius ascensum hunc, opitulante Deo, plenius exequatur. Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

#### HOMILIA VII.

DE B. VIRGINIS OBITU, ASSUMPTIONE IN CŒLUM, EXALTATIONE AD FILII DEXTERAM

Cogitanti mihi, et sapienti animo retractanti Dei Genitricis assumptionem, quæstio quidem occurrit, quæ digna inquisitione, utilis inventione, dulcis

admodum clarebit communicatione. Quæritur enim, cur ascende in cœlum Dominus, Mater ejus quæ tanto eum amplectebatur affectu, non statim secuta est? Cum enim nulla peccati nube depressa, nulla vitæ macula respersa, super ignem ruberet ob charitatem, luce clarior ob castitatem, ipsis etiam præclara cœligenis ob virginæ partus novitatem, mirum videbatur, quare cum Filio non statim ad æthera provehebatur. Certe Enoch in cordis munditia cum Deo ambulavit, et non comparuit, quia transtulit illum Deus (*Gen. v.*). Elias quoque charitatis igne nimio succensus, curru igneo et equis igneis raptus memoratur (*IV Reg. ii.*). Illa vero excedens Enoch cordis munditia, et amoris prærogativa major Elia, quare cum illo quem genuit, non illico in cœlum efferebatur? Erat namque plena gratia, et in mulieribus benedicta (*Luc. i.*). Denique verum de Deo vero sola meruit concipere, quem Virgo peperit, Virgo lactavit, fovens in gremio, eique in omnibus almo ministravit obsequio. Passa est demum magis spiritu quam carne cum moriente, revixit Spiritu Dei cum resurgentem, et quare non ascendit cum ascende? Ejus quippe sacratissima caro, quæ de Spiritu sancto grava fuit, quæ germine magnifici Regis intumuit, in quo Deus homo, *Verbum caro factum est* (*Joan. i.*), et mediante Christo plenitudo divinitatis mansit in ea corporaliter (*Coloss. ii.*), assumpto Domino videretur inferenda cœlo.

Utquid enim retardata est, vel ad momentum? aut passa Nati divortium? Utquid dilatum est ferventius igne tam sanctum ejus desiderium? Quoniam ista dilatio discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio matri nihil minuit, et mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Jesus, ut ipso ad Patrem revertente, apostoli materno solatio et eruditione fruerentur. Qui quidem licet edacti essent a Spiritu, ab illa tamen poterunt edoceri, quæ mundo justitiae solem edidit, et frontem sapientiae ex prato virgineo, intemerato nobis alveo produxit. Mira denique pietate primitivæ Ecclesiæ provisum est, ut quæ Deum in carne hac præsentem jam minime cerneret, matrem ejus visu jucundissimo recreata videret. Quid enim tam jucundum, quid tam decorum ac delectabile, quam Matrem Plasmatoris et Redemptoris omnium videre? Nam si sepulcrum ejusdem nostri Redemptoris, quod exstat usque hodie, ita visui desiderabile est; si lapis, in quo requievit stirps sancta Jesse, tanta est expetibilis celebritate, ut affectus et animos cunctorum provocet in se, et quadam pietatis arte trahat ad se omnia; quæ vel qualis erat Dei Genitricem cernere lætitia, donec eam divina pietas communi sorte degente nobiscum concessit in terra? Beata gens et felix generatio, quæ tali spectaculo meruit illustrari. Beata plane, in cuius medio credentis et fruentis constitit arbor producens fructum vitæ, effulsiit Genitrix lucis vera, apparuit puteus ille clausus et signatus, de quo

egressus est fons domus David, patens in ablutione peccatoris et menstruatae (*Zach. xiii.*). Hoc insigne privilegium, hoc celeste munus, hæc gratia specialis Ecclesiæ primitivorum præstata sunt.

Denique Virgo Mater, omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suaviter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis, serebat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, et præferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu ejus, et ignis exardescens a facie ejus (*Psal. xvi.*). *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur ab ea* (*Dan. vii.*), qui hostes succenderet, amicos confoveret, juvaret proximos, conseruaret inimicos. Fertur ab iis, qui norunt naturam animalium, quod solo visu, et flatu mortifero vicina queque sibi regulus venenatus interimat: sic illa e regione ignis divini calore vehementer accensa, et verbi flammigerantis sparsa incendiis, odorem resuscitantis gratiæ, iis qui longe, et iis qui prope (*Isa. lvii.*) commanebant, exhalabat.

Et aliis quidem, id est adversæ partis erat *odor mortis in mortem*: aliis vero, id est creditibus in Filium suum, *odor vitæ in vitam* (*II Cor. ii.*). Sieut enim in Eva omnes moriuntur, ita et in Maria omnes viviscabuntur. Et sicut Evæ scelere fit mundi damnatio, (*Gen. iii.*), ita fide Mariae facta est orbis reparatio. Illa infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros; hæc infusa vitali antidoto, quod fidelis transmisit ad universos. Corruit illa male credula serpenti: surrexit ista, et juxta verbum quod dixerat Deus in Genesi, contrivit caput serpentis (*Gen. iii.*), ab initio prænuntiata, et nunc Ecclesiæ primitivorum donata, extunde re promissa, et in fine temporum exhibita.

Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reverendæ majestatis deus aspicere, et vultum omnimoda suavitate imperiali etiam dignitate, et singulari præditum potestate videre? Quippe nihil inveniebatur illi simile in filiis et filiabus Adæ. Nihil tale in prophetis, in apostolis aut in evangelistis. Nihil illi simile cœlum vel terra dedere. Quis enim in nubibus æquaretur ei (*Psal. lxxxviii.*), aut similis foret Matri Domini inter filios Dei? Et vide quam recte ordine citra assumptionem effulgit admirabile nomen ejus in universa terra, et fama ejus celeberima ubique diffusa est, priusquam elevaretur magnificentia ejus super cœlos. Decebat enim Matrem Domini virginem, et ob natu sui honorem, primo terris regnare, et ita demum cœlos cum gloria suscipere. Dilatari et insimis, ut et superna in plenitudine sancta penetraret, translata sicut de virtute in virtutem, sic a claritate in claritatem a Domini Spiritu (*II Cor. iii.*). Igitur in carne præsens, futuri regni primitias prælibabat, et nunc accedens ad Deum ineffabili sublimitate, nunc et proximis condescendens inenarrabili charitate. Inde

angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Assistebat ei paranyphus Gabriel cum angelis, cui Joannes gaudens sibi virginem Matrem virginem in cruce commendatam, cum apostolis ministrabat (*Joan. xix.*). Illi reginam, isti videre dominam lætabantur, et utriusque pro devotionis affectu obsequabantur.

At illa residens in arce sublimissima virtutum, et pelago divinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, quæ cunctos excesserat, credenti et si- tienti populo largissima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, et animis medelam afferebat, potens suscitare a morte carnis et animæ. Quis unquam ab ea æger vel tristis aut ignarus cœlestium mysteriorum abiit? Quis non letus et gaudens rediit ad propria, impetrato a Matre Domini quod voluit? Mariae præsentia grata veris temperiem exhibebat, et quo favens se verteret, paradiſus erat. *Emissiones tuy*, ait sponsus, *paradiſus malorum Punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani. Myrrha et aloes, cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* (*Cant. iv.*). Habet quippe paradiſus gloriæ Virginis mala Punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet et Cyprum cum nardo, illam fertilem uavarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, et suave fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus et nardus lætitiae, fistula expollitionis carnis, cinnamomum suavitatis, cum universis lignis Libani, per quam virtutum universitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis et aloes incorruptionis, cum omnibus primis unguentis effusis in oratione, ab illo unguento, quod consistens in capite, descendit in barbam, barbam Aaron (*Psal. cxxxii.*), non illius veteris et significantis, sed novi et significati. Descenditque in oram vestimenti ejus, quod est Ecclesia, ipsi vero Aaron, juxta Paulum, exhibita sine macula et ruga (*Ephes. v.*).

His ergo tantisque bonis exuberans sponsa, sponsa mater uiuici, suavis et charissima in deliciis, ut *fons hortorum rationabilium, et puteus aquarum viventium et vivificantium, quæ fluunt impetu de Libano* (*Cant. iv.*) a monte Sion usque ad circumfusas quasque et exteris nationes, pacis flumina et gratiarum emanationes, cœlica infusione derivabat. Unde B. David, cum de filio ejus Domino nostro loqueretur. *Erit, inquiens, in diebus ejus justitia et abundantia pacis, apte de illa mox intulit, donec auferatur luna* (*Psal. lxxi.*). Luna ipsa est quæ cœlo terrisque irradians, astris sanctorum longe coruscat. *Donec, ait, auferatur luna* quæ elevato sole justitiae stetit in ordine suo (*Josue x.*), et prima Ecclesiæ primitivorum insulsi. Tradit fides majorum juxta veritatem historiæ, ab ortu Salvatoris usque ad transitum Matri gloriæ, terrarum accolas, sopita armorum rabiæ, continua ac tranquilla pice quievisse. Hæc in

solutione propositæ questionis diximus, ut quo fructu Genitricis Regis nostri dilata sit, monstravimus.

Sane etiam advertendum ex hac ejus dilatione, ut quæque fidelis anima, vulnerata charitate, et jalulis amoris confossa, discat non murmurare, si eam evencrit non hinc ad vota migrare. Ecce differunt Mater Domini, quis audeat murmurare? Differunt ut proficiat, proficit perseverando. Amori enim, vel operi juncta perseverantia, plenitudinem creat, parit perfectionem.

Hinc est quod voce Psalmistæ de justo dicitur: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal. xci.*). Palma emenso numero spatio florere dicitur, et cedrus Libani annoso proiectu multiplicatur; sic justus animo canescens ut palma florebit diuturnitate. Hinc memoratus Psalmista apte pauca subjunxit: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi* (*ibid.*). Advertendum itaque optimi meriti, ac singularis justitiae Mariam, quæ super angelos meruit exaltari, prius hic in senecta uberi debuisse multiplicari. Quæd ubi provenit ex divino munere, absconditus honor ejus, et forma quam gessit in occulto, effecta luce clariori et omni elegancia præstantior, ora in se supernorum civium amicos mirabilis dilectione convertit.

Jam vero quis digne laudibus esferat sacratissimam ejus assumptionem? quis fatu explicit quam leta migravit a corpore, quam leta vidit Filium, quam gaudens properavit ad Dominum, angelorum vallata choris, apostolicis fulta obsequiis, dum regem cerneret in decore, et natum cum gloria præstolantem se videret, sicut expers totius corruptelæ, sic immunis ab omni molestia? De carnis habitaculo educta est perenniter habitatura cum Christo. Transiit autem in visione Dci, et beatissimam illam animam sole clariorem, cœlo celsiorem, angelis digniorem, Domino exhalavit. Enimvero in transitu ejus glorioso illustratur mons Sion, ubi proiecta dierum decessit in senectute bona. Ibi explevit munus vitæ, dans plenam atque perfectam virtutum omnium consummationem. Ibi orienti magis quam morienti, etabituræ plus quam obiturae occurunt castra Dei, et ruunt obyiam ei exercitus militiæ cœlestis. O quam pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! Quæ vita adæquabitur morti ejus? quæ gaudia funeri ejus? addas licet mundanos honores, addas convivia ac festa tropæa, addas omne quod demulcat et quod delectat universum, his tamen omnibus jucundior atque suavior est. Est enim absolutio a carne, via ad vitam, nil habens doloris, acerbitalis nihil, nihil formidinis. Fovet autem pro dolore, delectat pro acerbitate, et pro metu firmat in littore sive stationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit, nec vitam tollit, quam dirigit ad auctorem vitæ.

Hac morte gloriæ migravit, si transitum ad vitam mortem licet nominare. Imo, ut verum fatcar, vita est, ubi sola mors moritur, ubi corpus mortis

exiuit, ubi vita carnis pia quiete defuncta, fenore multiplici in posterum reservatur. Annon vita, cum itur ad fontem vitae, et vita æterna a vita perpeti meatu hauritur? Hoc haustu indefectivo ante decessum præventa est mater Virgo, ne transitu in ipso vel levissimo mortis gustu tangeretur. Egrediens itaque vidit vitam, ne mortem videret. Vidit filium, ne carnis abscessu doleret. Evadens ergo libera in tam felicissima visione, et potita optato vultu Dei, venerandos cives cœli in sui obsequio et deductione paratos invenit. Mirantur illi animam meriti singularis exutam æterna labe, nullam carnis aut sœculi maculam habere. Mirantur exutam artibus, gratia totius puritatis candere. Quid enim primum laudent in ea, integratatem an humilitatem, prudentiam, robur mentis an longanimitatem, honorem matris an partus novitatem? Sed virtus integra et plena gratia magis in illa laudatur.

Unde Dominus assistens egressæ de corpore ita prædicat laudes ejus. *Tota pulchra es, mater mea, et macula non est in te (Cant. iv).* *Tota, ait, pulchra es,* pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu usque ad finem, pulchra in conceptu virgineo, pulchra in partu divino, pulchra in rubore passionis meæ, pulchra in insigni candore resurrectionis. *Surge ergo, amica mea, columba mea, formosa mea, immaculata mea, et veni. Jam enim hiems transiit absentiae meæ, imber lacrymarum tuarum abiit et recessit, et, redenne sole justitiae, flores angelici apparuerunt tibi. Vox tua, o turtur castissima, exaudita est (Cant. ii).* Tempus assumptionis advenit. Igitur cum Virgo virginum a Deo et filio suo Rege regum, exsultantibus angelis, collatantibus archangelis et cœlo, laudibus acclamante deduceretur, impleta est prophetia David, dicens ad Dominum: *Astitit regina a dextris tuis, in restitu deaurato, circumdata varietate (Psal. xliv).* Tunc, juxta Salomonis vocem: *Surrexerunt filiæ, et beatissimam prædicaverunt, et reginæ pariter laudaverunt illam (Prov. xxxi; Cant. vi).* *Quæ est ista, aiunt supernæ virtutes, quæ ascendit dealbata, innitens super dilectum suum? (Cant. viii.)* Vel iterum: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? (Cant. vi.)* Itemque aiebant: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? (Cant. iii.)* Novus et admirandus est nobis splendor iste, novus et gloriosus hic ordo assumptionis, novus et gratus odor hic suavissimus.

Tantis vero deducta laudibus, nec ipsa poterat a laude cessare, quæ Filium Dei ex se genitum in dextera paternæ magnitudinis sedente, seque gloria assumptem videbat. *Tenuisti, ait, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (Psal. lxxii).* Et rursum: *A dextris est mihi, ne commovere, propter hoc latatum est cor meum, et exaltabit lingua mea, insuper et caro mea requiescat in spe. Quoniam non dereliquisti me*

in sœculo, nec dabis corpus Genitricis tue ridere corruptionem (Psal. xv). Sed quid ego his immoror? Ut enim paucis multa colligam, aderat gloriosissimæ verbum simplex et multiplex, verbum intelligibile, continens omnia verba laudum, quo laude ineffabilis Dominum ac natum suum ipsa honorabat. Elevata igitur cum vocibus exultationis et laudis prima post Deum super omnes cœligenas in sede gloriæ collocatur. Ibi resumpta carnis substantia (neque enim credi fas est corpus ejus vidisse corruptionem) et duplice stola induita, Deum et hominem in utraque natura, quanto cœteris clarius, tanto ardenter universis mentis et carnis oculis contemplatur. Exinde humano generi charitate inenarrabili condescendens, et illos misericordissimos oculos, quibus cœlum illustratur, ad nos convertens, communem pro clero, populo et utroque sexu, pro vivis quoque ac defunctis levat orationem. Adest huc de cœlo gloriosissima et prece potentissima, propellens omnem quod nocivum, et conferens omne quod bonum est, eunctis ex corde rogantibus se munimen praesentis vitæ tribuit et futuræ. Memor quippe quo fructu effecta est mater Redemptoris, libertissime suscepit cuiuslibet preces peccatoris, et pro universo reatu pœnitentium apud proprium filium intercedit. Sane obtinebit quid volet parens charissima, per cuius castissima viscera Verbum Dei venit ad nos, orbis piacula, et veteris delicti cautionem sanguine proprio lavaturus, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sœcula sœculorum. Amen.

### HOMILIA VIII.

DE MARIAE VIRGINIS PLENITUDINE, SEU PERFECTIONE,  
GLORIA, ET ERGA SUOS CLIENTES PATROCINIO.

Plures, dilectissimi, dies elapsi sunt, quibus episcopali sarcina oneratus, et curis prægravatus immensis, epulum adhuc promissum de laude B. Mariæ sanctæ aviditati vestræ ministrare nequivi. Nunc ergo ipsa eadem Virgine propitiante, vobis non deero, negotiis quidem me paululum sultrahens, vestris vero piis desideriis favens. Igitur cœli Reginam, Matrem vite, fontem misericordiæ, deliciis affluentem, et innitentem super dilectum suum (Cant. viii), sedulo celebremus officio, et laude licet impari prædicemus. Feramus animos in sublime, intuentes diligentissime, quod virga elegantissima orta de radice Jesse (Isa. xi), ramorum suorum mirabili extensione sese ubique terrarum expandit, ut dispersos filios Adæ, ab æstu, a turbine et a pluvia umbra desiderabili protegeret, fructuque saluberrimo aleret esurientes. Sublimata itaque super omnia ligna paradisi, et super altissimorum montium præcellos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetravit, ecclesiastim ordinum stipata choris, et virginum choreis adornata. O deus, o gloria, o magnificentia arboris hujus, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali, cœligenis atque terrigenis sit jugis epu-

latio, continua exaltatio, felix et sempiterna laudatio! Beati qui edunt cibum in regno tuo : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal. lxxxiii*).

In te etiam laudabitur, non Eva, lethi propinatrix, sed Maria, vite propinatrix, mater, et altrix conjunctorum vita viventium. *In te laudabitur genitrix tua. Audiant mansueti et latentur* (*Psal. xxxiii*). Lucifer glriosus et arrogans vulneratus ad imam corruit, audiant superbi, et humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriae coronata concendit, audiant humiles et letentur. Corruit ille elatus magna de se præsumendo; introivit Maria in holocaustis totam se plenitudine gratiae committendo. Induratus ille malitia, ultra non adjicet ut resurgat; confirmata illa charitate, non movebitur amplius ut cadat. Centro quippe immobili hærens inexpugnabili firmitate, nulla unquam moveri poterit mutabilitate. Ille dignitatis angelice clarissimos fines excedens, dum nascitur, ad quos creatus spiritus non accedit, inane sectatus, per præcipitum rapitur, horrore tenebroso tegitur, ad inferiora laci defluens, ut in æternum doleat, et justissimæ damnationis in tormentis poenæ exsolvat. Qui merito diabolus, id est *deorsum fluens* appellatur, quia defluxit ex supernis, et stantibus invidens, quos valet adhuc secum ad inferiora demergit.

Suggerit creditoribus suis honores, dignitates, excellentias appetere, alta sapere, in altum cornu extollere, vulgi acclamationes, fori salutationes, primas in conventibus sedes amare, minores contemnere, paribus se preferre, majoribus invidere, gloriae Dei oblivisci, alios blanditiis, alios minis aut poenæ subjugare sibi, idolum se ipsum statuere, omnia facere ad ostentationem hominum et laudem. Cum ergo miseros, elatos, inflatos, attonitos, et mente captos usque ad nubes extalerit, tunc demum eosdem ad turpia quæque et in honesta crudeliter enervatos inclinat, inclinatos sine ulla miseratione secum ad inferna inferiora præcipitat. At gloriissima, carne integerrima, mente serenissima, viventium mitissima, quo cunctis humilior et sanctior exstitit, eo super omnes elevata, et in cœlum a cœli civibus honorificentissime, et ex more imperiali suscepta a Patre supremo, in regno claritas æternæ, et in throno excellentissimo gloriae, prima post Filium, quem ex se genuit incarnatum, jussa est residere. Magne Deus, terribilis et fortis, l'onitate ineffabilis, humilem ancillam erigis et exaltas, unde hostem ænulum olim expuleras! Triumphet humilitas augmentis gratiarum, et corona inclyta a te decorata; superbia vero inanis, et tenebrosa debiscat. Astat ergo beatissima singulari merito præcipua vultui Conditoris prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda et aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens, et dulcis Domina materno affectu miseretur.

Sænta animalia, de quibus in Ezechiele (*Ezech. i*)

legitur quod ante et retro, intus et foris, atque in circuitu plena sunt oculis; labores hominum, et dolores, casus, defectus, exigitates, invaletudines, extrema pericula, incertos exitus vitae, et mala quæque humani generis, non aequa ut Dei Genitrix valent examinare, examinando cœlesti auxilio diluere, et propulsare. Quo enim sublimius imensus regis cor aspicit, eo profundius divinæ gratia pietatis afflictorum et misereri, et misericordia succurrere novit. Unde Maria, id est maris stella provida Dei consilio vocata est, ut nomine declararet, quod te ipso clarius manifestat. Nam ex quo cœlos cum filio suo regnatura concendit, induita decore, induita pariter fo:titudine, *præcinxit se, mirabiles elationes maris* (*Psal. xcii*) solo nutu compescitura. Mare quippe præsentis sæculi navigantes, seque plena fide invocantes, ab impetu procellæ et ventorum rabie eruit, eosque secum ovantes ad littus felicissimæ patriæ perducit. Dici non potest, charissimi, quoties hi asperrimis scopulis naufragatur offendit, illi in syrtes pessimas non reversuri incident, hos Scyllæ vorago hiatus horribili mergeret, illos sirenarum cantus in exitium dulces pertraherent, nisi stella maris perpetua Virgo Maria ope validissima obstitisset, suosque jam fracto gubernaculo, et rate conquassata, omni humano consilio destitutos, cœlesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos evcheret.

Novis itaque triumphis, nova perditorum creptione, novis populorum incrementis exultans, gratulatur in Domino, nec contenta partis spoliis, sed humanæ salutis cupida, hoste livido longius propulsato, alias atque alias sibi exuvias semper acquirit. Igitur in manu potenti et brachio excuso tyrannorum fines egreditur, munitissima quæque domum aggreditur, inferna sub pedibus suis faciens contremiscere, et principem mortis nimio terrore percutsum resilire. Denique ipsa jubente, vehementer evomit prædam, quam cum in ventrem militiæ trajecerat, rejiciens cum dolore, quam cum ingenti superbia detinebat. Surgunt lapsi, redeunt penitentes: *Peccator videbit et irascetur* (*Psal. cx*). Maxilla ejus hamo Dominicæ crucis perforata, reddit liberos, quos antea detinuit captivos, dentibus suis fremens et tabescens (*ibid.*). Per Matrem Filio, per Virginem reconciliatur Deo vita dati, morti penitus subtracti. *Desiderium peccatorum peribit* (*ibid.*), desiderium vero B. Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriae et luto fæcis (*Psal. xxxix*), ut de peccati ergastulo et profundo iniquitatis, indulgentia dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, revocat aversos, eruens eos qui ducuntur ad mortem, quosque trahi cernit ad supplicia liberare non cessat.

Non solum autem animarum saluti, verum etiam humanorum corporum sanitati atque necessitatipia diligentia providet, et medetur. In locis quippe memorie sanctitatis ejus dicatis, claudis gressum,

cœcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbensque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad ejus limina rei tudentes pectora, confitentes delicta, et accepta venia, lati ad propria revertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arreptiti, nocturno timore, aliove phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate, divini muneris largitatem sequuntur. Accedunt nihilominus ad ejus vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quodque gravissimum est, viventes cum dedecoris nota respersi. Horum, et omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, et Nato supplicans omne malum ab eis miseratrix avertit. Enim vero sicut ignis attactu cera liquecit, et velut ardore solis defluit glacies, sic ab ejus facie inimicorum depexit acies, eaque jubente, nihil adversi subsistit.

Notandum vero ac solerter intuendum quanto affectu, quantave benignitate cognatos sibi puritate animi complectitur, et diligit, quæ homines nequam et sceleratos suo interventu, nt sœpe dictum est, a morte peccati et æternis doloribus incessanter absolvit. Gemina quippe dilectione rutilans et insignis, hinc in Deum ardentissime figurit, cui adhaerens unus spiritus est (*I Cor. vi.*), hinc electorum corda blande consolat et attrahit, eisque Nati largitate optima dona partitur.

Motu ergo celerrimo senas seraphim alas extensis, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras signis et virtutibus illustrans, ubique suis, ut mater jucundissima et mirificissima occurrit. Quosdam præsentia subactis vitiis reddit videntes, quosdam magnarum virtutum pio interventu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, aliis in exitu vitæ iter præbet secum, ut nulla deterreat virtus adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum mater Unigeniti Dei.

Exstant harum assertionum exempla plurima, que ut notissima, et per vulgata compendiose præterimus. Sciendum vero certissime, quod cœlerrima miracula, innumera beneficia, spiritales visiones, cœlestes revelationes, sublimes consolations almæ Parentis Domini, orbi terrarum assidue coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inveniat, inclarescente regno, cuius nou est finis

Sed inter haec ad memoriam reddit dies illa sa-

mosa judicii, cujus altitudinem sanctus prophetæ David (*Psal. lv.*), se timere pronuntiat, quam semper appropinquare fidelium nullus ignorat. Illo igitur tremendi examinis articulo, obsequentibus angelis, archangelis, omnique exercitu militiae cœlestis, Rex cœlorum aderit cum præfata piissima Genitrice, orbem terræ judicaturus in justitia, et populos in æquitate (*Psal. xcvi.*). Tunc illa fulgebit luce splendidissima, cujus per uterum intactum, et clausam januam rex gloriæ Deus mundo irradavit. Illo in tempore patebit veritas patriarcharum et prophetarum, qui Virginis partu deifice olim attestati sunt. Apostoli quoque filii ejus, virtutum illius imitatores et testes, afferent ei gloriam et honorem, quia ejus doctrina irradiati, et spiritu sapientiae illapso cœlitus confirmati, veri solis splendoribus Ecclesiam repleverunt. Exsultabunt martyres in decore et gratia effusi sanguinis, mercedem optimam habentes Deum de Deo, qui nasci dignatus est ex ea.

Gaudebunt confessores, videntes gloriosam, quam in terris positi dilexerunt, et vita comite laude celeberrima merita ejus prosecuti sunt. Gaudebunt, inquam, intuentes illud singulare diadema, quod in die solemnitatis et letitiae, in die assumptionis et gloriæ, dilectissimæ Genitrici Christus impressit, memorans illud diadema, quo eum illa in die desponsationis coronaverat. (*Cant. iii.*) Current virgines in odore unguentorum ejus (*Cant. 2.*), properantes ingredi cum ea ad nuptias, ut in cœlesti thalamo vero Sponso pereuniter sociatæ (*Matth. xxv.*), Maria præcidente, novum canticum succinant (*Apoc. xiv.*) quod nemo valet dicere, nisi mente et corpore virgo sit. Denique omnis sexus et ætas, omnis ordo et dignitas beatissimam prædicabant, et populus innumerabilis acclamabit illi in jubilo, meritis ejus et precibus salvatus, et in dextra pio coronatus a Domino. In quorum numero, et ex quorum collegio nos esse contingat, *o clemens, o pia, o dulcis Maria*, ut cum dies erit ire, tribulationis et angustiae, non pro reatu puniamur, sed pro te, Domina, digni inveniamur misericordia ejus qui ascendit ad Patrem parare famulis suis locum (*Joan. xiv.*), ut eas in amoenissima cœli regione, lucidissimis paradisi mansionibus inter vernantes ignitos lapides collocaret, Dominus noster Jesus Christus, cui est decus, honor, potestas, gloria et magnificencia cum eodem Patre et Spiritu sancto per infinita sæculorum sæcula. Amen.

### PETRUS VENERABILIS,

*Superœlestis et perpetua Virgo Maria concepit et percepit Dominum nostrum Jesum Christum.*

Qu'esce igitur, Judæe, de mutatis per Christum Moysi legibus scandalizari, quia idem Deus qui per hominem Christum hominibus apparuit, quando vouit præcepta legalia prius non existentia promulgav-

### CLUNIACENSIS ABBAS.

vit, quando voluit eadem jam tradita committiri. Nec deinceps per illam tantummodo veterem et jam finitam legem justificari quemlibet potuisse asseras, cum et ante illam, et ejus tempore præter illam, et etiam post illam, justos vocari multos invenias. Nonne, ut ad priora sæcula redeam, absque circum-

cione, absque Sabbathi cultu, absque aliquo legis vestre sibi imposito rito, Abel cordis innocentia et simplicis sacrificii puritate Deo placuit? (*Gen. iv.*) Nonne absque circumcione, absque Sabbathi cultu, absque multiplici legis vestrae onere, ambulavit Enoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus? (*Gen. v.*) Nonne absque circumcione, a sque Sabbathi enltn, absque multiplici legis Iudaicæ onere, de magno viro Noe scriptum est: *Noe vir justus et perfectus in generatione sua fuit, et cum Deo ambulavit?* (*Gen. vi.*) Nonne et ipsi Deus loquitur: *Te vidi justum coram me in generatione hac?* (*Gen. vii.*) Quid dicam et de ipso de quo præcipue g'oriari soletis, patre Abraham? Nonne et de ipso absque omnibus illis præmissis, Sabbatho legalibus præceptis, ante ipsam quoque circumcisionem, dictum est: *Creditit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam?* (*Gen. xv.*) Quid et de posteris ejus Isaiae, sive Jacob, et reliquis usque ad Moysen? Nonne et ipsi sola circumcisio, sed maxime justitiae observantia, absque reliquis omnibus legis post datis decretis, Deo placuere, et ipsi duo cum antecedente se Abraham, singulare ac gloriosum patriarcharum nomen meruere? Hoc quidem ante legem. Jam vero lege data vel proxime danda, video Job non Iudeum, sed a Iudeorum genere pene alienum, absque circumcisio, absque Sabbathi cultu, absque omni legali instituto, voce divina simplicem, rectum, timentem Deum, recedentem a malo vocari. Cerno et Balaam, absque circumcisio, absque multiplicibus Moysi præceptis, Deo celloqui, Deo obediens, Dei afflatu multa saluti humanæ famulatura prædicere (*Num. xxiv.*) Qui licet ceciderit, licet casum suum et præviderit et prædixerit, ex eo tamen quo casum suum memorat, ante eundem casum se stetisse declarat. Unde licet in justitia non permanserit, auditor tamen sermonum Domini non nisi ex aliquo justitiae merito esse meruit. Conspicio et regum plurimos, intueror alienigenarum gentium non paucos, ipso legis tempore absque circumcisio, absque Sabbathi cultu, absque Moysiacis institutis, Deum colere, justitiam sectari, absque eadem justitiae conservatione justificari. Qui quamvis in canone Judaico non legantur, ex veracibus tamen historiis tales fuisse probantur. Sed quorsum ista? Ut cernens ante legem atque sub lege, sine legis operibus multos Deo placuisse, gloriari velut de legis tua singularitate desinas, et vetustum, quod inde assumpsisti, jaetantiæ supercilium deponas. Nec propter hoc solum, sed ut insuper advertas, quod sicut et ante legem et sub lege, sine legalibus observantiis, titulo justitiae plurimos conspicis honorari, sic et post legem non solum plurimos, sed et universos sola Christiani Evangelii gratia, posse intelligas justificari. Hoc quippe est novum illud testamentum, de quo jam supra audisti. Denique et prophetam loquentem: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et disponam testamentum domini Iuda, non secundum testamentum quod dedi pa-*

*tribus eorum, quando eduxi eos de terra Egypti* (*Jer. xxxi.*) Aut igitur ostende anima testamentum datum a Deo, non secundum illud vestrum testamentum quod datum est ab eo, aut suscipe hoc nostri Evangelii testamentum, quod vere datum est ab ipso. Quod non est secundum illud, quia est plusquam illud; non est secundum illud quia illud terrenum est, istud cœleste; non est secundum illud, quia illud temporale; istud vero est absque dubio sempiternum. Non quod Scriptura illa Evangelii data a Christo, vel quæ in eo præcipiuntur, manere debeant in aeternum, sed quod gloria, quæ a Christo promittitur servantibus Evangelium, nullo rationabiliter obviante, maneat in aeternum. Simili arguento, et cuncta, quæ supra de Christo diffusius sunt dicta, concludo. Aut enim alium, de quo universa illa veraciter accipi possint, necesse est te producere, aut omnia de Christo nostro esse dicta, noliuscum sentire.

Sed forte objicis: Etsi ego nulum, cui supra scriptæ propheticæ voces congruere possint, producere valeo, qua me tu ratione Christum tuum potius, quam quemlibet alium in illis propheticis vocibus intelligere cogis? Magna utique, magna, inquam, ratione ad hoc sentiendum te ego compello. Sed autem ratio illa ponatur, auctoritas præcedat. Interrogas cur magis de Christo nostro quam de quolibet alio cuncta illa supradicta accipiam, et cur te ad ea suscipienda compellam. Idecirco plane Christum nostrum, non alium, in omnibus illis propheticis vocibus intelligo, et intelligendum suadeo, quia de ipso, non de alio verba illa prolata agnoscio, vel ut verbi causa, aliqua de innumeris ad ipsum pertinentibus excerptam, de nullo alio, nisi de illo intelligi potest, quod propheta tuus dicit, et quod Ecclesia nostra frequentat: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa. ii.*) Nulla enim virgo vel concepit, vel conceputa est, vel peperit, vel paritura est filium, nisi super cœlestis et perpetua virgo Maria Jesum Christum Dominum nostrum. De nullo alio nisi de illo accipi potest: *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel* (*Num. xxiv.*) Non enim cometes, qui regna mutare dicitur, vel quodlibet præfulgidum sidus, Christo nostro secundum carnem de Israel exsurgente ortum est, sed stella sideribus cunctis splendidior, ipsiusque solaris fulgoris æmula non cuiuslibet, sed ipsius tantum nativitatem præsagans eluxit. De nullo alio hominum nisi de illo accipi potest: *Effundam super vos aquam mundam, et mandabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (*Ezech. xxxvi.*) Ipse enim non alius aquam mundam, et omnia inquinamenta peccatorum mundantem super omnes effudit, quando discipulis præcepit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matt. xxviii.*) De nullo alio nisi de illius tempore accipi potest. Tunc aperiuntur oculi cœcorum, et aures surdorum patet; tunc salient sicut cervus claudus, et aperta erit lingua

*mutorum (Isa. xxxv).* Ejus enim tempore, ejus virtute, ejus præcepto tam per ipsum quam per immumeros alios idem donum ab ipso accipientes cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis lingua reddita est, et infinita omnium generum vel specierum miracula facta sunt. De nullo alio, nisi de illo accipi potest : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, et livore ejus sanati sumus (Isa. liii).* Nullus enim præter ipsuni vulneratus invenitur propter iniquitates hominum, nullius livore nisi ipsius, sanitas restituta est hominibus. Nullus præter ipsum oblatus est, quia voluit; nullus præter ipsum sicut ovis ad occisionem dunctus est, quia voluit. De nullo alio nisi de illo accipi potest : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (Psal. xv).* Ut enim ait Petrus apostolus noster, loquens sicut et ego Judæis (*Act. ii*); nec David qui hic loquitur, nec aliquis hominum vel sanctorum sepultus, præter eundem Christum nostrum, carnis evadere potuit corruptiōnem. De nullo alio nisi de illo accipi potest : *Vivificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos (Ose. vi).* Nam nullus mortuus præter ipsum triduana sepultura quiescens, ipsa die tertia cum carnis propriæ resurrectione, et tunc plurimos sanctorum suscitavit, et in fine sæculi omnes pariter, tam bonos quam malos, vel ad vitam, vel ad mortem perpetuam suscitabit. Sed nec de quolibet alio idem propheta subjunxit : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus (ibid.).* Egressus quippe ejus de seculo ad immortalem vitam, quasi diluculum fuit; quia ipsi ante solem primo lucis initio resurrexit, sicut et Evangelium nostrum, et ipse in Psalmo lo-

quitur : *Exsurgam diluculo (Psal. lvi).* Nec hoë solum, quia transituræ resurrectionis sue luci sempiternam adjunxit, et ea vetustas mortalium tenebras illustravit. De nullo alio nisi de ipso accipi potest : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (Psal. lxvi).* Nec enim sola divinitas proprie in altum ascendere dici potest, que semper tam in alto quam in imo, et ubique est. Sed et de illo, juxta verba Apostoli, nostri dictum est : *Ascendit, quia primo descendit in inferiores partes terræ, indeque humana carne assumpta, Idem qui descendit, ipse et ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia (Ephes. iv).* De nullo alio nisi de illo dictum est : *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt (Isa. xi).* Quod magis videndo propriis oculis quam aures præbendo scriptis propheticis advertere potes. In ipsum enim Christum nostrum, qui de stirpe Jesse ortus est, sicut tibi totus terrarum orbis indicat, gentes sperant, ipsum deprecantur, ipsum adorant. De nullo alio nisi de ipso dictum est : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum (Job xix).* Redemptor enim non potest dici, nisi qui redimit. Job vero nullus redemerat, nullus redempturus erat, nisi hic Dei Filius, hic de quo sermo est Christus. Quem pro redemptione sui ac mundi pretium corporis et sanguinis sui daturum præsciens, Redemptorem suum vocat, Deum nominat, et eum in sua carne jam resuscitata in die novissimo se visurum affirmat. (*Tractatus contra Jud.*)

### PETRUS LOMBARDUS.

I. — *Mariæ Virginis uterū vellus Gedeonis.* — *Virginis integritas ante partum, in partu, post partum.*

PARS. III. VERS. 6. — « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. »

*Descendet.* [Cassiod., Gl. int.] Tertia pars. Ecce quis et qualis sit rex ille qui judicaturus est, quasi dicat : Quomodo incipiet hoc regnum? Ecce incipiet a Judæis, et consummabitur in gentibus. Et hoc est *descendet sicut pluvia in vellus.* Alludit facto Gedeonis, quod in libro *Judicium* legitur, qui pugnaturus contra Madianitas petiti a Domino victoriæ signum tale, ut vellus ovis in area positum complueretur area remanente sicca; et ita factum est. Postea petiti, ut area irrigaretur sicco vellere, et ita fuit (*Judic. vi*). In quo mystice significatum est, quod populus Judeorum prius irrogaretur gratia Christi, sicca area gentilitatis; et postea complueretur gentilitas, sicco vellere Judeorum. Per veilus enim Judæa accipitur, quæ auctoritate doctrinæ expolianda erat, ut ovis vellere. Vel quia pluviae doctrinam detinebat, quam nolebat predicari gentibus, ut vellus detinet pluviam. Ait ergo rex ille : Prius descendet in vellus sicut pluvia, id est, gratia Christi, descendet prius in populum Judeorum.

Unde matrem sibi et apostolos elegit, sic area totius orbis, sicut pluvia prius descendit in vellus Gedeonis. Et postea descendenter *sicut stillicidia stillantia super terram*, id est super gentes sicco vellere Judeorum, sicut postea fuit compluta area Gedeonis sicco vellere. Ecce unde incipiet, et ubi consummabitur regnum et illud regnum sic erit utile, quia orietur, etc. [Gl. int., Cassiod., Hier.] Vel ita et agit de nativitate Christi qui ante dixerat de futuro judicio. Quasi dicat : Christus in futuro judicabit, et prius in humilitate et lenitate summa veniet. Et hoc est : *Descendet* in uterum Virginis, *sicut pluvia in vellus.* Christus enim quem nihil utique sustinere posset, si vellet manifestata potestate cognosci, voluit leniter in uterum Virginis sine aliquo strepitu, sicut pluvia in vellus descendere, ut magis ostenderet virtutem si eam temperasset. Et est congrua similitudo. Lana enim accipiendo aquam non rumpitur, sed integra manet; sic et in Virgine integritas ante partum, in partu, post partum. Post illud idem alia similitudine comprobatur, subdens : *Et descendet sicut stillicidia stillantia super terram*, quæ in modum roris summa lenitate descendunt. Quis ergo, post tam apertas similitudines, dubitet de partu Virginis? Deinde exsequitur,

quæ ipse oriens attulit, quæ germina de stillicidiis pullularunt, dicens :

VERS. 7. — « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna. »

*Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna, ut non sit, [Aug.] id est, pax erit donec morte destructa, jam non sit carnis mortalitas, quæ per lunam significatur, et per lunam significatur Ecclesia, et legitur alia littera, scilicet extollatur, alii enim interpretati sunt, auferatur, alii vero extollatur. Et est, donec extollatur luna, id est Ecclesia elevetur per gloriam resurrectionis. (Comment. in Psal. LXXI.)*

II. — *Filius Dei secundum carnem ex semine David et B. Maria Virgine. — Cum nasceretur, integratatem virginitatis servavit in Matre.*

Destinatus est Apostolus gentibus totius orbis prædicator, at reliqui, singulis provinciis facti sunt legati ac prædicatores. Est autem Evangelium, bona annuntiatio, εὖ enim Græce, Latine bonum, ὄγγειος nuntius, inde Evangelium, bonum nuntium, vel bona annuntiatio. Ea vero est de his quæ ad fidem Catholicam et bonos mores pertinent. Evangelium dico, Dei, quasi non ab homine inventum, sed divina inspiratione revelatum. *Quod ante promiserat.* Hic est commendatio negotii, id est Evangelii, quod commendat quatuor modis : A temporis antiquitate, ab auctore, a testibus, a materia. A temporis vero antiquitate et ab auctore simul commendat, sic dicens quod Evangelium ante completionem promiserat gratis Deus Pater. Non venit ut subitum, sed longe ante promissum et pronuntiatum. Unde in Evangelio Joannis : *In hoc verbum verum est, quia aliis est qui seminat, et aliis qui metit (Joan. iv).* [Ambrosius] Promiserat, dico, per prophetas suos, unde Jeremias ait : *Ecce dies veniunt et consummabo testamentum novum super domum Israel, et super dominum Juda (Jer. xxxi).* Item : *Feriam, inquit, vobiscum pactum sempiternum (Jer. xxxii).* Idem et alii, qui non ex se, sed ex Deo magni sunt, ut non ex se mendacium loquerentur, sed ex Deo veritatem. Ecce quam vera et magnifica promissio. Nemo enim rem valem magnis præcursoribus nuntiat. Et ad maiorem confirmationem addidit, in Scripturis, quasi non modo promiserat verbis, sed etiam in Scripturis, ne daretur oblivioni. Et ad cumulum veræ protestationis, addit, *sanctis*, non ethniciis. Sanctæ sunt, quia virtus dominant, et sacramentum unius Dei et incarnationem Filii Dei continent. Scripturis dico sanctis, non de quibuscumque, sed, *de Filio*, quod omnes ad Filium ducunt. De Filio dico non adoptivo, sed, *suo*, scilicet proprio et sibi consubstantiali, coæterno, coæquali. Et est hæc, commendatio a materia. *Qui factus est, etc.* Ecce commendatio auctoris, quem commendat quatuor modis ; ab origine, ibi, *ex semine David* ; a virtute, ibi, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* ; a gratia, ibi, *secundum spiritum sanctificationis*, etc. ; a liberalitate, ibi, *per quem accepimus*, etc. [Augustinus]

Quasi dicat : Scripturæ sanctæ agunt de Filio, qui Filius factus est *ei*, scilicet Deo Patri, id est ad honorem ejus, factus dico tantum, *secundum carnem*, non secundum divinitatem. Hoc dicit, ne putetur homo tantum. Dicendo namque eum factum secundum carnem, innuit alteram esse naturam, secundum quam est non factus, scilicet divinam. [Ambrosius] Eum namque qui erat Dei Filius secundum Spiritum sanctum, id est secundum Deum, quia Deus spiritus est, et sine dubio sanctus est, factum dicit secundum carnem juxta illud : *Et Verbum caro factum est (Joan. i)*, ut jam unus sit Dei et hominis Filius Jesus Christus, qui factus est secundum carnem opere Spiritus sancti de Virgine, id est natus. Ubi ocurrirrit impietati hæreticorum, qui obtuso corde hoc capitulum intelligentes, Christum tantum hominem accipiunt; divinitatem vero in eo non intelligunt. Addendo enim, secundum carnem, servavit divinitati suam dignitatem, qua Christus Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia. Non enim factus est secundum id quod Verbum Dei est; omnia enim per ipsum facta sunt; nec fieri cum omnibus posset per quem facta sunt omnia, neque ante omnia factus est, ut per eum fierent omnia. Ideoque Apostolus, cum factum diceret Christum, addidit, secundum carnem, ut secundum Verbum, quod est Filius Dei, non factum a Deo, sed natum esse monstraret. Factus est autem sine dubio id quod prius non erat secundum carnem; secundum vero Deum, erat prius : et non erat quando non erat. Factus est autem, ut ita dixerim, humanatus Deus, qui etiam in assumptione carnis, Deus esse non destitit, inconvertibilis manens assumpto convertibili hominem, naturam suam non minuens hominis assumpta natura. Secundum carnem ergo ex semine David factus est. Deus autem ante sæcula ex Deo natus est. Qui ergo erat, factus est. Sed quid erat? quid est factus? Verbum erat, Filius Dei erat, filius hominis factus est; Deus erat, homo factus est; suscepit humanitatem, non amisit divinitatem; factus est humilis, mansit sublimis. Dei ergo Filius, hominis factus est filius; natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut non adoptio ne vel appellatione, sed vere in utraque nativitate filii nomen haberet nascendo, et esset verus Deus et verus homo, unus Filius. Pater enim Deus de sua natura genuit Filium Deum sibi æqualem, et eadem qua ipse naturaliter æternus est, divinitate coæternum. Sed idem Deus Filius cum sit Deus æternus et verus, pro nobis est homo factus verus et plenus. In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam; in eo plenus, quia carnem suscepit humanam et rationalem animam. Unde idem unigenitus Deus, secundo natus dicitur, semel ex Patre, semel ex matre. Natus est enim de Patre, Dei Verbum; natus de matre, Verbum caro factum. Unus igitur atque idem est Dei Filius, natus ante sæ-

cula, et natus in saeculo. Item : Deus unigenitus dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine, et cum nasceretur, integratatem virginitatis servavit in matre. Istaque causa est qua Deus factus est filius Virginis, et Virgo facta est mater Unigeniti Dei, ut quem Pater gennit ex aeternitate, ipsum Virgo conceptum proferret in tempore. Dei ergo Filius, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis et animae rationalis animatus est, vel incarnatus. Unde etiam se ipso, Christus minor factus est, formam servi accipiens, non enim sic accepit formam servi, ut abjeceret formam Dei, in qua aequalis Patri, ut in forma servi, et in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius. Est ergo Dei Filius Deo Patri natura aequalis, habitu minor : in forma enim servi quam accepit minor est Patre ; in forma Dei, in qua erat antequam hanc accepisset, aequalis est Patri. In forma Dei, Verbum : in forma servi, factus est ex muliere. In forma Dei, hominem fecit ; in forma servi, factus est homo.

Ergo, quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo. Christus tamen est Deus aeternus et verus, veraciter secundum tempus conceptus et natus ex Virgine. Illo, scilicet Deo facto naturaliter hominis filio, qui unus est naturaliter Filius Dei Patris, qui omnium naturarum Creator et Dominus creavit Virginem, creandus ex Virgine. Illic autem Deus humanam naturam in unitate personae suscepit, qui se humilians per misericordiam incorruptae Virginis uterum ex ea nasciturus imponit levit. Formam ergo, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam, non enim accepit personam hominis, sed naturam. Cumque tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis ; solus tamen Filius accepit hominem, id est formam servi, in singularitate sive in unitate personae, non in unitate seu singularitate divinae nature. Si autem adhuc queris : Ipsa incarnatione quonodo facta sit ? Ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est hominem factum : non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum, sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. Ita sane factum ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum, et homo propter hominem. Agnoscamus igitur geminam substantiam Christi ; divinam, scilicet qua aequalis est Patri, et humanam qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro. Tanta est enim unio utriusque naturae ut totum dicatur Deus, totum homo, et viceversa Deus homo, homo Deus. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur magis magisque a peccatis abstinentio, et bona operando. Difficilia enim sunt haec. [Joan. Damascenus.] Ut tamen breviter dicam, non aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formae servilis, id est naturae

humanae susceptio. Utraque est igitur in Christo forma, quia utraque vera et plena est in Christo substantia. Inconverse enim et inalterabiliter unitae sunt adinvicem naturae, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana, aut conversa in divinitatis naturam, aut in non existentiam divisa, neque ex duabus una facta est composita natura. Christus ergo una persona est, geminæ substantiae, nec tamen Deus, vel homo pars hujus personae dici potest. Alioquin Filius Dei, antequam formam servi suscepit, nou erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit. Sciendum tamen quod non semper factum esse, ad creationem refertur, sicut ibi : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psalm. lxxxix*). Et item : *Factus es mihi in salutem* (*Psalm. cxvii*). Non utique creationis diffinitio, vel editio hic declaratur, sed nobis in refugium, vel salutem esse dicitur quod prius non erat. Sed quæri potest cum nos Salvatorem nostrum profiteamur, cur Apostolus eum factum dicat ex semine David, cum aliud sit fieri, aliud nasci. Qui etiam alio loco dixit : *Factum ex muliere* (*Gal. iv*). Aliquid igitur significavit hoc dictum. Quia enim non humano semine concreta est caro Domini in utero Virginis et corpus effecta, sed effectu et virtute Spiritus sancti, ideo Apostolus dicit, factum non natum. Aliud enim est semine admisto, et sanguinis coagulo generari ; aliud non permistione, sed virtute procreari. Possunt homines generare filios homines, sed nou facere. Item, etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen, quia ex ea carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, recte dicitur factus ex semine. Quærens autem utrum debeat dici creatura, vel res crea simpliciter, audiat Augustinum super hoc ita disserentem : *In principio erat Verbum* (*Joan. i*), et : *Verbum caro factum est* (*ibid.*), propter nativitatem incarnationis ejus quæ facta est in tempore ex Virgine ; et : *Omnia per ipsum facta sunt* (*ibid.*) Neque dicit omnia nisi quæ facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido appetat ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia. Etsi factus non est, creatura non est ; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantia est. Omnis enim substantia quæ non est Deus, creatura est ; et quæ creatura non est, Deus est. Si Filius non ejusdem substantiae est cuius est Pater, ergo facta substantia est ; et si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Facta igitur substantia non est ; qui tamen, sicut ait Apostolus, factus est ei, scilicet ad honorem Patris, secundum carnem, infectus vero secundum deitatem factus dico et specialiter, ex semine David, [Haim.] quia Maria fuit de stirpe David, ex cuius semine formata est caro Dominica opere Spiritus sancti, in utero virginali. Sed attendendum est quare specialiter hic nominat David, cum constet quod promissio facta est Abraham, sicut ei David : sed Apostolus, volens gratiam commendare

maluit David dieere, qui et eriminosus fuit, non de semine Abrahæ, qui justus fuit, ut non pro merito sed gratia natus de David putetur : et etiam ideo ut ex homine rege secundum carnem rex natus ostendatur, sicut de Deo rege rex ante saecula natus est. Deinde a virtute commendans eum, subdit :

*Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Hie primo videntur est, quid sit prædestination, et de quo sit prædestination, utrum de eo quod semper fuit, an de eo quod ex tempore fuit ; et utrum de persona, an de natura : et, si de persona est, postea attendendum est, secundum quam naturam sit prædestinata. Prædestination est gratiae præparatio, qua ab æterno Deus homini Christo et cunctis quos præsivit conformes fieri imagini Filii sui, bona sine meritis præparavit. Praeclarissimum enim lumen prædestinationis et gratiae est, ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* 1). Ille enim homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit, quod ejus bonum qualemque præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret ; faciente ac suscipiente Deo Verbo, ipse ex quo cœpit esse homo, Filius Dei unicrus esse cœpit ; Filium Dei unicum femina illa gratia plena concepit de Spiritu saneto. Ex Virgine Maria Deus unicus natus est, non carnis cupiditate, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, et tanto magis, quanto magis peccare non poterat. Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, a quo in cuncta membra ejus gratia diffunditur. Ita enim ab initio fidei suæ homo quicunque gratia sit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus : de ipso Spiritu hic renatus est, de Spiritu ille natus est : spiritu sit in nobis remissio peccatorum; spiritu factum est in illo ut nullum haberet peccatum. Qui fecit illum hominem sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum quibus dimittat omne peccatum : qui fecit illum tam ut nunquam habuerit nec habiturus sit voluntatem malam, ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo et nos prædestinavit, quia et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera futura sua præseivit. Hæc se Deus esse facturum prefecto ab æterno præscivit. Ipsa est igitur prædestination sanctorum, quæ in Saneto sanctorum maxime claruit, quam negare quis non valet, recte intelligentium eloquia veritatis. Humana igitur merita conticeant hic, quæ perierunt per Adam, et gratia regnet per Jesum Christum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita fidei et regenerationis requirat. Neque enim Christo

tributum est, nec nobis pro aliquò merito, sed gratis tributum est. Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem eredimus Christum. Ille facit in nobis principium fidei, qui fecit hominem principem fidei et perfectorem Jesum. Nullum igitur est illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse mediator. Quisquis ergo fidelis vult eam bene intelligere, attendat Christum atque in illo inveniet, et se ipsum qui in eo veram humanam naturam eredit suscipiente Deo Verbo ita sublimata, ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim in homine assumptione Trinitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabili faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. Hoc de ipsa prædestinatione sufficiat. (*In Epist. ad Rom.*)

III. — *Maria mater Domini. — Historia trium Mariarum. — Unde fratres Domini dicti sunt.*

Alium autem apostolorum neminem vidi. Et ita constat quod nec ab aliis didici. Neminem vidi, dico, nisi Jacobum fratrem Domini. Ille est Jacobus minor, qui dictus est frater Domini, ideo quia hic Jacobus filius fuit Joseph, qui pater Iesu dictus est ; sed non est hoc ratum, cum Joseph virgo fuisse credatur. Alia ergo causa quarenda est quare frater Domini dictus sit, sicut Joseph, et Simon, et Judas. Unde et in Evangelio dicitur : *Ecce pater tuus et mater tua, et fratres tui,* etc. (*Matth.*, xii). (7) Ut ergo liqueat quare fratres dicantur, scindendum quod Maria mater Domini, Joachim et Anna filia fuit, quæ nupsit Joseph: et ita Joseph fuit putativus pater Christi. Mortuo autem Joachim Cleophas frater Joseph canidem Annam accepit uxorem, et genuit ex ea filiam quam vocavit Mariam, quæ nupsit Alphæo, qui genuit ex ea quatuor filios, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem, Judam. Mortuo autem Cleopha, quidam Salome eamdem Annam duxit, et generavit ex ea filiam, nomine Mariam, quæ nupsit Zebedæo, et habuit ex ea filios, scilicet Jacobum, qui dictus est major, et Joannem evangelistam. Tres igitur viros Anna habuit et tres filias. Nunc videndum est quare Jacobus Alphæi, et minor dictus sit, et frater Domini. Minor dictus est ad differentiam Jacobi Zebedæi, qui major est dictus, non secundum tempus, sed quia prius secutus est Dominum. Itaque Jacobus Alphæi minor dictus est, quia eo posterius Christo adiœxit. Frater vero Domini dictus est, ut quibusdam placet, quia filius fuit materteræ Christi, [Beda.] vel propter similitudinem sanctitatis, vel potius quia nepos fuit patrui Christi, id est Cleophae. Hebrei enim germana consanguinitate ex parte patrum conjunctos, fratres vocant. Unde Hieronymus fratres Domini dicit intelligi hunc Jacobum, et fratres ejus, his verbis : *Quidam sequentes deliramenta apocryphorum suspicantur fratres Domini foris stantes esse filios Joseph de quadam mulierecula ; sed consobrinos fratris Salvatoris hie intelligere debemus, scilicet filios Alphæi et materteræ ejus matris Jacobi*

minoris et Joseph, et Jadae. Quatuor enim modis in Scripturis divinis fratres dicuntur, scilicet natura, gente, cognatione, affectu: natura, ut Esau et Jacob; gente, ut omnes Judaei fratres dicuntur inter se. Unde in Deuteronomio: *Si enim is fratrem qui est Hebreus, etc. (Deut. xv).* Et item: *Constitue super te principem quem Dominus elegerit, cum qui sit de fratribus tuis (Deut. xviii).* Porro cognatione fratres vocantur qui sunt de una familia, cum ex una radice turba diffunditur; secundum quod Abraham in Genesi fratrem appellaverat Lot, dicens: *Non sit rixa inter me et te, quia fratres sumus (Gen. xiii)*: et Jacob et Laban dicuntur fratres. Affectu etiam fratres dicuntur, secundum quod omnes Christiani fratres vocantur, ut ibi: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (Psal. cxxxii).* Et Dominus ait: *Vade, et dic fratribus meis (Joan. xx).* [Augustinus] Porro in commune omnes homines fratres dicuntur, quia ab uno parente nati sunt. Illos ergo fratres Christi appellatos intelligo cognationis privilegio. Jacobus frater Domini, vel ex filii Joseph de alia uxore, vel ex cognatione Mariæ matris ejus debet intelligi. (*In Epist. ad Galat.*)

**IV.** — *Virgo intacta, semper intacta permansit, fabro tamen desponsata, omnem carnalis nobilitatis tumorem extinxit.*

Omnia bona terrena contempsit homo Christus, ut contempnenda monstraret; et omnia terrena mala sustinuit quæ sustinenda præcipiebat, ut nec in illis quereretur felicitas, nec in i-stis timeretur infelicitas. Natus enim de matre, quæ quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, fabro tamen desponsata erat, omnem carnalis nobilitatis tumorem extinxit. Natus est in civitate Bethlehem, quæ inter omnes civitates Judææ erat exigua, noluit quemque de terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam fons est cuius sunt omnia, ne de terrenis divitiis quisquam extollereatur; noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis viam ostendit misericordia. Esurit qui omnes pascit; sitiuit qui est fons sitientium; fatigatus est ex itinere qui viam nobis fecit in cœlum; obmutuit et obsurduit, per quem mutus locutus est et surdus audivit; viactus est qui infirmantium vincula solvit; mortuus est qui mortuum suscitavit. Amore itaque ejus similia patiamur. Tunc enim impletur lex, dum non cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius qui præcepit, fiunt quæcumque præcepit. (*In Epist. ad Hebr.*)

**V.** — *De carne quam Verbum assumpsit, qualis ante fuerit, et qualis assumpta sit.*

4. Quæritur etiam de carne Verbi, an priusquam conciperetur obligata fuerit peccato, an et talis assumpta fuerit a Verbo? Sane dici potest, et credi oportet, juxta sautorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam sicut reliqua Virginis caro; sed Spiritus sancti operatione ita

munda tam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo, poena tantum, non necessitate, sed voluntate assumptis, remanente. Mariam quoque totam Spiritus sanctus, eam præveniens, a peccato prorsus purgavit, et a somite peccati etiam liberavit, vel somitem ipsum penitus evanendo (ut quibusdam placet), vel sic debilitando et extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit. Potentiam quoque generandi absque viri semine Virginis præparavit. Ita enim verba Evangelii docent, ubi angelus Virginem alloquens ait, *Lucæ I: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Cui sacra Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Quod exponens Joan. Damasc. ait, lib. iii de Fid. orthod., c. 2: Post consensum autem sanctæ Virginis Spiritus sanctus supervenit in eam, secundum verbum Domini quod dixit angelus purgans ipsam, et potentiam deitatis Verbi receptivam præparans, simul autem et generativam. Et tunc obumbravit ipsam Dei altissimi per se Sapientia et virtus existens, id est, Filius Dei Patris ὁμούσιος, id est, consubstantialis, sicut divinum semen. Et copulavit sibi ipsi, ex sanetissimis et purissimis ipsis Virginis sanguinibus, nostræ antiquæ conspersioneis carnem animatam anima rationali et intellectiva; non seminans, sed per Spiritum sanctum creans: quare simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis et intellectiva. Ex his perspicuum sit quod ante diximus, carnem scilicet Verbi simul conceptam et assumptam; eamdemque, immo totam Virginem Spiritu sancto præveniente, ab omni labe peccati castificatam. Cui collata est potentia novo more generandi, ut sine coitu viri, sine libidine concipientis in utero Virginis celebraretur conceptus Dei et hominis. Illa enim caro quam Deus de Virgine sibi unire dignatus est, sine vitio concepta, sine peccato nata est. Hanc tamen carnem non cœlestis, non aeriae, non alterius coniugis putes esse naturæ; sed ejus, cuius est omnium hominum caro. (Aug., lib. de Fide ad Petrum, cap. 2, in medio.)

*Auctoritate firmat extunc fuisse Virginem immunem a peccato.*

2. Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccati immunis extiterit, Augustinus evidenter ostendit in libro de Natura et Gratia, cap. 26, inquiens: Excepta sancta Virginis Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus quod ei plus sit gratia collatum ad vineendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes sancti et sancta congregari possent, et quereretur aliis an peccatum haberent, quid responderetur nisi quod Joannes ait, c. 1: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus?* Illa autem Virgo singulari gratia præventa est atque repleta, ut ipsam haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit universitas Dominum; ut illud quod nascebatur ex

propagine primi hominis, tantummodo generis, non erinini originem diceret.

*Quare non fuit Christus decimatus in Abraham, sicut Levi, cum caro quam accepit in eo, fuit peccato obnoxia.*

3. Cum autem illa caro, cuius excellentia singularis verbis explicari non valet, antequam esset Verbo unita, obnoxia fuerit peccato in Maria et in aliis a quibus propagatione traducta est, non immerito videri potest in Abraham peccato subjacuisse, cuius universa caro peccato subjacebat. Unde queri solet quare Levi decimatus dicatur in Abraham et non Christus, cum in lumbis Abrahæ uterque fuerit secundum materialem rationem, quando Abraham decimatus est, et decimas dedit Melchisedech. Tunc enim Apostolus Levi decimatum dicit in Abraham, tanquam in materiali causa ; quia ea decimatione sicut Abraham minor Melchisedech ostenditur, cui personaliter decimas solvit, ita et Leviticus ordo, qui in Abraham secundum rationem seminalem erat, et ex eo per concupiscentiam carnis descendit. Christus autem non est decimatus, quia, licet ibi fuerit secundum carnem, non tamen inde descendit secundum legem communem, scilicet per carnis libidinem : sicut etiam *in Adam omnes peccaverunt*, Rom. v, sed non Christus. Unde August. super Genes., lib. x, ibid., c. 19 : Sicut in Adam peccante, qui in lumbis ejus erant peccaverunt, sic Abraham dante decimas, qui in lumbis ejus erant, decimati sunt. Sed hoc non sequitur in Christo, licet in lumbis Adæ et Abrahæ fuerit ; quia non secundum concupiscentiam carnis inde descendit. Cum ergo Levi et Christus secundum carnem essent in lumbis Abrahæ, quando decimatus est, ideo pariter decimati non sunt, quia secundum aliquem modum non erat ibi Christus quo erat ibi Levi (ibid. cap. 20). Secundum

rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per conceubitum venturus erat in matrem ; secundum quain rationem non erat ibi Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Marie caro. Ille ergo decimatus est in Abraham, qui sic fuit in lumbis Abrahæ, sicut ille fuit in lumbis patris sui ; id est, qui sic est natus de patre Abraham, sicut ille de patre suo natus est, scilicet per legem carnis, et invisibilem concupiscentiam. (Ibid. c. 2.)

*Qua ratione caro Christi dicta est in Scriptura non fuisse peccatrix, sed similis; quo aperitur quare obligata peccato non fuit in Christo.*

4. Quocirca primitias nostræ massæ recte assumptissime dicitur Christus, quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati accepit. Misit enim Deus Filium suum, ut Apostolus ait ad Rom. viii, *in similitudinem carnis peccati*. Assumpsit enim Verbum carnem peccatri similem in pœna, et non in culpa, et ideo non peccatricem. Cetera vero hominum omnis caro peccati est. Sola illius non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit ; habet tamen similitudinem carnis peccati per passibilitatem et mortalitatem, quia esurit, sitiit, et hujusmodi. Licet ergo eadem caro sit ejus quæ est nostra, non tamen ita facta est in utero sicut nostra. Est enim sanctificata in utero, et nata sine peccato, et nec ipse in illa unquam peccavit. In pœna ergo similis est nostræ, non in qualitate peccati ; quia pollutionem quæ ex concupiscentiæ motu concepta est, omnino non habuit, nec ex carnali delectatione nata est. Venit ergo ad corpus immaculatum, quod præter libidinis concupiscentiam fuit conceptum ; nec illud in se habuit vitium, quod in aliis est causa peccati, nec in eo peccavit. Ideoque vere dicitur Verbi caro non fuisse in Christo obligata peccato. (Ex Sent. lib. iii.)

## AELREDUS, ABBAS RIEVALLIS.

### I. — *In Annuntiatione beatorum Mariae.*

Recedens a nobis corporaliter Dominus et Salvator noster Jesus, præsentiam nobis suæ divinitatis [subkalens] præsentiam suæ gratiæ promisit, dicens : *Eece ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxiii). Sed quia nolis expediebat semper memores existere beneficiorum ejus, que nobis per præsentiam suam corporalem exhibuit ; quia scivit memoriam nostram esse corruptam per oblivionem, intellectum per errorem, studium per cupiditatem, pie providit nobis ut ipsa sua beneficia non tantum recitarentur nobis per Scripturas, sed etiam representarentur nobis per quasdam spirituales actiones. Ideo quando tradidit discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui, ait illis : *Hoc facite in meam commemorationem* (1 Cor. xi). Ob hanc causam, fratres, institutæ sunt istæ festivitates in Ecclesia, ut per hoc, quod modo ejus Nativitatcm repræsentamus, modo ejus Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, semper sit recens in memoria nostra illa pietas, illa suavitas, illa pura

charitas, quam in nobis per hæc omnia ostendit. Ex his etiam plurimum debet profere fides nostra, quando et auribus nostris audimus, et quasi sub oculis nostris videmus quid Christus pertulit pro nobis, quid etiam in ista vita dat nobis, quid post istam vitam promittit nobis. Pertulit pro nobis mortem, in præsenti dat nobis peccatorum remissionem, promittit nobis post istam vitam æternam felicitatem. Omnis ista liberatio nostra, omnis ista spes nostra, omnis ista beatitudo nostra hodierna die incepit. Ante istam diem non erat in mundo nisi miseria et tenebrae ; sed hodie visitavit nos Oriens ex alto, et exortum est lumen iis qui in tenebris, et in umbra mortis sedebant (Luc. i). Hodie vestivit se noster Joseph polymita tunica sua, id est varia et pulchra, in qua missus est a Patre, ut visitet fratres suos et oves. Hodie implevit hoc quod per Isaiam prophetam prænuntiatum est, quod nos in exordio hujus sermonis nostri proposuimus : *Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum* (Isai. xix). Multum hoc desiderabat S.

Moyses, sicut possumus ex ejus verbis intelligere. Sicut enim saepe audistis et legistis, quando filii Israel patiebantur illam duram servitutem in Aegypto sub Pharaone, apparuit Deus Moysi, et p<sup>r</sup>aceperit ei ut descenderet in Aegyptum, et populum suum de illa miseria educeret. Sed Moyses, licet multum deleret illam captitatem quam patiebantur si i<sup>r</sup> Israel in Aegypto; magis tamen plangebat illam miseriā, quam totus mundus tolerabat sub diabolo. Et ideo illum desiderabat, illum quārebat, qui es-  
set idoneus, non sc̄lum illum populum educere de Aegypto, sed etiam totum mundum de inferno libe-  
rare. Idcirco cum magno affectu dicebat : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod. iv*). Scie-  
bat quidem, quod eum missurus erat; sed nolebat, ut tantum differretur. Ac si diceret : Scio, dulcis Domine, quia missurus es dilectum Filium tuum, qui nos ab illa magna miseria, de illa infelici cap-  
tivitate liberaturus est : et ideo forte significatio-  
ne illius liberationis hanc vis p̄mittere. Sed quid tantis opus est? Ipse potius veniat, ipse descendat, ipse spiritualem Aegyptum, id est tenebras totius mundi sua dulci p̄sentia illuminet. Hoc desiderium S. Moysis hodierna die impletum est.

Consideremus ergo, fratres, quanta debeat esse nostra exsultatio, qui hoc videmus impletum, quod S. Moyses tam ardentī affectu desiderabat imple-  
dum. Hodie enim ascendit super quamdam levem, nubem, et egressus est Aegyptum. Aegyptus, fra-  
tres, interpretatur tenebrae. Et quid erat totus mundus ante adventum Christi nisi tenebrae? Et ideo omnino necesse erat ut hoc mirabile lumen oriretur in his tenebris, id est ut Christus in mundo nasceretur. Sed sicut dicit Evangelista : *Lux in te-  
nebris lucet, et tenebrae eam non comprehendenderunt* (*Joan. i*). Sine dubio enim mens hominum ita erat in tenebris peccatorum obvoluta et excēcata, ut nequaquam posset interiore oculum in illam divi-  
nam lucem intendere. Idcirco ipse, id est ipsa misericordia, misericorditer egit; et hanc claritatem suæ divinitatis per quamdam nubem orbis temperavit. Illa, fratres, illa sanetissima caro, quam hodie ex virginis carne assumpsit, nubes appellatur; quia ex illa fuit adumbrata divinitas. Sed levis ideo dicta est, quia eam nulla gravavit iniquitas. Iniquitas gra-  
vis est, et in profundum trahit. Ideo propheta vidit eam sedere super talentum plumbi (*Zach. v*). Ipsa quoque caro ejus satis convenienter appellatur tunica : quæ significata est per tunicam Joseph, quæ polymita erat, varia et talaris, quia pertingebat usque ad talos. Iste Joseph, fratres, sicut ex sacra historia didicistis, filius fuit Jacob : quem ipse plus quam alios dilexit, quem genuit in senectute sua. Fuit autem filius Rachel, que post longam sterilitatem hunc denum filium genuit (*Gen. xxxvii*). Quæ omnia domino nostro Jesu Christo apertissime con-  
gruunt. Ipse enim est, quem Pater plus quam cæ-  
teros dilexit : in quo sibi per omnia placuit, sicut

ipse dicit : *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Luc. iii*). Joseph autem interpretatur accrescens. Hoc nomen nulli tam proprie convenit quam Christo. Ipse enim est lapis ille abscisus de monte sine manibus, qui crevit in montem magnum et implevit universum mundum. Unde ejus pater in benedictione ait : *Filius accrescens Joseph; filius accrescens, et decorus aspectu* (*Gen. xlvi*). Vere decornus aspectu, in quem desiderant angelī prospicere (*I Petr. i*), cuius pulchritudinem sol et luna mirantur. Vere decorus aspectu. Ipse enim est Dei sapientia, de qua scriptum est : *Speciosior est sole, et super omnem stellarum dispositionem* (*Sap. vii*). Nascitur ille Joseph de sterili, noster de virgine. Est autem quædam convenientia inter sterilitatem et virginitatem. Nam quavis in virginitate sit quædarn fecunditas spiritualis, est tamen sterilitas carni-  
alis. Sed, quia illud privilegium vero Joseph ser-  
vabatur, ut de virgine nasceretur; ille Joseph de sterili nascitur, quia sterilitas quodammodo vicina est virginitati. Quapropter illa prophetia libri Sapientiae satis convenit beatæ Mariæ : *Felix est, et incoquinata, quæ nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animalium sanctorum* (*Sap. iii*). Felix utique erat beata Maria, quæ ut vi-  
taret carnis coquinationem, elegit carnis sterili-  
tatem. Nec multum illi curæ fuit de illa maledictione Iudeorum : *Maledicta sterilis in Israel*.

Videte, fratres, pulcherrimam quædam convenientiam inter filium et matrem. Scriptum est in lege Moysis : *Maledictus est omnis qui pendet in ligno* (*Deut. xxii*). Non vitavit filius maledictum crucis; non vitavit mater maledictum sterilitatis. Ille au-  
tem per crucem nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, redemit : et illa quia elegit ta-  
lem sterilitatem virginalem, meruit secunditatem, et Dei Filium generavit. Non ergo sine causa de ste-  
rili natus est S. Joseph. Illa enim in Rachel sterili-  
tas matris nostri Josephi p̄figurabat virginitatem. Nec hoc sine significacione est quod Rachel inter-  
pretatur ovis. Melius multo mater nostri Joseph po-  
test appellari ovis : in cuius vellus illa cœlestis pluvia descendit, sicut dicit sanctus David : *Des-  
cendet sicut pluvia in vellus* (*Psal. lxxi*). Vellus, ut ait quidam, cum sit de corpore, nescit corporis passiones. Sic virginitas cum in carne sit, virtus carnis nescit. *Descendet sicut pluvia in vellus*. Vel-  
lus potest illum humorem, qui desursum venit reci-  
pere; sed non potest humorem de carnis voluptate sentire. Sic virginitas beatæ Mariæ illum rorem, qui de cœlo venit, exceptit, sed nullam carnis vol-  
uptatem sentire potuit. Præterea quid tam conveniens agno, ut ovem habeat matrem? Videite ergo quam convenienter appellatur ovis, de qua ortus est Agnus ille cœlestis, qui tollit peccata mundi (*Joan. i*); qui tanquam ovis ad occisionem ductus est; et quasi agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum (*Isa. lxi*; *Act. viii*). Postro de Rachel dicit

Scriptura : *Erat autem pulchra et venusta aspectu* (*Gen. xxix*). Lieet de beatissima Maria dulce sit opinari, quod fuerit etiam secundum corpus venustissima et formosissima; nos tamen debemus haec verba ad interiorem ejus pulchritudinem derivare. Sed quis poterit digne loqui de interiori ejus pulchritudine, quam ipse, qui est *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal. xliv*), super omnes creatureas instantum amavit, concupivit, sanetificavit, ut non solum ejus mentem inhabitaret, sed et in ejus corpore sibi habitaculum præpararet? *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant. i*). Sine dubio ubi ipse erat in sinu Patris, ibi sensit odorem virginitatis ejus, ibi consideravit pulchritudinem animæ ejus; et ideo hodie missus est angelus ejus, qui ejus nuntiaret adventum, non solum in cor ejus, sed et in carne ejus. Videte, fratres, quales nuptiæ et quam cœlestes, in quibus sponsus Deus est, sponsa virgo, paronymphus angelus. Virgo per has nuptias non amisit virginitatem suam, Deus per has nuptias non amisit divinitatem suam; angelus per has nuptias non amisit dignitatem suam. Est adhuc in his nuptiis majus miraculum. Sponsus filius est, sponsa mater est, quia animam illius sanctissimæ Virginis suæ divinitati conjunxit filius, quia Deus ipse homo factus, de ipsis utero quasi sponsus de thalamo processit. Merito ergo eam angelus salutavit dicens : *Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus* (*Luc. i*).

Considerate, fratres, qualia munera Filius Dei misit sponsæ suæ. Modo veniant in mentem illa minera, quæ filius Abrahæ per servum patris misit Rebecceæ sponsæ suæ; et illæ, sicut Rachel, erat virgo pulcherrima, que non noverat virum. Servus autem Abrahæ juxta aquam eam invenit, ibi eam allocutas est, et ibi ei munera dedit (*Gen. xxiv*). Nostra quoque formosissima virgo, de qua loquor, libenter manebat juxta spirituales aquas, id est sanctas Scripturas : ad has aquas sæpius recurrebat, ut posset dicere cum Propheta : *Super aquam refectionis educavit me* (*Psal. xxii*). Denique ibi eam inventus angelus; servus videlicet Abrahæ, non illius terreni et mortalis, sed illius cœlestis et æterni. Sic enim dicit evangelista : *Ingressus angelus ad eam dixit : Ave gratia plena; Dominus tecum* (*Luc. i*). Quo ingressus est ad eam? Sine dubio ubi ipsa se absconderat a vanitatibus sæculi, et de euris mundi ingressa erat in privatum thalamum suum, et clauseral ostium suum, et privatum orabat Patrem suum. Hauriebat sibi aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa. xii*), id est de Scripturis sanetis, ubi legerat et virginis partum, et Salvatoris adventum. Forte eo tempore quo angelus venit, habebat Isaiam in manibus, forte tunc studebat in illa prophetia : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa. vii*). Puto quod ea scriptura in illa hora fecerat quædam pulcherrimam

rixam in ejus corde. Puto enim quia quando legit, quia futurum erat, quod quædam virgo debebat generare Filium Dei, occulte et quodam timore optabat ut illa ipsa posset esse; sed iterum putabat quod omnino indigna esset, cui tam magnum munus concederetur. Charitas rixabatur cum timore, devotio cum humilitate. Pene jam desperabat præ nimio timore, sed iterum præ nimio desiderio quod inde habebat, non potuit nisi sperare : iterum devotio fecit eam præsumere, sed iterum magna ejus humilitas faciebat eam hæsitare. Cum ergo esset in hac hæsitatione, in hac fluctuatione, in hoc desiderio, ingressus angelus ad eam ait : *Ave gratia plena*.

Dedit servus Abrahæ, sicut dicit Scriptura, Rebææ inaures aureas et armillas (*Gen. xxiv*). De his inauribus loquuntur amici veri sponsi, quorum unus est iste Gabriel, qui loquitur ad Mariam, et dieunt ad sponsum : *Murenulas aureas faciemus tibi* (*Cant. i*). Murenulæ et inaures unum sunt. Sunt autem ornameuta aurum, sicut armillæ sunt ornamenti brachiorum. Et utique iste servus magni Abrabæ, id est Gabriel angelus, ornavit aures hujus nostræ virginis deoro ornamento, quando ait : *Ave gratia plena*. Ornavit brachia sua pulchra quadam armilla aurea, quando ait : *Dominus tecum*. Ille enim cujus adventum angelus nuntiabat, potest bene nuncupari armilla; quia, sicut armilla nec initium habet nec finem, ita illæ secundum divinitatem nec incipit esse, nec desinit. Hac armilla fuerunt ornata brachia hujus nostræ virginis, quia ipsa Dei Filium, quem de se genuit, sæpe inter brachia sua amplexans portavit. In his omnibus divitiis et deliciis B. Maria non solum carne sed etiam mente castissima perseveravit. Ideo dicitur in Canticis canticorum : *Pulchra es et decora, castissima in deliciis* (*Cant. vii*). Corruptio carnis est luxuria; corruptio mentis superbìa. Non est magnum in egestate servare castitatem, sine virtutibus humilitatem. Nemo enim potest carnalibus vitiis subjacere, et spiritualiter superbire. Non modo loquimur de illa superbìa, de qua solent carnales et sacerdotes homines superbire, sed de illa quæ solet perfectos et sanctos viros pulsare. Sicut ergo magnum est in corporalibus divitiis et deliciis earnis integratatem servare, ita sine dubio summum est, in spiritualibus gratiis hanc superbiam non sentire. Illa est utique vera castitas mentis, quæ plenarie fuit in B. Maria. Et ideo in his omnibus spirituibus gratiis, quas habebat super omnes homines, audite quam humili fuit. Dixit Maria ad angelum : *Ecce ancilla Domini* (*Luc. i*). Audite adhuc evangelistam : *Exsurgens, inquit, Maria cum festinatione, abiit in montana ad dominum Zachariæ, et salutavit Elizabeth* (*ibid.*). Addamus adhuc hoc : *Ascendit autem et Joseph in Bethleem, cum Maria desponsata sibi uxore prægnante* (*Luc. ii*).

Considerate in his omnibus miram humilitatem. Illa plena Deo, major mundo, celsior cœlo, fecun-

dior paradiso, decus virginum, gloria mulierum, laus hominum, laetitia angelorum : illa quam Filius Dei sibi elegit matrem, ancillam se nominavit, illa quam salutavit angelus, magna obedientia fabro se subdidit. Illa regina cœlorum, domina angelorum, quæ Deum gestabat in utero, parentem suam, quia ætate proiectior erat, humiliiter salutavit. Optime ergo B. Mariae dictum est : *Pulchra es et decora, castissima in deliciis.* Si bene possumus aestimare istam pulchritudinem, videbimus, quod dictum est de Rachel, nulli magis convenire, quam matri nostri Joseph : *Erat autem pulchra facie, et venustus aspectus* (*Gen. xxix*). Dicit præterea Scriptura, quod Jacob plusquam cæteros filios dilexit Joseph, eo quod in senectute genuisset eum. Filius Dei fuit Moyses, Filius Dei fuit omnis propheta, omnesque sancti filii Dei sunt. Sed, *quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei* (*Psal. lxxxviii*). Omnes dilecti, sed nullus ita dilectus, sicut noster Joseph. Hunc in senectute sua genuit ipse ille Antiquus dierum, de quo dicit Daniel : *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit* (*Dan. vii*). Vetustas Dei, sive senectus, sive longevitas, non est aliud quam ejus aeternitas. In hac aeternitate hunc nostrum Joseph aeternus genuit sibi coeternum et consubstantiale. Ipse est enim candor lucis aeternæ et speculum sine macula Dei majestatis, et imago illius bonitatis. Non est ergo mirum, si Deus Pater non diligit tantum illos qui sunt filii ejus per gratiam, quantum illum, qui Filius ejus est per naturam. Ipse etiam Joseph noster, licet secundum carnem sit posterior natu quam multi alii filii Dei; ipse tamen primogenitus est omnium, sicut dicit Apostolus : *Qui primogenitus est omnis creature* (*Colos. i*). Unigenitus ex Deo, primogenitus ex mortuis.

Propter hanc significationem de illo typico Joseph dicit Scriptura, quod licet Ruben fuerit secundum carnem primogenitus, primogenita tamen reputata sunt Joseph. Ideo de nostro Joseph ait ejus Baptista Joannes : *Post me venit vir, qui ante me factus est* (*Joan. i*). Ac si diceret : Quanvis ego sim secundum carnem prius natus, ipse tamen est primogenitus. Quantum autem ad homines spectat, illis senescit Deus, in quorum cordibus Dei amor tepercit, charitas refrigescit. Jam huic mundo quodam modo Deus senuerat, quia omnes declinaverant, simul inutiles facti fuerant, non erat qui faceret bonum (*Psal. lxi*). Fecit autem pater suis Joseph tunicam polymitam. Hæc est illa nubes, de qua paulo ante locuti sumus, sanctissima caro nostri Salvatoris : sed ideo nubes est, quia per illam nobis claritatem suæ divinitatis temperavit. Tunica ideo, quia, quasi vestitus carne in hoc mundo apparuit, et quasi tunicam ipsam carnem suam quando voluit depositit, et quando voluit iterum sumpsit. Fecerat jamdudum Adæ inobedienti tunicam, sed pelliceam ; fecit Joseph nostro, qui ei in omnibus

obedivit, tunicam, sed polymitam. Ita pellicea tunica, quæ solet fieri de mortuis et terrenis animalibus, ostendebat illum esse terrenum. Ista polymita tunica, quæ per illam pulchram varietatem habebat quamdam similitudinem cœli, significat istum Joseph esse cœlestem. Inde dicit Apostolus : *Primus homo de terra terrenus : secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor. xv*). Pulcherrime quoque illa tunica dicitur polymita ; quia Dominus noster Jesus Christus omnium virtutum varietate, etiam secundum carnem, decoratus fuit. Ideo dicta est talaris, id est attingens usque ad talos, ubi finis est corporis, quia illa sancta caro usque in finem incorrupta perdurat, sicut dicit Psalmista : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal. xv*). Exuamus ergo, fratres, tunicam illam Adæ pelliceam, opera scilicet tenebrarum, et quia hodie nobis verus dies illuxit : *Sicut in die honeste ambulemus ; non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et emulatione* (*Rom. xiii*). Hæc enim omnia pertinent ad illam tunicam, quam oportet nos exuere, si volumus illam tunicam polymitam induere, de qua statim subjunxit Apostolus : *Sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Coloss. iii*). Ad varietatem autem hujus tunicæ alibi nos hortatur dicens : *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam* (*ibid.*). Hæc est illa pulchra varietas virtutum, qua principaliter induitus est Dominus noster Jesus Christus, quam induere etiam habet omnis Christianus. Sed quia tunica nostri Joseph non solum polymita fuit, sed, sicut in Evangelio scriptum est, desuper contexta per totum, postquam Apostolus numeravit illam pulchram varietatem in diversis virtutibus, statim de ipsa textura subjunxit : *Super omnia autem hæc charitatem habete : quod est vinculum perfectionis* (*ibid.*). Sed, sicut per hanc varietatem significatum est, quod ipse plenus fuit omnibus virtutibus, ita per nubem levem significatum est, quod vacuus et levis fuit ab omnibus omnino vitiis.

Possimus etiam per illam nubem levem beatam Mariam intelligere, per quam Dominus noster in Ægyptum, id est in hunc mundum advenit. Ipsa recte potest appellari nubes, quia illa pluvia spirituialis gratiae plena fuit. Ideo levis, quia cum nulla satcina mundi omeravit. Super hanc nubem Dominus ascendit, et Ægyptum, id est mundi infima intravit, secundum illam prophetiam, de qua locuti sumus : *Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* Et movebuntur, inquit, simulacra Ægypti a facie ejus (*Isai. xix*). Deo gratias, jam factum est ; mota sunt simulacra Ægypti ; ablata sunt idola de mundo ; vel pauci, vel nulli sunt, qui adorent lapides et ligna, sicut pene totus mundus fecit ante adventum Christi. Sed utinam, fratres, sicut homines projecerunt idola de dominis suis, ita vellent homines omnia idola projicere

de cordibus suis! Sed quicunque plus amat nummum quam Deum, Deum negligit, et idola colit. Quid est enim nummus nisi idolum, nos Dei sed hominis habens effigiem? Sed haec nihil ad nos. Quid ergo? Nihil debemus de his simulacris timere? Utinam nihil! Sed quamvis Jacob egressus sit de Mesopotamia Syriæ, licet ascenderit ad Bethel, tamen habet in comitatu suo uxorem, quæ fūta est idola Laban (*Gen. xxxi*). Et nos, quamvis simus egressi de sæculo, sicut Jacob de Mesopotamia, tamen habemus adhuc sensualitatem et carnalitatem, quasi mulier, quæ retinet memorias mundi et imagines illius vitæ, quam deseruimus; ita ut illum partem memoriarum nostrarum, quam solus Deus debet habitare, ista simulacula Ægypti occupent, et sibi vindicent. Propter haec simulacula persequitur nos Laban, id est diabolus: et quia non potest nos sibi vindicare per divitias mundi, per deliciosa convivia, per ebrietates, per libidines, per discordias et inimicitias, quantum potest, nititur ut per illusiones horum simulacrorum saltem nobis inferrat calumniam.

Quid ergo agendum est? Etsi non possumus ea ex toto expellere; debemus ea, quantum possumus, tegere. *Beati enim, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal. xxxi*). Quidquid enim in hac mentis instabilitate, et pervagatione, et hujusmodi memoriis definiquimus: vigiliis, jejunii, sedulisque orationibus contegamus. Et quia caritas operit multitudinem peccatorum; hanc omni studio exerceamus: sic enim nihil suum in nobis diabolus inveniet. Efficiemur enim per has virtutes unum cum ipso, in quo ipse nihil invenit. Insistamus omni intentione, ut possimus et nos spirituales nubes fieri: ut rore cœlestis doctrinæ abundemus. Simus leves, ut a fæce cupiditatum liberi, possimus per quasdam pennas virtutum altius hoc mundo volitare. Si enim talis fuerit anima nostra, dignabitur Dominus super eam, quasi super nubem levem ascendere, et Ægyptum nostrum, id est tenebras cordis nostri, illuminare, et omnia illa singula, de quibus locuti sumus, expellere, et animam nostram solus possidere, solus inhabitare. Sed quia haec simulacula solent oriri per quamdam euerositatem, qua solemus in haec externa intendere, intremus cum beata Maria cubiculum, et quantum possumus, nosmetipsos abscondamus et, clauso ostio, deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut qui hodie dignatus est assumere naturam nostram, secundum suam voluntatem, nostramque utilitatem præparet, et ita custodiat vitam nostram, ut in cordibus nostris semper maneat: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæculorum. Amea. (*Serm. 8.*)

#### II. — *Dñe beata Maria.*

Descripsit nobis rex Salomon, inio per Salomonem Spiritus sanctus, mulierem quandam fortē,

sapientem, optimam operariam, quantum existimo, in comparatione illius in paradiſo insipientis et infirmæ, quæ seducta est a diabolo, propter insipientiam suam: et ideo pulsa est in hoc exsilium ad poenam suam. *Mulierem fortē quis inveniet* (*Prov. xxii*)? Haec est illa, de cuius fortitudine serpenti Dominus minabatur. *Inimicitias, inquit, ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum* (*Gen. iii*). Haec est illa uxor novi Adæ, quæ ei de proprio latere ædificata est, cum dormiret in cruce. Uxor ejus, sponsa ejus, sancta videlicet Ecclesia ejus, tam fortis ut vincat mundum; tam sapiens ut vincat diabolum; tam bona operaria ut acquirat cœlum. Mulierem fortē quis inveniet, nisi ille qui, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit unam, quæ erraverat, quæ rere (*Luc. xv*)? Verum, quia haec prophetia quemadmodum sanctæ Ecclesiae conveniat, saepè et a multis tractatum est; maxime quia moralis expositione solet magis et prodesse et placere: simplicibus nos, qui utrisque sapientibus scilicet et simplicibus, debitores sumus, qualiter haec prophetia animæ perfectæ conveniat, prout possumus, disseramus. Et satis congruum est ut perfectio, quæ spiritualiter matri convenit, etiam filiae assignetur, quatenus matris perfectione conspecta, filia velit imitari. Igitur, quantum mihi videtur, forma quædam optimæ vitæ sub mulieris nobis specie propheticus sermo depingit, et ad quid unaque proficiens anima debet inniti, mystico sermone describit. Considerans namque Salomon, post primum illud generale peccatum quæ sit prona ad malum anima humana, quam labilis ad peccandum, quam debilis contra diabolum, erigens ad evangelicam gratiam mentis intuitum, et quantum in humana anima operatur, admirans, ait: *Mulierem fortē quis inveniet?* Cum illa ita debilis exstiterit in paradiſo, in hoc loco miseriae quis poterit fortē invenire? Fratres, fortis est illa anima, quæ reliquit sæculum: quæ carnis desideria calcat, quæ munera gloria spernit. Talem, inquit, quis inveniet? Non Moyses, non Jesu Nave, non David, non ipse Salomon, sed ille, qui ait: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth. xix*). Ille talem animam invenit tam fortē, quia ipse primo hanc fortitudinem docuit. Haec fortitudo præcipue relucebat in beatissima Dei genitrici Maria, quæ sine exemplo alterius, mundi illecebras contempsit, carnis illuviam horruit; et quod nulla altera ante eam fecit, virginitatis pudorem et puritatem elegit. Hanc mulierem fortē ipse invenit, qui eam sibi matrem ante mundi constitutionem providit.

Hanc fortitudinem, fratres, imitamini; hanc puritatem emulamini. Sed jam factum est, Deo gratias. Quanta est enim fortitudo vestra, qui sæculum contempsistis; qui hanc pauperem et arduam con-

versationem subistis; qui vobis patrum, matrum, fratum, amicorum, affectum plenissime abscidistis. Hanc fortitudinem Salomon in spiritu videns, mirabatur. Et quia nullius hominis virtute, sed sola Dei gratia fieri potuit, exclamat: *Mulierem fortem quis inveniet.* Non quia nullus; sed quia nullus, nisi solus Deus. Apparet in vobis ista fortitudo; sed adhuc aliquid querendum videtur. Magna fecistis, fortiter egistis; sed quo pretio, qua intentione, quo fine? Quod pretium sperastis dari vobis pro hac fortitudine? Stulti quidam homines, qui sapientes mundi appellati sunt (sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum), stulti ergo quidam, Socrates, Diogenes, divitias contempserunt, delicias mundi magna sibi ex parte amputaverunt. Quid ergo inter vos et illos distat? Video fortem mulierem, fortem videlicet animam, in Paulo, qui lapidatur, qui virgis cæditur, fame, siti, frigore afficitur (*II Cor. xi*). Quam multi latrones fortiter talia patiuntur! In quo ergo differentia? Certe in causa, id est in intentione, in pretio quod exspectant. Audiamus itaque hujus fortis mulieris pretium. *Procul*, inquit, *et de ultimis finibus pretium ejus* (*Prov. xxxi*). Magna fortitudo philosophorum, magna fortitudo latronum, sed parvum pretium eorum. Quare parvum? Quia isti mundi gloriam, populi favorem, vulgi admirationem exspectant. Isti aut numinum, aut vestem, aut equum, aut aliquid hujus mundi sperant. Vile pretium, quia de prope est. *Procul autem, et de ultimis finibus pretium, hujus mulieris.* Si aurum cogitas, non est procul; si argentum, ne id quidem procul est; si mundi honores, si temporales dignitates, nec ista procul sunt, quia temporalia sunt. Pretium hujus mulieris procul. Procul omnino, quia nec oculis cernitur, nec aure percipitur, nec fauibus sapit, nec naribus, nec manibus attrahitur. Quale hoc pretium? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor. ii*). Hoc procul est. Procul, quantum cœlum a terra, quantum mors a vita, quantum miseria a felicitate, quantum lux a cætitate. In tenebris est mulier ista, sed pretium ejus lux est; in morte est, sed pretium ejus vita est; in miseria est, sed pretium ejus felicitas est; in terra est, sed pretium ejus cœlum est. Postremo homo est, sed pretium ejus Deus est. Procul ergo, et de ultimis finibus pretium ejus. Sed quare de ultimis finibus? Sunt duo quidam fines, alius bonorum, alius malorum. Sed sunt fines utrorumque, alii primi, alii ultimi. Finis est uniuscujusque, quando moritur. Sed aliter moritur iniquus, aliter justus; quia *mors peccatorum pessima* (*Psal. xxxiii*), et *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* (*Psal. cxv*). Hi primi fines. Quamvis anima sancta de corpore egressa, non modicam sortiatur beatitudinis portiōnem, tamen procul et de ultimis finibus pretium ejus. Qui sunt ultimi fines? Quando *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor. xv*);

quando, finitis omnibus molestiis, jam in earnis quoque incorruptione posita mulier fortis audiet a Domino: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth. xxv*); impiis econtra audientibus: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*ibid.*).

Ex his finibus exspectat mulier ista pretium suum. Pro hoc pretio, se modo vendit ancillam, et istud pretium spectans, sudat, operatur, quoconque ei præcipitur, graditur; quodcumque imponitur, libenter patitur. Hoc pretium, fratres, ante oculos ponite; hujus pretii intuitu labores, vigilias, cæterrasque molestias tolerate. Si homines tam acerbos labores sustinent ut acquirant nummum, quid vobis agendum est, quibus proponitur cœlum? Ergo, ut breviter dicam, animam mundum perfecte contemnentem, et nihil aliud nisi futura sperantem, intuens Salomon, ait; *Mulierem fortem quis inveniet. Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Et addidit: *Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.* Quis sit vir hujus fortis mulieris, non est opus commendare charitati vestrae. Ipse enim est, de quo dicit Apostolus: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*II Cor. xi*). Ergo confidit in ea eor viri sui. Similitudo trahitur ab humanis. Vir quippe sciens uxorem suam castam, sobriam, pudicam, bene morigeratam; sive ille absens fuerit, sive præseus, scit quod non admittet adulteros, non audiet corruptores, non aspiciet deceptores. Timet enim caste, amat perfecte; amat virum suum, non propter sua, sed propter se; timet non quidem flagellari, sed vel modice derelinqui. Talis hic anima describitur. Si enim anima talis fuerit, videlicet si casta, si sobria, si amans perfecte, si timens caste, confidit in ea cor viri sui. Secure abest, secure adest, secure committit ei bona sua, non profliganda cum adulteris, non cum fornicatoribus partienda. Sed iste vir spiritualis quomodo accedit, vel quomodo recedit, qui ubique est, et nusquam deest; quoniam semper, et totus, et ubique præsens est? Sed cum aliquibus adversitatibus fatigamur, quasi recessit, eum prosperitatibus consolamur, quasi reddit. Cum gratia sua mentem nostram visitat, quasi præsens est; cum ipsa gratia subtrahitur, quasi procul est. Felix mens, cum qua quasi secure Deus hæc omnia agit. Vere confidit in ea eor viri sui. Felix mens, quæ nec adversis frangitur, nec prosperis dissolvitur; quæ nec murmurat in adversis, nec superbit in prosperis. Utique confidit in ea eor viri sui. Felix mens, quæ subtracta gratia non desperat; quæ, præsente gratia, non se super cæteros exaltat. Vere confidit in ea eor viri sui. Fratres, hinc nolo ineautos esse vos. Multi enim quando nec tentationes patiuntur, nec adversitatibus atteruntur, nec aliquibus molestiis afficiuntur, exsultant, tripudiant, et quasi id meritis suis acquisierint, super cæteros se extollunt. Si autem in contrarium ista omnia ce-

dant, contristantur, dejiciuntur, murmurant, despat. Non est de tali anima, dicere : *Confidit in ea cor viri sui.* Eia, frater, quicunque talis es, qui heri flevisti, orasti, magnam dulcedinem de Deo sensisti; scito, quia præsens fuit vir tuus. Quid tunc promisisti viro tuo? *Non movebor in æternum?* (*Psal. xxix.*) Hodie in contrarium res versa est. Sordet meditatio, horret oratio, lectio vilescit; insuper impugnat libido, succenditur caro, mens quasi quibusdam furiis agitatur. Absens est vir tuus. Jam nunc videamus, si de te dici debeat : *Confidit in ea cor viri sui.* Absens est, tu fidelis esto. Quid, quasi desperans viri tui reditum, respicis adulteros, spiritus scilicet immundos, suggestentes immoderata tristitia, vel in vanis et superfluis ineptiam ketitiam? Quia jam illam viri tui dulcedinem non sentis, ad carnis pessimam dulcedinem devolveris. Non est enim dicere : *Confidit in ea cor viri sui.*

Volo vos, fratres, contra istam pessimam tentationem aliquantulum instruere. Si contigerit vos gratia Dei visitari, et cœlesti quadam suavitate perfundi, lacrymarum flumine irrigari, diligenter vobis attendite, ne irrepat superbia, ne cœteris actionibus vestris aliqua misceatur negligentia, ne sitis remissiores in abstinentia, tepidiores in obedientia; et super omnia, ne eum quem simili gratia praeditum non perspicitis, vobis inferiorem judicetis. His enim negligentibus solet gratia subtrahi, et ignobilitas quedam ac teper innasci. Subtracta autem gratia, si quid horum vos elegisse memineritis, nequaquam alversum Deum murmuretis; sed vosmetipso potius humiliter accusantes ad dirupta resarcienda viriliter accingatis. Verum, si vos nullius remissionis concii estis, nequaquam de subtracta gratia irrationaliter contristemini; sed quasi iterum eamdem gratiam recepturi, in spe certa consolamini. Erudit enim vos Dominus, quatenus et in prosperis humilitatem, et in adversis patientiam habeatis. Item vir habens mulierem in quam confidit, secure ei bona sua commendat, sive eroganda, sive servanda. Nihil bona mulier sibi subripit, nihil inde adulteris et corruptoribus dispergit. Jain videat unaquaque anima, quam fideliter viri sui bona conservet. Si habet scientiam, si habet sapientiam, si intelligentiam in Scripturis, hæc omnia a viro suo accepit, non solum servanda, sed etiam eroganda. Si habet gratiam in laboribus, in vigiliis, in psalmodiis, et hæc eroganda accepit; si habet gratiam in compunctione, in oratione, in spirituali affectione, in contemplatione, hæc accepit non eroganda, sed servanda. Videat modo unaquaque anima, si fidelis est viro suo, et si debeat dici : *Confidit in ea cor viri sui.* Primum necesse est, quatenus in his omnibus non superbiat, nec ea quæ viri sui sunt sibi deputet. Deinde caveat ne ea quæ accepit eroganda, abscondat invideret, nec eroget arroganter; postremo ne ea quæ tantum servanda accepit, profliget impudenter. Ut vero apertius dicam, anima quæ de collata sibi

gratia non superbit, de substantia viri sui nihil sibi usurpat; si vero unde potest prodesse aliis, per invidiam non abscondit; sed ad laudem viri sui humiliiter dicit, res viri sui fideliter dispensat. Si de occulta gratia, quam accepit, verbi gratia compunctione, devotione, oratione, contemplatione, non se inaniter faciat, bona viri sui prudenter conservat. Ergo de tali anima potest dici : *Confidit in ea cor viri sui.*

Hæc autem perfectio, quam in beatissima Maria splendorerit, paucis advertite. De collata sibi gratia quam nihil superbierit, testis est illa responsio humilis ad angelum : *Ecce ancilla Domini* (*Luc. 1.*). Quam nihil se ob id aliis prætulerit, docet illa humiliis visitatio, quæ Deum in utero portans, etiam ad ancillam salutandam profecta est. Quanta reverentia bona viri sui servaverit, providit evangelicus sermo, qui ait : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc. 11.*). Quam fideliter loquendo non tacuerit, hymnus ille mellifluus clamat : *Magnificat anima mea Dominum* (*i bid.*). Merito confidit in ea cor viri sui. *Et spoliis*, inquit, *non indigebit.* Quæ est illa anima, tantis decorata ornamentis, ut spoliis alienis non indigeat? Non est ista de fatuis virginibus, quæ nihil sibi olei et servantes, ab aliis oportuit mendicare. Spolia dicuntur ea ornamenta, vel indumenta, quæ solent detrahi. Et sunt plerique, qui nihil sanctitatis in se habentes, et tamen infeliciter aliis invidentes, vitia sua quasi nudam turpitudinem aliis detrahendo cooperiunt, æstimantes se bene contegi, si aliis possint indumenta bonæ existimationis auferre. Sunt et alii, qui in propria conscientia nihil boni habentes, ut religiosi apparent apud homines, aliquid boni exterius operando suam famam commendant. Unde in die judicii, quia in se vacui sunt et nudi, aliorum commendatione, quasi alienis spoliis indigebunt. Hinc vox illa fatuarum virginum : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguantur* (*Matth. xxv.*). Tunc mulier hæc sapiens spoliis non indigebit; quia gloria propriæ conscientiae adornata, sponso suo secure obviabit. Potest quoque simpliciter intelligi, *spoliis non indigebit*; quia virtutum ornamentis abundavit. Sequitur :

*Reddet ei*, videlicet viro suo, *bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ sue* (*Prov. xxxi.*). Nam quod sic debeat accipi, manifestat alia translatio, quæ sic habet : *Operabitur viro suo bonum, et non malum.* Si recte vir hujus mulieris Christus intelligitur, profecto quidquid boni a qualibet anima in ejus obsequiis exhibetur, redditur potius quam datur. Si pura humilitas, si dulcis charitas, si vera obedientia, si perfecta patientia ei offertur; unde habetur nisi ab illo? Si fervor in laboribus, si puritas in vigiliis, si cibi parcitas, si humili taciturnitas, unde ista, nisi ab illo, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum est?* (*Jac. 1.*) Ergo sancta anima, quia ista a Deo bona prius accepit, merito reddit. *Reddet ei bonum, et non malum.* Ma-

gna commendatio, fratres. Multi enim aliter. Bona enim accipiunt, et mala reddunt. Accipiunt divitias, et hinc magis libidine dissolvuntur; si honores, inde miseri intumescent; si scientiam, inde super cæteros se extollunt: accipiunt pulchritudinem corporis, et quanto sunt pulchriores, tanto fiunt, quia ea abutuntur, turpiores. Quid dicam, quod communem hanc lucem, aerem, panem, a Deo accipiunt: et his omnibus in ejus injuriam abutuntur? Non est de hujusmodi dicere: *Reddet ei bonum, et non malum.*

Fratres, magna omnino, magna perfectio est, nullo Dei munere abuti. Nam de spiritualibus quid dicam? Si Dei cognitione proficiamus, si Scripturam venas aliquanto subtilius penetramus, si lacrymas abundamus, si graves in sermonibus, maturi in moribus fuerimus, et ex his omnibus superbiamus, non erit de nobis dicere: *Reddet ei bonum, et non malum.* Plerumque cum nos visitat Dominus, ut aliquid de eis dulcedine sentiamus; si mox dulcedine illa subtracta contingit nos aliqua tentatione pulsari; si tunc quasi oblii illius dulcedinis dejicimur, utique non reddimus bonum pro bono, sed malum pro bono. Ergo, fratres, anima quæ nullo Dei munere abutitur, hac laude non immaerito digna habetur: *Reddet bonum, et non malum.* Et quia non inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur: adjecit sermo propheticus: *Omnibus diebus vitae suæ. Dixerat superius, quia spoliis non indigebit; quia videlicet propriis ornamentiis abundabit.* Ideo unde hæc illi ornamenta provenerint, manifestat, cum subdit: *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum (ibid.).* Merito spoliis non indigebit. Non enim otio torpuit, non meriti somno dissoluta est. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Novit, quia qui vacat otio replebitur egestate. Ergo ad labores prompta, ad operandum impigra, quæsivit lanam et linum. Quare, nisi ut vestes texeret, frigus repelleret, tegeret nuditatem? Vestimenta nostra sunt ipsa justitiae opera, quibus nuditas nostra tegitur, et frigus æternæ damnationis vitatur. Omnis enim anima sine bonis operibus, ante Dei oculos nuda subsistit, et a Dei charitate omnino frigescit. Sed sunt vestimenta cilicina, sunt et lanaea, et linea, sunt et purpurea. Vestis cilicina pungit, sed lanaea frigus depellit. Linea est non modicæ lenitatis, purpurea magni honoris. Ut ergo hæc ad spiritualia referamus, quantum mihi videtur, vestis cilicina pertinet ad pœnitentes, lanaea ad se erigentes ad bona opera; linea est proficientium, purpurea perfectorum. Anima, quæ adhuc vitiis sordet, necesse est, magna amaritudine pœnitentiae compungatur, ut iniuratum contagio hac asperitate tegatur. De hac ueste mulier hæc non satagit; qui jam gradum illum pœnitentium transcenedit. De hac ueste purpurea in sequentibus Scriptura mentionem facit; sed primo lanam et linum

ponit. Non enim sufficit, si quem de malis præteritis pœnit, nisi se viriliter ad bona opera accingat. *Quæsivit lanam et linum, et operata est.* Videamus, si placet, differentiam inter lanceam et lineam uestem; exinde aliquid spirituale, si possumus, exculpamus.

Vestis quippe lana asperior, linea mollior est; sed lana uestis frigus expellit; linea contra hiemis injuriam non satis sufficit. Ergo qui lana tantum uestitur, aliquid patitur asperitatis; qui linea tantum, parum caloris. Melius ergo utraque uestitur, ut lancea excludat algorem, et linea temperet asperitatem. Vestimenta hujus mulieris, id est ecclesiasticae cujusque animæ, bona opera diximus. Nec immerito. His enim uestitur, his adornatur; his, si quid forte ob carnis consortium turpe patitur, a Dei conspectu celatur. His indumentis carent anima, nuda apparebit in die judicii, nec erit unde ejus turpitudine celetur. Ideo nimirum in ignem æternum projicietur. Sed bona opera nostra, omnia in duobus consistunt, in activa scilicet vita, et contemplativa. Activæ vita quasi uestis lanaea, contemplativa quasi linea. Illa asperior, ista suaviter; illa exterius, ista interius. Et activa quidem vita potest contra frigus damnationis sufficere, omnem turpitudinem peccatorum abstergere: sine qua, nec contemplativa vita, in hac duntata mortalitate, potest quemlibet ad perfectiōnem adducere. Nemo se decipiat, fratres mei. Falluntur omnino, fratres, falluntur; imo, ut ego existimo, non falluntur, sed alios fallere nituntur, qui errantes, et in errorem mittentes, dum nesciunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim. 1*); quia ipsi sunt otiosi et desidiosi, nihil operantes, sed curiose agentes; ipsam otiositatem suam et curiositatem velamine contemplationis oppalliant, et dicunt: *Quid opus est operari?* Quid habet emolumenti, vel securi truncum, vel saxum malleo tundere? *Maria optimam partem elegit (Luc. x).* Quos Paulus redarguit, aperte scribens ad Thessalonicenses: *Audivimus quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Denuntiamus eis in nomine Domini Jesu Christi, ut cum silentio, suum panem manducent (II Thess. iii).*

Contendant ergo cum Paulo et dicant: *Quid nobis præcipit operari? Maria optimam partem elegit.* Et verum est, fratres, *Maria optimam partem elegit.* Veritas dixit: *Lectum est in hac festivitate S. Mariæ de illis duabus sororibus, Maria et Martha.* Nec sine causa in hac ejus festivitate legitur, nisi quia in ipsa B. Virgine, utraque hac vita activa et contemplativa, perfecte operabatur. Maria quidem optimam partem elegit. Sed considerandum est quia in eadem domo et Martha laborabat, et Maria vacabat, quia in anima, in qua Christus suscepitur utraque vita operatur, unaqueque suo tempore, suo loco, suo ordine. Ideo mulier ista fortis, non solum

lanifica sed linifica est. Quæsivit enim lanam et linum, et operata est. Quid, nisi duplice hanc vestem, laneam videlicet et lineam? Sed quia de istis vestibus diximus; jam de lana et lino, unde hæc vestimenta texuntur, videamus. Ut mihi videtur, lino beatissimo videtur Augustino, per lanam opera intelliguntur corporalia, ex quibus vita activa perficitur; per linum spiritualia, ex quibus vita contemplativa contexitur. Corporalia dico, vigilias, laborem, jejunia, spiritualia, orationes, lectiones, meditationes, compunctiones. Sunt plerique, qui sese exercitiis corporalibus atterrunt, sed ad spiritualia minime assurgunt. Alii de solis sibi de spiritualibus, quasi de veste linea blandiuntur, et ab omni spirituali fervore frigescunt. Non quidem frigescerent, si spiritualibus ferventer et jugiter inhaererent. Sed cum illa spiritualia sine corporum quadam interpolatione nequeant exerceri; dum illa fastidiunt, in istis ex toto tepercunt. Utrique ergo hujus mulieris sapientiam imitari detrectant, quæ utrumque quæsivit, lanam et linum, et operata est. Sed ubi quæsivit? Quomodo quæsivit. Certe anima cupida salutis, studiosa perfectionis, vitam, mores, doctrinamque sanctorum circuit Patrum. In uno querit industriam operandi, in altero studium vigilandi; illius investigat abstinentiam, alterius scrutatur obedientiam; ab isto discit quasdam, ut ita dicam, venas orationum, ab illo sibi assumit formam

meditationum. Et in sinu congerens operatur consilio manuum suarum. Quod consilium manuum? Manfestum est quia manibus suis homo pascitur, manibus defenditur; manus cætera membra disponunt; manus sese contra ictus objiciunt.

Consideremus ergo corpus illud, de quo dicit Apostolus: *Quoniam unum corpus multi sumus (I Cor. x).* Omnes qui in ista congregatione sumus, unum corpus sumus. Alii pedum funguntur officio, alii manuum, alii oculorum. Ergo, fratres, videtur mihi manuum nomine prælatos posse intelligi, qui cæteros et doctrina pascunt, et orationibus defendunt; qui etiam cæteros quasi membra disponunt, et contra ictus exteriorum curarum sese objiciunt. Proinde, fratres, si quæsistis vobis lanam et linum, id est exercitia corporalia, et spiritualia, operamini. Non tamen proprio consilio, sed consilio manuum vestrarum, ut omnia opera vestra ex prælatorum vestrorum pendent arbitrio. Putaveram, fratres, uno sermone omnia quæ hic de hac muliere dicuntur, concludere; sed video me prolixum sermonem habuisse, et vix quatuor versus exclusisse. Et hoc forte pertinet ad linum hujus mulieris. Nam linum, quando in colo cernitur, quam longum filum inde fieri possit, ignoratur. Ergo quæ sequuntur, alio sermone, vel si hoc non possumus, aliis sermonibus reservemus.

### PHILIPPUS DE HARVENG, AEBAS BONÆ SPEI.

#### I. — Qualiter ista sententia, « Nigra sum, sed formosa, » ascribatur beatae Mariæ.

Igitur, postquam triplicem allegoriam et simplicem moralitatem hujus sententiae Deo opitulante in lucem protulimus, dignum est ut ad beatæ Mariæ Virginis personam stylum nostrum dirigamus, quia in ejus laudem et sanctæ Ecclesie honorem totum librum istum a Spiritu sancto editum per os Salomonis non dubitamus. Dicat ergo et ipsa beata Maria: *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem,* id est: Ego filia cœlestis Hierusalem quæ sursum est mater nostra (*Gal. iv*); nigra sum in præsenti sæculo, hoc est contemptibilis et despacta et mœrore confecta, dum video filium meum inuidia Judæorum crucifixum, sanguine suo perfusum; nigra, inquam, præ tristitia præsenti sum, quia dolor anxietatis filii mei pertingit usque ad dolorem cordis mei. Unde et Simeon ad beatam Mariam dixit: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc. ii*); » quasi diceret: Dolor passionis et mortis Christi Filii tui pertinget et vulnerabit intima penetralia cordis tui; sieque veram ejus genitricem te esse comprobabis, cum ei in cruce morienti intimo cordis affectu compatieris. Dicat ergo beata Maria: *Nigra sum præ dolore et tristitia,* quia video filium meum in cruce morientem; *sed formosa sum* id est gaudet et exsulto, quia

considero illum a morte jam resurgentem. *Sicut tabernacula Cedar nigra sum, sed sicut pellis Salomonis formosa sum.* Per tabernacula, que portando de loco ad locum mutantur, transitoria et mutatoria præsentis vite tristitia intelligitur; per pellem vero, id est per tabernaculum Salomonis, cœlestis gloria quam Deus inhabitat, designatur. Dicat ergo beata Maria: Ego quidem transitoria et temporali tristitia pro morte filii mei modo afficio, sed post paululum illi resurgentem, et ad cœlos ascendentem, et in cœlesti gloria regnanti, congratulabor. *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol,* id est nolite me despectui habere, nec contemnere, quia in tribulatione præsenti afflictam cernitis, quoniam quidem, o vos Judæi, propter filium meum, qui est sol justitiae, contribulor, et affligor, quem vos interfecistis. Vel certe nolite me contemplari calamitate et miseria pro morte filii mei denigratam, sed considerate me jam ad dexteram ipsius collocatam, et in æterna claritate cum ipso regnante. *Filiu matris meæ pugnaverunt contra me.* Spiritualiter autem filii matris beatæ et perpetuae Virginis Mariæ, Judæi iniqui fuerunt, qui filii Synagogæ extiterunt, et sine misericordia contra eam pugnaverunt, quando ejus filium in cruce peremerunt. A dolore enim et passione quam Filius in cruce sustinuit, nullatenus immunis fuit.

Præterea credendum est quia anxietas mortis Christi in cruce morientis pervenit usque ad viscera piissime Matris, nec poterat nisi cum magno dolore in cruce pendentem aspicere, quem et verum Deum esse, et de carne sua carnem sciebat veraciter assumpsisse. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Exulta et lauda, habitatio Sion (*Isa. xii.*), id est Ecclesia de gentibus congregata, quæ a tanta custode custodiris et gubernaris. Lætare, inquam, quia Regina cœlorum et Domina angelorum posita est custos tui. Tu es enim spiritualis vinea Domini Sabaoth, id est exercituum: tibi prælata est custos mundi imperatrix, quæ exaltata est super choros angelorum. De qua merito dicitur, quia vineam suam non custodivit, et quod propter infidelitatem et superbiam Judæorum Synagogam deseruit. Quam utique videbatur debuisse carnali affectu custodiare, et orationum suarum auxilio sovere, quia de ea dignoscitur carnalem originem duxisse. Verumtamen quoniam ipsa Synagoga, id est perfidi Judæi illam quasi sororem suam spreverunt, et eam honorare noluerunt, justo Dei iudicio, in hoc sæculo et in die iudicii, ejus intercessione et auxilio carebunt. « Tu ergo Jerusalem, laula Dominum, et lauda Deum tuum, Sion (*Psal. cxlvii.*)», id est Ecclesia gentium, quæ ideo Jerusalem et Sion spiritualiter appellari, quia Deo, qui est pax summa, per fidem et operationem inhærere comprobaris; et in specula, hoc est in altitudine spiritualis vitæ stans, hostes tuos de longe contemplaris. Lauda, inquam, Ecclesia, Deum qui dedit tibi tantam advocatricem, videlicet suam gloriosam Genitricem, quam idcirco Judæi despiciunt, quia illam fuisse suam sororem secundum carnem dicunt. Nos igitur Judæorum perfidia et impietate depulsa a cordibus nostris, honoremus et magnificemus debita cum laude Matrem nostri Redemptoris. Hoc scientes pro certo, quia honor et laus, et gloria, et magnificentia, quam exhibemus ejus Genitrici in terris, ipsum nobis benevolum faciet et in cœlis, et venientem ad judicium placabilem sua majestate cum angelis et archangelis. (*Moral. in Cant.*)

II. — *De throno eburneo et aureo, qualiter sub allegorica interpretatione referri debeat ad personam beatæ, et gloriosæ, et perpetuæ semper Virginis Mariæ.*

Fecit, inquit, Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro clarissimo nimis (*ibid.*). Obsecro, Domina mea clarissima, si ego loquar aliquid minus dignum quam mereatur dignitas tua, non mihi hec proveniat ad animæ detrimentum, sed obveniat ad meriti et gloriæ cœlestis augmentum. Scio enim, scio, quia si omnia membra mea in linguis vertarentur, non valerem ut diguum est effari laudes tuas, quas sublimis gloria tuæ singularis virginitatis promeretur. Scio, inquam, Domina mea, etiam si omnia esse mea possent loqui, non tamen invenirent in cœlo aut in terra aliquam similem tibi. In cœlo

autem similis tibi nullus est, quia si de Deo agimus, Deus major te est, et idcirco similis tui non est. Si vero de sanctis, vel de angelis, vel aliquibus creaturis, quamvis a Deo creatis vult aliquid dicere lingua nostra, manifestum est quod omnes creature excellit et præcellit dignitas tua, quia sicut scriptum est. *Exaltata es super choros angelorum ad cœlestia regna.* Obsecro iterum mea Domina milles plus quam charissima, servulos tuos qui te libenter honorant, et tibi devote serviunt. et de te quod dignum est decenter loquuntur, precibus et meritis tuis omnes adjuva, et sustenta, conforta ab omni peccato, conserva et perduc illos ad immortalia Filii tui gaudia. Tu es ergo tronus ille non quem fecit Salomon rex mortalilis, filius scilicet David regis, sed potius ille quem elegit ab æterno, et præelegit sibi ad habitandum Deus, Dei Filius videlicet rex immortalis. Tu es ille tronus de quo Psalmista dicit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui* (*Psal. xliv.*). Tu es, inquam, mea Domina, omnibus charissimis charior, tronus de auro cœlesti, et ebore spirituali constitutus. Per aurum intelligitur Christi Filii tui divinitas, per ebur vero quod frigidæ naturæ est, sacrosancta tua virginitas. Ex auro ergo divina majestatis, et ex ebore perpetuae virginitatis es constituta, quia et divinitas Filii tui cooperante Spiritu sancto in te est ineffabiliter adumbrata, et virginitas tua permanet et permansit tibi illibata. Præterea hoc quod de natura eboris solent dicere inquisitores naturarum, nequaquam reor sub silentio prætereundum. Congruit enim beatæ Mariæ dignitati, et ejus auxiliis sublimi potestati. Siquidem dicunt quia si ebur dolenti capiti persepe adhibitum fuerit, virtute naturali omnem dolorem mitigat capitis et expellit. Qui ergo in capite, hoc est in mente, vitiorum telis vulnerati dolent, isti sine dubio necesse est ut auxilium et opem sancte Dei Genitricis Mariæ implorent, et ex intimo affectu cordis dicant: « Sub tuam protectionem confugimus, ubi infirmi accepimus virtutem, et propter hoc Dei Genitrix virgo tuæ dignitati referimus gratiarum actionem. » Tu es, inquam, Domina domus quam Sapientia, id est Filius sibi ædificavit (*Prov. ix.*), et in qua septem columnas spirituales ad decorum et gloriam æterna stabilitate collocavit, scilicet virginitatem, castitatem, continentiam, humilitatem, fidem, spem, charitatem. Vere in beata Maria singulare privilegium incomparabilis virginitatis, et fragrantia odoriferæ castitatis effulgit, quia nisi virgo et casta exstisset, nequaquam illam ad habitandum sibi Filius Dei elegisset. Decebat namque ut virgo esset quæ mundum redimebat, quia virgo existit illa prima parens, quæ totum mundum perdidérat. Quia ergo beata Dei Genitrix Maria, virgo fuit, consequenter casta et continens exstitit. Sane de ejus inenarrabili humilitate quid possimus dignum laudibus ejus proferre? Enimvero cum hæc sanctissima atque millies beatissima Virgo mater

Filius Dei ab Angelo eligeretur, ancillam ejusdem Filii sui humili devotione se fatetur, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. 1*). Fidem vero mater Dei intemeratam habuit, quia quod mater Dei posset fieri Angelo nuntiante creditit. Spes autem in ipsa beatissima Virgine sublimem arcem posuerat, quia quamvis insolitum esset et inauditum retro saeculis et generationibus quod audiebat; tamen sic fieri oportere sicut ab Angelo evangelizabatur, certissima fide sperabat. Charitatis visceribus quomodo mater Dei super abundaverit, nullus incognitum habere potest, qui scientia divinae legis aliquantulum eruditus fuerit. Sicut enim Filius ejus maledictum legis pro redemptione generis humani incurrerit. Maledictus nempe, ait Moyses (*Deut. 21*), qui in ligno pendebit, sic et ipsa nimirum manuit cum observatione virginitatis maledictio legis subjacere, quam amissa virginitate, carnales filios in Israel reliquerere. Sic denique lex Mosaica aiebat : maledictus, sive maledicta quae non reliquerit semen in Israel. Tu es ergo omni claritate et splendore solis clarius et splendidior, omni lapide pretioso longe incomparabiliter pretiosior, tu super omnem stellarum fulgorem utpote stella maris fulgentior inveniris, candor quippe es aeternae claritatis, et speculum sine nube divinitate majestatis. Tu es hereditas Domini, in te moratus est Filius Dei. Tu potes dicere : *Creator omnium qui me creavit, in tabernaculo meo requievit* (*Ecli. xxiv*). Tu es tabernaculum in sole positum, de quo utique tabernaculo Filius Dei processit tanquam sponsus de thalamo suo (*Psalm. xviii*). Visera tua sunt lecti argentei in quo malum illud aureum est, de quo Salomon ait : *Mala aurea in lectis argenteis verbum prolatum in tempore suo* (*Prov. xxv*). Non enim potuit digniori et clarius comparatione proununtiari nativitas specialis unigeniti Filii tui. Malum quippe prolatum in lectis argenteis, Verbum est caro factum in visceribus Virginis. Sex autem gradus qui describuntur fuisse in throno eburneo, sex specialiter gradus humilitatis designant, quos habuit beata Maria in corde suo. Unde bene Spiritus sanctus loquitur in Canticis canticorum : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant. 1*). Nardus quippe aromatica, et brevis statura arbor esse dicitur, per quam congrue humilitas beatae Mariæ intelligitur. Quae nimirum virginis humilitas regi in accubitu suo quiescenti complacuit, quando idem rex Filius scilicet aeterni regis de celo descendens, carnem sacrosanctam assumpsit in utero beatæ Mariæ Virginis. Sed iam nunc videamus qui sint sex gradus humilitatis. Primus namque gradus humilitatis est ut homo creatum se de terra fateatur, et ob pravitatis suæ meritum in cinereum se reversurum confiteatur. Secundus vero gradus est ut de accepta qualibet gratia homo nunquam superbiat. Tertius, ut de collatis sibi a Domino beneficiis ipsi Creatori suo inde nenter gratias referat. Quartus, ut homo omnibus se aestinet meritis inferiorem. Quintus, ut

nelli se arbitretur æqualem. Sextus, ut nullatenus se reputet aliquo potiorem vel superioriem. Isti sunt sex spirituales gradus humilitatis, quibus Deus descendit ad cor sese humiliantis, et per quos ascendit homo ad cognitionem Dei ad se descendantis. Post haec autem nobis historia insinuavit, quod thronus ille rotundus in exteriori parte exstiterit. Superiori vero tractatu dixisse me memini, quia quidquid est rotundum, videtur esse perfectum; quid ergo rotunditas et perfectio throni aurei nobis innuit, nisi quod beata Maria virgo ante partum fuit, et post partum virgo inviolata permansit? Quæ siquidem manus quæ throni eburnei sedile tenerunt, duo Testamenta designant quæ ubique Christi humanitatem quam in beata Maria assumpsit, predicaverunt.

Quatuor ergo leones qui juxta prædictas manus stant, quatuor sunt Evangelia quæ itidem quod duo Testamenta, clamant. Duodecim leoneuli qui super sex gradus fuisse dicuntur hinc atque inde, duodecim virtutes sunt, quas constat beatam Mariam pro certo possedisse, scilicet spiritualem vitam, gaudium in Spiritu sancto, longanimitatem, patientiam, bonitatem, benignitatem, mansuetudinem, fidem, incomparabilem modestiam, virginitatem, compassionem, in sancto proposito perseverantium. Spiritualem siquidem vitam, beata Maria duxit, quia nisi vita ejus plena virtutibus resplisset, nullatenus Deo placuisset. Gaudium nimirum in Spiritu sancto habuit, quoniam ipsa in hymno suo repleta spirituali jubilatione dixit : *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Luc. 1*). Longanimitas quippe illi non defuit, quia quæ ab Angelo audiebat, licet inaudita et insolita essent, tamen ut in se complerentur per longanimitatem exspectabat. Virtute patientiae non modicum exstitit munita, quia contumelias quas Filio suo, imo etiam sibi a perfidis Judæis inferri videntur, patienti animo toleravit. Bonitatem et benignitatem quis denegat illam habuisse, quam procul dubio fatemur omni abundantia floruisse? Mansuetudo autem in ea locum præcipuum obtinuit, quia nisi mansueta esset, Spiritus sanctus nullatenus illam ad habitandum elegisset. Fides vero incomparabilis, ut supra jam memoravimus, cordis ejus intima per lustravit, quia licet contra humanæ naturæ jura esset hoc quod Virgo Mater Dei eligebatur, tamen sic fieri nutu Dei posse creditit, ut ab Angelo ei evangelizabatur. Modestiam ipsius, id est religionem quibus præconis possumus, ut dignum est attollere, quoniam scimus pro certo orationi et silentio vacantem ab Angelo repartam esse. Fores vero Virginitatis et insignia integerrimæ castitatis ipsius, quibus laudibus, ut decet, prædicabimus, quæ in tantum dissuoverat perfaci alloquis hominum, ut etiam ingressum et affatum expavesceret angelicum? Unde Angelus : *Ne timeas, inquit, Maria, invenisti gratiam apud Dominum* (*ibid.*). Cum enim illud ave gloriosum et ineffabile a Deo missum Gabriel Angelus illi evangelizaret, quia illam timen-

tem vedit, illico submonuit ne quidquam timeret  
Compassionem vero et dolorem quem beata Maria  
sustinuit in morte Filii sui, non valet quisquam ad  
iquid infundere humano auditui. Videbat enim  
Deum et Dei Filium quem de Spiritu sancto Virgo  
Mater conceperat, ab impiissimis Judæis crucifixum,  
et, quasi alicujus facinoris reus esset, cum latronibus  
prædamnatum. Quomodo autem possent viscera  
beatae Mariæ Virginis sine doloris experientia re-  
manere, cum ipsa cerneret carnem suam quam Dei  
Filius in suo utero pro sa'ute generis humani acce-  
perat, in cruce pendere? Perseverantiam in sancto  
proposito et in bonis operibus quam beata Maria

habuit, facili judicio possumus ostendere, quia il-  
lam constat remota omni ambiguitate ab ortu suo  
usque ad finem hujus mortalis vitæ per omnia Deo  
placuisse. Post hæc autem liber Regum superiorem  
sententiam tali fine concludit dicens: *Non est fa-  
ctum tale opus in universis regnis (III Reg. x).* O  
quam admirabilis est ista conclusio! Vere, tale opus  
in universis regnis factum non fuit, quale est illud  
quod Virgo de Spiritu sancto concepit, Virgo Dei  
Filius genuit, Virgo inviolata post partum perman-  
sxit. Non est, inquam, ab initio mundi factum tale  
opus ut Virgo Mater lactaret Filium Dei virginis  
überibus. (*Ibid.*)

### RICHARDUS A SANCTO VICTORE.

#### 1. — *De beatæ Virginis Mariæ integra et perfecta pulchritudine.*

*Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. iv). Beata Maria Virgo tota pulchra fuit, quia sanctificata in utero. Ab utero quoque egressa nec mortale unquam nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem Filii Dei prius per gratiam custodita est a peccatis, post hanc vero ita confirmata est ex virtute Altissimi, obumbrata et roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit. Ex quo temp'um Dei facta est, ita privilegiata est ut nullatenus aliqua ma-  
cula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, ut nec ullum vel minimum ve-  
niale in ea fuerit quominus in ea locum gratia ha-  
b' re potuerit. Cum enim aliquis aliquod veniale  
committit, tunc non meretur, nec augetur in co-  
gratia. Tota ergo fuit pulchra quam totam possedit  
gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.  
Habuit quoque virtutes sine perturbatione vel pas-  
sionibus vitiorum, et has possedit amore earum de-  
lectata et gratia adjuta. Ideo in ipsa virtutes erant  
perfectæ, et in continuum usum trans fusæ, ut nihil  
aliud quam bonum saperet, vellet, vel sentiret. Talis  
fuit in virtutibus, tanta quoque fuit ejus charitas,  
ut non solum ad ejus gentem (Judæos videlicet)  
extenderetur, sed has ignotas et notas, ad omnes  
denique homines, ad hos omnes charitas ejus dilata-  
ta fuit, pro his sollicita fuit, pro his indesinenter  
oravit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam  
angelo Gabriele: *Invenisti gratiam apud Deum* (Luc.  
1), scilicet, quam quæreas. Omnium salutem de-  
sideravit, quesivit et obtinuit; imo salus omnium  
per ipsam facta est, unde et mundi salus dicta est.  
Tota ergo fuit pulchra, quia munditia in utero, et  
deinde in sanctitate munditia confirmata, somite  
peccati primo in ea sopito, ut non peccaverit, et  
tandem extineto, ut peccare deinceps non potuerit,  
angelicam denique in terra adepta est puritatem,

et Dei similitudinem in virtutibus et sanctitate ac  
morum perfectione, justa, pia, prudens, modesta,  
misericors, sancta mente et corpore. Merito ergo  
prædicatur pulchra, quæ et divinam et angelicam  
similitudinem in terris est adepta. Et quia humilitas  
locus est gratiae Dei, adeo ut tantum gratiae capax  
sit aliquis quantum fuerit humilius, sicut virtutem  
hanc perfecte et totam possedit, ita totam eam  
gratia implevit, tamque decoravit. Hæc est ergo  
interior pulchritudo mentis. Exterior quoque fuit  
decor castitatis, candor virginitatis. Tota quoque  
lucida fuit opere nil tenebrosum habens vel sini-  
strum, sed totum lucidum et perfectum, ut aliorum  
aspectibus pateret et exemplo laceret, induita vesti-  
tu deanrato virtutum et circumdata varietate meritorum.  
Taleni Rex cœlestis concupivit tam decoræ,  
sic vestitæ sol justitiae se infudit, et in ea se carne  
vestivit. Nec mirum si lucida fuit quam splendor  
gloriae implevit, si pulchra fuerit quam splendorem  
lucis in se suscepit. Non quoque dubitandum amoris  
ignem et interiorem candorem exterius etiam in ea  
lucere, ut quæ puritatem angelicam habuit, vultum  
etiam angelicum habuerit. Tota ergo pulchra mer-  
rito dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente  
et corpore. Quæ etiam ipsis principibus tenebrarum  
terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare  
non præsumperint. Deterrebat enim eos flamma  
charitatis, incendebant orationes et fervor devotio-  
nis, stupebant immunem a peccatis. Nemo enim  
tam sanctus qui maculam non habuerit, et defectum  
præter ipsam. Luna enim quæ nocte splendet, id  
est hi qui vitæ sanctitate lucent ut luna vel stellæ,  
in nocte hujus vitæ obtenebrantur in ejus compara-  
tione. Obtenebrantur enim stellæ, id est sancti, ca-  
ligine humanæ culpæ, sed B. Virgo tota pulchra  
fuit, quam totam illustravit, et perfudit sol justitiae,  
ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.

Super hæc martyrio decorata fuit. Ipsius enim

animam pertransivit gladius, non materialis, sed doloris. Quo martyrio gravius passa fuit quam ferro. Quanto enim incomparabiliter amavit, tanto vehementius doluit. Unde sicut non fuit amor sicut amor ejus, ita nec fuit dolor similis dolori ejus. In martyribus magnitudo amoris dolorem lenivit passionis, sed beata Virgo quanto plus amavit, tanto plus dolebat, tantoque ipsius martyrum gravius fuit, unde quia pius omnibus dilexit, et juxta magnitudinem amoris erat vis doloris, gravius passa fuit mente quam martyres carne. Pulchra ergo fuit beata Virgo virginitatis decore, pulchra confessionis laude, et cæteris omnibus pulchrior qui sancte vixerunt, pulchra martyrii palma, et sine omni macula. Quia igitur tam pulchra, tamque multipliciter decora, merito de Libano vocatur, id est de candidatione. Quæ etiam coronanda dicitur de capite Amana, Sanir et Hermon, de principe videlicet hujus mundi principante mundi amatoribus, et per munditiae fetorem, sive per alia peccata a Deo separatis, hunc mundi principem, et caput iniquorum beata Virgo superavit, calcavit et vires ejus contrivit, dum perfectam munditiam servavit in corpore et humilitatem in corde, ut nullum locum rependi, vel in pectore ejus, vel in mente habere potuerit mulier ista fortis cuius pretium procul est, et de ultimis finibus, illum pariens qui fortè armatum debellaret, atrium suum (id est mundum) pacate possidentem. Quæ beata, dum ab eorum cordibus quos vel aperte seviendo dejecerat, vel occulta et varia fraude tectus deceperat, meritis et intercessione sua liberavit, de cibilibus seu montibus leonum atque leopardorum coronari prohibetur. (*In Cant. cantic., cap. 26.*)

## II. — *De Assumptione Mariæ, et ejus laudibus.*

*Quæ est ista quæ ascendit, et transiens deserta?* (*Cant. iii.*) Quo tradit aut quid portendit floribus operta? Papæ, surem non offendit opibus referia, virgo singularis. O prædo, jam prædaris, præda factus virginis! Hæc est hostis Holoferni, mulier Hebreæ; quid Judæos, Aman, spernis, Esther est Judea, Mardochæo crucem sternis, punieris ea. Singularis fersus, rex est Asserus, Esther magni nominis, hæc est illa virga Jesse, quam fert Isaias de radice natam esse, cuius flos Messias, passionis sue messis stravit mundi vias, fructu centenario, cum sexagenario atque tricenario. Hæc est Sumamitis illa, quæ David servivit. Ista Jahel tam pusilla Sisarum contrivit. Hæc est regina Saba, quæ regis adivit Salomonis regna, cuius sapientiam audivit in sacrario, hæc de manu Pharaonis sumi salvat masculum, hæc est vellus Gedeonis, rore ditanus vaseulum, hæc est veri Salomonis singulare ferulum et turris eburnea, a toto resplendens aurea tota delectabilis, hæc est in quo se reclinat rex, reclinatorium viatorum dum declinat, hæc est diversorium, caput super hanc inclinat, non habens tugurium, Rex æternæ gloriæ. O quam dulcis est memorie mater tam lau-

dabilis! Hæc est arbor inflammatæ, sed combur nescia, stella Jacob procreata, veri solis nuntia, porta semper obserata, soli regi pervia, sed et area foederis, allata David humeris, magno translata jubilo. Lunam tenens hæc sub planta, sole stat circumdata, talis exstat et tam sancta, tot habens charismata, tot figuræ, signa tanta, tot gerens ænigmata, quot sunt cœli sidera. O quanta sit considera, tu quisquis es in jubilo, istis suffulta flosculis, istis malis stipata, stat eruta perculis, in portu laureata, desideratis osculis jam fruictur beata conjuncta Trinitati! O plaudant iam renati! O jubilum quo jubilat, mater nato unita! O quam præclara rutilat duplicibus vestita, translator non sic ventilat, fides allegat ita quod regnet jam cum Deo! Ave, Maria, gratia plena; tecum sit Deus. Corruptionis nostræ quam somniant Judeus. Tabescat in fallacia seductor Sadduceus: nam vere surrexisti. O dulcis mater Christi, reorum miserere! Ave, Maria, mater gratiæ, mundi regina, mater misericordiæ, salva nos a ruina, fons vitaæ, vena venie, venire tunc festina cum morti appropinquamus, ut tecum valeamus perpetuo gaudere. Amen. (*Ibid.*)

## III. — *De comparatione Christi ad florem et Mariæ ad virgam.*

Virgo Dei genitrix virga est, flos Filius ejus; quia recte dicitur virga beata Virgo Maria, virga recta, virga erecta et in colum usque porrecta, virga gracilis, virga flexibilis, virga florigera, virga fructifera. Recta per fidem, erecta per speciem, procera per longanimitatem; per humilitatem gracilis, per compassionem flexibilis, per virginalem conceptionem florigera, per partum salutis fructifera. Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus. O quam bene, quam recte flos dicitur, qui ex virga virginali producitur! Quid flore tenuis, quid flore tenerius? Quid ad tactum lenius, quid ad portandum levius? Quid flore formosius, quid flore fragrantius, quid flore fructuosius si effectum attendimus? In flore namque mellificatio, ex flore fructificatio. Ex flore itaque favus et fructus. In favo mel et cera, in fructu potus et esca. Si parva sunt ista, addo quia et in flore est medicina. Quid nanque flore tenuis, cum astrinxitur; quid tenerius, cum atteritur; quid lenius, cum attractatur; quid levius, cum portatur; quid speciosius, cum aspicitur; quid fragrantius, cum odoratur; quid utilius, si effectus attenditur? Septem itaque sunt quæ in flore miramur, tenuitatem, teneritudinem, levitatem, levitatem, pulchritudinem, odorem, utilitatem. Ex his itaque collige virginis ille Filius qualis invenitur ab illis quibus in florem vertitor. Nam qui incredulis et prævaricatoribus est lapis offensionis et petra scandali, flos est spe et amore inhærentibus illi; flos utique mirabilis, spe et utilitate singularis; flos, inquam, est Filius virginis. Flos tenuis ad indignationem, tener ad miserationem, mansuetudine lenis, damnatione levis, pulcher per conuersationem, fragrans per

repromissionem, utilis per remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener in misericordiis, lenis in donis, levis in præceptis, pulcher in exemplis, fragrans in promissis, fructuosus in præmiis. Hic flos factus est nobis medicina, ex illo mel et cera, in ipso potus et esca. Medicina in redēptione, potus et esca in justificatione, mel et cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas sempiternae incorruptibilitatis; ex ejus esca refection internæ satietatis; ex ejusmodi potu ebrietas æternæ securitatis; de illius cera splendor summæ claritatis; in ejus melle dulcor indeficientis felicitatis. (*De Missione Spiritus sancti.*)

#### IV. — De differentia sacrificii Abrahæ a sacrificio beatæ Mariæ Virginis.

Audivimus de magno patriarcha Abraham quod obtulerit in sacrificium Domini torturam et columbam, beatæ vero Virginis Mariæ sacrificium fuit par torturam, et duo pulli columbarum. Multum omnino videtur differre sacrificium patriarchæ Abrahæ a sacrificio beatæ Virginis Mariæ. Quid horum majus, quid horum melius? Sed quis audeat aliquem sanctorum nisi solum Sanctum sanctorum beatæ Virginis Mariæ anteferre, vel æquiparare? Indubitanter itaque quod opimum est tantæ dominæ attribuimus, sed iterum valde durum ut perfectioni tanti patriarchæ aliquid detrahamus. Omnino tamen non videtur esse sine causa talis vel tanta hostiarum differentia. Sed si juvat ista plenius intelligere, opus est altiori consideratione. Videtur autem ad torturis volatum et eantum pertinere in æternorum malorum consideratione, gemutum et planetum effundere. In æternorum vero bonorum contemplatione gemere et suspirare, hoc est columbinum cantum habere. Recolat itaque homo quid boni peccando amiserit, vel quid mali eodem modo incurrit, ut melius pleniusque intelligat ad quem statum laborando, gemendo, suspirando anhelare oporteat. Geminam namque captitatem peccando incurrit, et geminam dignitatem amisit. Sponte siquidem subditus culpe, invitatus quidem addictus est poenæ, et de cætero perdidit stabilitatem gratiae et perpetuitatem gloriae. Tali itaque gratia et gloria nudatus, homo volens nolens subservit peccato et subjecitur flagello, et brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet. Geminam itaque captitatem, utpote exactionem culpæ et poenæ nascendo contrahimus, et quandiu hic vivimus fixam gratiae stabilitatem gloriaeque perpetuitatem recuperare non possumus. Debemus ergo omni diligentia, et quanta possumus instantia ad hoc utique laborare, modumque in omnibus obtainere, ut mala quæ contraximus nascendo, deponamus moriendo, et bona illa quæ in procursu hujus vite recuperare non possumus, statim ad ingressum subsequentis vitæ obtineamus. Perfecti namque viri in ipso statim exitu animæ, in ipso primordio incipientis vitæ emancipantur a culpa, et liberantur a poena, confirmantur in gratia, et sublimantur in

gloria. Hanc autem geminam libertatem a culpa et poena, hanc vero geminam dignitatem in gratia et gloria, quas soli perfecti accipiunt in egressu animæ, quid aliud dixerim quam quasdam primitias plenitudinis futuræ? Accipiunt ergo perfecti primitias istas in sola anima, accepturi postnodum plenitudinem in utraque natura. Pro primitiis vero geminæ libertatis gemere et suspirare, et de ipsis per mortem obtainendam firmam spem tenere: hoc erit, ut arbitror, par torturum offerre. Pro primitiis autem geminæ dignitatis gemitus et suspiria effundere, et eorum obtentum in exitu animæ de Domini pietate presumere: hoc erit, ni fallor, duas columbas in Domini sacrificio impendere. Geminam libertatem, et geminam, ut diximus, dignitatem in morte accipiunt soli perfecti, unam vero libertatem, et unam tantum dignitatem accipiunt omnes electi. Nam statim post egressum animæ sub eodem temporis momento, et emancipantur a peccato, et confirmantur in bono. Siquidem electorum, sed minus perfectorum animæ sicut et cæteræ mox in corporis sui depositione sortis suæ sententiam accipiunt, et ex eo quod æternam damnationem evaserunt, ex eo quod futuram glorificationem suam prenoscunt, ex eo quod a gratia Salvatoris Christi post tot delicia se nunquam destitutos esse cognoscunt, ad tantum Conditoris sui amorem convalescent, ut nemo eorum de cætero aliquid omnino facere vellet unde Deum offenderet, etiamsi id impune liceret. Econtra autem omnes reprobri postquam damnationis sue sententiam accipiunt, ad quantulamque divini amoris scintillam nunquam assurgunt, et ex quo de æternis bonis penitus desperant, ad ea quæ in hac vita noverant, et perverse amaverant, desiderant redire, et in eis semper vivere vellent, si impune hoc possent. Constat itaque eos peccato in perpetuum subservire, non tam actione quam voluntate. Malorum itaque animæ in exitu suo confirmantur in malo, honorum vero confirmantur in bono.

Et quamvis electæ quædam, sed minus perfecte teneantur adhuc satisfactionis debito, et multo forte tempore purgentur a vitio, absit tamen ut de cætero aliquo modo subserviant peccato. Emancipantur itaque a culpa, non tamen liberantur a poena, confirmantur in gratia, nec tamen sublimantur in gloria: sed quod post mortem Salvatoris agitur erga minus perfectos, hoc ante solutum redēptionis nostræ præmium agebatur etiam erga valde perfectos. Emancipabantur namque a servitute peccandi, nec tamen liberabantur ab omni debito patiendi. Nam, ut de cæteris taceam, patiebantur certe exsilium et ergastulum. Sed quale ergastulum? Certe infernum. Taceo quod nou rapiebantur ad gaudia cœli, sed nec revertebantur ad amœna paradisi. Quamvis igitur confirmarentur in bono, non tamen consummabantur in gaudio. Audenter dico, quod nec ipse Abraham geminam illam libertatem quæ est a culpa et poena in corporis depositione accepit: nam illam quæ est a captitate longinquæ peregrinationis nec

petere, sed nec sperare præsumpsit; merito ergo non tortures, sed torturam obtulit, et pro hac parte hostiam suam duplicare non debuit. Quod dico de obtentu geminæ libertatis, idem dico de obtentu geminæ dignitatis. Stabilitatem namque prioris gratiæ quam speravit et quæsivit in morte accepit, sed ante Salvatoris adventum ad æternitatis gloriam transire non potuit. Merito ergo ejus oblatio in ejusmodi avium genere, nonnisi una columba fuit. Beata vero virgo Maria, quoniam de utraque tam libertate quam dignitate in carnis depositione obtinenda secura fuit, recte hostiam suam ex utraque parte duplicare potuit. Jam, credo, tenetis quam merito debuit ejusmodi differentia interesse inter sacrificium Abrahæ et sacrificium beatæ virginis Mariæ. Sed adhuc illud in his videtur inquisitione dignum, cum magis elegerit offerre par tarturum quam par columbarum, e converso autem duos pullos columbarum potius quam duos pullos tarturum. Unum autem scio, quia bona cœlestia, bona æterna, quanto certius, quanto fidenter speramus, tanto libentius, tanto propensius pro eis laboramus. Quanto autem pro eis amplius desudamus, tanto majora vel potiora speramus. Quanto autem meliora speramus, tanto ardentius amamus. Quanto vero ardentius amamus, tanto vehementius, tanto anxius desideramus. Sic utique sic ex securitate spei nascitur anxietas desiderii. Habes itaque avem in spei securitate, habes ejus pullam in desiderii anxietate. Spes siquidem quæ cœlestibus et æternis inhiat, avium more ad alta quidem et longinqua volat. Pullus de volucre nascitur, et desiderii anxietas eo ordine quo diximus de spei certitudine generatur. Pullorum est assidue clamare, et raro a clamore cessare. Novit hoc ille qui dixit: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo* (*Isa. xxxviii.*) Pullus itaque satis anxius clamare solet, et auxilium desiderium in aure Conditoris vocem magni clamoris habet. Hinc est quod Moysi tacenti, sed anxius desiderio æstuantur dicitur a Domino: *Quid clamas ad me?* (*Exod. xiv.*) Hinc est illud Psalmistæ: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psal. x.*) Solet autem hujusmodi desiderium in quibusdam adeo crescere, ut tædeat eos vivere, ita ut veraciter vox illorum videatur esse: *Tædet animam meam vitæ meæ* (*Job x.*) Illud namque bonum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quis, quæso, poterit cum spei certitudine exspectare, et ingenti desiderio non æstuare, et pene nonnisi impatienser vivere? Pertinet autem ad avem, ut dictum, confidentia spei, ad ejus vero pullum impatiens desiderii. Audi vocem volueris in loco solitudinis suaviter modulantis: *Sci-nus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostræ hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in eis* (*II Cor. v.*) Ecce quanta confidentia spei. Attende et in alio vehementius desiderii, simul et intellige clamorem vociferantis pulli: *Quando veniam,*

inquit, et apparebo ante faciem Dei (*Psal. xl.*) Sed quando aliquis hujus vitæ fastidio, futuræque vite desiderio æstuat, interest utique qua intentione id agat. Nam aliud ad hoc ipsum timor impellit, aliud vero amoris vehementia trahit. Illud exagitat timor ancipitis periculi, et incumbentis mali, istum amor et æstus perfruendi desiderii. Audi vocem de medio periculorum anxiantis: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom. vii.*) Accipe et illam amoris nimietate æstuans: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp. i.*) Utrobique andis desiderium mortis, et tedium vita præsentis. Illa vox pertinet ad pullos tarturum, ista ad pullos columbarum. Qui enim jam geminæ, quas superius distinximus, capivitatis odio geminæque libertatis desiderio mori desiderat, et multis geminitibus atque suspiriis in id ipsum anhelat, quid aliud in Dei auribus quam mors pullorum de nido tarturum clamitat? Qui autem eum moriendi desiderio orat et plorat pro abundantia gratiæ et gloriæ quam in futuro exspectat, quid aliud quam pullorum more voce columbina clamat? Geminam namque libertatem in carnis depositione firmiter sperare, et in hac exspectatione patienter vivere, hoc est, ut jam diximus, par tarturum offerre. Harum vero libertatum desiderio ardentius æstuare, et pro earum obtentu citius mori velle, et hoc ipsum quod vivit impatienser ferre, hoc esse videtur de pullis tarturum hostiam immolare. Similiter qui sublimationem geminæ dignitatis in spe securitatis patienter exspectat, par columbarum in Domini sacrificio immolat. Qui vero morarum impatiens in id ipsum anhelat et æstuat, de pullis columbarum Domino sacrificium parat.

Quis enim plenitudinem illam gratiæ et gloriæ quantumlibet perfectus in hac vita obtinere, quam statim post animæ exitum obtinere non dubitat, sic ut possit jugiter divinæ contemplationi inhærere, et ab illa nulla abduci cogitatione, ut possit in illo solo delectari, et in illo omni hora vel momento gloriarri? Non est hoc hujus vitæ ut oportet quantumlibet perfectum tantæ jucunditatis dulcedinem, ut cetera taceant, saltem dormiendo interpolare. Quis illud primum et maximum mandatum in hac vita ad plenum possit implere, Deum videlicet toto corde, tota anima, tota virtute diligere? Qui igitur pro obtinendo tantæ plenitudinis desiderio vitam istam fastidit, et pro implendi desiderii acceleratione suspirat, ingemiscit, et lacrymas fundit, pullos columbinos Domini sacrificio impedit. Multi in magnis tribulationibus et temptationibus sunt, et fortius agunt, securi de gemina libertate, si detur persevereare. Sed saepè non novelli eorum qui ejusmodi sunt, propter metum cadendi, et laborem patienti, desiderant cito mori, ut ab omni periculi suspicione de cætero possint esse securi. Sed attende ne forte videatur esse signum nonnullius impatiens laborum certamina subterfugere vel signum similiter nonnullius dissidentiæ sub cadendi metu ultra modum trepidare. Certum namque esse debet perfectis omnibus, quia

fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus ferre, sed faciet cum temptatione etiam proventum, ut possimus sustinere (*I Cor. x.*). Hinc est quod quidam inter summa pericula tam constanter agunt, tam securi de Domini protectione consistunt, ut indubitanter andeant et dicant, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu (*Rom. viii.*). Quantum itaque ad considerationem evadendi periculi, majus videtur firma de Domini protectione securitas spei, quam nimia vehementia desiderii. Sed illud pertinet ad par tuturum, istud ad pullos eorum. Majus ergo videtur esse par tuturum quam eorum pullos offerre. Sed absque dubio alia videtur esse lex timoris, atque alia, ni fallor, amoris. Velle quiescere et esse securum, non est tam amantis amicum quam amantis semetipsum. Illum vero quem diligit anima sua velle videre, illius desiderio aestuare, et donec illum videat, apprehendat, inhæreat nullo modo posse quiescere, videtur esse signum summæ devotionis et admiranda charitatis. Videtur itaque pro hac parte multo majus aliquid esse impatientia aestuantis desiderii, quam sine ardenti desiderio sola securitas spei. Sed istud ultimum pertinet ad par columbarum, illud primum ad pullos earum. Majus itaque sacrificium videtur esse, duos pullos columbarum quam ipsas columbas offerre. Ecce quod diu quæsivimus tandem aliquando invenimus, quia majus aliquid est offerre par tuturum, quam pullos eorum; econtrario vero minus videtur offerre par columbarum quam pullos earum. Jam non miraris, ut arbitror, si sanctarum sanctissima, perpetua Virgo Maria in utroque genere hostiæ obtulit quod juxta mysterii dignitatem utrobique optimum esse cognovit. Absit ut dicamus vel credamus beatam Virginem Mariam propter metum patiënti, vel timorem cadendi mortis desiderio urgeri. De nullo enim sanctorum rectius creditur quam de ipsa quod parata fuerit semper quantum in ipsa fuit, ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sustinenda. Metu vero cadendi quomodo urgeri potuit, quæ in carne qua Christi carnem genuit, nutritivit, nil contradictionis portavit? Ad momentaneum contactum dextræ salutaris leprosus inundatur (*Matth. viii.*), ad tactum simbriæ mundata est et illa quæ fluxum sanguinis patiebatur (*Luc. viii.*), quanto magis illam ab omni contagio mentis et corporis mundari oportuit, quæ tandi totum in utero, quæ toties totum in gremio circumplexa fuit, quæ illius, ut sic dicam, medelæ plenitudinem modo intus infusam, modo exterius adhibitam sufficienter habuit; illius, inquam, medelæ quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis satis superque sufficere possit? Quomodo, obsecro, cadendi vel patiënti metu usque ad vitæ tedium urgeri potuit, quæ juxta angelicæ salutationis præconium gratia

plena fuit? Sed et impellere non potuit timor, potuit attrahere amor. Quis unquam ex omnibus Christi dilectoribus libertius mori vellet, ut ejus divinitatem videre posset, ut majestati illius immensitatique perpetua contemplatione inhæret? Quis unquam hujusmodi desiderii fervore ardentius aestuavit? Quanto certe præ ceteris dilexit, tanto præ ceteris divinae visionis dulcedinem, dulcedenisque sempiternitatem ardentius desideravit. Audenter dico quod nec illa quæ præ ceteris dilexit huic dulcedini inseparabiliter inhærente, vel hanc solam et sine interpolatione haurire potuit, quandiu in hac vita fuit, et corpus corruptibile portavit. Corpus enim quod corruptitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantiem (*Sap. viii.*).

Quia igitur illam plenitudinem gratiæ et gloriæ in hac vita obtainere non potuit, quam in sua assumptione accepit, quid mirum si assumptionis illius horam ardenter desideravit, quam nullus cadendi vel patiënti timor ad mortis desiderium impellere potuit? Par tuturum in eo quidem obtulit, quod geminam libertatem in carnis suæ depositione quam confidenter tam patienter exspectavit. Pullos vero columbinos potius quam par columbarum obtulit, in eo quod ad gemiuam illam superius jam dictam gratiæ et gloriæ plenitudinem, etiam cum mortis desiderio anhelavit. Abraham vero, ut dictum est, ad carnis depositionem, non de obtenu gloriæ, sed de sola acceptance stabilis gratiæ securus fuit, non tamen in ea plenitudine quam beata Virgo Maria, vel perfectorum quilibet sub hoc tempore accepit. Quid ergo mirum, si horam assumptionis tepidius desideravit, qui minus speravit? Reete ergo non pullos vel pullum columbarum, sed solam columbam obtulit. Turturem itaque Abraham in spe certa obtainendæ libertatis a culpa, columbam obtulit in spe certa percipiendæ perpetuæ stabilitatis in gratia. Si perfectionis studia æmulari, si spirituales effici voluntus, in sacrificio Domini juxta exemplum Abrahæ, animalibus etiam aves adjungere debemus. Aves quidem se in aera suspendunt, quod animalia facere utique non possunt. In avibus itaque intellige studia spiritualia, in animalibus exercitia corporalia. Ad animalia pertinent studia exteriora, ad aves studia interiora. Ad illa exercitia corporis, ad ista exercitia mentis. Interiora autem nostra solus Deus videt, exteriora vero nostra videre etiam proximus valet. Illa quæ intus agimus sicut propter solum Deum, illa quæ extrinsecus gerimus partim propter Deum tantum, partim etiam propter proximum. Multa enim sicut propter solum beneplacitum divinum, multa propter utilitatem vel beneplacitum hominum. Reete ergo de Abraham Scriptura dicit, quod animalia divisit, aves vero non divisit (*Gen. xv.*). In illis namque exercitiis quæ solummodo patent divinis conspectibus, et qualia ad aves pertinere jam diximus, nihil aliud oportet intendere, nisi ut merito debeant

divinæ voluntati placere. In corporalibus vero exercitiis quibus tum propter Deum, tum propter proximum insistimus, intentionem geminamus, et pro hac parte hostiam nostram dividimus. Debemus vero hostiam nostram non solum juxta hunc modum dividere, sed etiam divisiones ipsas altrinsecus contra se invicem ponere, et utramque partem alterna consideratione pensare. Nam in his quæ propter proximum facimus, offensam Dei cum omni cautela cavere debemus, et in his quæ propter Deum gerimus, inquantum possumus, proximi scandalum vitare debemus. Solam autem illam hostiam quæ ex animalibus est debemus dividere, sed tam istam quam et illam quæ ex avibus est oportet juxta exemplum Abrahæ a volucrum rapacitate defendere (*ibid.*). Nam voleres, ut scriptum est, super ejus hostiam descendebant, et Abraham eas abigebat. Quid autem intelligimus per hujusmodi volneres, nisi vanas et ineptas cogitationes? Sæpe ex bonis quæ intus vel exterioris operamur, modo superbia, modo inani gloria tangimur, et apud nosmetipsos in immensum gloriamur. Sed, si hujusmodi ineptis cogitationibus viriliter non resistimus, boni operis fructum nobis in Dei oculis evanescamus. Dicte autem voleres quasi ad sacrificiorum nostrorum rapinam descendant, quando improbae cogitationes a spiritibus malignis ad meritorum corruptelam immissæ cordi nostro superveniunt. Nam spiritus quidem maligni eo ipso quasi supra nos sunt, quo eminentioris conditionis et angelicæ naturæ existunt, et in Evangelio voleres cœli dicti sunt (*Matth. xii; Marc. iv; Luc. viii*). Debemus itaque ineptas cogitationes, et quilibet immisiones per angelos malos, per increpationem ferire, et hoc erit ejusmodi volneres abigere. Qui igitur haec audit vel legit, apostolico documento addiscat, quomodo elationis vel ineptæ gloriationis rapacitatem abigere oporteat. *Quid, inquit, habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor. iv.*) Solum malum habere potes de teipso, nullum autem bonum, nisi ex munere divino. Attende ergo quam sit impudens gloriatio gloriari de malo tuo, vel de bono non tuo. Si ista diligenter, si ista frequenter retractamus, devotionis nostræ hostiam citius ab ea quam diximus volucrum rapacitate eripimus. Ecce habemus quales hostias debeamus Domino Deo nostro offerre, ecce habemus quomodo eas oporteat a rapacitatis incursu defendere. Utinam unusquisque nostrum hujusmodi studiis eousque insistat, donec sol occumbat, et vanitatis amor paulatim deficiat, et carnalis prudentia radio subducto fervore concupiscentiae tepescat. Per globum namque ignem atque corporeum qui molem terræ circumire non desinit, et in circuitu pergens nunquam requiescit, quid melius, quid rectius hoc loco intelligimus, quam amorem terrenorum, amorem transeuntium qui insima ambit, et animum quem inflammat nunquam quiescere sinit? Sol iste et per prudentiam carnis splendet, et per carnis concupiscentiam fervet. Sol

iste absque dubio tunc occumbit, quanq[ue] carinalis prudentia hebet, et carnalis concupiscentia sensim refrigescit.

Ut autem sciamus quid ejusmodi solis occasum quandoque sequi soleat, audiamus quid Scriptura dicat: *Cumque sol occubuisse, irruit sopor super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invaserit eum* (*Gen. xv.*) Solis itaque occasum sopor, soporem sequitur horror. Per soporem corporis, ut omnes novimus, sensus corporeus sopitur, et animus humanus a rebus adjacentibus alienatur. Congruè igitur satis per soporem mentis alienatio intelligitur. In hujusmodi vero sopore mens saepe ex divina revelatione cognoscit, et quasi per somnum apta visione cernit quæ prius et velut vigilans vix tenuerit, vel nullo modo cognoscere potuit. Illic est illud quod in Job per Eliū dicitur: *Per somnum in visione nocturna quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiviēt eos instruit disciplina* (*Job xxxiii*). Hujusmodi sopor juxta arbitrium hominis nullo modo venit, sed pro beneplacito ipsius qui illum immittere consuevit. Merito ergo de hoc sopore dicitur quia irruit, eo quod subito et inopinatae venit. Sopor itaque irruit, quando spiritualis quispiam repentina impetu in mentis alienationem transit. Quando autem homo juxta hunc modum soporatur, et extra semetipsum rapitur, mira et stupenda sunt saepe quæ per excessum videntur. Miraris fortassis qui haec audis, quia nil in te tale adhuc experiris. Nescis quia omnia tempus habent. Vigilantia utique et sopor tempus habent. Vigilantia in die, sopor in nocte. Forte tibi nondum sol oculabuit, needum vanitatis amor defecit. Sole servente, nescit ille quem determinavimus sopor irrnere. Solis occasum, ut diximus, sequitur sopor, soporem nihilominus quandoque subsequitur horror. Multa enim mens humana sub hujus saepe soporis tempore videt, que sine pavore et tremore seu etiam horrore videre non valet. Unde est illud Eliphaz Themanites: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavore tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt* (*Job iv.*) Audi et alium, et attende quid intellexerit quasi per somnum: *Ego dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal. xxx*). Quid mirum, si ejus animus inhorruit qui se a facie Domini projectum vidit? De hujusmodi terrore vel horrore per ipsum Job dicit: *Si dixerim. Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens tecum in strato meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties* (*Job xvii*). Quasi enī per somnia territur, et per visiones horrore concutitur, quando mens humana supra semetipsam ducta, et ad divinorum iudiciorum contemplationem raptæ, ex divina revelatione videt quantis periculis quotidianiis momentis subiecta. Videt quæ sint infinita aeterna bona quæ perdidit, quam sint horrenda aeterna mala quæ meruit; videt quam facile sit omni hora cadere, semel lapsu quam sit impossibile per semetipsum resur-

gere; videt quomodo quidam a summis virtutum studiis in ima vitiorum cadunt, quomodo e converso quidam ab imo vitiorum ad summa virtutum fastigia consurgunt, et in his omnibus nescit homo suum suum, sed, sicut pisces capiuntur haemo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo cum eis exemplo supervenerit. Quid ergo mirum si quodam horrore concutuntur qui sub quanto periculorum iucero humana infirmitas laboret divinitus erudiuntur? Denique attende quid Abraham quasi per soporem didicerit, et auidavertes quam merito inhoruerit. Dictum namque est ad eum: *Scito prænoscens quod peregrinum sit futurum semen tuum in terra non sua, et subjiciens eos servituti, et affligenit quadringtonis annis* (*Gen. xv.*). Per semen Abrahæ, si vis, intellige ipsas virtutes. Per semen Abrahæ, si vis, intellige virtutum æmulatores, Abrahæ exemplo viventes, et vitæ ipsius imitatores. Nonne virtutes ipsæ regi Pharaoni serviant, quando sinistra intentione sunt, et per hypocrisim depravatæ nil nisi mortis lucra conquirunt?

Et sæpe fit ut virtutum studia quæ inchoata fuerant intentione bona, tandem actitentur intentione mala. Nonne semen Abrahæ regi Pharaoni in luto et latere servit, quando quilibet virtutum æmulator fortis, qui egrediens de terra et de cognatione sua, diu juxta Abrahæ exemplar, juxta tandem aliquando in modum David in aliquod flagitium cadit? Nam et hujusmodi quilibet, si iterum ad justitiam revertitur, inter filios Abrahæ reputatur. Attende ergo quam sit plenum timoris pariter et horroris, quod nec in excelsa quodam vel de fastigio virtutis detur homini in hac vita ullus locus securitatis. Valde est rarum et vere paucorum magna agere, nec se magnum putare, multis præeminere, nequinem despere. Cum enim quilibet nostrum miranda agit, cæterosque stadiorum bonorum agilitate præcedit, facile est ut illud Pharisæ dicat apud semetipsum: *Non sum sicut cæteri hominum* (*Luc. xi.*). Unde fit sæpe ut his qui ejusmodi sunt gratia divina subtrahatur, et cadere permittantur, et eousque nonnunquam paulatim perducuntur, ut tandem aliquando sint tali pertinaces in malo quam prius fuerant constantes in bono. Nonne hoc est quod Dominus minatur, cum ad Abraham dicitur: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua?* Cum cætera elementa semper fluctuare soleant, sola terra in æternum stat, unde congrue satis cordis stabilitatem designat. Sed quam bonum est esse stabilem in proposito bono, tam malum est esse stabilem in proposito malo. Illud est constantiae, istud pertinacie. Constantia itaque in bono, terra est bonorum; pertinacia in malo, terra est malorum. Quando itaque quilibet prædestinati ad viam æternam perducuntur, paulatim ad ejusmodi pertinaciam vere peregrinantur in terra aliena, in terra non sua. Ecce quid facit superbia, ecce quid facit arrogantia. Vasa itaque misericor-

diæcum incipiunt de suis meritis intumescere, pia Dei dispensatione permittuntur cadere, ut discant humiñter sapere, et de infirmitate sua vera sentire. Cognitionis autem humanæ infirmitatis ut plena sit in quatuor gradibus consistit: duos habemus in consideratione mali, duos in consideratione boni. In consideratione mali, primo ut sciamus nos nullum malum nostra virtute posse cavere; secundo ut sciamus a nullo malo post lapsum nostra virtute posse resurgere. In consideratione boni, ut cognoscamus nos ad nullum bonum nostra industria posse convalescere, secundo ut cognoscamus nec in eo quod divinitus accepimus nostra industria posse perseverare. In cognitione autem sui multiplex promoto profectum, quid aliquid est quam quædam successio alternantium dierum? Omnis autem alteratio crescentium seu decrescentium dierum sub anno concluditur, et solis cursu consummatur. Recte ergo per annum in qua ictu re plenitudo et consummatio cognitionis intelligitur. Ad hoc vero, juxta quod superius dictum est, permittitur homo in uno aliquo vitio multoties multifaciter cadere, ut per multa experientia plene et integre addiscat ab ejusmodi servitute nulla sua virtute se posse eripere. Quando autem ista experientia multiformitas usque ad cognitionis plenitudinem perducitur, quasi annus consummatur. Quando autem eumdem infirmitatis sue defectum quilibet in aliis et aliis vitiis per quotidiana experientia addiscit, et eamdem veritatis sententiam quam in multis experimento probavit, etiam in aliis ex ratione colligit, et tandem idem in omnibus universaliter sentit, jam annorum numerus in cognitionis multiplicatione in centenarium surgit. Nam, quia omnes digiti et articuli ab eisdem denominati et ab utrisque compositi infra centenarium concluduntur, recte in centenario universitas figuratur. In anno itaque plenitudinem, et in centenario intellige universitatem. Quando ergo necessariæ cognitionis abundantiam et in singulis sufficienter, et in omnibus generaliter habemus, annualem eruditio nostræ procursum in centenarium producimus. Infirmitatis autem nostræ cognitionem superius per quatuor gradus distinximus. Oportet ergo quasi quadringtonitorum annorum numerum expiere, si volumus hanc, quam prælocuti sumus, quadrifida scientia plenitudinem apprehendere. Pro certo habeas, nec est unde hæsitare debeas, quod eo usque oporteat te Pharaoni Ægyptisque subesse, vitiis vitorumque inceptoribus subservire, donec experientia magisterio docearis de tua infirmitate vera sentire, donec plene addiscas in cavendis vel corrigendis malis, in obtinendis vel conservandis bonis nil omnino de tua virtute præsumere. Ecce jam audivimus unde patriarcha inhoruit, et quidem unde merito inhorre debuit. Audivimus quæ erant ad terrorem, audiamus et quæ esse poterant ad consolationem: *Verumtamen gentem, inquit, cui servituri sunt, ego judicabo. Et post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace,*

*sepultus in senectute bona : generatione quarta revertentur huc. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad præsens tempus (Gen. xv).*

Ecce, ut ex istis animadvertere possumus, ex divina revelatione, et velut per somnum addiscimus modo tristia, modo jucunda, modo autem ex utrisque pernista. Gentem, inquit, cui servituri sunt ego judicabo. Per gentes siquidem sive vitia, sive vitiorum incentiores velis intelligere, utrosque utique habet Deus iudicio suo atterere, et de bonorum cordibus exturbare, et illa quidem sic atterendo ut undique omnino non sint istos vero damnando ut de cætero semper miseri sint, et bonis in aliquo in æternum prævalere non possint. Et post haec, inquit, egredientur cum magna substantia. Scimus quidem quia filii reconciliationis ex casu suo eruditur ad discretionem, ad circumspectionem, ad humilitatem et compassionem, ad constantiam, ad patientiam simul et perseverantiam. Egrediuntur itaque cum magna substantia quando secum reportant hujusmodi virtutum lucra, et scientiae talenta. Habes ergo animarum substantiam in pœnitentiæ fructibus et virtutum lucris; habes virtutum substantiam in scientiæ et sapientiæ thesauris. De hujusmodi substantiæ thesauro intelligitur illud in psalmo : *Et eduxit eos cum auro et argento (Psal. civ).* Vide ergo quam sit mirandum, quam juendum, quam stupendum quod ipsa etiam ruina morum bonis cooperatur in bonum, et impletur quod in Apostolo legitur : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom. vi).* Cooperatur itaque in bonum quod in terra non sua ad tempus subserviunt, qui tandem aliquando inde cum magna substantia exirent. Cooperatur in bonum quod aliquantulum temporis vitiis succumbunt, qui postmodum quanto exercitatores tanto cautiores, quanto humiliores tanto constantiores vel robustiores resurgunt. Verum illi supra modum felices judicandi sunt qui ad humilitatis gratiam ex prævidentia dono proficiunt, qui humanæ infirmitatis modum non tam ex propria quam aliena ruina addiscunt. Horum persona in Abraham exprimitur cui a Domino dicitur: Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Nec Dominus prædicit, nec aliqua Scriptura innuit quod Abraham alicubi alicuius servitio addictus fuerit. Non igitur saepe cadendo, saepe resurgendo vitiisque subserviendo ad humilitatis gratiam proficit. Sed dum in libro providentiae, revelante Deo, lectitat, per aliorum exempla probat quid de sua infirmitate sentire debeat. Videamus ergo si illam humilitatis revelataam quanam superius per quatuor gradus distinximus in istius divinitus edicti dictis invenire valeamus. Loquentem ergo eum Domino andianus : *Loquar, inquit, cum Domino meo cum sim pulvis et cinis (Gen. xviii).* Pulvis ad omnem flatum de suo loco excutitur, et quoconque dejectus, nunquam

nisi alieno impulsu levatur. Ecce, homines formam defectus humani, quantum pertinet ad considerationem mali.

Subtracta namque gratia et protectione divina, homo ad inimici suggestionem in quocunque malum dejicitur, et semel dejectum ad status rectitudinem propria virtute robatur. Cinis ex se nullum omnino germen producit, et aliunde susceptum, non dicam ad incrementum, sed ad sustentatum nutrire ulla sua pinguedine omnino non sufficit. Habes hic item formam defectus humani, quantum pertinet ad considerationem boni. Nullum siquidem boni operis germen potest homo ex semetipso sine operante gratia producere, et cum ex gratia operante habere jam cœperit, per semetipsum omnino non poterit sine ejus cooperatione custodire. Ecce Abraham, ut ex his ejus dictis intelligitur, ad illam humilitatis plenitudinem divinitus eruditus invenitur, ad quam per quadruplicatum annorum centenarium a multis post multa experimenta pervenitur. Qnod itaque alii vix per multa experimenta, hoc alii facile addiscunt ex revelatione divina. Tu autem, inquit, ibis. Tu, quem præ ceteris abundantiore gratia præveni, tu quem præ ceteris profundius illuminavi. Tu ibis ad patres tuos in pace, immunis ab omni indignæ et duræ servitutis oppressione. Quid autem est ad patres suos ire, nisi eodem virtutum tramite quo alii in vitæ via præcessere, ad intimæ quietis tranquillitatem honorum operum agilitate properare? Ergo ad pacem properabat qui in pace iturus erat. Ibat per pacem et ad pacem; per pacem internam, ad pacem aeternam. Per pacem illam quæ mutuo sibi conciliat omnem sensum, ad pacem illam quæ exsuperat omnem sensum. Sopienda i. a. que est illa discordia quæ est inter carnem et spiritum, ut transiri possit ad illam quæ est supra omnem sensum. Quid autem est Dominum hujusmodi promissiones alieni facere, nisi eum ad ejusmodi spem et certitudinem interna inspiratione animare? Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. In senectute solet tam sensus quam appetitus exterioris hominis languescere, et quotidianis detrimentis defectui appropinquare. Senectus bona, quando sub idem temporis quo exteriorum et transiunt appetitus minuitur, inde interiorum et aeternorum innovatur. Senectus bona, quando exterior sensus decrescit, interior vero ex crescere. Senectus bona, quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo infirmatur: *Cum enim infirmor, inquit, tunc fortior sum et potens (II Cor. xii).* Melior est senectus morum quam annorum, meritorum quam temporum. Gloriosius est appetitum exteriorum bonorum languescere ex studio industria, quam ex vito naturæ. Sepultus, inquit, in senectute bona. Prins homo moritur ut postmodum sepeliatur. Mortuus quidem desinit videre, sed non statim desinit videri. Sepultus vero desinit videre, simul et videri. Qui vult ergo huic mundo mortuus esse, oportet illum oculos illos claudere, quos in primis

parentibus legimus apertos suisce, et oblectamenta sensum non attendere, nec avertere.

Sed et tunc qui ejusmodi est quasi post mortem sepulturam invenit, quando per sapientiae studium, aeternitatisque desiderium, a mundanis insuper mundana transiens, in ejusmodi statum proficit, quale carnalis quilibet non dicam scire, sed nec suspicari possit. Per vitam activam mortificamur, per speculativam et contemplativam cum Abraham quasi duplice spelunca sepelimur. Proprium est speculativa inaccessibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspicere, et velut per speculum et in aenigmati evidere. Proprium est contemplativae, veritatem absque involucro, et quasi facie ad faciem videre. Per speculativam itaque et contemplativam a rebus humanis absentiamur, et, ut dictum est, velut duplice spelunca sepelimur. Bonum itaque est desiderii appetitum studiique conatum a rebus humanis languescere, desiccere, absentare, et cœlestibus theoriis immersos carnaliter sapientiam obtutus latere. Sic vir virtutum æmulator inveterator, moritur, sepelitur. Ecce de Abraham vel de eis quorum formam gerit audivimus : nunc de filiis peregrinationis quid consolationis adjungat audiamus : Et quarta, inquit, generatione revertentur huc. Quod quarta generatione dicit, non ab Abraham tempore, sed a peregrinationis tempore computare debes, sicut ex Evangelio vel alius locis Scripturarum habes. Quando interna illa familia cogitationum sive voluntatum in peregrina abducitur, et viatorum servituti urgentibus temptationibus addicitur, primo quidem non desinit conscientia omni hora submurmure, et inquiete agere, sed paulatim invalescere prava consuetudine ad hoc usque perducitur, ut exactoribus suis desinat recalcitrare, et velut vitula docta diligere tritaram serviat sine murmure et contradictione. Sed cum tempus beneplaciti, tempusque misericordi coram Domino advenerit, et post multa mala, Domino miserante et quasi Moysi officio visitante, ad penitentiam compuncta fuerit, incipit iam recalcitrare, et captivitatis jugum iam excutere velle, sed nondum tamen potest prævalere. Deinde crebrescentibus consolationibus divinis, multisque conruseantibus velut miraculis, incipit paulatim convalescere, robur acquirere, audaciam assumere, et tandem aliquando hostibus prævalere, sed non sine magno labore et summa difficultate.

Ad ultimum vero vitorum tyrannide subacta, et tota illa velut Pharaonis militia intime compunctionis mundatione submersa, invalesceat bona consuetudinis studio, hostiumque terrore sublato, incipit jam de bona conscientiae tranquillitate gaudere, et ad promissam jucundæ securitatis terram appropinquare. Prima itaque generatio servientium nec reclamantium, secunda reclamantium nec prævalentium, tertia prævalentium et laborantium, quarta prævalentium et quiescentium. In solitudine namque commorantibus, ciboque cœlesti victitantibus, quod aliud esse oportuit officii genus quam vacare et

videre quenam suavis est Dominus? In primis est conscientia tranquilla et mala, in secundis inquieta et mala, in tertii inquieta sed bona, in quartis tranquilla et bona. Per conscientiae vero tranquillitatem appropinquatur ad conscientiae securitatem. Jucunditas [securitas] securæ conscientiae est illa, ut superius dictum est, terra fluens lacte et melle quæ a Domino promittitur et datur heredibus Abraham. Merito ergo dicitur: Generatione autem quarta revertentur hinc. Et additur: Necrum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Secundum differentiam mortis dispensantur merita singulorum. Sunt qui magis confunduntur vel compunguntur de turpi cogitatione, quam quidam alii ex turpissima actione. Hinc est quod quidam post turpem cogitationem, rapinunt usque ad pravam delectationem. Alii ex delectatione prava labuntur in solum pravitatis consensum, alii etiam post consensum precipitantur in actum. Quidam etiam perversam actionem ducunt in consuetudinem. Moderatur itaque casus singulorum, secundum illius utique arbitrium cuius dispensatione omnia cooperantur bonis in bonum. Inveniuntur quidam sanctæ tantæ impudentiae, tantæ duritiae atque superbiae, ut post multa mala vix valeant ad plenam infirmitatis sue cognitionem erudiri, vix in veritate humiliari, vix de sua pravitate intime compungi. Amorrhæorum itaque iniquitates tunc completæ videntur, quando, eo dispensante qui omnia moderatur, ad eam enormitatem excrescere permituntur, quæ suo tempore abundantiter sufficient ad cordis impudentiam, duritiam, superbiam confundendam, conterendam, concilcandam. Ecce jam audiimus quamvis Abraham ex divina revelatione didicit postquam ei sol occubuit, sopor irruit, horror invasit. Adhuc repetit Scriptura quod superius jam dixerat, ut que sint illa quæ solis occasum sequi soleant ostendat plenus: *Cum ergo, inquit, occubuisse sol, facta est caligo tenebrosa et apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas (Gen. xv).* Dixit quid audierit, dicit iterum quid viderit postquam ei sol iste occubuit, et carnalis amor defecit. Audivimus quæ audierit, attendamus et quæ viderit. Prius ignem fumigantem, postea ignem flammantem. Prius ignem succendentem, postea ignem illuminantem. Vedit ergo clibanum fumigantem et lampadem. Nemo sane accedit lampadem ad calefactionem, sed ad solam illuminationem. Econtrario vero nemo succedit clibanum ad illuminationis beneficium, sed ad calefaciendum. In clibano itaque fumante intellige incendium amoris, in lampade lucem gratiae revelantis. Item et illud attende quia ad hoc ignem clibano immittimus, ut ejus interiora, non autem exteriora calefaciamus. In incendio itaque clibani intellige amorem spiritualium, amorem internum, amorem virtutum. Ignis ergo quasi in clibano succenditur, et quasi in interioribus clausus tenetur, quando amor cordis interioribus nutritur, et tunc vere vel-

ut intus clausus ubi oritur illic cohibetur, quando animus ad animi bona diligenda, desideranda acerius inflammatur. Quasi elibatum succendimus, quando cordis desiderium ad ea quae intimus desideranda sunt vehementius inflammas. Vera et intima animi bona vere et intime desideranda dicimus ipsam virtutem, ipsam bonitatem. Quando ergo sine respectu mercedis virtus propter virtutem ipsam diligitur, quando etiam sine retributio[n]is intentione bonitas ipsa propter semetipsam amat, vere et absque dubio amoris incendium in intimis succendi et ne ad exteriora erumpat in intimis coerceri videtur. Sed illud merito queritur, cur Abrahæ elibatus sumans, et non potius flagrans ostenditur? Sed scimus quia in elibani successione in primordio quidem semper fumus suboritur, sed, paulatim crescente incendio, paulatim et ipse decessere, tandem autem omnino desicere videtur. Quid ergo aliud quam quædam intimi amoris inchoatio exprimitur, in eo quod Abrahæ elibatus sumans per visionem ostenditur? Nam quantumcunque homo in charitatis promotione in hac vita videatur proficisse, si futuræ vitae plenitudinem cogites, in ejus comparatione non videbitur nisi quædam perfectionis inchoatio fuisse. Et fumus quidem oculos arit, lacrymasque producit, et charitas secundum statum vite præsentis quantumcunque profecerit bene examinatus diligenter inspectus, ex conscientiæ remordatione animum compungit, quoniam quædiu hic vivitur, quod ei divinitus præcipitur toto corde, tota anima, tota mente non diligit. In elibano itaque sumante exprimitur inchoatio dilectionis intimæ et summæ. In charitate siquidem nihil sublimius, nihil præclarius invenitur, quam eum bonitas ipsa per semetipsam diligitur. Sed sicut in elibano sumigante recte intelligitur quædam inchoatio intimæ et summæ dilectionis, sic et in lampade convenienter exprimitur quædam inchoatio intimæ et summæ lucis. Nemo enim lucernam illuminat, ut circumquaque regionem, vel quæ in ea circumquaque sunt videat. Sed ad hoc sane lucernam accendimus, ut propinqua, et quæ in penetralium nostrorum interioribus sunt videamus. Quid autem vicinus spiritui quam ipse sibi, nisi forte cum vana sectando semetipsum deserit, et intima sua projiciendo ipse quidem a semetipso recedit? Quid illi magis vicinum, quid magis intimum esse potest, illo spiritu qui ubique est, et nusquam deesse potest? Certe pravum est cor hominis et inscrutabile, nec potest cognosci sicut nec videri nisi ad lumen lucernæ desuper missæ divinitus incensæ. Nam et Abrahæ desuper mittitur, et Psalmistæ divinitus illuminatur: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas* (Psal. xvii). Si itaque sine beneficio divinæ lucernæ non potes videre intima tua, quanto magis arcana divina? Homini itaque lucerna divinitus illuminatur, quando ei intimum bonorum supereminencia in divino lumine manifestatur. Sed

si divinæ revelationis formam Abrahæ oportuit exhibere, cur ipsa ei in lucerna exprimitur, et non potius in sole? Sed quantumcunque humana intelligentia in hac vita in intimæ lucis manifestatione profecerit, usque ad perfectum diem non excrescit, et futuræ illius plenitudinis non nisi quoddam quasi initium sunnit. Sicut ergo in elibano sumigante merito intelligitur quædam inchoatio futuræ plenitudinis in summæ bonitatis amore, sic in lucerna ardente recte intelligimus quoddam future plenitudinis initium in summæ sapientiæ contemplatione. Solent autem hæc duo mutua incrementa in alterutrum præstare: nam dilectio ex cognitione et cognitio crescit ex dilectione. Contingit tamen ut homo eo saepe tempore quo multum per desiderium servet, parum videat; et e converso eo tempore quo multa videt, parum seruat. In his autem absque dubio summus ille artifex artis utique suæ peritiam ostendit. Et quam nihil homo nisi ex divini munera co-operatione possit innotescit, dum ei in causarum effectibus præter spem et estimationem contingit. Hoc est quod Abrahæ elibatus sumans et lampas ostenditur et tam divinæ aspirationis quam revolutionis seorsum et seorsum forma proponitur.

Attendendum est autem quomodo hic vel ibi videtur: *Transiens, inquit, inter divisiones ipsas* (Gen. xv). Quod per figuram cernimus, rerum experientia probamus. Bonitatis namque veritatisque revelatio semper in honorum omnium fontem tendit, et animum quem afficit post se in idipsa trahit. Sed quid illud est quod spiritualium exemplar quod patriarcha vidit, inter medias ei divisiones apparuit? Sicut superius iam diximus, illi hostias suas dividunt qui in bonis quæ agunt tum Deo, tum proximo placere contendunt, qui tam iram Dei quam scandalum proximi, cum omni studio devitare propoenunt. Absque dubio nihil laboriosius, nihil difficultius. Vide ergo gemina illa quæ superius descripta est gratia quam merito inde confertur vel cumula ur, unde animus humanus propter Deum acerius urgeatur: nam hoc est quod Abrahæ inter medias divisiones elibatus et lampas apparuisse describitur. Sed notandum quia Abraham antequam ista viderit, caliginem tenebrosam incurrit. Profecto qui humani erroris opa, periculorumque latebrosa in quibus versatur neendum agnovit, ad illum veræ dilectionis ignem, qui infinitis inhærere nescit non pertingit. Qui neendum intelligit quod tentatio sit vita hominis super terram, exsilio quod patitur ignarus, nescit suspirare ad patriam, nescit lucem interuam, nescit veri et intimi amoris flagrantiam. Hic est ignis qui cœlitus immittitur, qui post solis occasum datur. Hic est qui fiduciam generat, confidentiam parat, nutrit spem, tollit timorem. Charitas enim omnia credit, omnia sperat. Denique perfecta charitas foras mittit timorem. Nam et Abraham postquam ignem illum cœlitus missum meruit accipere, nusquam de cætero legitur de Domini promissionibus dubitasse. Et nos certe, si terram illam lacte et melle manantem

hæreditare concupiscimus, ad ejusmodi ignis acceptiōem, in quantum possumus, anhelare debemus. Qualem hostiam patriarcha, et eo ordine quo ipse

obtulit et ipsi paremus, et absque dubio in signum accipiendo hæreditatis qualem desideramus iugem accipiemus.

## ADAMUS PRÆMONSTRATENSIS.

### SERMO

*De adventu Christi ad Ecclesiam per virginem Mariam.*

**SYNOPSIS SERMONIS.** — 1. Portæ diversa acceptio in Scripturis. — 2. Porta orientalis est Virgo Maria, ad quam insignis apostrophe. — 3. Ante Mariam nemo virginitatis Deo sacravit propositum. — 4. Plenitudo gratiae per Mariam in fideles derivatur. — 5. Moyseu de fiscella scirpea filia Pharaonis, Christum de Virgine natum suscepit Ecclesia gentium. — 6. Bethlehem, id est dominus panis : qui reprobis triplez. — 7. Panes Ecclesiæ proliati decem recessentur. — 8. Quis fructus, in Ecclesia, singulorum.

I. De Samaria egressu: Deus ubi primum apparuit utique ad portam, quæ respicit ad Orientem. Quia illam, in qua videretur, de virgine Maria suscepit apparitionem. Est porta quedam Christus, de qua dictum habetis in Job de impio, quod *Longe fient amici ejus a salute, et conterentur in porta* (Job v, 4). Quia Synagogæ populi a vera se salute elongantes, veniente Christo, per infidelitatem corrupti sunt. Est et alia ad fidem pertinens porta, de qua sanctus David : non confundetur, *Cum loqueretur, inquit, inimicis suis in porta* (Psal. cxxvi, 5), id est quando disputabit cum hæreticis pro fide tenenda [al. tuenda]. Est quoque bonum, quod exercemus opus, quasi porta quedam, quia per illam de bona voluntate, quam coram Deo intrinsecus habemus : ad oculos proximorum extrinsecus eximus; de qua ait sanctus Job : *Quando procedebam ad portam civitatis* (Job xxix, 7). Quando videlicet exterius exivi ad opus bonum coram aliis. Sed et exitus ab hac vita, porta nobis est. Sicut in Ezechiele legimus (cap. xl, 3), quod propheta interius stans, oculos exterius habuit ad portam. Pro eo quod electus quisque in fide Ecclesiæ vivens, ad exitum suum ab hac vita, desiderium suum extendere debet, ut cum Christo esse possit.

II. Porta quoque sancta et perpetua, virgo est, ut in eodem dictum invenitur Ezechiele, quia *porta hæc clausa erit et non aperietur* (Ezech. xliv, 2). Quia ipsa semper, et ante partum incorrupta, et post partum mansit illæsa. Ad hanc portam egressus Dominus de Samaria venit, quia ipsa in mente aperta per fidem, et in corpore clausa per castitatem; sine pollutione, eum munda concepit, et sine læsione integra generavit. Vere tu es, o Virgo beata, porta in Ezechiele orientalis. Tu et ista, de qua nunc agimus, porta, respiciens ad orientem; quia tu es, in qua Christus sum sine omni violatione et ingressum habuit et egressum, per quam et nos introitum habemus ad regnum. Et sanctitatem exercere nunquam omittis, utpote gratia plena.

Tu soli Christo placere contendis, utpote quæ nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Nam sit oriens pueritia nostra, de qua ætatis nostræ sol primum emergit. De quo in Evangelio legitur, quod *multi ab Oriente venient* (Matth. viii, 41); pro eo quod plures ab ipsa pueritia ad Christum accedunt. Et cum sit populus Judæus quodammodo oriens, ut invenitur in Apocalypsi, quia *ab Oriente portæ tres* (Apoc. xxI, 15), pro eo quod et ipsi fides sanctæ Trinitatis sit nuntiata. Est quoque [al. quidam] verus Oriens Dominus Christus, ad quem respicis tu, ut ei soli placeas in interna intentione. Est et sanctitatis opus, ad quod similiter respicis, ut illud pro ejus nomine exercetas in conversatione.

III. Totus adhuc pene mundus ad occidentem carnis vergebat operans in ea, et proferens ex ea fructum mortis, quando tu ad virginitatis orientem oculos elevans, gloriam in te præferebas futuræ incorruptionis. Qualis ille sanctæ Ecclesiæ fulgebit pulcherrimus et felicissimus status: in quo non nubent fideles ejus, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo! (Matth. xxii, 30.) Quæ enim erat illo tempore mulier hanc vocem proferre valens aut volens: *Virum non agnosco?* (Luc. i, 34.) Certe nullam tunc fuisse asseres, si vocis hujus virtutem plene agnoscas. Quid enim est virum non cognosco, nisi virum cognoscere non propono? Non solum in præsenti virum ignorans, sed et omni vitæ meæ tempore firmum ignorandi præpositum habens. Quin potius, pro maledicta habebatur tunc sterilis: in tantum ut magis plangendum et dolendum sibi arbitraretur filia Jephæ (Judic. ii, 34), quod carnem virgineam intulit sepulcro, quam quod gladio jugulata est paterno. Sed tu respexisti Christum in interna intentione; respexisti ad Orientem, carnis virginitatem, in pudica conversatione. Respexisti, inquam, etiam præ mulieribus cunctis unde et per sæcula beata prædicaris in cunctis. Sed quem sola tunc suscepisti, sola habere nolisti, sed, qui de sinu Patris venit ad te, usque ad nos quoque venit per te.

IV. Sicque ros qui primum in solo vellere fuit (Judic. vi, 40), totum postmodum aream humectavit, ut sola quidem, primum ipsum susciperet; ut eum deinceps cunctis gentibus inferret. Hoc est quod ait sanctus David, quia *descendet primum sicut pluvia in vellus; et deinde sicut stïlicidia stilantia super terram* (Psal. lxxI, 6). Primum descendit in vellus, deinde in terram. Sed in vellus, ut pluvia, in terram vero, ut stïlicidia. Quia primum Christus ad virginem cum gratiæ plenitudine

venit, deinde fideles et electos suos ad participandum vocavit. Unde sicut primum ros in vellere, deinde in area, ita et Dominus egredens de Samaria, primum ad portam quæ respicit ad Orientem, deinde venit in Bethlehem. Hoc est quod in missa cantamus de ea, quia primum *unigenitum filium suum sancti Spiritus obumbratione concepit*. Et deinde: *Virginitatis gloria permanente huic mundo lumen æternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum*. Nam Bethlehem Ecclesia est vocata de gentibus, ut ejus domus sit, qui ait: *Ego sum panis virus* (*Joan. vi, 52*). Ad quam domum panis venit Dominus, postquam egressus est de Samaria, ad portam quæ respicit ad Orientem. Quia de sinu Patris per carnis assumptionem ad virginem accessit, et ipsa mediante per fidem ad Ecclesiam pervenit.

V. Hæc dicens egregiam illam, ad mentem, veterem historiam Exodi (*cap. ii, 3*) revoco. In qua legitur de Moyse, quod noviter natum absconditus eum mater tribus mensibus. Cumque jam celari non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam intus, et foris bitumine ac pice, posuitque intus infantulum. Quem postea, ut scitis, quia longum est ire per singula, sustulit filia Pharaonis. Quis hic Moyses tribus mensibus in domo absconditus paterna, nisi Dominus legifer noster, qui accepit verba vitae dare nos tribus temporibus: sub natura, sub lege, sub prophetis, in hac, de qua jam multa loeuti sumus, lateus Samaria? Sed elatus de domo paterna, positus est in fiscella scirpea bitumine linita ac pice. Quia egressus de Samaria venit ad portam quæ respicit ad Orientem. Extractum de fiscella Pharaonis eum filia suscepit, et Christum natum de Virgine Maria, per fidem electa Ecclesia de gentibus exceptit, quod est Dominum a porta quæ respicit ad Orientem, venire in Bethlehem. Quasi bitumine fiscella linita est, ac pice dum munditia ornata est virgo nostra, ac humilitate: ut virum se non cognoscere asserens, quod perfectæ esse castitatis nemo ambigit, et ancillam Domini se vocans (*Luc. i, 58*), quod magnæ ac profundæ humilitatis est, omnipotenti Deo et picem humilitatis in mente, et bitumen offert castitatis in carne. Quod ergo in psalmo septuagesimo primo dicitur descendere (*Psal. lxxi, 6*); deinde in vellus, postremo in terram; quodque in Exodo, primo Moyses celari non valens, manifestatur; deinde in fiscella ponitur; novissime vero a filia Pharaonis suscipitur, id hic est primum Dominum egredi de Samaria; deinde ad portam accedere, quæ respicit ad Orientem; novissime vero in Bethlehem venire, Christum videlicet de secreto Patris, inde tamen non recedendo, exire ad virginem, carnem de ea et in ea assumendo, accedere ad Ecclesiam de gentibus, alimentis fidei eam resicere.

VI. Sed cum Ecclesia Bethlehem, Bethlehem vero *domus panis* sit, sciendum, quia est *panis* cuius ipsa non est *domus*, quia eum intra se hospitari non permittit. Est enim *panis* quidam, doctrina hæretica, ut in Parabolis legitur, quia *panis absconditus suavior est* (*Prov. vi, 17*), pro eo quod doctrina hæretica reprobis charior nonnunquam est quam doctrina sana. Est et carnalis delectatio *panis*, quo anima peccatrix pascitur, sicut habetis in Job de impio dictum, *cum se moverit ad querendum panem* (*Job xv, 23*), id est cum se intromiserit carnalem querere delectationem. Sed et induratus quilibet, perseverans in peccato suo, *panis* est, ut reperitur apud Osee, quod *Ephraim factus est panis subcinericus, qui non reversatur* (*Ose. vii, 8*), quia induratus peccator in immunditiis suis jacet, et de eis non pœnitit. Hujus tripartiti *panis* Ecclesia *domus* non est, quia per affectum, sive per effectum mansio non est. Primus *panis* edentem perducit ad blasphemiam in fide; secundus, ad consensum in pravitate; tertius vero, ad æternitatem in poena gehennæ. Doctrina namque hæretica per errorem seducit, delectatio peccati ad consensum perducit, perseverantia in iniquitate in æternam perditionem mergit, ut justo Dei judicio sicut hic nunquam voluit terminare culpam, sic et ibi nunquam finiat poenam.

VII. Sed est alius *panis* ad Ecclesiam pertinens, cuius et illa *domus* est. Ipse est primus qui de ipso ait: *Ego sum panis vivus* (*Joan. vi, 52*), quia in ipso vitalis animæ refectio est. Est et secundus *panis* ejus, ille quem in sacrosancto altari quotidie sumit. De quo in Parabolis dicitur: quia *panem otiosa non comedit* (*Prov. xxxi, 27*), quia ipsa corpus Redemptoris sui sine fructu boni operis non percipit. Est et tertius gratia spiritualis, ut in Isaia habetur quod *panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt* (*Isa. xxxiii, 16*), id est gratia spiritualis viro ecclesiastico collata est, contemplationes ejus erroneæ non sunt. Est et quartus, sacra doctrina, ut ait Jeremias quia *parvuli petierunt panem* (*Thren. iv, 4*). Humiles videlicet et simplices desideraverunt doctrinam audire. Est et quintus Ecclesiæ *panis*, action bona, sicut et vox illa continet sancti Spiritus in Isaia, quæ talis est: *Panem nostrum comedemus* (*Isai. iv, 4*), pro eo quod septiformis Spiritus in bono opere, quod nobis agendum inspirat delectatur. Est et sextus *panis* ejus robur charitatis. De quo Dominus in Evangelio: *Quis ex vobis petit panem, id est charitatem?* (*Luc. xi, 11*). Est et septimus virtus humilitatis, ut in libro Regum legitur: *Et ecce ad caput ejus subcinericus panis* (*III Reg. xix, 6*), quia in mente viri sancti humilitas est consideratione propriæ infirmitatis. Est quoque et octavus, homo sanctus [*al. sanctificatus*], ut in psalmo habetur de Domino quod *cinerem tanquam panem manducat* (*Psal. ci, 10*). Quia non solum incorporat sibi

virum sanctum per justitiam, sed et peccatorem per poenitentiam. Est certe et nonus, consolatio, ut ait Jeremias : *Populus gemens et quærens panem* (*Thren. I, 11*), id est dolens et desiderans consolationem. Est adhuc decimus panis ejus, subsidium vitae presentis. De quo ait in Genesi sanctus Jacob : *Si dereris mihi panem ad edendum* (*Gen. xxviii, 20*), id est si mihi contuleris subsidium, ad corroborandum.

VIII. Hujus itaque bis quinque partiti panis domus Ecclesia est, ut jure nominetur Bethleem et sit. Primum habet per fidem pasta; secundum, sacramentaliter cibata; tertium, in occulto visitata; quartum, audiendo instruta; quintum, in bono

opere occupata; sextum, dilectione impinguata; septimum, in semetipsa humiliata; octavum, per exercitium sanctificata; nonum, per consolationem roborata; decimum, per subsidium munta. Ad haec Bethleem egrediens de Samaria ad portam quæ respicit ad Orientem Dominus venit, quia de secreto Patris exiens, et de virgine Maria naturæ nostræ publicum sumens, Ecclesiae se per fidem ostendit. Qui nobis præstet, ut qui jam cum per fidem cognoscimus, usque ad contemplandam speciem suæ celsitudinis perducantur. Cui sit cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

## PETRUS COMESTOR.

### IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS MARIE.

*Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum hodie mater sua* (*Cant. III*). Gloriosa dicta sunt sæpe de gloriosa matre Dei. Et ego forte, si linguis hominum loquar et angelorum (*II Cor. XIII*), tamen in irruum cedet labor mens, quia puto altus est (*Joan. IV*), et in quo hauriam non habeo. Verumtamen obmutescere non possum, unde omois loquitur creatura: tantum jucundum sit eloquium meum, et non erit infretuorum. Quid gloriosius inter nos judicatur, quam videre regem in decoro suo, incedere purpuratum, coronatum diademate suo? longe gloriosius coronatus est hodie Rex noster in thalamo matris sue. Hoc quidem impictum est illud Jeremie (*cap. XXXI*): *Novum faciet Dominus super terram: Mulier circumdabit virum; post annuntiationem enim angelicam, Concipies et paries filium*, et verecundam Virginis concessionem, *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc. I*), conceputus est Dei Filius, vel, ut verius dicam, inceptus. Non enim ex diversis seminibus simul captis, conceptus est, sed ex sola Virginis carne formatus, non per intervalla temporum, ut cæteri, sed statim homo in omnibus membris suis, statim animatus ejusdem potentiae et virtutis, cuius erat, dum tricenarius prædicaret; unde et viri nomine censemur in propheta. Quomodo autem hodie ibidem coronatus fuerit, ad videndum nos hortatur Scriptura: *Filiæ Sion, egredimini, etc.* Ad nos sane præcipue dirigitur sermo, ad litteratos, inquam, quibus datum est nosse mysteria, cæteris autem in parabolis (*Luc. VIII*), et his maxime, qui ecclesiasticis operam dant disciplinis, qui postposita facunda, sed infecunda philosophorum loquacitate veniunt, ut hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa. XII*), qui non immerito per filias Sion intelliguntur. Per Jerusalem enim et Sion intelligitur Ecclesia. Filia itaque Sion, et filiae Jerusalem filii sunt Ecclesiæ; Israel ad literam juxta Sion sita est, cuius municipium, quod Mello dicebatur (*III Reg. IX*), in Sion positum fuit. Per filias ergo Jerusalem laicos tanquam minus peritos, et custodia municipii egentes intelligimus; per filias Sion litteratos, tum propter scientie eminentiam, tum propter aliorum custodiam et instructionem, tum quia Sion *speculatio* interpretatur. Prophete enim dictum est, et nobis in propheta: *Fili hominis, speculatorum dedi te domui Israel* (*Ezech. III*).

His, inquam, dicitur: *Filiæ Sion, quibus Dominus aperuit sensum, ut intelligereis Scripturas* (*Luc. XXIV*), *egredimini. Idipsum dictum Abraham homini Dei: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen. XII*). Tria sunt, quæ nos

peccare coimpellunt: suggestio propriæ carnis, suggestio proximi, et suggestio dæmonis, vel mundi. Egrediamur itaque de terra nostra, id est Eram nostram reprimamus; et de cognatione, id est proximo male suadenti aures claudamus, *sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal. XXXVII*). Et de domo Patris; id est mundum, et principem ejus, id est diabolum suis nos illudentem oblectamentis fugianus confugientes ad Altissimum, ut scapulis suis obumbret nobis et sub pennis ejus speremus (*Psal. XC*). Quod si Scriptura non moneret nos egredi, ipsius tamen loci importunitas nos egredi compellit. Quis nostrum, si jaceret in luto, non malleat egredi, quam manere? Quis est iste mundus, et omnis concupiscentia ejus, nisi lutum et faeces? Audi de amatoribus mundi quid dicatur: *Computuerunt tanquam jumenta in stercoribus* (*Joel. I*). Audi Apostolum, qui reputat ea tanquam stercore (*Phil. III*). Quantis autem sordibus sterquilinum hoc enniatetur in evidenti est. Adam primus et maximus omnium gigas sordes inobedientia super nos evomuit, cuius tanta fuit labes, ut universam posteritatem miserabiliter macularet. Secundus Cain sterfem fratricidem injecit, Lamech fetorem digamiae superfludit (*Gen. IV*). Etiam ante diluvium mulieres supergressæ viros, et viri muliebria corporis sui patentes, faeces facibus cumuaverunt (*Gen. VI*). Penset, qui potest, quantis usque in hodiernum diem sordibus haec validis usque ad fetorem intolerabilem repleatur. Quocirca citissime *egredimini, filiae Sion;* ut quid pro crocis amplexamini stercore? homines estis, non sues. Et vos quidem, qui studere venistis, egressi estis de terra, et cognatione vestra, venientes cum regina Saba audire sapientiam Salomonis (*Reg. X*). Sed egrediendum potius mentis affectu, quam corporis incessu. Vobis etiam plurimum expedit exire, quia qui comedit uvam acerbam, dentes ejus obstupescunt, et frangere non potest panem (*Jer. XXXI*). Sed quid est in causa? Nunquid dentes pristinum robor amittentes mollificari sunt? nunquid panis cæteris cibis suaviciter jucunditate sua privatus est? nequaquam, stupor in causa est. Ita quis studio militans si secularibus implicit se negotiis, consuetudine obstupescit. Sufficit nobis natura ad studendum, suavis est disciplina, stupor consuetudinis frangere panem perhorrescit. *Egredimini ergo, et videte regem Salomonem.* Salomon triomphus fuit: dictus est Idida, Salomon, Ecclesiastes. Idida, *dilectus Domini* vel a Domino, dicitur. Illic est Christus, secundum quod est a principio apud Patrem, ac si diceret Scriptura: Non dico, videte Ididam quia, ut est apud Patrem, alius apud alium, cum sit homo in Sion eum cum patre non videbit homo, et vivet. Credere potestis, videre nondum potestis. Neque dico, videte Eccle-

sistasten, hoc est *concionatorem*. Hoc enim adhuc futurum est, cum videbit omnis caro Salutare Dei, et in tanta concione quibusdam intonabit in verbo aspero dicens : *Ite, maledicti, in ignem aeternum* (*Math. xxv*), aliis blando subridebit alloquo, dicens : *Venite, benedicti* (*Ibid.*). Intelligite itaque Ididam, quia a est irreprehensibilis. Exspectate Ecclesiasten, quando erit terribilis. Nunc videat Salomonem, quia nunc est placabilis et desiderabilis aspectus. Salomon enim *pacificus* : hic est Christus homo, qui est *pax nostra, qui fecit utraque unum, pariete nō inimicitarum solvens inter nos et Deum* (*Ephe. ii*). Hunc videte : hic ab omnibus visus est : viderunt oculi nostri Salutare Dei (*Luc. ii*), et licet abjectum et opprobriis saturatum, tamen videat regem, quia simul in unum est dives et pauper. Hodie vero videat eum in diademe suo. Aliud est corona, et aliud est diadema. Corona simplex est circulus aureus, quo utuntur reges in minoribus solemnitatibus. Diadema est quasi duplex corona, cum ipsi coronae quasi aliis circulus gemmis superpositus superadditur. Ex ipsa enim Graeci nominis interpretatione, duplicitatem sonant. Corona itaque animae sunt bona naturalia : gemmæ vero superpositæ, ut faciant diadema, bona sunt gratuita. Cum enim naturales animae affectiones ordinatae sunt in ea, coronant eam et exornant ; inordinate enim ludibrium sunt ei, unde Salomon : *Mulier pulchra et fatua, circulus aureus est in naribus suis* (*Prov. xi*). Quatuor sane sunt naturales affectiones, timor, spes, gaudium, dolor, unde poeta :

... Cupiunt, metuunt, gaudentque dolentque.

(*Virg. Aeneid. vi*)

Hæc autem sic ordinari debent, ut caput animæ coronent. Timor est in fronte. *Initium enim sapientia timor Domini* (*Eccl. i*) ; spes est in capite, quia de futuris est tantum, et de his que non videntur. Gaudium est a dextris, ut omne gaudium sit in Domino, qui ponet nos ad dextram; dolor sit a sinistris; pro excessibus enim dolendum est, qui sunt causa positionis hædorum ad sinistram. His autem si superponantur quatuor principales virtutes ordinatae, diadema fit animæ. Hæ quidem sunt : justitia, prudentia, temperantia, fortitudo. Timori superponenda est justitia, quia qui timet Deum, faciet bonum (*Eccli. xv*), et Deo reddit quod suum est et proximo. Justitia enim est constans, et perpetua voluntas, jus suum cuique tribuens. Spei superponenda est prudentia : spes enim duo habet collateralia sibi plurimum timenda, abyssum desperationis, et ceraunia præsumptionis. Sperandum itaque est prudenter, ne quis nimiam justitiam Dei attendens cum Cain dicat : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen. iv*) ; vel nimis attendens misericordiam Dei præsumens dicat : *Et si obliviscitur mater filii sui, Deus tamen non obliveretur nostri* (*Isa. xlxi*). Gaudio superponenda est temperantia ; semper enim exsultandum est cum tremore; quod plane innuit Apostolus, qui cum dixisset : *Gaudete in Domino semper; statim addidit : Modestia vestra nota sit omnibus* (*Phil. iv*). Delicii superponenda est fortitudo, ne absorbeat nos profundus doloris, neque puteus urgeat super nos os sumus. Sic ornatnr anima per arma justitiae a dextris et sinistris (*II Cor. vi*).

In hac ergo die Dominicæ conceptionis, Christus homo hoc diadema coronatus est in utero matris, quia et naturalia et gratuita in eo fuerunt, eaque ordinatissima. Per hoc autem, quod dicitur eum coronasse mater sua, intelligitur, quod et alius, et alter eum coronavit. Siquidem coronavit eum novæ sua, coronavit eum pater suus, coronavit eum familia sua. Coronavit eum novæ sua, id

est Synagoga, cujus caput tremendum angelis coronam spineam in ignominiam tulit ; sed in die resurrectionis coronavit eum pater suus corona immortalitatis et gloriae. In die ventilationis extremæ coronabit eum familia sua. Veniet enim cum senitoribus terræ (*Prov. xxxi*), quia veniet Dominus, et omnes sancti ejus cum eo, in medio autem omnes dijudicabit. Corona matris fuit corona misericordiae, miseratione enim sola voluntatis suæ humanitas est. Corona novæ corona fuit misericordia, que autem patris, fuit gloria. Unde Apostolus : *Reposita est mihi corona gloria* (*II Tim. iv*). Ultima erit corona potentiae : veniet enim tanquam potens *crapulatras a rino* (*Psal. lxxvii*). In corona matris imitabilis, in corona novæ contemptibilis, in corona patris admirabilis, in corona familæ horribilis. Videbunt eum impii in corona potentiae, et peribunt ; videbunt eum justi in corona gloriae, et gaudebunt. Agite ergo ne pereamis et nos cum perirentibus ; præparemus nos ad adventum judicis cuncta cernentes. Si enim nos impræparatos inventerit, quid poterit nos excusare ? excusat nos pœnitentia ? sed eam in carne contemniimus. Excusabunt nos bona opera ? sed in tempore agendi non agimus. Excusabit nos fragilitas carnis ? sed ex adverso stabunt virgines, que in carne carnis fragilitatem vicebunt. Merito dicet nobis : *Ite, maledicti, in ignem aeternum* (*Math. xxv*), ubi *ignis non extinguetur, et vermis non morietur* (*Isa. lxvi*), ubi continuus genitus, dolor suminus, pœnalis sensus. Ponamus ergo ante oculos quam malum est cœlestis patriæ extores fieri, communione sanctorum privari, mori beatae vitæ, morti vivere sempiterna, a qua liberet nos Jesus Christus Dominus noster, iudex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. (Serm. 19.)

## II.

### IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIE.

*Ibo mihi ad montem myrræ, et ad colles Libani, et loquar sponsæ meæ* (*Cant. iv*). Sponsus quidam hic loquitur, qui sponsam habet, et spondet se visitaturn illam. Nota ergo quod non semper domi est sponsus iste. Cavet enim forte, ne vilescat amor suus ; et quia citius in tedium veniret, si semper præsens esset, ideo aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit ; ut, dum requiritur absens, strictius teneatur præsens. Et tunc forte aberat, quando haec dicebat. Sed ne rursus longior mora aliquatenus oblivitionem gigneret, redire disponebat, et ait : *Ibo mihi* ; secum loquitur quod facturus est, quia ad dicendum dulce est quod dulce est ad faciendum, et nescio quo pacto quod multum cupimus, nunquam loqui fastidimus. *Ibo*, inquit, *mihi*. Sibi vadit, quia singularis amor participem secreti non recipit ; sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, quia non patitur consortem amoris. Sed quæris quis sit iste talis sponsus, quæ sponsa ejus ? Sponsus est Deus, sponsa est anima. Tunc autem sponsus domi est, quando per internum gaudium mentem replet. Tunc recedit, quando dulcedinem contemplationis subtrahit. Sed qua similitudine anima sponsa dicitur ? ideo sponsa, quia donis gratiarum subarrhata. Ideo sponsa, quia illi casto amore sociata ; ideo sponsa, quia prole virtutum fecundata. Nulla est anima, quæ hujus sponsi arrham non acceperit. Sed est quedam arrha communis, quedam specialis. Communis arrha est, quod nati sumus, quod charismata virtutum accepimus, quod sentimus, quod sapimus, quod discernimus. Specialis arrha est quod regenerati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutum accepimus : et quod quisque habet, hoc cuique arrha est. Arrha est divitiæ suæ, quibus foveatur, ne eum molestia paupertatis frangat ; arrha est pauperi paupertas sua, qua castigatur, ne abundans per incontinen-

tiam desfluat; arrha est forti fortitudo sua, qua robatur, ut ad bonum opus convalescat; arrha est debili debilitas sua, qua stringitur, ne malum perficiat; arrha est sapienti sapientia sua, qua illuminatur, ut proficiat; arrha est insipienti simplicitas sua, qua humiliatur, ne superbiat: et omnino quidquid in hac vita humana fragilitas tolerat, hoc pius Cooperator, quantum in sua bonitate est, vel ad correctionem pravitatis vel ad perfectum virtutis dispensat. Ideo in omnibus gratias agere debemus, ut dum ubique misericordiam ejus agnoscimus, semper in ejus amore proficia mus.

*Ibo*, inquit, mihi ad montem myrrae, etc. Myrra que amara est ad gustandum, et corpora mortuorum a putre incervat, significat mortificationem carnis. Libanus, quod interpretatur decandidatio, significat munditiam cordis. Hac ergo est via, per quam sponsus ad sponsam venit. Mons myrrae et colles Libani, quia priuum per abstinentiam concupiscentiam carnis occidit, deinde per munditiam cordis ignorantiam mentis abstergit, postremo quasi tertio die ad colloquium sponsa veniens desiderio suo animam occidit. Ideo convenienter dixit: *Mons myrrae, non collis myrrae; et colles Libani, non montes Libani*, quia in afflictionem debemus esse constantes, et in successu virtutum humiliates. Altitude enim montis eminentiam significat magnitudinis et medioeritatis, collis temperantiam humilitatis. Item, quod montem singulari numero posuit, et collis plurali, significat quod in mortificatione exterior delectationis parum est, quod perdimus, et in illuminatione mentis intrinsecus multiplex est bonum, quod invenimus. In monte myrrae accipimus fortitudinem contra carnis concupiscentiam, in collibus Libani accipimus illuminationem mentis contra ignorantiam; in colloquio sponsi, accipimus charitatem contra malevolentiam, et cordis obdurationem. Potentia ad Patrem, sapientia ad Filium, charitas ad Spiritum sauctum pertinet. Hoc est quod dicitur, peccare in Patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum sanctum. Quando enim ex fragilitate peccamus, peccamus in Patrem, quasi contra potentiam; quando vero ex ignorantia peccamus, peccamus in Filium, quasi contra sapientiam; quando vero ex malevolentia peccamus, peccamus in Spiritum sanctum, quasi contra dilectionem, et ideo peccare in Patrem, sive in Filium hic, sive in futuro remittitur (*Matth. xii*); quia, qui ex fragilitate vel ignorantia peccat, sicut aliquam excusationem habet in culpa, ita aliquam remissionem debet habere in poena, sive in hoc saeculo, si poenituerit, ut facilius consequatur indulgentiam; sive in futuro saeculo, si in malo perseveravit, ut tolerabiliorum sentiat poena. Qui vero ex malitia peccant, eorum delictum nullam habet excusationem, et ideo poena eorum remissionem habere non debet, quia, si poenituerint in hoc saeculo, plena satisfactione multandi sint: si vero non poenituerint, plena damnatione in futuro saeculo puniendi: et ideo huius, nec bie, nec in futuro saeculo remissionem accipiunt, non quia poenitentibus venia denegetur, sed quia pleno peccato plena retributio debeatur.

*Loquar*, inquit, sponsae meae. Duobus modis loquitur Deus ad animam: aliter item ad fornicariam, aliter ad sponsam; aliter ad feedam, aliter ad pulchram; aliter ad peccatricem, aliter ad justificatam: illius fœditatem increpat, hujus pulchritudinem landat; illam increpando timore concurrit, istam laudando ad amorem accedit. Illi loquitur, quando maculas suas ei ostendit, isti loquitur, quando dona quæ contulit, ei ad memoriam reducit; illius tenebras illuminat, ut agnoscat quid sit, et defleat quod fecit; istam affectu dulcedini interne tangit, ut recolat quid acceperit, et non obliviscatur eum qui dedit. *Loquar*, inquit, sponsae meae. Si ergo sponsus sum, si ad sponsam locutus sum; scitote, quod præter mortem nil loqui possum. Postquam

igitur haec secum dixerat sponsus, continuo iter arripuit, veniensque et videns sponsam, mox quasi ejus specie in admirationem ductus, in haec verba prorupit: *Tota speciosa es, proxima mea*, etc. (*Cant. iv*). Vel cum praecedenti hoc coniungitur: *Loquar sponsae meae*; sic scilicet, *Tota speciosa es proxima mea*; sed illud gratius accipitur: *Tota speciosa es, proxima mea*. Omnis anima vel aversa est a Deo, vel conversa ad Deum. Aversa autem alia remota, alia remotissima. Conversa autem, alia propinquia, alia proxima. Quæ remota est, turpis jam est: item quæ propinquæ est, speciosa est, sed adhuc non tota. Quæ proxima est, tota speciosa est. *Tota speciosa es proxima, et macula non est in te* (*ibid.*). Totus speciosus est, cui nihil deest pulchritudinis; totus speciosus est, cui nihil inest turpitudinis. Ego totus speciosus sum, quia omne quod pulchrum est, in me est. Tu *tota speciosa es*, quia nihil quod turpe est, in te est. *Macula non est in te*. Veni ad Libanum sponsa. Hactenus qua via sponsus ad sponsam venerit; quid veniens ad ipsam dixerit, audiuius. Deinceps sponsa ad sponsum, qua via venire debeat, andiamus: *Veni, inquit, ad Libanum*. Invitat eam, et vocat; quia non ideo ad illam venit, ut cum illa permaneret, sed in illam ad se traheret. *Veni ad Libanum, veui, ad Libanum venies*. Bis invitando dicit. *Veni*; tertio affirmando, subiungit: *Veui*. Sed quid est haec affirmatio, nisi congratulatio, qua bono proposito nostro congaudet; ac si dicaret: Obedientiam laudo, propositum video, devotionem non ignoro; voco, et respondes: invito et operata es, ergo venies. Sed quare bis dicit, *veni?* ut qui extra se est, primum ad se rebeat, qui in se est supra se ascendat. Primum in nobis est, et prevaricatores ad eorū redire monet. Deinde supra nos est, ut justificatos ad se invitent. *Veui*, inquit, *veui*, veui deforis intus ad te; veni de intus, intrinsecus super te ad me. *Veni ad Libanum, sponsa, veni ad Libanum; veni de Libano, veni ad Libanum, veni de Libano* (*ibid.*), decandidato; ad Libanum, non decandidatum, sed candidum. Veni de corde mundato ad mundatorem cordium, non mundatum, sed mundum. Non pervenis ad me, si remanes in te; ascende super te, et invenies me. Venies ad me, et transibis ad montem Seir, vel Sanir. Seir interpretatur, *hispidus*, vel *pilosus*. Sanir *nocturna avis*, vel *fetor*. Et est Seir idem qui Edom, id est Esau. Esau et Jacob duo erant fratres (*Gen. xxv*). Esau prior natus, sed a post nato Jacob supplantatus. Esau venator, et studitis agrestibus detinutus fuerat. Jacob vir simplex domini habitabat. Quid autem hi duo fratres, nisi duos motus, qui in homine sunt, designant, hoc est concupiscentiam carnis et spiritus. Scimus autem quod dicit apostolus, *nou prius quod spirituale* (*I Cor. xv*), sed quod carnale est, prius est: hoc est Esau prius nascitur. Cum vero spiritus concupiscentia robatur, concupiscentia carnis marcescit: hoc est Esau a post genito Jacob supplantatur. Item concupiscentia carnis quasi Esau venator foris pascitur, concupiscentia vero spiritus, quasi Jacob vir simplex intus delectatur. Est ergo Seir pilosus carnis motus turpis et indecorus; et bene pilosus, quis sic pilus in carne radicem figit, sed excrescendo carnem excedit, ita carnis motus de necessitate oritur, sed excrescendo in voluntatem usque profluit. Et quemadmodum pilus præcidi potest sine dolore, sic appetitus carnis, quantum ad superfluitatem pertinet, quasi extra sensum carnis sine detrimenio præceditur, sed quantum ad necessitatem spectat, quasi intra carnem non sine detrimenio extirpatur. Ecce diximus quid sit Seir, nunc quid sit mons Seir viudeamus. Habet enim Seir iste montem, habet et vallem; et ut plus dicam, habet montem, habet campum, habet vallem; sed in valle debilis, in campo est fortis, in monte insuperabilis. Seir in monte est appetitus carnis in necessitate. Seir in

valle, est appetitus carnis in voluptate. Quando ad vivendum tantum caro sustentantium accipit, Seir in monte est; quando vero ad robur nutrimentum querit, Seir in campo est. Quando autem ad lasciviendum delicias poscit, Seir in valle est. Quare ergo in monte insuperabilis est? quia sustentantium carnis in hac adhuc carne degentibus necessarium est. Quare in campo fortis? quia et robur carnis aliquando profectibus animæ utile est. Quare in valle debilis? quia voluptas carnis semper superflua est. In valle prohibetur, in campo conceditur, in monte remuneratur; in valle servit, in campo pugnat, in monte regnat; in valle est luxuria, in campo temperantia, in monte parcimoniam. In valle, adjuvante gratia, facile calcatur; in campo cum difficultate vincitur, in monte ne superari valeat, ipse ei quotidiani noster defectus vires jugiter subministrat. Qui superflua resecat, Seir in valle conculetur; qui vero etiam de necessariis aliquid minuit, Seir in campo vincit, qui autem ad sustentantium tantum naturæ necessaria tribuit, quasi Seir in monte exactori obsequium reddit. Sciendum tamen quod Seir iste ibi sine difficultate vincitur, ubi periculosisimne dominatur; ibi vero prorsus insuperabilis est, ubi sine periculo tolerari potest. Si vero legatur Sanir, quod interpretatur *nocturna avis, vel fetor, ad eundem carnalem motum congrue referri potest. Qui vel ideo nocturnus dicitur, quis occultus venit, dum specie necessitatis irrepit voluptatis illicetra, vel quia per delectationem carnis nascitur excusatio mentis. Nocturna ergo avis est occultus et improbus motus carnis. Quare vero concupiscentia carnis fetor dicatur, hoc jam expositione non indiget.*

*Et Hermon (Cant. iv).* Hermon interpretatur *anathema ejus; cuius ejus, nisi ipsius anathematis?* Primum ergo querendum est quid sit anathema; deinde, quid sit anathema anathematis, adjungendum. Anathema, hoc est separatio; anathema anathematis, separatio separationis. Et fortasse, si separatum esse, malum sit; tamen separatum esse a separato bonum erit. Quis autem melius potest dici anathema, quam apostata angelus, qui se primum per superbiam a societate illius supernæ civitatis separavit, et ex merito prævaricationis suæ, dum capitum membrum esse noluit, ab unitate corporis illius præcisus caput iniquorum omnium factus est? Constat autem quod omnis homo secundum primam generationem, qua in peccato concipitur, cum peccato nascitur, hujus capitum membrum est, et ad illius societatem pertinet. Sed quisquis per sacramenta fidei regeneratus membrum Christi efficitur, ab unitate hujus corporis separatur. Quis est ergo anathema, nisi diabolus et membra ejus? et qui sunt anathema anathematis, nisi hi, qui separati a corpore diaboli facti sunt membrum Christi? Quid significet Hermon jam diximus; nunc quid significet mons Hermon videamus. Nam, quemadmodum supra de Seir dictum est, ita et nunc de Hermon dici potest: quod videlicet alii sint mons Hermon, alii vallis Hermon. Vallis Hermon dici possunt, qui per fidem quidem a diabolo jam separati sunt, sed adhuc per vitam carnalem in infinitis desideriis prostrati jacent. Campus Hermon sunt hi fideles, qui medium quemdam statum tenentes, nec per voluptatem carnis in ino depressi sunt, neque per spiritualem conversationem ad superna erigi possunt. Mons vero Hermon sunt hi, qui non soluu per fidem a diabolo sunt separati, sed etiam per eminentiam virtutis, et per constantiam mentis contra diabolum sunt erecti: et hi profecto sunt, quibus antiquus hostis magis invidet; quos non solum a se divisos, sed etiam contra se erectos

videt. Hi sunt ergo, quos jugiter persecundo opprimere nituntur, quos et a se recessisse, et stare contra se conspicatur. Isti ergo tanto graviores tribulationes sape sustinent, quanto magis communem omnium hostem sibi singulariter infensum habent. Nihil ergo melius per montem Seir quam parcioniam, nihil melius per montem Hermon quam patientiam sanctorum accipimus.

Sequitur deinde: *A cubilibus leonum (ibid.)* Quid per cubilia leonum, nisi ut ita dicam, sopita crudelitas intelligitur? Et quid est sopita crudelitas, nisi carnis voluptas? que improvidos quoque nunc quidem delectat per experientiam prius, post vero cruciat per conscientiam, deinde per poenam. Attende quomodo nunc in delectatione carnalis voluptatis dormit crudelitas ventura damnationis. *Favus,* inquit Salomon, *distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem ejus amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps* (Prov. v). Et rursum: *Quis est parvulus, declinet ad me. Et recordi locuta est: Aque furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sint, et in profundis inferni convive ejus.* (Prov. ix). Et Dominus ad B. Job de antiquo hoste loquens, ait: *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus* (Job xl). In illis enim mentibus diabolus pausat, que intus a calore divini amoris frigidæ, foris nunc inluxa carnalium voluptatum delectatione gaudent, et quæ subinde amaritudo secura sit, non prevident. Cubilia ergo leonum sunt blandimenta carnalium voluptatum, quæ nunc quidem mollia videntur per experientiam, post vero crudelias sentient per poenam. Nunc siquidem leo cubat et dormit, quia mentibus carnalium nunc per delectationem peccati diabolus blandum se simulaus, nondum qualis futurus sit ostendit. Sed tunc evigilare incipiet, quando eos, quos illicitis nunc delectationibus seducens spontaneos tenet in culpa, post aperte sevius invitatos trahet ad tormenta.

Sequitur: *A montibus leopardorum (Cant. iv).* Leopardus a leone et pardo procreatur. Leo crudelis est, leopardus maculosus. Si ergo leo propter crudelitatem dæmones, pardus propter varietatem congrue hereticos designat qui, quia unitatem fidei diversis et perversis dogmatibus scindunt, quasi quibusdam maenlis corpus infectum gerunt. Qui sunt ergo leopardi nisi superbi amatores hujus sæculi, quos primum diabolus per doctrinam hereticorum ad perfidiam generat, ac deinde per hujus mundi amorem ad vitia inflammat? Montes leopardorum divitiae sunt et pompæ hujus sæculi, in quibus perversi se extollunt, et electorum viam tanto acerius insectantur, quanto eos in hoc sæculo abjectos et humiles aspiciunt. Bene ergo dicitur ad sponsam: *Venies, et transibis ad montem Seir et Hermon, a cubilibus leonum, a montibus leopardorum.* Quasi diceretur, transibis ad montem Seir, a cubilibus leonum, transibis ad montem Hermon, a montibus leopardorum. Sed quid est de cubilibus leonum ad montem Seir, nisi de incontinentia ad castitatem, de voluptate ad parcimoniam? Et quid est de montibus leopardorum ad montem Hermon, nisi de superbia ad humilitatem, de crudelitate ad patientiam? Et nota quod dixit, *de cubilibus, non de cubili; de montibus, non de monte; et ad montem, non ad montes.* De cubilibus ergo ad montem, de multis ad unum progredimur, quia, quanto magis mundum fugiendo Deo appropinquare incipiimus, tanto magis in unum congregamur, adjuvante Domino nostro Iesu Christo, qui veniet judicare vivos et mortuos, et sæcum per ignem. (Serm. 29.)

## ALANUS DE INSULIS.

## I.

*In Annuntiatione beatæ Mariæ, quando evenit  
Dominica in Palmis.*

*Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Psal. lxxxvi).*  
 Fratres charissimi, Rex regum qui imperat ventis et mari, cuius civitas, latera aquilonis, ut in omnibus rebus sue Trinitatis figuraret imaginem, trinam sibi fabricatus est civitatem; quarum mundus est prima, Ecclesia secunda, Virgo virginum tertia; mundus enim eleganti similitudine civitatis censetur nomine, quia sicut in civitate Reipublicæ majestas servatur, sic mundus sua republica non frustratur. Sicut enim respublica est ordinatus rerum conventus, inter quas, aliæ imperant, aliæ operantur, aliæ obtemperant; sic in mundo quasi in civitate magna, Deus est imperans, auge-lus operans, homo obtemperans. Similiter Ecclesia, eleganti modo civitatis censetur vocabulo, in qua maiores prelati auctoritate disponunt, mediocres singula actione componunt, inferiores se majorum auctoritati subponunt. In hac civitate murus est Christianæ fidei fundamentum; cæmentum, est sanguis martyrum; propugnacula, auctoritates sanctorum; plateæ, charitatis latitudo; vallum, humilitatis altitude; pons, obedientia; janua, eleemosynæ. Non inconsequenter etiam Virgo virginum civitatis sortitur vocabulum, in qua imperavit rationis auctoritas, operata est sensualitas, servivit carnalitas; in qua, fuerunt cives, motus rationales; a quibus, discretione armatis, servata est civitas, ne in eam dæmonis grassaretur hostilitas. In hac civitate, murus fuit constantia, cæmentum temperantia, fortitudo propugnaculum, prudentia vallum. Orientalis porta fides, per quam Sol justitiae in ea illuxit; meridiana porta charitas, per quam in ea Spiritus sancti ardor incaluit; septentrionalis porta virginitas, per quam in ea concupiscentia carnalis extincta est; occidentalis porta humilitas, per quam in ea mundanæ tentationes propulsatae sunt. Hanc fluvius cœlestis gratiæ sic præterfluit, quod in eam continue refluat, sic munens civitatem, quod non timeat incursum hostilem. De quo fluvio dicitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (Psal. xlvi).* In hac civitate est hortus conclusus, hortus signatus (*Cant. iv*), hortus irriguus, hortus arboribus consitus, herbis venustatus, floribus ornatus, id est mens virginis, in qua velut in horto cœlesti, mores honesti in similitudine arborum, fructus bonorum operum pariunt; bonæ cogitationes in exemplum herbarum viorem internæ devotionis emittunt: virtutes in exemplar florum, odorem bonæ opinionis producunt. In hoc horto viret myrtus temperantiae, rosa patientiae, lilium castita-

tis, viola æternæ contemplationis. Has ergo tres civitates construxit Rex regum, ut habaret cum filiis hominum.

In prima civitate fuit creator; in secunda, salvator; in tertia, miserator. In prima resultavit ejus potentia, in secunda sapientia, in tertia gratia. De prima dictum est: *Latera aquilonis civitas regis magni (Psal. xlvi).* De secunda: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! (Psal. lxxxii.)* De tertia: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Psal. lxxxvi).* Sed videamus, quam gloria dicta sint de Virgine Maria. Ait Balaam: *Orietur stella ex Jacob (Num. xxiv).* Haec est illa quæ in arcturo cœlesti, gerit imaginem immobilis poli. Juxta philosophos: Arcturus est ille stellarum numerus septenarius, qui nunc arctos, nunc ursa, nunc septentrio dicitur, in quo stella quæ polus dicitur, ultimum locum tenens, immobilis manet, iter navigantibus præbens. Per arcturum igitur Ecclesia signatur; quia sicut arcturus semper urgetur et nunquam mergitur, sic Ecclesia semper flagellatur, neque flectitur. In hoc arcturo cœlesti, quæ polus immobilis est, Maria, nulla tentatione meta, nulla tribulatione concussa, iis qui timent in mari mundi hujus naufragium, præbet salutis portum. De cœdem ait Isaías: *Egredietur virga de radice Jesse, etc. (Isa. xi).* Consequenter virga Virgo comparatur ratione directionis, ratione correctionis, ratione parturitionis. Sicut enim virga in altum dirigitur, sic Virgo ad æterna erigitur; sicut virga excessus corrigitur, sic per Virginem peccata remittuntur: sicut virga parturit fructum, sic Virgo parturit panem angelorum. Nec solum ratione muneris, sed etiam ratione nominis, virgæ comparatur Virgo, facta unius enim literæ mutatione in vocabulo, de virga fit Virgo. Et dum ex Eva matris floribus velut aurea rosa processit Virgo Maria, virga facta est Virgo; et alpha mutatum est in ω; quia principium factum finis, id est æternus factus est temporalis. Haec est castrum, seu castellum, de quo dictum est: *Ite in castellum quod contra vos est, et invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea, etc. (Matth. xxi).* Cum enim Filius Dei vellet assumere trabeam humanitatis in tabernaculo Virginis, præcepit angelis ut eam custodirent ab omni illecebra carnis, dicens illis: *Ite ad castellum; ite ad Virginem custodiendo, ite ad Virginem consulendo, ite ad Virginem comitando.* Haec Virgo consequenter dicitur etiam castellum. Eva autem prima mulier antea castrum etiam fuit, quia naturalibus et gratuitis donis munita, sed postmodum ad instar vilissimi oppidi redacta, imo villa obsoleta facta, patens omni hosti, carni, mundo et dæmoni, sieque genus humanum desolatum plane mansit, usque dum Rex regum in sole tabernaculum

*posuit (Psal. xviii), id est in Virgine castellum confirmavit, quando Virgo per adventum Spiritus sancti ita roborata fuit, ut hosti ad eam non pateret introitus.*

Neque vacat a ratione, quod dicitur : *quod contra vos est.* Humana enim natura ante Incarnationem angelicae fuit naturae contraria. In hoc castello erant asina et pullus ligati, id est sensualitas et sensualitatis motus primitivi, qui ex se non erant bono obnoxii, sed per angelorum ministerium ad bonum soluti sunt, et postquam Christus per Incarnationem advenit, super asinam et pullum sedit, quia tam sensualitas quam primitivus ejus motus, ei obedivit, Christus hoc intravit castellum, pugnaturus contra diabolum, sed intravit per auream portam ianuis clausis, quia neque in ingressu, neque in egressu, fractum est in ea sigillum virginitatis. Hæc est famosa illa Hierusalem, in qua verus ille Salomon templum solemne exstruxit. Quæ enim consequentius censeri posset Hierusalem, id est visio pacis, quam illa in qua quievit pax æternitatis, in qua verus Salomon, id est Christus, fabricatus est templum sui corporis, de quo dictum est : *Solvite templum hoc, etc. (Joan. ii.)*

Sed in fabricatione hujus templi neque malleus neque securis est audita; quia neque in conceptione neque in partu, crepitum carnis vel dolorum sensit Maria. Quia autem ad templum Salomonis tria pertinebant altaria, primum holocaustorum, in quo mactabantur animalia, secundum thymiamatis, in quo offerebantur aromaticæ, tertium propitiatorium, in quo apparebat gloria divina; ita in templo Christi, id est in ejus humana natura, tria resultant altaria; primum altare est holocaustorum, scilicet caro ejus gloriosa, in qua nostra consumpta sunt peccata; secundum, anima, quia sicut in altari thymiamatis offerebantur aromaticæ species, sic anima Christi variis virtutibus referata est; tertium, divinitas, in qua eluiscit divinae auctoritatis majestas. Igitur, fratres charissimi, ad similitudinem Virginis, si non civitatem, saltem villam, si non castrum Regi regum preparare possumus, saltem in animo nostro hospitium preparamus, imo vel hospitolum in mente nostra ut in ea dignetur ponere tabernacula sua; sed prius purgemos mentem nostram, ut invitemus volentem. Tribus autem solet infici hospitium, a quibus nos oportet mundare mentis tabernaculum, scilicet sterquilinio, pulvere et luto: sterquilinium luxuria est, quæ fetet in carne, fetet in fama. Sicut enim sterquilinium quanto magis movet, tanto magis fetet; sic luxuria quanto magis exercetur, tanto magis olet. Sed in hoc etiam melius est sterquilinium luxuria, quia additum terræ nostræ, illam fecundat, luxuria terræ carnis nostræ adhærens, eam infirmat. Pulvis est vana gloria, quem projicit ventus a facie terræ, quia in nihilum redigitur timore superbiae. De pulvere nascuntur ciniphes, quæ pungunt aculeis;

ex vana gloria nascuntur pravae cogitationes, quæ penetrant armarium cordis. Pulvis obtenebrat oculum, vana gloria excæcat animum.

Lutum vero quod immundum et tenax est, avaritiam signat, quæ et visco tenacitatis hominem illicit, et spurcitia cupiditatis inficit. Hæc avaritia est quæ nostri temporis homines ad idolatriam reverti cogit, de qua Apostolus ait : *Avaritia quæ est idolorum servitus (Ephes. v).* Hæc cogit hominem postponere Deum, colere nummum. Nostri autem temporis idolatria tres habet filias: primam, quæ facit coli ventrem per crapulam; secundam, in qua mundus diligitur per concupiscentiam; tertiam, in qua caro colitur per luxuriam. Ut autem fictis vocabulis liceat nos loqui, prima potest dici bacchilatria; secunda nummilatria; tertia carnilatria. Purgemus igitur mentis hospitium a sterquilinio, per continentiam; a pulvere, per patientiam; a luto, per eleemosynam, ut ita in nobis dignum possimus Deo preparare habitaculum. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster. Amen.

## II.

### *Sententiæ de sancta Maria.*

#### 1. Egredietur virga de radice Jesse (Isa. xi).

Dominus Deus hominem quasi arborem vitæ plantavit in medio mundi, quasi in medio paradisi.

Lignum, inquam, fuit homo ante peccatum, propter naturæ suæ soliditatem, et vitæ; quia spiritualem habebat vitam, sed per peccatum istud lignum versum est in folium quod vento rapitur (Job xiii), et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (Job xiv). De hoc ligno processerunt multi rami, quidam virentes, quidam aridi, id est Adæ posteritas, de qua, quidam fecerunt fructum boni operis, tanquam virentes rami; quidam vero, rore cœlestis gratiæ caruerunt, et ideo a bonis operibus aruerunt. De hujus arboris radice, de qua processit Jesse, id est de antiquorum patrum genere, egressa est virga, id est Virgo Maria. Hæc virga sui fructus suavitate redemit amaritudinem radicis antiquæ. Hæc, vitium quod erat in trunco, redemit in surculo. Hæc eleganter dicitur virga, ratione nominis, ratione significationis, ratione proprietatis. Ratione nominis, quoniam mutatione A in O, de virga fit virgo. Ratione significationis, quia per virgam Aaron figurata est Virgo Maria. Quia sicut virga illa sine omni exteriori beneficio, fronduit, floruit, fructum fecit; sic Virgo Maria sine virili adminiculo floruit Christum concipiendo, fructum fecit pariendo. Ratione proprietatis, quia sicut Virga instrumentum est regis, instrumentum est corridentis, instrumentum est mensurantis; sic gloriosa virgo Maria instrumentum fuit cœlestis regis, quo scilicet usus est ad regendum populum suum; instrumentum corridentis, quia eo usus est ad corrigendum genus humanum; instru-

mentum mensurantis, quo usus est ad claudendum se sub mensura humanitatis.

Et sicut virga dum in altum erigitur, recta linea dirigitur, sic Virgo Maria in altum beatitudinis fuit erecta, et tramite virtutum directa. Unde et de ipsa dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* etc. (*Cant. iii.*) De hac virga, flos est egressus, id est natus Christus; flos fructum facit, odorem reddit, campo pulchritudinem dat. Sic Christus fructum nostræ redēptionis fecit, odorem nominis sui ubique diffidit, spiritualem pulchritudinem mundo dedit. (*Sent. 28.*)

2. Beata Virgo Maria est quasi *lilium inter spinas* (*Cant. ii.*), quasi *oliva speciosa in campis*, quasi *plantatio rosæ in Jericho* (*Eccles. xxiv.*). *Lilium inter spinas* oriens, quanto magis a spinis pungitur, tanto major odor ab eo emittitur. *Lilium spinis præcellit odore, præeminet colore.* Et beata Virgo, quanto majorem a Judæis sustinuit persecutionem, tanto ipsius patientia majori bona opinionis fragravit redolentia. Hæc est quasi *oliva in amplitudine hujus mundi*, velut in medio campi, speciositatem virtutum retinens, sanctis cogitationibus virens, bonis operibus florens; nobis fructum aeternæ beatitudinis pariens, cœlesti oleo secunda, id est *Spiritus sancti gratia*. Hæc est *quasi plantatio rosæ in Jericho*. *Rosa in Jericho plantata*, oritur pulchrior, redolit fragrantior, majori rughore vestitur, diutius sua pulchritudine coloratur. Cum ergo Jericho interpretatur *defectus*, beata Virgo quasi quedam rosa in defectus humanæ naturæ plantata, fuit ceteris mulieribus virtute formosior, rubore terrenarum tribulationum per patientiam venustior, odore bonorum operum redolentior. (*Sent. 51.*)

3. Per hoc quod Christus in nuptiis mutavit aquam in vinum (*Joan. ii.*), signatur quod in illis nuptiis quas celebravit in thalamo uteri virginis, uniendo humanam naturam divinæ, mutavit insipiditatem antiquæ legis in saporem novæ legis. In hac domo virginis uteri, quasi triclinium erat, ordo trium virtutum, humilitatis, virginitatis, charitatis; architraclinus erat Christus, quasi princeps triclinii. Ibi triplex aqua fuit in triplex vinum mutata,

pœna in pœnitentiam, austeras in gratiam, miseria in misericordiam. (*Sent. 42.*)

### III.

*In Maria Virgine dignitas triplex, præelectionis, electionis, subelectionis.*

*Osculetur me osculo oris sui, etc. (Cant. i.)*  
Est primum gemis osculi, quod fit per spiritualem conjunctionem animæ et Dei; secundum osculum est, quo pater osculatur Filium, est enim *Spiritus sanctus Patris et Filii amor et nexus*. Tertium osculum est Incarnationis, quo Christus per humanitatem assumptam, osculans est virginem Mariam. Primum osculum est, inspirationis; secundum, spirationis; tertium, incarnationis. Primum osculum, est cordis; secundum, oris; tertium, corporis. Primum reddit favum, secundum balsamum, tertium oleum. Ante Incarnationem ergo, virgo petiit osculum internæ visitationis, ut per hoc servaret integre sigillum virginitatis: nec sua fuit petitione fraudata, sed interna inspiratione visitata.

Ergo primum osculum sensit, quando virginitas sigillum non amisit, et sic per visitationem internam, se quodammodo reddidit Verbi incarnatione dignam. Sed qua dignitate? dignitate triplici: dignitate præelectionis, dignitate electionis, dignitate subelectionis. Dignitas præ electionis fuit, quando ab æterno decreto prædestinationis, ad hoc fuit præelecta, ut esset Dei mater intacta, sed postquam *Spiritus sanctus eam obumbravit*, ad hoc elegit ut Filium Dei conciperet, et conceptum inefabili partu in lucem produceret; subelecta etiam fuit, respectu illius humanæ naturæ quæ verbo Dei amica fuit ineffabili amore.

Illa ergo humana natura principaliter electa est, cui uniretur beata virgo subelecta, ut ex ea Filius Dei nasceretur. Secundum autem et tertium osculum petiit, cum ab Angelo audiens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i.*). Ipsa ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*). Et ex quo hoc dixit, utrumque osculum recepit, Spiritum scilicet ad sui confirmationem, Filium vero Dei in conceptione.

## ARNULFUS, LEXOVIENSIS EPISCOPUS.

### I. — Sermo in Annuntiatione gloriosæ Virginis Mariæ.

*Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph* (*Luc. i.*). Quod ab æterno prædestinatum fuerat, quod ab antiquo per multa prophetarum oracula repromissum, tandem, fratres charissimi, die ista divina gratia coepit operante compleri. Siquidem ab æterno Deus Pater Unigenitum suum in causam redēptionis humanæ decre-

verat incarnari, ut mysterio scilicet incarnationis ejus vetus Satanae solveretur astutia, et humilitatis dignatione potestas ejus ac superbia frangeretur. Quod fortassis ab initio nec etiam fuerat angelis indicatum. Sed intra secretum divinæ bonitatis magnitudo consilii tegebatur abscondita, donec conscientia secreti nuntius mitteretur, qui indulgenda generi humano libertatis beneficia nuntiaret. Missus est itaque angelus Gabriel divinorum factus conscientia secretorum, ianquam fidelis divinæ voluntatis inter-

pres et ut quedammodo proprii nominis interpretationem adimplens, fortitudinem Dei in infirmitate carnis prediceret assumpturam. Si igitur ipsum præmissæ salutationis inspiciamus alloquium, recte nuntius salutis verba propositum, qui ad salutem omnium nuntiandam, tollendamque perniciem mittebatur. Virgo autem prima verbum salutis accepit et affectum, quia humilem statum revelatis per angelum omnibus fidem prestitum et assensum. Unde nimur ab originali et ceteris, si qua erant actualia, penitus emundata est, ut nulla penes eam peccati corruptio nulla corruptionis concupiscentia resideret. Talem enim sibi virginis humanitatem divina magnificentia preparavit, quam de ipsa disponebat assumere, ut scilicet primæ creationis dignitate recepta, incorrupte posset uniri divinitas incorrupta naturæ. Unde etiam recte gratia plena potuit appellari quæ primo plenitudinem propriæ sanctificationis accepit; et singulari statim privilegio potuit exultare, ut scilicet mater esset et virgo et in ipsa placabilem contraria sortirentur eventum. Neque enim alibi vel virginitatem secunditas vel secunditatem simplicitas virginitatis agnoverat, nullaque invicem communione, nulloque unquam födere jungebantur. Porro utramque bonam esse, utramque constat esse laudabilem, sed in aliis majus est virginis privilegium castitatis. In Maria excellentior est virginitate secunditas, si recte secunditatis fructus et virginitatis merita comparentur. Siquidem fructus iste de jurata David a Domino veritate procedens super sedem ejus positus est, super solium scilicet ipsius et regnum jure perpetuo constitutus, ut de sacramentorum efficacia firmitas, et robur de virtutis sanctificatione concrescat. Cujus sane fructus et germen in magnificientiam et gloriam adjuncte sibi divinitatis excrescens omni facta est terrena plasmatione sublimius, adeo ut nihil eo sit vel potestate fortius, vel excellentius dignitate. Inde est quod in Maria contrahit secunditatis honor de ipsa fructus sui qualitate substantiam, ubi nulla quarumlibet virtutum dispendia sed augmenta concurrevunt; sed in aliis detrimentum virginitatis sobolis beneficio restauratur et virginitatis amissæ gloriam susceptæ prolis gaudia recompensant. In aliis enim de preventus qualitate recipiunt præcedentia detrimenta solatium, ubi, quæ secunda est, pressuræ remedium et optatæ sobolis percipit incrementum. Virgo autem quæ carnales animo simul et corpore declinat illecebros et sedulo vim concupiscentiae pudore contundit, quanto magis a semetipsa per gratiam continentiae deficit, tanto magis proficit ad mercedem. Habent igitur secundæ quod debeant, habet virgo quod speret, dum iis in gratiarum actiones virginitatis merita transeunt, et ei semper ad præmium eadem virginitatis merita convalescant. Virginis autem nostræ nullum intulit partus aut conceptio detrimentum, sed tanto majoris fastigium honoris adepta est, quanto mirabiliori est conceptu conse-

crata. Occurrunt itaque in ea sibi invicem quasi quibusdam virginitas secunditasque complexibus, ut secunditatem virginitatis gloria redimat et virginitatem fructus secunditatis attollat. Secunditas igitur ipsius multis est veneranda miraculis, multis utilitatibus amplectenda, multis illustrata laudibus, in qua sic humilitati sublimitas deitatis occurrit, ut nec infirmitas opprimatur a gloria nec majestas aliqua ex parte propria dignitate privetur. Profecto in aliis tanto major est secunditate virginitas quanto minor est integritate corruptio, quia secunditatem voluptas quædam improbata precedit quam sine culpa esse commercium carnale non patitur, nec affectuose corruptarum carnium passiones. Unde se conceptum in peccatis Psalmista commemorat quia in ipso utrobique peccatum de corrupta traducebatur origine, somitemque peccati procedens de veteri corruptione concupiscentia ministrabat. At vero in Mariæ secunditate sola etiam est operata divinitas. Dum virginem virtus obumbrat Altissimi, et superveniens spiritus carnis et verbi consecrat unitatem (*Luc. 1*). In quo non potuit de non vitioso vitium provenire, nec auctor virtutum auferre debuit, sed afferre virtutes. Ideoque propositæ castitatis privilegium singulare non abstulit, sed honorem secunditatis adjecit. Novam itaque sobolem pudor virginis agnoscit, carnemque miratur natura spiritu secundari, legemque propagationis humanæ penitus immutatam, cum ibi sit nec de voluptate conceptio nec prolis emissio cum dolore. Siquidem Deus de Deo semper caro de commissione carnis nascebatur ex tempore: nunc Deus in hominem homo in Deum sola spiritus operatione formatur. Mirum hoc solique divine majestati possibile ut quamlibet humanitas et divinitas caro hæc scilicet spiritus ille concipiunt unitatem: quod impassibilis passibilem, quod æternus se nobis exhibeat temporalem, quod cum corporalibus oculis liceat intueri, cuius excellentiam cœlestium civium spirituales oculi non attingunt. Quod sane fides nostra necesse est ut saniori concipiatur intellectu nec substantiarum quidem, sed personæ prædictæ unitatem, nec alteram in alteram transiisse; facta qualibet modo confusione vel commixtione credamus. Verbum enim in æterna semper propriæ divinitatis simplicitate consistens, nec alterius est admistione compositum, nec in aliud sibi sui abolitione transfusum, sed substantiis in se permanentibus pariter et naturis. Christus ut gigas incomparabili virtute præcellens, gratuitam viam nostræ mortalitatis alacritate cucurrit. Igitur ad propositum divinæ prædestinationis effectui mancipandum angelus destinatus ad virginem qui dilatum usque adhuc divinæ voluntatis hodie patefecit arcanum, quod sicut æternaliter a tota Trinitate prævisum est, ita nihilominus a tota Trinitate nuntiat adimplendum; ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*

(*ibid.*). Itaque vim verborum et ordinem studiosa consideratione pensemus, quia scilicet primo Spiritus sanctus superventurus nuntiatur in virgine, eademque postmodum Altissimi, id est Patris, virtute proponitur obumbranda; ut ita virginis preparato conceptu, segregata ex utero ejus, sed in utero carne ineffabilis novissime filii generatio proveniret.

Vides hic Angelum manifeste totius Trinitatis expressisse praesentiam, dum supervenire spiritus Altissimi et obumbrare, filius vero dicitur incarnari. Liquet igitur totius Trinitatis opus esse quod factum est, licet unus tantum fuerit incarnatus, e tota Trinitate scilicet unus tantum, totius ad id divinitatis exhibuit substantiam, uno tamen propositum redempctionis humanae ministerium personaliter exhibente. Igitur aeternae generationi generatio temporalis accessit, et aeternae nativitati nihilominus temporalis est adjecta nativitas; ut quod aeternum est, in sua consistenter aeternitate perfectum; quod vero tempore est, perfectionis suae statum, non tam de natura quam de miraculo sortiretur. Siquidem personam hominis ex duorum hominum commitione provenire necesse est, hic vero unius hominis tantum simplici praecedente substantia, nova soboles proficiscitur et formatur; qua scilicet humanitate percepta, sic humilitati nostrae excellentia divinae majestatis infusa est, ut praeeunte mirabili carnis Verbi commercio totum dicatur homo, totum dicatur Deus, alterumque de altero nova quadam enuntiationis specie praedicetur; siquidem enuntiatio haec unionem, non essentiam praedicat aut naturam, nec alterutrum in altero, vel substantiam in substantia consistere ratio, vel natura consentit; sed personalem ineffabilis quedam quasi consolidatio conficit unitatem. Neque enim carnis essentia in Verbi transivit essentiam, neque Verbum carnis passiones assumit; sed utique proprietates suas semper attribuit imperiistarum discreto naturarum.

Si igitur Verbum carnem factum esse evangelica tibi dictat auctoritas, factum nihil aliud intelligas, quam unitum, neque hanc tibi confusio, vel permissione constituat unitatem; sed singulas semper in se consistentes debita estimatione venerare substantias, unamque tibi ipsamque singularem proponas de tam diversorum pluralitate personam. Unde si de Christo, Deo scilicet et homine, modo humanum, modo divinum aliquid audias, praedicari intelligas, non ex eadem causa procedere, sed ad diversas utrumque praedicationem respicere rationes. Quod enim modo Omnipotens, modo Creator omnium dicitur, modo unigenitus Patris Filius ab aeterno, id eum ex divinitatis constat habere substantia: quod vero natus ex muliere, factus sub lege, quod ignoriam crucis, quod amaritudinem sustulit passionis; id ex humanitatis processisse natura, nullus est qui dubitet. Porro si personae utramque substantiam complecenti, quod specialiter unius est, toti

personae videris attributum, scilicet ratione assumptionis, toti convenire personae, nec tamen passiones corporis divinitati, vel humanitati divinam tribuas majestatem. Quippe quod de virgine nasciturum dicit Angelus, Filium Dei nuntiat appellandum quamvis ei ex eo quod de virgine est, non possit haec appellatio convenire; sed divina bonitas non voluit nominis detrahere dignitatem, cui communiquid destinaverat ejusdem substantiae veritatem.

Ad quod sane post multa tempora novissime consummandum, ad expertem omnis concupiscentiae destinatur, cuius denuntiatione votum perpetuae virginitatis firmatum est potius quam sublatum, cum virum ejus Angelus ad similem formasset assensum. Nullaque hinc vel inde carnalis commercii residet affectio, sed ad custodiam et obsequium virginitatis et virginis se congaudet fidelis viri devotione preelectam. Igitur ad preparatum sibi prudenter a Spiritu sancto conjugium, secura voti Virgo sancta procedit, et sacri animorum potius quam corporum federantur amplexus. Sane in contrahendis ab initio sponsalibus alia viri fuerat fortassis intentio; sed edoctus ab Angelo, statim totus ad perfectae continentiae transivit effectum, ut animi eorum pari invicem similitudine responderent, ne quasi dissidium facere videretur diversarum dissentio voluntatum. Nemo itaque dixerit sublata, sed subsecuto conjugio consummata sponsalia, nec aliquid sacramento propensi sanctitate detractum est, sed eos ad maritalem copulam individua vitae consuetudo condixit. Porro si nec opus intercessit carnalis commercii, nec voluntas, nihilominus tamen constat esse conjugium, quia contractus ille non trahit de carnis commitione substantiam, sed de sola legitime consentientium voluntate.

Si igitur ad hoc neque concupiscentia, neque carnales requiruntur amplexus, atque intercessisse constat quidquid ad conjugii desideratur effectum; manifestum est veros conjuges exstisset, ut ille recte [vir] et illa conjux debeat appellari. Quod si dicatur non posse matrimonium contrahi nisi communicato copulae carnalis assensu, ne requisitum alter alteri negare possit accessum: verum quidem si ea convenient voluntate, et praecoptata futurae sobolis pignora contemplantur. Si vero conditioni huic renuntiare vel amore castitatis, vel impotentia qualibet obsidente decreverint, legemque matrimonii in aliis omnibus constituant observare, individua vitae consuetudo, et dispositum alternae potestatis obsequium affectati contractatus format substantiam, perpetuamque firmat sacri consortii fides et gratia veritatem. Quae etenim ratio assensum hunc commendare compellebat invito, cui perpetua virginis complacebat integritas, votumque erat ipsius, quod in ea natura erat, perpetuae continentiae sanctimonia venerari? Quod si a minoribus ad majora trahatur exemplum, aliquid fortassis expressae similitudinis in Cæcilia virgine poterit inveniri, quæ cum familiari voto perpetue virginitatis munus velut

holocaustum quoddam Domino consecrasset, cum Tiburtio tamen amicorum interventu contrahere minime recusavit, fiduciam habens in Domino, quod divina devotam in ea pudicitiam sapientia conservaret, et humiliiter parentum desiderii acquievisse Cæcilia videretur. Cantantibus organis igitur dum juvenis prædestinatus ad vitam: ad nuptiales festinat amplexus, et ad optatum thori virginalis anhelat ascensum, illa procedentibus de conscientia voti suspiriis et precibus implorabat a Domino, ne ad confusione spiritus et corporis ipsius macula quælibet concupiscentiæ carnalis obreperet, sed corpus prorsus intactum sincero spiritui conservaret. Cum eo itaque quasi transactione quadam virgo prudens sic amicabili compositione convenit, ut ipsum asseruerit sibi in eamdem conservandæ pudicitiæ voluntatem, et purificatum aqua baptismatis postmodum perduxerit ad lauream gloriosi martyri triumphalem. Quis ergo dicat non intercessisse conjugium, si eis a carnali placuit abstinere contactu, cuin multis usu frequenti videamus in matrimonio convenire, quibus vel nimia senectus, vel debilitas aliqua commercii illius spem omnem abstulit et effectum. Certum est autem de rei substantia non esse, quod velut accidentale aliquid et adesse potest pariter et abesse, sanctiusque et sincerius observatur conjugium absque eo quod sine culpa esse non potest, nisi per bonum conjugii fuerit excusatum. Profecto cur non saltem siimile casus et voluntatis privilegium erit, ut eodem fungi concedantur effectu, cum necessitate impotentiae constringantur inviti, voluntatem vero devotionis affectio et zelus sanctitatis informet. Quibus omnibus manifestum est Angelum recte virginem appellare potuisse, conjugemque Joseph, nullum prorsus voto virginitatis viro volenti vim vel injuriam irrogante; sed studium semper cum omni diligentia sedulus impendebat, ut suscepti ministerii munus laudabiliter similis et devotus impleret, docente eum frequenti angelorum commonitione, et

omne opus sanctæ sedulitatis dirigente semper in bonum Spiritu sancto, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

**I. — Carmen de Nativitate Domini, et de Virgine Deipara.**

Semper ab æterno nascens ex tempore nasci  
Sustinet humana conditio Deus:  
Virgineumque uterum virtus sacra patris o! umbrat,  
Qua verbum fieret conciliante caro.  
Conformi soboles patrem matremque figura  
Exprimit, et speciem reddit utrique suam.  
Sic ejus species speciem est imitare paternam,  
Ut sit eo viso visus et ipse pater.  
Virgineoque sibi fabricans de corpore corpus  
Humanam ex homine contrahit effigiem.  
Exhibit una duas species personæ, Densque  
Factus homo propriæ servat utrique genus:  
Servat enim propriam naturæ simplicitatem  
Hic in carne Deus, cum Deitate caro.  
Non commiscentur, nec enim confusa resolvit  
Vel carnem Deitas, vel caro mista Deum.  
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,  
Nec majestatem carnea vela gravant.  
Virgineaque fide veterem purgante reatum  
Nuuius adventu est sanctificatea caro  
Credit et exhibuit mundam devotionem matrem,  
Magnificatque Deum, magnificata Deo.  
Virginis integritas salvo secunda pudore  
Concipit, atque virum parturit absque viro.  
Nec reserat partus signati claustra pudoris  
Absque viro genitus, editus absque via.  
Ergo alterna novum fœdus commercia miscent,  
Et vetus in pacem vertitur ira novam.  
Humanis siquidem blando divina favore  
Occurrunt stabili conciliata fide.  
Servus adoptatur, reddit exsul, carcere clausus  
Exit, et ejecto porta negata patet.

**PETRUS CELLENSIS.**

**SERMONES IN BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.**

**I.**

**IN TEMPORE ADVENTUS.**

*Ecce virgo concipiet et pariet filium (Isa. vii, 14).*

O singulare, o speciale Virginis privilegium! præ angelis, præ omnibus sanctis, præ omnibus Dei donis est, quod *virgo concipiet et pariet filium*; non angelis, non archangelis, non virtutibus, non potestatibus, non principatibus, non dominationibus, non thronis, non cherubim, non seraphim, datum est hoc beneficium. Satis sit eis Deum adorare, Deum videre, Deum diligere, Deum cognoscere, Deo obedire, voluntatem Dei in omnibus adimplere et in nullo desicere; nec aliquid timere. Accipiunt siquidem beata munera, nec est in tanta societate

cui insit plusquam accepit velle habere. Confertum et coagitatum omnium gratiarum cumulum Virginis nostræ reservavit, ut haberet proprium fontem, cui nec Angelus nisi cum gratiarum actione communicares, cui omnia sæcula summa veneratione, inclinato capite deferunt, nec simile quid ultra sperare præsumerent, sed exinde portionem sibi debitam cum gratiarum actione singulorum sæculorum generationes vindicarent. Superlunaris quoque regionis incolæ sua obsequia grataanter exhiberent, non admirantes ab æterno latuisse, quod tam silenter sapientia Dei de inscrutabilibus sciniis suis extraxerat ut Virginis uterum intraret, quem totus mundus nequaquam caperet. Mirum quidem sic

intravit ut in ea habitaret, sed amplius plus stupendum quod sic intravit ut illum Virgo conciperet.

Alius namque venientem ad se Deum digne recipit, alius suscipit, alius excipit. Recipit hospitem, suscipit Dominum, excipit amicum; quis vero capit, imo quis concipit illum nisi Virgo, de qua dicitur: *Ecce virgo concipiet*, etc. Dicitur de quodam cuius moti sunt pedes, *quod spiritus pertransibit in illo et non subsistet* (*Psalm. cii, 16*). Dicitur de Moyse: *Cum transiero posteriora mea videbis* (*Exodus. xxxiii, 23*). Dicit Job: *In horrore visionis nocturnae transivit quidam cuius non agnoscebam vultum* (*Job iv, 13, 16*). Multum est, multum est vel in transitu videre Deum, sed jucundius, sed utilius capere Deum, retinere Deum, incomparabilius vero concipere in carne et de carne sua Deum. Facta enim est ista virginalis conceptio interveniente coagulo fidei et charitatis, incomprehensibiliter fervente gratia circa cultum legis et mandatorum Dei, fermentante etiam Spiritu sancto sata tria, id est carnem et animam virginalem cum desuper data gratia, unde panis formaretur, cum crusta humanitatis, et mica Divinitatis, coquendus in furno crucis, et sumendus interim in mensa altaris, tandem in regno Dei; et hoc est quod ait: *Ecce virgo concipiet*, etc.

Et quia Virgo non solum est ager plenus de quo dicitur: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (*Gen. xxvii, 27*), ad procreandum panem, ut legitur in *Psalmo: Ut educat panem*, id est Christum, *de terra* (*Psalm. ciii, 14*), id est Virginem Mariam: attendendum quia ipsa est vitis de qua exprimitur vinum libaminum, ut in *Ecclesiastico* legitur: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Ecclesiasticus. xxiv, 23*). In dissimili rerum specie, ratione probabili assimilamus conceptionem factam in Virginem, sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus seinen suum germinat, sic Virgo Deum, sic Deus in Virgine concipitur et nascitur, solo utique humore terrae et pinguedine gratiae. Ad vietum nostram, id est Virginem nostram, alligatum pullum, id est Filium suum, Pater ostendit, et hanc vitem putavit coelestis Agricola, cum purgavit illam ab omni tam originali quam actuali culpa. Paxillo alligavit, cum Joseph desponsavit; secundavit, cum per angelum salutavit; frondes et folia protulit, cum angelo respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Lucas. i, 38*). Quasi lagunculam vino implevit, juxta Isaiam qui ait: *Decem jugera facient lagunculam unam* (*Isa. v, 10*), quando decem mensibus carnem Christi sacrâ sovit gremiis, et hominem atque Deum verum et perfectum in nativitate mundo edidit. Decem namque jugera, tanquam decem sulcos in vitula Samsonis exaravit, quando Christum suum, qui est finis legis, quæ decem constat mandatis, ad incarnandum Mariæ Virgini destinavit. Vel decem jugera sunt humana et angelica justitia quæ plenaria fuit in Maria: novem siquidem ordinibus distinguitur angelica natura, decima vero

creata est humana. Nihil autem in homine, nihil in angelo collatum aut collocatum fuit justitiae, quod non deflueret pleno gurgite ad thronum gratiae, ut in gratia quiesceret qui in tempore orbem suum sua gratia abundantanter impleret; quam enim præmisit vel attulit gratiam concipiendus, hanc extulit, salva possessione materna, natus plenissime longe lateque eam erogaturus.

Afferamus itaque ad lagunculam plenam cyathos sive scyphos nostros, ut ineptiemur ab ubertate domus Dei, et bibamus vinum quod Virgo vitis germinavit, et quod æque germinat virgines. Non simus dediti vino in quo luxuria est, quod est de uva fellis, et est fel draconum, et venenum aspidum insanabile. Jesus Nazarenus quia Nazareus est, non bibit hoc vinum; et quia vocabitur Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, non faciamus nisi quod viderimus eum facientem, et non sint in nobis schismata. Conceptus certe est et natus de Maria quæ non est divisa, quia Virgo est et una virtute, virginitate, conceptione, prole, dignitate, protestatione, propitiacione et salvatione. Dicamus ergo *Ecce virgo concipiet*, etc., et vocabitur nomen ejus Emmanuel, nobiscum in hac peregrinatione.

Non sufficio cogitare quo habitu, quo sermone et qua lingua ad illam nubem lucidam possim accedere, in qua Jesus non est transfiguratus sed incarnatus, nisi merito et incarnationem illam appellaverim a transfiguratione, cum ille *qui in forma Dei erat non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* (*Philip. ii, 6*). Hæc revera est mirabilis transfiguratio qua non aliud in se transfiguravit, sicut Apostolus in se et Apollo transfigurat quorundam infirmitates, sed se Deum in se hominem dispensatione ineffabili, non amissa, sed reposita forma Dei, et exposita forma servi transfiguravit, vel potius univit.

Mutato itaque, imo mutuato angelico habitu, si fieri posset utcunque cogitare, loqui aut scribere de Domina mea auderem; nam in isto sive proprio sive alieno, sive publico, sive privato habitu quid dicam? cum publicus sit dissolutus, privatus restitus, alienus suspectus, proprius despectus, publicus nescit sobrietatem, privatus ignorat cordis dilatationem, alienus securitatem, proprius timet abjectionem. In publico est filius Belial, liber justitiae, onager in solitudine; in privato servus mammonæ, serviens ventri et gulæ; in alieno filiæ-sanguisugæ quæ dicunt Affer (*Proverbs. xxx, 15*); in proprio, positus sub lege qui dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Roman. vii, 23*); suspensus itaque quid eligam ignoro.

Sed in dubiis tenenda est benignior interpretatio; semper igitur depresso et pavido circumfere oculos, non sursum versus faciem in qua sunt dñe luminaria magna, ultra valentiam oculorum præ-

clara; per quæ subradiabat horis incertis lux lucis et fous luminis, sola quæ gestabant ultra valentiam oculorum præclaram: sed deorsum versus calceamenta filii principis quæ accincta et calceata mundi gloriæ calebat, et angelicam excellentiam eminebat; ubi ad radices Libani oritur fluvius paradisi Christus, qui factus est nobis Dei virtus, et Dei sapientia, justificatio et redemptio. Contrito itaque et humiliato spiritu mussitabo in gemitu meo ad januam Matris misericordiæ, si forte ab ipsa accipiam quod digne de ipsa dicam vel seribam; ratio enim hominis et ingenium succumbendo potius potest expirare, quam dignum aliquid, sine gratia, de plena gratia dicere.

Devolvamus itaque arcam sanctificationis salutis gloriae suæ indumentis, ut quæ soli filio nata superparcamus attingere, et quæ publicæ utilitati sufficiunt venerando tentemus appetere. Est enim in ipsa, et quod sine damno expandat in via; et quod cum gaudio servet in patria, unde hic fovetur devotio, et ibi perfruatur visio. De conceptu igitur ejus et partu assidua fiat commemoratio, quia æterni regni hæc est potior prælibatio; et est dulce super mel et favum, semper in ore et corde habere Mariam et Jesum.

Ecce novus, ecce recens, ecce adhuc in ipsa pendens arbore, tam bene sapidus, quam plene jucundus fructus. Neque enim tempore fit melior, quia omni tempore, non ætate sed creatione est senior. Verbum non maturandam naturam humanaum assumpsit, quoniam assumendo consummate maturavit. Nec crudum aut semicoctum quidquam in ea reliquit. Non enim virtus in homine crevit, quem creando Divinitas perfecte implevit. Etsi ætate et gratia proficeret puer Jesus apud Dominum et homines dicitur, nullum tamen in meritis per tempora augmentum creditur habuisse, quod non haberet ab ipsa conceptione, de qua dicitur: *Ecce virgo*, etc. Crevit autem ætate, dies revera multiplicantando; et gratia, non virtutes ampliando, sed divulgando apud Deminum et homines; sed hoc totum propter homines. Nam apud Deum tantus, et talis fuit in ipsa conceptione; qualis et quantus fuit in sequentis temporis evidentissima manifestatione. Sed præmittit signum quod est et res et signum. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum*: *Ecce virgo concipiet et pariet filium*. Signum aliud est quod datum est de Jesu; et aliud quod factum est a Jesu: utrumque tamen ab eodem Deo, qui fuit ante hominem Jesum, et est homo Deus. Cum enim sine ipso factum sit nihil, nec ipse Jesus qui factus est ex muliere, factus sub lege, sine ipso fieri, vel significari potuit. De illis vero signis quæ fecit Jesus, dicit Nicodemus: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (*Joan. iii, 2*). Hoc enim fuerat singulare, et supra quam credi possit admirabile est, Deum fieri Lominem; merito signa hoc signum prævenire debuerunt: nec enim

subito sed paulatim tam profundæ cogitationis Dei factura mentibus humanis infundi potuit, nec usque ad altissima Dei magnalia subvolaret nisi plumis et pennis suffulta anima.

Suaserat quoque propheta regi Achaz, ut peteret signum in profundum inferni..... aliud.... utique descensioni et ascensioni Domini, quibus incarnationis Dominicæ completur dispensatio. Recusante autem hoc indigno et reprobo, Isaías subjecit, dicens: *Propter hoc*, ipse, quia peccata tua, o Achaz, non merentur præscire mysterium incarnationis: *propter hoc dabit* (o fideles populi!) *signum*. Moyses non respuit signum, nec Gedeon, nec Manue, nec alii plures, quorum fides, licet parvula esset, sicut in Canticis dicitur: *Soror nostra parvula, et ubera non habet* (*Cant. viii, 8*). : tamen integra stirpis nobilitate, et legitima unius Domini propagatione, præsumebat manum ad fortia mittere obedientiae. Spicula rationis amputat fides, omnium adinventionem phantasmata elidit, usum consuetudinarium recludit, impossibilium naturam excludit; et velle atque posse Domini omnia subjicit. Accipit autem signum, non pro sua debilitate, sed pro jussione Dei. Sicut enim juvenis, sanus et validus, baculum in manu tenet, non quo sustentetur, sed quo delebetur: sic fides ad obedientiam non ad dissidentiam, quemodo siant quæ..... comitem [*f. contra communem*] omnium opinionem mandantur, querit. Unde est illud: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc. i, 34*.)

Hoc signum petit in persona Christi David: *Fac, inquit, tecum signum in bonum* (*Psalm. lxxxv, 17*). Mecum, inquit, fac signum, ut Maria mater mea concipiat virgo et pariat, quod signum est in bono, quia de Spiritu sancto, qui est donum Dei bonum. Signum quoque Moysi, quo stabant aquæ maris Rubri hinc et inde quasi pro muro [*f. murum*], significatur Virginis conceptio, in qua nulla est pudoris violatio, sed tollitur tam a corde quam a carne somitis prurigo. Gedeon denique postulat vellus madezieri sicca area, sicut imprægnata de Spiritu sancto sine actu pudoris Virgo Maria. Quid plura? Supra sidera, supra cœlum, supra omnem creaturam hoc signum præcelsius et gloriosius præeminet, quod virgo concepit, quod virgo peperit. *Ecce Virgo*. Quod ait, *Ecce*, videtur mihi oculo et digito propheta in horologio æternæ dispositionis affixisse, et prævidisse atque præmonstrasse unde angelus miraretur, homo redimeretur, Dominus conciperetur. Ecce avertite oculos ne videant vanitatem, et advertite quod factum a Domino; quod est mirabile in oculis nostris, in eadem virginitatem et fecunditatem. Ecce palatum mirificis impensis constructum, sed et gazis incomparabilibus locupletatum; solique Deo Dei Filio locupletatum. Ecce Virgo, ecce vitis, ecce uva, non acerba, sed matura.

Eva fuit uva acerba; Maria fuit uva matura. Nec mirum: illa enim initio sæculi compatiens gulæ,

immatura consideratione proslivit ad ponum acerbum prohibitione; et dentes filiorum needum natorum obstupescere fecit in omni generatione. Hæc autem in fine sæculorum modestissima, rore et sole cœlesti maturata, nec propria [f. præcep] fuit præsumptione, nec tarda quasi putrida incredulitate. Angelus attulit ei florem, dicens : *Ave, Maria;* attulit rorem, dicens : *Gratia plena;* attulit fructum, dicens : *Dominus tecum (Luc. 1, 28);* attulit maturitatem, dicens : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (ibid., 42).* Idecirco more Christiano benedicimus fructus novos antequam gustemus, ne forte dentes obstupescant antiqua maledictione; si cadant sine benedictione. Ecce Virgo; ore, oculis, labiis, digito, pede, manu, corde, mente, carne. Ecce Virgo, quasi aurora inter noctem et diem, inter Dominum et hominem. *Pulchra ut luna (Cant. vi, 9)* dierum, id est virtutum plenitude. *Electa ut sol (ibid.),* gratia, meritorum singularitate. *Terribilis ut castrorum acies (ibid.),* super omnes potestates angelicas et aeras, plena donatio[n]e. Ecce Virgo sapiens, quæ habet oleum effusum in ventre suo cum lampade mirabilium operum; quæ introivit cum sposo; ino, inquam, introivit sponsus, et filius ejus Jesus; tanquam . . . . a cœli palatio, potius horto venustiore, vel paradiſo delicatiore. Ecce Virgo : pia ad infirmos; sancta ad justos; herba fullonum ad immundos; sal ad putridos : scala ad claudos; reconciliatrix ad reos; misericordia ad miseros; portus ad naufragos; turris ad pavidos; domina ad suos; singularis bonitas ad cunctos. Ecce Virgo orientalis porta, per quam solus princeps ingreditur. Ecce Virgo, cella aromatum, cuius verba fragrantia super omnia aromata, quia in nulla virgine Spiritus sanctus tanta immisit spiracula virtutum, quibus odoratus Dominus odorem suavitatis, et angelica implentur thuribula, nostra que incensoria.

## II.

### IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIE.

*Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum, etc.*

Quam sit jucunda et præclara præsens solemnitas, ipsa luminarium claritas, quæ cum processione festiva ad missam tenebitis in manibus, satis sufficienter declarat. Ecce siquidem duo magna luminaRIA ad Patrem luminum, in templo accedunt, quando Maria Jesum offert Patri spiritum. Luminare minus Maria : luminare majus Jesus Filius Mariæ. Pater luminum Deus est, qui Verbum ex utero ante luciferum genuit, et de Matre incarnari in fine sæculorum constituit. Ab ipso quoque sole quem concepit Virgo et genuit, magnum luminare fieri meruit, unde et Stella maris appellatur. Hanc itaque sermo divinus alloquitur dicens : *Adorna thalamum tuum, Sion, etc.*

Sed diligenter animadvertisendum quod Sion ali-

quando accipitur patria cœlestis; aliquando, Virgo singularis; aliquando, Ecclesia universalis; aliquando, anima fidelis. Unaquæque vero istarum suum habet thalamum, in quo sponsus enbat vespera, et mane, et meridie. Si Sion anima intelligitur, mane cubat in ea, quando inchoat in ea charitatem; vespera, quando consummat; meridie, quando inflammat usque ad distillationem ipsius animæ. In Ecclesia vero universalis mane cubavit per fidem patriarcharum ante legem; meridie, per fidem prophetarum sub lege; vespera, per prædicationem apostolorum in tempore gratiæ. In Virgine singulari mane cubavit per annuntiationem angelicam; meridie, per obumbrationem Spiritus sancti; vespera, per partum ejusdem Virginis. In cœlesti thalamo neque mane, neque vespere cubat, sed tantum meridie. Unde in Canticis dicitur : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie (Cant. 1, 7).* Plane ibi est meridies, id est mera dies, quando sol in centro est, pleniorum lucem et calorem reddens, quia in æternitate illa, nullum nubilum vespertinum, nullæ tenebræ abeuntis noctis apparent; sed plena et perfecta claritas visionis gloriæ Dei, plena et perfecta charitas amoris Dei.

Quomodo ergo huic Sion dicitur : *Adorna thalamum tuum?* Thalamus namque ille cœlestis nunquam est non ornatus, nisi forte quando Jesus in cruce passus est; tunc enim quasi depositum ornatum suum, quando et ipse sol superiorem sentiens in virtutibus angelicis mœstitudinem, quodammodo mutavit vultum et habitum, abscondens in sinu suo radios lucis, et faciens tenebras super universam faciem terræ.

Est autem cœlestis ornatus in splendoribus sanctorum, habens diversa ornamenta utique in cognitione pulchritudinis et admirationis; scrica præferens pallia in novem ordinibus angelorum; tapetia varia et picta in meritis patriarcharum, et prophetarum; hyacinthina pallia in conversatione apostolorum; purpurca in sanguine martyrum; crocea in puritate confessorum; byssina in integritate et castitate virginum. Ornatum istum in futuro exspectare debemus, non modo explanare quod non sufficiimus cogitare.

Habet thalamus iste inter illa quæ de terra nostra allata sunt ei, ornamenta pretiosa super omnibus aliis pretiosiera, tunicas illorum qui non inquinaverunt vestimenta sua, virgines enim sunt et sequuntur Agnum quoconque ierit. Nam et de longinqua terra solent ei venire opes, et peregrinæ merces quæ multum charæ sunt in cœlo, animæ utique sanctorum. De sua vero cultura et nativis opibus sunt angelicæ virtutes, quas sola artificis Sapientiæ manus contexuit mirabiliter. Pinge, o anima, quascunque formas venustiores et pulchriores excogitare poteris, et tamen non dico veritatem, sed nec saltem aliquam imaginationem cœlestis or-

natus mutuaveris. *Adorna itaque thalamum tuum, Sion*, quia hoc totum puero Jesu debetur, hoc ejus Matri promittitur.

Inflectamus itaque et visum et stylum ad ipsam Matrem Domini, et de suo ornatu faciat festum Deo et angelis, et hominibus : Deo spectaculum, quando Verbum quod de corde suo eructavit Pater, speculatur, Matris in utero incarnatur, tam non patiens illam suis abesse conspectibus, quam nesciens elongari a Filii amplexibus. Quando enim a Matre Filii sui oculos suos avertet Pater et Spiritus sanctus, cum omnimoda conversione Pater sit in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in Patre et Filio, nihilominus et in Matre et in Filio? O Virgo virginum, quid est hoc? Ubi es? Singulari et quodam modo inestimabili pene immediate accedis ipsi Trinitati, ut si ulla modo Trinitas illa quaternitatem externam admitteret, tu sola quaternitatem compleres; sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit aut poterit quaternitas. Non ergo es una persona de Trinitate quae Deus est, quia variari aut alternari non possunt illæ personæ quae ibi sunt, quia aeternaliter sunt quod sunt; nec etiam quarta ad Trinitatem es, quia quartum Trinitati ad aequalitatem nihil est : quid ergo es? una et prima post Unitatem et Trinitatem, Mater ejus cuius Pater est Deus Pater; Mater ejus de quo procedit sicut et a Patre Spiritus sanctus.

Quæ tanta et talis es, *adorna thalamum tuum, Sion*: illustrissimus hospes ad te venit Pater, Filius et Spiritus sanctus. Explica si quid plicatum habes, propone si quid repositum, accende si quid extinctum, tege si quid humanum : totum deificetur, totum illustretur, totum simplicetur [*f. simpliciter*], ad subministrationem assumendæ naturæ nostræ sanctificetur; ut quod a Verbo de te assumitur, ante sit sanctum quam assumptum. *Adorna thalamum tuum, Sion*, ut nihil sit quod Pater abhorreat, nihil quod Filium offendat, nihil quod Spiritum sanctum rejiciat. Pater de sinu suo collocat Filium suum in utero tuo, Spiritus sanctus sovet et calefacit uterum tuum, et tu quid? *Adorna thalamum tuum*. Abraham non suscepit tales hospites; non Lot, non quilibet sanctorum tales taliter suscepit; et si aliquando ad animas sanctorum Deus ingressus est invisibiliter dono gratiae Spiritus sancti, quando et ad quos ingressus est incarnandus unigenitus Filius Dei? cuius uterus imprægnatus est de Spiritu sancto? cuius caro et sanguis coagulata sunt in carnem hominis Dei? Certe nullius nisi Virginis virginum; nullius nisi Sion, ad quæ dicitur: *Adorna thalamum tuum, Sion*.

Praecularior certe ornatus virginalis uteri quam sidera coeli, mundior uteru de quo præscinditur surculus naturæ humanæ, quam stellifer axis: ornatior mansio virginalis paradisi, quam terrestris illius in quo Adam peccare potuit. *Adorna ergo thalamum tuum, Sion*, quidquid vitii est a te propellendo, et quidquid virtutis est acquirendo et possi-

dendo. Præcipue duobus sterne palliis thalamum tuum, humilitatis et virginitatis, et sertum fecunditatis mutua ab hospite Uno et Trino, imo ab illo qui petius mansionarius est aperte quam hospes et peregrinus: sic Patrem honorabis humilitate, Spiritum sanctum virginitate, Filium fecunditate; satis est, bene ornata es, neque amplius, neque minus in ornatu tuo invenitur.

Jam ad illam Sion quæ est Ecclesia transeamus, et dicamus ei: *Adorna thalamum tuum, Sion*, etc. Tam cumulato acervo gloriæ et splendoris venustatur Ecclesia, ut possem appellare etiam oculos impudicos sola admiratione pulchritudinis, nisi ad lucem cæcos offerret oculos vanitatis et infidelitatis. Pio et religioso fidei oculo lustra diversas mansiones fidelium a Deo peregrinantium, et suspende animum a Babylonicas theatris, si vis intelligere decorum illum de quo dicitur: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae* (*Psalm. xxiii, 8*). Primo attende exuvias sanctorum corporum quæ tam venerabiles sunt in honore, quam fæcundæ et utiles in protectione. Thecas aureas et argenteas preparat eis devotio fidelium, ut quorum vita et conversatio fuit sancta et casta, eorum sit mansio decora et pretiosa.

Vide ministeria angelorum; attende quomodo æmulentur illos illæ dispositiones sanctorum ordinum, ut quod ab illis impletur vera manifestatione et manifesta veritate, ab ecclesiasticis ministerialibus imitetur saltem fideli et pia obumbratione. Quid enim exorciste? quid cantores? quid lectores? quid acolythi? quid subdiaconi? quid diaconi? quid sacerdotes? quid episcopi? quid archiepiscopi? quid summus et universalis episcopus? Nonne choros castrorum faciunt isti, de quibus dicitur: *Quid videbis in Sunamite, id est Ecclesia, quæ est coccinea per fidem passionis Christi, nisi choros castrorum?* (*Cant. vi, 12*.) Juxta religionem namque angelorum et admirationem [*f. administrationem*] illorum, totam ministrorum suorum conponit Ecclesia militiam, unde etiam orat: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. *Adorna itaque thalamum tuum, Sion*; non contemptibiles personas in ministeriis Ecclesiae præficiendo, sed quorum vita luceat super terram, quorum prædicatio audiatur in omnem terram, et quorum doctrina fulgeat ut sol et luna.

Considerate decorem Ecclesie in baptismatis ablutione, in chrismatis inunctione, in corporis et sanguinis Domini consecratione; in multis aliis quæ planius est quotidie videre quam modo exponere. *Adorna itaque thalamum tuum, Sion*, digne et fideliter sacramenta ecclesiastica contrectando, sapienter et cligendis et præficiendis rectoribus providendo, regulariter et pie viveendo, fidem servando, veritatem tenendo, pacem persequendo. Plura de ornatu Ecclesiae diceremus nisi ad finem tenderemus.

Jam ad Sion illam quæ dicitur anima fidelis parumper sermonem vertamus, et sic finem faciamus. Petere et mutuare decorem suum et ornatum thala-

mi sui debet anima a Deo, ab Ecclesia, a Scriptura divina. In Scripturis namque quasi in speculo formam suam speculari debet, et cum invenerit aliquid nigredinis vel turpitudinis in habitu suo, ad sacerdotes Ecclesiae concurrat, et de lepra remedium quærat. Deinde a Domino qui fecit cœlum et terram, ultimam absolutionis manum suppliciter postulans non recedat donec sanitatem recipiat. Lavet se in confessione, reformat in satisfactione, componat in oratione, adornet in mandatorum observatione. O anima, *adorna thalamum tuum, et suscipe regem Christum amore, honore, fide, sacramentorum perceptione, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

## III.

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA I.

*Sume tibi librum grandem (Isa. viii, 1).*

Meus divina liber grandis est; in eo sunt plura volumina sententiarum, sermonum et actionum summæ et adorandæ Trinitatis Dei. Ibi prædestinatio nondum existentium, ibi creatio jam ad esse prodeuntium, ibi distinctio bonorum et malorum; ibi bonorum electio, malorum reprobatio, ibi vocatio prædestinatorum, ibi justificatio vocatorum, ibi glorificatio justificatorum, ibi præscientia peccati Adæ, per quod introivit mors in mundum; ibi Virginis Mariæ præparatio et Verbi incarnatio; ibi humani generis reparatio et anissæ felicitatis recuperatio. In Apocalypsi et in Isaia signatus est liber iste, et Ezechiel expanso illo cibatur. In ore quidem habet mel; venter autem ejus amaricatus est, quia cœlestium bonorum jucunda est possessio, sed dura negotiatio. Job in humeris suis offert illum judici; gratias agens de collatis sibi beneficiis. Esdras legit in eo distincte et aperte super gradum ligneum crucis; ubi miles latus Christi lancea aperuit; et in sanguine et aqua, accensa sunt omnia Christianæ fidei luminaria, ut nihil esset opertum, quod non revelaretur. Paulus de hoc libro audivit arcana illa quæ non licet homini loqui, sed admirari, unde ait: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! (Rom. xi, 33.)*

De hoc libro angelus Gabriel missus a Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen Virginis Maria, epistolam detulit, cuius talis est salutatio: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, etc. (Luc. i, 28.)* Revera hæc paginula de corpore illo libri grandis est Novi ac æterni Testamenti sumpta, publicum et commune omnium continens negotium, et illam, cui destinatur, affluent gaudio laetificat; et nos de quorum liberatione agitur, in diem solemnum non indecenter excitat. Stupendum dictum imo causa dicti scrutanda, et singulis diebus atque horis, cum tota fide et devotione veneranda: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Quid proinde gratiae deesse potuit, ubi totus sancti Spiritus alveus, cum septem rivis suis, coadu-

ratus tanquam in utero virginali, mansioneerium meatum fecit? Totus namque cum Verbo incarnato accessit; sed eo nato non abcessit. Habitavit quidem in Filio tota ejus plenitudo divinitatis corporaliter; sed et in Matre præ omni alia creatura plene et singulariter. Visne haurire ex putco virginis, peccatis tuis indulgentiam, temptationibus medelam; flagellis temperamentum; insidianti adversario repagulum? Hydria plena est usque ad summum, nec deficit hydria farinæ; et lecythus clei non minuitur ab hora suæ conceptionis, usque in hanc vel ultimam præsentis sæculi diem et horam. Miserrime, infelicissime ideo Christus balsama gratiarum suarum refudit copiosa benedictione huic lavatorio peccatorum, ne procul abesset subsidium lapsibus suorum fidelium, sed de facili et incontinenti impulsu redires, dejectus resurges, serpentinò morsus veneno, non desperares.

Denique in hac plenitudine gratiae, tanquam in balneo Dominus salutem nostram operatur, emundans lepram Naaman, id est Adam, aquis istis Jordanicis, naturam separatam a culpa; induens stolam primam, et expediens compeditum liberum arbitrium per fidem et cooperativem gratiam. Vocatur enim Filius virginis: *Velociter spolia detrahe, cito prædare (Isa. viii, 1).* Spolia quibus expoliatus est homo ille qui descendebat a Jerusalem in Jericho, et quia a malignis raptoribus sunt sublata, et poenalibus latrociniorum suorum repositoriis consignata, fortior ille armatus et potens in prælio, mox hospitium virginale ingrediens, vindicavit; et malefidei possessori detraxit; quando et sibi uniendo naturam nostram sanctificavit, et sanctificande univit: *Velociter enim currit sermo ejus (Psal. cxlvii, 15), citius et facilius sua omnia comprehens opera, quam aliquis homo sua verbo proferat cogitata.*

Sed quis est stylus hominis? Stylus altera sui parte acuta imprimet quoslibet characteres ceræ, aut cuilibet molliori materiæ: altera plana, quod displicet, complanat et delet. Hoc Jesu officium fuit in carne mortali, eradicare utique vitia et virtutes plantare. Vocaberis, inquit Isaías, *adficavit sepium, avertens semitas iniquitatum (Isa. lvm, 12).* Vide stylum pungente: *Penitentiam agite (Matth. iii, 2).* Vide delentem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum (Luc. vii, 47).* Et item deprehensæ in adulterio: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Nemo, inquit, Domine. Nec ego te condemnabo (Joan. viii, 10).* Pupugit etiam stylus iste hominem ut rediret ad se, dicens peccanti: *Adam, ubi es? (Gen. iii, 9.)* Pupugit post peccatum dicens: *Pulvis es et in pulvere revertaris (ibid., 19).* Denique sigillo totius honestatis fracto, cum irreverenter et incontinenter peccando corrupisset omnis caro viam suam, tactus dolore cordis intrinsecus, complantare volens omnem Scripturam generis humani, ait: *Delebo hominem de sub cælo (Gen. vi, 7).*

Sed mira misericordiae recordatus; et mitius volens incarnatus pungere; utique ad poenitentiam, non ad punientiam planam commutavit, ut in homine peccatum deleret, et naturam servaret. Omnia siquidem quae in Ecclesia celebrantur sacramenta, uno suo effectu, quidquid homo stultitia, id est infirmitate seu etiam malitia sua male scripserit complanare; cum Dei gratia prevalent, ne exigantur in judicio, quae ante judicium cum fletu peccatoris complanaverit sacramentalis operatio. Nam hujus styli Scriptura talis est: *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Velox divina bonitas ad remissionem, tarda ad severitatem. O quoties minatur ne feriat; quoties verberat ne occidat; quoties temporali morte præripit innocentem, ne perdita innocentia cum descendentibus in lacum projiciat! Avertit faciem suam ne videat peccantem; videns iniquitatem disimulat, exspectando correctionem. Jam in cruce et morte posito latroni, extremæ voci in confessione, æternæ repedit præmia vitæ: *Amen,* inquit, *dico tibi, hodie tecum eris in paradyso* (*Luc. xxiii, 43*). O summa pietas! quot millia annorum non sufficerent expiare animam latrociniis pollutam, si districte cum ea ageretur, et tu nec annum ponis, nec mensem, nec saltem alterum diem; sed: *Hodie, inquis, tecum eris in paradyso.* Abeant sibi crudelia hominum edicta, evanescat pharisaica justitia, quae omnia gravia et importabilia imponunt in humeros hominum; *digito autem suo nolunt ea movere* (*Matth. xxiij, 4*).

Misericordia enim, qua plena est terra, digito suo, et brachio in cruce passione propria, affixit omnia ad Deum conversorum peccata, ut alleviaretur humana natura, per ipsum redempta, a cunctis oneribus suis, quibus a peccato Adæ tanquam fenore grandi oppressa, solvere debita non prævalens, in extremis agebat. Clementiam illam non exspirasse credimus, sed semper miris et novis successibus, continuatam ad nostra, et ad futurorum sæcula, tamen novam segetem de hoc agro, in horreis empiternis evehat; seminando gratiam, rigando per evangelicam doctrinam. Dicamus itaque Filio hominis, Filio Virginis: *Velociter spolia detrahe, vestigiam pellem nostram,* quam de peccato primi parentis contexuimus, et quotidie deterius vivendo multis actionibus corrupimus, *cito prædare,* ut de potestate diaboli nos eripias; et qui odio habes rapinam in holocaustum, non rapinam arbitratus es esse te aequalem Deo. Fac de nobis rapinam, ut charitate violentissima, nos a nobis exnas, et eodem loro constrictos, ad te pertrahas; Qui vivis et regnas, etc.

#### IV.

##### IN ANNUNTIATIONE DOMINI II.

*Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis* (*Cant. vii, 2*).

In libris sive thesauris nunquam fallendæ prædestinationis, præcipue singularem, et singulariter incomparabilem thesaurum sapientiae et scientiae

sue Deus in B. Virgine Maria ab æterno congesit; in fine sæculorum resignavit; sine fine in summa celorum arce collocavit: ubi opes hactenus nulli communicatas intromisit; ubi omnium pretiosorum lapidum gloriam insignissime conglomeratis, ad complementum totius honoris et supereffluentis magnificentiae, se ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, annumeravit. Cherubim igitur gloriae obumbrantia propitiatorum, adjunctis sexaginta ex fortibus Israel, ad hunc thesaurum sive lectulum suum custodiendum deputavit; atque ut solis fidelibus, et devotis sibi viam propalarent, mandavit.

Ad limen itaque hujus sanctuarii, alis submissis per humiliatem; et capite ad collum retorto per continuam devotionem prædicantes gloriam Dei, et venerantes scabellum Divinitatis adoremus, quoniam sanctum est. Quidquid in ea appareat, quidquid latet, sive quod in ea natum est, quia de Spiritu sancto est. Joseph tanti solis vix fert splendorum, tanti mysterii vix sustinet admirationem; ante fenestras stat tremulus, pedem inferre recusat castissimus; opprimitur enim gloria majestatis ejus, quam videt Deum præoccupasse, et solis usibus suis signasse et assignasse. Denique angelico certificatur alloquo, nullum incurrens dispendium de dilatatione fidei, quam non concepit nequitia mentis, sed immensitas operis. Non enim veritati opposuit pressulm dissidentiae, sed incrustabili consilio maluit se non ingerere, et exspectare a longe exitum rei, quae cludebatur sub signaculo fidei. Quod si Joseph vallatus auctoritate maritali, dominam et conjugem suam a limine salutat, appropinquare trepidat. Quid ego in anima immundus, carne pollitus, quibus labiis nominabo, quibus oculis videbo illam, quæ refringit etiam puras sanctorum acies; quæ pulchra ut luna, electa ut sol (*Cant. vi, 2*), angelicos quoque exsuperat fulgores et splendores? Sed perfecta caritas foras mittit timorem (*I Joan. iv, 18*); sed præcedens devotio extenuat præsumptionem.

Rejecto igitur in nominatione umbilici consuetudinario, et vulgari cogitat, cum debita reverentia ingrediamur sanctuarium Dei, et eo affectu loquendo contingamus in Virgine nostra, membra quae in aliis dicuntur in honesta, quo rapimur cum tractamus angelica ministeria, et ipsius Dei intellectuahia membra? Dicat igitur de Domina nostra Sapientia in Canticis: *Umbilicus tuus crater tornatilis;* et excipiat dictum sacramentale mens casta, puro corde et sensibus castissimis. Notandum autem quia umbilicus saepe in Scriptura nominatur. Alibi umbilicus terræ (*Jud. ix*); alibi umbilicus ollæ, qui non est præcisus in die nativitatis ejus (*Ezech. xvi*), et alibi fortitudo Leviathan dicitur esse in umbilico ventris ejus (*Job xl*); et hic: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Postpositis vero terræ, et ollæ umbilicis, attendamus in Leviathan umbilicum malitiæ; et in Sponsa umbilicum gratiæ; quatenus malitiæ excusum, gratiæ occursus com-

pescat, et vincat sapientia malitiam, naturæ humanae damna resarcendo, et opera malitiæ destruendo.

Ubi ergo prima species mali post peccatum in primis parentibus apparuit; ibi sedem et principatum misericordissima gratia in B. Virgine collocavit; a refacto enim et siccato usque ad primam innocentiae castitatem (quæ nuditatem non erubuit, nec in membris se habere putavit quod esset velandum aut verendum) forte libidinis et luxuriæ, qui pleno gurgite in filiis Adæ superefflubat, donec rosa nostra in Jericho plantata, hiemales destituit paludes; extunc a throno gratiæ procedens fluminis impetus civitatem Dei, id est Dominam nostram lætificavit; sic in ea extinguens libidinosum ardorem, ut conservaret inauditam seculis fecunditatem. Sic enim area sicca, vellus madefactum est, ut in carne virginali vitio subtracto corruptionis, eadem Virgo gigneret pretium nostræ redemptionis. Quod manus creatrix naturale indiderat visceribus et membris Evæ ne cum corruptis, mulierem videlicet conceperre sine ardore libidinis, factu impossibile reputabat usus generandi; elicuit autem vim illam secretissimam de abditis naturæ, obumbrante Spiritu sancto, Virgo Dei genitrix in umbilico suo confringens virtutem serpentis antiqui, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam in utero concipiens, non ex concupiscentia viri, sed ex gratia Dei.

*Umbilicus* ergo iste est crater; quia uterus virginalis plenus vino Divinitatis, sicut crater, divinis potionibus aptus est. Unde in Psalmo: *Calix in manu Domini, vini meri plenus misto* (*Psal. LXXIV, 9*), id est hominem Deo. *Tornatilis*, quia juxta primam tornationem, id est creationem, castitatem habuit, et supra consuetudinem toro immaculato, Virgo et Mater Deum et hominem genuit. Crater est, id est scyphus Joseph in quo augurari solet; dum tanquam quodam augurio vires mirabilium suorum experiri coepit, ille qui facit mirabilia magna solus in virginali conceptu; ubi unum fecit supra natum, alterum vero supra omnem scientiam. Supra naturam etenim est, virginem concipere; supra omnem scientiam, Verbum humanæ naturæ indissolubiliter coniungi. *Tornatilis* est crater iste, quia in omnibus Deo complacuit; in omnibus divinis mandatis obedivit, in omnibus irreprehensibilis fuit.

Manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, tornaverunt et formaverunt craterem istum. Unde in Psalmo loquitur: *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu* (*Psal. cxviii, 73*). Vere totum in circuitu, quia tornatilis consummatione legis; in æmulatione angelicæ puritatis; in dilatatione cordis; eatenus ut contineret Deum quem non capiunt cœli cœlorum; miro modo versa vice et Deus suis circulis inclusit craterem istum, creando Virginem sanctam, sanctiorem operando, sanctissimamque semper conservando: et ipsa utero incarnatum Deum gestavit, et natum non semel beatissimis brachiis continuit.

Irrigata igitur de plenitudine plena gratia, inundatione rivulorum suorum angelicas virtutes debriavit, divites implevit, pauperibus absque argento, et absque ulla commutatione pocula induxit. Est enim nunquam indigens..... hæc est illa Rebecca, puella nimis pulchra, quæ deposita hydria de scapulis, ad aquavit non solum servum Abrahæ, sed etiam camelos. *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa. LV, 1*), de fonte et puteo Salvatoris, de quibus ipse bibit et omnis familia ejus. Plane inebriatum Deum reputo, propter exinanitionem, et nudatum vestimentis gloriæ, quia habitu inventus est ut homo; quando cerva gratissima gratissimum hinnulum inter ubera sua vino purissimæ et sincerissimæ conversationis illectum, et attractum collocavit; et præ vini dulcedine, pauperem factum, oculis nostris opposuit.

Denique omnes familiæ gentium, hujus Agni sanguine redemptæ, lotæ et potatæ, dederunt vestimenta sua, id est corpora sua pro vino isto, bajuantes crucem, tanquam botrum in vecte, et lavantes in vino stolas suas, quas Benjamin a Joseph accepit quinque, propter configurationem corpori humilitatis nostræ, corpori claritatis Dei. In convivio illo meridiano inebriatus est Joseph eum fratribus suis; quia plenum in resurrectione gaudium, cum Deus erit opinia in omnibus, nemo tollet a coheredibus Christi, et consortibus regni ejus.

Interim vero *Umbilicus crater tornatilis est, nunquam indigens poculis*, quia Domina nostra gratia plena, humanis nostris defectibus compatiens, apothecas suas nunquam claudit; nunquam miseris patrocinari desistit; nunquam vota humilium spernit; nunquam vultum supplicantis a propitiatorio, pro peccatis populi Christiani deflectit. Laboras forte in peccatis et desicias? sed ecce ad ostium exspectat Mater misericordiæ, intendens cui venas exponat auxiliis. Quærendo Christum per plateas et vicos civitatis discurris, et non invenis? Sed ecce benignissima illa, quæ filii sui omnia diverticula ad plenum novit, occurrit et dicit tibi: Ecce hic filius meus, ecce illic. Draco rufus habens iram magnam, malignitatis suæ agmen adversus te congerit, aperta persecutione, vel occulta tentatione? Sed ecce potentissima auxiliatrix occurrit, mediis castris se opponens, et umbraculum super caput tuum in die belli faciens. Quacunque moestitudine pulsatus, humiliiter et fideliter Dominam nostram adieris, nunquam derelictus, nunquam non laetus, nunquam non consolatus redibis.

Nunquam ergo indigens poculis, vel excusat se de inopia, vel abstinet succurrere præ avaritia. Quid nunquam indigens poculis? Plane quod dicitur: *Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia* (*Sap. vi, 15*); quod arca de imputribilibus facta est: quod ignis perpetuus in altari; quod charitas nunquam excidit; quod oleum de capite justi non deficit; quod felium non defluit de ligno, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod apo-

stolis dicitur : *Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (Joan. xv., 16).* Quod farina Sareptenæ non defecit, et lecythus olei non est immunitus; quod denique gratia Spiritus sancti, nec angustias patitur, si omnibus diffundatur, nec amplior invenitur, si rarius sumatur.

Sed cuius saporis, cuius qualitatis, cuius quantitatis, cuius pretii sunt pocula ista? Cœlum utique et Spiritum sapiunt. Alba, nigra et sanguinea sunt; vasorum capacitatem excedunt, et pretium superant. Quid enim aliud saperet plena gratia, nisi gratiam? obumbrata et impinguata Spiritu sancto, nisi Spiritum rectum, nisi Spiritum sanctum, nisi Spiritum principalem? Quid casta, nisi album vinum? Quid humilis nisi nigrum? Quid amans nisi rubrum vinum potat et propinat? Quid avarus inestimabiles divitias pugillo recludet, cum misericordia nec meritum attendat nec modum. Seipsam enim gratia et misericordia extingueret, si modum et meritum accipientis non vinceret. Non habet prætium, unde procedit omne meritum, Jesus filius Virginis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

## V..

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA III.

*Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; et benedictus fructus ventris tui (Luc. i., 28).*

Plenus malitia, et vacuus gratia, qua temeritate præsumo attentare aliquid proferre de plena gratia? Sed plena fide eerto fundum conscientiae; et effundo usque ad fæces venenum malitiae, ad pedes gratiae. Ego quidem, o Domina! fundo mea crima, de mala redundantia; tu in vase vacuo refunde de tua plenissima gratia. Tu illa es puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro, qua ad fontem jam descenderas, et onusta redibas, cum tibi occurreret Gabriel archangelus nuntius deferens de desponsatione contrahenda inter te et Isaac filium Abrahe; quas tibi detulerit inaures aureas, quas armillas, non ignorant qui te in vestitu deaurato intuiti sunt astantem a dextris regis Filii tui.

Potum aquæ petiit, tribuisti; insuper et camelos ultronea adquasti: hoc exemplo non vane admonitus, nullatenus etiam propter enormitatem scelerum meorum de tua gratia despero, malorum per te sperans correptionem; bonorum resoscillationem. Et quid dicam, fratres, de Domina nostra? nisi quod gratia plena, omni potenti se tribuit, in manu et potestate habens thesauros cœlestes, et profundum divitiarum Dei semper penetrans et erogans; nunquam tamen minuens, aut evacuans. Adhuc in carne mortali, mortalium indigentiam noverat et portabat; et tamen cellariorum et horrei cœlestis apothecas pro libitu propinabat, et quibus vellet distribuere poterat.

Sed tempus jam est, alterum hujus solemnitatis puteum aperire, et potu salubri ex eo astantes et attendantes vos resicere. Nolo autem fraudare vos desiderio vestro, et tollere animam vestram; si diu-

tius exspectatione fastidiosa tenuero fraternitatem vestram; tanquam ego datus sim vobis aquam vivam, tanquam resignationis lapidem signatum in ore putei; non hoc attentabo, ne ruam in abyssum; si posuero os meum in cœlum. Quis enim alius resignabit, nisi qui signavit, clavis David quæ aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit (*Apoc. iii.*). Certe hoc est illud magnum mysterium a sæculis absconditum. Haec sunt illa incerta et occulta sapientiae Dei, quæ Prophetae manifestata sunt, cum ei dictum est : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal. cxxxii, 11).*

Fateor de magno negotio magna exspectatis, sed quasi jamjam incipiet decrescere et rarescere flamma desiderii vestri, nisi talia apposita fuerint, quæ advenientibus undecunque ad missam istam sufficiant, et solemnitati respondeant, et vestro appetitu satisfaciant : *Ave, Maria, gratia plena.* Nihil dormitet in sensibus vestris, sed evigilata intentione, vigilanter quæ dicuntur intelligite; de cœlo enim verba ista allata sunt, nec a parte qualibet cœlorum, sed a summo cœlo egressa sunt, et in ore tanti nuntii posita, qui præ sapientia sua non solœcizet, aut deficiat in verbo; præ fidelitate non mutet, aut abscondat quæ injuncta sunt: præ potentia non timcat aerias occurrence; præ familiaritate de Patre ad Matrem futuram, Filium ab æterno de Patre consubstantialiter genitum, novo genere concipientum et nasciturum deserat; præ humilitate Domini nam suam reverenter salutet.

Nuntii hujus prærogativam assignata legatio præclare designat. Legationem legamus et intelligamus. *Ave, gratia plena.* Non jacet ista salutatio. Vacare, non jacere debemus ad investigationem ejus, quæ quidem tam piena est; ut nec quidem cœco sit offendiculum ea, sed et tam profunda, ut nec remiges cœli, eam transvadare queant. Si simpliciter gradiaris, curre, et currendo intellige, quia plena est gratia Mater Domini, et benedicta in mulieribus, et Dominus cum ea; si profunda vada quæris, ut videas mirabilia Dei in profundo, et in aquis vehementibus, intra rimando epistolam cœlestem, et qualibus litteris, qualibus coloribus depicta sit, tam in titulo quam textu, potius mirari, quam comprehendere poteris.

*Ave, Maria, gratia plena.* Illic est titulus *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Hic quoque est textus. Satis autem de titulo et textu qui de scribiis cœlestibus digito Dei scripti, ad nos effluxerunt. Summam possumus recolligere libri nostræ redemptionis; de quo in Isaia dicitur : *Et dabitur liber nescienti litteras, et dicetur ei : Lege. Et respondebit : Non possum : signatus est enim liber (Isa. xxix, 12);* scriptorum cœlestium litteras nos terrigenæ nescimus, quia plurimum notæ illæ a nostris distant, et est nobis tam ignota Scriptura, quam incognita lingua.

In libro ergo prædestinationis, legere nostræ redemptionis mysteria non potuimus, quia talibus

litteris non studimus, neque consuevimus. Prophetæ autem et patriarchæ, summi quidam angelici spiritus, qui didicerunt quidem litteras illas, et ad plenum, non tamen capere poterunt effectum incarnationis, quandiu clausa fuissent sigilla in Apocalypsi; et ideo etiam ipsi dicebant se non posse legere, signatus enim erat liber; hunc librum intitulavit: *Gabriel missus in civitatem Galileæ, cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Ave, inquit, Maria, gratia plena.* Bene illustrat titulus iste materiam sequentis operis. Et si per sœcula humanus sensus elaborasset adinvenire verbum bonum, verbum consolatorium, tam aptum in principio nostræ redēptionis, non commendasset.

Non ex commentariis nostrarum adinventionum fabricari potuit hoc exordium verborum nuntii angelici; sed de corde Patris eructuatum, labiis angelicis est ad virginem delatum et prolatum. Sed quid est: *Ave? Pax tecum;* qui pacem non amat, anathema sit. *Ave. Quid est Ave? sine vœ.* Quis est sine vœ? Maria. Quare? quia *gratia plena.* *Ave,* id est sine vœ; id est pax tecum. Quid est sine vœ? Quid est pax tecum? Vœ Adæ, vœ Evæ, sed Mariæ, *Ave.* Adam in labore; Eva in conceptu habet suum vœ. Spinas et tribulos profert vœ Adæ; dolores et ærumnas vœ Evæ. Eva in utero includit suum vœ. Sed quid est vœ? interjectio dolentis. Vere interjectio, nam inter mandatum Dei et peccatum Adæ, ista interjectio accidit. Interjectio utique dolentis de bono quod perdidit, et de malo quod invenit. *Tribulationem et dolorem inveni (Psal. cxiv. 3);* quod est vœ, unde est vœ. Sed Maria nescit interjectionem dolentis, quia excepta est a regula universitatis. Singularis enim est tam gratiæ quam meriti, tam virginitatis quam fecunditatis, tam conceptu quam partu, tam angelica salutatione quam deifica prole.

*Ave ergo, sancte angele, cui loqueris?* quod est nomen ejus? Estne in cœlis scriptum, agnatum et nominatum? Novi, inquit, eam ex nomine. Quod est nomen? *Et nomen virginis Maria.* Hoe nomen benedictum et exaltatum in omnibus sœulis; adorandum et colendum gentibus, tribubus et populis. O nomen nominabile! o nomen venerabile! o nomen semper nominandum in periculis, semper invocandum in angustiis! o nomen sanans palatum se nominans! o nomen lingnam gratificans se appellantem! o nomen lœtificans se nominantem! Maria, ridet cœlum, cum audit Maria. Exsultat anima, tranquillatur conscientia cum audit Maria. Fugit tentatio, si fideliter reciprocatur Maria. Tempestas quiescit, si jusserrit Maria: unda stat, si nominata fuerit Maria.

Sed quid est Maria? maris stella. Quid est Maria? illuminatrix. Quid est Maria? domina. O Maria, o maris stella, o illuminatrix, o domina. O maris stella, non timet naufragium qui ad te potest ha-

bere confugium; non incurret Carybdim et Scyllæ voraginem, qui te habuerit propitiatrix. O illuminatrix, secure transibit per umbram mortis, quem tu illustraveris, quem tu præibis. O domina, ego servus tuus, non semel, sed iterum ego servus tuus; nec secundo tantum, sed tertio filius ancillæ tuæ, a progenie in progenies ego servus tuus; ego mancipium, ego subsellium tuum, ego scabellum pedum tuorum. Si tempestas ingruerit, o Maria, maris stella eris; si nox tenebras induixerit, illuminatrix. Si me in servitatem aliquis malignorum spirituum, per negligentiam meam proclamaverit, tu mihi vera et sempiterna domina, vindica me in tuum, excusa me ut tuum, libera ut tuum.

*Ave, Maria:* in palatio æterno, in superliminari templi, in fronte tabernaculi, anditum est et scriptum nomen quod non delebitur, nomen quod describetur a generatione in generationem. *Ave, Maria, gratia plena.* Plenaria infusio venarum divinarum, quarum emanatio utrem, imo uterum virginalem implevit, ut congregaret Dominus sicut in utre aquas maris. Et sieut appellavit congregations aquarum maria, sic virtutum coadunationes in virgine Maria. *Gratia plena,* non eaperet, non conciperet Jesum, nisi *gratia plena.* Semper enim Jesus natavit apud Patrem in mari copiosarum deliciarum. Præmisit ergo matri eamdem navem in qua natare consueverat, et alluvione gratiarum alveum ejus implevit, ut merito diceretur *gratia plena.*

Alveus iste gratiarum per diem sole adurente non siecatur, nocte quoque, lunari consumptione non minuitur. Adustio solis eam non penetrat, nec detraetio lunæ devastat. Non enim *gratia plena* esset, si gratia illa pereflueret, vel mobilitate propria non consistens apud virginem, vel qualibet rimula negligentiarum a virgine resiliens. Plenitudo igitur gratiæ, gratia plenam facit; et sic in lectulo suo habet, et quo caput reclinaret, et quo pedes protenderet divinitatis. Eece ego sto juxta fontem aquæ, igitur, puella, da mihi bibere, quia superabundas dono donandi et voluntate largiendi. Si voluntatem dandi haberes, et quid dares nihil haberes, non esses *gratia plena*, sed dimidia; iterum si haberes quod dare posses et dare nolles, non esses *gratia plena*; adhuc amplius si haberes et dare velles, sed sine licentia non auderes, non esses *gratia plena.* Quarto etiam si haberes, et dare velles, et sine licentia posses, sed detrimentum timeres, non esses *gratia plena.* Quinto denique si haberes, si dare velles, et posses, et defectum non timeres, sed non cuilibet dare posses, non esses *gratia plena.*

Quæ igitur habes quod des, et voluntatem habes dandi, et potestatem cuivis sine timore damni, da mihi aquam de hydria tua, ut bibam: *gratia enim plena* es. Adeo plena, ut in scapula sua plenam de fonte ferentem occurrit servus Abrahæ, forte ut biberet cœlestes virtutes, quæ nos transeendunt ab humero, gloria, honore et felicitate cum Deo.

jam regnandi, sed deposita pueris haec hydriam in ulnis suis cum audivit, pauxillum aquae ad sorbendum mihi praebet de hydria tua, quia sanctorum in hoc saeculo laborantium desideriis clementer accurrit, et sitim eorum suis auxiliis extinguit.

Tertio denique *gratia plena* vere de superabundanti gratia camelos non petentes, sed desiderantes potat, in canalibus effusa aqua, quia sicut filiis corvorum invocantibus eum Dominus dat escam. Praevenit enim in benedictionibus dulcedinis quosdam peccatores Deus; praevenit et Maria in respectu auxilii quosdam peccatores, ut antequam petant accipiant. Ecce *gratia plena*, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ecce paradisi flumina irrigant universam superficiem terrae. Ecce diluvium aquarum multarum. Ecce fluminis impetus latificat civitatem Dei. Ecce *Maria gratia plena*. Ipsa apud Filium suum pro nobis interveniat; ut de gratia Mariæ, gratiam accipiamus filii Mariæ, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia, etc.

## VI.

### IN ANNUNTIATIONE DOMINICA IV.

*Ave, Maria, gratia plena.*

Vascula nostra priori sermone tanquam oleo infusa; non eo deficiente, sed gratiosius adhuc redundant ejus liquoris gratia, vasa hesterno die defuerunt, quæ caperent superinfusionem illam quæ adhuc stillabat. Mutuavimus ergo vasa vacua non pauca; et hodie deferimus ad fontem olei, præsumentes quod si tam sapida fuit aqua de fonte aquæ; quale volcum erit de fonte gratiae? Pernoctavimus certe, et quia meridiati sumus inter duos acervos, quorum unus est: *Gratia plena* alter: *Dominus tecum*. Quid est hoc? hinc inde fons vite profluit. Sed quia de *gratia plena*, etsi non plenam, saltem quantulumcunque gratiam prælibavimus. Ad *Dominus tecum*, mansionem faciamus; et exinde quod Dominus dederit, eloquamur.

*Dominus tecum*. Nisi repetitum, nisi recognitatum, nisi masticatum, non sapit quod sapit *Dominus tecum*. Morigera ergo consideratione versans atque reversans in ore et corde, quid dulcedinis, quid saporis retineat *Dominus tecum*, noli sicut stultus semel totum deglutiire *Dominus tecum*; sed in dies et annos repone tibi partes, et eis qui non præparaverunt sibi. Si diceret archangelus Dominus mecum, verum diceret, et satisfaceret de fide nuntii; quatenus non hæsitaret credere nuntio, cum quo Dominus esset. Rursum si diceret Dominus secum in coelo est; et ejus nuntius ad te in terra descendo; verum similiter diceret, et mittentis auctoritatem commendaret. Tacito ergo quod verum quidem, sed non novum, nec mirum erat, protulit quod verum, et novum, et mirum erat.

Verum quia sicut erat prædestinatum, sic jam fuerat implendum. Novum, quod utique solum sub sole factum est novum. *Nihil*, inquit Scriptura, sub sole fit novum (*Eccle. i, 10*). Sed loc novum novo-

rue, et omnium novitatum sub sole factum est novum, quia neque in coelo, neque in terra, ortum vel auditum fuit tale aut tantum novum. Tale non fuit, quia non simile. Tantum non fuit, quia, etsi aliquando aliquid novi contingit, non fuit tamen illud novum tantum. Quale est hoc novum? *Verbum caro factum est (Joan. i, 14)*. Quantum est hoc novum? Exsuperat procul dubio omnem sensum. Quantum, inquam, est hoc novum? Etsi non potest dici illud quantum; dicendum tamen est aliquid de illo; non quantum sit, sed quantum credi et capi possit.

Fit homo Deus, et Deus homo: nihil mirabilius, nihil factum est majus. Quam mirabile est Deum hominem fieri, tam grande est hominem in Deum assumi. Indicibilis est illa Dei exinanitio; ineffabilis est hominis sublimatio. Non potuit Deus ultra exinaniendo se humiliare, non potuit Deus hominem ultra se sublimare. Quasi igitur amplexu firmo nraque natura Dei, scilicet, et hominis copulantur in utero Virginis; ubi ille magnus Propheta contraxit se ad mensuram parvuli; et solum Dei inclinavit se ad profundum nostrum; nostrumque profundum excrevit ad solum Dei excelsum et elevatum.

Sed quis in hoc adjuvit Spiritum Domini, nisi Maria? Quis expensas subministravit laboranti nisi Virgo virginum, quæ carnem et sanguinem, de intactis et sacrosanctis visceribus incarnando Verbo pro nostra reparatione præparavit, ideo ad eam dicitur: *Dominus tecum*. Sine te quidem Dominus, per se solum, hominem creavit, sed tecum, et in te, et ex te reparavit. Tecum quidem, quia naturam divinam in humanam non confundit. In te, quia in utero tuo copulam illam univit. Ex te, quia in carne de te sumpta, passionem consummat. Honor tibi, quia tecum. Amor, quia in te. Compassio seu congratulatio, quia ex te. Compassio quidem pro pena mortis. Congratulatio pro gloria resurrectionis.

Honorabilis ergo, amabilis et laudabilis es, quia salutis nostræ cooperata es, quia officina salvationis facta es, quia causa et materia solvendi pro nobis debiti a te suscepta est. *Dominus tecum*. Multum ad te, et ad omnem creaturam, ut sit cum Domino. Quid vero hoc amplius honoris habeat ut sit Dominus tecum, quis cogitare sufficiat? Gedeon dictum est, *Dominus tecum virorum fortissime (Jud. vi, 12)*. Sed cum Gedeone Dominus, ut daret illi victoriam inimicorum suorum. Tecum vero Dominus, ut det tibi gloriam saeculorum. Cum Gedeone ad tempus, ut cum amico. Tecum perpetuo, ut filius. Cum Gedeone simpliciter, per collatam gratiam. Tecum multipliciter, et singulariter, per assumptam humanam per te natum.

*Dominus tecum* in cogitatione sancta, in affectione pia, in voluntate recta, in intentione pura, in desiderio futurorum, in omni motu interiori regens in bono, et exteriori compescens a malo, in

sermone vero, in opere justo, in ore pudico, in osculo sancto, in aure parata ad obedientiam, in manu tornatili ad eleemosynam, in pede veloci ad relevandam aliorum miseriam, in singulis et in omnibus partibus corporis tui per disciplinam. Tecum uterum implens et imprægnans de Spiritu sancto; sed non corrumpens, nec onerans ardore libidinoso; tecum in contemplatione sublevata per excessum mentis; tecum in actione, humiliata in necessitate proximi; tecum visibiliter, tecum invisibiliter, tecum levans te ad cœlum, tecum conservans te in mundo, tecum per gratiam salvantem, tecum per ineffabile gaudium, tecum per ævum. Dominus tecum excellenter, tecum incomprehensibiliter.

*Benedicta tu in mulieribus.* Abeat sibi in malam viam maledictio, et veniat per te ad nos, o Maria, o Benedicta, benedictio. Benedicta tu de rore cœli et de pinguedine terræ. Benedicta a montibus æternis. Benedicta plus quam filii Jacob, quorum benedictionibus adjunguntur non optantis, sed prophetantis animo quædam quasi maledictionem. Benedicta tu in omni benedictione cœlesti. Benedicta tu, cujus benedictione reparantur quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. *Benedicta tu in mulieribus,* quia per te maledictio mulierum evanescit, opprobrium sempiternum comparaverat illis peccatum Eveæ, sed ab isto opprobrio, non solum absolvisti, sed privilegium indulsisti, quo se tueantur ab objectione probrosa dicentes, quia si objicitis Eveæ culpam, replicamus vobis Mariæ benedictionem et gratiam...

## VII.

### IN ANNUNTIATIONE DOMINICA V.

*Sume tibi librum grandem, etc. (Isa. viii, 1).*

Virgo virginum, quæ alias appellatur cella aro-matum, hic designatur per librum intus et foris scriptum; foris humilitate, intus castitate. Intus et foris salvo integratissim signaculo. Fecunditate, quia Deum genuit, et hominem. Hunc librum de membranulis primi hominis originali propagatione extractum, tanquam pellem mortui animalis, contactu et contractu originariorum culpæ hispidam, quatuor illæ cardinales virtutes, id est prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, invisibili scriptori, scilicet Spiritui sancto præparaverunt, radendo, leniendo, regulando et scribendo.

Omnis namque pilos de peccato Adæ pullulantes in carne ejus mortali, perfecte fortitudo fomitem peccati debilitando erasit, usque ad novissimum quadrantem otiosi verbi et resolutæ cogitationis. Sic enim in pistrinum divinæ religionis inclusit in ipsis puerilibus annis, ut porta esset orientalis clausa, solique principi in ingressu et egressu sanctorum pervia. Accinxit ergo fortitudine lumbos suos, ne vel minimo luxu aut pulsu illico concuteretur. Roboravit brachium suum, ut naturæ lubricum, paxillo fide immobile statueret. Originali ... igitur, et de peccati fomite peccata prurientia sic fortiter a Virgine explosa.

Temperantia temperanter operam propriam sub-

ministrans, assumpto punice mordacis reprehensionis, et ad proximos benignissimæ compassionis, sic exhibuit eam ut conversatio illius sine querela esset apud Deum et homines. Hinc est quod a Deo visitata, ab angelo salutata, a Spiritu sancto imprægnata, compassionis gratiam in vacuum non accepit, irregulariter evagando, nec proximam suam neglexit, arroganter obsequium non exhibendo; hinc vanitatem fugiens, inde charitatem non relinquens, sic temperantia lenivit in Virgine quidquid de Adæ intemperantia surculus ejus contraxit ex conceptione, et ne itinera divinitatis offendarentur, lapides de via collegit, ut Verbum Dei virginali humanitate, imo humana proprietate formam in qua Pati æqualis est, occultaret, et utramque naturam Dei et hominis, sub habitus nostri littera, legendam tradaret.

Succedit huic regularis justitia, quæ sic gressus virgineos in omnibus mandatis, et justitiis Domini direxit, ut nec humana justitia omnium justorum illam apprehenderet, nec angelica præcederet. Nihil ergo inordinatum, nihil non æqua lance pensatum, nihil in alteram partem devexum aut suspensum. In omni vita et conversatione Virginis justitia præ-  
ivit indispositum.

Jam manum ad scribendum apponit prudentia; atramentarium et incaustum de spinis Davidici seminis in Genealogia Matthei evangelistæ, seu Lucæ conficiens. Ubi residente in fundo malorum fæce, supernata pura bonorum gutta, recto trahite usque ad Virginem descendens, ut sicut de spinis rosa, sic oriatur de peccatoribus Virgo Maria. Sribit itaque nomen Virginis, salutationem angelicam, uteri imprægnationem, maritalem desponsationem, et totius Dominicæ Incarnationis seriem.

Superveniens quoque Spiritus sanctus, hanc Scripturam illuminat; sumptis coloribus in cornu sublini solii paterna sessionis, de quibus capita singulorum versuum, in humanis actionibus descrip-torum, miraculis coruscantibus intitulat, ut semper in Jesu nostra fragilia regant divina opera; et in matre ipsius consideretur, et sexus fragilis ex se, et sensus divinus ex filio suprase.

Tandem ligandus est liber iste grandis, disciplinæ et religionis angelicæ corrigis, ut semper Gabrielis et Joseph utatur solatio, aut societur Joanni et apostolico choro. Duo capitella hujus libri sunt, Annuntiatio Domini, sive ipsius Virginis Assumptio. Gabriel minister est annuntiationis, ut credo et assumptionis. Tamen primum capitellum mirabili varietate et veritate idem archangelus contexuit et decoravit, teste evangelica lectione, quæ ait: *Mis-sus est angelus Gabriel, etc.* Secundum capitellum Joanni traditum in cruce legimus, ubi in cruce Jesus matrem et discipulum sic alloquitur: *Mulier, ecce filius tuus (Joan. xix, 26).* Ad discipulum autem: *Ecce mater tua (ibid.)*; et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua.

Sola firmatoria restant, quorum alterum despon-

satio Joseph fuit; alterum virginalis incorruptio. Horum alterum diabolo opponitur, ne videat impius gloriam Dei, id est despensatio. Alterum philosophicae disputationi, videlicet incorrupta Virginis fecunditas, ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo. *Sume igitur*, o propheta, *librum grandem*, quia de grandi tractat materia, divinæ, scilicet incarnationis et humanæ restorationis; et scribe in eo stylo hominis, alto propter divinitatem; mediocri propter animam, humili et pedestri propter carnem simul assumptam. In hoc stylo attende alteram extremitatem acutam, alteram planam, medietatem vero rectam et tractabilem.

Christus Jesus venit vitia pungere, ut homo compungeretur dum configitur spina. *Poenitentiam, inquit, agite* (*Matth. iii, 2*). In punctione autem sanguis educitur cum dolore; quia mens verbo Dei compuncta, de peccato gemit in confessione. Comedens vero et bibens cum publicanis et peccatoribus socialem se præbuit Dominus angelorum, habitu inventus ut homo in humana conversatione; tam misericors poenitentibus, quam contrarius peccantibus. Remittit ergo peccata tanquam ex superiori parte confidentibus, quæ ut homo improperat ad hoc ut queratur medicus; unde in psalmo dicitur ei: *Intende, prospere procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam* (*Psal. xliv, 5*). Veritas monet non peccare; mansuetudo tolerat nolentem redire; iustitia liberat volentem ad Deum redire. Hic est stylus hominis.

Scribe ergo stylo hominis: *Velociter spolia detrahe, cito prædare* (*Isa. viii, 1*). A matre spolia accepit, sive detraxit, cum de carne ejus et sanguine naturam humanam in unionem Verbi assumpsit. A Patre quoque quodammodo spolia detraxit; cum formam Dei Patris, in qua ei æqualis est, sub umbraculo humanæ speciei, ne videretur reposuit; et semetipsum exinaniens, formam servi, in qua appareret hominibus, accepit. Ab hominibus spolia accepit et detraxit, dum ab errore in fidem suam convertit; vel aperto, vel occulto martyrio exposuit. A diabolo spolia detraxit, dum ipsum in cruce triumphans, inferna confregit, et ad se omnia sua traxit.

Sed quod dicitur *spolia detrahe*, factum est in prædicatione, quod dicitur *cito prædare*, in passione. Unde: *Ad prædam, fili mi, ascendisti* (*Gen. xlix, 9*). Velociter hoc fit et cito, quia velociter currit sermo ejus. Quia subest ei cum voluerit posse. Quia omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Quia dixit: *Fiat, et factum est* (*Gen. i passim*). Sic tu, bone Christiane, velociter spolia peccatorum detrahe a conscientia tua per confessionem. Cito prædare gratiam Dei per satisfactionem, ut in libro tuo scribatur Jesus per sanctam conversationem; imo in libro Dei scribatur nomen tuum, per peccatorum remissionem, quam nobis præstare dignetur Christus Jesus, qui vivit et regnat, etc.

## III.

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA VI.

*Nunquid de petra agri deficiet nix Libani, cut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et desfluentes?* (*Jer. xviii, 14*.)

Præsens hujus diei solemnitas præclara est, ut nix æterna, quia nunquam deficiet; pura, emundans omnes antiquas peccatorum sordes; tanquam aqua frigida mitigans Dei iram, et hominis, per poenitentiam, futuram poenam. De divinis visceribus erumpens, propter nimiam charitatem Dei, et divitias misericordiae ejus. *Libanus* est cœlum cœlorum. *Nix* est sapientia Patris: *Verbum in principio apud Deum* (*Joan. i, 1*). Candor lucis æternæ. Speculum sine macula. Splendor gloriae et figura substantiæ ejus. *Petra*, Ecclesia, vel virgo Maria. *Ager* mundus. *Aqua erumpentes*, gratia de ore et pectore Jesu desfluentes, quibus sanabantur omnes quotquot tangebat. *Frigidæ*, ardentes concupiscentias temperantes.

Isaac benedicens Jacob hanc prænuntiat annunciationem, dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et olei* (*Gen. xxvii, 27*). Odor Jesu, odor suavissimus; cuius utraque natura et angelos in patria sola odoris visione pascit, in quem desiderant angeli prospicere; et sua umbra homines regeneratos ex aqua, et Spiritu sancto vivifica, et confortat sui corporis et sanguinis sacramentali cibo; sed quia adhuc parvuli needum attingimus, ut angeli, solidum illum cibum, quem cum illis sumpturi sumus, cum eis æquales fuerimus; ad nostrum panem quotidianum accedamus; et de semine atque terra, et rore, et agricola, qui in sacco semen attulit, et terræ commendavit, breviter videamus.

Semen est Verbum; terra, virgo Maria; ros, Spiritus sancti gratia. Agricola Gabriel archangelus, qui ingressus ad Virginem, ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc. i, 28*); haec pinguedo terræ. *Spiritus sanctus superveniet in te* (*ibid., 55*); ros de cœlo. Conceptus Jesus de Spiritu sancto ex Maria virgine, videlicet ex humore virginis; unde caro et sanguis: et calore Spiritus sancti, unde anima et Verbum Dei. Ros refrigerat, secundat, humectat, penetrat, mundat, silenter intrat, calorem et serenitatem diei prænuntiat. Sine rore sterilis est terra, maera, vacua. Unde Psalmista: *Anima mea sicut terra sine aqua* (*Psal. cxlii, 6*), id est sine gratia. In creatione autem cœli et terræ Spiritus Dei fertilatur super aquas, calefaciens et secundans eas, sive per baptismum, sive per compunctionem lacrymarum; nam et in baptismo totam remissionem peccatorum operatur Spiritus, et in compunctione adjuvat infirmitatem nostram.

Refrigerat itaque æstus libidinis; secundat voluntatem, quæ cupit desiderare justificationes Domini. Humectat terram australē; cui Axa filia Caleb, rogat iungi irriguum superius, quod est cœlestē

desiderium cum gemitu marorum præsentium. Penetrat medullas, unde offerat holocausta medullata. Mundat sive inquinamenta carnis et spiritus. Silenter intrat, quia *spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat, et quo vadat* (Joan. iii, 8). Serenitate diei prænuntiat, quia requiem et futuram gloriam et promittit, et donat. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, cuius aquæ evelli non possunt erumpentes frigidæ, et defluentes.

Testatur Petrus in Actibus apostolorum quod aquæ erumpentes evelli non possunt; cum enim ingredetur ad viros præputium habentes, ex Iudeis conversi murmurabant adversus eum, quibus ait: *Si ergo et illis dedit Deus gratiam, quis ego sum, qui possem prohibere* (Act. ii, 17). Ex oculis Dei eruperunt lacrymæ, sicut de Joseph dicitur: *Erupabant lacrymæ, et non poterat se continere* (Gen. xlvi, 30); quando Filium suum misit in mundum, et Spiritum sanctum in apostolos; tunc enim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. Quando pluviam voluntariam segregavit Deus hæreditati suæ.

Sunt etiam aquæ erumpentes de montibus, misericordia et veritas, quæ obviaverunt sibi; justitia et pax quæ oseulatæ sunt, tam in incarnatione Christi quam in passione: nec non et in resurrectione atque ascensione. Misericordia præcedit in incarnatione; justitia in passione; pax in resurrectione: similiter omnibus occurrit in ascensione. Non enim secundum peccata nostra reddidit, cum semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Diabolo solvit usuras pro nobis in cruce, quando non peccator, non justus tantum; sed Dominus ipse gloriae, crucifixus est et mortuus; quod est justitiae.

De mortuis denique resurgens tanquam columba ad arcam, id est ad apostolos rediens, ramum olivæ in ore attulit dicens: *Pax vobis.* Aquæ istæ a mente Dei evelli non possunt; misericordia enim ejus ab æterno usque in æternum et in æternum veritas ejus permanet in cœlo, justitia ejus manet in sæculum sæculi, et pax ejus quæ exsuperat omnem sensum; et fines Jerusalem posuit pacem, ad quam nos perducat ipse Jesus, qui est pax nostra; qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IX.

### IN ANNUNTIATIONE DOMINICA VII.

Replicatis apud Patrem unicus Filius regalibus ornamentiis, quibus insignitus splendor paternæ gloriae in splendoribus sanctorum, ante Luciferum genitus irradiebat, hodie a regalibus sedibus descendit, et cellam vinariam, cellam aromatcam, se ipsum exinaniendo intravit. O cella benedicta! o cella beata! paradiso jucundior, cœlo sublimior, angelis beatior, pande sinum, aperi ostium, resolve pessulum, festinanti, venienti et currenti ad nostrum suffragium, ad naufragantis subsidium, ad desperantis remedium: grande

habet negotium, sed secretum; idecirco in secreto tuo silentio excipe illum.

Postponit palatia regum, propter discursantium tumultum: Synagogam respuit sacerdotum, propter avaritiam et calumniam pauperum. Ab initio æternitatis radius beneplaciti sui in te directus, donec veniret tempus miserendi, te sibi fabricare distulit; at postquam in fine sæculorum viscera pietatis suæ continere non potuit, de grandi silva generis humani, in securi beatricis potestatis, et ascia inconvulsæ charitatis, præcidit ad umbraculum suæ operationis ramuseulos pulcherrimæ arboris, et opere incomparabili officinam Verbo incarnando aptam, et solius Dei receptivam construxit. Hanc extra circumlinivit specie et pulchritudine, quam rex concupisceret: intus replevit optimis cœli mercibus; nullo modo ante pretio emptis vel adeptis.

Fidelissimum et notissimum Gabrielem nuntium futuræ matri præmisit qui eam salutaret novo salutandi modo; instrueret divino oraculo; laetificaret dono præsenti, et adfuturo promisso certificaret de mandato injuneto. Fidelis quoque Dominus in verbis et operibus suis prævenit, et cum legato suo venit, quia emittit eloquium suum terræ, id est Mariae: *Velociter currit sermo ejus* (Psal. cxlvii, 15). Inter cætera etiam munera amoris, dat nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut bucellas. Nix designat castitatem. Lana fecunditatem. Nebula Joseph despositionem. Cinis diaboli et Judæorum cæcitatem. Crystallus Dei et hominis unionem. Buccellæ corporis et sanguinis Christi communionem.

Tota pulchra et candida virginitas, pruritus carnis, et impetus nescit: nullos infamiae strepitus de continentia sua facit. A Deo desursum descendit, et sæculares actus abscondit. Fecunditas vero quæ Deum hominem parit, mirabili modo Deum hominem induit et hominem assumptione Dei calefacit, quatenus naturæ ad invicem liquecant affectione et inseparabili unione, sed nulla dehiscant mutatione proprietatis aut confusionis versibilitate. Desponsatio proinde Virginis velamen est et obumbratio, ne impius diabolus vel Judæus videret gloriam Dei et non Dominum glorificaret, sed virginem lapidaret aut infamaret, unde in persona Christi Psalmista: *Obumbra super caput meum in die belli* (Psal. cxxxix, 8); ut sicut Spiritus sanctus obumbravit Virginem ad concipiendum Dominum, sic Joseph obumbraret ad defendendum conceptum.

Deinde obscuratum est insipiens cor invidorum turbante oculos eorum cinere quo diabolus timebat perdere potestatem in homine, et Judæi locum et civitatem; proinde in incarnatione Verbi natum humanam fluidam, instabilem, omni vento circumagitatam virtus immutabilis consolidavit, et Divinitati affigens, ad stabilitatem æternitatis proxexit. Quamvis autem ad Patrem homo Deus ascenderit, bucellas tamen in cena consecravit, accipiens panem et calicem ac benedicens, apostolisque

tradens : *Hoc est, inquit, corpus meum (Matth. xxvi, 26)*, et : *Hic est calix sanguinis mei : hoc facite in meam commemorationem (Luc. xxii, 19)*. His apostoli saturati dimiserunt reliquias suas parvulis suis. Sed vide ordinem quo accedas ad buccellas. Prius habenda nix castitatis, lana charitatis, deinde nebula fidei, quæ est : *Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium (Hebr. xi, 1)*. Deinde cinis pœnitentiarum, audiens : *Memento quia cinis es et pulvis es, et in cinerem et pulverem reverteris*. Deinde crystallus novæ religionis, et secundæ professionis, ad ultimum buccella secundæ admonitionis.

Si homo ad ostium cellæ, seu speluncæ virginalis cum Elia operto vultu pallio resederis, audies sibilum auræ tenuis, dicentem : *Quid hic agis, Elia? et ille : Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et querunt animam meam : et ecce specie grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio, non in commotione Dominus. Post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis, et dixit : Quid hic agis, Elia? (III Reg. xix.)*

Allegorice, mentem propheta divina revelatio tangit, et cursum temporis usque ad incarnationem Christi per spiritum grandem et fortē, per commotionem et per ignem, et per sibulum auræ tenuis distinguit. Specie grandis et fortis subvertens montes et conterens petras, ira Dei fuit, qua Luciferum de cœlo, et hominem de paradiſo expulit. Commotio est temporalitas et passibilitas quam homo meruit. Ignis lex Moysi, que dicitur ignea, quia in igne data fuit. Sibilus auræ tenuis, nuntius nostræ reparationis. Annon est sibilus mitigationis *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui?* Hoc sibilo, Domine, mitigasti omnem iram tuam, et sibiasti museæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, d' est culpæ damnabili, et api quæ est in terra Assur, id est pœnæ pungenti, Christus enim de peccato damnavit peccatum; videlicet de pœna suæ passionis delevit et culpam et pœnam nostræ prævaricationis.

Antequam vero intropiciamus speluncæ seu cellæ nostræ secretissima penetralia, moraliter assignemus spiritum grandem, et fortē subvertentem montes, conterentem petras. Verbum prædicationis quo superbia nostra humiliatur, et duritia emollitur, est specie grandis, sed non in spiritu Dominus : *Accedit homo ad cor altum, et exaltatur Dominus (Psal. lxiii, 7)*, quia per spiritum commotio, et angelus descendens in piscina, facit commotionem aquæ; dolorem utique de malis in corde, nec in commotione Dominus, qui cum tranquillitate omnia judicat, et post commotionem ignis, scilicet confessio oris, quæ usque ad cinerem peccata tanquam ligna extenuat. Hoc in igne Dominus, quia dignum fructum pœnitentiarum exspectat. Et ecce sibilus auræ tenuis dicens : Dimissa sunt tibi peccata tua, quoniam dilexisti multum.

Sed quid tibi aura tenuis? Gratiae inspiratio. Quare aura, quare tenuis? Quia temperatissime æstus praesentis et futuri mali mitigat, ideo aura; quia vero presumptionem et desperationem tollit, ideo tenuis. Sibilus quid? *Quiescite agere perverse, discite bene facere (Isa. i, 16)*. Ex his quasi duobus labiis sibilus mediocris egreditur, quia spe bona anima fovetur et fruitur. Rursus ad ostium virginalis speluncæ aspectus furtivos raptim injiciamus, inquirendo quid angelus tympanizet ad aurem; quid Spiritus sanctus citharizet ad mentem; quid digitus Dei secrete de carne ad carnem; quid odoris, quid suavitatis, quid inexpertæ delectationis mutuent ab hospite suo interiora Virginis. Dic nobis, aura tenuis.

O Maria, ecce unguentum exinanitum omnia vasa tua implevit; ecce dolia tua plena sunt vino meracissimo; ecce scrinia tua referta sunt vestibus valde bonis; ecce in arca tua est panis virus qui de cœlo descendit; ecce lectulus tuus floridus; ecce domus tua ligna cedrina, laquearia cypressina; columnæ portantes quatuor parietes, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia: ecce sedes Sapientiae parata, quæ docet facienda et non facienda intellectus legit et intelligit omnia in Scriptura divinitus inspirata.

Consilium disponit omnia; fortitudo regit et gubernat naturæ impossibilia; scientia discernit mores, actus, dieta et cogitata singula; pietas excipit cunctorum contraria, et expendit propria; timor custodit januam, ne quid irregulare ingrediatur aut egrediatur, cantat symphonia, unio personæ, cantat chorus duarum naturarum inconfusa; cantat ipsa Maria in tympano carnis mace-ratæ et afflictæ; cantat spiritus in cymbalis jubilationis, laudat omnis spiritus et Matrem et Filium Dei, et filium Virginis.

## X.

### DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE VIRGINIS I.

*Et elevaverunt cherubim alas suas et rotæ cum eis, et gloria Dei erat super ea (Ezech. xi, 22).*

In hodierno sermone efficax est materia et efficacior dicendi copia; verum in eo minus laborandum est, ut ea laudetur, quæ sine commendatione laudabilis est; sine exhortatione amabilis, non sine retributione, venerabilis; omnibus enim amabilis est, videlicet Mater misericordiæ, virgo Maria, omnibus concupiscibilis, quia tota pulchra; omnibus venerabilis, quia plena gratia; singulos quidem odore unguentorum suorum ad amorem suum trahit Virgo singularis. Sola sufficit omnibus, ut species quedam salutaris, quæ sine aliarum admistione specierum efficacissima est ad consciendum humanæ salutis unguentum; huic speciei si admisetur alia, aliquid ei videbitur subtrahere odoris, nihil vero conferre vigoris; sola placuit Deo Patri, ut Filii sui Mater fieri mereretur; sola sine exemplo placuit Christo, ut ex ea nasceretur et Spiritu sancto, ut ejus templum fieret et eo repleretur; sola non ini-

merito nostræ saluti sufficiens, ex qua pro nobis  
Salvator nasci dignatus est.

Hæc est porta per quam Christus ingressus est mundum ad nostram redemptionem, et hæc est Virgo per quam reperimus Deum et hominem; hæc est manubrium per quod velut ferrum inseparabiliter ei junctum tenemus Christum; hæc est securis quia resecanda sunt ligna æterno tabernaculo necessaria. Sapientia tenuit istam cum ædificavit sibi domum, et excidit columnas septem; manubrio siquidem isto ferrum ad tenendum est melius, ad movendum habilius, ad operandum utilius; qui cauet isto, parum operabitur illo, quia non dominabitur; nisi ex ea Christus nascetur, humana cæcitas non illuminaretur, humana infirmitas non sanaretur, humanum genus non redimeretur.

Ecce quam jueunda, quam necessaria, quam veneranda nobis est virgo Maria, ex qua mundo apparuit lux vera, sanitas æterna, redemptio copiosa, et utique qui non habet hoc manubrium, non habebit hoc ferrum; semel enim ista conjuncta sunt, et semper connexa manebunt. Christus eam hodie assumpsit ad gloriam, ne ulterius nostram sustineret in seriam; legis memor qua dicitur; qui parentes deserit in calamitate, insepultus abiciatur; non ergo eam in terris deseruit, sed in cœlum assumpsit matrem ejus, et posuit tabernaculum suum in circumitu ejus. Quod vero ignoratur, et si pie credatur, utrum scilicet corpore assumpta sit, causa venerationis festum esse credendum est more illorum qui munera deferunt, et ea non prius detegunt, quam ad eos perveniant, quibus munera repræsentare debent.

Verum non incongrua similitudine illud Ezechiel huic Assumptioni adaptari potest, quod cherubim, qui ante Deum semper assistunt, pro hac Virgine missi, alas suas levaverunt, et juxta Isaiam duabus velabant caput ejus, duabus vero pedes ejus, conceptionem videlicet et assumptionem, quorum utrumque nobis est absconditum; vel velabant caput ejus ala supposita et superposita, subjectione scilicet et veneratione, nolentes illud Dei templum revelare, antequam illud repræsentassent majestati divinæ. Item pedes velabant duabus alis, obsequio scilicet et præconio cantantes: *Surge, propera, amica mea* (*Cant. xi, 10*); *veni de Libano, veni coronaferis* (*Cant. iv, 8*).

Et rotæ erant cum eis, de quibus idem ait propheta: *Audiente me, vocaverunt eas volubiles* (*Ezech. x, 14*), corpus scilicet et animam Mariæ, quæ corpore et anima divinæ voluntati erat subjecta, nunquam sentiens legem carnis repugnantem spiritui. Sequitur? *Et audivi post me vocem commotionis magnaæ* (*Ezech. iii, 12*); hæc vox peregrinantis Ecclesiæ et laborantis, quæ ad Deum clamat: *Nos est tibi curæ, quod Maria reliquit me solam ministrare?* dic ergo illi ut me adjuvet (*Luc. x, 40*). Clamat etiam post Mariam orans: *Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, resove flebiles, ora pro populo, in-*

*terem pro clero, intercede pro devoto semineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, qui tibi deferunt munia laudum.*

## XI.

## DE ASSUMPTIONE B. MARIE VIRGINIS II.

*Virgo Israel, revertere ad civitates tuas* (*Jer. xxxi, 21*); ad matrem luminum, quæ hodie a montibus æternis exsultatione a cunctis reverenter excipitur, vertamus, fratres charissimi, lumen oculorum nostrorum, sermonem labiorum, plausum manuum, affectiones cordium et intentiones cunctorum motuum. Ecce enim post Jesum primogenitum et unigenitum suum ulteriora velaminis, quod est ante oraculum penetrat; non solum cherubim atque seraphim supremis sedibus assumpta, sed etiam super alas eorum mirabiliter et magnificenter exaltata; de illa namque dicitur, quia exaltata est super choros angelorum ad cœlestia regna. Ut itaque collectione omnium virtutum jam matutratam terram nativitatis sua repetat, et domum æternitatis adeat, sermo a regalibus sedibus illam hortatur sic: *Virgo Israel, revertere in civitates tuas*, quasi dicat: Regnum quidem tuum, o Regina cœli, tibi paratum est ab origine mundi, jam quando regressum et adventum tuum deplorat, quatenus et suum acceptabile tibi obsequium præbeat, et tuum gratissimum in se dominium recipiat.

Revera enim nec tua imperia ministerialibus tuis molesta, nec illorum obedientia dispositionibus tuis est murmuriosa; familia cœlestis moram tuam fastidit; mansio cœli locum tuum hactenus vacuum præsentia tua insigniri depositit. O quam religiosa curiositate illæ cœlorum virtutes, quæ de cœstris nunquam vel raro egrediuntur, frequenter inquirunt ab eis angelis, qui in ministerio mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, dicentes: Quando veniet domina nostra, regina nostra, soror nostra, mater regis et Domini nostri. O quanto affectu mandant, et remandant ei: *Virgo Israel, revertere in civitates tuas*, ascende ad montana nostra, veni ad palatia nostra, intra cellaria nostra, penetra cubilia nostra, quia hæc omnia tua sunt; possessio utique tua, hæreditas tua, domus tua. Quid est autem possessio sine possessore, hæritas sine hærede, domus sine habitatore, civitas sine rectore? *Reverttere itaque, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te* (*Cant. vi, 42*).

Primo revertere a captivitate mundi, quia captivitati non debet subjici, per quam captivi a captivitate sunt absoluti sua; secundo revertere ab homine sine corruptibilitate carnis, quia, sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertio revertere ad libertatem gloriae filiorum Dei, quia, sicut peccatum nunquam regnavit in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui, etiam in carne virginali, eadem spiritus libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia angeli ab ipsa sua creatione, sive prius confirmatione. Quarto revertere

ut intueamur te a dignitate angelorum ad superexcellentiam jam beatificatorum spirituum, quia sicut in facie Filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulchritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnimodis satagimus. Denique istae reveriones numerosiores ascensiones sunt, de quibus in laude Sapientiae dicitur : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho*, etc. (*Ecli. xxiv, 18*).

Domina nostra exaltatur quasi cedrus in Libano secundum merita sanctæ conversationis; exaltatur quasi cypressus in monte Sion secundum altitudinem purissimæ contemplationis; quasi palma in Cades exaltatur, secundum præmia æternæ remuneracionis; quasi plantatio rosæ in Jericho, secundum mortificationem carnis et compassionem Filii in cruce pendentis; quasi oliva speciosa in campis, secundum affluentiam pietatis; quasi platanus juxta aquam in plateis, secundum famæ et gloriæ dilatationem in universis linguis et populis, sicut cinnamomum, secundum odorem bonæ opinionis, quasi balsamum aromatizans secundum conceptum et partum Christi a quo tanquam a capite distillat unguentum nostræ christianitatis; quasi myrra electa secundum stolam immortalitatis, quam recepit a Filio suo in die assumptionis.

Ex his omnibus tanquam a domibus eburneis, id est castissimis cœli palatiis dedit suavitatem odoris, quo attracti simul ad illam clamemus totis desideriis, totis suspiriis : Trahe nos post te, in odore tinguenterum tuorum, curremus ad montes aromatum, ubi sancti suavitate illius horti deliciarum afflati exsultant in gloria, lætantur in cubiculis suis; exultationes Dei, pro tantis odoribus, in gutture eorum, in conspectu Agni amici stolis albis, ipso donante Christo Jesu; qui vivit et regnat per omnia, etc.

## XII.

### DE ASSUMPTIONE B. MARIE VIRGINIS III.

*Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam ex illis, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et querit diligenter donec inventat illam, etc.* (*Luc. xv, 8*).

De sacro palatio summi et æterni Regis profluente ad areolas nostras meatibus continuis copiosa Dei bonitate, singulæ stationes tam temporum quam heminum, secundum mensuram et rationem innatae bonitatis generali et speciali beneficio ab initio seculi non avare locupletantur : Cum ergo, ut ait Apostolus : *Unusquisque proprium habeat donum ex Deo, alias quidem sic, alias vero sic* (*I Cor. vii, 7*); partem suam Deus, qui non solum donat, sed et accipit dona in hominibus, nequam deteriorem fecit. Ait enim in Psalmo : *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mini* (*Psal. xv, 6*). Vere in præclaris funes ei ceciderunt, qui cum sit splendor

gloriæ, de Patre lumen ante tempora sæcularia, æterna processit genitura, quique de Virgine virginum carne sumpta, in plenitudine temporis in humana, verus Deus et verus homo apparuit sine peccato, natura.

Hæreditas etiam ejus præclara est ei, quia Ecclesiam de Judæis et gentibus, eripuit de potestate tenebrarum per fidem, et per spem, et charitatem transtulit in regnum claritatis suæ, quatenus candor lucis æternæ sponsam haberet non habentem maculam neque rugam, sed formosam tanquam columbam quæ una est matri suæ, electa genitrici suæ, id est prædestinationi divinæ et justificationi. Cum itaque de æterno consilio tempus beneplaciti imminaret, ut Deus Pater per unicum Filium dispersiones Israel, per adoptionem hæreditati immarcessibili aggregaret, puellam de terra Israel sibi sponsavit, et dote bona, de thesauris suis cumulavit, publicis instrumentis matrimonium confirmans, atque legitimo privilegio donationem propter nuptias contra daemonum hæreticorumque versutias corroborans. Una enim hæc est inter mulieres, in qua princeps nihil suum invenit, de qua fraus hæretica, mendacia sua stabilire non potuit; in hoc privilegio tan matris quam filii natales continentur. Continetur quoque et dos profecta a virgine, utique castitas, innocentia, et humilitas, simulque donatio propter nuptias, utique plena gratia redhibita a Deo Patre.

Septem de Apocalypsi sigillis impressum, et signatum hoc privilegium, castis et virgineis obtutibus tum patet, condemnans et obtenebrans oculum nequam, ne videat gloriam Dei. Denique secretiora quedam quæ nemini mortalium pandenda, donec in resurrectione, velo templi scisso, ingrediamur sanctuarium Dei, certis involueris, quod est in profundo et secreto Dei judicio Sancta sanctorum occultat. Tunc enim lege et jure civitatis quæ vitro similis dicitur, nihil cum Deo regnabitibus elausum, nihil de occulis filii restabit incognitum. Corda omnium pervia indifferenter appetent scire et sciri, magis tunc properabit et urgebit conscientia venire ad publicum, quam modo requirat privatum et secretum silentium; mala enim timet sub luce videri, bona designatur occultiari; in omni autem societate universæ illius curiæ nulla nisi bona intererit.

Revolvamus tamen interim prima hujus privilegii folia, et ex prælibato enigmate executianus quæ de mensa dominorum catulis obvenerunt, paucas micas. *Quæ mulier, inquit Dominus, habens drachmas decem, etc.* Non consuete hac uitur locutione Scriptura de Domina nostra; in Canticis enim, ubi quasi in cubiculis suis et lectulo florido prærogativa ejus mystice requiescit, saepè numero Salomon sic de illa eccevit : *Quæ est ista, quæ progressitur, quæ est ista quæ ascendit de deserto, quæ est ista quæ ascendit per desertum?* (*Cant. iii, 6.*) Minuitur namque majestas dicendorum, quando quæ

dicuntur non congruunt qualitate et modo dicendi, rei de qua dicuntur; non minimum quoque peccat in dicendo, qui inexplicabilia explicare nititur, vel qui facilia dictu aggravare laborat; idoneus vero recitator, qui pro facultate, dicenda assunit, et suspensus admiratur, quod exprimere non sufficit.

Ait ergo Dominus: *Quæ mulier, etc.*, non de inopia succumbens, sed pro misericordia minus capacibus condescendens, quasi diceret: *Prae cunctis mulieribus hæc mulier excellit incomparabiliter genere, sanctificatione, nomine, integritate vita, contemplatione, angelica familiaritate, Dei et hominis conceptione, partus novitate, filii cohabitatione, in cœlis assumptione.* Quæ ergo est mulier habens drachmas deceni quas enumeravimus? illa sine dubio de qua praesens sermo habetur, et cuius dies assumptionis in cœlis et in terris hodie celebratur. Si delicieœ cœlestibus assuetus, suppellectili meliori et molliori cubiculum suum futurum Rex gloriae stravit, et valida munitione circumvallavit, ut esset hortus conclusus, fons signatus, quid mirum? cum videas insensatas aviculas, undecunque congerere mollia, et nido utilia deferre, ut quasi domum sibi faciant, ubi pullos reponant.

Digna itaque sibi sapientia Dei, in virginali domicilio concessit, quando decem drachmas matri contulit, utpote qui de magno genere est, secundum Patris generationem, de magno et digno genere faceret nasci Matrem, et qui omnium sanctificator est, ex utero sanctificaret in quam venturus esset, et claro nomine insigniret, de qua hominem Jesum assumeret, et in singulis quæ de illa facturus, vel ex ea accepturus erat, nova quædam præludia præmitteret; si enim Rebeccæ servus Abrähæ inaures aureas et armillas pondo cylorum decem, quia uxor futura erat Isaac, obtulit, quid Mariæ matri sua cœli et terræ Dominus dare non debuit? Decein ergo drachmas ei dedit, cui et novem ordinis angelorum, et omnes homines non immerito subjecit. Suscipiunt enim angeli Dei spontaneam ejus obedientiam, quam a dextris Filii suscipiunt super se collocatam, quomodo autem ei non obediret omnis homo jam regnanti in cœlo, cui in terra obediuit factus pro nobis Deus homo?

Non pigeat aut pudeat vos, o angeli sancti, quia mulier dicitur, cuius dominationi tota curia vestra submittitur, quia nomen est non vitii sed naturæ, nou infirmitatem præferens, sed concipiendi habitatem perferens. Forte honorabilius nomine illum vocasset, qui habet scientiam vocis, si hoc in suis æternis rationibus commodius dici reputasset; sed rem et uomen compensans impositor nominis et auctor operis, ne prorsus resiliret gratia a natura, usus antiquitatis a novitate conceptionis, in utroque temperavit utrumque, ut de consuetudine nomen retineret, et de novitate opus gratiæ excelleret. Mulier itaque est natura, mater gratia; nec naturæ præjudicium facit gratia, nec gratiæ poten-

statem adimit natura: quinimo melioratur natura per gratiam, nec minuitur gratia propter naturam: idem namque dator est gratiæ, qui auctor est naturæ; ut dum quasi senescit natura, succedat semper vigens et valens gratia. Phenenna quidem Annæ improprietat, et Lia Racheli sterilitatem, sed pulchritudine et quandoque fecunditate, juniores tempore, antiquioribus preferuntur, ne prælatio temporis deroget efficaciæ sequentis virtutis; parit quidem natura, sed sine merito, parit gratia, sed cum merito, et præmio ubique pedibus gratiæ natura substeruit, nec ad bonum remuneratorium nisi eadē duce prævia et comite erigitur.

Hæc igitur mulier quasi lignum finium terræ vestustati communicat nomine sine reato culpæ; novitate concepit eum qui culpam delebit, et reatum exterminavit; dicatur ergo *quæ mulier?* Sequitur, *habens drachmas decem*, cum multis modis habere dicitur, ut est habere famam, habere albedinem, habere cappam, habere corpus et animam, habere deinde virtutem, quia præter materiam est, nunc de his tractare; duos tamen modos quos novit Scriptura ponamus, quorum alter est temporalis, alter perpetuus. De uno apostolus: *Benedictionem*, inquit, *hereditate possideatis* (*I Petr. iii, 9*); et alibi: *Sine paenitentia sunt dona et vocatio Dei* (*Rom. xi, 29*). Sponsa quoque in Canticis de sponso ait: *Tenui eum nec dimittam* (*Cant. iii, 4*). Secundum quod *charitas* nunquam excidit (*I Cor. xiii, 8*); de altero Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job i, 21*); et Psalmista: *Redde mihi latitudinem salutaris tui; et spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal. L, 14*); et in Evangelio: *Vado et venio ad vos* (*Joan. x:v, 28*).

Utroque genere habendi mulier drachmas decem habuit, nam unam perdidit, cæteras nec perdidit, nec perdere potuit; decem vero sunt, sicut decem chordæ psalterii et decem mandata legis, quæ qui non servat, decem sustinet plagas Ægypti. Jam itaque accedamus ad contrectandas oculis ac manibus drachmas, ut sacco Benjamin, filii dexteræ, aperto devolvamus tanquam negotiatores empturi, aut saltem visuri unde oculus pascatur, et anima lætificetur; de his enim nec oculus satiatur visu, nec auris auditu, quia illarum tam semper novus rutilat aspectus, quam devotus assistit beatæ Virgini nostri affectus.

Sicut autem in pontificali indumento duodecim pretiosi lapides intexuntur, sic Virgo nostra decena drachmis in vestitu deaurato circumtegitur; distinguuntur quoque appellatione, pretio et specie. Prima igitur continetur in genere, secunda in sanctificatione, tertia in nomine, quarta in integritate vita, quinta in contemplatione, sexta in angelica familiaritate, septima in Dei et hominis conceptione, octava in novitate partus, nona in filii educatione et cohabitatione, decima in cœlis assumptione. O anima mea! o boni amici! o fratres charissimi! quis odor? quis color? quis sapor circa hæc respirare, talibus

aspicere [*f. aspirare*, de hujusmodi labia, linguam et palatum implere ?

Non cito moveamini a vestro sensu, quia sensus consummatus est si possis virginalia membra sentire; quod si non membrum, saltem drachmas; quod si non drachmas, saltem simbrias aureas; quod si non simbrias, saltem vestigia; quod si non vestigia, saltem umbram, quod si non umbram, saltem memoriam. Has mureulas aureas facianus dominus nostræ, vermiculatas argento, ut si anima pollutus et carne, nec membra, nec drachmas, nec simbrias, nec vestigia, nec umbram imaginationis apprehendero, quia aurea sunt, saltem in eo portionem habeo quod vermiculatae sint argento. Dum de te, domina nostra, loqui labia mea non prohibebo, juxta quod expressum est in Evangelio, et lege et propheta.

Loquar itaque, cum sim pulvis et cinis, de dignitate tui generis; nam regali et sacerdotali progenie orta præfers genus electum, regale sacerdotium, ut sicut omnia omni virtute, sic etiam præcellas genere. Pia enim Dei sollicitudo, vulneribus generi humano a latronibus illatis providit oleum et vinum, quatenus oleum pontificale nos Deo reconciliaret, et vim regale contra diabolum defensaret; ideoque regem et sacerdotem in terris constituit, quatenus rex hostem fortitudine repelleret et Domini iram pontifex sacrificiis mitigaret. Geminæ hæc potestas in una compage coacta, cum tempus nostræ redemptionis appropinquaret, virginale corpus protulit de sibi utriusque confectione, et tanquam dñæ olivæ, duo candelabra ante Deum lucentia, duo in facie Moysis cornua ad conficiendam virginem, de qua conciperetur geminæ gigas substantiæ, convenerunt, qui sua passione Patri nos reconciliavit, et potestates aerias debellavit. Disparilitas itaque dignitatum sæcularium tempore accepto, quasi ad unum commenavit alveum, et in virgine simul auctorem suum non ingrate recognovit, sed ad supportandum Dominicum corpus, humeros debita collatione et congratulatione supposuit. Sic igitur rosa orta de spinis, sive oliva speciosa in campis, de medulla cedri, et adipe frumenti sanctissimum corpus accepit.

At forte, si quis non consentit inter dotes virginæ, censendam dignitatem generis, quia ignobilia mundi elegit Deus, animadvertat potestates et dignitates tani in cœlo quam in terra esse a Deo, et de stirpe unificæ et supremæ potestatis ramos tam cœlestium quam terrestrium altitudinum pullulari; non enim collateralis abusio potestatis, quæ ab homine est, corruptit bonum quod a Deo est. Detrahe namque arrogâtiæ, et in collata homini potestate invenies Dei gratiam, sive justitiam. Nullatenus igitur granum bonum propter paleam abjicias, sed ut retineas granum, paleam amoveas. Virgo igitur radicem suam de Jesse et Aaron, quanquam in terra sit non despicit, quia de bonitate radicis quæ est ex recompunctione Dei, rursum ramus pullulans de plenitudine gratiarum pinguescit. Unde Apostolus :

*Non tu radicem portas, si radix te?* (*Rom. xi. 16*) nunquid enim non : *Juravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam?* (*Psal. cxxxii, 11.*) Item : *Juravit Dominus et non paenitebit eum: tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal. cix, 4.*) Hæc de dignitate generis, quæ est prima drachma.

Nunc videamus de secunda, quæ est sanctificatio ex utero matris : a fermento massæ corruptæ, ab immaturæ uvæ acerbitate, ab inflatione primæ apostasie, a rubigine originis depravatae, et a malitia propaginis in trunco infectæ, vas virginale concretum; statim purgavit ille qui quasi ignis sedet conflans et emundans argentum, ne sancta caro pruientes vermes communis sterquilinii sentiret, quæ paritura erat Jesum, qui corruptionem non vidit, nec in ventre, nec in morte: ideo autem non distulit Dominus, sed prævenit eam in benedictionibus, quia bis dat, qui cito dat; et tempore plus solvit qui ante tempus solvit, et sapientia prior se offert quærentibus illam: ideo etiam ne quo semei imbuta esset testa servaret odorem diu.

Spiritus itaque Domini, qui in creatione mundi ferebatur super aquas, ut præsignaret quæ, ipso operante, de illis producenda essent mysteria, quasi in creatione novi et secundi mundi, qui per Christum futurus erat, de quo dicitur : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor. v, 19*), veterosas primi parentis quisquiliæ, quæ defixa, et pene inseparabiliter admistæ erant humanae nature, a virginis Maria in horreo materno ventilando expurgavit, et futurum sui, et Christi vasculum, de luto compositum, sic decoxit, ut omni fragilitate, et molitie originalis peccati adempta nullo igne, vel nulla aqua sæcularis, vel carnalis concupiscentiæ recruderetur, aut carnis stimulum recalcaritrans ullatenus sentiret. Si Joannes Baptista ex utero sanctificatus est, quanto magis Maria? si tanta præconis præparatio, quanta debuit esse Matris justificatio? et hæc de secunda.

Tertia dicitur veneratio nominis quod est nomen: *Et nomen Virginis Maria* (*Luc. i, 27*). Dei innominabiles sunt quædam nomina, non in quibus exprimitur, sed quibus de ipso aliquid dicatur, etsi non quod est; saltem quod non est, ne, si ipsum in eo quod est apprehendere non valemus; alium pro ipso errando teneamus; multum est, etsi non possis scire quod est, quia scientia ejus confortata est, et non potes ad eam, saltem scire quod non est; ita enim nunquam vagando errabis, aut infra subsistendo hærebis, sed ratione, ingenio et fide explicata et expansa, cures post ipsum quantum poteris, et plus quam: *Non enim, ait Dominus, videbit me homo,* multo vero minus cognoscet, et vivet (*Exod. xxxiii, 20*). Est itaque præ cæteris Dei nominibus, quædam ineffabile, quod ut dicitur, dici non debet nisi in suprema necessitate. Concedo quod summa veneratione honoranda et excolenda sunt omnia Dei

nominis, et nullum nomen Dei assumendum in vanum; *Dedit tamen Filio suo unum nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil. ii, 9.*)

Post illud autem nomen superexaltatum in omnibus sæculis, est hoc nomen Maria, quod in conveatu angelico solemne semper habetur, et ad ejus invocationem presto sunt suffragia cœlestis exercitus; auditio hoc nomine pericula diffugiunt, commoda redeunt et inferna pertimescunt, perimuntur blasphemi, desperati reconcilianter, nullique difficultas recuperare gratiam, qui votorum suorum adjutricem habuerit Mariam. *Cum artus meos resolvero in somnum, requiescat in ore et mente Maria, cum evigilavero, labia mea aperiat Maria, cum extrellum emisero spiritum, adsit Maria; cum ad iudicium venero, occurre cum patrocinio sancta Maria, non periclitabitur judicium, cui Maria præstaverit suffragium.* Domina nostra potiora de te et meliora quain dicam exspecto: hæc de tertia drachma sufficient.

Quarta est integritas conversationis, pupillares annos Virginis nostræ divina protectio et angelica sie tutavit, ut nulla penitus damna suæ pudicitiae aut integratatis, sui facilitate vel adversarii calliditate incurrerit. Cum vero liberum ejus arbitrium compedes infirmæ ætatis evasisset, cooperans gratiæ sie se circulis regularis disciplinæ et sanctæ observantiae constrinxit, ut tota divinorum amore mandatorum sic conflaretur, ut quasi deglutiens animæ suæ verba Dei mandaret, et reciproce se ipsam eorum medullis conferret; tria enim habuit collatoria, unum quo se eliquavit in legem Domini et prophetas; alterum quo eamdem ad se legem confluere faceret; tertium quo Verbi divinam substantiam tam in carnem suam quam in animam coleret, et coagulo Spiritus in Deum et hominem conformaret; æquis ergo passibus mandata divina et virgo Maria ambulavit, sicut Ezechiel (cap. i, 21) de sanctis animalibus et rotis dicit: *Cum ambulantibus ambulabant, et cum stantibus stabant, et, ut breviter quod sentio dicam, pene angelica religio æmulabatur hujus solius terrigenæ conversationem; et mirabatur in terris comparari sanctitatem proprio labore et gratiae cooperatione, quam maxima sui parte decepiente, ipsa retinuit gratia sine aliquo labore.* Quod ad Thessalonicenses ait Apostolus: *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (*I Thess. v, 23*), plene impletur in Virgine nostra, et hæc de quarta.

Quinta est ex divina lectione et meditatione, cœlestium contemplatio: sicut cibus inutilis est sine digestione, sic parum prodest lectio sine meditatione; est autem plena corporis vegetatio, sumptuum bona digestio: similiter tunc valet lectio, cum assidua fuerit subsecuta meditatio: ut enim de beato viro dicitur, quia *meditabitur in lege Domini die ac*

*nocte* (*Psal. 1, 2*), lex enim est fluvius, qui de paradiso egreditur et dividitur in quatuor capita, id est litteram, allegoriam, moralitatem, et anagogem. Volitat autem Domina nostra, tanquam columba speciosa super rivos aquarum, ut se aspiciat et statum suum cognoscat, vel ut hostem insidiantium fetibus suis caveat, aut certe ut de proximo habeat balneum confessionis et fontem devotionis. Filiiæ civitatis nostræ frequenter ad aquas descendunt, familiaria colloquia ibi cum his quos in ripa invenerunt, serunt, et de rumoribus tam futurorum quam absentium dulciter instruunt.

Quia ergo tentorium suum ibi domina nostra sicerat, de magno suo negotio frequens responsum a filiabus Jerusalem accipiebat; ponebat ibi cum Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis ex parte decorticans eas; ut in intuitu earum conciperet; maculosa propter carnem similem carni peccati; varia propter duas naturas Dei et hominis; diverso colore responsa propter dilectum, qui est candidus et rubicundus; virgas vero in canalicibus ubi effundebatur aqua posuit, quia in oculis suis, qui sunt sicut piscinae in Esbon, propter assiduam compunctionem, viriditatem castitatis retinuit, quæ est virtus harum arborum. Posuit et amygdalinas propter carnis macerationem, animæ passionem, conscientiæ internam dulcedinem: posuit et virgas ex platanis, propter charitatis amplitudinem; in tali intuitu Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo permansit, et hæc de quinta.

Sexta est angelica salutatio; a convictu dicitur locus unde cujusque mores improbanter vel approbantur; socialis enim anima vix caret vitiis illorum aut virtutibus, cum quibus enutritur veldiutius conversatur. Præventa itaque Dei Spiritu virgo Maria, et de religione angelorum instruebatur, et exemplo illorum Deo magis ac magis placere informabatur, sicut enim Moysi dictum est: *Vide, omnia facito exemplar quod tibi in monte monstratum est* (*Exod. xxv, 40*); sic Mariae non de cortinis, sagis, tabulis, basibus et columnis ligneis, argenteis aut aureis ut Domino tabernaculum facheret, mandatum est, sed ut in carne et anima sua locum præpararet, et dictum et datum est. Sicut etiam canes cum famem patiuntur, locum ubi sentiunt panem vel carnem, vel ubi accipere solent avide repetunt, spem de præcedentibus gerentes, sic angeli redeuntes a Virgine, memoria suavitatis ejus refricati quasi famelici rursus illam visitare festinabant, et si qua referenda essent, non defraudabant.

Quia vero naturalis affectus sese restringendo a pluralitate, ad specialem familiaritatem coaretat, ut eo amplius diligat, quo se in unum conglomerat, unde in Cantico dicitur: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui* (*Cant. iv, 9*), id est in sola mei contemplatione et dilectione, Gabrieli oculus cum Mariæ spiritu, favente Deo, impressus internuntius fieri acceleravit; suo itaque

veto et Domini mandato, notum sibi thalamum intravit, et familiaritate plenissima notam verbis eatenus ignotis salutavit, et fidelis interpres divinæ jussioni nec addidit, nec subtraxit, causam docuit, cœlestibus blanditiis puellam delinivit, sexum invalidum roboravit, negotium jam inchoatum retrulit et continuo consummandum prædixit, redditurus abiit. Virginis alvus de alveis gratiæ repletus ut eredit, concipit, sibi nihil attribuens, Deo soli cui subest quidquid decreverit facere, se ipsam exposuit; et hæc de sexta.

Septima Verbi Incarnatio; hujus drachmæ nec in cœlis, nec in terris, nec in omnibus abyssis invenitur pretium; tanti enim est, ut in ea constet totius humanæ creature æstimatio et redemptio; iraque paternæ placatio. Hæc est illa Joseph talaris tunica, quæ mysterio Incarnationis Jesum vestit, et distincta sapphiris fila miraculorum in subtegmine passionum varia textura connectit. Hujus textura, id est Dominicæ Incarnationis nec unum potuit filium interrumpere improba et importuna hæreticæ pravitatis, vel tyrannicæ potestatis temeritas; de hac minus dicit, qui plus conatur dicere; credi nimirum potest, dici non potest; hæc de septima.

Octava similis est huic, quæ est novi partus exultatio et admiratio; de hoc partu non est seruno in lingua mea, quia nec littera, nec syllaba, nec oratio imperfecta solvit corrigiam hujus calceamenti, sicut veraciter protestatur vox clamantis in deserto. Quanta enim virtus parientis sine corruptione? quis partus sine labore? in hoc partu natura succumbit, prævalet gratia, supra consuetudinem est, quod extra rationem humanitatis de divino tantum, non de humano pendet arbitrio. Duabus alis seraphim velant hoc mysterium, ne vana philosophia, aut improvida curiositas profanare præsumat Sanctum sanctorum; et hæc de octava.

Nona est in terris conversatio. Ille qui solebat ante incarnationem suam respicere de cœlo per fenestras, prospicere per cancellos, dum latenter sua beneficia, quibus vellet exhiberet, novissime per fenestram orientalem tanquam sol meridianus progrediens, communicavit in assumpto hominis habitu, tam in cibo quam in potu, et aliis hominum necessitatibus, fratribus, quibus per omnia debuit assimilari. Maternis itaque uberibus lactatus, gestatus ulnis, et aliis infantiae subsidiis exhibitis, more suo qui beatius reputat dare quam accipere, dabat lac quod sugebat, sicut et carnem sanctificaverat quam acceperat, venasque quasdam prælibationis futuri gaudii jam submittebat, quæ Matri, præsentis essent laboris solatium et futuræ remunerationis certissimum pignus.

Quid igitur Mariæ deerat, cui Deus Filius coabitabat? Sed timebat interruptionem, cum audiret Filii passionem, tandem timor quem timebat accidit ei; passus est Dominus, mortuus et sepultus, et turbata est ad se ipsam anima ejus usque ad mortem, resurrexit vero tertia die, et noui meminit

præssure propter gaudium; deinde ascendit in cœlum sedens ad dexteram Patris, unde noui mœrone et desperatione lucernam extinxit, imo amplius accendit et everrit domum, quia erexit animum supra corpus et mundum, et quæsivit diligenter, quem amabat ardenter, donec inveniret illum hodie assumpta ad æthereum thalamum, in quo sedet stellato solio.

Ecce jam residet juxta Regem, quæ aliquando stabat juxta crucem; ibi aspexit Filium crucifixum; hic attendit gloria et honore coronatum: ibi Judeos frenentes de invidia et crudelitate, hic angelos serventes de obsequio et dilectione; ibi contumeliam, hic gloriam; ibi gladius, pro his quæ siebant ipsius pertransibat animam; hic in recompensatione æterna jubilatio replet animam, ad quam ipsa interveniente perdidat nos Filius ejus et Dominus Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

### XIII.

#### DE ASSUMPTIONE BEATISSIME VIRGINIS MARIE IV

Reginae cœli, cui totius vitæ meæ dedicari exopto obsequia, solito devotius me famulaturum in ejus assumptione exhibeo; nil antem sumpturus de nostris promptuariis, necessaria in opus tantæ solemnitatis de thesauris sapientiæ refundi supplico impendia. Adeundus itaque, et adorandus Agnus qui in medio throni sedet, erogatus de throno gratiæ, unde resigremus Salomonis grandem thronum de ebore: assumpta enim et translata est gloriosa domina hodie de throno gratiæ ad thronum glorie, et de eburneo castitatis, migravit ad siderum claritatis, pia in primo, neminem judicans, piissima in secundo, reos liberans, propitiatrix in primo, reconciliatrix in secundo.

Accedamus ergo ad ntrumque thronum tam eburneum quam sidereum, et demisso vultu ad terram imaginemur tam formam compositionis quam gloriam significationis. Salomon enim filius David, nec hominum sumptus in artificio throni sui præterivit, nec pondere virtutis evacuavit, nec sapientiæ fines excessit; species itaque bona, melior sapientia, significatio optima; species delectat, significatio instigat, sapientia satiat; occupatione species te detineat, subsidio significatio, remedio sit sapientia. Mentem elevat species, significatio suspendit, sapientia excipit. Littera in specie, allegoria in significacione, sensus moralis in virtute sapientiæ.

Fecit itaque rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, etc., fecit Sapientia Dei sanctam Ecclesiam, fecit et Dominam nostram, non ut alia opera, sed super omnia opera sua; nec enim sponsam mutaturus est, nec matrem aliam habuit vel habiturus est. Quid sponsa dulcior? quid matre venerabilius? de matre carnem sumens, quievit in ejus utero velut in throno eburneo, sponsæ adhærens omnia sua communicavit, et de toro ad thronum promovit; Matris quoque non immemor, delatio obsequii in terra peregrinationis

**sua**, sicut hospitium tori et throni ejus sine modestia passa vel illata aliquandiu occupavit, sic hodie Matri juxta thronum suum de lapide saphiro propter gloriam deitatis, apposuit thronum de ebore, propter incomparabile meritum virginitatis. Nam grandem thronum de ebore fecit Salomon archetypum hujus, id est figurativum, ebur siquidem est os, detracta carne, elephantis; et Virgo nostra in carne, praeter carnem vixit. Fortius vero caro separata est ab osse, cum omnis mortalitatis corruptio absorpta est in hac assumptione.

De ebore ergo grandem thronum fecit, vel de Virgine, carné purificata et corde dilatata, Verbum carnem assumpsit, vel cum ex regula suæ institutionis et abyssō profundiæ benignitatis, in ulnis angelicis Matrem suam Jesus cum omni veneratione elevatam collocavit hodie in suis et paternis præclaris mansionibus: thronum ibi sole et luna præcedentem, maternæ gloriae competentem; superna sidera, ab æterno jam præparaverat. Omnis hodie exempta est quæstio et dubitatio cuiusnam esset gloria, quam post Jesum angelica sublimitas vereoatur attingere, et sanctorum nullus audebat vindicare; nil divinam præposterasse, vel vane constituisse prædestinationem hodie probatum est, quia soli Mariæ hoc solum solium debebatur, et nulli alii aptaretur (1).

A tempore autem Salomonis in throno æquitas, in ebore castitas, in scabello humilitas, in auro sapientia, in sex gradibus, promotio a mininis ad majora; in rotunditate consummatio; in parte posteriori, finis hujus vitæ, in duabus manibus misericordia et veritas; in duobus leonibus Deus et diabolus, vel timor mortis et inferni; in duodecim Leunculis, in omni actione et cogitatione ambigua sedulitas, unde Job: *Verebar omnia opera mea* (*Job ix, 28*).

Sex gradus, habitus vilitas, gestus maturitas, cibi et potus sobrietas, verborum utilitas, lectionis sagacitas, orationis assiduitas; his gradibus excellebat et excedebat thronus eburneus pre omnibus habitantibus in terra; quorum habitus superfluous, gestus inordinatus, vicius immoderatus, sermo vanus et otiosus, meditationis et lectionis rarus aut nullus accessus, orationis vultus ineognitus; dilectus ejus ab hoc ultimo gradu sanctitatis invitat matrem suam, dicens: *Veni a Libano, veni ad summum gloriae gradum in dextris Filii?*

#### XIV,

##### IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARÍÆ VIRGINIS V.

*Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* (*Cant. i, 7.*)

Dies venerabilis, Virgo singularis, et processio hodierna specialis, et sonus tam in cœlo quam in terra plenissimæ jubilationis, felix visio, grandis exaltatio, admirabilis justitiae et pacis Matris et Filii deosculatio, et inseparabilis confessio Inte-

rim Pater sic honorans non suam conjugem, sed tamen Unigeniti sui charissimam Matrem, quasi congratulans alloquitur Filium dicens: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum.*

Jam ante ex quo Filius ejusdem Virginis assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei, flagrantissimis exæstuabant desideriis angeli ministratorii Spiritus, secum habere qualemqualem illam feminam de cuius carne et sanguine videbant in Rege et Domino suo, humanam naturam in sede majestatis super se collocatam. Alii frequenter accurrebant ad ipsam, alii clamabant: *Revertere, revertere, Sunamitis, reverttere, revertere, ut intueamur te* (*Cant. vi, 12*); non est indigna cœlo, quæ talē et tantum fructum protulit ex utero; fons valde purus ex quo derivavit tam eximius rivus; caro omnino incorrupta, de qua sumpta est caro Verbo unita; grata anima, de qua profluxit gratia, quæ pro omnibus gustavit mortem, quam absorbuit per resurrectionem: non negamus illi nostrum consortium, cui perpetuum paramus obsequium; neque in numero, neque in consortio nostro remanebit, qui non in ejus honorem juraverit, et omnem subiectiōnem exhibuerit.

Choris itaque ordinatis quisque ordo angelorum, archangelorum, virtutum, potestatum, principatum, dominationum, thronorum, cherubim et seraphim occurrat venienti Reginæ nostræ ad Patrem Filii sui, et ad eundem Filium, et Spiritum sanctum, cuius est honorabile templum; longa dilatetur processio, stet quisque in ordine suo; veinant nobiscum patriarchæ et prophetæ, ut illi stipeant stirpem suam in Virgine sic honoratam; illi gaudent prophetiam suam sic adimpletam; adsint apostoli qui jam associati sunt vobis, deinde martyres, confessores, nec non et virgines: qui matrem non honorat, Filium non amat.

O Domine Jesu, et nos cum Patre de nostra parte dicimus: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* credimus quod loquimur et propter quod loquimur: omnia quæ in cœlo sunt, a Deo sunt, ordinata sunt: ibi nulla inordinatio ubi nulla commotio; ibi omnis ordinatio, ubi Dei tenetur jussio, et habetur inconcussa visio. Nos vero terrenæ et patimur malas commotiones, et sæpe committimus inordinationes: ob reverentiam Dominiæ nostræ saltem hodie comprimamus omnes malas commotiones, et reprimamus inordinationes, ut in Sunamite nostra chori castrorum inveniantur, non chori tympanistriarum aut histriōnum; seniores, priores, juniores adolescentes, infantes oculos teneant, manus contineant, ora aperiant, aures inclinent, pedes ad malum non moveant; hoc exteriorius, quid intrinsecus?

Congreget ad se cor omnes animæ sensus, omnia interiora sua ordinet, processionem, castra Dei statuat, ut in die Virginis, castitatis metas, nullus

(1) Desunt aliqua.

motus mentis vel corporis exceedat; ornatus castitatis vestitus humilitatis Virgo recognoscit; in ejus processione non reputatur, qui impudicitia et inunditia deturpat? *Quid videbis in Sunamite nisi chorus castrorum?* Deus Pater ad Filium de assumptione Matris sue loquitur: *Quid videbis in Sunamite,* etc. Gabriel quoque archangelus, custos et panymphus Virginis, cuilibet de sociis suis sic loquitur: *Quid videbis in Sunamite,* etc. Alloquitur etiam Spiritus sanctus Ecclesiam quae in terris peregrinatur, vel in celis gloriatur dicens: *Quid videbis in Sunamite,* etc.; in Patre est congratulatio, in archangelo admiratio, in Spiritu sancto commendatio sive assignatio, hujus celeberrimae assumptionis.

Quærendum itaque quare sub nomine Sunamitis sapientissimus Salomon præsignavit assumptionem tantæ Virginis, et qui sint chori non aliorum, sed castrorum; chori enim sunt clericorum, chori adolescentularum, et chori militum. Chori clericorum sunt chori psallentium, chori adolescentularum sunt gaudentium et ludentium, chori militum sunt pugnantium et bellantium. In choro clericorum quæritur consonans modulatio, in choro adolescentularum delectatio, in choro militum fortitudo. Triplex iste chorus Domine nostræ hodie famulatur. Cantant angeli ut clerici, ducunt chorus ut adolescentulæ, militant contra aerias potestates, ne audient occursare; fremunt dentibus et clamore rugiunt, iavidia tabescunt, audientes puellam, matrem misericordie ad thronum gratie, super chorus angelorum ascendisse, unde princeps eorum sicut fulgor eccecidit.

#### XV.

##### IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE VIRGINIS VI.

*Una est columba mea* (*Cant. vi, 8.*)

Domestica familiaritate, et omni creaturæ inexpecta dulcedine verus Salomon jueundatur ad columbam suam, quae est Regina angelorum, quae est Virgo virginum, pia Maria, dum in ejus visceribus per suam sapientiam, humanam fatuitatem ad columbinam revocat simplicitatem; cum sale coelestis sapientiae redintegrat naturæ nostræ corruptionem. *Una est,* inquit, *columba mea,* sive natura, quam de matre suscipio, sive Virgo de qua et in qua divina et humanæ naturæ matrimonium conjungo. *Una est columba mea* Ecclesia sponsa; *una est columba mea* Mater virgo Maria. Unus et unicus nec viduam, nec repudiatam volo, nec alii viro conjugem: unam quæro columbam.

Desidero unam ne discordet a voluntate mea; columbam ne sit nimium astuta, unam juxta Apostolum: *Despondi,* inquit, *vos uni viro virginem eam exhibere Christo* (*II Cor. xi, 2;*) columbam ne plus sapiat quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem; unam propter amicitiam, columbam propter gratiam. Quis enim non diligit matrem aut sponsam? quis matri aut sponsæ non confert omnem gratiam? et matrem itaque, et sponsam volo

habere totus totam, castus castam, pulcher pulchram, pius piam, impollutus impollutam, unus unam, simplex columbam: mater non habet alium filium, nec sponsa aliud sponsum. Una fide, columba simplicitate; una unanimitate, columba mansuetudine. *Una est,* inquit, *columba mea.*

Causa non prætereunda cur tantæ sapientiae, tante potentiae et tantarum divitiarum rex Salomon, tam miris præconis et medullatis prærogativis non solum verbum extulit nescio quam columbam suam; sed etiam in librorum suorum super-excellentissimo scripto commendaverit; attendendum itaque quia verba profunda ex ore viri, sacratissimum quid in profundo suo continent, juxta quod in Psalmo legitur: *Ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo* (*Psal. cxi, 24*), prævio itaque gratie lumine, etsi non sufficiamus penetrare hoc sanctuarium, tamen prosternimur adorare, et tanquam sanctas reliquias tangere. Sacrosancta virgine mundum per nativitatem ingressa, officiales angelicæ virtutes sancta curiositate puellam, vestigiis divinæ prædestinationis insignitam lustrantes, ut est consuetudinis rem novam in saeculo repertam in supernis palatiis referentes, et quid hoc esset humiliiter inquirentes a regalibus sedibus audiunt. *Una est columba mea, una est matri sua, electa genitrix sua;* tanquam si diceret: *Quæ nata est extra et supra numerum feminarum, est extra et supra meritum omnium mulierum.*

Una est in toto genere humano non habens similem columbam; est in angelica puritate et dignitate, propter divinam generationem non habens aqualem; mea, si Filius loquitur, mater; si Pater, Filii mei mater futura. Una est matri sua singulari dignitate electa genitrici sua, divina prædestinatione; una est integratæ incorruptione; columba est obumbratione Spiritus sancti, qui super Dominum apparuit in columbae specie, mea dilectione, mea electione, mea conceptione, mea generatione. Hujus penne dargentatæ nive dealbabuntur in Selmon; penne sunt actio et virginalis contemplatio, que dealbabuntur per castitatem nive, id est incomparabiliter in Selmon, quod interpretatur *umbra*, id est in Verbi conceptione Spiritus sancti obumbratione. Columba ista in nativitate fuit candida ut lac, in conversatione et professione castitatis, ut lana, in conceptione ut nix, deinde jam coelestis facta, in partu ut luna, in assumptione ut sol, sive ut castrorum acies ordinata; haec columba pascitur de mensa Dei, enbat in meridie in lectulo Salomonis, residet in fereculo, dormit in thalamo, deambulat in horto, portat in cella, honoratur in celo corona aurea cum Filio suo Iesu Christo Domino nostro, qui est benedictus in saecula. Amen.

#### XVI.

##### IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIE VIRGINIS VII.

Virginitate nulla virtus Deo vicinior, angelis nulla familiarior, sanctis in carne positis nulla appetibilior, quia pene omnibus aliis virtutibus rarer.

Hæc regnum et principatum suum tempore prædestinato in gloria Domini Matre collocavit; nec fuit angelicus Spiritus purior in cœlis quam uterus Virginis in obumbratione Spiritus sancti et conceptione Filii sui. Adhæret quidem Deo angelus obsequendo, astando et ministrando; sed non se in una eademque persona cum illo uniendo: quid autem caro virginis? nonne fuit præjacens materia, de qua opifex Trinitas naturam humanam fabricavit, quam inseparabiliter univit Verbo Dei una simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione.

De hac sanctificata massa partem sibi Filius Dei assumpsit, quam statim assumendo deificavit, et tam illa quam de illa, in tota protoplasti massa, tam redēptione quam sanctificatione operatus est salutem totius ejusdem humani generis; ac deinde sprevit, dereliquit, oblitusque est lectuli sui, cubiculari sui, templi sui, ortus sui, paradisi sui, Matris sue? Absit! *Etsi mater, inquit, oblita fuerit filii sui, ego non obliviscar tui?* (*Isa. xlix, 15.*) Nemo carnem suam odio habet, nec Jesus distulit quidem in matre vincula carnis solvere, nec destitit mansionem juxta se etiam parare.

Equidem indignum esset alium interponere inter eum et Matrem in cœlo, in cuius utero coagulatus est ineffabili sacramento; nam, quod in oratione Dominica dicitur: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* scilicet mater Filio sic loquitur: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* quasi, quia, Fili, elegisti ut haberes matrem, suscipe ut excipias inter angelos assistricem. Nemo plus juris habet in carne, in facie tua, quam Mater tua. Cedo, inquit Filius, et concedo; veni, electa mea, et ponam te in thronum meum. Dixit et factum est, qui dixit: *Fiat lux. et facta est lux* (*Gen. i, 3.*), qui semel loquitur, et secundo idipsum non repetit, quia verbum ejus manet in sæculum sæculi.

Sed thronus tuus, o Deus, o Domina, qualis est? Psalmista dicit: *Et thronus ejus sicut sol in conspectu tuo, et sicut luna perfecta* (*Psal. lxxxviii, 30.*); forte ideo admirantes cœlestes virtutes dicunt: *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant. vi, 9.*) Ut aurora consitentibus; ut sol sanctis suscipientibus, ut castrorum acies ordinata malignis spiritibus: invocant illam conversi, amant illam justi, exorant peccatores, timent dæmones, invalida sunt castra dæmonum adversus Dominæ nostræ castrorum acies, de quibus in Canticis dicitur: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* (*Cant. i, 7.*) Hæc Sunamitis placet regi sua specie; senem regem conservat castitate et sovet calore sapientiae. Quæ tam speciosa quam illa cui dicitur: *Tota pulchra es, amica mea* (*Cant. iv, 7.*); et item: *Quam pulchra es, amica, quam pulchra in deliciis, charissima!* (*Cant. vii, 6.*)

Hanc Antiquus dierum preelegit, et dedit ei Filium suum: hæc Dei præcordia pene iam tepentia,

deficiente charitate in humano genere calcescit, et eum adhuc peccatores essentius, propter nimiam charitatem suam Filium de Virgine incarnari constituit; hæc sapientissima sicut decipere neminem voluit, sic a nemine decipi potuit. Si unquam in creatura sua Creator proportionem aliquam reperit, solam istam hoc privilegio præstituaavit: *Cum essem, inquiens, immaculatus veni ad corpus incoquatum* (*Sap. viii, 20.*) Quid itaque, potentissime, videbis in Sunamite: *In me, inquit Sunamitis, gratia omnis viae et veritatis; in me omnis spes vita et virtutis* (*Eccli. xxiv, 25.*) duo sunt via et patria; in via, gratia; in patria, veritas; in me gratia omnis, sive gratia omnis viae et veritatis; nulla gratia in qualibet via veniendi ad patriam nisi per Dominam nostram, cujus Filius est ille, sine quo nihil possimus facere: rursum in illa est gratia omnis veritatis, quia gratia et veritas per Jesum Christum facta est, nec habebit veritatem in patria, qui non amat Christum in via.

Ista visio, id est cognitio Filii, est in Matre, quia sicut de Patre dixit: *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc. x, 22.*), similiter de Matre potest dici: *Nemo novit Matrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Non absurde vero sic potest legi: *Quid videbis in Sunamite, ut ibi queratur non de his quæ intus videri non possunt, sed de his quæ circa Sunamitem sunt;* unde subdit: *Nisi choros castrorum.* In authenticis itaque libris, non in adiventionibus phantasticis querendum est de choris castrorum; legimus in Numeris: *Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Singuli per turmas, signa atque vexilla, per domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel per gyrum tabernaculi fœderis* (*Num. ii, 1.*) Judas ad orientem sitet tentoria; et ne supra modum sermonem protendamus, compendiōse dicamus quod circa tabernaculum fœderis, quod intelligimus corpus et animam Virginis, omnes filii Israel castrametantur.

Omnis autem filii Israel sunt omnes fideles, tamen utique constituantur per singulas plagas, Judas, Issachar et Zabulon ad orientem; Ruben, Simeon et Gad ad meridiem; Ephraim, Benjamin et Manasse ad occidentem; Dan, Aser et Nephtalim ad aquilonem. Judas, *confessio;* Issachar, *merces;* Zabulon, *tabernaculum fortitudinis;* isti ad orientem cantant: *Orietur stella ex Jacob* (*Num. xxiv, 17.*) Ruben, *videns;* Simeon, *auditio;* Gad, *felicitas;* isti ad meridiem cantant: *Tota pulchra es, amica mea,* etc. (*Cant. iv, 7.*) Ephraim, *frugifer;* Benjamin, *filius dexteræ;* Manasse, *oblivio;* isti ad occidentem cantant: *Surge, propera, amica mea, veni, columba mea* (*Cant. ii, 10.*) Dan, *judicium;* Aser, *beatus;* Nephtalim, *conversio;* isti ad aquilonem cantant: *Surge, aquilo* (*Cant. iv, 16.*) *hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra* (*Cant. ii, 11.*) Ecce habet Sunamitis choros castrorum, qui circumdant eam tanquam flores rosarium

et illa convallium, astitit Regina a dextris filii circumdata varietate: *Circumdate Sion*, ait Psalmista, et complectimini eam (*Psal. xlviij*, 13).

## XVII.

## IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIE VIRGINIS VIII.

*Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdidera*m (*Luc. xv*, 9).

Hæc est diei præsentis solemnitas, in qua nihil vacat in cœlis a laudibus, nihil in Ecclesia Dei, quæ in terris peregrinatur a sanctis supplicationibus; astrorum enim est pro sua sorte felix laudatio, quibus nulla de beatitudine vera contingere potest diminutio. In hoc vero exsilio peregrinanti per fidem; tanto studiosius pretendenda est supplicatio, quanto periculosius differuntur a regno; in sese tamen replicantur, et revolutione orbiculari revolvuntur et Christiana devotio, et angelica exsultatio; nos quidem in spe, illi vero sunt in re; sicut autem res exhibet præmium, sic spes comparat meritum.

Quare autem de cœlo desperaremus præmium, cui hodie de terra, et genere nostro tam eximum intulimus commercium? nunquid ingratitudo habet locum ubi gratia sempiternum obtinet domicilium? plenam gratia ad gratiæ remissimus palatia, refluant itaque stillecia gratiæ sterilitati nostræ superintense. Plena et repleta Dei bono regio gratiæ et gloriæ, ne dominæ nostræ assumptio fiat doni cœlestis in nobis evacuatio. O domina nostra, quæ animarum fidelium tibi congratulatio, si absque recompensatione in cœlis transferas, et quod ab illis acceperas, et quod a nobis? Dignum est, ut tantus thesaurus tali muro circumcingatur, tali custode tutetur, tali repositorio includatur.

Ecclesia quoque piam tuam retineat memoriam, quæ dæmones ejiciat, vitia expellat; tentationes compescat, motus inordinatos componat, meatus dulcissimæ compunctionis aperiat, salubres et suaves gustus cœlestis patriæ infundat, fructum ventris ejus in altari dentibus nostris et labiis ruminandum quotidie deferat. Tunc plane exultabimus et lætabimur in te, o domina, memores uberum tuorum; ubera tua fluant angelicis spiritibus illa suavissima, quæ conseruerunt filii tui manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Vident enim super se Verbum carnem factum, gloria et honore in homine assumpto coronatum; et de illa ineffabili contemplatione tam jucunda perfunduntur delectatione, ut nec inopia dimidiet desiderium, nec satietas affract fastidium.

Adhuc ubera tua effluunt justis et bonis famulis Dei mel piæ affectionis, cuius degustatione, amaritudines sæculi dulcescunt et carnis illecebræ vilescent; eatenus ut mens plena virgineo melle, stupida et pene insensibilis blandimentis carnalibus efficiatur, ut cum Berzellai dicat: *Nunquid sensus mei vigeat ad discernendum suave aut amarum, aut delectare potest cibus et potus, aut andire possim vocem: cantorum atque cantatricen* (*II Reg. xix*, 55).

Quæ de effluentia verborum virginis Marie mens bene est laeta, sic omnium est terrenorum appetitu[m] oblita, noui solum vero verba fluunt, sic vel effluunt; sed etiæ pereffluunt usque ad peccatores terræ, quia Christus Jesus Filius ejus, venit in hunc mundum peccatores salvos facere.

Desinet Mater lactare quos Filius ejus venit salvare? Imo abstinere poterit Mater misericordiæ lactis pleno gurgite non alere, pro quibus Filius suus potuit et voluit spiritum exhalare? Nec os, nec manum, o domina nostra, ad angelicam porrigitus portionem, quia bestia quæ tetigerit montem lepidabitur. Habeant ipsi primogenita sua, ac proinde primam guttam de societate tua, quia servaverunt sua domicilia; nec abierunt post Satanam, qui tertiam partem stellarum traxit post se. Succedant secundo loco fideles et justi, quorum est sedere super sedes duodecim, et judicare duodecim tribus Israel, ut de toreulari tuo, cuius animam pertransivit gladius, circumferendo stigmata Jesu in corpore suo, secundam exprimant guttam et sua saltem de mutatione tua desideria consolentur.

Nos vero quorum os amaritudine plenum est et dolo, quam participationem cum virginali castitate et puritate atque mansuetudine habere poterimus? sed certe nulla nutrix tam sedula circa alumnū suū, quomodo tu benignissima erga confitentem, et ad cor revertentem Christianum. Licet autem infantulus infantilibus contaminetur prurulentis, non tamen ideo abjicit eum a se, quæ curam ejus suscepit, non ubera negat; sed lavat balneo et lacte suo reficit: o misericordissima, tu, quid? facies nostra impletur ignominia ab oculis nostris, velut pannus nienstruatæ etiam justitiæ nostræ; quanto magis injustitiae?

Piarum piissima, averte faciem tuam a peccatis, donec deleantur tua miseratione, donec tegantur tua intercessione et pœnitentiali satisfactione tergantur. Beata ubera tua, quæ angelos pascunt, justos reficiunt, peccatores alunt; exultat spiritus tuus de societate angelorum, anima tua gaudet de imitatione justorum, congratulatur anima et spiritus de pœnitentia et conversione peccatorum. Vulnus et manus, os et cor, mentem et animam, interiorum et exteriorum ad te convertimus hominem; post te pleno ore vociferantes, salus nostra in manu tua. Respiciat super nos misericordia tua, non se contineant super nos mollia illa viscera tua, quæ coeli rore irrigata solent stillecia stillantia super terram pluere, et de profundissimi speculatorum voraginebus lapsos et pene desperatos relevare. Videsne, domina nostra, quia sævo et aperto ore draco ille rufus miseras animas nostras dilaceret, rapiat, devoret, et quasi pene in secessum suum protrahat?

Attendis quam indecenter natura nostra dehonestetur, de qua tu originem, et Jesus Filius tuus suscepit carnem; tantis jam afficitur Indibriis, ut nulla dæmoniacæ supersit spurcitæ macula, quam

non sit experta humana luxuria. O caro tua, o caro nostra! quis chaos tantum interposuit inter nos, ut tua cœlos vineat et snperet munditia nostra, quanquam consobrina sit et germana, corrumpatur tanta immunditia, quantam non tolerat ulla patientia. Quanquam autem de tam misera sorte peregrinandi conditio me abesse non sinat; tamen lacte tuo et sanguine Filii tui cubile mentis aspergens, tam tuo suffragio quam illius patrocinio confido eripi, et inter curiae tuæ adolescentulas, saltem post dignas poenas admitti. Nam vox illa tua tanquam turris eastissimæ audita est in terra nostra dicens: *Congratulamini, mihi desperationem excusit, spem reddidit, animum erexit, ut qui malorum conscientia depressus jacebat in auditu jueundissimæ vocis respiraverit, et quasi de gravi somno evigilaverit. Vox enim, quæ de cœlo fit, non solum mentem pulsat sed et adjuvat, pulsat ut se mens advertat, adjuvat ut ad Deum convertat. Ad Deum vero conversa ire properat. In itinere posita etiam lassa clamat: Trahe me post te (Cant. i, 5), manum tenens porrectam, exsultat; curremus, inquiens, in odore unguentorum tuorum (ibid.). Perveniens, exsultabimus et latabimus in te (ibid.). Denique proloquens pro his qui remanserunt dicit: Memores uberum tuorum super vim: recti diligunt te (ibid.). Si omnes, a minimo qui vocem ejus audit usque ad illum qui ad palatum pervenit, congratulantur tibi, o domina nostra.*

## XVIII.

## DE EADEM BEATISSIMA VIRGINE.

*Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis (Cant. v, 1).*

Tam de gremio universalis Ecclesiae, quam de utero virginis Mariæ, alloquitur Christus utramque dicens: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Soror autem ejus est Ecclesia, quia et ipse concepsus de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine; et Ecclesia ex eodem Spiritu regenerata; sicut ipse est Filius Dei unione personæ, sic ipsa filia Dei adoptione; sponsa quoque propter duarum naturam, id est divinæ et humanæ consensem communem, seu cohabitationem indivisibilēm. Virgo autem, cum sit mater secundum carnem, neque soror, neque sponsa appellatur, nisi secundum Spiritum; unde: Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mens frater et soror et mater est (Matth. xi, 49).*

Domine, nihil difficilius quam te invenire: scio quidem te ubique esse, sed clausa ubique occurrit janua, quæ te negat, quæ te celat esse etiam ubi es: et si hoc multum est quod dixi, celat esse, tamen verum est, non sinit vel præstat videre quod es, aut ubi es, sol enim es, imo candor sole clarior: impedit ergo ne videam aut mea cæcitas, aut tua claritas. Nil autem mirum si cæcitas impedit visum, quia privatio est; claritas vero enijs est illustrare, qua ratione non ostendit illum a quo habet, ut ostendere possit? forte quia rara, imo quia nimia; habitat enim Deus lucem inaccessibili-

lem. Media itaque sive temperata ex luce deitatis et nube humanitatis, novit excipere infirmitatem nostræ lippitudinis, et coactare seu coaptare inmensitatem deifici luminis.

Duo igitur quasi vela interponit, parietem parentis virginis, et purissimam lampadem Dominicæ corporis, ut paulatim his assuetus humanus visus, emulatio penetrativa ambiat videre Jesum, et visum cognoscere, et cognitum amare, et amatum colere, et cultum credere, et creditum adorare. Hic ergo querentem se, vocantem se, pulsantem ad se commotis miserationis suæ medullis voce propria et ubi sit, et quid operis egerit indicat, dicens: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. De paradiiso, inquit, descendit in hortum meum; de incomparabilis gloria et obsequio angelorum, veni ut facerem opus meum: Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Plantaverat autem Deus a principio paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formaverat: rident et arrident sibi novissima et antiqua: Ecce, Domine, tu cognoristi omnia novissima et antiqua, tu formasti me et posuisti super me manum tuam (Psal. cxxxviii, 5), ait ad Patrem in Psalmo Jesus.*

Sed animadverte præpostera tempora ut non dixerit, antiqua et novissima; sed *novissima et antiqua*; major namque est gloria secundæ domus quam primæ; et primus homo factus est in animam viventem, et secundus in spiritum vivificantem. Vetus homo Adam, novus homo Christus per Adam peccatum, et per peccatum intravit mors in mundum. Per Christum justitia, et per eundem redditur vita aeterna: præambulant itaque spiritu propheticō novissima, quia meliora et potiora sunt quam antiqua. In antiquis formavit hominem de limo terræ; in novissimis creando sanctificavit, et sanctificando creavit Iesum Filium suum de carne et utero virginis Mariæ. Tu, inquit, *formasti et posuisti super me manum tuam*; communis quidem formatio in novissimis et antiquis quantum ad habitum corporis, sed manus positio, sive suppositio singulariter continetur in eo qui formatus est in novissimis, propter spiritum quo unctus est Jesus præ participibus suis. Unde ad Joannem Baptistam: *Super quem, inquit vox Paterna, videris spiritum descendenter et manenter super eum, hic est qui baptizat*, etc. (Joan. i, 33).

Hunc hominem Deus posuit in horto, id est paradiiso quem plantaverat a principio; præscientia enim Dei sicut non aberrat in creandorum discretione, sic morari nullam facit in omnium futuron prospectione; simul enim et semel statum omnem et casum, reparanda et non reparanda, modum quoque reparationis concipit. Non ipsa pendet de futuris eventibus, sed omnes rerum mutabilitate de immobilitate ejus tanquam de universorum matrice egrediuntur. Igitur, tanquam Jacob et Esau in codem utero, Evaæ procacitas et Marisæ

sanitas congressum diversis studiis facientes, quodammodo præscientia viscera concutiebant, ut novissima, sicut dictum est, utilitate et dignitate antiquis præarent, et favorabilior celebraretur Mariae singularis conceptio, quam paradisi terreni plantatio, et Christus de Virgine natus, quam Adam in paradiiso positus.

In paradiiso illo serpens cum homine reperitur; in Virgine solius Spiritus sancti obumbratio cum Iesu suscipitur, nullos fatus aut sibillos immisit corruptor totius boni intra septa horti nostri diabolus, quia hortus conclusus, fons signatus sicut soli Regi seculorum, quæ est imago Dei invisibilis gremium suum expandit, si omni subreptitia vanitati vectes ferreos exactissimæ custodiæ opposuit; gloria enim Dei quæ assumpta est de cherub ad limen domus, custodivit eam ab inimicis suis, et a seductoribus tutavit eam.

Fideliter namque credo frequenter per oculos, per os virginis latentem deitatem subrutilasse, et quiddam indicibile; si quis adverteret evaporasse. Quid enim? nonne plena gratia, ex hoc in hoc eructabat verbum bonum, splendidissimumque radium candoris aeternæ lucis; unde Elizabeth ad vocem salutationis ejus mota viscera, et Joannis correctata, et quasi in exsultationem calefacta sunt puerilia membra; cuius tanta virtus, nisi gloriae Dei, quæ de cherub, id est de arce cœli assumpta est ad limen domus, id est ad Virginem, quæ celestis patriæ jauua sine dubio et limen est, quo egressus tanquam de thalamo sponsus, visitavit nos Oriens ex alto.

Juxta hoc limen nemo ponat limen suum, quia inde conqueritur Deus. Qui fabricati sunt, inquit, limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos (*Ezech. xliii, 8*). Nulla affinitas castitatis et impuritatis; sacerdos immunde, non times accubare juxta Dei altare et beate Virginis Mariæ? quod deterius est vereinda tua non velas juxta sanctuaria Dei, imo facis domum orationis, prostibulum meretricis. De hujusmodi dicitur: *Polluerunt templum sanctum tuum* (*Psal. lxxviii, 1*). Gloria igitur Dei quæ ad limen domus est, conturbat Joseph sponsum Virginis; unde vult eam occulte dimittere, sed monetur ab angelo non timere maiestatem quæ colligit humilem, confundit calumniam; quid, inquit Joseph ad seipsum, quid intus est, quis intus est? Verbum, inquam, Dei est, Deus in utero Mariæ est; quis posuit? quis intromisit? Dens, qui hominem quem formaverat, in paradiiso posuit, qui nullis arcetur repagnulis, qui intrat sine irruptione, qui exit sine corruptione, cuius velle clavis est reserans omnia, cuius nolle sera est concludens omnia, neque malleus, neque securis opus habent dolare aut secare, ubi una Dei virtus in ictu oculi et mundum facere potuit et reficere.

Tandem, Joseph, animadverte diem solemnum adesse, quando festivitati Paschali agnus paratur immolandus; solus ibi pontifex in sanguine sumpto

de Virgine, victimam salutarem præparavit, et quasi myrrham suam messuit, cum carnem sanctam et incorruptam a visceribus maternis mutuavit cum aromatibus, id est odoriferis virtutibus, quarum confectione tam anima quam caro compacta, in ara crucis odorem suavissimum paternis affectibus, pro redemptione generis humani mandavit, et propitiacionem diu desideratam, tempore accepto quasi maturo complevit; immaturam enim non meteret myrrham, qui omnia facit in pondere et mensura et numero. Unde Psalmista: *Tempus beneplaciti Deus, et tempus misericordi ejus* (*Psal. lxviii, 14*), id est Sion; et: *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo* (*Psal. cv, 4*). Venit ergo quasi tempore messis, quod est in plenitudine et fine sæculorum, in hortum suum, dicens: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.*

Sed quis te, Jesu, introduxit? quis sine aditu admisit? quis intrinsecus nullis apparentibus vestigiis intrandi licentiam fecit? *Deus*, inquit Scriptura, *posuit hominem quem formaverat in paradiiso* (*Gen. ii, 8*). Vera nostræ fidei simplicitas, non te absorbeat vorago malignæ interpretationis, ut JESUM prius credas formatum, et postea a Virgine conceptum; cum caro de carne, et sanguine Virginis in utero ipso virginali simul creata, simulque copulata sint Verbum, caro et anima. Sed haec talis verborum complexio, hominem quem formaverat posuit in paradiiso, de antiquis est, non de novissimis. Posuit; quis posuit? Deus. Ubi? in paradiiso, id est in horto voluptatis, videlicet in utero Virginis. Non Maria, non angelus, non Joseph posuit, sed Deus qui voluit, potuit et scivit. Deus posuit virtutem operando; Maria concepit, carnem et fidem subministrando; Joseph extra stetit quæ intus facta fuerant, mirando et stupendo.

Bene tunc Joseph iste Virginem defendit nomine conjugalib[us] ab opprobrio, sicut aliis Joseph Christum de cruce depositum et unctum in sepulcro posuit, a facie Judæorum abscondendo. Erat autem ibi hortus et novum monumentum in horto: videtur iste hinnulus cervorum amare olera, videtur virentia quererere, videtur arbores libenter plantare, videtur areolas aromatum exarare, videtur cubare in meridie et pasci in hortis, et lilia colligere. Olera herbarum quæ cito incident, sunt nostræ defectus humanitatis quos Christus suscepit, cum homo fieri voluit; virentia, sunt opera quæ de fidei et castitatis radice prodeunt; arbores, sunt quæ flores conversionis et fructus religionis referunt; areolæ aromatum, mentes sanctorum, lily castitas. Hæc omnia et in horto virginali et in Ecclesia Christus manu sua sevit, rigavit, et ad incrementum produxit. Regina Saba tanta et talia regi Salomonis atulit aromata, quanta et qualia non sunt ultra visa in Jerusaleni: similiter Regina nostra de cœlo et gratia præveniente, tales de mente protulit incarnando Dei Verbo affectiones, quales nulla sperare potuit aut preferre creatura suo Creatori.

Ecclesiae etiam nulla in aromatibus se conferre potuit secta gentilium, Judæorum et hereticorum; uerque hortus est irriguus, fertilis, amoenus, solitarius, tutus, consolatorius, deliciosus. Irriguus est superiori et inferiori irriguo, id est deitate Christi et humanitate, vel angelica et humana devotione. Fertilis, quia fertilitate sua etiam filios corvorum pascit, dum escam populis Aethiopum, id est carnem et sanguinem Christi, peccata sua confitentibus et vere penitentibus preparat. Amoenus, quia verna temperies, flante austro, varios profert colores, ut cœli picturam postponas, si templum virginale et ecclesiasticum oculo pudico et sagaci revolas.

Solitarius, quia unus solo singularis segregatus a peccatoribus, Jesus totum quod est Virginis et Ecclesiae sic occupat, ut socinm non admittat; unde: *Audi, Israel, Deus tuus, Deus unus est* (*Deut. vi. 4*). Tuts, quia turris fortitudinis a facie inimici, mille clypei pendunt ex ea, et a sexaginta sex fortissimis Israel vallatur et servatur. Consolatorius, quia Deus totius consolationis et Angelus magni consilii nascitur ex ea, et usque ad consummationem sæculi manet cum ea. Delicosus, quia Virgo speciosa facta est in deliciis tuis, quæ potestate et dignitate regia, nihil in apothecis cœlestibus est, quod non voluntati et usui ejus exponatur.

## HENRICUS, S. R. E. CARDINALIS.

### I.

#### DE PORTA DUODECIMA CIVITATIS DEI, B. V. DEIPARA.

De gloriissima Domini Dei nostri incorrupta matre et Virgine tractaturi, gloriissimum filium ejus Dominum nostrum suppliciter exoramus, ut quæ Scripturis sacris de ea gloriose inseri voluit, nobis revelare dignetur; et ea nos de ipsa loqui doceat, quæ et si non ejus congruant dignitati, nostræ saltem indignitati convenient, nostræ satisfaciant devotioni, et vel parviorum sufficient lectioni. Igitur quam multifarie, quamque multis modis olim Deus loquens patribus in prophetis eam magnifice commendare voluerit, quidam attendens, in hanc vocem metro ludens erupit:

*Multa de te sunt prophetarum locuti præsagia;  
Non ignari singulare te ditandam gratia.  
Nam qui nasci atque pasci, tua carne voluit,  
Nec Scripturis nec figuris tuas laudes tacuit.*

Prius autem quam ad ea quæ a prophetis et patribus de ipsa dicta et figurata dicuntur, accedamus; attendendum diligentius, et dicendum esse videtur quod hæc duodecima nostræ civitatis porta, de qua tractare habemus, præmissarum portarum prima sit et suprema. Prima ordine, dignitate suprema. Ab ipsa quidem extere portæ habuerunt initium, in ipsa obtinenter fulcimentum, per ipsam recipiunt complementum. Ipsa quidem in eminentiori parte civitatis sita, aliis ministrat lucem, glorie dignitatem confert, affert consummationem. Ex ipsa namque sacramenta nobis omnia profluxerunt, gratiarum omnium charismata et exempla virtutum non minus delectabiliter effusserunt. Denique ipsis etiam apostolis primo per eam velut per orientalem portam nostræ redemptiois primordia patuerunt. A quo enim melius, quæ de nostri Redemptoris infantia scripturi et prædicatur erant in universo mundo, ac fidelius potuerunt addiscere, quam ab ea quæ omnia viderat et audierat, et manibus suis tractaverat, firmiter conservaverat conferens in corde suo? (*Luc. ii.*) Unde eis nisi per eam innotuit, angelicum illud Are mundo tam suave? Unde tota ipsis angelicæ salutationis series, cuius singula verba, velut eujusdam divinæ epistolæ per angelum

allatæ, sel Spiritu sancto dictante, oracula sunt divina? Unde ipsius responsio Virginis, et ipsius angelii, qualiter quæ dicta erant ab eo fieri deberent, instructio, et conceptus Elizabeth tam prænuntiatio angelica facta ad Zacharium, quam annuntiatio edita ad Mariam? Unde Marie ascensio ad montanam, et ad salutationem ejus propheticum Elizabeth responsum, et ipsius Marie canticum non magis propheticum quam profundum? Unde tandem Domini nostri stupenda et veneranda, ipsisque cœlestibus miranda nativitas, pannorum involutio, reclinatio in præsepium, angustia diversorii, angelica apparitio ad pastores, evangelizatio magni gaudii quod foret omni populo, hymni angelici decantatio gloriosa? Hæc omnia Maria conservans et conferens in corde suo, portam se clausam usque ad octavam Circumcisionis diem mundo exhibuit: quæ jam Spiritu sancto reserata Filio Dei patuerat, et non soli Gabrieli, sed etiam multitudini cœlestis exercitus patescens luce clarissim resplendebat. Hæc etiam octavo filii sui die mundo cœpit sensim aperiri, ne si subito totam se aperiret, oculis minus sanis non tam lucem fulgore, quam cæcitatem inferet. Ea igitur die nomen illud suave auribus, dulce ori, in corde jubilum, quod sola et prima ab angelo didicerat, filie suo imponens, velut stella matutina solis noviter orientis mundo lumen invexit. Nonne per hujus nominis impositionem dicere ad singulos, dicere ad omnes tibi videtur: *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri?* (*Act. iv.*) *In quo qui benedicendum est, benedicetur in Domino. Amen* (*Isai. lxv.*) Hoc siquidem nomen efficax invenitur, non solum ad obtinendam salutem, sed etiam ad promerendam benedictionem; non solum salvat, sed etiam sanctificat; salvat a pondere peccatorum, salvat ab insidiis tentationum, salvat a temporalium periculis varietatum. *In hoc namque nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernum* (*Philip. ii.*) Flectitur virtus infernalium nequitiarum, ne tentando noceant; flectitur elatio et cupiditas hominum terrenorum, ne peccato consentiant; flectitur etiam virtus cœlestium spirituum ad hujus nominis invocationem, ut subveniendo periclitantibus

**condescendant.** Sic sic cultores hujus nominis salvantur et liberantur a malo. In hoc etiam nomine benedicuntur, promoventur et confirmantur in bono, secundum quod orat sacerdos in canone missæ, ut oblationem suam benedictam, ascriptam ratam, Deus facere dignetur. Benedictam ad sanctificationem, ascriptam ad perfectionem, ratam ad confirmationem. Sic quippe fieri solet in concessiōnibus principum, sive institutionibus testatorum. Primo namque apud principem vel precibus, vel alio modo, rei aliquis concessio nulla obtinetur: dehinc ut concessio redigatur in scripturam ad perfectionem elaboratur: tandem, ut scriptura sigillo principis ad confirmationem roboretur. In hunc etiam modum ut benedictio Domini sit plena, primo secundanda sanctificat, dehinc perficiendo multiplicat, tandem corroborando confirmat. Sed hoc non nisi in Domini nomine aliquis benedictio operatur. Legitur Job benedixisse Dominum, sed nomen Domini collaudando, dicens: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job i*). Legitur Dominus benedixisse Abrahæ, sed suum ei nomen revelando et commendando, dicens: *Ego Deus Omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus* (*Gen. xvii*). Legitur Isaæ benedixisse Jacob filio suo, sed in nomine Domini, dicens: *De tibi Deus de rore cœli, etc.* (*Gen. xxvii*). Haec triplex benedictio in Scripturis frequenter reperitur. Prima, quæ Deum benedicimus dicentes: *Sit nomen Domini benedictum*; et hanc signat principium episcopalis benedictionis, quæ primo sit in pectore, quia primo benedicendus est Deus pro jam acceptis donis quæ intra sunt, ut dicamus cum Propheta: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* (*Psal. cii*). Secundo petenda et exspectanda de ipsius benedictione et adjutorio gratiae, quæ nondum habemus. Absque ipsius namque adjutorio nihil boni facere possumus: et hoc non solum corde credere, sed et in facie Ecclesie confiteri debemus, secundum illud: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (*II Rom. x*). Hoc ostenditur in eo quod episcopus signo crucis faciem suam muniens, confitendo clara voce dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Tertio ipsum populum signans, benedictionem suam in invocatione sanctæ Trinitatis concludit. Prima harum benedictio dici potest Domino attributa, secunda a Domino retributa, tertia in popule distributa. Attribuenda siquidem est nomini ejus gratia et benedictio pro donis suis, ut dicamus ex affectu et devotione: *Benedictus Deus in donis suis*. Benedicendus etiam in omnibus operibus suis, juxta illud Prophetæ: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua* (*Psal. cxliv*). Et illud quod in eodem psalmo legitur: *Fidelis Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*ibid.*), benedicendus quoque in majestate sua. Quem ordinem videtur servasse propheta, ubi ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: et benedictum nomen majestatis ejus in æternum* (*Psal.*

*lxxi*). Nam pro donis suis enim benedicendo præmisserat: *Sit nomen ejus benedictum, ante solem permanet nomen ejus; et benedicentur in ipso omnes tribus terræ* (*ibid.*). Retribuitur autem sic benedicentibus Deum larga Dei benedictio: aliquando in affluentia temporalium; aliquando in excoriiorum eminentia gratiarum; aliquando in spiritualium largitione virtutum: et haec ultimam cæteris præferendam commendasse videtur Apostolus, ubi ait: *Benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus* (*Ephes. i*). Nam cæteræ benedictiones communiter dantur et bonis et malis: imo frequentius malis quam bonis. Sed non est invidiose aut avare occultanda aut retinenda a bonis, quia qui abscondit frumenta, maledicetur a populis; sed sicut gratis accepta, et ita et gratis danda, pie est distribuenda. Distribuitur autem in minores a majori benedictio spiritualis, aut imprecando eis bona quæ nondum habent, sicut est illud, quod dictum est Rebeccæ a parentibus: *Crescas in mille millia; et possideat semen tuum portas inimicorum suorum* (*Gen. xxix*). Aut congratulando eis pro bonis quæ jam habent, sicut illud Raguelis ad Tobiam: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es* (*Tob. vii*). Aut prophetaudo, sicut fuit benedictio Moysi ad Joseph dicentis: *De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus* (*Deut. xxxiii*). In quibus verbis salvo altiori mysterio prædicta triplex benedictio invenitur expressa. De pomis enim et rore cœli, et abysso subjacente procedit benedictio, cum ex intimo cordis affectu homo pro gratuitis beneficiis Deum benedicet, dicens cum Propheta: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui beneficet mihi. Misit de cœlo et liberavit me. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam* (*Psal. lvi*); et per hæc quasi cœli poma dulcissima liberavit me. De pomis fructuum solis et lunæ homo a Deo benedicatur, cum donis spiritualibus et temporalibus bonis ab eo cumulatur. De vertice autem montium antiquorum, sive de pomis collium æternorum, ad terram frugibus plenam descendit benedictio, cum de sublimitate vitæ sive doctrinæ doctorum orthodoxorum subditi debiantur; vel meritis et orationibus spiritualium virorum sola æterna querentium, inferiores quique ac debiles aljuvantur. Latent tamen sublimiora quædam in his verbis mysteria, quæ si subtiliter enucleentur, portæ de qua loquimur, dignitatem et gloriam plenius reserabunt. Joseph siquidem Dominum nostrum Jesum Christum, non solum nomine, sed et fratrum venditione, et Ægypti dominatione, et occulorum prophetica interpretatione aperte præfigurasse, nemo qui dubitet. Terra autem ejus caro est intemerata beatæ Virginis Mariæ, de qua Christi caro processit, de sola Domini benedictione sancti Spiritus operatione concepta, enjus benedictionis mysteria Moyses in Spiritu

mirabiliter prævidens, mirabilius sub tanto verborum involucro prænuntiare curavit, dicens : *De pomis et rore cœli, et abyso subjacente, etc.*

Ros cœli gratia est Spíritus sancti. Quædam velut abyssi subjacentis exhalatio vis est humanæ naturæ, et animalis sensuum vegetatio. His duobus caro Virginis secundata velut terra bona et optima, pomum non ligui scientiae boni et mali, sed ligui vite ex se non interdicendum, sed omnibus exponendum, produxit. Hujus secundæ generationis, scilicet incarnationis Christi mysterium, in prima cœli et abyssi creatione Deus mos figuravit, et velut quædam poma odorantia viris spiritualibus præparavit. Nec contentus est hæc poma sola amicis reponere, sed et Christi mysteria et Ecclesiæ, velut poma fructuum solis et lune eis voluit revelare. Quid enim aliud sensisse videtur Propheta, qui ait : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo, nisi quod elevato Christo ad dexteram Patris, velut sole justitiae in meridie constituto, et status Ecclesiæ confirmatus, et Christianæ religionis ordo sit solidatus?* Quid ille qui ait : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo (Habac. iii), nisi justitia et pace se invicem osculantibus, Christum et Ecclesiam post multas hereses in unitate fidei mansionis suæ habitaculum posuisse?* Sed et ipse Moyses non alia videtur poma odorasse, nisi Christi et Ecclesiæ fructus eximios, velut solis et luna poma suave olentia commendando. Hujus etiam ponis ad cumulum benedictionis adduntur vertex antiquorum montium, et poma collum æternorum, fruges denique terræ et plenitudo ejus. Montes antiqui patriarchæ et prophetæ merito sunt intelligendi; montes pro virtutis humanæ et divinæ revelationis sublimitate; antiqui, pro factorum et dictorum snorum irrefragabili et summa auctoritate. Omnia autem patriarchalium promissionum et visionum, omniumque propheticarum locutionum et revelationum eminentior vertex Christi fuit humanitas: et summa eorum intentio, quæ de Christi nativitate, baptismo, prædicatione, sepultura, resurrectione, et gloria ad cœlum ascensione, in spiritu prævidebant, verbis prænuntiari, figuris et ænigmatis presignare. Ad hunc verticem Moyses ipse ascendere cupiens, volens videre, quomodo rubus arderet et non combureretur, repressam præsumptionem suam humiliiter constitutus, ubi audisse se dicit : *Ne appropies huc. Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est (Exod. iii).* Quod ergo plene videre non potuit, plebeios multos manifeste visuros prævidit, et hanc eis benedictionem invidit, sine invidia tamen; ad amplectendam tantum benedictionis dulcedinem omnes his verbis posteros invitavit. Sed et poma collum æternorum, si non prægustasse, tamen odorasse videtur; quæ non solum odoranda, sed etiam degustanda prævidit benedictis, vel quando audituri sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (Matth. xxv); vos enim estis qui permansistis meum in temptationibus meis; et ego disposui vobis*

*regnum, ut eaatis et bibatis super mensam meam in regno meo (Luc. xii);* vel cum etiam in præsenti ascende homine ad cor altum, ut exalteatur Deus, jam Christum secundum carnem non coguoscit; sed Christum Dei verbum et Dei sapientiam, Deo consubstantiale et coæternum, adhærendo æterno factus jam ex parte æternus, et secundum Apostolum fruendo Deo unus spiritus factus, ut velut collis æternus poma non immerito proferat incorrupta. Sed ne noster Joseph tantum in cœlestibus et montanis pasci, et non nisi in montanis cubare videatur, etiam fruges terræ, qui sunt quilibet fructus digni penitentie, et eos qui pleniores sunt, fructus justitiae, dicitur acceptare. Possent etiam et aliter verba ista exponi; sed quia ad alia festinamus, breviter ea tangendo potius quam exponendo percurrimus. Moyses igitur Jesum nostrum in Joseph benedicens (*Gen. xl ix*), et ipsius præconia benedicendo prædicens, primo capituli unguentum prosequitur, dehinc quomodo sit in membra diffusum, etiam usque in oram vestimenti descendisse describit. Capiti igitur unguentorum copiam cœlitus insusam præ consortibus suis prospiciens, in pomis cœli cœlicum castitatis ipsius odorem et incorruptum celibatus ipsius notat candorem; in rore secundissimæ charitatis ejus suavitatem; in abyso subjacente subjectam et nitissimam ipsius humilitatem. His unguentis optimis caput nostrum in ipso suo exortu fragrasse, et ea a capite in membra defluxisse, satis ostensum est, cum de fundamentis antea tractaretur. Sed quæ in capite fuerunt poma cœli, in membris poma solis et luna dicuntur; quia quæ consortes habuerunt per gratiam et industriam, Christus habuit per naturam. Merito ergo solis et lunæ poma nominantur, quæ sub solis et lnnæ instabilitate mutabiliter obtinentur. Nam Christi virtutes supra solem et lunam invariabiliter constitutæ firmiter asseruntur; et ne hæc poma tam nova, tamque iusolita, immatura forte aut marcescibilia viderentur; de vertice montium antiquorum, et de vertice collum æternorum suis proponuntur. Vertex autem montium antiquorum fuit ad Patres antiquitus de Christo facta promissio, *Unde Apostolus : Abraham dictæ sunt promissiones, et semini ejus (Gal. iii).* Omnia illarum promissionum summam, et velut verticem suis illam, quæ de Christo facta est, probatur, cum subditur : *Non ait et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (ibid.).* Hanc autem promissionem testamentum vocat Apostolus, confirmatum a Deo per legem et prophetas. Non enim ex lege promissio, sed ad promissionis confirmationem et cooperacionem propter transgressiones velut paedagogus posita est, ordinata per angelos, sigla multa et magna operantes ad ejus confirmationem. Non solum autem per angelos, sed etiam prophetarum dictis prædictæ promissionis confirmatum est testimonium. Ipsi enim promissionem de Christo factam intelligentes, et velut jam impletam in spiritu prævidentes, præterita et futura

præsentianter contuena, quamdam æternitatis speciem sunt adepti, secundum illud Isaiae : *Ventura annuntiate nobis; et dicemus, quia dii estis vos (Isa. xl).* Illi igitur, quot nobis in Scripturis suis de Christi adventu monumenta reliquerunt, tot quasi poma fragrantissima, quasi colles æterni protulerunt; et Christo reservanda, ac si poma in figurarum et ænigmatum calathis recondita concluserunt. Sciebant enim secundum Salomonem, omnia poma nova et vetera Christo esse servanda. Vetera ut in eo implerentur, per eum aperirentur, ab eo distribuerentur, secundum illud : *Dedit dona hominibus (Psal. lxvii);* nova vero, ut ea semper bona crearet, sanctificaret, vivificaret, benedicere ac prestataret. Nova sunt, de quibus ait Apostolus Dominum dixisse per Prophetam : *Ecce consummabo super domum Israel testamentum novum, dundo legem meam in mentibus eorum, et non docebit unusquisque proximum suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim scient me, a majore usque ad minorem (Hebr. viii).* Dicendo, sit Apostolus : *Novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est (Hebr. viii).* Translato siquidem sacerdotio, necesse erat, ut et legis translatio fieret : et reprobato præcedenti mandato propter infirmitatem ejus, et iniuriam, quod nihil ad perfectum adduxit, introducio fieret melioris, quod jurejurando stare promitteretur in æternum (Hebr. viii), dicente Propheta : *Juravit Dominus, et non paenitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (Psal. cix).* Ea igitur quæ ad sacerdotium novum et testamentum spectant, secundum ordinem Melchisedech, semper bona sunt; et, sicut sacerdotium æternum, ita et ipsa immutabiliter bona a Deo creata, quando secundum virtutem vitæ insolubilis ab eo sunt instituta; sanctificata, quando per Christi mortem facta sunt ad propitiandum efficacia; vivificata, quia Christi resurrectione non solum ad accipendam vitæ indissolubilis virtutem, sed etiam ad dandam, a Deo sunt benedicta. Unde dicitur in Canone : *Benedicis, et præstas nobis, id est quæ in se sunt benedicta, ut habeant; benedicis, ut conseruant nobis vitam.* Ne antem unguento capitis sola proximiora membra perfusa viderentur, etiam simplicium et plebeiorum hominum pii actus ac devoti affectus ad nostri Joseph benedictionem, velut fructus humiles et de locis planioribus et inferioribus procedentes pertinere dienuntur. Sed quia hi fructus ante adventum Christi in eis qui eum futurum expectabant semipleni inveniebantur; in terra plenitudine, illi qui post adventum ejus a credentibus in eum populis plenius sunt exhibiti, denotantur.

Totius igitur multiformis hujus benedictionis, velut cœlestis enjusdam unguenti ex variis speciebus a cœlesti pigmentario confecti, plenitudo ad nos est per beatam Virginem, quasi per quamdam portam luce clariorem transfusa: unde et ab angelo dicta est in mulieribus benedicta; non solum quia Evæ maledictio per eam est in benedictionem conversa;

sed quod etiam ea mediante spiritualium a Deo accepere meruius benedictionem, et benedicendi minoribus, per Jesum accepimus potestatem, donec tandem in fine omni cœlesti benedictione et gratia repleti, solum jam Dominum laudare et benedicere habeamus, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini (Psal. cxvii);* et cum Elizabeth ad Mariam : *Benedictus fructus ventris tui (Luc. i).* Exaltabitur siquidem Dominus solus in die illa; et velut in Resurrectionis octava completa generali Circumcisione, ut jam neque nubant, neque oubantur, sed penitus tollatur de medio membra genitalis officium, quod per abscissionem præputii Abraham ostensum est, interim castigandum, ex tunc nomen Iesu quam sit super omne nomen benedictum, adorandum atque laudandum, luce clarus omnibus apparebit: tunc vere hoc nomen oleum effusum erit, quo primo per Gabrielem archangelum Mariæ infusum, clausum apud eum septem diebus permansit, et die octava per eam non tam effusum quam revelatum fuit; quia pauca adhuc erant vasa, quæ tantum olei plenitudinem capere sufficerent, et nondum venerat hora illa, qua mortuo viro vasa vacua non pauca mutuo inveniret, quibus oleum infusum, usque ad effusione excresceret. Usque hodie hoc oleum vasis vacuis infundere Maria non cessat, et nominis hujus suavitatem inexpertis divinitus revelatam velut latetis dulcedinem ex uberibus maternis instillat. Et licet hoc oleo perfusæ adolescentulæ nimis eum diligere dicantur et nomen ejus oleum fateantur effusum, interim tamen, dum peregrinamur a Domino, infusum potius satendum est, quam effusum; et currere dicendæ sunt adolescentulæ potius in odore, quam in unguenti exinaniti et consummatæ charitatis ardore (Cant. i); nec stabit hoc oleum, donec vasa deficiant, et conscientiarum ostiis apertis quæque virgo sapiens de hoc se oleo a suo redimat creditore; et de cætero ad victum et vitam tanta olei sufficiat plenitudo. Hoc nobis, o beata Maria primo de ictero tuo, postea de ore profluxit, et quem pariendo prima mundo perdito salutem edidisti, prima etiam nominando ejusdem salutis gratiam prodidisti. Tu Salvatori mundi intranti mundum porta exististi; tu accendentibus pastoribus ad eum porta patuisti. Per te magi cum muneribus stella præduce et portam ostendente ad eum intraverunt. Per te usque hodie fideles omnes ad eum accedentes, te portam, te mediaticem, te magistram habere gloriantur. Tu siquidem introducis ad fidem, testimonium fidei perhibendo; tu mediatrix es ad veniam pro peccatis credentium filium interpellando; tu magistra ad inveniendam gratiam, exempla vitæ et disciplinæ omnibus ostendendo. Tu tuum porta mihi digneris esse ad Filium, interim Incarnationis ejus et civitatis sue peregrinantis mysteria revelando, tandem ad civitatem regnantem et triumphantem in cœlis post Liæ lippitudinem accedenti, non Rachelis, sed tuam et filii tui pulchritudinem sine speculo et ænigmata revelata facie ostendendo (II Cor. iii). Sec-

eccc nam ad portam duodecimam jam per eam intratur in civitatem Domini pervenisse videamus, ipsius portæ gloria, decore et dignitate stupefacti, solitum sermonis modum excessimus, a lectore veniam postulantes, si uno adhuc sermone a civitatis ingressu portæ hujus gloriam speculando eum paululum retardamus. Nihil enim gloriosius in tota civitate postmodum apparebit, præter eum, qui ipsius portæ et civitatis fundamentum est et fundator, initium et finis, conditor et dominator. Ipse autem semper Alpha et Omega sit nostri sermonis, etc.

## II.

## DE GLORIA PORTE DUODECIMÆ VIRGINIS MARÍÆ.

De portæ duodecimæ gloria locuturi, et gloria quæ de ea dicta sunt ad memoriam reducturi: primo Moysen, qui primus de ea scripturus calcementsa detrahit, in medium adducamus; deinde per ordinem alias qui de ea seripserunt, diligenter quid quisque pro suo officio, pro loco et tempore ad ipsius portæ consummationem decoris obtulerit, attentes. Primus itaque Moyses velut calamum mensura ad metiendum virginam accepit, et obtulit ad portæ spatiæ designanda; secundus Josue solem jam declinantem stare fecit ad ipsam designationem plenus consummandam, et clarius agnoscendam. De libro quoque Judicum Gedeon aream obtulit ad ædificandum, et vellus ad exsiccaendum solum areæ ante purgandum (*Paralip. xxix*). De libro Regum David lapides, aurum, argentum, ferri, æris, lignorumque immensam copiam obtulisse probatur. Salomon thronum eburneum obtulit ad quiescendum (*III Reg. x*). Ezechias aquam piscinæ superioris per aquæ ductum avertit subter, et influere fecit in piscinam urbis interiorem, in quiescentium sive operantium usum (*II Paralip. xxxii*). Isaías florem singularis decoris depinxit, qui cæteris omnibus cælaturis in portæ ornatu emineret (*Isai. xi*). Jeremias agrum siguli, in quo necessaria omnia congregarentur, et congregata portæ usui aptarentur, triginta emit argenteis; emptum ad hoc offerens, sicut constituit ei Dominus (*Jer. xxxii*). Ezechiel quatuor rotas plenas oculis in circuitu ipsarum quatuor paratas et volubiles vidi ad quævis necessaria ferenda et transferenda (*Ezech. i*). Omittimus alias brevitatis causa, duodecim scilicet prophetas, Danielem et alios, qui inter agiographa computantur, qui omnes officiosissime in opus hujus portæ quod habere potuerunt melius, obtulerunt. Nos quoque pro modulo nostro portæ hujus gloriam, ne dicam attolere, sed saltem a longe prospicere cupientes, ea quæ breviter tangendo posuimus, brevius exponendo auxiliante Domino perecurramus. Quid igitur per virgam Moysi (*Exod. iii*) melius intelligimus, quam beatam virginem Mariam, sive rectam, flexibilem humilitate, integrum virginitatem, de qua legitur: *Egredietur virga de radice Jesse?* (*Isai. xi*.) De hac egræssus est ille serpens, qui exaltatus in cruce lysis a serpente antiquo suæ visionis medicinam paravit: qui tandem, morte superata, velut cauda mortalitatis constricta, per re-

surrectionem suam naturam humanam multis miseriis et corruptionibus distortam in virgæ rectitudinem reparavit. Per hanc virginem diversis sunt plagiis afflicti Ægyptii. Per hanc onus illud Ægypti completum est, quod legitur in Isaia: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti, et corejus tabescet in medio ipsius* (*Isai. xix*). Per hanc filii Israel ab Ægyptis liberati mare sicco vestigio transierunt. Per hanc aquæ maris divisæ, aquæ mara dulcoratæ, aquæ de silice reperiuntur excusæ. Ad tactum siquidem hujus virgæ temptationum impetus dividuntur, cum parvuli tenentur cogitatus, et ad petram Christum alliduntur. Aquæ etiam sacri eloquii dulcorantur, cum in manu hominis involutus liber in ore comedentis efficitur mel dulce. Aquæ quoque de silice producuntur, cum Christo respiciente induratum quemlibet in peccato, compunctionis lacrymæ proferuntur, juxta illud propheticum: *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal. cxlvii*). Hac virga folia et nuces ex se mirabiliter proferente sacerdotium est Aaron confirmatum, et virgæ pastoralis mysterium præsignatum. Merito a Moyse intra arcam testamenti cum manu et tabulis est hæc virgula collocata, præsignante Spiritu sancto manna divina bonitatis, et doctrinæ spiritualis scientiam, disciplinæ virgula mediante, nobis a Domino ministranda: quæ tria Propheta desiderando petere videbatur, cum diceret: *Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal. cxviii*).

Virgæ quoque pastoralis forma, eadem representat, cum monemur, virgæ aculeo velut disciplinæ correctione pungere pigrantes, doctrinæ suavitatem velut uncino superiori retrahere fugientes, sive attrahere recusantes, benignitate denique compassionis humanæ sustentare vel sublevare, velut quadam baculo, corruentes. Hujus virgæ mysterium in diversis sacræ Scripturæ locis nobis est multiplicitate commendatum. Nam et Esther virgæ aureæ summitatem osculans legitur confortata (*Esther. xv*); et Dominus in virga ferrea subditos recturus promittitur (*Psal. ii*), et virga directionis virga regni ejus describitur (*Psal. xliv*). Virginem quoque virtutis ejus ex Sion legimus emittendam (*Psal. cix*); quæ, ut breviter tangendo potius quam exponendo, perstringamus: virga aurea, Christi est rectitudo nature; virga ferrea, rectitudo vite; virga directionis, rectitudo doctrinæ; virga virtutis, rectitudo potentie, quæ licet libere et manifeste uti potuisset; voluit tamen eam sub humilitate humanæ infirmitatis abscondere, donec ad judicium veniens, eos qui ad ejus correctionem corrigi noluerunt, nec ipsius rectitudini conformari, non solum virga potentie feriat, sed etiam extrema sententiæ malleo rectissime conterat et confundat. Ne tamen penitus ignoraretur, et incognita minus timeretur, partim eam miraculis mundo innotuit: inferno per sui expiationem, plenus mundo per suam resurrectionem, plenissime et manifestissime cam ostensurus, cum

apparente ex Sion specie decoris ejus, manifeste veniet Deus noster, et non silebit. *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal. xlix*). Interim virga doctrinæ ejus dirigit ignorantes; rectitudo vitæ ejus, quæ velut virga ferrea inflexibilis fuit ad culpam, corrigit et provoca reluctantibus. Rectitudo naturæ, licet pro regali progenie, sive pro eo quod talis tamque recta est assumpta, qualisquamque recta a recto Deo in primo homine est creata, virga aurea dici possit; tamen specialiter pro animæ incorruptione virga aurea rectius appellatur. Ea siquidem, sicut virga urnæ aureæ in arca fœderis fuit juncta; sic in una Christi persona fuit divinitati conjuncta. Nam quod apud Jeremiam virga olla teste conjungitur (*Jer. 1*), illud innuere videtur, quod in eadem persona caro spiritui est conjuncta, et velut testa ferro absque omni carnalis concupiscentiæ repugnantia est subjecta. Sed, sicut virga ferrea conterit et communiat relataentes, ita virga aurea contritos et humiliatos erigit ad spem vitæ, et ad gratiam reparat obsequentes. Bene autem quam David ferream dixit (*Psal. ii*), Jeremias videre se asserit vigilantem; quia Christus nec in aliquo flexus, nec unquam obdormisse, nec vel in modico dormitasse invenitur ad culpam; sed, sicut vigil et sanctus apud Danielem jubet arborem præcidendam (*Dan. iv*), sic et apud Jeremiam virga vigilans ollam succensam, et apud David virga ferrea vas figuli confringere prohibetur.

Virga quoque aurea, sed et ferrea beata Dei Genitrix dici potest. Aurea, vel quia atavis edita regibus, vel quia aurea virga primæ matris Evæ florens rosa processit; vel quia gratia plena et inter mulieres benedicta mediante benedicto fructu ventris sui, in carne filii sui est divinitati conjuncta, ita ut illud quod dictum est ei ab angelo: *Dominus tecum* (*Luc. 1*), sicut est omnibus fidelibus commune, ita ei fuerit speciale. In aliis enim Deus dicitur esse per gratiam, ei autem ita divinitatis suæ infudit essentiam, ut ex ea etiam humanam sibi univerit naturam. Ei ergo merito antonomatice dicitur, *Dominus tecum* (*Luc. 1*), in qua non solum fuit per gratiam, sed ipsius etiam divinitatis plenitudo, sicut ait beatus Apostolus, corporaliter habitavit (*Coloss. ii*). Unde et ex ea tanquam sponsus processisse legitur de thalamo suo (*Psal. xviii*), nam et prius fuisse in ea per gratiam, sicut et in cæteris, imo eam singulari præ cæteris gratia ditatam testatus fuerat Angelus dicens, *Ave gratia plena* (*Luc. 1*). Ac si diceret, *Multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov. xxxi*). Ipsa siquidem maturior Sara, sapientior Rebecca, Lia secundior, Rachiele gratior, devotior Anna, castior quam Susanna. Ipsa gratia plenitudine, quam aliae divisim habuerunt, totaliter creditur accepisse, et absque interpolatione continuo possedit. Vel gratia plena dicta est, quia charitatis munere, sine qua omnis gratia fallax et vana est pulchritudo; sine qua nihil est, quod possit prodesse, ita repleta fuit, ut in hac perfectione

nec primam similem visa sit, nec habere sequentem. Hajus aureæ virgæ summittatem Ecclesia velut altera Esther in altari quotidie osculatur (*Esther. xv*), et osculando promeretur, ut Aman in Antichristo aduersus populum sanctorum non diu prævaleat; et ut Mardochæus, imo in Mardochæo Petrus, vel in Petro Ecclesiæ Romanæ pontifex patruelis ejus, qui solus ante Aman genua non curvabit, honore regio dignus inveniatur. Vel si summittatem virgæ aureæ libet intelligere consummationem regni sæcularis, et finem regiæ potestatis: tantam opinari possumus circa finem sæculi, Antichristo sublatu de medio, unitatem fore inter sæcularem et ecclesiasticam potestatem; ut se videantur invicem osculari, et non tam Assuerus quam Mardochæus dominetur in regno, quod mox Christus traditurus est Deo et Patri. Virgam quoque ferream dicimus beatam Mariam, non ferream in miserendo, sed ferream in sustentando; non in subveniendo ferream, sed in subvehendo. Non enim est baculus arundineus tantum, imo plus quam ligneus, quia quantum ferrum ligno præeminet in fortitudine, tantum beata Maria supra omnem humanum modum viru[m] est induita ex alto, Spiritu sancto superveniente in eam, id est supra solitum veniendi in homines modum in eam descendente, et virtute ei Altissimi obumbrante. Libenter has virgas, quas a vero Jacob in canalibus Scripturarum invenio positas, diutius immorando conspicio, ut in earum contemplatione sensus spirituales concipiā; ne si forte carnaliter concupiscendo concipiā, concupiscentia ipsa cum conceperit, pariat peccatum; et Gabaonitis mei non tam mihi aquam compunctionis comportent (*Josue ix*), quam vetustatis opera ingerendo lumbos meos repleant illusionibus; et efficiantur non solum nomine, sed et re illusores. O quoties a Gabaonitis imaginationum mearum memini mihi illusum: et ore Domini non interrogato de cibaris eorum suscepisse, ita ut contemplationis lumine velut quodam mihi sole justitiae occumbente, continuis vix tandem precibus obtinerem, ut staret sol contra Gabaon; et si non proficeret lumen contemplationis, saltem non deficeret calor devotionis: maneretque dilectus meus tecum, magis precum assiduitate coactus, quam puritate affectuum oblectatus. Heu tunc ovium mearum serotini erant conceptus. Nam qui primi temporis fuerant, Jacob cooperante (*Genes. xxx*), vario et diverso colore mysticorum sensuum apparebant respersi. Tunc quippe in lumine Domini lumen videns, aspiciebam non solum prædictas virgas, sed et populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis positas in prædictis canalibus, et tanta varietate oblectatus, in ipsis virgis Noe, Daniel, et Job, contemplabar exempla. In Noe velut in platano exaltata juxta aquam in plateis, doctrinæ rectitudinem admirabar. In Job velut in amygdalo facili decidentium florum et fructuum ubertate gaudente, fidei rectitudine delectabar. In Daniele velut in populo viridi, intelligentiæ

rectitudine jucundabar. Accedebat etiam, ne similitudo satietatis mater aliquod fastidium generaret, varietas amplior cum et in decorticatis et spoliatis tunica sollicitudinis secularis apparebat candor castitatis; in hac quæ decorticata non fuerat, viror humilitatis; in omnibus lenis teneritudo charitatis, sive ad compassionem proximi, sive ad puriorem dilectionem Dei. Et has mihi omnes virgarum varietates illa una regalis virgula de radice Jesse egressa pariebat, quam David astantem a dextris Regis circumdatam vidit varietate (*Psalm. xliv.*) Salomon ascendentem sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ et thuris (*Cant. iii.*); Moyses ut rubi virgulam ardere et non comburi (*Exod. iii.*). Ipsa siquidem merito a dextris Regis visa est astare, quæ de tota massa corruptæ et incurvatae in Eva humanae naturæ prima et sola infastum nomeu Evæ in suave illud Ave convertere potuit et mutare. Ipsa namque sinistram, quam Eva elegerat, omnino deserens, totam se convertit in dexteram: et spretis terrenis et carnalibus deliciis imagine terreni deposita, cœlestia et æterna eligendo imagine cœlestis se induit; et Dei in se similitudinem, quam primus homo rectus a recto Deo factus in rectitudine accepérat, Spiritu sancto eamdem rectitudinem in ea reparante, et spiritum rectum innovante plenissime in ea, reformavit. Recta ergo astare dicta est, quæ tam recta effecta est: et a dextris Regis, quæ Regi facta est tam proxima, quam conformis. In vestitu quoque deaurato, quia lumine sapientiae velut auri iradiata fulgore; unde et amicta sole visa est a Joanne lunam habens sub pedibus suis (*Apoc. xii.*). Lunam siquidem humanae rationis, substramentum habuit naturalis affectionis, quia humani affectus in ea non casu aut impetu ferebantur; sed illustratae rationis moderamine regebantur. Et hoc quidem deorsum in transitu præsentis vitæ, velut luna in nocte. Sursum vero in dextera contemplationis velut in die amicta erat sole, quæ alibi in ipso sole posita fuisse describitur; quia non solum luce sapientiae usus est ut vestimento, sed ei unita, posita et fundata velut in fundamento. Vel posita in sole dici potest; quia sicut in horologio gnomonem facimus prominere, ut quasi in solem porrectus solaris cursus horas designet diurnas; sic divina sapientia beatam Virginem velut virgam rectissimam humano generi gnomonem constituit; ut per eam quantum a lumine sapientiae defluxerit, humana natura cognosceret, et in ea viam redeundi ad primum punctum sue originis inveniret. Duodecim siquidem sunt horæ diei, ad quarum decimam consummandam sol sapientiae divinæ humanam naturam instituit, ut novem ordiñibus angelorum perlustratis, velut decima tandem hora homine illustrato, mediante Spiritu sancto semper ad Patrem velut ad suum rediret principium; duodenarii in eo complens perfectionem, ita in eo manens, ut nullus sit excessus; ita exiens ab eo, ut nullus recessus; ita ad eum rediens, ut nullus fiat accessus. Ab hæc

tanti luminis claritate homo cum in tanto honore constitutus esset, veniente sibi pede superbie expulsus est, et non potuit stare: et comparatus jumentis insipientibus de die divine claritatis dejectus est in profundissimam noctem humanae exercitatis.

Per hanc noctem transierunt omnes bestiae silvæ, et ab Adam usque ad Mariam tenebræ permanserunt super faciem abyssi, donec tandem adveniente temporis plenitudine sol diviuæ sapientiae qui in suo caudore ab homine videri non poterat, beatæ Mariae velut eidam humani horologii se iuxxit gnomoni; et umbram carnis quam a sua natura non habebat, de nostro accepit gnomone; ut qui in suo fulgore a nobis videri non poterat, saltem in nostra infirmitatis umbra caperetur; et iuxta Prophetam, in tali vivemus umbra; sive secundum Salomonem, in diu desiderati umbra sederemus (*Cant. ii.*). Et ista est dies, quam nascendo de beata Virgine fecit Dominus, horis eam duodecim mirabiliter pereurrente consummans, et in nostro nobis eas gnomone designans. Primam siquidem hujus diei horam habuimus in Christi annuntiatione, secundam iu ejus nativitate, tertiam in circumcisione, quartam in apparitione, quintam in ejus oblatione, sextam in fugâ ejus in Ægyptum, septimam in baptismate, octavam in apostolorum vocatione, nonam in transfiguratione, decimam in novi Paschæ institutione, undecimam in passione, duodecimam in inferni spoliatione. In hac duodecima hora visus est sol Christus occubuisse, et sepultus ad locum suum, id est ad terram, de qua carnem sumpserat, rediisse. Unde expavescens sol iste visibilis, etiam ipse non dando lumen suum visus est occidisse. Unde ait quidam sapiens: « Non erat mirum apud superos tenebras esse, cum sol descendisset a Inferos (*S. MAXIMUS hom. II in festo Pascha*). » His duodecim horis consummatus est dies justitiae, succedens diei culpæ, præcedens diem gloriae, de quibus dielus videtur scriptum: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos (Ose vi).* Nam de tertia, id est de die gloriae, videtur Salomon præmisso de die justitiae: *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, subiecisse: Ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem (Eccl. i).* Renatus siquidem sol Christus in resurrectione consummata die virtutis, habitantibus in regione umbra mortis initiat diem aeternitatis; imo errantibus in die mortalitatis illuxit dies aeternitatis. Hujus diei prima fuit hora resurrectionis, a qua cœpit sol Christus reverti decem lineis per gradus quos descenderat. Primam lineam implevit in homine, per dies quadraginta apprens discipulis, et loquens de regno Dei. Novem lineas in novem implevit ordinibus angelorum, sive a die ascensionis usque ad diem pentecostes decem gyrando diebus ad summum creditur meridiem pervenisse. Inde tandem ad aquilonem flectetur, cum veniens ad judicium, illum qui latera aquilonis elegit primo prorsus dejicit: postea propriam aream purgans, et paleas tradens igni

inextinguibili, grana in horrea congregabit, et tradens regnum Deo et Patri, eidem per omnia aequalis luce clarus apparebit. Interim *judica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant. i*), et qui de meridie tua radios tuos apostolis expandens, variis eos linguis ditasti, assistentis a dextris tuis reginae varios nobis ornatus ostendens, sive in varietate virgarum, sive in multiplicitate stellarum. Nam et post cætera quæ prædicta sunt, visa est etiam habere in capite coronam stellarum duodecim (*Apoc. xii*). Hanc coronam credo esse gloriam et honorem, quo beata Virgo coronatur et honoratur in præsentि Ecclesia, in qua duodenis festivitatibus tanquam stellis totidem, tam in se quam in filio suo, colitur et glorificatur. Harum prima est Virginis ipsius nativitas, secunda filii annuntiatio, tertia ejusdem ortus, quarta circumcisio, quinta ejus per stellam declaratio; quæ, etsi in hac festivitate tantum apparuisse describitur, tamen nulli aliarum sua stella deesse cognoscitur, per quam salutis humanae gradus aliquis declaratur; sexta, festum purificationis, septima, octava et nona triduum passionis, decima resurrectionis, undecima ascensionis, duodecima propriae assumptionis. Vel si moraliter libet has stellas intelligere, dicamus eas duodecim virtutes, quas fructus Spiritus Apostolus enumerat, dicens: *Charitas, gaudium, Pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Galat. v*). Harum virtutum merita sibi Virgo accumulans, earumdem præmiis velut stellis totidem creditur a Deo coronata. Per castitatem siquidem abdicavit illicita desideria; per continentiam abnegavit sibi superflua; per modestiam moderata est etiam necessaria; per fidem respectum habuit potius ad æterna, quam ad præsentia bona; per mansuetudinem se exhibuit socialem; per benignitatem liberalem; per bonitatem servavit in obsequiis simplicitatem, secundum illud. *Qui tribuit in simplicitate* (*Rom. xii*). Per longanimitatem perseverantiam, patientiam persecutionibus exhibuit, ne frangeretur; pacem, ne turbaretur; gaudium, ne accediat; per charitatem ad ultimum quæ est vinculum perfectionis, prædictas colligavit et consumavit virtutes (sicut solent auro in corona pretiosi lapides colligari), cavens ne privato aliquo amore coronæ claritas fuscaretur. Vel sic, casta fuit affectu, continens ab actu. Est enim continens actu, qui non est castus affectu. Et est castus affectu, qui non continet ab actu: qualis credendus est fuisse Abraham. Modesta vici et habitu, fidelis sine ruga simulationis; mansueta, ne inaccessibilis; benigna, ne inexorabilis; bona, ne implacabilis; longanimis, ne inconstans et variabilis: patiens, ne irascibilis; pacifica, ne perturbabilis. His decem virtutibus coronæ circulus consummatur: et forte ipse est denarius qui laborantibus in vinea moralis actionis, consummato opere pro mercede datur. Sicut enim denarius Regis præfert imaginem, sic

pax quæ decimo constituitur loco hominem Filium Dei facit, et paternam imaginem in Filio representat, juxta illud Evangelicum: *Beati pacifici, quoniam Filius Dei vocabuntur* (*Matth. v*). Alibi quoque in Evangelio quæ sit ista pax edocetur, cum dicitur: *Discite a me, quia misericordia sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth. xi*). Ecce hanc requiem parit humilitas; imo non aliud est hæc pax, quam ipsa humilitas.

Quid enim nocere potest bono æmulatori; quid perturbare hominem vilia de se sentientem, vilitate gaudentem, de illatis injuriis et contumeliis gloriantem? Sic quippe humilitatis magister contumeliis et tormentis interrogatus, nec contumeliis turbari, nec tormento potuit superari. Bonus denarius humilitatis, qui dum totum quod est summo attribuit largitori, non solum decimam, sed et primitias bonorum suorum summo exhibit sacerdoti, coronæ denarii principium unius fini, ut in unum coeant alpha et omega. Corona cum principium obtineat castitas, quæ per incorruptionem proximum Deo facit hominem, et similem; et finem concludet humilitas, quæ est castitas animæ; per quam cum solus Deus glorficandus cognoscitur, bona voluntas hominis ad pacem componitur; et non solum imago Dei, sed et similitudo in homine reparatur. Hæc corona gratia Dei operante et gratiae Dei homine cooperante, in præsentí vita perficitur; et secundum prophetam corona gloriæ noscitur (*Isa. LXI*). Quæ vero sequuntur, gaudium scilicet et charitas, velut duo hemisphæria sphærae prædicti circuli superaddita, diadeina regni perficiunt; ipsa tamen in præsentí vita non solum non perfici, sed et dimidiari vix possunt. Unde et factum esse dicitur silentium in cœlo, quasi media hora (*Apocal. viii*).

Propheta dies illos vocat dimidios, in quibus dum adhuc orditur, succeditur. Hæc igitur in summitate sibi cohærentia, ut circulo coeant, deorsum a se invicem disparantur, tenentque singula quæque locum sortita decenter. Gaudium siquidem a lava protensus in dexteram, suo hemisphærio cognitionem prætendit veritatis; charitas suo hemisphærio æ tergo tendens in faciem, cæteris omnibus supereminet: et præcellens cætera quasi spiritus principialis confirmat et consolidat in amore virtutis. Huic in summitate cohæret gaudium, quod parit notitia veritatis, quoniam sursum et ibi anima adhaerens Christo unus spiritus est; amor ipse notitia est, et una et summa ibi virtus est, amare quod videoas, et videre quod ames. Sic quippe per charitatem anima unitur verbo, sicut corona unitur illi, de quo tota pendere cernitur, lapidi, ut merito dicatur corona de lapide pretioso; non quod sit tota de substantia lapidis; sed quod de plenitudine pretiosissimi lapidis Christi, quidquid pretiositatis aut pulchritudinis habet, credenda sit accepisse. A Christo siquidem emanat ad animam, quidquid percepit gaudii de notitia veritatis, quidquid meriti de amore virtutis. Ab .. siquidem est gaudium, quod in-

funditur homini de contemplatione invisibilis et creatæ essentiae : quod cœnum temporalium bonorum pertransiens, parit contemptum mundi. Ab ipso etiam velut ineffabile gaudium emanat, quod infunditur homini de contemplatione invisibilis et increatae essentiae, quod dexteram amplexans parit in homine contemptum sui. Hoc ipsum in eo notatur, quod area propitiatorio, propitiatorium alis cherubim tegebatur. Et sicut ex contemplatione invisibilium creaturarum visibilium amor obducitur ; sic ex contemplatione creatricis essentiae amor sui spiritus et creatorum omnium temperatur. Felix anima, cui temporalia bona velut lævam dilecti pro pulvinari habenti sub capite, letitia spiritualis de veritatis contemplatione concepta, contemptum omnium temporalium parit ; et per contemptum omnium otium parat, querendi studium reparat ; et ad vacandum et videndum quam suavis est Dominus, incessanter invitat. Hæc tam feriata, tamque occupata inquisitio, heinisphærium gaudii spiritualis a suis terris initiat, secundum illud Prophetæ : *Lætetur cor querentium Dominum (Psal. civ).* Hinc anima perfecta lectuli otio, et nocturni silentii opportunitate captata, querendo circumneundo ad superiora concendit, donec se ipsam pertransiens transeat in dilectum ; et fruendo eo invenisse se quod quæsierat, glorietur ; et tenere fortius statuat, ne avolans elabatur. Si autem vocem dilecti audierit dicentis sibi : *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me faciunt avolare (Cant. vi)*, paret humiliter, licet invita ; dexteram tamen gestieus retinere, tota interim in gratiarum actione versatur : gustatæ abundantiae memoriam suaviter eructans, secundum, illud. *Cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquia cogitationis diem festum agent tibi (Psal. lxxv).* Cogitatio siquidem in summo sola soli Domino confitetur ; deorsum recordatio diem festum agere dicitur, cum multis gratias agendo delectatur. Non est hoc gaudium de vanitate, non de con-  
cupiscentia oculorum, nec de vita superbia ; quo gaudio dictus est gaudere mundus a Domino, ubi ait. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini : sed illud, de quo subjungitur, tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. xvi).* Et illud, de quo ait Propheta : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo (Psal. iv).* Et alibi. *Euntes ibant et flebant, mitentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione ; portantes manipulos suos (Psal. cxxv).* Tales manipulos exsultationis, quales prædictimus, de agro piaæ actionis profert laboriosum exercitium studii spiritualis. Unde Apostolus : *Disciplina quæ ad præsens est, non videtur gaudii, sed mœroris; postea vero exercitatis per eam pacatissimum fructum afferet (Hebr. xii).* Audivimus fructus gaudii ; queramus fructus charitatis. Charitatis hemisphærium a dorso dictum est protendi in faciem. Dorso siquidem onera imponi, atteri etiam flagellis dorsum solet. Unde Propheta : *Supra dorsum meum fabricaverunt pecca-*

*tores (Psal. cxxviii).* Usque ad tales fabricatores extendit se charitas per compassionem, multo amplius compatiens persecutoribus, quam patiens a persecutoribus : quod manifestissime appetet in S. Stephano, ut omittamus illam incomparabilem Christi charitatem, qua pro suis persecutoribus exoravit dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt (Luc. xxiii).* Non contentus orare, addidit et excusare. Stephanus suis lapidatoribus orando compatiens, aspera invectione eos redarguendo, zelum suæ compassionis manifestat, dicens. *Incurcumeci cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (Act. vn).* Sive ergo arguat, sive obsecrat charitas, officium compassionis exsequi comprobatur. Quanto autem per compassionem amplius in imis velut a posterioribus affligitur, tanto defæcatior et purior ad summa dilatatur, et summo angulari lapidi Christo, qui vere factus est in caput anguli, vicinus coaptatur. Ubi quia terrena inhabitatio sensum multa cogitantem moram facere diutinam non permittit, descendendo in faciem earnis se extendit, dum per congratulationem illis qui se ad anteriora extendere contendunt humiliiter congratulando consentit, a dorso flens cum flentibus, a facie cum gaudientibus gaudens. In hunc igitur modum virtutum omnium regina charitas, et soror ejus lætitia spiritualis, in summo residentes mutuis complexibus uniuntur, ineffabilia et dulciora super mel et savum oscula permiscentes; ita quod non jam duo dicendæ sint, sed una perfrutio summi boni ; quæ vere finis præcepti, finis legis, finis totius consummationis, finis laboris et portus quietis. Quod si moraliter hanc coronam libet interpretari ; melius hoc in locum illum servamus, ubi portæ istius faciem coronis aureis curvabimus adornare.

In his omnibus varietatibus ab illa Trinitatis simplicitate, quæ in fundamento ostensa est, nequam receditur ; cum ubique una Trinitas et tria unitas expressa reperitur. Ecce enim, ut cætera prosequamur, habemus in virgula fumi myrrham castitatis, cuius actus est mortificatio ; thus humilitatis, cuius actus oratio ; habemus ignem charitatis : quo succensæ prædictæ species subtilissimum, suavissimum, ac purissimum emittunt fumum, quo et sordes purifcentur et olsacientes delectentur, et intuentes illuminentur. In rubi quoque virgula habemus per ruborem pudorem castitatis, per aculeos humilitatem continuæ pœnalitatis, per ignem non consumentem suavissimum ardorem charitatis. Hoc igne succensa B. Virgo Maria civitatem nostram velut porta lucis purificare, jucundare, illuminare, fumo [forte flamma] excellentissimæ suæ opinionis non cessat ; meritis purificans, beneficis jucundans, exemplis eam illuminans et inflammans. Et hæc dieta sint pro virga measure et solis statione, quæ Moyses (*Exod. iv*) et Josue ad portæ nostræ gloriæ et decorem dicti sunt obtulisse (*Josue x*). Quæ duo in Cantico suo notasse videtur Habacuc, ubi ait : *Stetit et mensus est terram (Habac. iii).* Ubi enim

Christus sol noster moriendo dimensus est metas humanæ mortalitatis, ibi vere stetisse et maxillas Leviathan hamo divinitatis sub esca carnis abscondito perforando, diabolum ejecisse et leonem rugientem leo de tribu Juda probatur superasse. Stat etiam: nobis idem sol in hac porta; quia qui in contemplatione divinitatis suæ diu stare non possumus, opponente se mole corporis quod corruptitur et animam aggravat, in suæ humanitatis humilitate suaviter requiescimus; et in ipsis factis et verbis velut in solis radiis lucis candore et devotionis calorem reperimus, spectantes illad Salomonis: *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant. v.*). Et in hac solis visione subtilius nos ipsos metimur, cum ex operum ejus comparatione, seu verborum indagatione, quantum ad eum profecerimus, sive quam longe adhuc ab eo distemus agnoscimus. Coaretat nos angustia jamjam finiendi sermonis, et cætera quæ sequuntur breviter transeunda indicit.

Quid igitur vellus Gedeonis (*Judic. vi.*) aliud intelligimus, quam beatam Mariam, quæ humanæ nature velut ovi centesimæ, quæ errando perierat, tandem ad tegumentum et ornatum data esse cognoscitur? In hanc rōs divine gratiæ cum tanta plenitudine placido se infudit illapsu, ut merito gratia plena dicta sit ab angelo et de ejus plenitudine tota humanæ naturæ area, quæ usque ad illud tempus secca et absque humore charitatis arida perstiterat, invenitur perfusa. Quidquid enim spiritualis gratiæ Ecclesia in toto orbe diffusa in membris suis majoribus sive minoribus percipit, totum sibi de hujus velleris fecunditate provenire, et suæ capacitatibus concham expresso vellere rore compleri, humiliiter recognoscit. Et sic quidem velut hæreditati suæ pluviam hanc voluntariam segregavit ille, qui sicut pluvia in vellus descendit, et suo descensu vellus ab omni humore carnalis concupiscentiæ lavit, purgavit, et desiccavit; ut aream tali humore madidam siccitate velleris detergeret et mundaret, portans in se iniurias omnium nostrum et afflictus propter scelera nostra. Quod si propositæ Trinitatis libet in his investigare vestigium, habemus in vellere, quod cum de carne trahat originem, nullam tamen carnis habet sensibilitatem, humanæ castimonie venustatem. In area, in qua omni asperitate in planitiem versa quælibet altitudo detumuit, humanæ humilitatis æqualitatem. In pluvia divinæ charitatis dulcissimam suavitatem; quæ humanæ castitati et humilitati confert initium, profectum et consummationem. Non autem venit hæc pluvia super montes Gelboe, super quos pluit potius Dominus laqueos, ignem, sulphur, et spiritum procellarum (*II Reg. ii.*). Ladem in auro et argento et lapidibus præparatis a David, facile diligens lector inveniet. Quibus si æs, ferrum, et ligna cedrina jungantur; non erit absonum in ære,

quod cæteris metallis est durabilius, eam intelligere, quæ non excidit, charitatem; in ferro quod durius, eam quæ nulla liquatur mollitie castitatem in ligno cedrino patientissimam humilitatis et insuperabilem lenitatem. Nam quod dicit Isaías: *Pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum* (*Isa. lx.*), congrue intelligi possunt in ære, ferro et lignis, prædictæ virtutes, cum sint in sclo actu; pro quibus dantur a Deo illæ quæ sunt in affectu. Nec illud Salomonis incongrue huic sensui aptari potest, quod de beata Virgine in persona dicitur angelorum: *Quia faciemus sorori nostræ, in die qua alloquenda est?* Si murus est, *adificemus super eum propugnacula argentea;* si ostium est *compingamus illud tabulis cedriis* (*Cant. viii.*). Murus siquidem fuit, quandiu per humilitatem suæ celavit excellentiam sanctitatis. Sed quia vera humilitas nunquam novit esse otiosa, habuit etiam hic murus propugnacula argentea, cum se ipsam per charitatem exercuit in operibus pietatis, et claritate enituit perpetuae castitatis. Facta est etiam ostium, quæ prius murus fuerat; cum superveniente in eam Spíritu sancto, et virtute Altissimi ei obumbrante, quæ prius alscenderat per humilitatem conservans et conferens in corde suo, iis qui scire ea digni inventi sunt, revelavit per charitatem. Compactum quoque fuit hoc ostium tabulis cedrimis; quia et tabularum planitiem in humilitatis habuit æqualitatem, et cedri naturam incorruptibilem retinuit in virginitatis integritate. Bene autem dictum est: *Compingamus*, quia virtutes istæ ex quo versæ in habitum transierint in affectum cordis, tanta invicem inveniuntur unitate compactæ, ut non jam aliud sit humilitas vel castitas, quam charitas, et in uno charitatis præcepto præcepta omnia cætera consummentur. Non autem sic est de illis quæ sunt in actu, cum modo unam, modo aliam oporteat exerceri, et pro loco, pro persona, pro tempore, opus ipsum oporteat variari. Intermittendus etiam aliquando est earum actus, ut latius se extendat, secundum illud: *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam* (*Eccli. xxxviii.*). Hac quoque nos ratione inducti, paululum quiescendum duceimus a labore scriptitandi, ut, quiete modica recreati, quæ supersunt facilius explicemus. Invitat nos etiam ad pausandum thronus ille eburneus, qui primo describendus occurrit: de quo legitur quia non est factum tale opus in universis regnis (*III Reg. x.*). Petimus autem veniam a lectore quod, iuxta promissum, non omnia prædicta sub uno sermone conclusimus, quoniā spiritum ducem sequimur, et quoconque ducit ille, illuc et sequi necesse est rotam nostræ investigationis. Ut enim verum fatear, stante illo, stat ista; eunte illo, et ista; et cum elevato pariter elevatur. Ipse autem semper alpha et omega, etc. (Tract. 12.)

## PETRUS CANTOR.

*B. Maria Deipara cæteris virtutibus humilitatem præposuit.*

Beata Virgo imitatrix Filii sui, in cantico suo'præ cæteris omnibus virtutibus, quas habuit, humilitatem præponit, inquiens : *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (Luc. 1). Item David in psalmo cxxx: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* In hæc præcipue virtute commendatur David. Item : Legimus quendam eremitarum in visione vidisse in aere mundum plenum laqueis, et quæsisse sic ab angelo sibi familiari : *Quis evadet omnes laqueos istos? Cui respondit angelus: Sola prudens humilitas. Est enim incauta humilitas, quæ est cognata stultitiae.* Item : Notandum quod tres sunt gradus acquirendæ et conservandæ humilitatis. Primus est pensare, quid non habeas; secundus, quod nil a te habeas; tertius, cogitare te posse amittere quod habes. In primo invenis te imperfectum, tum in naturalibus bonis, tum in gratuitis. In secundo, te nihil proprium habere : *Quid enim habes, o homo, quod non accepisti?* (I Cor. iv.) Et de plenitudine ejus nos accepimus omnes (Joan. 1). In tertio : Timeas ruinam et lapsum,

scilicet, ne auferatur a te quod videbaris habere. Item : Dominus in principio sermonis sui commendans humilitatem, quasi præcipuum ad fidei Christianæ religionem, apud Matthæum ait : *Beati pauperes spiritu, id est humiles, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v). Item, David intuens humilitatis utilitatem, eam commendans ob hoc, ait in psalmo xvii : *Quoniam populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.* Item : *Ego dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum, quia humiliatus factus sum nimis et abjectus, bona abjectione; ideo exaudisti vocem orationis meæ.* Item in eodem : *Quoniam resexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam* (Psal. xxx). Item in psalmo ci : *Respexit in orationem humilium.* Item in psalmo xxiv : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimittite universa delicta mea.* Præcedit enim humilitas laborem pœnitentiae ad hoc, ut dimittantur peccata. Item in Evangelio : *Qui se exaltat, humiliabitur* (Luc. xiv); quod est : *Qui se exaltat exaltatione superbie, humiliabitur depressione pœnæ, et, qui se humiliat virtute, exaltabitur, in præsenti et in futuro.* In præsenti, augmento virtutum et honorum operum, in futuro, gloriæ collatione. (Verbum abbrev. cap. 13.)

## PETRUS BLESENSIS, BATHONIENSIS ARCHIDIACONUS.

## SERMONES IN B. VIRGINEM DEIPARAM.

## I.

## IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARÆ.

*Gaudemus omnes in Domino, diem festum celebrantes, etc.* <sup>1</sup>. Gaudent angeli, quia Christi Mater hodie in cœlum assumpta est. Cum homines gaudent, qui semper sunt in tristitia et mœrore, quomodo non gauderent angeli, quorum natura est gaudere, quorum conditio tristitiam non admittit? Qui gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, quomodo non gauderent super Matre Dei cœlos ascende? quare non gaudent angeli, cum gaudeat Dominus angelorum? Gaudet Christus, et Matri suæ hodie festinus occurrit: nec designatur suæ legi satisfacere; per quam parentes honorari præcipit. David qui Christi figurativam gerebat imaginem, gaudebat et psallebat coram area veteris testamenti<sup>2</sup>. Putatis quod non gaudeat Christus coram area novi testamenti, coram cella aromatum, coram propitiatorio exauditionis, coram saerario Spiritus sancti? Gaudent angeli, et occurrant Dominae suæ, Reginæ angelorum

rum, mediatrici Dei et hominum. Attendant quid olim fecerit Joannes, dum adhuc esset in utero matris suæ. Quamvis esset clausus et nondum productus in lucem, gaudens tamen gestiebat in occursum Mariæ<sup>3</sup>. Anima pueri liquefacta est, ut Mariæ locuta est. Liquefiant angeli, et vocem Mariæ audiunt, et Mariæ præsentia fructuunt. Gaudent pro se, gaudent pro nobis: pro se, quia suam in cœlo recipiunt Advocatam. Neininem, quæso, moveat, fratres mei, quod Mariam voco Reginam angelorum et Dominam.

Gloriantur angeli se illam habere Dominam, quam Dominus angelorum sibi elegit in Matrem. Ipsa quanto gloriosius et ineffabilius peperit Filium et hæredem Dei, tanto differentius, et præ cunctis gloriosius nomen hæreditavit. Magnum et gloriosum est in angelo quod factus est Dei minister. Procul dubio majus et gloriosus est in Maria, quod facta est Dei Mater. Sicut Apostolus dicit : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta sunt quæ præparavit Deus diligentibus se*<sup>4</sup>. Si Deus præparat tam pretiosa diligenti se, quanta

<sup>1</sup> Off. eccl. in miss. <sup>2</sup> II Reg. 6. <sup>3</sup> Luc. 1. <sup>4</sup> I Cor. 2.

putatis preparat gignenti se? Cui angelorum dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. ? Adhuc eminentiorem vobis demonstro prærogativam. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Cui angelorum dictum est unquam tam venerabile, tan⁹ amabile, tam familiare verbum: *Veni, inquit, electa mea, veni*<sup>1</sup>. Vocatio est ad supereminentem gloriae mansionem. *Multi quidem sunt vocati; pauci vero electi*<sup>2</sup>. Ista est vocata et electa, non solum electa, sed et præelecta. Elegit eam Deus, et præelegit eam. Beata, Domine, quam elegisti, habitabit in atriis tuis, imo si verba Domini attendamus, habitabit in ea, et ponet in ea thronum suum, quoniam elegit eam in habitationem sibi. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*<sup>3</sup>. O Virgo virginum! O virginum decus! videbaris derelicta eo tempore quo fructus ventris tui, fructus terræ sublimis ascendit in cœlum; sed non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocabitur voluntas Dei in ea, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis in Virgine, et habitabit in te filius tuus<sup>4</sup>. Et hoc est quod ipse dicit: Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, ut tecum sim, et tecum quiescam. Sunt ali⁹ throni quidem scilicet divini spiritus multa Deo familiaritate conjuncti: sed beata Maria longe conjunctior est filio suo, cum sint duo de carne una. Hanc prærogativam dedit Pater Filio, ut sit ei consubstantialis: hanc prærogativam habet Mater, ut sit ei consubstantialis. Ipsa quidem significata per nominatissimum thronum illum Salomonis. Ad hæc hodie vocata et electa est, ut sit thronus, ut sit quasi solium excelsum et elevatum. Elevatum dico super chorus angelorum. Thronus, quia super eam requiescit Spiritus Dei: thronus quidem, sed non thronus de quo fulminat, de quo terribiles mortis sententias, et decreta damnationis æternæ promulgat. Sic⁹ scriptum est: *De throno Dei procedunt fulgura, voces ac tonitrua*<sup>5</sup>. Ut verbis civilibus utar: De throno hoc Christus jurisdictionem exercet pacificam: Filius enim per præsentiam, per preces et merita suæ Matris largitur captivis indulgentiam, clausis aperitionem, cæcis illuminationem, laborantibus requiem, infirmantibus sanitatem, indigentibus abundantiam, metuentibus securitatem, inter amicos fidem, inter inimicos pacem, in dubiis certitudinem, in errore consilium, in tribulatione solatium, in bello propugnaculum, in exilio refugium, in naufragio portum, ignorantibus sapientiam, humiliantibus exaltationem, pupillis et viduis consolationem, incipientibus et proficiens gratiam, perficiens et triumphantibus gloriam et coronam. Auferatur corpus istud solare de mundo, et non erit nisi nox. Auferatur Maria de cœlo, et non erit in hominibus nisi cæcitas tenebrarum, error turbinis, et caligo involvens. Matrem suam Christus reliquerat ad tempus in terris, donec

omnia, quæ familiarius in Filio suo viderat, et in corde suo diu contulerat, discipulis communicaret: atque, juxta vetus eloquium, contrito capite serpentis antiqui<sup>6</sup>, credentium cordibus fidem et amorem Christi impressius et firmius intimaret, Christique Ecclesiam, quam erudiendam in ejus ascensione receperat, Filio suo sine ruga et macula representaret. Videbatnr Christo quod non totus ascendisset in cœlum, donec illam ad se traxisset, de cuius carne et sanguine traxerat corpus suum. Desiderio ergo desiderabat Christus habere secum vas illud electum, corpus Virginis dico, in quo sibi bene complacuit, in quo nil quod Divinitati posset displicere, reperit: quod omnium virtutum affluentia, omnium plenitudine gratiarum, omnium cœlestium aromatum odore perfudit. Hæc est in cuius utero ex diversis speciebus, divinitate, carne, et anima conformatum est manu Spiritus sancti mirabiliter et ineffabiliter illud thymiam, quod Christus assistens pontifex futrorum bonorum in ara crucis Deo Patri sacrificium obulit vespertinum. Ratione hujus thymiamatis odorifera facta est et suavis in deliciis suis sancta Dei genitrix. Ascendit itaque quasi virgula fumi ex aromatibus myrræ et thuris, et universi pulveris pigmentarii<sup>7</sup>. Hinc est quod quidem angelici spiritus cum aliis angelis beatæ Virgini transeunt de hujus sæculi deserto non astierunt, forte missi propter eos qui hæreditatem capiunt verbum salutis<sup>8</sup>, tantæ fragrantie, tantæ suavitatis delicias admirantes. Quæ est, inquit, quæ ascendit de deserto deliciis affluens<sup>9</sup>? Quasi dicent: Quomodo potuit inveneri tanta cœlestium deliciarum affluentia in desertovite mortalibus, ubi non est nisi dolor, et labor, et afflictio spiritus? Nos qui pascimur in bônis Domini, quos in civitate Dei fluminis impetus laetificat<sup>10</sup>, nou a torrente voluptatis, sed a gloria vultus ejus tantas delicias in nobis habemus. Cessent, quæso, angelicæ potestates admirari hujus deserti delicias; nam quæ fuit olim desertum, facta est hortus deliciarum, sicut Isaías dicit: *Ponet desertum ejus delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini*<sup>11</sup>. Delicias in Virgine voco, quia est a Domino præelecta, et prophetis prænuntiata, a patriarchis optata, ab angelo salutata, a Spiritu sancto secundata: quod in virga Aaron, quod in vellere Gedeonis, quod in Ezechielis porta, quod in rubo Moysi presignata; sine corruptione secunda, sine gravamine grava, sine dolore puerpera, quod ipsa est vitæ janua, quod virginum primiceria, quod simul est Dei æterni amica. Non miretur angelus si assumatur in splendore et gloria Mater Dei et ancilla, soror et sponsa, mater et filia. Deliciae hujus sæculi momentaneæ et umbrales sunt: in quibus cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat: sed delectationes in dextera ejus usque in finem<sup>12</sup>. O quantæ, et quam inæstimabiles deliciae; quas nulla pœnitudo sequitur,

<sup>1</sup> Cant. 2. <sup>2</sup> Matth. 22. <sup>3</sup> Psal. 451. <sup>4</sup> Isai. 62. <sup>5</sup> Apoc. 4. <sup>6</sup> Gen. 3. <sup>7</sup> Cant. 5. <sup>8</sup> Hebr. 1  
<sup>7</sup> Cant. 8. <sup>9</sup> Psal. 45. <sup>10</sup> Isai. 51. <sup>11</sup> Psal. 15.

nullus finis aorumpit, nulla sollicitudo conturbat, nulla suspicio comitatur. O quanta prudentia ! O quanta securitas ei servire, quæ felici commercio bona ineffabilia pro minimis, et pro temporalibus æternis retribuit ! Mater Dei olim Filium suum collocaverat in humili præsepio : hodie in solio sublimi collocatur a filio. Filium suum posuerat in medio duorum animalium, hodie collocatur a filio in supereminentiam angelorum. Olim filium suum deduxerat in Ægyptum, hodie a filio de deserto hujus saeculi translatum in cœlum. Induerat filium suum vilibus pauciculis, hodie a Filio suo stola perpetuae jucunditatis decoratur : humanitatem Filius ei suam communicat et divinitatem suam, æternitatem suam claritatem, suam jucunditatem, ut videatur et teneatur, et possideatur a matre quasi unigenitus a Patre Jesus Christus, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## II.

## IN EADEM ASSUMPTIONE.

Hodie in curia cœlesti inter principes et potestates angelicas celeberrima est gratiarum actio et vox laudis, quia in cœlum assumitur Mater Dei. Nos autem potius plangere quam plandere decet, qui in hac valle lacrymarum privavimus illius presentia, quæ nobis erat publica occasio gaudiorum. Speret tamen et exspectet per eam peregrinatio nostra solatium tempestivum. Assumitur enim ut trahat nos post se in odorem unguentorum suorum<sup>1</sup>, vadit parare nobis locum; præcedit advocata si delis, et potens procurare nostræ salutis negotium, vadit ad Filium: amor dabit dona hominibus, tanquam Mater Dei, dona regni, Regina cœlestium potestatum, cœli et terræ possidens principatum. Arca seederis longam moram fecerat in Azoto; sed hodie, reducente David, solemnis exultatione suscipitur in Jerusalem, quia Maria de valle miseriae et plorationis assumpta, cœlestem ingreditur civitatem. Vere benedicta haec inter mulieres<sup>2</sup>, et dum Christum in terris suscepit, et dum in cœlis a Christo suscipitur. Vere beata quæ secure dicere potest: *Beatum me dicent omnes generationes*<sup>3</sup>. Haec est Virgo sapiens, quæ fatus virginibus remanentibus foris, cum sponso ingreditur ad gaudium nuptiale. Conqueruntur fatuæ virgines quod earum lampades extinguntur<sup>4</sup>. De ista scriptum est: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*<sup>5</sup>. Propter hanc lucernam et admirabile lumen, quo circumfusa erat B. Virgo dum assumeretur in cœlum, mirabantur angeli lucis, et dicebant: *Quæ est ista quæ procedit, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol*<sup>6</sup>? O quam pulchra est ascensio tua, pulcherrima mulierum ! o quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Ea enim charitate qua-

volut minorari paulo minus ab angelis<sup>7</sup>, voluit et ipse Matrem suam glorificari præ angelis. Cum ergo Filius hodie Matrem suam traheret in odore unguentorum suorum<sup>8</sup>, ipse est enim odor vite invitam, quid putas eam dicere, nisi quod antecessor ejus patriarcha quandoque dicebat: O Virgo virginum diligenter, quæso, inspicie, attende et vide utrum iste sit filius tuus quem olim pauciculis involvebas, quem ducebas in Ægyptum<sup>9</sup>, quem quærebas in Jerusalem, quem a Judeis ligatum, flagellatum, consputum et stipiti videbas affixum<sup>10</sup>, si tamen maternis oculis Filii cruciatum videre poteras, quem nunc gloria et honore coronatum<sup>11</sup> super omnem angelicam potestatem et super omne quod excogitari potest, conspicis exaltatum? O gratia plena, vere hodie Dominus est tecum, et tu cum Domino, ut tu cum eo habites et quiescas, et ipse tecum habeat habitationem et requiem. Tu es enim de qua dicit: *Hoc requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo quoniam elegi eam*<sup>12</sup>. Vere gratia eras plena quæ peperisti plenum gratiæ et veritatis<sup>13</sup>, nunc ab eo recipiens plenitudinem gloriæ et honoris. Concepto filio, cantabas olim: *Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*<sup>14</sup>, nunc potes magnificentius exsultare suscepta a filio. Pro omnibus filiabus Sion quæ exsultaverunt in rege suo, exsultat hodie spiritus tuus in Deo salutari tuo. Factum erat germen Domini in magnificientia et gloria, et fructus ventris tui sublimis; quia Jesus Christus est in gloria Dei Patris. *Elevata est post filium tuum magnificencia tua super cœlos*<sup>15</sup>, ut in terris tuam non deserat carnem, qui terrenam de carne tua traxit originem. Credo siquidem quod qui nascendo integrum custodivit in matre virginali signaculum; ipse corpus virginis, in quo per ipsum plenitudo deitatis habitare dignata est, servavit ab omni mortalitate et corruptione illesum. Sane quæ tota vixerat casta, tota immaculata, tota impollata et integra, quomodo sentiret aut sentire deberet, quid esset humani corporis corruptela? Secure jam potest in cœlum ascendere quæ in terris vitam duxit angelicam; relinquens hominibus pacem, firmans in eis fidem, et inexstirpabilem charitatem. Gaudeant hodie Adam et Eva parentes, aut potius peremptores nostri, quia, dum Maria cœlum ingreditur, posteritati ejus reseratur ingressus. Eva nos duxit in miseriam, ista nos exaltat in gloriam. Haec est mulier illa fortis, quam Salomon potius prophetando quam dubitando quærebat, eum diceret: *Mulierem fortem quis inveniet*<sup>16</sup>? Haec seeptrum exactoris, et virgam oneris ejus superavit, *sicut in die Madian*<sup>17</sup>; nœ mediante filio fortem armatum fortiter alligavit, haec est quæ caput antiqui serpentis contrivit. Insidiabatur equidem serpens calcaneo ejus, sed non profecit. Venit enim princeps mundi hujus

<sup>1</sup> Cant. 4. <sup>2</sup> Luc. 4. <sup>3</sup> Ibid. <sup>4</sup> Math. 25. <sup>5</sup> Prov. 51. <sup>6</sup> Cant. 6. <sup>7</sup> Hebr. 2. <sup>8</sup> Cant. 6. <sup>9</sup> Math. 2. <sup>10</sup> Matth. 27. <sup>11</sup> Psal. 8. <sup>12</sup> Psal. 151. <sup>13</sup> John. 1. <sup>14</sup> Lue. 1. <sup>15</sup> Psal. 5. <sup>16</sup> Prov. 51. <sup>17</sup> Isa. 9.

et in ea non habuit quidquam. Cum caput et fortitudo serpentis illius consistat in carnis illecebra et superbia mentis, ipsa utramque suggestionem virginitate et humilitate destruxit. O superbe, o invide, o maligne, ubi est nunc dolositatis tuae præstigiosa malitia? Domine Deus Sabaoth, qui liberasti populum tuum per feminam; non dico Delboram, sed Mariam, video quia hic est serpens, hic est draco, quem formasti ad illudendum ei ecce appare humilitatis exitus. Evæ superbiam nobis abstulit paradisum, Mariæ humilitas nos revexit ad cœlum. Sed ubi est hodie humilitas? Ipse qui est rex super omnes filios superbie, sequaces sicut venit infinitos. Tam Christi quam Mariæ humilitas data est in contemptum. Video eos qui humiles et abjecti fuerint in sæculo, superbiam invenisse in claustro. Dominus universitatis, cui principatus et potestates cœli obediunt, matrem elegit humilem et pauperculam. Nam de illa Isaias<sup>17</sup> dicit: Surge, paupercula Anathot. Attende, quæso, quantus sit humilitatis fructus. Idem hodie matri suæ cœlestes divitias, et inestimabiles atque interminabiles delicias iunxit. Invocemus eam, quia ei fecit magna qui potens est<sup>18</sup>; qui per eam operatus est salutem in medio terræ, ea pro nobis supplicante in cœlis, non cessabit ab operibus misericordiae. Scio quia non caret effectu, quidquid a Filio postulaverit mater, quam elegit et prælegit in terris; quam exaltavit et superexaltavit in cœlis, cui super omnem creaturam contulit eminentiam gloriæ et honoris. Ipsa est, quæ inter tentationum impetus, inter omnes periculorum angustias, inter omnia quæ timere potest humana miseria, proposita est nobis in auxilium patrona diligens, et pia media-trix ad Filium, cui sit gloria et honor in sæculorum. Amen.

### III.

#### DE EADEM ASSUMPTIONE.

*Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, exceptit illum in domum suam<sup>19</sup>.*

Quæritur quid ad B. Virginem pertineat hoc Evangelium, in quo pars Mariæ, sororis Lazarī, optima reputatur. Quæ enim conventio peccataris ad Virginem virginum, ad sanctarum Sanctam; nisi quia solius nominis communione participant? Porro Ecclesia evangelizat hodie vitam duarum sororū, ad honorem beatæ Virginis, quæ in se exhibuit utriusque sororis officium. *Intravit Jesus in quoddam castrum, et mulier exceptit illum.* Quidam dicunt castrum, quidam domum. Castra inexpugnabilia fuerunt corpora martyrum, domus eburneæ sunt corpora virginum. Habet enim in se ebur fortitudinem et decorum; habent etiam virgines fragrantiam virtutum, et cœlestium odorem aromatum, sicut scriptum est: *Myrrha, et gutta, et casia a*

<sup>17</sup> Cap. 10. <sup>18</sup> Lyc. 4. <sup>19</sup> Lyc. 10. <sup>20</sup> Psal. 44. <sup>21</sup> D. Bern. srm. 2 in Assumpt. <sup>22</sup> Mich. 7; Matth. 10. <sup>23</sup> Thren. 3. <sup>24</sup> Prov. 1. <sup>25</sup> Rom. 6. <sup>26</sup> 1 Cor. 6. <sup>27</sup> Gen. 29. <sup>28</sup> Lyc. 10. <sup>29</sup> ibid. <sup>20</sup> Matth. 23. <sup>31</sup> Joan. 12. <sup>32</sup> 1 Tim. 5.

vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo<sup>20</sup>. Vulgare præceptum est<sup>21</sup>: Bonum custodit castrum qui custodit corpus suum. Verumtamen corpus meum quod castrum esse debuerat, redactum est in vile tugarium, in sterquilinum; nec jam mihi domus est, sed sepulcrum fœtidum, et scatens spuria mortuorum. Nimirum omnia membra mea in meam conjuravere perniciem, ut eveniat quod scriptum est: *Inimici hominis domestici ejus<sup>22</sup>.* Os meum condemnat me, et oculus meus deprædatur animam meam<sup>23</sup>; pedes mei currunt in malum contra me<sup>24</sup>; manus et cætera membra parant castrum reddere hosti qui me circuniquaque obserdit. Hæc mihi castrum offerunt, quia me peccato servire compellunt. Nemo castrum suum libere possidet, si in eo dominetur peccati concupiscentia. Ideo Apostolus dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus<sup>25</sup>.* Video in castris aliorum quod turris est in eis fides, continentia murus, patria antemurale, ratio cæteris præest officiis, prudentia excubias agit. Isti mortificationem carnis in corpore suo circumferunt, nec obsidionem extrinsecam timent, quia in corpore suo portant Christum. Sicut Apostolus dicit: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro<sup>26</sup>.* Martha tanquam prior natu Christum in domum suam exceptit. Activa enim contemplativam ad salutem quandoque præcedit, non enim prius est quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Diligebat Jacob Rachelem, sed ei Lia supponitur<sup>27</sup>: Commendat Christus Mariam, sed a Martha suscipitur.

Maria, inquit, audiebat verbum illius<sup>28</sup>; ab utraque recipitur Christus: a Martha in corpore, a Maria in mente. Sed quid est quod Martha conqueritur? Domine, inquit, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare<sup>29</sup>. In domo siquidem in qua Christus suscipitur nulla murmuratio, nullum jurgium esse debet; pium tamen est et jucundum quod Martha de Maria, et non Maria de Martha jurgando causetur. Video tamen quosdam, qui cum Maria sedere videbantur ad pedes Jesu, exteriora ministeria affectantes, ad hæc eos trahit non fraterna compassio, sed ambitio; non charitas, sed cupiditas. Bonum quidem est quod quis fratribus administrat; sed si administrationem non ambiat, si invitus recipiat. Verbum Christi est: *Qui major est inter vos, sit minister vester<sup>30</sup>.* Ipse etiam dicit: *Qui mihi ministrat, honorificabit eum Pater meus<sup>31</sup>.* Paulus cedebat ad meritum compassio quam habebat ad omnes, et sollicitudo omnium Ecclesiarum<sup>32</sup>. His etiam qui bene præsunt aliis ministrando duplex corona promittitur. Placat unicuique versari in ministerio fratrum, ut ingrediatur et egrediatur ad imperium senioris; sed

gaudio gaudet, si ei redire ad Rachelis amplexus, ad contemplationis delicias sit permisum. *Maria enim optimam partem elegit*<sup>33</sup>.

Sunt qui Mariæ quietem in se exhibent; sed nec diligunt Christum, nec audiunt verbum ejus, quia non ambulant in simplicitate. Quidam enim eorum immergunt se meditationibus peregrinis, volentes plus inquirere et sapere quam oporteat sapere. Mel autem nimis comedenti non est bonum, et *scrutator majestatis opprimetur a gloria*<sup>34</sup>. Sunt alii qui cum debeatum cum Maria vacare et videre quam suavis est Dominus, prouidentes eum in conspectu suo semper, rapinunt ad vanitates et insanias falsas, et occupantur ad sæcularium sollicitudinem, aut resolvuntur acedia et torpore. In his autem qui Marthæ exercent officium, exigitur fides in custodia rei familiaris, compassio ad fratres, et impensior humilitatis affectus. De fide dictum est: *Hic queritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*<sup>35</sup>: ne cum loculis Judæ communicet. Compassionem habeat, ut cum Paulo veraciter dicat: *Quis infirmatur et ego non infirmor*<sup>36</sup>? Humilitatem exhibeat, ut sit discipulus ejus qui dicit: *Discite a me quia mitis sum et humiliis corde*<sup>37</sup>. Mater Christi in Filio suo tam Marthæ quam Mariæ implevit officium. Ipsa commendet nos utrinque vitæ merito apud Christum, eo largiente, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen

## IV.

## DE EADEM ASSUMPTIONE.

Si diligenter attenditis beatissimæ Virginis vitam, sollicitudinem et prudentiam circa filium ejus exhibtam, manifeste in ea Martham invenire poteritis et Mariam. Martha est, dum abit in montana, ut Elisabeth gravidam et grandævam salutet, ut vetula juvencula tribus mensibus officiose ministret. Martha est, dum Filium Dei et suum pannis involvit, ubere pascit, et in Ægyptum fugiens ipsum a malitia Herodis abscondit. Martha est, dum filium suum sollicita in Jerusalem querit, dum cum eo ad nuptias vadit, dum usque ad passionem ejus et filio non recedit, dum post maternos dolores et resurrectionis lætitiam filium ascensurum in cœlos cum discipulis undecim ad montem Oliveti dedit. Vis videre ubi Virgo in officio Mariæ quiescit: salutaverat eam angelus: *Maria autem cogitabat qualis esset ista salutatio*<sup>38</sup>. Hæc Maria est in Mariæ officio, dum loquitur angelus ad Joseph: dum festinant pastores ad puerum; dum magi adorant, dum Zacharias et Simeon prophetizant. *Maria audiens conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*<sup>39</sup>. Exercitatio corporalis, quæ ad multa divi-

ditur, pertinet ad Martham; amor Dei, qui nil praeter Deum appetit, pertinet ad Mariam. Hanc unum, hoc unum affectabat Propheta, cum diceret: *Unam peti a Domino, hanc requiram*<sup>40</sup>. Porro unum est necessarium<sup>41</sup>, qui hoc unum eligit, optimam partem eligit. Charitas enim non potest excidere, vel auferri. Ideo *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*<sup>42</sup>. Paulus inter ea quæ retro sunt, et anteriora distinguens, quasi inter laborem activæ et contemplativæ delicias, hoc unum elegerat dicens: *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad anterius me extendo*<sup>43</sup>, quasi dicat: Hoc unum mihi retinui, hoc unum mihi unice prælegi; nam respectu contemplationis ad modicum prodest exercitatio corporalis. Præsens Evangelium nullam facit de Lazaro mentionem. Credo tamen quod domus, in qua Christus excipitur, ad eum communiter cum sororibus suis jure hereditario pertinebat. Verumtamen ubi de glorifica Virginis assumptione tractatur, Lazaro non est locus. Jaceat tanquam dormiens inter vulneratos in sepulcris, ut in domo virginali, in quo Christus recipitur, Marie et Marthæ obsequium acceptetur. Video tamen inter vos vices Mariæ, Marthæ vices et etiam Lazari exerceri: Lazarus enim sororum suarum contubernalis est. Quidam contemplationi vacant: ecce Maria. Quidam ea quæ fratribus necessaria sunt fideliter et devote procurant: ecce Martha. Quidam cogitantes dies suos in amaritudine animæ suæ sub lapide pœnitentiae gemunt: ecce Lazarus. Illi delectantur in uno; isti turbantur erga plurima; hi turbantur ad seipso, sicut quidam pœnitens dicit: *Ad meipsum anima mea turbata est*<sup>44</sup>. Quidam sunt prælati, sive ministrales: istos video cum Noe de arca fabricanda et regenda sollicitos. Sunt alii contemplativi, qui cum Daniele viri desideriorum sunt. Tertii humilitate pœnitentiae beatum Job imitantur scientem dolorem et infirmitatem. De his scriptum est: *Si inventi fuerint in civitate Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabuntur; filium autem aut filiam non salvabunt*<sup>45</sup>. Hanc vitæ varietatem satis elegantio sponsa in Canticis notat: *Surge, amica mea, formosa mea, columba mea*<sup>46</sup>. Amica est, quæ se a studio spirituali avellens, ut ministret Christo et pauperibus ejus, pro Christo animam suam ponit, et hoc est ministerium Marthæ. Formosa est, quæ gloriam Domini revelata facie contemplans, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu<sup>47</sup>: et ecce quies Marie. Columba est, quæ plangit et gemit in foraminibus petræ<sup>48</sup>, in augustiis scilicet pœnitentiae tanquam sepulta, et inter lapides clausa: ecce Lazari scopa. Contra Mariam indignatur Pharisæus, Martha rixatur, discipuli murmurant, Maria tacet, et pro ea Christus loquitur. Quiescit Maria, laborat

<sup>33</sup> Luc. 10. <sup>34</sup> Prov. 25. <sup>35</sup> 1 Cor. 4. <sup>36</sup> 1 Cor. 1. <sup>37</sup> Matth. 11. <sup>38</sup> Luc. 1. <sup>39</sup> Luc. 2. <sup>40</sup> Psal. 26. <sup>41</sup> Luc. 10. <sup>42</sup> Ibid. <sup>43</sup> Philipp. 5. <sup>44</sup> Psal. 41.

<sup>45</sup> Ezech. 14. <sup>46</sup> Cant. 2. <sup>47</sup> II Cor. 5. <sup>48</sup> Cant. 2

Martha ; Lazarus in abyssō mortis positus clamare non potest : nam a mortuo perit confessio<sup>49</sup> Verum tamen abyssus abyssum invocat<sup>50</sup>; abyssus pietatis, abyssum iniqutatis. *Lazare*, inquit Dominus, *veni foras*<sup>51</sup> : in quo verbo turbatur in se, fremit spiritu, lacrymatur et clamat : *Lazare, veni foras* Clamat, queso, Lazarus resuscitatus, et dicat : *Domine, dum anxiaretur super me spiritus meus*<sup>52</sup> *eduxisti ab inferno animam meam*<sup>53</sup>; *notas mihi fecisti vias vitae, adimplesti melatitia cum vultu tuo*<sup>54</sup>. Clamemus et nos in cœlum ad eam quæ hodie ascendit ad Filium. Virginitas ejus et humilitas nos redemit : ejus misericordia nos salvabit. Si enim consideres longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profundum pietatis in Virgine; in cœlum ascendit, infernum penetrat, terram replet : atque in cordibus hominum mirabiliter et ineffabiliter se exercet. Ipsa per gratiam quam invenit ad Filium, nobis acquirat Filii gratiam, ut qui lætamur degloria Virginis, per eam cum ejus Filio gloriemur. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## V.

## IN NATIVITATE BEATÆ MARIAE.

*Sapientia ædificavit sibi domum, et excidit in ea columnas septem*<sup>1</sup>.

Sapientia hæc non est sapientia carnis quæ inimica est Deo: nec sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum: nam hæc, teste Jacobo apostolo<sup>2</sup>, *terrena est, animalis est, diabolica est, ejus professores sapientes sunt ut faciant mala; bona antein facere nesciunt*. De quibus Dominus dicit : *Comprehendam sapientes in astutia sua*<sup>3</sup>, et : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo*<sup>4</sup>. Est alia sapientia quæ desursum est, sicut Jacobus dicit<sup>5</sup>, *primum quidem pudica, deinde vero pacifica*. Hæc est sapientia de qua loquimur : hæc est sapientia quæ adificavit sibi domum, hic est Christus Dei virtus, et Dei sapientia. De quo Apostolus dicit : *Qui factus est pro nobis a Deo sapientia et justitia, sed et sanctificatio et redemptio*<sup>6</sup>. *Sapientia ædificavit sibi domum*, quia Jesus Christus in habitationem uterum Mariæ elegit. Hæc est dominus pudicii pectoris. De hac domo scribit Salomon : *Intrans in domum meam, conquescam ibi*<sup>7</sup>. Ac si diceret : Hanc elegi in habitationem, quoniam elegi eam : hæc est domus Dei et porta cœli. In hac sapientia excidit columnas septem, scilicet septem dona Spiritus sancti vel septem principales virtutes. Quatuor de quibus philosophi diu disputaverunt et scripsérunt, hæc sunt : *prudentia, temperantia, fortitudo et justitia*. Sunt et aliæ tres quæ complent septenarium, de quibus

philosophus non gustavit : *spes, fides et charitas*. Hæc septem columnæ, hæc septem gratiæ, hæc septem mulieres quæ apprehenderunt virum unum in die illa; nam propter gratiam septiformem Deo placuit. Per istas gratias multiplices quasi comprehensns, et detentus elegit eam in habitationem sibi. In hac tanquam in dono, tanquam in throno, tanquam in lectulo, tanquam in sacerario requievit. Hujus Virginis figura et significatio fuit nominatissimus ille thronus Salomonis de ebore et auro purissimo<sup>8</sup>. In auro quidem sapientia et dignitas, in ebore candor, decor, planities, fortitudo. Nam, cum speciosa facta sit et suavis, de fortitudine hujus scriptum est : *Mulierem fortem quis inveniet?*<sup>9</sup> Thronus merito est propter judicariam potestatem; quia in ea sedere decrevit, cui omne judicium datum est et qui judicat fines terræ. Propter gratiarum diversitates attribuuntur diversorum nominum qualitates. Thalamus est propter naturæ communionem, de quo Christus egressus est *tanquam sponsus de thalamo suo*<sup>10</sup>. Ager, propter fecunditatem; ager ille scilicet in quem exiit Isaac meditari, cui benedixit Dominus, et de quo scriptum est : *Pulchritudo agri mecum est*<sup>11</sup>. Propter fortitudinem civitas quam fundavit *Altissimus*<sup>12</sup>, propter virginitatis integratatem *hortus conclusus, fons signatus*<sup>13</sup>, porta clausa, *Libanus non incisus*<sup>14</sup>, propter sanctitatem templum Dei, porta sanctuarii, arca Dei, sacra rium Spiritus sancti; propter gloriam aula regis, cella aromatum, *fons hortorum*<sup>15</sup>, paradisus deliciarum

Hæc omnia in laudibus Virginis Isaías sub istorum verborum paucitate concludit : *Data est ei gloria Libani, decor Carmeli et Saron*<sup>16</sup>. Libanus interpretatur *candidatio*, in quo tam gloria vitæ quam honor pudicitiae designatur. Saron interpretatur *principatus*, nec ipsa sotummodo facta est mediatrix Dei et hominum, sed princeps et Regina cœlorum. Ipsa facta est domina mundi, reparatrix sæculi, destructrix inferni, gloria martyrum, honor virginum, fortitudo justorum, lapsorum fiducia, pugnantium spes, exsultatio angelorum. Hæc est quæ nescivit torum in delicto, cui ad laudis cumulum illa prærogativa specialis accedit, quod ei cœlestis concessea est cum virginitate fecunditas, Salomone teste : *Gratia super gratiam mulier pudorosa et sancta*<sup>17</sup>. O quam pulchra et casta generatio, quod casta sit et generet, nulla mulierum usurpare presumat! Privilégium Mariæ alteri non dabitar, nec auferetur ab ea<sup>18</sup>: nec aliis partus Virginis nisi Deus, nec alia mater nisi Virgo decuit dici. Hodie ergo nascitur Maria, ut Christus de Maria nascatur. Cesset figura Rebeccæ: rem habemus, figuram non quaerimus. Hæc est quam quæsivit nuntius Filio Domini sui, Gabriel archangelus Filio Dei<sup>19</sup>. Bibit ipse de hy-

<sup>49</sup> Eccli. 17. <sup>50</sup> Psal. 41. <sup>51</sup> Joan. 11. <sup>52</sup> Psal. 142. <sup>53</sup> Psal. 20. <sup>54</sup> Psal. 15.

<sup>1</sup> Prov. 9. <sup>2</sup> Cap. 3. <sup>3</sup> I Cor. 3. <sup>4</sup> I Cor. 15. <sup>5</sup> Cap. 3. <sup>6</sup> I Cor. 1. <sup>7</sup> Sap. 8. <sup>8</sup> III Reg. 10. <sup>9</sup> Prov. 31. <sup>10</sup> Psal. 18. <sup>11</sup> Psal. 49. <sup>12</sup> Psal. 86. <sup>13</sup> Cant. 4. <sup>14</sup> Eccli. 24. <sup>15</sup> Cant. 4. <sup>16</sup> Isa. 55.

<sup>17</sup> Eccli. 26. <sup>18</sup> Lue. 10. <sup>19</sup> Lue. 1.

dria ejus<sup>1</sup>; quia de conformitate virginitatis ejus, et viæ mundissimæ. Bibant, quæso, et jumenta<sup>2</sup>, et si non possumus de hydria virginitatis, liceat nobis haurire saltem de hydria humilitatis. Placuit propter humilitatem; atque propter hanc Deus elegit, et præelegit eam. Sexum quem damnaverat Dominus sententia maledictionis in Eva<sup>3</sup>, hodie replet gratia benedictionis et miserationis oleo in Maria: hæc est lecythus olei<sup>4</sup>, hæc est urna aurea supernæ dulcedinis habens manna, hæc est concha Gedeonis rore plena<sup>5</sup>. Deus totam aream rigaturus prius rore vellus infudit<sup>6</sup> et ipsum mundum redempturus, in Maria mundi pretium contulit universum. Tanta siquidem gratia repleta est, quæ plenum gratiæ et veritatis<sup>7</sup> paritura erat, ut de plenitudine ejus omnes possennus accipere. Salutata ab angelo in montana ascendit, et salutavit Elisabeth<sup>8</sup>. Secure assumit salutantis officium, quæ habet jam in utero salutem et salutis auctorem; eum scilicet, sine quo non est salus, qui dat salutem regibus, et qui mandat salutes Jacob. Anima Joannis liquefacta est, ut Maria locuta est, et in occursum ejus cum exultatione gestiens sentiebat gratiam Spiritus sancti, quam et ipsa nondum nata præsenserat. Non solum Joannes, sed et parentes ejus de plenitudine ejus Spiritum prophetiæ recipiunt, et tota domus repleta est ex odore coelestis unguenti. Ab antiquis diebus juxta verbum Isaiae<sup>9</sup> cogitaverat Dominus cogitationes pacis; sed cogitationes illas a mundo absconderat, licet eas tanquam secretum suis prophetis revelaret. Unde cum Amos<sup>10</sup> propheta diceret: *Non faciet Dominus verbum nisi prius revelaverit illud servis suis prophetis;* Isaia tameu quia, juxta verbum Sapientiæ, bonum est zelare mysterium regis, dicebat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*<sup>11</sup>. Idem Isaia<sup>12</sup>: *Erit, inquit, vobis visio quas verba libri signati.* Et ad Danielem ab angelo dictum est: *Tu autem, Daniel, signa librum, et clade sermonem usque ad tempus statutum*<sup>13</sup>; hoc est tempus quod præfinivit Dominus ut auferretur velamen a facie Moysi, ut auferretur paries dividens inter nos et Deum, hoc est tempus miserationis, de quo scriptum est: *Quia venit tempus miserendi ejus, quia venit tempus*<sup>14</sup>. Hæc est, inquit Apostolus, dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, ut innotescat principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei<sup>15</sup>. Quæsita est ergo, et inventa est mulier, in qua et per quam tanti sacramenti gratia impletetur. Quæsita est ovis, de qua nascetur Agnus Dei, qui peccata mundi tolleret. Non enim peccatum auferebat lex, sed augebat; lex peccatum non tollit, sed aggravat; non minuit, sed augmentat. *Lex, inquit Apostolus, subintravit, ut abundaret delictum*<sup>16</sup>; et idem: *Lex per mandatum operata est in me omnem concupiscentiam*<sup>17</sup>. Eligitur ergo et nascitur hodie benedicta inter mulieres, ut fru-

ctum maledictionis evaneans, germet fructum vitæ. *In die illa, prædixerat Isaia, erit germen Domini in magnificencia et gloria, et fructus terræ sublimis*<sup>18</sup>. Mala arbor fecerat fructus malos, concupiscentiam scilicet carnis, originale peccatum, malorum seminarium, communis corruptelæ fermentum, et generale nostræ perditionis initium. Quia ergo malo originali per bonum originale mederi oportebat, de mala illa arbore damnatae perditionis exempta et sanctificata est caro Mariæ virginis: quæ, licet ab utero matris suæ plenitudinem gratiæ et sanctitatis acceperit, superveniens tamen Spiritus sanctus in conceptu Verbi exuberantis et accumulatus ei plenitudinem gratiæ coelestis infudit quod ex verbis angelii patet. *Ave, inquit, Maria, gratia plena*<sup>19</sup>: ecce plenitudo gratiæ. *Spiritus sanctus superveniet in te*<sup>20</sup>: ecce mensura superplena et superefluens. Quia ergo caro Mariæ liberata est a peccato, et ipsa gratiam ad mensuram accepit, *benedicta* dicitur, non simpliciter, sed *inter mulieres*<sup>21</sup>. Christus vero quia gratiam non ad mensuram habuit, et omnino liber, et immunis existit a peccato, simpliciter datur ei benedictio: *Benedictus*, inquit, *fructus ventris tui*<sup>22</sup>. Caro Mariæ sanctificata fuit; caro Christi non sanctificata, sed sancta et sanctificans. Ista sanctitas in carne diversitas significata est in diabibus decimis Veteris Testamenti. Filii siquidem Israel dabant decimas omnium bonorum suorum Levitis: Levitæ vero de melioribus dabant decimas summo sacerdoti. De massa itaque carnis humanae, quasi de quadam universitate frugum in modum decimæ primitivæ. Mariæ caro exempta et sanctificata est, et de illa sanctissima carne adhuc dignior quædam et sanctior portiuncula electa est, quam sibi vivendo assumeret Verbum Dei. Hæc est decima ephi, quæ in Levitico in libame Domino jubetur offerri<sup>23</sup>. Ephi est decima pars cori. Corus continet xxx modios; ephi continet tres modios, et hæc est decima pars cori. Sic decima cori est ephi, et hæc est caro Mariæ. Decima ephi est caro Christi, et offertur libamen Domino, et sacrificium in odorem suavitatis. Hoc ipsum præfiguravit Ruth<sup>24</sup>: quæ cum collegisset spicas in agro Booz collectas excussit, et invenit ephi, id est tres modios. Hujus Virginis nativitatem, et Christum ex ea nasciturum prænoverant patriarchæ et prophetæ: in cuius rei desiderium generationi studebant. Propter hoc Osee dicit uxorem Gomer meretricem<sup>25</sup>, Isaia generat Iasub filium suum<sup>26</sup>, Manue Samsonem<sup>27</sup>, Helecanam Samuelem<sup>28</sup>, David Salomonem<sup>29</sup>. Ora prophetarum aperta sunt; visiones innumeræ factæ sunt, sicut dicit Dominus per Oseam: *Visiones multiplicavit et in via prophetarum assimilatus sum*<sup>30</sup>. Nonne solummodo verbis, aut visionibus, sed scripturis, signisque et miraculis, tam Christi quam Mariæ nativitas de-

<sup>1</sup> Gen. 45. <sup>2</sup> ibid. <sup>3</sup> Gen. 5. <sup>4</sup> III Reg. 17. <sup>5</sup> Jud. 6. <sup>6</sup> Judic. 6. <sup>7</sup> Joan. 1. <sup>8</sup> Luc. 1. <sup>9</sup> Cap. 29. <sup>10</sup> Isa. 24. <sup>11</sup> Cap. 29. <sup>12</sup> Cap. 42. <sup>13</sup> Psal. 101. <sup>14</sup> Ephes. 5. <sup>15</sup> Rom. 5. <sup>16</sup> Rom. 7. <sup>17</sup> Isa. 4. <sup>18</sup> Lue. 1. <sup>19</sup> ibid. <sup>20</sup> ibid. <sup>21</sup> ibid. <sup>22</sup> ibid. <sup>23</sup> Levit. 6. <sup>24</sup> Ruth. 22. <sup>25</sup> Ose. 4. <sup>26</sup> Isa. 7. <sup>27</sup> Judic. 7. <sup>28</sup> I Reg. 1. <sup>29</sup> II Reg. 12. <sup>30</sup> Ose. 12.

signatur. Quæ omnia si quis vellet deducere in medium, nec lingua, nec tempus sufficeret; sed nec humanæ memorie capacitas, nec aurum patientia sustineret. Enormiter nobis nocuerunt vir unus et mulier una; sed gratias Deo, quia per unam malitiam omnia restaurata sunt nobis, non sine multiplici senore gratiarum. Non enim sicut delictum, ita et donum, sed excedit estimationem danni beneficiorum magnitudo.

Peccatum quidem ex uno in condemnationem; donum vero ex multis delictis in justificationem. Prudentissimus artifex quod in Adam factum fuerat non destruxit, sed refecit, arundinem quassatam non contrivit, et lignum fumigans non extinxit<sup>31</sup>, sed novum Adam formans ex veteri, matrem in filia reformatum. Jam tibi sublata est, o Adam, omnis materia querelandi adversus uxorem. Ne dicas: Mulier, quam dedisti mihi, ipsa seduxit me, deditque mihi de fructu prohibito, et comedì<sup>32</sup>; sed dic: enim essem de luce ejectus in tenebras, mulier haec quam dedisti non seduxit me: deditque mihi de fructu benedicto. Vere benedicto, in quo, et a quo omnis benedictio, omnis consolatio, et, ut verbo Apostoli utar, *omnis justificatio, sanctificatio et redemptio*<sup>33</sup>. Ecce domus quam Sapientia ædificavit. Ecce ferculum Salomonis, thronus regis, tribunal judicis, reclinatorium pietatis, propitiatorium exauditionis, forma eruditionis, via consilii, terminus exsilii, abolitio peccati, deletio chirographi, fiducia præ-

mii, scala cœli, janua paradisi, figurarum finis, legis impletio, prophetarum declaratio, exhibito veritatis, exemplar humilitatis, custodia religionis, schola virtutum, consummatio sanctitatis. O sancta, o benedicta, tu luna in medio firmamenti, tu candelabrum in medio mundi, tu lignum vitæ in medio paradisi. Magna est gloria tua in salutari tuo. Quis enarrabit laudes tuas? Quis loquetur potentias tuas? Licit te exalteant filiae Sion, licet te laudent reginæ, licet laus tua sit in Evangelio et prophetis, et laudem tuam pronuntiet omnis Ecclesia sanctorum; omnia tamen præconia, et omnium laudes ad comparationem tuæ benedictionis sunt tanquam facula ad solem, tanquam gutta ad magnitudinem maris. Tu inter miseras et angustias nostras ad omne auxilium et consilium omnibus promptior, potentior, efficacior, omnibus honorabilior, amabilior, gravior, et dulcior. Duleis es in ore te landantissimum, in corde diligenter, in memoria te deprecantissimum. Magnificata es in omni sexu, in omni ætate, in omni conditione, in tribubus, et populis, et linguis; tu myrrha electa; tu piscina in Ezebon; tu virgula funi ex aromatibus; tu fasciculus myrrhae inter uhera sponsi; tu terebinthus extendens ramos gratiae et salutis; ut inter omnes et super omnes benedicta, et superbenedicta, superelecta, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa mater illius, qui dat gratiam et gloriam, honorem et æternitatem, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## S. MARTINUS, LEGIONENSIS PRESBYTER.

### I.

#### IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIE.

Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio. Maria est *Iluminatrix* dicta pro eo quod æternæ lucis est porta, per quam sedentibus in tenebris et umbra mortis lux est exorta. Illa enim genuit æterni Patris Filium, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. i.*). Maria etiam *stella maris* interpretatur, quia per eam hoc mare magnum et spatioum, id est præsens sæculum illuminatur, et in eo navigantibus nobis ab ea portus æternæ quietis ostenditur. Ipsa enim quasi stella clarissima humanum genns illuminavit, eique inter tenebras ac procellas hujus fluctivagi maris viam rectam monstravit per quam ad littus perpetuæ stabilitatis pervenire potuit. Maria etiam Syra lingua nuncupatur *Domina*. Et satis pulchre dicitur Domina, quia per Dominum quem genuit, Domina est in cœlo et in terra. Congruè in cœlo et in terra diciter Domina quia omnia Christo famulantia cum omni devotione ac reverentia sunt illi subjecta. Revera Domina et in cœlo et in terra, quia ab initio signis et ænigmatibus est præsignata a patriarchis et prophetis, revelante Spiritu sancto, prænuntiata. Ab

ipsa etiam nativitate a sanctis angelis est custodita et comitata ac venerabiliter salutata. Præterea a Deo Patre gloriissime est veluti sponsa obumbrata ac donis cœlestibus ditata, et a Spiritu sancto illuminata ac repleta, atque a Jesu Christo Filio ejus integritate perpetuæ virginitatis dictata et consecrata, ab evangelistis vero ostensa atque monstrata. Joannes etiam evangelista cui eam Christus de cruce commisit (*Joan. xix.*), illam usque ad finem vitæ custodivit, eique in necessitatibus fideliter ac devote ministravit, atque eam ut credimus post dormitionem in mansoleo quod est in valle Josaphat medio composuit ac decenter collocavit.

Mausolea sunt sepulera seu monumenta regum, dicta a Mausoleo rege Ægyptiorum. Post mortem vero hujus Mausolei regis uxor ejus regina super corpus ejus construxit sepulcrum nimis magnitudinis et miræ pulchritudinis, in tantum ut omnia pretiosa monumenta regum atque principum in partibus Orientis mausolea nuncupentur ex nomine Mausolei regis. Impletum ergo videamus quod hinc sacratissima Virginis Mariae Gabriel predixit archangelus: *Ave, inquit, Maria, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc. 1.*) Vere in Maria gratia

<sup>31</sup> Matth. 42. <sup>32</sup> Gen. 5. <sup>33</sup> I Cor. 10.

erat plena, cui tam devote, sicut jam supra diximus, cœlestia ministrabant ac terrestria. Vero in Maria gratia plena fuit, per quam æterni Patris Filii generare potuit, et universam pravitatem hereticorum, magorum, atque philosophorum interemit. Talibus ergo decebat hanc augustissimam Virginem oppignerari, id est ditari munéribus, ut esset gratia plena et ut reverenter ei obsequia exhiberentur angelica, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacem refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Cœlis gloriam dedit quando angelus Christum pastoribus nuntiavit et statim angelicus chorus in excelsum Deo gloriam eccepsit, atque in terra pacem hominibus bona voluntatis redditam esse nuntiavit (*ibid.*); Deum terris dedit, quia nobis genuit Filium Dei omnipotentis, qui nos suo pretioso sanguine de manu inimici redemit, atque a periculo æternæ damnationis liberavit; pacem refudit quia homines Deo reconciliavit, et angelos ad pacem hominum revocavit; dedit fidem gentibus, quia homines qui ignorando verum Deum longo tempore servierant idolis, per ejus partum conversi sunt ad fidem et cognitionem sui Creatoris; dedit etiam finem vitiis, quia per baptismum et mysterium sacratissimi corporis Christi fideles populi absolvuntur a vinculis tam originalis quam actualis peccati, ita duntaxat ut deinceps abrenuntiant operibus diaboli, et ut nolentes colla subjiciant suavi jugo servitutis Christi; vitæ ordinem dedit, quia Christus Ecclesiam suam ordinavit atque præpositos instituit, et in minoribus majoribus obedire præcepit. Unde Paulus apostolus dicit: *Quæcunque ordinata sunt, a Deo ordinata sunt, et: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom. xiii*). Moribus disciplinam dedit, quia Christus qui ex ea natus est, peccantibus penitentiam imposuit; ut, qui post baptismum sese peccatis et vitiis sobdidit et vestem innocentiae inquinavit, rursum per puras orationes et lacrimas atque jejunia et per cætera bona opera suorum veniam peccatorum consequi possit. Unde ipse Dominus per prophetam dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech. xviii*). Vere in hac nobilissima Virgine fuit gratia plena, per quam tanta et innumerabilia bona accepit sancta Ecclesia. Quibus igitur eam laudibus digni possumus honorare per quam æternæ salutis pignus meruimus accipere? Aut quas ei gratias referre valebimus per eujus partum cœlestis regni aditum invenire potuimus? Aut quid nos in ejus tentamus dicere laudibus quæ divinis est et angelicis laudata et glorificata præconiis excellentius? Nimirum humanus sermo laudes explicare non vallet verbis hujus sacratissimæ atque gloriissimæ Virginis, maxime cum nec vita concordet, nec facundia suppeditet, nec scientia abundet. Procul dubio pavet cœlum, stupet terra, ignorat ratio, mens non capit humana, quin etiam miratur omnis creatura quod ei per Gabrielem archangelum annuntiatur et quod in ea per Christum adimpletur.

Unde in Canticis cantorum Spiritus sanctus ex persona supernorum civium in ejus ascensione admirans ait: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, et thuris?* (*Cant. iii.*) Ascendebat ergo per desertum hujus mundi quasi virgula fumi, quia nimirus gracilis erat et delicata, atque extenuata cœlestibus disciplinis, scilicet abstinentia, jejuniis, vigilis atque orationibus; quia ejus conversatio jam non erat in terris sed in cœlis; Spiritus sanctus admirasse dicitur, dum hæc beatissima Virgo super choros angelorum exaltatur; desertum dicitur derelictum. Reete ergo per desertum ascendebat, quia jam præsentem mundum tota mente deserebat, et ad cœlestem patriam cum omni devotione anhelabat, terrena contemnebat, omne desiderium suum in cœlum erigebat, et quia in insimis nihil quod ei dulce esset conspiciebat, totum cor ad superna amanda convertebat, censem mundi cum omni cupiditate noxia despiciebat, atque ad invisibilia tendebat. Sie nimirus per desertum ascendebat, quia tota intentione mundum deserebat. Bene ergo sicut virgula fumi dicitur ascendisse, quia odorem bonæ famæ, et exemplum perfectionis reliquit sanctæ Ecclesiæ. Omnes enim quoeseunque poterat, ad suum exemplum vivere cogebat, et ut terrena despicerent, et cœlestia diligenter, admonebat. Suadebat præcipue virginibus integritatem mentis et corporis conservare, ac mortalis naturæ lenocinia vitare, et Christum cum accensis bonorum operum lampadibus usque in diem mortis suæ fideliter exspectare. Intantum igitur suavissimus odor perfectæ conversationis manabat ex ea, ut innumerabilis utriusque sexus multitudo ejus sequeretur vestigia, et nuptiarum copulatione postposita, ac propagatione filiorum despecta, Jesu Christo cœlesti sposo ejus sacratissimis admonitionibus fieret devota.

Sequitur: *Sicut virgula fumi, inquit, ex aromatibus myrræ, et thuris* (*Cant. iii.*) Et notandum quia fumus iste ex aromatibus myrræ et thuris dicitur esse. Myrra quippe corpora mortuorum conduntur, ne putrescant, thura vero in thuribulo accenduntur ut odorem emittant. Hæc igitur gloriissima Virgo, dum carnem suam a putredine vitorum mortificabat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegabat, morituro corpori quasi myrram adhibebat, et ut post mortem ab æterna corruptione sanum permaneret, summopere satagebat. Dum vero a cordis cubiculo omnes superflues cogitationes abjiciebat, quasi thuribulum coram Deo faciebat, in quo dum per dilectionem Dei et proximi virtutes congregabat, quasi carbones ignis in thuribulo coaptabat, in quo semetipsam igne charitatis in conspectu Dei incendebat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum emittebat, quasi fumum aromatum ex thuribulo educebat, quo suave coram Deo redolebat, et proximos quosque ad amorem Dei per bona exempla excitare non cessabat.

Rursus de ea in eisdem Canticis Spiritus sanctus

admirans ait: *Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant. vi.*) Mirabantur sanctorum animæ præ gaudio, quænam esset quæ etiam angelorum dignitatem vinceret. *Quæ est ista, inquit, quæ ascendit, quasi aurora consurgens;* quia videlicet Virgo semper Maria, relictis tenebris corruptionis, in suo ascensu rutilabat novitate incorruptionis ac perpetuae immortalitatis. *Pulchra ut luna,* imo pulchrior quam luna; quia luna aliquando crescit, aliquando vero decrevit. Hæc autem sine defectu corruptionis tenebras sanctæ Ecclesie illuminat, et in ea æternæ beatitudinis claritas perseverat. Bene etiam ut sol dicitur electa, quia ipse eam elegit sol justitiae, ut nasceretur ex ea. Unde dicit David propheta: *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psalm. xviii.*). In sole, hoc est in hac beatissima Virgine aptavit thalamum suum. Terribilis esse perhibetur ut castrorum acies ordinata, quia in ascensione sua ex omni parte angelicis chorus erat circumdata, et electorum spiritibus hinc inde comitata. Credimus hodierna die omnem cœlorum militiam cum agminibus angelorum festive obviam huic beatissimæ Genitrici Dei Mariæ advenisse, atque eam immenso lumine circumfulsisse, et usque ad thronum sibi ante mundi constitutionem a Deo prædestinatum cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse. Nulli ergo dubium sit, tunc in assumptione tam præclaræ Virginis omnem cœlestem Jerusalem ineffabili ketitia exsultasse, atque inestimabili charitate jucundatam esse, ac de societate illius cum omni gratulatione jubilasse. Etiam quantum datur intelligi, ipsemnet Jesus Christus ei gratulabundus ac festivus occurrit, eamque secum in paterna gloria collocavit.

Interea, fratres charissimi, dignum est, in quantum divina largiente gratia possumus, ut nosmet ipsos bonis cooptemus moribus, et ut penetralia cordium nostrorum a peccatis et vitiis emundemus, quatenus Deum in hac solemnitate semper Virginis Mariæ decenter laudare possimus; quia iter nostræ salutis in Dei consistit laudibus. Unde in Psalmis dicit sermo divinus: *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psalm. xlvi.*). Videlicet sacrificium contriti cordis et casti corporis; sacrificium mundæ mentis ac puræ laudis honorificat Deum. *Et illic iter, quo ostendam illi Salutare Dei* (*ibid.*). Per istud iter non ambulatur pedibus, sed bonis moribus; istud iter non perficitur gressibus corporis, sed operibus bonis; istud iter sic perficitur, ut corpus exerceatur in sanctis actionibus, et ut mens sit devota in Dei laudibus. Gloriosum iter, quod perducit laudantem ad cœli terraque Creatorem. Gloriosa semita, quæ perducit hominem ad æterna gaudia. Sed tamen, dilectissimi, iter istud nullatenus possumus invenire, nisi Deus illud nobis dignatus fuerit ostendere. Oportet igitur nos cum omni instantia Deum exorare, ut iter suæ laudis

nobis dignetur demonstrare, per quod ad ipsum poscimus pervenire. Sed quia meritis indigni sumus impetrandi quod possimus, hujus gloriosissimæ Reginæ cœlorum ac terræ auxilium flagitemus, ut illius sacratissimis adjuti precibus per iter laudum ad cœleste regnum mereamur pertingere, ipsumque de quo loquimur, Salutare Dei in gloria Patris regnante, vide; ipso præstante, qui cum eodem Patre, et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit, et regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

## II.

### IN NATIVITATE SANTÆ MARIE.

Catalogi mansiones filiorum Israel, quæ a prima usque ad ultimam numerantur, simul quadraginta due sunt. Per has mansiones festinavit Hebreus de terra Ægypti exire, et ad terram promissionis pervenire. Per has etiam figuraliter Christianus debet currere, qui de Ægypto, hoc est de præsenti sæculo, cupit exire, et ad terram promissionis, id est ad cœlestem patriam pervenire. Nec mirum videatur, si sub illo numeri sacramento perveniamus ad regna cœlorum, sub quo etiam numero Dominus et Salvator noster typice ab Abraham patriarcha pervenit ad Mariam Virginem, quasi ad Jordanem, quæ pleno gurgite fluens, Spiritus sancti gratia redundavit. Has utique mansiones Matthæus evangeliista figuraliter in Evangelio suo demonstrat, cum enumerando a patriarcha Abraham usque ad Christum, quadraginta duas generationes fuisse, narrat (*Matt. i.*).

Per has ergo quadraginta duas generationes ab Abraham quasi per tot mansiones recta linea per David descendens Christus ad Mariam venit, cum pro nostra redemptione in ea incarnari voluit. Regali ergo ex progenie Maria exorta resulget, cuius precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime credimus. Ideo semper Virgo Maria ex regali progenie scribitur, quia de stirpe regis David orta fuisse perhibetur. Ex regali prosapia descendit, quia veram de stirpe David originem duxit. Per humanam naturam ex regali progenie exsistit, sed per gratiam Deus eam sibi in filiam adoptavit. Secundum carnem de semine regio fuit nata, sed per adoptionem Dei altissimi est filia. Ex se ipsa Christum Deum et hominem genuit; sed tamen Christus eam creavit. Est igitur mater, et filia; mater, quia verum Deum et verum hominem genuit; filia, quia illam Deus, ut ex ea nascetur, creavit.

Nobilis est ex progenie terreni parentis, sed longe est nobilior per gratiam Dei omnipotentis. Quasi filia regis David gloriosa est effecta, sed multo est gloriösior, quia a Deo est electa. Nobilis est parentibus, sed tamen nobilior est moribus; nobilis est genere, sed nobilior sanctitate. Quare? Quia ab infantia, divina præveniente gratia, cœpit despiciere terrena, et amare cœlestia. Ab exordio nativitatis sue dono illuminata supernæ gratiæ, studuit visibilia contempnere et invisibilia querere.

Deum cum dilectione timebat, eumque cum timore diligebat; os suum a superfluo sermone restringebat, delicias ciborum respuebat, visus hominum fugiebat, seipsam in vultu et habitu magis Deo quam hominibus placere optabat. Præterea iram et odium veluti quandam mortiferam pestem vitabat; lenocinia cum omnibus hujus mundi blandimentis fugiebat. Fidem rectam custodiebat, nulla insipiens doctrina eam decipiebat, nulla religio perversa corrumpiebat, nulla pravitas a statu rectitudinis avertiebat, nulla iniquitas a Dei dilectione separabat. Ab omnibus quæ lex vetat sese abstinebat; omnia quæ Scriptura prohibet sumumopere avebat. Quotidie orationi insistebat, diebus ac noctibus suppliciter Deum exorabat, nocturnis vigiliis in Dei laudibus permanebat. In humilitate fundata erat, minimum se judicabat, ancillam Dei se esse dicebat, atque ut digna in conspectu Dei existeret, vigilanti cura elaborabat. Ostendebat in suo gressu simplicitatem, in motu puritatem, in gestu gravitatem, in incessu honestatem.

Sed quis poterit sufficienter aut digne perfectiōnem sanctitatis ejus referre? Omnis illius vita virtutibus exstitit plena; a peccatis vero et vitiis munda. Spiritus sanctus eam illuminavit, et virtutibus corroboravit, ab ubertate domus Dei ineibriavit, atque ab omni carnali delectatione purgavit, ut Deum super omnia diligeret, eique cum omni devotione adhæreret; ita ut, desiderio superni amoris accensa, vix eam aliquis in bonis operibus imitari posset. In tantum in omni gente Judæorum virtutibus excrevit, seque ipsam eis honorum operum exemplum præbuit, ut recte de ea dici possit: *Sicut spina generat rosam, ita Judæa genuit Mariam.* Congruē Judæa comparatur spinis, quia semper Deum exacerbavit in operibus suis. Bene Scriptura Judaicam gentem spinis comparavit, quia quasi infligendo vulnera cruenta exstitit, dum prophetarum et proximorum sanguinem crudeliter effudit. Unde ei Dominus in Evangelio dicit: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt (Matth. xxiii).* De qua etiam Elias querimoniam faciendo, dicebat Deo: *Domine, altaria tua suffoderunt, prophetas tuos occiderunt, et electus sum ego solus, et quererunt animam meam ut inferant eam (III Reg. xix).* Hoc etiam significavit, quod Dominus in rubo Moysi in flamma apparuit. Erat flamma in rubo, id est in spinis, et non crenabatur rubus (*Exod. iii*). Rubus significat spinas peccatorum Judæorum, flamma vero significat legem divinorum præceptorum; et sicut flamma rubrum non comburebat, ita lex peccata Judæorum omnino non consumebat.

Congruē igitur semper Virgo Maria quasi rosa de spinis dicitur fuisse orta; quia quamvis originem duxerit de stirpe Judaicæ, tamen dum per Dei gratiam a peccatis et vitiis stetit aliena; dum utriusque

sexui, videlicet viris et feminis, perfectæ conversationis præbuit exempla, velut rosa decorat spineta, sic illa decoravit Judæam, imo etiam universam Ecclesiam. Dum vero seipsam per dilectionem Dei et proximi in omni mansuetudine et patientia conservabat, dum innocentiam et puritatem verbo et opere custodiebat, dum cuncta que in terris sunt, pro nihilo ducebatur; quasi rosa flagrans suis proximis suaviter redolebat, dum eis bonæ famæ odoreni præstabant. Unde bene illi convenit quod Spiritus sanctus in Canticis canticorum dicit: *Sicut lumen inter spinas, sic amica mea inter filias (Cant. ii).* Per filias in sacro eloquio negligentes quique, et in Dei dilectione tepidi nominantur; quia dum effeminatos mores nutrunt, dignitate virili amissa, quales interiori habentur, exterius feminino nomine nunciantur. Et quia Christum solummodo verbis contentur, operibus vero nihil aliud, nisi mundanas sollicitudines sectantur; recte non filii, sed filiae nominantur.

Digne igitur sicut lumen inter spinas, sic beatissima Virgo Maria inter filias esse perhibetur; quia quamvis de radice humanæ fragilitatis processevit; quamvis de stirpe mortalitatis prodierit, quamvis de natura vitiata exierit; tamen dum fœditatem humanæ vitæ despiciendo, ad cœlestem se erexit pulchritudinem; dum nigredinem Judaicæ conversationis vilipendendo, corde et corpore munditiae candorem conservavit; dum superbiæ moniem deserendo, seipsam in convalle immunitatis plantavit: quasi lumen odore bonæ opinionis proximos suos, imo omnes fideles, resfecit. Recte ergo in dignitate Elii computatur, quia ab infantia candorem virginitatis amavit, et mentis munditiam custodivit, per quam omnipotenti Deo præ cunctis virginibus placere meruit, sicut Scriptura dicit: *Elegit eam Deus, et præelegit eam (Psal. cxxi).* Elegit eam videlicet præ aliis virginibus; et præelegit eam super omnes virgines, privilegio scilicet majoris dignitatis, ac singularis dilectionis: quia nec ei prima similis aliqua visa est, nec sequens erit, quæ ei assimilari possit, de qua etiam beatus Hieronymus dicit: « Invenitur prima inter primas summi Regis cohortes. » Prima dicitur inter omnes virgines summi Regis cohortes, non solum tempore, verum etiam dignitate et sanctitate. In summi regis curia invenitur prima, quia super omnes virgines, imo etiam super omnes mulieres est benedicta. Revera super omnes mulieres est benedicta, quia inter omnes feminas glorioissimum Deo virginitatis munus obtulit prima. In summi Regis curia prima dicitur inveniri, quia in terris angelicam vitam studuit imitari.

Unde Prophetæ ait: *Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi (Psal. xli).* Ceteræ virgines adducentur regi Domino, non in primo, sed in secundo loco, quia nulla æquabitur ei

sive in sanctitate, sive in præmio. Deo dicatæ virgines, adducentur cœlorum Regi, non pariter sed post eam; quia nulla ei, quamvis sit sancta, quamvis sit digna, poterit in præmio parificari. Cæteræ Deo consecratae virgines illius sequaces possunt esse, non comites; quia hæc nobilissima Virgo domina est inter ancillas, regina inter sorores, magistra inter virgines. Sine dubio sanctorum virginum est magistra, quia eis bene vivendi præbuit exempla. Est etiam mater earum; quia eas genuit exemplo sanctorum virtutum. Unde Scriptura loquitur: *Unusquisque ejus filius dicitur, cuius doctrinam sequitur.* Certe non solum virginum, sed etiam omnium sanctorum seminarum mater est et magistra, quia super omnes mulieres a Deo est electa tque benedicta. Cui Spiritus sanctus in Canticis canticorum dicit in magna gloria: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* (*Cant. iv.*). Sed cum scriptum sit: *Nemo est sine peccato: nec etiam infans, cuius vita est unius diei super terram* (*Job xiv.*); quid est quod hæc sanctissima Virgo tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur? Alibi quippe legitur: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei* (*Job xxv.*). Et alibi: *In multis offendimus omnes* (*Jac. iii.*). Et Joannes apostolus ait: *Si dixerimus quia non peccavimus, mentimur, et non facimus veritatem* (*I Joan. i.*).

Sed tamen beatissima Virgo Maria, sicut a Spiritu sancto tota pulchra et sine macula dicitur, ita et a sanctis Patribus prædicatur, quod de nullo alio sanctorum creditur. Decenter igitur eam sine macula Spiritus sanctus prædictus, quia illam præveniens a peccato prorsus purgavit, et fomite peccati liberavit, atque ab omni illicita cogitatione penitus mundavit; in tantum, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus exstiterit. Unde beatus Augustinus dicit: « Excepta et sacratissima Virgine, si omnes sancti et sanctæ in unum congregarentur, et quereretur ab eis, an peccatum haberent; quid responderent, nisi quod Joannes ait? Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Hæc autem Virgo gloriosissima singulæ gratia Spiritus sancti est præventa atque repleta, ut ipsum haberet sui ventris fructum, quem ab initio omnis creatura habuit Dominum. Recte ergo dicitur et absque ulla dubitatione, tota pulchra, et sine macula fuisse, in simum ejus Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, dignatum est descendere, ibique pro totius mundi salute humanitatem nostram sibi misericorditer conjungere. Nihilominus tota pulchra et sine macula fuit, in ejus utero Dei Filius nostra carne se induit, in qua pro nostra redemptione passus est, sicut voluit, et cum qua hostem antiquum potente debellavit, atque infernum, quamvis illuc in sola anima descenderit, spoliavit, ejusque spolia post resurrectionem suam quadragesimo die ad cœlos sublevavit, eamque, ut credimus, in æterna beatitudine collocavit. Sine dubio tota pulchra et sine

macula fuit, quæ et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit. Virgo peperit, quia virgo concepit. Beata illa fecunditas, quæ pariendo mundum illuminavit, cœlos hæreditavit, damna angelorum et hominum reparavit, et tamen velamina virginitatis non perdidit. Felix venter ille, qui sine humano semine gignere novit, et corruptionem ignoravit. Felix certe est, et omni laude dignissima hæc semper Virgo, quæ cœlestem panem, id est Christum protulit seculo, de quo sancti angeli reficiuntur in cœlo. Ex se ipsa protulit mundo panem vivum, de quo reficiuntur anime fidelium; et tamen non perdidit virginitatis sillum.

Unde dicitur in eisdem Canticis: *Hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisi* (*Cant. iv.*). Omnino est hortus deliciarum, in quo plantata sunt omnia genera florum, et odoramenta sanctorum virtutum: sic perfecte conclusus, ut nullatenus possit violari, neque ullis cogitationibus sive insidiarum fraudibus valeat corrumpi. Recte hortus conclusus dicitur, quia dum per bona exempla multos populos giguit, quasi hortus germinans pulchros flores emittit. Fons etiam signatus sigillo totius Trinitatis existit, ex quo fons vite procedit, qui et angelos in cœlo ex se ipso pascit, et fideles, ne laxentur in via hujus sæculi, reficit. De quo fonte ipse Dominus in Evangelio dicit: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum* (*Joan. iv.*). Etiam illius uteri emissio, scilicet Christus, omnium supernorum civium est paradi-sus. *Paradisus Graece, Latine hortus* dicitur. *Eden* Hebreice, Latine interpretantur *deliciae*; quæ simul juncta faciunt hortum deliciarum. Congruè in hoc loco horto comparatur Jesus Christus, quia quamvis in divinitate sua cum Patre et Spiritu sancto sit circumscriptus, tamen ita est circumscriptus, ut nunquam pervenire possit ad eum hypocrita, hæreticus, *Iudeus*, sive paganus. Recte dicitur hortus deliciarum, quia in eo sunt omnes deliciae atque divitiae supernorum civium. *Satis pulchre* dicitur paradi-sus, quia ipse est refectione et suavitatis ad se currentibus, atque omnibus in cœlo manentibus. Ideo hortus dicitur deliciarum, quia ipse cibus est et juenitatis omnium cœlestium ordinum beatorum spirituum, et animalium omnium sanctorum.

Igitur, fratres dilectissimi, si ad has delicias, de quibus loquimur, scilicet ad Christum, cupimus pervenire, necesse est ut illi cum omni devotione studeamus servire, eique in omni nostra conversatione placere, illique tota mente adhærere, ut recte enim Propheta possimus dicere: *Miki autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal. lxxii.*). Ac si diceret: Mili videtur delectabile et utile esse, mundum contemnere. Deoque adhærere, atque in eo spem meam ponere, magis quam in temporalibus bonis que sub omni velocitate constant, ad nihilum devenire. Dignum est ergo ut ei adhæreamus castis moribus,

eumque sequamur sanctis actionibus, mundatis prius pectoribus ab immandis et nefandis, vanis ac noxiis cogitationibus, quia nemo poterit enim digne contemplari, nec perfecte sequi sine istis virtutibus. In sua namque essentia sanctissimus est atque subtilissimus, nec poterit enim cernere immundus oculus. Ad ipsum ergo mundo corde et pura mente accedamus, illum pra: omnibus et super omnia diligentes, eum in omnibus et per omnia amantes, ipsique cum omni instanti servientes, qui et se ipsum nobis alimentum præstat, ne deficiamus in hujus mundi via, et præmium servat, de

quo gaudeamus in cœlesti patria. Sed quia innumeris exigeantibus culpis, indigni sumus cœlestibus donis, auxilium imploremus beatissimæ Mariæ semper virginis, quatenus ejus sacratissimis precibus et meritis mandati ab omnibus peccatis et vitiis, mereamur esse participes eternarum deliciarum, et pervenire ad gaudia aeternæ beatitudinis, ibique videre eundem Jesum Christum Filium ejus regnante in dextera Dei Patris: ipso praestante, qui enim eodem Paire et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus, per omnia sæculorum. Amen.

## ABSALON, ABBAS SPRINCKIRSBACENSIS.

## SERMONES IN B. VIRGINEM MARIAM.

## I.

## IN ANNUNCIATIONE BEATÆ MARIAE.

*Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. i).* Verbum quod audistis, fratres charissimi, Dominicæ annunciationis continet historiam, in qua Verbum, quod erat in principio apud Deum, venturum in carne annunciatum, sicut Joannes dicit: Verbum caro factum est et habitavit in nobis (Joan. i). Ipsum est illud verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram, imo vere brevissimum. Nam licet in natura suæ divinitatis incomprehensibile sit et infinitum, in nostra tamen natura adeo breve factum est, ut tegeretur velamine modici corporis, pannis involveretur, et caperetur ab utero virginis, quod a diebus aeternitatis totus mundus capere non potuit. Nec immerito Verbum, quod Christus est, annunciatum cum verbo salutationis, quia ipse Christus autor est nostræ salutis. Quod poteris intelligere, considera: ejus nativitate, vita, morte, et resurrectione. Nativitas enim ejus natura nostram purgavit, vita ejus vitam nostram instruxit, mors ejus mortem nostram destruxit, resurrectio ejus salutem nobis con-tulit.

Propterea cum voce salutationis angelus Virginem alloquitur dicens: Ave, Maria, tres salutations celebres in evangelica serie invenimus. Salutat enim Christus discipulos suos cum dicit: Pax vobis (Luc. xxiv). Salutat angelus Mariam cum dicit: Ave, Maria, gratia plena (Luc. i). Salutat Maria Elisabeth sicut legimus: quia ascendit Maria in montana cum festinatione in domum Zacharie, et salutavit Elisabeth. Hac triplici salutatione triplex concordia nobis significata est, videlicet Dei ad hominem, angeli ad hominem, hominis ad hominem. Discordabat enim Deus ab homine propter peccatum primæ prævaricationis. Discordabat angelus ab homine, quia, cum conservi in obsequio Dei esse debuissent, homo se subdiderat dominio diaboli. Discordabat homo ab homine, Judæus a gentili, co-quod iste Deus, ille vero idola coleret. In prima ergo salutatione significatur concordia Dei ad homi-

nem, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In secunda significatur concordia angeli ad hominem, qui per Christum cohæredes vite aeternæ facti sunt. In tertia significatur concordia hominis ad hominem, quia Judæus et gentilis mediante lapide angulari, qui Christus est, in una fide sociati sunt. Et quoniam haec triplex concordia per beatam Virginem facta est, dicat Dens, dicat angelus, dicat homo: Ave, Maria. Haec concordia, ut puto, in hoc etiam significata est, quod nomen primæ matris, id est Eva, mutatur in verbum salutationis. Siquidem hoc nomen Eva duas voces geminam misseriam humanæ naturæ prætendentes in se habet, videlicet, etc. Cum duplice enim miseria homo in hunc mundum nascitur, id est culpa et poena. Quando ergo nomine illo converso Mariæ dicitur: Ave, per hoc datur intelligi quoniam, per beatam Virginem, et culpa in veniam, et poena in gloriam commutata est. Et attendesi placet quod, ave quandoque est vox optantis, quandoque vox orantis, quandoque congratulantis. Vox optantis est, cum dico proximo meo: Ave, quia opto ei salutem: vox orantis est, cum dico: Ave, crux pretiosa. Non enim ligno salutem opto, quam habere non potest, sed oro ut virtus crucis mihi salutem operetur. Vox congratulantis est, cum modo dicit Ecclesia: Ave, Maria, vel cum dicit: Salve, sancta parens. Ac si diceret: Congratulor, vel congaudeo tuæ salutis.

Dicat ergo Ecclesia congratulando, dicat angelus opando: Ave, Maria, quod interpretatur, maris stella. O si detur illius copia, qui eam vocavit stellam maris: o si conserte cum eo loqui licet: quoniam quisquis fuit ille deorum, qui eam sic vocavit, non solum verbosum, sed et contentiosum me ci impendam. Quare non magis eam cœli stellam, quare non magis eam mundi stellam vocavit? Certe nomen maris amaritudinis significativum est. Numquid de eodem fonte hauriunt dulcem et amarum aquam? nunquid ipsa, que mater est misericordie et pietatis, mater est amaritudinis? Absit! Propterea ergo non immerito et cœli stellam, et mundi stellam, et denum stellam maris appellabo eam. Cœli stellam, propter eminentis gloriæ præ-

mium : mundi stellam, propter justorum solatium : maris stellam, propter miserorum refugium. Stella cœli est, quæ sua claritate cœteros sanctos illuminat : mundi vero, id est justorum, qui propter munditiam cordis recte mundus vocantur : stella est, quia ipsi affectu devotionis ad illam respicunt, contra pressuras hujus mundi consolationis beneficia consequuntur : maris vero stella est, quoniam omnes miseri, omnes in amaritudine criminum fluctuantes ab ipsa opem refugii exposcent. Omnes ergo animæ Virgini matri devote letabundæ dicant : Ave cœli stella, ave mundi stella, ave maris stella, ave Maria. Vel ut modo video recte stella maris vocata est. Tempore enim hujus salutationis nulli erant in cœlo beati, in mundo nulli justi, vel admodum pauci, sed omnes erant in mari, hoc est, in amaritudine peccatorum involuti. Et ideo juste maris stella, id est miserorum stella nuncupata est. Sicut enim stella hæc navigantibus in mari rectæ viæ inditum est, sic et Maria in hoc mundo tortuose viventibus, aliis rectam viam bonæ operationis, aliis rectam viam humilitatis, aliis rectam viam castitatis ostendit. Ob hanc miseriam tollendam Gabriel ad Virginem missus est, qui fortitudine Dei interpretatur. Siquidem opus erat fortitudine, ut genus humanum a tanta miseria liberaretur.

Et attende quia nuntians fortitudo, nuntius fortitudo, nuntiatuus fortitudo, sed nuntians fortitudo Deus, nuntius fortitudo Dei, nuntiatuus fortitudo deificata potest appellari. Nunciatum dicimus hominem assumptum a Verbo, qui deificatus est, id est Deus factus. Sicut enim magnus ille Hugo sancti Victoris dixit : Qui negat hominem assumptum esse Deum, negat enim assumptum esse in Deum. Nec obviat autoritas illa Hieronymi quæ dicit : Legimus Deum humanatum, non hominem deificatum : quæ sic intelligenda est, quia non prius homo, et postea Deus est factus, sed ex quo fuit, simul et homo et Deus fuit. Nuntius ergo fuit fortis, ut mandatum Dei fortiter impleret : nunciatus fortis, ut in carne assumpta diabolum fortiter vinceret : nuntians fortis, ut devictum diabolum fortiter alligaret.

Ut autem ad stellam nostram revertamur, qui in mari sunt vident eam a remoto : qui in mundo, vident eam e vicino : qui in cœlo, vident eam e proximo. Qui aliquid videt a remoto, rem quidem videt, sed neque genus neque personam rei discernit : qui e vicino videt aliquid, rem et genus rei discernit, sed non personam : qui e proximo videt aliquid, et rem et genus rei et personam cognoscit. Qui ergo in mari sunt, stellam nostram a remoto respiciunt : quia homines in magnis criminibus vel ut in mari fluctuantes, quamvis timore supplicii, affectu tenui quandoque ad Deum, vel ad ea quæ Dei sunt respiciunt, tamen caligine peccatorum involuti, a contemplatione cœlestium repelluntur, siveque nihil spiritualiter gratiæ in se experientes,

cœlestia quadammodo a longe vident, sed non statum nec præsentiam eorum possunt advertere. Justi vero qui in mundo, id est in mundicie cordis positi sunt, stellam hanc vident e vicino, quia dum sancte vivendo in cœlis habent conversationem, per stillicidia gratiæ futuram vitam prægustantes, etiam statum sanctorum pro modo hujus vitæ concipiunt. Qui vero in cœlo sunt, stellam istam vident e proximo, quia immediate Deo fruentes, oculo contemplationis serenato, perspicaciter sanctorum præsentia pariter et visione delectantur.

Et hoc, pro eo quod dictum est, ave Maria. Sed quid magnum, quid supereminens Virgini matri attribuitur, cum dicitur gratia plena? Nam et Christus plenus gratiæ et veritatis, Stephanus plenus gratia (*Act. vi*), et apostoli pleni gratia Spiritus sancti suis leguntur (*Act. ii*). Idecirco hæc distinctio adhibenda est, quod est plenitudo æqua, est plenitudo apta, est plenitudo superfluens sive effusa. Plenitudo æqua est, cum in re impleta nihil vacuum relinquatur, ut in mensura vini vel olei. Plenitudo vero apta est, quæ replet secundum rei congruentiam, ut enim dicitur : Civitas vel Ecclesia plena populo, non quod ibi nullus locus vacuus relinquatur, sed quia secundum congruentiam ibi existentes loco sufficiunt. Plenitudo superfluens est, quando res quæ implet, mensuræ capacitatem excedit. In beata virgine Maria plenitudo æqua fuit, quoniam spirituali gratia in tantum repleta est, quod in ea nihil vacuum, id est nullus peccandi locus remansit. Unde Hieronymus dicit : Cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volo fieri mentionem. Ex quo enim Christum concepit, adeo est confirmata, quod peccare non potuit. In cœteris sanctis plenitudo apta fuit, non quod peccare non potuerint, quia et apostoli excucere pulverem pedum jussi sunt (*Matth. x*), sed quoniam gratiæ plenitudinem sufficiētem ad salutem acceperunt. In Christo plenitudo superfluens fuit, quia ipse accepit gratiam sine mensura, ita ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus. Excellenter ergo Mariæ dictum est, gratia plena. Est autem gratia naturalium bonorum, est gratia spiritualium charismatum, et est gratia cœlestium donorum. Plena gratia fuit naturalium bonorum, quoniam Spiritu sancto ei superveniente, integratam naturalium secundum dignitatem primæ conditionis sola inter filias Evæ accepit : Plena fuit gratia spiritualium charismatum, quoniam Christo incarnato amplius peccare non potuit. Cœlestium donorum gratia plena fuit, quia virtute contemplandi quadammodo patriæ donata est. Quantum enim distat inter olorem et gustum speciei aromaticæ, tanta inter contemplationem Mariæ, et aliorum sanctorum distanția est. Sicut enim singularem activam a Christo accepit, videlicet humanam ejus naturam portare lactare, et involvere pannis, ceteraque humanitas officia ei exhibere, sic (ut dicam quod ministra cordis mei devotionis) etiam dulcedinem sua divinita-

tis matri singulariter experientiam indulsit. Unde subjunxit : *Dominus tecum*. Dominus Pater tecum, quia tu sponsa ejus : Dominus Filius tecum, quia tu mater ejus : Dominus Spiritus sanctus tecum, quia tu amica ejus. Neque enim ipse qui amor est, affectum amoris tibi ostenderet, nisi tu vicem dilectionis ei exhiberes. Pater ergo tecum, cuius Filium conceptura : Filius tecum, quem conceptura : Spiritus sanctus tecum, de quo conceptura es. *Quia Spiritus sanctus superveniet in te*. Primo veniet per sanctificationem virginis, postea superveniet per sanctificationem conceptus virginei. Superveniet in te, quia de Spiritu sancto concipies. Tu qui hoc audis, quomodo Maria de Spiritu sancto conceperit, fideliter sic intellige : Sicut verbum Dei imago Patris est, sic anima Christi imago est Spiritus sancti : Nec loquor modo de illa imagine, pro qua nomen ad imaginem Dei factus esse dicitur. In rebus corporalibus imago aliquius esse dicitur, quod expresse formam illius, cuius est imago, habet. Sicut autem corporalia formas suas habent, ita et spiritalia. Forma autem Spiritus sancti gratia septiformis est, non forma quae sit in Spiritu, sed quae de Spiritu sancto : sicut claritas, quae est in pariete, dicitur claritas solis, non quae sit in sole, sed quae est de sole. Homo ergo Christus de Spiritu sancto conceptus est, quia formam Spiritus sancti excellenter accepit, hoc est, septiformem gratiam. Ut ergo *de*, non sit materiale sed formale, Christus de Spiritu sancto conceptus est, non cui Spiritus sanctus materiam seminis attulit, sed cui formam sanctitatis inter omnes creaturas elegantius impressit. Sequitur : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Virtutem hoc in loco accipe, de qua Psalmista dicit : Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph (*Psalm. LXXVI*). Et de qua Apostolus dicit : Christus est Dei virtus, et Dei sapientia (*I Cor. i*). Haec ergo virtus Altissimi, quo Christus est, obumbravit quandam filii illis nequam, populum loquor Judæorum, obumbravit beatæ Virginis, obumbravit etiam nobis. Umbra quæ obumbravit genti Judaicæ, literalis sensus velamen fuit, quo spiritualis intelligentia de Christo, et sacramentis ejus in lege velabatur, ne eam intelligerent. Unde cum Moyses loqueretur filii Israel, velamen ponebat super faciem suam : quia non poterant in eum aspicere propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur. Haec umbra significata est per umbram hederae, sub qua sedebat Jonas juxta Niniven, ut videret quid accideret civitati. Umbra qua obumbravit beatæ Virginis, infirmitas fuit assumptæ carnis, qua splendor divinitatis temperatus pariter et obumbratus est, ut in hac obscuritate caperet eum uterus Virginis, quem in sua claritate omnium rerum amplitudo capere non potuit. De hac umbra ex persona beatæ Virginis in Cantico amoris scriptum est : Sub umbra illius quem desiderabam sedi (*Cant. ii*). Umbra vero qua obumbravit nobis, sicut ignominia passionis. quando

speciosus ille forma præ filiis hominum, deformis et umbrosus factus est, ita ut esset lividus plagis, pallidus morte, et omnimodis opprobriis saturatus.

Haec circa ipsum mutatio, nostra obumbratio fuit, et cum multæ circa ipsum mutationes fuerint, haec sola obumbravit nobis. Mutata est enim ejus sublimitas in humilitatem, quando formam servi assumpsit : mutata est infirmitas ejus in majestatem, quando assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit eos in montem excelsum, et transfiguratus est ante eos : mutata est ejus mutabilitas in aeternitatem, quando a mortuis resurrexit : mutata est ejus speciositas in deformitatem, quando in passione pro nobis in cruce suspensus est. Et haec est umbra qua nos obumbravit, per quam nos a servitute Ægyptiaca et potestate diaboli liberavit. Sub hac sedebat Hælias in solitudine, quia et de eo scriptum est : Sedebat, inquit, sub umbra juniperi, et petivit animæ suæ ut moreretur (*III Reg. xix*) : Juniperus enim arbor est humili et hispida, et signat Christum humiliatum et despectum in passione. Ad hanc umbram invitamus omnes hoc sacro tempore Dominicæ passionis, ut sedeamus sub ea facti imitatores ipsius : nam qui dicit se in ipso manere, debet etiam post ipsum ambulare (*Joan. ii*). Haec umbra modo obumbrata est sancta Ecclesia, dum cessant ab ore ejus cantus lætitiae, cessat ornatus ministrorum, apparatus altarium, sed et animæ compunctæ super peccatis suis, quod lachrymæ et suspitia poenitentium consistuntur.

Nunc ergo, o anima Christiana quæ charactere Christi insignita es, reside sub umbra ista, converte gaudium tuum in luctum, et plange Dominum tuum : vel si non vis eum plangere, plange saltem mortuum tuum. Mortuus tuus spiritus tuus est, multitudine scelerum tanquam plagis multis extinctus : Mortuus, inquam, non quia subito casu comparuit, sed cui tu causam mortis intulisti. Nec est hic mortuus quatriduanus in sepulchro, qui a memoria tua jam exciderit : non est mortuus in porta qui jam evanescat ab oculis tuis, sed est in domo tua præ oculis tuis, ut semper eum videoas, et horrore concutiaris, et indesinenter plangas mortuum, cui viventi parcere noluisti. Judicium æquum a te postulo, tu ne detraxeris veritati. Quidam vir nobilis, et ejus servus contumax in custodia tibi dati sunt hac lege, ut servum pane et aqua more servi, nobillem autem secundum dignitatem natalium suorum splendide procurares. Tu vero in contrarium operatus es, qui nobilem virum fame et siti multisque aliis injuriis confectum subegisti : servum vero omni deliciarum genere fecisti insolentem et superbum, qui insurgens in Dominum suum confossum vulneribus multis occidit eum. Quid respondebis ei, qui utrumque tibi commendavit ? Tu hoc crudelis fecisti, tu, inquam, nobilem virum occidisti, qui spiritum tuum nullis virtutibus, nulla pinguedine devotionis, vel bonorum operum refecisti. Tu

servum contumacem nutriviſti delicate, quando carnem tuam comēſſationib⁹, et ebrietatib⁹, cœtrisque voluptatib⁹ vita hujus delectasti. Propterea te porrigente manū auxili⁹ caro insurrexit in spiritū, cum vitiis carnis, hoc est luxuriæ et immundiciæ, eum servire coegit. Et o utinam tibi sufficeret occidisse tantum virum et non illuderes mortuo, non savires in extinetum, non infligeres vulnera vulneribus, quod faciunt omnes qui peccatum peccato adjiciunt. Revoca ad memoriam famosos peccatores hujus seculi, qui monstruosis vitiis, contumelias naturæ, passionibus ignominia spiritum afflidunt: Simoniacos Spiritus sancti prædones, qui patrimonium Crucifixi duplixi sacrilegio, id est male acquirendo et male vivendo, possident: tales omnes grassantur in animam extinctam, in Creatoris injuriam.

Resipisce ergo, o anima misera, sede sub umbra Christi, conformare deformitati ejus, macera carnem tuam jejunis et abstinentia voluptatum: quoniam per ista spiritus etiam extinctus revivisces. Si enim umbra Petri potuit suscitare mortuos (*Act. v.*), non poterit hoc ipsum facere umbra Christi? Certe si laborares infirmitate aliqua corporali, et mandaret tibi Hippocrates vel Galenus per clientulum suum abstinere a vino et saginatis, modicas oblationes sunere, libenter obedires pro consequenda sanitatem corporis. Mandat tibi eadem Deus Pater per Christum suum, ut saneris in anima, et nou exaudis: At magis oportebat Deo obediare, quam hominibus, sicut Petrus dicit (*Act. v.*). Ne dicas: volo sedere sub umbra Christi, sed non compareret deformitas vel ignominia passionis ejus. Resipice omnes tribulatos, infirmos, incarceratedos, pauperes fame et siti horridos, in his omnibus Christum videlicet umbrosum et repletum despectione. Sede ergo sub umbra Christi per proximi compassionem, ut vestias nudum, frangas esurienti panem tuum. Da eleemosynam necessitatē patienti, da, inquam, patienti: imo potius respera tibi, quia in futuro centuplum accipies, et vitam æternam possidebis. Si potens aliquis divitias multas tibi contulisset, et insurgerent in te inimici, qui propter tollendam pecuniam etiam vitam vellent auferre, et diceret tibi is, qui te ditavit: Commenda mibi pecuniam tuam, liberabo te ab hostibus, conservabo tibi vitam tuam, et pecuniam ad integrum resignabo, nomine multas gratias agens acquiesceres illi? Ecce bona temporalia accepisti a Christo, insurgat in te luxuria, partem illorum sibi vult vendicare, et vitam tibi auferre: hoc ipsum facit gula, comēſſationes et ebrietates appetendo: facit hoc superbus, luxum vestium et pompam secularem ambiendo. Da ergo pauperi bona temporalia, imo Christo in paupere ea commenda, quo facto vitam conservasti tibi, et recipies ea in die necessitatis. Et ne forte grave videatur diu sub umbra Christi residere, et conformari passionibus ejus, scito quia non solum in umbra, sed etiam in speculo, et quandoque in facie se-

exhibet cernendum. Speculum sacra Scriptura est, in qua imaginem suam speciosam valde ostendit nobis ad consolationem. In speculo isto videt anima, quā sit pura Christi divinitas, quam dulcis ejus bonitas, quam diuturna ejus æternitas, quam inestimabile gaudium, quod pro se patientibus repromittit. Nondum in speculo isto videtur species ejus sicuti est: ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus, sicut dicit Apostolus. Res siquidem, cuius imaginem in speculo videmus, retro nos est (*I Cor. xiv.*). Sic et Christus cuius speciem in sacra Scriptura videmus, adhuc in magna gloria venturus est, quando videbimus eum facie ad faciem. Sed eamus ergo modico tempore sub umbra passionis ejus per imitationem, videamus formam ejus in speculo ad consolationem: ut tandem videamus eum in decore suo, gaudium percipientes, quod nec voce exprimi, nec corde excogitari potest, quod nec luctu obnubrabitur, nec defectu finem accipiet, praestante Domino nostro Iesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen. (*Scrim. 22.*)

## II.

## IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIE.

*Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* (*Cant. vi.*) Ordinem reparationis nostræ diligenter advertenti, videntur quædam salutis nostræ radiasse principia, cum beata Dei Genitrix velut aurora diei jam eminentis prænuncia, ortu suo mundo illuxit, et noctis præcedentis facta terminus, primitias quasdam spiritus, et dona gratiarum singulariter accepit. Ipsa etenim medio quodam noctis et diei exorta est confinie cum tetra mortis et peccati caligine, mundum involvente ante solis ortum, id est Christi adventum, mundo apparuit, ut paulatim crescente lumine, nox auroram, aurora vero solem produceret, qui exortus non solum ea quæ in cœlo sunt, sed et quæ in terra lumine claritatis illustraret.

Certe nox admodum longa ab Eva usq; ad Mariam decucurrit, quæ licet peccatorum tenebris esset obscura, suis tamen vigiliis quasi fulgoribus quibusdam distinguebatur: quarum prima fuit illuminatio occultæ inspirationis: secunda, sanctio legalis eruditio: tertia, certitudo propheticæ prænunciationis: quarta vchemens desiderium jam adimplendæ promissionis. Has noctis vigilias observabant sancti ab initio, non dico super gregem suum, sed quando hanc auroram aspicerent, sicubi pareret, si usquam sui proferret judicia, quia hanc et rebus mysticis præfiguratam, et prophetis promissam esse intelligebant. Primam hujus noctis vigilam servabant Noe et cœteri illius temporis, qui occulta inspiratione fuerunt illuminati: secundam Moyses et alii sancti patres, qui per legem spiritualiter fuerunt eruditæ: tertiam prophetæ, qui beatam Virginem nascituram prædixerunt: quartam sancti illi, qui velut in puncto jam erumpentis auroræ constituti, non solum ipsam, sed et Christum

de ea nasciturum videre ardentissime gestierunt, sicut Anna, Elizabet, Simeon ille justus, et cæteri qui expectabant redemptionem Israel. Et ut illam figuris fuisse præsignatam per exempla ostendamus, quænam alia fuit columba illa, quæ de arca Noe tempore diluvii egressa ramum virentis olivæ in illam detulit? (*Gene. viii.*) Columba enim de arca Noe, Maria est de Ecclesia orta, quæ ramum olivæ tempore diluvii in illam retulit, quia aquis vitiorum mundum involventibus, Christum de se incarnatum in Ecclesia effudit. Qui ramus bene virentis olivæ, quæ signum pacis et concordie esse dieitur, quia Christus pacificavit ea quæ in cœlo sunt et in terra, solvens medium parietem inimicitarum in earne sua. De ipsa quoque Job oraculum texuit, dieens : Habet argentum venarum suarum præcipia, et auro locus est in quo conflatur (*Job. xxviii.*). Argentum quippe fuit Christi humanitas, quæ a sanitatis patribus tanquam a venis quibusdam secundum earnem successive descendit. Aurum vero, Verbi fuit divinitas : et ejus constationis locus, beata Dei Genitrix in qua Spiritus sanctus inefabili operatione divinam et humanam naturam, in unam personam conflavit.

Virga quoque Moysi per quam fecit signa in Ægypto (*Exod. iv.*), Maria est, per quam Deus ecit mirabilia in mundo, e quibus unum de maximis est quod versa in colubrum dracones Ægyptiorum devoravit : quia eum de se Christum in similitudine earnis pœcatori genuit, omnia erima, omnes hæreses impiorum quæ Ægypto hujus taundi illudebant, tum virtute proliis, tum exemplo suæ sanctitatis delevit. Nec aliam puto per amygdalum illam significari, de qua Salomon loquitur dieens : Florebit amygdalus, et impinguabit locusta, dissipabit eparis (*Ecclesiasticus. xii.*). Amygdalus enim quæ ante cæteras floret arbores, Mariam significat, quæ præ cæteris sanctis, floribus virtutum emieuit, immo et ante cæteros florem illum specie et odore excellentem, Christum videlicet de se protulit qui dieit: Ego sum flos campi, et lilyum eonvallium (*Canticum. ii.*). In hujus ortu impinguata est locusta, quia instabilis gentilitas fœcunda est per gratiam : et dissipatus est eparis, quia Iudea aculeis peccatorum spinosa, a pinguedine spirituali vacua permanxit. Sic in area testamenti, quæ operiebatur auro purissimo significata est, ut ita loquar, Maria et ejus virginitas. In rubo ardente et non' adusto, Maria et ejus fœcunditas. In throno Salomonis, cui alias in universis regnis comparari non poterat, significata est Mariæ regalis sublimitas. Tot ergo rebus mysticis, et vaticiniis designatam Salomon videns in Spiritu, in vocem admirationis erumpit, dicens: *Quæ est ista quæ progreditur, etc.* Possunt tria ista, aurora, luna, sol, Mariæ sie adaptari, ut aurora ejus nativitatem, luna illam Spiritus sancti, quæ in ipsa fuit obumbrationem, sol vero gloriosam ejus assumptionem respiciat. Ideo autem aurora nativitatij ejus congruit, quia illa surgente quodam-

modo, et nox lucida, et dies videtur obscura. Et solet plerunque per noctem mortalis vita fragilitas designari, sicut scriptum est: *Anima mea desideravit te in nocte (Psal. xli).* Et per diem divinæ gratiae illuminatio, teste Paulo, qui dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. xiii).* Nascente ergo Maria quasi aurora quedam surrexit, quia et nox humanae fragilitatis in ea fuit lueida per gratiam, et dies divinae gratiae quodammodo obsecuratus fuit per fragilem naturam. Pulchra quoque ut luna propter hoc esse dieitur, quoniam sicut luna in se naturaliter obscura suscepto in se solis radio, alieno lumine accenditur; sic Maria in mortali adhuc corpore constituta, suscepto in se Spíitu sancto, tanquam summæ illius majestatis radio, vero lumine Dei Filio fœcundatnr: luna luet de nocte, et tenebras ejus imminuit, et Maria Spíitu sancto fœcundata tenebras pœcatorum abstergit. Sicut autem luna luet de nocte, ita et sol luet de die. Per diem autem quandoque claritas futuræ vite designatur, ut ibi: *Quoniam melior dies una in atriis tuis super millia (Psal. lxxxiii).* Reete ergo electa ut sol esse dieitur beata virgo Maria, quia sicut sol claritate luminis et majoritate cæteris syderibus antefertur, sie in ælestis vita gaudio illa sanctis omnibus jocunditate et gloria supraponitur. Fuit ergo quasi aurora consurgens in nativitate, pulchra ut luna in illa Spiritus sancti obumbratione, electa ut sol in sua assumptione.

Sed adhuc modicum auroram istam inspiciamus. Inuenimus in ea tria quedam quæ nostræ ædificationi proficiant, scilicet terminum soporis, principium operis, et indicium sereni. Solent enim fortis operarii, surgente aurora, de somno surgere, et quasi sereno illucescente exire ad opus suum, ne forte veniens Patersfamilias inveniat eos stantes in foro oculos. Unde rex Salomon hac aurora ponit finem sopori, et exit ad opus suum, intuetur speciosam, miratur immaculatam, laudat Mariam, dicens: *Quæ est ista quæ progreditur et cætera.* Ut autem moraliter tria ista intelligamus, potest referri terminus soporis ad pœnitentiam, principium operis ad activam, indicium sereni ad contemplativam. Si vis habere formam pœnitentis in Maria, lege eam stantem iuxta erucem. Si vis habere formam activi, lege illam Elizabeth visitantem. Si vis habere formam contemplativi, lege eam eum apostolis orantem in coenaculo, eum Gabriele colloquentem in eubieulo. Quicunque ergo criminum sopore jaees depresso, exemplo regis Israel pone et tu finem sopori, expurgisci et hoc usque dormisse sufficiat, sta cum Maria matre juxta cruelem, et per labores pœnitentiae passionem Christi quantum vales imitare, a te ipso crucifixibus exigens, quod male vivendo crucifixum denegasti. Intuere delicia tua, et memento unde excideris, sic tamen ea respicie, ne tristitia vel diffidentia absorbearis; sie porta erucem latronis, ut paradisum expeetes de promisso Salvatoris. Sunt enim nonnulli, qui peccata sua nimia luce in-

tuentur, et hi præ magnitudine scelerum desperant de venia.

Alii sunt qui minima ea luce respiciunt, et dum prava vel nulla ea reputant, semper durant in culpa. Sed vere pœnitentes temperata luce debent peccata sua intueri, ut sic per lamenta ea defleant, ut spem concipiendo pœnitentiæ præmium se assecururos confidant.

Hanc pœnitentiæ formam præsignavit nobis patriarcha Jacob, qui benedictionem patris volens hæreditare, tulit de grege duos hædos optimos, pelliculasque eorum circundedit manibus, et colli nuda protexit, indutusque vestibus Esau valde bonis, ad patrem ingressus est; a quo attractatus, et tandem benedictione est confirmatus (*Gen. xxvi*). Hædi quippe opera sunt pœnitentiæ, quibus Deus Pater libenter vescitur, qui debent decoqui aqua lachrymarum et igne tribulationis. Pelliculæ hædorum sunt mortificatio carnis, et abjectio propria voluntatis, quas Jacob debet circundare manibus: quia verus supplantator vitiorum nihil debet habere in operibus pœnitentiæ, quod carni placeat, vel quod propriam delectat voluntatem. Protectio colli, cautela est futuri. Vester vero Esau id est peccatoris, vitiis criminum hispidi et pilosi, quibus Jacob debet indui, sunt honestas vitae, et maturitas disciplinæ. Qui enim vere vult supplantare vita, oportet ut per honestatem vitae, quod carnale est in se occidat, et natura conversatione proximorum oculos foris non offendat. Quibus gestis ad patrem ingreditur affectu devotionis, attractatur a patre instinetu secretæ inspirationis, tandem benedicitur ab illo præmio æternæ remunerationis.

Habes nunc in aurora nostra terminum soporis, vide nunc principium operis. Est autem principium operis in aurora exemplum vitae activæ in Maria, idoneum valde hujus rei exemplum. In illa est quæ tripli activæ vite genere inventur enītisse, quorum primum jocundum, secundum curiosum, tertium lachrymosum potest appellari. Ad primum pertinent opera illa quæ beata Virgo infantiae Salvatoris exhibuit, qualia fuerunt, illum gestare brachiis, lactare et pascere, pannis involvere, quæ omnia et suavia et dulcia ac plena jocunditatis extiterunt. Ad secundum genus activæ pertinent purificatio in templo, hostiarum oblatio, visitatio Elizabethi, peregrinatio in Ægypto, et hujusmodi quæ plena fuisse curæ et laboris nemo est qui ambigat. Ad tertium pertinent opera illa Mariæ, quæ plena fuerunt doloris et miseriæ, ut puta astare crucifixo, plangere mortuum, declinatio persecutionum, et cætera his similia. Tu ergo qui vis esse activus, sed non poies primum genus activæ vitæ attingere, quia supra te est, neque tertium, quia amarum est, saltem medium, quod curiosum diximus, velis attentare, et cum beato Job esto oculus cæco, pes claudo, pater pauperum, consolator pupillorum (*Job xxiii*). Vide si Christum peregrinum compulisti intrare, si cæcum mendicantem juxta viam misericorditer respisti, si vulneratum qui incidit in latrones cum sa-

cerdote et levita non præteristi, si in curam illius erogasti denarios: quia hæc sunt infirma Christi membra per quæ Deus vult tibi operari salutem, et illis per te impendi consolationem. Certe plerunque solet accidere ut membro quod vulnere, fractura adūstione, vel livore attractatum fuerit, molliora fomenta, et curam medicinalem majorem adhibeamus: Similiter est in Christo et Ecclesia, quia infirma membra sua majori obsequio vult foveri. Unde in vanum jactat silentium claustrum, pondus diei et aestus, orationes, obsecrations, qui affectu compassionis necessitatibus aliorum nescit inclinari. Neque enim dignatur esse Anna cum Phenenna, non Rachel cum Lia, non Joannes cum Cepha, non Maria cum Martha, non dextera cum lava, non contemplativa cum activa, quarum utraque in beata virgine Marja auroræ nostræ excellenter fuit.

Contemplativa siquidem est serenitas illa, quæ cum aurora nostra apparuit, ideo sereno comparata, quia tranquilla est et quieta, quia habitat in silentio a perturbationibus seculi longe est remota. Unde et dictum est, quod Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Optimam dixit, non feliciori forte, sed suaviorem: quia bonum quandoque suave appellatur, et secundum hoc nomen comparationis elective, non comparative accipendum est. Sic enim contemplativa est suavis quod non activa, cum potius laboriosa et gravissit. Illud potius movere potest, quod subiungitur, quæ non auferetur ab ea. Sicut enim alia est affectio animi rem desiderantis, et alia affectio animi ipsa re potentis, sicalius est sensus pomidum odoratur, etalius dum gustatur. Sicut alia est visio imaginaria dormientis et alia visio præsentaria vigilantis, sic alia est contemplatio hujus vitae quæ fit in enigmate, et alia futuræ quæ erit in spe. Sicut ergo fides evacuabitur, sic et spes in futuro non erit: sicut scientia destruetur, ita et contemplatio hujus vite auferetur. Quod ergo dicitur quod non auferetur ab ea, ad statum præsentis vitae respicit, non futuræ. Cum enim contemplativa ad Deum, activa ad proximum pertineat, potest in hac vita auferri activa, quia deesse potest facultas et possibilis bene operandi ad proximum. Sed in hac vita non potest auferri contemplativa, quia in quoenam statu hujus vitae sit homo, habet facultatem contemplandi Deum.

Vel si velimus referre ad statum futuræ vitae, quod dictum est non auferetur ab ea, ponamus tres species contemplationis, quarum due primæ auferuntur in hac vita, tercia vero manet in hac et in futura. Prima est in creaturis, secunda in Scripturis, tercia in secretis divinis. Prima est investigationis, secunda illuminationis, tercia admiracionis. Prima est quando per creaturas Creator inquiritur, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Quem modum contemplandi etiam philosophi gentium habuerunt, sicut Aristoteles qui in theologia sua causas rerum, imo causarum causas investigans, unam causam supremam reperit, ejus nulla alia causa, sed ipsa omnium

causarum causa fuerat, de qua idem dixit : O causa causarum, fac me tibi acceptabilem. Secunda quæ est in Scripturis, sit, quando animus vel legendo ad cognitionem, vel orando ad devotionem illuminatur. Tertia vero sit dum ineffabilia Dei mysteria, quæ animus humanus ratione non valet comprehendere, supra se facta intuetur et retractat devota admiratione, quale est quod manens Virgo filium peperit, quod Verbum Dei carnem assumpsit, quod immortalis est mortuus, quod temporalis factus est æternus, et hujusmodi quæ rationi magis sunt admiranda quam perspicua. Hunc contemplandi modum beata Maria habuisse legitur, cum ipsa dixit ad angelum : Quomodo fiat istud, angele, quoniam virum non cognosco (*Luc. 1.*). Neque enim hoc dubitando dixit, sed rei magnitudinem admirando. Quem etiam contemplandi modum forte Job habuit cum diceret : Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea (*Job vii.*). Suspendium quippe eligere est, secretis cœlestibus per admirationem inhærere. Hæc est optima pars Maria quæ nec in futura vita auferetur ab ea, ubi quanto familiarius secretis divinis admittitur, tanto ferventius ea admiratur. Prima quæ est in creaturis, auferetur, quia est imperfectionis, id est, ex parte : tertia est perfectionis, quæ in hac vita inchoatur, et in futura perficitur, ubi erit admiratio jocunda, et jocunditas admiranda, præparata coheredibus Christi, qui in sanctorum regno sunt ascripti, quod nobis præstare dignetur ipse Jesus Christus, cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen. (*Serm. 43.*)

## III.

## IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIE.

*Revertere, reverttere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur té* (*Cant. vi.*). Hodie, fratres dilectissimi, ad commune gaudium ea quæ in cœlo et quæ in terra invenitur, cum beata Dei Genitrix mundi agone consummato, ad concessum Dei Patris assumentur, et festivus angelorum chorus ei occurrit, matre Ecclesia cum laudibus eam prosequente.

Magna nimur laetitia materia ubi Filius Dei, Verbum Patris, illam reginam inter choros virginum speciosam, in cunctis tribubus Israel præelectam, in cellam suam vinariam introduxit, divinitas cœlestis Jerusalem ei communicans, in qua regnat Rex regum et Dominus dominantium. Neque tamen illum impari præconio extollendum dixerim, utpote divitiis copiosum, bonitate benignum, sapientia disertum, potestate cunctis viventibus tremendum, genere illustrem, forma desiderabilem immensitate incomprehensibilem, æternitate insufficientem, cuius imperium attingit a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Talis itaque talēm alloquitur, ut veniat horratur, rogat et non differat introire in cubiculum suum, ut revertatur de terra ad cœli curiam, de exilio ad patriam, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam. Sed quæ est hæc virgo singularis in qua summa majestati adeo complacuit, ut ad æterni Regis

concessum hodie assumatur, et diadema regni, imo regnorum diademata accipiat, ne solum regina mundi, sed etiam cœlorum regina merito beatæ appellari.

Ipsa est Maria utriusque regne admodum necessaria. Et terris quidem regina hæc omnino appetenda, quæ in via hujus seculi, imo vitae hujus dispendio triplici semita pœnitentes ad Deum convertit, videbat interveneri reconciliationis, exemplo imitationis, et auxilio protectionis : quatenus peccatori intercedendo impetrat veniam, ignorantι exemplo bene vivendi ostendat disciplinam, fortiter agendi opem impendendo præstet fiduciam. O Maria, o maris stella, quæ recte viantes dirigis, errantes reducis, periclitantes ad portum salutis restituvis. Juste maris stella appellata es, quæ ratione quadam similitudinis, sicut illa mari ita et tu mundo profutura eras. Plane ipsa, quam diximus, maris stella tribus modis stellis cæteris præminere inventitur, videlicet altitudine, immobilitate, et lumen communione. Altitudine, quia in vertice mundi posita, sicut caput membris, ita et illa cæteris stellis super extollitur. Unde et poeta dicit : *Hic vertex nobis semper sublimis, at illum (hoc est ejus oppositum).* Sub pedibus styx atra videt manesque profundi. Immobilitate, quoniam quasi in centro firmamenti constiuta cæteris vario motu modo ad occasum tendentibus, ipsa immobilis persistit. Communione lumen, quia cæteris vicissim lumen suum præbentibus, hæc sine vicissitudine, semper æquali radio, quantum in se est, cunctis viventibus claritatem effundit. Hæc de stella, sed illa eadem diligens investigator invenies in Maria.

Universis quippe creaturis quæ in cœlo sunt et quæ in terra, illa est altior : quia cæteri sancti migrantes secundum meriti modum recipiuntur inter choros angelorum, Maria vero excellenti quadam majestate gloria exaltatur super choros angelorum. Vis videre Mariam cæteris sanctis altiorem ? Vidi, inquit Isaias, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus maiestate ejus, et quæ sub ipso erant replebant templum (*Isa. ii.*). Certe hoc solium excelsum et elevatum recte videbor interpretari Virginis uterum, sessionem sedentis, mysterium Incarnationis : Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum.

Adverte si placet tres Domini sessiones, et tria solia pro numero sessionum. Prima ejus sessio creaturæ perfectio, de qua dicitur : quia requievit Deus die septima ab opere quod patrarat (*Gen. i.*). Secunda sessio est in mente rationali, Dei habitatio, de qua in Canticis : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea odorem dedit* (*Cant. ii.*). Rex quippe in accubitu suo est, cum menti insidet per quietem contemplationis : nardus dat odorem, cum ex suavitate boni operis proximus provocatur ad æmulationem virtutis. Tertia vero sessio est Verbi incarnationis, de qua dicitur : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* (*Psal. cxxxviii.*).

Primæ ergo sessionis solium est fabrica hujus mundi, secundæ sessionis solium est anima justi, tertiae sessionis solium est uterus Virginis. Primum solium est excelsum, propter dignitatem conditionis: secundum est elevatum, propter prærogativam virtutis: tertium, hoc est beatæ Virginis thalamus, superexaltatum propter unionem Verbi et humanitatis. Hujus tertii solii altitudinem propheta videns in spiritu, dicebat: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa. ii*). Subintellige etiam superexaltatum, et assigna beatæ Virgini tria hæc. Non enim defuit ei dignitas conditionis, pro qua solium ejus fuit excelsum: non prærogativa virtutis, pro qua fuit per gratiam elevatum: non Filii Dei in se susceptio, pro qua superexaltatum et plena erat domus, hoc est Ecclesia majestate ejus quia de plenitudine ejus omnes accipimus, et ea quæ sub ipso sedente vel solo erant, hoc est, angelica et humana natura, replebant templum, hoc est consummabant, templum illud loquor ruinam passum, quod primo factum est ex novem ordinibus angelorum.

Vis etiam videre immobilem maris stellam, loquor beatam virginem Mariam? Veite ergo visum ad cæteros filios hominum, qui sua mobilitate corruperunt, et sic videre poteris qualiter immobilis illa immutata permanisit. Quadripartito quippe moto homo a sua stabilitate motus est per superbiam, per inconstantiam, per impœnitentiam, per impatientiam. Per superbiam motus est, quando præceptum Dei prævaricator contempsit: per inconstantiam, quando tentationi serpentis succubuit: per impœnitentiam, quando peccatum suum obstinatus excusavit: per impatientiam, quando inter flagella divinae ultionis rebellis murnuravit. Nonne ab his omnibus immunis tibi videbitur Maria? Si propositum, si actum vel animam ejus consideres, ipsa cenum est immobile illud castellum quod intravit Jesus, cum mulier quedam Martha nomine exceptit illum in domum suam (*Luc. x*). Quadripartito plane robore castellum hoc stat immobile, videlicet fossa, flumine, muro, et colle. Hæc enim sunt quæ omnem munitionem insuperatam reddunt et immobilem, multo magis castellum illud quod intravit Jesus, principem hujus mundi et armatum fortè debellatur. In fossa ergo ubi ejecta humo in unum tenditur, virtus figuratur humilitatis, sicut per Isaiam dicitur: Ingridere petram, abscondere in fossa a facie furoris Domini, et a gloria majestatis ejus (*Isa. ii*). In flumine, quod in latum se diffundit, latitudo studiosæ bonæ operationis intelligitur, sicut Job dicit: Qui scrutat profunda fluviorum, et abscondita in lucem producit (*Job xxviii*). Muri firmitas, integritas virginitatis, sicut in Ezechiele: Vidi, inquit, et ecce murus in circuitu domus undique (*Ezech. xl*), cuius dominus, nisi illius quam supra castrum appellavimus: sicut enim Dei virtus virginalem aulan introivit quo murum castitatis ejus non effreget. In collis celsitudine, sublimitas superni desi-

derii ac devotionis, sicut per Isaiam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa. xl*). O castrum forte, castrum immobile, ubi humilitas superbiam, operatio desidiam expugnat, integritas corruptionem, sancti desiderii devotio vanitatem. Multo magis tamen fiet tibi mirabile, si hujus castelli incolas velis advertere, Martham scilicet et Mariam. Martha igitur civis hujus castelli, sollicitudo est boni operis: Maria, dulcedo divine inspirationis. Domus Marthe pura conscientia, ut nulla se ingerat simultas in opere: domus Marie tranquillitas mentis, ne amarescat aliqua extrinseca perturbatione. Intravit Jesus hoc castellum, quando in Virgine carnem assumpsit, excipitur a Martha in domum suam, dum conformatur conscientia Virginis studio bonæ operationis.

Videamus modo tertium illud maris stellæ privilegium, quomodo cæteras stellas præcellit luminis communione. Et hoc quidein primo ad id pertinere videtur, quod cæteri sancti differenti modo impennunt mortalibus suffragia, quippe plus illis possunt prodesse, qui ipsis jure quodam patronatus speciæliter sunt commissi, utpote Petrus Romæ, Thomas martyr Cantuarie, Massiliæ Victor, Turoni Martinus, et de similibus similiter. Nam pro rege suo quilibet sanctorum plus potest in curia Altissimi, quam pro alieno. Maria vero sicut est omnium regia, sic et patrona, et quantum in se est, æque exorabilem se præbet omnibus, quæ super omnes plenitudinem accepit dignitatis. Ergo longe positos illuminat radio misericordiæ, eos qui propè sunt, hoc est viros religiosos consolationis suavitate, cæteros qui secum sunt in patria excellentia gloriæ. Sive enim justi, sive peccatores exorant Mariam, sive angeli, sive archangeli respiciunt in Mariam. Talis ergo est dilecta illa dilecti, quam vocat in amplexus suos summi regis Filius dicens: Revertere, revertere sunamitis et cetera. Sed cur totiens repetito reversionis verbo vocat, aut unde vocat? Videtur enim vis verbo sonare longe in exilio relegatam, quæ tanquam ad patriam reditura, consolationem accipiat captivitatis pariter et finem. Unde Sunamitis ibidem dicitur, quod interpretatur captiva.

Ne incongrue dicetur illam ab exilio revocari, cum humana natura, quam diu peregrinatur a Domino, quadripartito exilio sit damnata. Et primum quidem video exilium pœnalitatis, secundum voluptatis, tertium vanitatis quartum curiositatis. Et mens quidem sana recte pronuntiare videbitur, quia in pœnalitatis exilio habet aliquæ de homine jumentum amplius. Dum enim jumentum primo vite sue capit initium, seipsum quodammodo regit, calcat terram, et super eam graditur, naturali vestitur habitu, sine adminiculo alterius accipit sufficientiam naturæ. Cum e converso homo natus de muliere, impotens sui, nudus corpore, alieno indigens auxilio peccatis onustus,

virtutis vacuus, et omni plenus miseria effundatur super terram. Sed utinam huic exilio sufficeret malitia sua, ne adhuc miserabilius dejecretur in exilium voluptatis, tantis enim primi exilii valلات miseriis voluptate quererit redimere quod patitur, ut dum voluptate muletur corpus, tolerabilius fiat sarcina pœnalitatis quam portat. Vult itaque pretiosa indui, molli strato quiescere, ferula habere exquisita, effluere illicitis desideriis, loqui scurrilia, operari turpia, ac si dieceret cum pagano: Jupiter esse pium statuit, quodcumque juvaret. Sed, o tu sceleratissime, qui in lege Jovis sic meditaris die ac nocte, quid dicis de mandatis Jesus, quæ prohibent omne dictum, faetum, vel concupitum contra legem Dei? Hæc est perverso peccatore cura minor.

Sed ecce sequitur tertium exilium, quod adhuc longius a Deo projicit hominem, videlicet exilium vanitatis, quando videlicet incepit extra se in vanitatibus hujus mundi quererere quibus satisfaciat sue voluptati. Acedunt ergo mortis præambuli, videlicet possidere superflua, amare transitoria, impelli aura populari, honores ambire, paupertatem contemnere, regum fortunas laudare, cum tamen Salomon dieit: Quia melior est puer pauper et sapiens rege stulto (*Eccles. iv*), eo quod hic de carcere et cæthenis quandoque ad regnum progrediatur, et qui in regno natus est quandoque consumatur inopia. Attende ergo, homo ambitiose, homo superbe, quam digne Salomonis tibi præjudicet sententia, ut videlicet puer pauper et sapiens, id est quilibet innoeens pauper spiritu et paciebus, de careere subjectionis et cæthenis obedientiæ egrediatur ad regnum prælationis, vel potius ad regnum consummatæ virtutis, cum tu in regno virtutum natus per regenerationem, sponte dejectus consumaris inopia vitiorum. Nunquid enim si spiritu pauper, non ideo dignus regno? Certe sicut idem dicit Salomon: Stellio nititur manibus, et moratur in domibus regum (*Prov. xxx*). Est autem Stellio vermis, qui pennarum adminiculo non potest in altum extolliri, sed tamen reptat pedibus in altum, ut in regnum turribus faciat sibi mansionem. Sic quilibet humilis et parvus in oculis suis dum non pennis superbie, ambitionis, vel etiam scientiæ secularis in altum extollitur, reptando tamen manibus humiliiter operando in domibus regum est, id est in consortio sanctorum.

Quartum et ultimum animæ exilium est, malum curiositatis, quippe multis vanitatibus animo affecto sequitur cura superflua, et quod apud Salomonem difficillimum invenitur, investigat modo viam aquilæ volantis in cœlo, modo viam colubri super terram, modo viam navis in mari, modo viam viri in adolescentia sua (*Ibid.*). Circa ista quatuor præcipue curiositatis vitium videtur oceupari, per aquilam vero volantem in cœlo, virum contemplativum: per colubrum super terram, quemlibet lubricum et criminosum: per navem in mari, negotiatores seculi: per adolescentiam viri, bonæ

conversationis initium. Quærunt ergo hi qui sequuntur curas superfluas, simultates in religiosis ut eos indicent, excensiones in criminosis ut illos justificant, utilitates in secularibus negotiis ut similia faciant, instabilitatem in noviter conversis, ut evertant, sieque sit ut dum se totos impendunt curis superfluis, circa ea quæ foris sunt nihil sollicitudinis sibi ipsis vel Providentiae impendunt. Propter hæc igitur quatuor animæ exilia quadripartita vocatione reverti jubetur beata Dei Genitrix, cum dicitur: Revertere, revertere sulamitis et cætera. Sed nunquid ipsa supradictis modis, maxime voluptate, vanitate, curiositate, adeo credenda est exulata? absit. Nam ab his voatur exiliis non propter coinquinationem, sed propter cohabitationem quæ quasi unus spiritus per cœlestis desiderium cum Deo effecta, captivitatem reputabat, habitare cum habitantibus Cedar, et differri ab illa corona gloriae quam sibi repositam cognoscebat.

Vel quater iteratur verbum revocationis, quia si diligenter attendimus beatæ Virgini convenientia quatuor genera assumptionis. Primo enim assumpta est per electionem, secundo per purificationem, tertio per confirmationem, quarto per sublimationem. Per electionem assumpta est, quando mulierem fortem, diu a Salomone quæsitam Gabriel invitavit et elegit præ ceteris omnibus dicens: Benedicta tu inter mulieres (*Luc i*). Assumpta est per purificationem, dum a cæteris filiis hominum sequestrata, ab originali et actuali peccato Spiritus sancti mundatione est purificata: per confirmationem assumpta est, dum eandem virtutum confirmationem accepit in via, quam angelus bonus possidet in patria: per sublimationem assumpta est hodiernam, dum super omnem creaturam exaltata est in regno cœlorum.

Cum corpore dicam exaltatam, an sine illo? Vere dicam cum corpore, quoniam et si hac parte erravero, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis Matri misericordiae incumbit excusandus. Nunquid enim dicam Dei Filium honorem matris denegasse, quem servo noluit impendere? Elias in cœlum curru levatur igneo, et Mater Dei computruit in tumulo? Præterea si spiritu migrante sacro sanctum ejus corpus terra detinuit, cur Filius venerationem illam denegavit in terris reliquis fratris, quam cuilibet martyri vel confessori voluit exhiberi? Plane caput Joannis vel cuiuslibet alterius sancti reliquiae in terris maxima veneratione voluit haberet, sed beatæ Virginis corpus nec in terris veneratione, nec in cœlis honore dignum voluit aestimari. Præterea nonne Dei Filius dedit hoc præceptum? Honora patrem et matrem, et magis de patre et matre quam de ceteris, quia major honor quam cæteris debet illis exhiberi. Sed ecce secundum eos qui aestimant eam non migrasse cum corpore, ipse suo præcipue præcepto videtur obviasse, qui majorem honorem voluit in terris exhiberi re-

liquiis martyris, quam sacrosancto corpori suæ Matris. Longe aliter sonare videtur illa universalis Ecclesiæ oratio, in qua de ipsa dicitur : Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum : quod si verum est, consequitur quod devicta morte, cum corpore glorificata ascenderit. Et, ut brevi verbo loquendi finem faciam, cum solo mortis debito terræ constet cum corpore commendatam aut sepultam reddant, aut resurgentem, imo sublimatam cum corpore venerentur nobiscum orantes, ut ejus interventu mereamur transferri ad eandem gloriæ felicitatem, quam ipsa hodierna die ingressa est, præstante Domino nostro Jesu Christo, cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen. ( Serm. 44 )

## IV.

## IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIAE.

*Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* De hodiernæ solennitatibus præconio malta jam olim, fratres charissimi, diligenter pertractata cognovistis, quæ et foris verborum flore vernantia, et intus spirituali dulcedine plena sunt.

Tantis ergo laudibus aliiquid minus idoneum adiicere, videbitur forsitan quibusdam derogatio potius quam cumulus laudis, ut si quis cimbalis concorditer sonantibus fracti tintinnabuli sonum adjiciat, melodiae suavitas potius colliditur quam juvetur. Quia tamen aliorum divitias nostra paupertate scimus fœdari non posse, præsertim cum in tabernaculo Domini quidam aurum et argentum, alii hyacinthum, purpuram, et byssum, nonnulli etiam pilos caprarum, quæ res abjecte sunt et viles, obtulisse leguntur, nos pro vili portione offerimus Domino quæ possumus, et contenti hostia pauperum satis nobis arbitramur cessisse muneris, si quantulacunque devotione inveniamur occupati in laudibus Virginis matris.

Ut autem revertamur ad verbum quod præmisisimus, tres paradisos voluptatis propter hominem factos sacrae Scripturæ meminit diligentia. Primus est paradisus terrestris, de quo scriptum est : Domine, audivi vocem tuam in paradyso, et abscondi me (*Gen. iii*). Secundus est paradyso præsentis Ecclesiæ, de quo in Canticis dicitur : Emissiones tuæ paradysus malorum Punicorum (*Cant. iv*). Tertius paradyso est futuræ gloriæ, cuius meminit Paulus cum dicit se raptum in paradyso Dei, et ibi audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor. xi*).

In primo paradyso positus est homo creatus, in secundo positus est homo reparatus, in tertio ponendus est homo glorificatus. Sunt autem tres paradi quasi tres quidam horti deliciarum, in quibus divinæ plantationis fructus crescunt, maturescunt, et colliguntur. Nam si humani generis primordia, primos scilicet parentes ad memoriam revocemus, ipsi fuerunt quedam divinæ plantationis virgulta in

paradiso terrestri, ad hoc posita ut ibi crescerent, et bene operando fructum facerent in obsequium Creatoris sui. Sed postquam virgulta hæc primæ prævaricationis merito aruerunt et fructum fecerunt noxiū, transplantata sunt in paradysum Ecclesiæ, ut igne charitatis quasi æstivo quadam sole desuper radiante crescerent, et fructum suum producerent ad maturitatem, et sic tandem per manum summi hortulani, qui Christus est, in tertium paradysum qui est gloriæ, cum fructibus suis transferrentur. In hoc etenim paradyso Deus a principio posuit hominem, id est disposuit ponere eo loquendi modo quo dicitur, fecit quæ futura sunt et agnus qui occisus est ab origine mundi.

Quia tamen sine humore virgulta hæc crescere non poterant, accesserunt quatuor paradi flumina, quibus irrigata fortius invalescerent, ut sic firmiter radicata nullo temptationis vento deinceps commoveri possent. Primum paradysi flumen, accipe munitionem sacramentorum : secundum, seriem divinarum Scripturarum : tertium, stillicidium spirituum donorum lacrymarum : quartum, gratiarum dona in bonis confirmantia. Natura siquidem humana vitiis infecta, primo opus habebat, ut per sacramenta Ecclesiæ a peccatis purgaretur. Secundo quia viam ignorabat justitiae, necesse erat ut per mandata Dei illuminaretur. Tertio expediebat ut accepta veritatis noticia, planetu et lachrymis bonis operibus exerceretur. Quarto, ut per dona gratiarum in bonis confirmaretur. Inter virgulta autem paradysi illius nobilis quedam virga exorta est, videlicet virgo Maria, ad quam fluvius spirituum charismatum abundantius quam ad cætera derivavit, utpote quæ fructum meliorem et sublimiorem cæteris erat productura, quo in terris homines, et in cœlo spiritus angelici pascerentur. Quid enim aliud fuerunt Spiritus sancti obumbratio, plenitudo gratiæ, fervor fidei, castitas virginalis, quam stillicidia quedam gratiarum in ipsam descendentiun ut cresceret et facheret fructum ? Crevit itaque et fructum fecit, et in tantum crevit, ut jam non virga humili, sed arbor sublimis et fructifera nominetur. Sublimis, quia super cœlos ascendit ; fructifera, quia fructum fecit multiplicem, scilicet fructum amarum, fructum dulcem, fructum deliciosum.

Si vis scire ubi arbor ista fructum amarum, protulit, recole amaritudines illas amarissimas quas sustinuit, dum astitit crucifixo, dum vidi mortuum, dum secuta est fugientem in Ægyptum, dum persecutiones sustinuit cum cæteris qui fuerunt imitatores viarum ejus. In his omnibus fructum amarum protulit, quando per has et alias multas tribulationes secuta est præsentiam Creatoris sui. De hoc fructu amaro gustaverunt omnes sancti, qui modo regnant cum Christo, quorum vita fuit mundum contempnere, tolerare adversa, crucifigere carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, opprobriis saturari, quæ omnia licet plena essent amaritudine,

tamen in his expectabant fructum pacatissimum, id est visionem Dei sui. Sed jam via hæc ærumnosa videndi Deum per anaritudines vitæ hujus in solitudinem redacta est, quia nunc fugiunt homines a facie Domini, ut amara effugiant, ne inveniant tribulationes, ut delectationes et hujus vitæ dulcia consequantur, parumque reputant videre bona Domini in terra viventium, dum consolationibus vitæ hujus perfruantur. Annon vere est a facie Domini fugere, repellere mandata Dei, sequi concupiscentias, laxare frena pudicitiae, et a nulla prohibere animum voluptate? Et in his quidem omnibus gustus in principio dulcis est, sed novissima eorum amara sunt tanquam absynthium, quia multas delectationes, multæ sequuntur miseræ, et extrema gaudiorum luctu et dolore commutantur.

Tunc enim homo primo vinum bonum posuerit et eo inebriatus fuerit, tunc demum sequitur quod deterius est. *Vinum* bonum quod homo, id est quilibet carnis ponit, principium leticie sua, concupiscentia carnis est concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, et cæteræ hujus vitæ delectationes, sed cum istis inebriatus fuerit, hoc est cum biberit calicem confusionis et ignominiae usque ad fecem, tunc sequitur vinum quod deterius est. Quod *vinum?* stimulus pravæ conscientiæ, timor gehennæ, horror districti Judicis, obduratio mentis, desperatio salutis. Ecce dulcia vitæ hujus, ecce amara, formida ergo contingere dulcia, si vis vitare amara. Sic enim pisces, sic volucres, sic bestiæ capiuntur, quia modicus cibus qui delectat hamo aut vinculo imponitur, ut cum illum apprehenderint, postmodum ferri, aut vinculi amaritudine teneantur. Cave ergo ne tu fallaci cibo hujus vitæ inescatus captivus tenearis; quod si ita est, solve vincula colli tui, plange miseriam tuam, curre ad medicinam. Quis demum tam degenerantis naturæ insipientiam incurrit, ut si e duobus concedatur optio, melius non æstimet eligendum? Proponantur modo duo hæc, videlicet amaritudo hujus vitæ, et delectatio ejusdem, docet te mundi philosophus, utrum istorum melius debeat æstimari. Juxta documentum enim Aristotelis, si dubitetur utrum melius, respiciendum est ad consequens utriusque, et cuius consequens fuerit melius, illud etiam et melius æstimandum. Vide ergo quid sequitur ad delectationem hujus vitæ. Certum est quia luctus sempiternus, unde scriptum est: *Extrema gaudii luctus occupat (Prov. xiv).* Ad amaritudinem vero hujus vitæ, sequitur gaudium æternum, unde dicitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. xvi).* Melius est gaudium luctu sempiterno, quare amaritudo hujus vitæ potius quam delectatio eligenda. Omnimodo ergo dulcia vitæ hujus fugienda sunt, quorum finis tam amarus est, aut si dulcia delectant, mittant manum suam hi qui talia desiderant ad fructum illum, qui ad edendum dulcis est, et ad reficiendum necessarius.

Ecce enim arbor nostra fructifera, scilicet virgo

Maria ramos suos extendit, in quibus fructum dulcem copiosissime invenire possint, nisi forte languente appetitu tanquam ægroti quæ suavia sunt et dulcia fastidian. Sic enim plerunque solet accidere, quod palato non sano poena sit panis, et ægris oculis odiosa lux est, que puris est amabilis. Tria siquidem beneficia beata Dei genitrix nobis contulit, de quibus velut ramis quibusdam omnia respiciunt opera justicie, et dependent fructus totius spiritalis exercitationis. Primum autem beneficium est, quod jugum antiquæ captivitatis a nobis abstulit: secundum, quod iram divinæ indignationis nobis remisit: tertium, quod notam humanæ iniquitatis delavit. Ecce captivus tenebaris o homo, et per Mariam liberatus es: offensam Dei tui incurreas, et per Mariam reconciliatus es: iniquus et peccator fuisti, et per illam justificatus es. Quid est dulcius libertate post captivitatem, et reconciliatione post impietatem? Hoc ergo omnis vita justorum, sancta desideria, meditationes, bona operationes, gratiarum actiones respiciunt, ut in his omnibus præcipue honoretur beata Dei Genitrix, quæ præ cæteris sanctis nobis operata est causam salutis. Nunc ergo age tu qui in tantis beatæ Virginis respiras beneficiis, ad ipsam vota tua et desideria converte, et dulce sit tibi sub umbra illius arboris quiescere, quia hactenus longo itinere pravæ conversationis laborasti.

Tria sunt quæ viatores ad arboris protectionem fungere compellunt, videlicet æstus, turbo, et pluvia. Similiter tria sunt quæ ambulantibus in via Dei, quietem animi auferunt, videlicet concupiscentia, superbia, et discordia. Et respicit æstus ad fervorem concupiscentiæ, turbo ad tunorem superbiæ, pluvia ad jurgia discordiæ. Protegit ergo beata Dei Genitrix ab æstu concupiscentiæ exemplo castitatis, protegit a tumore superbiæ exemplo humilitatis, protegit a pluvia discordiæ exemplo mansuetudinis. Certe mala nostra quæ fecimus docere nos possunt, quam jucundum sit sub ramis hujus arboris quiescere, quam ignominiosum sit premi servitute diaconi, et quam dulce sit obsequium præstare Deo.

Quoniam nauta multis iactatus fluctibus in regenda navi sapientior efficitur, miles post multa susceptæ vulnera in congressu belli cautior redditur: gravior serenitas post imbrem, quies post laborem, et per experimenta malorum erexit amor virtutum. Respiciamus ad eos qui ad frugem dulcem spiritalis vitæ manum miserunt, et videbimus verum esse quod dicimus. Aliqui enim ex ipsis post multa forte scelera commissa in seculo ad Deum conversi sunt, alii vero cum ipsa vitæ innocentia quam tenuerunt, seipso Deo sacrificium obtulerunt. Et videmus accidere quod hi qui fuerunt in seculo peccatores et magni peccatores, frequenter sunt in vigiliis promptiores, in abstinentia parciores, in oratione magis devoti, in bono opere magis solliciti, et in omni fructu vitæ spiritalis magis circumscripti, quam illi qui de puritate conscientiæ suscep-

gloriantes a trainite justicie nunquam ceciderunt. Nullus ergo timeat ad fructum dulcem spiritalis vitæ manum mittere, quoniam bonum quod tardius apprehenditur, quandoque ferventius acquisitum tenetur.

Est et tertius fructus hujus arboris quem supra delitiosum appellavimus, et ideo forte delitiosus quia rarus, quia pretiosus est, et quoniam fructus iste in summitate ramorum colligitur, oportet eum qui fructu isto vescitur sursum ascendere, ut quod in eo mortale est, absorbeat a vita, quod humile in gloriam, quod triste est in leticiam commutetur. Cæteri etenim fructus, id est amarus et duleis, quos supra distinximus, finitimi terris sunt, utpote quibus vescuntur hi, qui adhuc induuntur corpore mortis hujus. Sed fructus delitosus, quo soli fruuntur beati, sursum est in adeptione supernæ felicitatis, quem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et quidem his qui in vita ista mortali adhuc peregrinantur a Domino, fructus iste futuræ beatitudinis in spe re promissus est. His vero qui vitæ hujus cursu consummato vicerunt secundum, jam in re appositus, ut secundum re promissionem factam a Domino in ecclesiæ paradi so sint hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Christi, i.e. quam, qui est fructus benedictus, fructus singulariter delitosus, in quo sunt omnes delitiae sanctorum qui cum beata virginie Maria ad paradi sum cœli assumpti sunt, cuius et nos participes faciat ipse Jesus Christus Dominus noster, cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

## V.

## IN NATIVITATE BEATÆ VIRGINIS MARIAE.

*Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis (Eccli. xxvii).* Hodiernæ diei festivitas divinis laudibus et obsequiis nos mouet esse intentos, in qua autor mirabilium Deus æternæ prædestinatiouis arcanum, et præmissionis sue veritatem per beatam Virginem mundo voluit reserare. Omnibus ergo animi votis amplectenda sunt gaudia, quæ Mariane nativitatem festivam faciunt, ut non solum portemus ea in corpore, sed et mentis affectu interius, ac foris attestatione bonorum operum prosequamur, ne similes illis inventiamur qui ludos et gestus theatrales libenter aspiciunt : quos tamen judicio rationis improbantes eo quod merito in reprehensionem veniunt, minime cupiunt imitari. Et quæ potest major esse spiritalium gaudiorum materia quam nostræ redemptio nis arram suscepisse, quæ paternæ prævaricationis delictum ablueret, repararet innocentiam, placaret iram districti Iudicis, aperiret portam cœli, et captivis conferret libertatem. In ipsa enim omnis gratia viæ et veritatis, et in ipsa omnis spes vitæ et virtutis. Non talis mater illa quæ super faciem universæ terræ decretum maledictionis et vœ quadrisarium induxit, quo premuntur omnes filii Adam a die ortus sui usque in diem sepulturæ sue.

Si non recolis primum vœ, quod per Evam damnata est humana posteritas, suggestit tibi languor corruptionis corporeæ. Secundum, tempora lium pressurarum molestiæ. Tertium, occulti hostis insidiæ. Quartum, extremæ ultionis angustiæ. O Eva mater impia, quæ filias tuas ante necas quam parias, ut quid hoc fecisti? Quare induxisti super te et super illas peccatum grande? Sed ad te beata Virgo Maria respiciunt minæ istius levamina, quæ jam olim in lege et prophetis re promissa, signis multiplicibus præostensa es, ut in tuo ortu spem ve niaæ peccatores ponerent et ex præmissione jam facta de te patientius suæ misericordiæ cumulum tolerarent.

Vis ergo, o peccator, audire Mariam tibi re promissam? Recole virgam Jesse de qua Esaias loquitur (*Isa. ii*), et ecce in ea promittitur tibi nativitas Mariae. Recole arcam testamenti, quæ operiebatur auro pu ri ssimo (*Exod. xxxvii*), et in ea figuratur tibi Mariane virginitas. Recole florentem amygdalum, de qua Salomon loquitur, et ibi tibi significatur Mariane fecunditas. Recole ferculum Salomonis, cuius columnae argenteæ, reclinatorum aureum, ascensus purpureus (*Cant. iii*), et ibi ostenditur tibi Mariane regalis dignitas. Unde etiam et olivæ comparata est propter plenitudinem gratiarum, in capitulo quod præmissum in hac verba: *Quasi oliva speciosa in campis et cetera.* Si enim olivæ proprietatem inspiciamus, in hoc primo eleganter satis beatæ Mariane congruit, quia viret hyeme et aestate, nec aliqua frigoris sive tempestatis, aut etiam aestivi caloris intemperantia speciem suæ viriditatis amittit. Aestate autem futuræ vitæ claritas accipienda est, sicut in Evangelio Dominus dicit de arboribus: *Cum producunt ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas, quæ ideo aestati comparatur, quia ea adveniente, et morioris nostri nubila transiunt, et vitæ dies æterni solis claritate fulgescant.* Hyems vero nomine præsens vita accipienda est, quæ et mortalitatis astringitur frigore, et diversis tentationum ventis impellitur, de qua in Canticis scriptum est: *Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit.* Oliva ergo nostra et aestate et hyeme viro rei suum retinet, quia beata Virgo Maria humore spiritalium gratiarum perfusa præsentis vitæ torpore non aruit, et æternæ vitæ amoenitatem inter omnes filias Evæ gloriosa suscepit. In hac oliva ramos, folia, fructum, et oleum pariter considera. Rami siquidem ejus sunt viri justi, quos Dominus in Evangelio ramos vocat, ubi dicit de grano sinapis, quod factum est in arbore magnam, et volu crecœ cœli requieverunt in ramis ejus (*Matt. xiii*). Rami, inquam, sunt sancti viri, qui imitatione virtutis et sanctitatis proposito beatæ Virginis quodammodo inserti sunt, longitudine spei et latitudine charitatis circum quaque diffusi. Folia vero verba sunt evangelicæ veritatis, quæ ipsa apostolos et alios na scientis Ecclesiæ filios docuit. Hæc enim sunt folia lignitæ, de quibus in Apocalypsi dicitur, quia sunt ad sanitatem lauguientium (*Apoc. xxii*): quia in verbis

evangelicæ prædicationis medicina est, et salus languentium animarum. Fruetus autem olivæ istius sunt opera activæ et contemplativæ, utpote aures Dei orationibus inclinare, secretis divinis interesse, puerum Jesum lacte pascere, et his similia.

De hac oliva oleum diversi generis emanavit, oleum videlicet effusionis, oleum puritatis, oleum lœticiae, oleum unctionis. Oleum effusionis (de quo scriptum est: Oleum effusum nomen tuum [Cant. i]) innocentia est exterioris conversationis, qua cæteri ad vitam bonam invitantur. Oleum puritatis de quo præcipitur in Exodo, quod purissimum de arboribus olivarum ardeat in tabernaculo Domini (Exod. xxvii), et est puritas bonorum operum. Oleum lœticiae (de quo scriptum est: Unxit eum Deus oleo lœticiae præ consortibus suis [Psal. xliv]) fervor est charitatis. Oleum unctionis quo jubetur inungi labrum illud æneum, in quo lavabant se sacerdotes ingressuri tabernaculum, affectus est misericordiae et pictatis (Exod. xl). Labrum enim æneum cum aqua, pœnitentiæ lacrymis irrigatam significat. Oliva igitur nostra, id est, beata Dei Genitrix, distillavit oleum effusum simpliciter viventibus: oleum purissimum, fortiter operantibus: oleum lœticiae, ardenter amantibus: oleum unctionis, id est misericordiae criminosis post lapsum redeuntibus.

Vides igitur quoniam oliva ista speciosa est in ramis, speciosa in foliis, speciosa in germine, speciosa in liquore. Sed quare potius speciosa est in campus, quam in sylvis? Ideo quoniam sylvæ spinas et vepres nutriunt, et frondium densitate umbra faciunt, qua radius solis excluditur, et omnimodo sylvestres arbores utilitati hominum minus idoneæ reperiuntur. Quid ergo per sylvas, nisi mentes sylvestres peccatorum debemus accipere, quæ caligine vitiorum tenebrosæ solem justiciæ a se excludunt, et a fructu bonorum operum omnino steriles, vepres et spinas nutriti? Pravæ conscientiae metuentes in se immanitatem criminum, super se potestatem Judicis, subtus se crudelitatem tortoris. In hujusmodi sylvis prædones et sicarii et serpentes et scorpiones, id est vitiorum multitudo magna nimis inveniuntur, ut nullus possit ibi loens esse justiciæ, aut accessus sanetitati. Ne ergo in loco isto horrores et vastæ solitudinis inveniaris adæqua sylvam istam in campum, et præcide proceras illas vitiorum arbores quæ surrexerunt, fastum videlicet mundanæ elationis, ambitionis malum, flammarum luxuriæ, invidiæ tabem, et cætera genera vitiorum, ut excisis vitiis campi æqualis facies, id est conscientia pura appareat, et sic libere olivam istam respicias, et sine nubilo possis intueri Mariam.

Campi siquidem mentes humiles, et a tumore secularis conversationis metu divini judicij adæquatæ intelliguntur, ut ibi: Ascendunt montes et descendunt campi, in locum quem fundasti eis (Psal. ciii). Sed forte in campo isto nondum apparuisti, eo quod in tenebris peccatorum sis usque adhuc, et lumen justitiae non illuxit tibi. In ipsis tamen tenebris tuis

eo quo potes respectu beatam Mariam intuere, in lectulo tuo illam cogita, et tene in memoria cordis tui: quoniam et res in quam directe radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis quandoque irradiatur, et infra conscientia que radio aspirantis gratiæ non tangitur, per vitam justorum et exemplo bonorum operum quandoque innatur in melius. Quid enim aliud sunt justi cum impius conversantes, quam fulgor quidem lucens in te chris?

Fulgebunt, inquit Scriptura, justi, et tanquam scintillæ in arundinetu discurrunt (Sap. iii). Fulgor iste, id est claritas sanctitatis cum ad injustos dirigitur, quandoque in eis excitat fumum, quandoque ignem, quandoque caliginem. Fumum, cum exemplo in se ipsis confunduntur, et scelera sua erubescere incipiunt, et sic in lacrymosam compunctionem resolvuntur (Cant. iii). Fumus enim sanctorum mentium compunctio designatur, ut ibi: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ et thuris? Quandoque vero fulgor iste ignem excitat in peccatoribus, ut quando audita vita illa beata invisibilium bonorum amore, velut igne quodam accenduntur, de quo igne Moysi præcipitur (Levit. vi.), ut in altari Domini jugis sit ac perpetuus. Aliquando etiam fulgor iste in reprobis excitat caliginem, ut dum visa justorum ardua conversatione, se ad illam ascendere posse diffidunt, et sic caligine desperationis excæcantur. De hac caligine in Psalmo dictum est: Inclinavit cœlos, et descendet et caligo sub pedibus ejus (Psal. xvii). Ex metu enim extreme ultionis (quæ per pedes Domini recte accipitur) in reproborum mentibus oritur cæcitas desperationis.

Fulgebunt igitur justi, ut diximus, et tanquam scintillæ in arundinetu discurrunt. Scintillæ vero viros sanctos significant, qui foris inuenient bono opere, et intus ardente charitate. Arundo vero peccatores designat, qui omni virtutum humore siccati, merito suæ iniquitatis ignibus æternis sunt preparati. Sed in arundinetu viri sancti, sicut scintillæ discurrunt, quia sicut scintillæ ignis arundines consumunt, et redigunt in favillam, sic viri sancti exemplo bonæ vitæ, quod animale et vetustum est in peccatoribus destrunt, et stipulam vitiorum adhibita flamma charitatis exurunt. Sic ergo mali inter bonos, sicut arundines juxta scintillas, et plateæ arentes juxta aquas positi sunt. Impii enim homines plateæ illæ sunt de quibus in planetu Hieremiacæ scriptum est: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum (Jer. iv). Ex his plateis quedam, juxta aquam positæ sunt. Sunt enim plerique criminosi latas hujus seculi vias tenentes, qui aliquando per verba sanctæ exhortationis, aliquando per virtutum dona quæ in aliis aspiciunt, aliquando ad lacrymas et gemitus vere pœnitentium corde compunguntur. Qui ergo verba sacrae Scripturæ exhortationis devotus suscepit, etiam vitam præteritam

non deserens, juxta aquam sacri eloquii positus est, de qua dicitur : Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum (*Eccle. xv*). Qui vero dona gratiarum quæ in se non habet, in aliis veneratur et diligit, juxta aquam gratiae spiritualis positus est, de qua dicitur : Effundam super vos aquam mundam et mundabilium ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech. xxxvi*). Qui ad lachrymas pœnitentium in seipso erubescit et confunditur, juxta pœnitentiæ aquam positus est, de qua scriptum est : Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus (*Job. iii*). Sic igitur et plateæ sunt, et tamen quodammodo juxta aquas ponuntur, quoniam etsi latas hujus vitæ vias teneant, eo quod Dei dona venerantur in aliis et diligunt, suscipienda gratiae habiliores et promptiores fiunt.

Videre jam potes qualiter Virgo mater, quæ prins comparata est olivæ speciosæ in campis, sit quasi platanus exaltata juxta aquam in plateis, subintellige constitutus. Platanus siquidem arbor lata est, expansis ramis, umbram faciens uberiorem, quæ idoneum est umbraculum his qui calore solis intemperato fuerint fatigati. Umbris illius platani nihil aliud confidentius accipitur, quam incarnatio Verbi de qua dicitur : Et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc. 1*). Si enim umbræ naturam enucleatus inspiciamus, ex lumine et corpore efficitur. Tunc ergo platanus hæc umbram coniosissimam reddidit,

quando lumen incorporeæ divinitatis in beata Virgine assumpsit corpus nostræ humanitatis. In plateis autem umbra platani hujus diffusa est, quoniam omnibus criminosis, et sub peccati onere gementibus, opem suæ protectionis porrigit, omnibus, inquam, post lapsum redeuntibus et desiderantibus viam salutis. Considerate modo omnes plantas, quæ de râdice matris Evæ prodierunt, si aliqua tam sublimis sit, ut Maria, quæ, et si pro conditione naturæ aequalis sit ceteris, tamen donis et meritis supra omnes exaltata est. Tribus plane modis eam super omnes filias Evæ videmus exaltari, videlicet per sanctificationem, qua exaltata est ab omni affectu terrenæ corruptionis : per cognitionis plenitudinem, qua exaltata est ab omni nubilo erroris : per summam contemplationem, qua exaltata est ab omni tumultu mundanæ actionis. Nobis igitur, fratres charissimi, qui ad hanc virtutum eminentiam assurgere non possumus, sub umbra ejus pansandum est, ubi in æstris vitiiorum refrigerium, in pressuris seculi umbraculum, et in omnibus laboribus quæ huic vitæ fastidium ingerunt, quietem assequamur. Festinet ad umbram protectionis ejus qui longe est, teneat nec dimittat qui jam apprehendit : quia ipsa est dux securitatis peregrinantibus, et pervenientibus ad viam portus salutis, quam nobis ejus interventu largiatur Jesus Christus Dominus noster, cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen. (Serm. 47).

### ADAMUS, ABBAS PERSENIE.

#### I. — MARIALE, SEU LAUDES SS. DEIPARÆ VIRGINIS.

##### SERMO 1.

IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS.

*Egredietur virga de Radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini (Isa. xi).* Senescente jam sæculo, auctor sæculi ad reparamendum hominem apparere dignatus est. Antiquabatur, et senescebat miser mundus, et propinquabat ad interitum. Pereunti mundo mira se novitate antiquus dierum opposuit, juxta Jeremieæ vaticinium, « novum faciens super terram, ut femina circumdaret virum (*Jer. xxxi*), » gremio uteri sui. Dum itaque per hanc novitatem nostræ vetustatis senium detinuit, in nova nos immortalitatis suæ luce reparavit. Reparavit, inquam, misericorditer, quod creavit potenter. Huic tanto operi necessaria erat virga de radice Jesse, ex qua nasceretur fructus, qui gustatus non inferret mortem, sed resormaret ad vitam. In antidotum, ergo prioris arboris, cuius fructus mortem intulit, de virgulto Davidicæ stirpis, hanc vitam fructificans, Virga processit : Virga hæc Virgo Maria est ; fructus virgæ, Virginis partus. In tantam arborem crevit hæc virga, ut communis salutis fructum proferens, dum mater Omnipotentis efficitur, et angelorum Regina, et seculorum Domina prædictetur. Sime termino dilata-

tavit se arbor ista, « operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus Cedros Dei (*Psal. LXXIX*). » Montes accipe sublimes meritis sanctos : umbram nostræ arboris, privilegium gratiæ singularis, quod nostræ Virgini contulit obumbrans ei Altissimi virtus, et plenitudine gratiæ cumulans mentem, et partu divino gravidans ventrem. Umbra hæc nil habet in se umbratile, nil imaginarium, vel inane. Summa et sola ubi veritatis soliditas, et solida veritas : verus enim Unigenitus in vera Virgine, verum assumptus hominem, hoc est corpus et animam ; naturam, non culpam. Veritati susceptæ novæ non defuit veritas innocentia. « Peccatum quippe non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr. ii*). » Dñm ergo lux incorporeæ veræ divinitatis sibi veraciter corpus humanum univit, ex unito et objecto sibi corpore in partem alteram umbram fecit. Umbra illa fides vera. Fides vera, quæ per incarnationis mysterium justificat impios, glorificat justos (*Prov. xvii*), et de vallibus facit montes excelsos. De umbra ista dicit sponsa in Cantico amoris : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi (*Cant. i*). » O umbram necessariam illicitis ardoribus temperandis ! Si confugias ad umbram illius arboris, hoc est si credas et diligas partum Virginis, « per diem sol non uret te neque luna per no-

item (*Psal. cxx.*) . » Arbusta ejus, merita ejus, quæ cedrorum altitudinem, hoc est Angelorum sublimitatem transcendunt. O arboreum fructuosam, in medio paradisi plantatam, ramis expansam, radice firmatam! Ipsa quippe est, quæ dicit: « In Sion firmata sum, et in Civitate sanctificata similiter requievi (*Ecclesi. xxiv.*) ; » et illud: « Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius (*ibid.*) . » Arbor illa scientiæ boni et mali (*Gen. ii*) gnosti suo experientiam mali constituit, et boni scientiam ex parte abstulit, et de bono miserum fecit. Hæc arbor sapientiae fructum proferens, et palatum animæ reparat ad saporem boni, et malorum experientiam dedocet, restituens hominem amissæ beatitudini. Hoc modo erexit virga in arborem, profecit virgo in Altissimi genitricem. In horto cœlestis Agricolæ (*Joun. xv*) sunt arbores maleæ, steriles, fructuosæ. Maleæ sunt, quæ noxios fructus ferunt. Steriles sunt, quæ nec bonos proferunt. Fructuosæ sunt, quæ bonorum fructum ubertate pinguescent (*Psal. lxiv.*). Arboribus malis et sterilibus securis ad radicem posita est, incisura eas, nisi mutantur. Interbonas arbores incomparabiliter optima est virga de radice Jesse, ex qua vitæ fructus processit. Summum enim bonum est fructus iste, enjus bonitate quæ non participat arbor, bona esse non potest (*Matth. vii.*). Participata nimis bonitas fructus hujus, et malis arboribus confert plurimum, ut bonæ siant; et steriles secundat, ut fructus ferant, et fructuosas purgat, ut fructum plus afferant. Quas hoc modo non mutat, incidit, et in ignem mittit (*ibid.*) ut ardant. Est enim iste fructus, est et securis, qua infructuosæ arbores exciduntur. Securis, inquam, est incarnatus Unigenitus, cuius quasi manubrium est humanitas, quia ferrum incidens subtilitas Deitatis. Ubi ligna silvarum plaudunt manibus, æmolamini potius virginis de radice Jesse egredientem, ex qua poteritis habere exemplum, et virtutem fructificandi, quam arborem scientiæ boni et mali (*Gen. ii*), ex qua provenit vobis sterilitas, quæ vos obnoxios facit securi. Amate fructum, timete securin. In filio Virginis diligite misericordiam, metuite veritatem: nam seu veritatem incidit, et est securis, seu misericordiam, et est fructus terræ sublimis. Misericordia debetur amor, justitiae per judicium incidenti debetur timor. Sterilitatem nostram aut moveat amor, aut terreat timor. Certe timorem ipsum non infructuosum dixerim, qui, dum mala recidit, eo ipso sterilitatem evanescit, quo per ipsam manus ad bona opera consuescit, vel saltem a malis pœnæ formidine dissuescit. Magna utilitas est, dum timorem necessarium exterminationem peccati, virtutis seminarium incutit arboribus infructuosis, sed hoc nonnisi ponatur ad radicem arboris (*Matth. iii*), hoc est ad intentionem cordis. De intentione enim, quia de radice habet homo, ut inutilis sit vel fructuosus. Idecireo non ad ramos, sed ad radicem securis ponitur, quia frustra

foris amputat ramos mali operis, si intus remaneat malum in radice intentionis. Itaque, ut dictum est, securis ad radicem posita timorem incutit. Quid non timeant arbores infructuosæ, cum securis videant parantem sibi incisionem, et minantem combustionem? Dicit enim, qui eadem securi incidit: « Quia omnis arbor, quæ non facit bonos fructus, excidetur et in ignem mittetur (*ibid.*) . » Verbum est Joannis Baptiste, qui, dum Salvatoris adventum præcurrit, et ipsum venientem ostendit, quasi securim ad radicem arborum ponit. Dum ergo de Virgine Filius Dei nasciturus prædicatur, quasi de virga securis processura promittitur.

Nota mysterium. Virgo Dei, et hominis mater virga; Deus homo virginis filius est secundis. Virga cedit, ut corripiat; securis excidit, ut destruat. Virga corripit, ut corrigat; securis destruit, ut in ignem mittat. Virga utimur in correctione parvolorum; securi in exterminatione spinarum. Virgæ correctio, est in misericordia, sicut scriptum est: « Corripit me justus in misericordia (*Psal. xiv.*) » securis excisio in furore et ira. Virga corripiens corrigit ad virtutem, securis exterminans percutit ad consumptionem. Quem non correxerit virga in spiritu lenitatis, securis exspectet necesse est in spiritu judicii et spiritu ardoris. Qui ad matris misericordia exemplum se non corrigit, terribilem ejus filium in judicio sentit. Hæc est Virga, qua primo corripitur et corrigitur mundus, de qua ipse mundi Conditor per Prophetam dicit: « Visitabo in Virga iniquitates eorum (*Psal. lxxxviii.*) . » Mundus quippe in virga corripitur, dum ei per exemplum, et partum Virginis, in quo sit reprehensibilis, et condemnabilis demonstratur. Sed quam misericors ista correctio fuit? Non hanc furor judicis, sed ira columbae vindictam in crimina facit. Non odii, sed pacis est talis ultio, qua flagellat filium pater, ne pereat; quia non reo severitas impenditur, sed reatui, nec se judicem Dominus exhibet, sed amicum. Zelus Domini exercituum facit hoc, dum in virga visitat iniquitates orbis, et tot verberibus atterrit peccata hominum (*Psal. lxxxviii.*), quot virtutibus illustrat Virginis partum. Hæc virga, qua tot ictus dorso imprudentium dedit, quot virtutibus ostensis in se mundi insipientis vitia debellavit. Et quia vitoriæ meta, et virtutum origo exstitit, ideo recte virga virtutis appellatur, cum dicit: « Virginis virtutis tuæ emittit Dominus ex Sion (*Psal. cix.*) . » Non immerito virga virtutis divinæ Virgo Maria dicitur, cuius fide, vita, partu, exspirans vitiis, ad virtutem sæculum respiravit.

Hanc virginem emisit Dominus ex Sion, quia sicut dicit Isaías: « Egressa est virga de radice Jesse, orta est virgo de stirpe David, qui sicut ipse de se in Psalmo testatur: « Constitutus est super Sion, in montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (*Psal. ii.*) . » Virga hæc flexibilis, recta, porrecta, fructifera; flexibilis per misericordiam, recta per judicium, porrecta per virginitatis excellentiam,

fructilitera per Unigeniti conceptionem. Haec virga virgam extrudit a virga; per hanc enim virgam virtutis effectum est, ut non relinqueret Dominus virgam peccatorum, hoc est virgam divinæ hæreditatis, de qua per Psalmistam dicitur: « Redemisti virginem hæreditatis tuæ » (*Psal. lxxiii*), etc. Haec est virga Moysi, quæ virgas magorum Ægypti legitur devorasse, quia virginei partus Veritas totius mundi hæreses retexit et interemit. Ipsa est virga Aaron, quæ sine succo floruit, fronduit, et nunc protulit (*Num. xvii.*), quia beata Dei mater sine viro Salvatorem concepit et peperit. O quam flexibilis, quam fortis, et quam fertilis directionis virga, mater misericordiae, Regina virtutum, Genitrix Salvatoris! Flexibilem te facit immensa pietas: fortem incorrupta potestas: fertilem divini partus fecunditas. Tanta est pietas tua, quanta potestas. Tam pia es ad parcendum miseris, quam potens ad impetrandum quod postularis. Quando enim non compateris filiis miseris, mater misericordiae? Aut, quando illis opeū conferre non poteris, cum sis ipsius mater omnipotentiae? Eadem procul dubio facilitate obtines apud Omnipotentem quocunque vis, qua facilitate nostra innotescit miseria tuae visceribus pietatis. O quanta fiducia nobis per te ad Deum esse potest! Sicut non potes non sentire per compassionem passiones nostras, cum non possis odisse filios misericordissima mater: sic non potes non obtinere eis remedium, si petas, cum ad hoc, et non nisi propter hoc, ex te nasci voluerit misericordiarum omnipotentis Patris Filius. Tu enim mater exsul, tu mater Regis. Tu mater rei, tu mater Judicis. Tu mater Dei, tu mater hominis. Per te ergo factus est rens frater judicis, per te facta est una hæreditas Regis et exsul. Cum enim utriusque mater, utrumque habes filium, et per te efficitur frater Unigenitus adoptatus. Quid igitur reo timendum est, cui in causa sua idem est frater qui et iudex, et talis iudex, cui proprium est misereri semper et parcere (*Orat. miss. Defunct.*), et qui misericordiam superexaltet iudicio? (*Jac. ii.*) Timere ne debeat ut pereat, cui misericordissima mater clementissimi fratris, et iudicis se piissimam matrem exhibet, et potentissimam advocatam? Tu misericordiae mater, non rogabis pro filio Filium, pro adoptato Unigenitum, pro servo Dominum, pro reo Judiceum, pro creatura Creatorem, pro redempto Redemptorem? Rogabis plane, quia qui Filium tuum inter Deum et homines posuit Mediátorem, te quoque inter reum et judicem posuit mediaticem. Ad hoc nimur electa es, et assumpta in matrem Omnipotentis, ut in partu tuo inveniat venie locum iniquitas peccatoris. Ad hoc te in celum aromatum snorum erexit medicus; ut apud te, et per te recipiat sanitatem ægrotus. Si ergo causam tuae tantæ sublimitatis attendas, te totam debes miseris, ut eis reportes antidotum reconciliationis; nec unquam tu poteris faciem judicis invenire difficultem sicut te reus nunquam invenit

inexorabilem. Abundas enim et superabundas pietatis visceribus, quia non solum implevit te, sed supervenit in te ad ennuntiatoris gratiae plenitudinem Spiritus sanctus (*Luc. i.*). Ne igitur avertant faciem tuam a nobis (*Psal. l.*) abundantia in dies criminis nostra et iniquitas circa propositum super iniquitate apposita. Te medicinam nostram super filii tui verbo convenimus, quod dicit: « Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent (*Luc. v.*). » Certe si non sanis, sed ægrotantibus necessarius est medicus, eadem ratione illis major medici impendenda est cura in quibus abundant vulnera graviora. Quia ergo, Domina, omnes nos peccatorum nostrorum vulneribus laborare cognovisti, pro omnibus interpellata medicum quem omnibus perpesti. Sed illis, misericors, majorem impende sollicitudinem in quibus infirmitatem perspicis gravorem. Quid enim omnibus magnificientiae openi neges, quæ sicut non patet pietatis, ita nec patet angustias potestatis? Infinita tibi pietas, infinita potestas. Thesauros tuae gloriae non solum non exhaustire, sed nec iuminuere potest tuae magnificientiae effusio largitatis. Tribue quod vis, nihil minus habes. Ditare potes indigentiam singulorum, sed indeficientes copiae perseverant. Ille nimur tua plenitudo est, qui sicut augmentum non accipit, cum sit immensus; nec detrimentum, cum sit simplex: ita nec finem, cum sit æternus. Ergo jam repatriare exsules, quia vult et potest iudicij sententiam dispensare misericordiae mater, per quam nos voluit Deus iudicij in filios adoptare. Tantum odite quæ mundi sunt, et in iustitiae opus abjecite, quoniam mater nostra, etsi misericordiae mater est, nihilominus est et iustitiae parens. Virga quippe nostræ correctionis est flexibilis per misericordiam, et recta per iudicij veritatem. In correctione virga reductionis, in directione baculus sustentationis: per virgam emendatur reus, ne pereat; per baculum sustentatur justus, ne cadat. Uterque indiget matre Domini, et reus et justus. Ipsa enim, et in virga misericordiae corrigit devios, et in baculo iustitiae suæ sustentat correctos. Ipsi est in virga flexibilis, et in baculo fortis. Virge percussio servum emendat in filium, baculi sustentatio filium perducit ad regnum. Unde, qui hujusmodi est, exclamat, et dicit, gratias agens Deo: « Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt (*Psal. xxii.*). » Mater enim Domini utrumque habet a Deo, ut et per misericordiam virga sit, reum corrigens, et reducens ad gratiam, et per rectitudinem sit baculus justum deducens, et perducens ad patriam. Haec virga, et hoc baculo unus est Pastor bonus, dum quereret ovem, quæ erraverat, inventaque suis imponeret humeris, et reportaret ad gregem (*Luc. xv.*). Tanta est in matre Domini fortitudo, ut in ea et per eam vere ad infirmitatem humanæ carnis se fortitudo omnipotentis humiliaverit. Eo enim ipso Virgo Maria fortis efficitur, quo in utero eius fortis et potens in prælio Dominus (*Psal. xxiii*)

per carnis susceptionem fragilis infirmatur. Fortis nimurum et valida est ut mors dilectio Virginis (*Cant. viii*) quæ ad infirma toleranda invitare potuit, et meruit fortitudinem Omnipotentis. O Regnum angelorum, cœlorum Dominam, fide singulatim fortis, meritis privilegiata, potestate incomparabilem, gloria singularem! Ipsa quippe virga ferrea est, qua mundus regitur, mundi princeps prostratur, confactu infernus aperitur. Ilac virga fortis armatum, in pace atrium possidente, fortior illo supervenienti rex virtutum percussit et attrivit (*Luc. xi*). Denique vineula, quibus alligatus est, fortis iste in sacrario virginalis uteri texuit, et operatus est ipse sanetus. Vis nosse quæ sunt vineula illa? Suscepta a Verbo corporis membra sine culpa. In his membris dum defectus nostros indeficiens Verbi fortitudo sustinuit, sic defiendo male confidentis hostis fortitudinem superavit. O si tam potens fuit Verbum in defectibus! quid, si virtutes exereret et exercearet deitatis?

Denique, quid fortitudinis virga virtutis nostræ non habuit, cui regem virtutum ipsa Dei fortitudo, id est Gabriel angelus nuntiavit? Gabriel quippe *fortitudo Dei* appellatur, qui Virginem salutasse, et nostræ salutis auctum dicitur attulisse. « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc. i*). » In his verbis angeli, Verbum Deus humanatur, virginis secundatur integritas, hodiernæ diei solemnitas consecratur. In hoc quod dicit « gratia plena, » attende singulare Virginis meritum. In hoc quod dicit, « Dominus tecum, » nota virginalem conceptum. Dum « benedicta in mulieribus » dicitur, imperiosæ Virginis honorem designat æternum. Quam fortis est sermo nuntii! quam omnipotens sermo, quem nuntiat! quam fortis Mariæ fides, quæ in momento, dum verbum angelici credula recipit, Verbum Deum beata concepit, et mater Dei efficitur, cuius ancillam se vix nominare præsumit. O mira Mariæ, et sæculis omnibus prædicanda humilitas! Præordinata ab æterno in matrem summi Regis, dum verbum tantæ sublimitatis effectum ex angelica salutatione percipit, non se extollit in gloriam, sed corde et voce se deprimit in ancillam. Loquitur angelus, salutat Virginem ex parte illius qui mandat salutem Jacob (*Psalm. lxiii*). Virgo audit, silet et credit. Silet reverenter, audit prudenter, credit fideliter. Dum quiescerent et silerent in Virgine omnia, caro purissima ab omni contradictione concupiscentie, mens purgatissima ab omni perturbatione malitia, dum penes Virginem agitur tale silentium, non silet Sermo omnipotens, sed a regalibus sedibus veniens (*Sap. xviii*), invenit paratam sibi in Virgine mansiōnem. Verbo enim Dei idonea paratur mansiō, ubi silentium custoditur. Cæterum « vir limogosus non dirigetur in terra (*Psalm. cxxxviii*). » Ubi enim tumultuat in carne concupiscentia, in mente vociferatur malitia, in spiritu perstrepit et garrit superbia; in his tumultibus et clamoribus non lo-

quitur Verbum Deus, cum loqui sit per aspiracionem sentiri. Et tria quidem silentia optime custodiebantur in Virgine; sed de tribus medium magis approbat Sermo omnipotens. Primum faciebat virginitas, omnis concupiscentiae tumultum a carne coereens; ultimum faciebat incomparabilis charitas, mentem ab omni perturbatione tranquilla; medium autem in spiritu mansueto servabat humilitas, et excellentiae virginitatis consulens, et privilegio charitatis providens, ne de magnitudine virtutum aliquod superbæ periculum nasceretur. Dum igitur hoc medium humilitatis silentium omnia interiora et exteriora intermeratæ Virginis custodirent, mansuetique spiritus singularis humilitas et foris foveret florem castitatis innarescibilem, et intus nutrire ignem charitatis inextinguibilem venit, ut dictum est, omnipotens Sermo, et dedit voci Virginis vocem virtutis (*Psalm. lxvi*), ut angelo nuntianti sublimia responderet humilia, dicens: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc. i*). » Omnipotens quidem Deus licet in matre diligit castitatem, et castitati longe preferat charitatem, nescio quo tamen paecto humilitatem præfert omnibus, et ad illam se familiarius Dominus majestatis inclinat. Humilitas enim eo capax est plenitudinis gratiae, quo rigidum omne tumulatumque fastidiens, humilem semper planitiem inferiorum affectat. Aqua quippe semper ad inferiora dilabitur, humorque de summunitatibus montium effluens, in planis consuevit plenus abundare. Scriptum quippe est: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Job. iv*; *II Peter. v*). » Quod si humilibus non negatur gratia, quid gratiae ante alios habere potuit, qua, cum supra quæque incomparabili dignitate excelleret humilia quæque incomparabili humilitate superavit?

Ecce quod ad vallem humilitatis virginæ tota se divinitatis unda contulit. Frumenti ferax eadem vallis fuit; scriptum est enim, quia « valles abundabunt frumento (*Psalm. lxiv*). » In hac igitur valle taliter irrigata exortum est frumentum illud, quod de seipso in Evangelio ait: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*John. xii*). » Rorantibus quippe cœlis desuper, nubibusque justum plentibus, ad abundantiam roris hujus se vallis ista apernit et germinavit Salvatorem (*Isa. xlvi*). Ex hac pluviae cœlestis infusione plenaria in profundum humilitatis concavum descendente factus est in Virginem nostra fons aquæ salientis in vitam æternam (*John. iv*). Væ arbori, quæ ad humorem istum non mittit radices suas! Sterilitate damnabitur, et siccabitur procul dubio arbor illa, cum venerit aestus. Ex hoc fonte irrigantur horti aromatum, id est corda sanctorum, aromatibus virtutem redolentia. Secus decursus aquarum istarum planavit vineam justorum Deus justitiae mee (*Psalm. iv*). Vitis enim abundans, vitis quæ fructificat snavitatem odoris (*Ecclesiastes. xxiv*), est secunda Mariæ virginitas, ex qua processit ille magnus botrus Cypri, de

vineis Engaddi (*Cant.* i), qui in toreulari crucis pressus, et expressus totius vinum gratiae abundatissime propinavit. Sed jam « vinea nostra floruit (*Cant.* ii), » quia virga de radice Jesse Salvatorem concepit. Fronduit, quando obumbrans ei Altissimi virtus, et angelis, et hominibus mysterium oculatavit. Fructificavit, quando quem sine contagione conceperat, sine dolore partu edidit. Conceptum itaque Virginis virgæ florem dicimus, velamenta mysterii frondes, partum nucem de virga prolatam. Nux optime convenit sacramento. Denique nascentis unam in tribus substantiis personam figurat. Corium nucis refer ad carnem, testam ad animam nucleus, ad interiorem internæ divinitatis dulcedinem. Corium habet amaritudinem, caro Salvatoris sustinuit passionem. Testa fortior animæ mundum salvantis designat virtutem. Oleum quod de nucleo elicetur, quia reficit, lucet et medetur, divinitati congruit, quando sicutientes justitiam satiat, cœcos illuminat, peccatorum vulnera sanat. Ad hoc egressa est Virga de radice Jesse, ut sic floraret, ut tales fructus nobis proferret. Vis videre Virginem vernantem in floribus? Si hortum conclusum eastæ considerationis oculo perlustraveris, prospicies, et senties in eo immarcescibile virginitatis albescere lilyum inviolabilem humilitatis fragrare violam, rosam rubescere inexstingibilis charitatis Ubi Virgo beata in virtutibus floruit, fronduit in meritis operum, in pariendo Sanctum sanctorum fructum fecit. Sed dicit mihi alius: Quid tu de fructu virgæ loqueris, cum de flore tantum propheta locutus sit? Certe quia flos ipse etiam fructus est; « Flores, inquit, mei fructus honoris et honestatis (*Ecli.* xxiv). » Haec verba Sapientiae sunt, sed etiam personæ matris Domini convenienter aptantur. Placet igitur tibi, ut Virginis filius, Deus, et homo: secundum hominem flos, secundum quod Deus est, fructus appelletur? Nam fructus a fruendo dieitur. Fructus ergo est æterna divinitas, qua sancti angeli et sanctorum animæ perpetua jucunditate fruuntur. Nec incongrue divinitas fructus dicitur, quia fruentes se beatos facit. Non enim proprie frui dicimur, nisi rebus quæ nos beatos efficiunt. Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam tantum. Verum cum homo sit Deus, et Deus homo, possumus sine distinctione aliqua Redemptorem nostrum, et florem appellare, et fructum Convenientius tamen assumptæ carnis fragilitatem floris teneritudo designat. Flos enim habet suavitatem odoris, fructus soliditatem saporis. Et licet caro assumpta sit in Deum, et ita flos in fructu, pro statu tamen mortalis adhuc corporis, teneræque ætatis, carnis substantia appellatur nomine floris.

Est etiam fructus secundum talēm statum vera Christi caro; sed hoc verius et perfectius dici potuit, cum per passionem ad impossibilitatem et immortalitatem de patiendi et moriendi necessitate transivit; cum per temporalem mortem suam a morte perpetua hominem liberavit. Verum quo-

niam fructus saporem gustare idonei nondum sumus, interim, quod minus est, et satis pro tempore, quantum juvat gratia, olfactum fidei ad floris hujus fragrantiam applicemus. Consideremus fructum virgæ, secundum quod florem cum dicit propheta magis quam fructum, cum tamen indubitate in ipso flore nostræ redemptionis fructum speremus. Nam, juxta paternæ voluntatis dispositum, sicut pro hominibus dignatus est homo fieri, sic etiam voluit pro hominibus homo mori. Alioquin nil nobis nasci profuit, nisi redimi profuissest (*Off. in Sab. Sanct.*). Flos iste habet in aspectu pulchritudinem, in odore suavitatem, in tactu lenitatem, in substantia tenuitatem, et in carnis specie fructus. Quam pulcher est flos iste in ortu suo, quam nitidus in candore! Pulchritudinem ejus tibi insinuat Propheta, cum eum speciosum præ filiis hominum dicit (*Psal. xliv*). Pulchritudinem istam non in nitore carnis, sed in innocentia vitæ, et splendore virtutis intellige. In tantum pulcher est flos iste, ut in nullo eum peccati commaculet turpitudo. Tanta est odoris fragranzia de isto flore spirantis, ut ad ipsam respiret oriens, et accurvant gentilitatis primitiae in tribus Magis (*Matth. ii*). Attulerunt quidem secum aromata, sed odorem eorum superabat novi floris fragrantia. Odor iste fetorem criminum fugat, et ubique fidei et virtutis fragrantiam spargit. Quid est quod flos iste tactu est lenis, nisiquod ortu suo mundum innovans, Christus ubique est mansuetus et humilis? Attamen flos iste teneritudinem habet in substantia, quia homo Christus antequam pateretur, nostris defectibus subiacens, fragilis inventus est in carne humana. Et in his omnibus flos spondebat fructum, quem dedit in tempore suo (*Psal. i*), quando scilicet mortuus est propter delicta nostra, a morte liberans; et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom. iv*), quid sperare debeamus ostendens.

Verum, quoniam hunc Florem fecit tenerum passibilis naturæ fragilitas, ideo alteri et confricari potuit infidelium manibus Judæorum. Per hoc enim quod natura in eo passibilis fuit, occidi potuit a Judæis. Attrito tamen ista floris odorem non restrinxit, sed auxit; non minuit, sed cumulavit. Tantum spirat odoris flos iste, dum atteritur, et exspirat, ut de odore ejus mortui respirent ad vitam. Tantum, inquam, spirat odoris, ut inter manus Judæorum exspirans, inspirat latroni confessionem (*Luc. xxiii*), fidem centurioni et multa sanctorum corpora, quæ dormierant, ad vitam faciat respirare (*Matth. xxvii*). Non tibi videtur hujus odoris mens percepsisse latronis, cum socium increpans, cum criminum suorum fetore redarguens, diceret: « Nos quidem digna factis recipimus, hic autem nil mali fecit? (*Luc. xxiii*.) Jam totis conversæ mentis naribus conculcati floris fragrantiam hauriens, « memento mei, inquit, Domine, dum veneris in regnum tuum (*ibid.*). » Ac si diceret: mira quidem, Domine, fragrantia, quam

in passione tua sentio, sed magis me delectat sa-  
rietas æterni saporis quam præstare potes in regno.  
O florem odoriferum, cuius fragrantia suscitat mor-  
tuos, cuius amoenitas angelos pascit! Ubique fra-  
grans, ubique pulcher: Pulcher in virga, ex qua  
nascitur; pulcher in horto concluso, ex quo pro-  
ducitur; pulcher in horto, ubi traditur; pulcher in  
horto, ubi reconditur; pulcher in arbore crucis,  
ubi conteritur; pulcher in horto paradisi, ubi  
a sanctis angelis et æterna fragrantia et refectione  
perpetua degustatur. Vides quam recte flos dicitur,  
qui pene nusquam nisi in horto invenitur? Ex  
fragrantia hujus floris reus respirat ad veniam,  
peccator ad indulgentiam, martyr confortatur ad  
victoriam, dirigitur peregrinus ad patriam. Quando  
Florem istum Virga nostra producit, ver nostrum  
incipit, hiems pertransit, imber abit, dum insolentiam  
eriminum, et senium vetustatis tempus misericordiae  
redivivum detergit. In hac itaque solem-  
nitate dum flores apparent in terra nostra, annus  
benignitatis et misericordiae incipit, cui initium  
præparat vernum tempus, hoc est tempus florum.  
Dies salutis intellige, quando Virgo virginum de  
radice Jesse producit florem virtutum. Unde cum  
aperiatur terra, et gerinet Salvatorem, primum  
mensem anni mundum renovantis ad gratiam,  
quemdam Apriliem possumus appellare. Aprilis enim  
(quia Aprilis dicitur, quod ad producenda rerum  
germina matris gremium tali in tempore  
aperitur) huic mysterio congruit, quod haec solem-  
nitas tempore veris, et octavo Kalend. Aprilis  
celebratur. Hac enim die, et hoc in tempore, ad  
pluviam angelicæ salutationis se humilitatis virgi-  
neæ sinus aperuit, et de Spiritu sancto Virgo con-  
cipiens, tanquam virga floruit, cum interveniente  
ope et opere sancti Spiritus, de mundissima carne  
sua carnem creando partui ministravit. Hic flos de  
virga ascendit, cum Dei Filius de conceptu ad par-  
tum venit. Flos iste ascendit, cum sapientia, ætate  
et gratia apud Deum et homines Salvator profecit,  
et magis ac magis hominibus, quod Deus esset,  
innovit.

Nec tamen sapientia vel gratia profecit in se,  
qui perfectus erat; sed profecisse dicitur in homi-  
nibus, qui de ejus perfectione proficere potuerunt.  
Qui illud quod hunc florem Judæus crudelis eadem  
die attrivit, qua eum virga pietatis produxit?  
Christus enim creditur eadem die a Judæis occisus,  
qua die est a Virginie matre conceptus, Octavo sci-  
licet Kalendas Aprilis. Hinc est quod lex Moysi  
prophetizans, Judæum prohibet dicens: « Non co-  
ques hœdum in lacte matris suæ (*Exod. xxvi.*) ».  
Ab hora conceptionis perhibetur mulier lac habere  
in manu. Hædus, qui pro peccato offer-  
tur, Christum designat, qui pro mundi crimen  
immolatur. Sed Judæus hœdum in lacte matris  
coxit, cum in die conceptionis suæ Christo adhibuit  
igneni passionis. Sed nec illud tacendum est quod  
dies iste agitur mense Martio, tempore scilicet quo

solent reges ad bella procedere. Martius enim  
mensis a Marte, hoc est a bello nomen habet. Recte  
igitur mensem Martium, hoc est, tempus belli iste  
dies insignit, quo videlicet Dominus exercitum, tanquam bellator fortis, ad debellandum mundi  
principem per Virginem venit. Hinc est quod ad  
debellanda mala nostra veniens, virga utitur et  
securi: Virga, ut magister; securi, ut agricola.  
Quid igitur nobis restat, nisi cor rectius vivere,  
pro quibus constat Deum cuncta fecisse? Nam virga  
est Virginæ virtutis magisterium, per quod nos  
corrigit; securis est terrible Dei judicium, quo  
incorrectos excidit. Attendamus itaque virgam, et  
mutemur ut imitemur. Attendamus securim, et  
terreamur ut mutemur. Pensemus quia miseri-  
cordia virgam facit flexibilem, veritas rectam. In  
ea enim misericordia, et veritas obviaverunt  
sibi. Discamus hoc exemplo esse anno misericordes,  
et verbo veraces. Planam scilicet, hoc est sine  
modo culpæ virginis facit esse justitia, hoc est, hu-  
militas. Justitia quippe humilitas dicitur, sicut  
Dominus veniens ad baptismum Joannis, cum prohiberet Joannes, testatus est, dicens: « Sine modo,  
sic enim oportet nos implere omnem justitiam (*Math. iii.*), » id est omnem humilitatem. Sed e-  
ius generis arbor est virga ista? Utique oliva est:  
Oliva enim est signum pacis. Pax vera sine osculo  
adesse non solet. Verum in hac Virga et justitia et  
pax osculatæ sunt (*Psal. lxxxiv.*). Sola enim justi-  
tia humilitatis veræ pacis osculum recipit, quod  
nullatenus superbiae tumor admittit. Simus ergo,  
et hoc exemplo humiles spiritu, ut habere possimus  
pacem, et ad Deum et ad fratres. Humilitas enim  
vera, dum se singulis gaudenter subjicit, eo pacis  
bono carere non potest, quo nemini præponere se  
contendit. Nam et persecutionem pati propter justi-  
tiam, humilitatem pace non privat, quin potius  
ipsa humilitas in tribulatione semper exsultat. Si  
de virga virtutis hos flores decerpimus, timeamus  
perdere: si nondum decerpsumus, timeamus  
perire. Verumtamen per terrorem securis possu-  
mus respirare aliquatenus ad odorem floris, hoc est  
ad spem recuperandæ virtutis. Odor floris perducit ad  
fructum, quia spes invitat ad regnum. Virga et  
securis operantur in nobis timorem; odor floris et  
gustus saporis accidunt amorem. Vitam nostram  
corrigit timor et amor. Timor resecat spinas vi-  
tiorum; amor inserit plantationes virtutum. Timor  
te angustat, vel quia peccasti vel ne pecces; amor  
te dilatat, ut spes et exsultes. Quo corrigit virga  
cœlestis magisterii, quos sollicitat timor divini  
judicii, flos interim recreat per odorem, et ducit postmodum ad fructus æterni saporem. Salvator  
quippe noster in præsenti vita florem se odoriferum  
electis exhibet, quibus bona æterna speranda  
promittit. Sed cum ad promissa pervenerint, fru-  
ctus satians in æternum erit.

Verum quia sine Spiritu sancti gratia nec a

malis recedere, nec in bonis proficere omnino possumus, ad florem, qui de Virga ascendit, et olfactum cordis levemus, et visum. Nam odor floris hujus, et fetorem fugat carnalis concupiscentiae, et opinionem reparat famae. Pulchritudo autem floris, et amoenitas, vetustatem expellit deformis conscientiae. Odor floris est Spiritus Domini, qui in Christo plenissime requiescit. Quomodo enim non habeat in eo requiem bonitas Spiritus sancti, in quo est prorsus contradicatio nulla peccati? Odor iste est virtus illa de qua scriptum est: « Quia virtus exibat de illo, et sanabat omnes (*Luc. vi.*) ». Odorem istum flos idem campi, et lily convallium spirabat, et offerebat naribus Iudeorum, cum in synagoga eorum assumpto codice in auribus eorum legeret illud Isaiae prophete: « Spiritus Domini super me (*Isa. lxii; Luc. iv.*) ». Et quia odori serum eum faceret iste secutus adjunxit: « Eo quod unxerit me (*ibid.*) ». Et quia ad odorem istum mortui isti respirare deberent, addidit: « Evangelizare pauperibus misit me, » etc., quæ sequuntur (*ibid.*). Hinc est quod finita lectione dicebat eis, quia « hodie impleta est prophetia haec in auribus vestris (*ibid.*) ». Spiritus quidem iste in Virginem supervenit, et ei ad Dominicæ (*Luc. iv.*) incarnationis mysterium obumbravit. Sed longe aliter flos de Virga ascendens illum Spiritum habuit, quia super filium Virginis Spiritus sanctus plenissime requievit: et in aliis sanctis spiritus Domini habitat, utpote sine quo sancti esse non possunt, sed non ita excellenter, non ita veraciter, quippe qui nec unum sunt cum eo per unitatem substantiae, nec omnino sunt sine macula culpæ. Quis enim gloriabitur se castum habere cor, cum Joannes apostolus dicat: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*II Joan. i.*) ». At unigenitus Dei Filius, et secundum quod Deus est, eadem est cum Patre, et Spiritu sancto natura, quamvis alia sit persona, et secundum quod homo est, accepit eundem Spiritum sine mensura (*Joan. iii.*): ubique ad Virginis matris exemplum se corrigit, qui districti judicij Dei securim pertimescit. Hic per laboriosam timoris sollicitudinem ad amoris requiem tendit. Sed interim affectatam requiem non apprehendit, nisi ad odorem floris refloret, qui de Virga ascendit, et in quo Spiritus Domini ad omnem plenitudinem requiescit. Fides enim, et spes, et dilectio Dominicæ incarnationis interim nostrum sabbatum operantur in requie conscientiae, et de hoc sabbato cordis perduncit ad sabbatum quietis æternæ, ad quam nos perducat filius Virginis, sponsus Ecclesiae. Christus Dominus noster.

## SERMO II.

## DE PARTU B. VIRGINIS.

*Ecce venit Rex* (*Math. xxi.*), occurramus obviam Salvatori nostro. De adventu Sponsi tanto sponsa exultat uberior, quanto ei de ipso certius constat. Non enim demonstraret eminus venientem, nisi

videret præsentem. Nisi de adventantis præsentia certa consolatione gauderet, nullatenus ad suæ participationem lætitiae invitaret alios. Unde lætabunda, et laudans invitatione laudis præconium intonat, dicens: « Ecce venit Rex, » etc., acsi dicat, Ecclesia sponsa regis æterni. Divini non ignara consilii, a suæ exspectationis desiderio non fraudata: Ecce « venit desideratus cunctis gentibus (*Agge. ii.*) : » Ecce venit omnium salus. Jam non erit timor in finibus nostris, quoniam inter metas nostræ sortis, communis video præsentiam Salvatoris. Ecce venit, qui præfiguratus in patriarchis, promissus e prophetis, iam exhibetur ab angelis, « Quod nasceretur ex te Sanctum, » ait angelus Mariæ, « vocabitur Filius Dei (*Luc. i.*) ». Ecce vox demonstrans est, et admirantis pariter et lætantis. Quem demonstrat admirabilem, admiratur demonstrabilem, ac per hoc sentit magis amabilem esse causam demonstrationis, probans et experiens solius esse amoris. Ecce venit, inquit, quem semper optavi, quem votis omnibus exquisivi, cuius per internuntios promissa toties et salutationes accepi. Ecce venit per seipsum, ut me osculetur osculo oris sui. Unde venit, et quo vadit? Qualis venit, et quo transit? Quomodo venit, et quando venit? Quousque descendit, et quare venit? Venire est de loco ad locum transire. Venire est locum in quo quis stabant, deserere, et accedere ad alium in quo incipiat esse. Quomodo ergo venire dicitur, qui non mutatur? « Ego sum, inquit, Deus, et non mutor (*Malac. iii.*) ». Quomodo transire de loco ad locum dicitur, qui ubique totus sive indubitate esse creditur? Qui cœlum, et terram implere incircumscripta essentia præsentissimæ majestatis asseritur? Et tamen venit, cum per internæ aspirationis gratiam humanis mentibus innotescit. Venit, cum se per auxilium non deesse ostendit. Venit, cum se visibilem per substantiam carnis exponit. Unde autem veniat, ipse loquitur dicens: « Ego ex Deo processi, et veni (*Joan. viii.*) ». Venit ergo Deus ex Deo, ex alto oriens, ex corde Patris Verbum bonum, a regalibus sedibus Sereno omnipotens, e cœlo Dominus, ex Sole splendor, ex omnipotentia virtus, ex sinu Patris Filius unicus, sicut ipsi Filio Pater in Psalmo loquitur, dicens: « Ex utero ante Luciferum genu te (*Psal. cix.*) ». Venit ergo, venit, cum de Patre nascitur, et procedit. Venit, cum hanc eamdem ineffabilem generationem dignanter hanc tenus innotescens, corda hominum ad suæ dulcedinis experientiam trahit. Venit, quando per exhibitionem benignitatis, et humanitatis assumptionem, nos in omni charitate præveniens, docet quantum diligt, et quantum diligi velit. Venit autem de longinquo, non quia noui sit omni creaturæ præsentissimus, sed quia est majestate summus, invisibilitate occultissimus, subtilitate simplissimus, veritate incorruptissimus, æquitate justissimus, ab omni iniquitate alienissimus. Itaque de longinquo venit, non quia præsentissimus longe

sit, sed longe est ab eo corruptio, quæ inter creatorem et creaturam distantiam facit.

Sed qui sic venit, et inde veult, quo vadit? Scriptura dicit, quia « facies ejus erat enitis in Jerusalem (*Luc. ix.*), » et ideo a Samaritanis non est receptus. Ipse autem dicit: « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel (*Matth. xv.*). » Ecce pastor vadit ad oves, querere scilicet, et reducere, quæ perierant. Jerusalem libenter veniens divertit, quia ad eum studiose pax vera se colligit, quem intendere, et aspirare ad visionem pacis agnoscit. Jerusalem quippe *pacis* *visio* interpretatur. Visio pacis est cognitio, approbatio, contemplatio Trinitatis. Est autem in cognitione fides, in approbatione electio, in contemplatione experientia. Pax non incongrue Trinitas dicitur, quia hoc non enim pax constat ex tribus litteris, sicut divinitas est in tribus personis. Et hujus quidem nominis prima littera Patrem notat; quæ sequitur, Filium, qui in Apocalypsi loquitur: « Ego sum alpha, et omega, principium et finis (*Apoc. i.*) ; » et in Evangelio: « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan. viii.*). » Alpha enim principium interpretatur. X duplex consonans significat Spiritum sanctum, qui est connexio et consonantia amborum. Vel duplex consonans ea ratione dicitur, quia in electorum cordibus dilectionem geminam operatur, per quam Dei et proximi concordia custoditur. Vel certe ideo duplex consonans dicitur, quia, dum sui roris intima aspersione animum tangit, et ungit, et mortificatione necessaria delectationes carnis extinguit, suavis harmoniae consonantiam ex psalterio, et cithara facit: psalterium quippe jucundum cum cithara (*Psal. lxxx.*). Per hoc etiam Spiritus sanctus unumquemque electorum Jerusalem, id est visio nem pacis efficit, dum sopitis contradictionibus, et repugnantibus carnis et spiritus, ipsum sempiternæ et æternæ pacis amatorem et sectatorem ostendit. Haec enim omnia operatur natus et idem Spiritus pacis et dilectionis. Quod si Jerusalem, *pacis*, id est Dei *visio* dicitur, quid aliud dici debet domus Israel, nisi electorum Ecclesia, a qua, et in qua Deus videtur? Israel quippe *videns Deum* interpretatur. Quæ sunt itaque oves, quæ perierunt domus Israel, nisi aliqui ad vitam prædestinati, et tamen, Dei exigente justitia, peccatorum tenebris obvoluti? Sed quare dicuntur oves, cum per injustitiam deseruerunt innocentiam, et ideo de domo Israel periisse dicantur? Sed tamen sunt oves ratione electionis, merito prædestinationis, licet interim periisse videantur fœditate noxiæ operis; sunt enim tales, qui, etsi simplicitatem innocentiae deseruerunt, humilitatem tamen pœnitentiatæ non refugunt, et recolentes bona, quæ intus habuerunt, foris gementes dicunt: « Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuae Israel (*Offic. Eccl.*). » Ecce unde venit, et ad quos venit. Sed qualis venit? Quis hoc explicare sufficiat? Certe venit infirmus, et omnipo-

teus, parvus et immensus, temporalis et æternus, localis et incircumscripturn, passibilis et incommutabilis, homo et Deus, infans et Verbum; pauper et dives, sapiens et quæ stulta sunt mundi eligens, innocens et in similitudine carnis peccati apparet. Denique venit candidus, et rubicundus, qualem eum sponsa ejus describit: Candidus, quia « candor lucis æternæ (*Sap. vii.*) », rubicundus, quia sua cruentatus passione; candidus peccati immunitate; rubicundus flammans charitate; candidus splendens virtutum pulchritudine, rubicundus ardens æmulatione. Secundum « similitudinem carnis peccati : » Venit, « non habens speciem neque deorem (*Isa. liii.*) ; » secundum immunitatem peccati: Venit « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal. xliv.*) ; » sicut ei voce Patris per Psalmum dicitur: « Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna (*ibid.*). » Jam qua via venerit videamus. Ejus via Virgo Maria fuit. Per mentem, et uterum Virginis complevit sue itinera æternitatis. Ibi « misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal. lxxxiv.*) », quæ sunt « universæ viae Domini (*Psal. xxiv.*) ». Universæ quippe viae Domini « misericordia et veritas (*ibid.*). » Apud etiam Virginem « justitia et pax osenatae sunt (*Psal. lxxxiv.*) », quæ regem justitiae et auctorem pacis ad negotium humanæ salutis adducunt. Haec dicuntur itinera æternitatis, quia salus nostra nobis venit ex eis, et æternitas invenitur in singulis. De misericordia Domini dicitur: « Misericordia Domini ab æterno (*Psal. ci.*) ; » de veritate: « Et veritas Domini in æternum manet (*Psal. cxvi.*) ; » justitia autem ejus manet in sæculum sæculi (*Psal. cxi.*) ; pax ejus exsuperat omnem sensum (*Philipp. iv.*), et pacis ejus non erit finis (*Luc. i.*). Haec sunt viae Domini rectæ laetificantes corda (*Psal. xviii.*), et per has vias rectas justum deduxit Dominus, et adduxit usque ad uterum Virginis, unde inchoaret opus nostræ liberationis, ubi, ut dictum est, Virgo Maria, et quædam via vitæ est, per quam ad nos Rex virtutum venit; et nihilominus nobis via est, quæ nos ad ipsum reducit. Ipsa est misericordiæ Mater; ipsa est de qua veritas oritur; ipsa est Regina justitiae; ipsa nostræ consummatio pacis. Et misericordia quidem in affectibus et visceribus Virginis opportunissimam sibi mansionem tanquam in matris sinu constitutens, et miseriis hominum efficaciter compatiebatur, et miserationum Domini dulciter recordabatur, et dicebat: « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua? » (*Psal. lxxxviii.*) Et iterum: « Miserere, Deus, plebi tue, supra quam invocatum est nomen tuum (*Eccli. xxxvi.*), » etc. Veritas vero in incorruptione virginalis propositi, et in puerperio uteri incorrupti solido splendore subsistens, et figurarum legalium umbras reseparabat, et peccatorum tenebras arguebat et dicebat: « Lex et prophetæ usque ad Mariam (*Luc. xvi.*) . Et iterum: « Fili hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et queritis men-

dacium? » (*Psal. xc.*) Scilicet quoniam intra Virginis uterum mirificavit Dominus Sanctum suum (*Psal. iv.*) Justitia quoque perfectione singulari sibi opera Virginis vindicans, et in osculum pacis, totis desideriis inhians, etiam de longanimitate sustinentiae gloriabatur, et sic loquebatur: « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meæ, in tribulatione dilatasti mihi (*ibid.*). » Et illud: « In odorem unguentorum tuorum curremus (*Cant. i.*). » Cæterum pax ordinatissima inter secretissimæ puritatis arcanum se conferens, sub testimonio plenioris gratiæ virginem conscientiam tranquillabat; illam oleo lactitiae et exultationis exhilarans atque dicens: « Dilectus meus mihi, et ego illi (*Cant. ii.*) »; et illud: « Quid mihi est in cœlis, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei (*Psal. lxxii.*). » Erant itaque Virgini, ut dictum est, misericordia in affectu, in partu veritas, justitia in actu, pax in otio spirituali, in quo caro et Spiritus, omni cessante repugnantia, solemnitatis internæ jueundas ferias peragebant. Non incongrue sanctitas Virginis dici potest via virtutis, per quam Dei virtus et Dei sapientia Christus ad infirmos et fatuos venit. In tantum autem de torrente nostræ mortalitatis et passibilitatis hac in via babit (*Psal. cix.*); in tantum hanc viam arctam Dominus majestatis inventit (*Matt. vii.*), ut necessitas patiendi et moriendi, quam voluntarie suscepit ex Virgine, et Verbum omnipotens in puerum breviaret, et Dominum gloriae usque ad formam servi exinaniret (*Philipp. ii.*). Verumtamen hanc viam, per quam venit, facit æquitas rectam, veritas certam, virginitas mundam, secunditas fructuosam, pietas accessibilem, charitas communem, humilitas facilèm, singularitas admirabilem, pax amabilēm, æternitas tutam. Haec omnia in Virgine nostra singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia inveniuntur. Felix via, quam qui tenuerit, non errabit (*II Petr. ii.*). Felix Maria, quam qui perseveranter amaverit, non peribit! (*Joan. iii.*) Benedictus qui per illam venit; benedicta ipsa per quam benedictio venit; benedictus qui, ipsa duce, venienti occurrit. Sed quia jam tenemus viam, per quam venit, inspicere libet quomodo venit.

Bene venit, qui in nomine Domini venit (*Joan. xii.*); bene venit, qui in nubibus cœli venit (*Matt. xxiv.*); bene venit, qui « saliens in montibus, et transiliens colles » venit (*Cant. ii.*). » Quid sit nomen ejus, sponsa nos docet, cum dicit: « Oleum effusum nomen tuum (*Cant. i.*). » Quam bene venit, qui totus in oleo venit. Venit in oleo gratiæ, ut illud infundat ad medicinam. Venit in oleo, ut illustret ad scientiam. Venit in oleo, ut mores condat ad sapientiam. Ipse enim est nomen Patris, oleum infirmorum, Filius olei splendoris, cœlestis Sapientiæ condimentum. Ipse venit in nubibus cœli, quia hujus olei abundantiam rorantibus cœlis despicer, et nubibus pluviam voluntariam effundentibus (*Isa. xlvi.*), et nomen regiæ unctionis, et unctionem regii nominis

Christus communicavit Ecclesiæ filiis. Unctus est quidem Christus oleo isto præ participibus suis (*Psal. lxiv.*), sed nihilominus participium unctionis, et nominis omnibus contulit Christianis. Væ illi, qui unctionis nomen participat, et rem nominis male vivendo habere detrectat. Christianum enim decet ex sacra unctionis profusione esse tractabilem, et ex titulo regii nominis dignitatem habere regalem. Christianus enim *inunctus* dicitur, hanc dubium quin in sacerdotem et regem, cum solis sacerdotibus et regibus unctio beatatur. Unde et Christianis omnibus Petrus loquitur: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium (*I Petr. ii.*). » Christus autem est lecythus hujus olei, quo cum sit quisque fidelis peruncus, nihilominus lecythus olei non est immunitus (*III Reg. xvii.*). Christus enim non accepit Spiritum ad mensuram, cum secundum mensuram donationis unicuique fideliū data sit gratia (*Ephes. iv.*). Haec unctio gratiæ nobis venit in nubibus, et de nubibus cœli. Recte orat propheta, ut nubes pluant justum (*Isa. xlvi.*), quia hujus unctionis pluvia justificat impium. Computrescit quippe peccati jugum a facio olei, cum peccatum solvitur in confessione et dilectione nominis Christi. Quid autem sunt nubes cœli, nisi secretæ inspirationes Spiritus sancti, quæ mentem rore Spiritus sancti compluunt, aut ipsa membra corporis Christi, quæ latenter in eo divinitatem obnubunt? Nubes quippe et terram compluunt, et cœlum tegunt. Sunt etiam nubes cœli, prædicatores regni, qui, ut nubes volant, et per aereum divinae speculationis discurrendo coruscant. Quod si cœlum sacra Scriptura dicitur, dici possunt nubes cœli, figuræ et ænigmata sacri eloquii; ut si cœlum dicitur sancta Ecclesia, quid erunt nubes cœli, nisi Ecclesiæ sacramenta? In nubibus istis continetur aqua nostræ ablutionis, id est nostri cognitio et dilectio Redemptoris. Unde scripsum est: « Qui ligat aquas in nubibus (*Job xxvi.*). » Venit etiam « saliens in montibus, et transiliens colles (*Cant. ii.*) », quia angelorum et hominum transcendit altitudines. Salit in montibus, tanquam fons Dei salientis in vitam æternam (*Joan. iv.*). Ipse enim mons est olivarum, mons pinguis (*Psal. lxvii.*), mons in vertice montium. Colles transilit, quia omnium sanctorum merita, quæ et de sua plenitudine tribuit, incomparabili sublimitate præcellit. Ecce quomodo venit. Sed qui taliter venit, quo tempore venit? Apostolus de tempore adventus ejus loquitur, dicens: « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris (*Galat. iv.*). » Nunquam venit Dei Filius nisi in plenitudine temporis. Temporis plenitudo est tempus in ejus providentia præfinitum, quando venire velit et debeat, secundum dispositum suum. Verum quod tempus suæ ordinationi congruat, et quando, sicut est præordinatum, adveniat, ipse solus novit nosque hujus cognitionis expertes reliquit.

« Nescimus, enim, sicut ipse ait in Evangelio,

« quando Dominus noster venturus sit ; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane (*Marc. xiii.*). » Quoniam sero venit, cum in extremis agentem, et non merentem inopinato gratiae suae præventu à perversitate sua corrigit, et compungit. Hoe tempore latroni adfuit, cui extreina agenti tam subito et fidei meritum dedit et paradisum aperuit (*Luc. xxii.*). Media nocte venit, eum in tenebris ignorantiae, vel mediis tribulationibus constitutum per indebitam gratiam edueit ad lucis vel refrigerii portum. In galli cantu venit, quando ad prædicatiois vel sacrae lectionis verba, audientium corda convertit. Mane venit, quando nocte eriminum elapsa, et peccandi voluntate deposita, lucem poenitentiae matutinam pietatis splendor infundit. An non sero ad Adam venit, cum ad auram post meridiem, die vergente in vesperam, innocentia declinante in eulpam, abscondenti se a facie solis, et charitatis ardor refriguit, et immortalitatis splendor oculabuit ? An non media nocte in Ægyptum venit, quando erupturus populum suum in tribulatione maxima positum, primogenita Ægypti percussit ? (*Exod. xi.*) Sie etiam in Galli cantu venit, quando juxta legalium promissa sacramentorum, et voes prophetarum, ad liberandum hominem per Virginem venit. Galli quippe cantus, securitate lucis nuntius, sermonem designat propheticum, quo verae lucis prænuntiabatur adventus. Et ecce iterum mane veniet, cum post noctem hujus sæculi judicii dies illucescat extremi. Nescimus tamen utrum dies illa, nobis futura sit lucis æternæ dilueulum, an (quod Dens avertat !) crepusculum æternæ noctis. Ideo in timore et in sollicitudine semper esse debemus ; quia, etsi de adventu judicis certi sumus per fidem, quando tamen veniat, aut qualis veniat nobis certitudinem non habemus. « Nemo enim seit, siue scriptum est, utrum tune dignus amore, an odio, sit futurus (*Eccle. ix.*). » Verum primus iste adventus nostri Salvatoris, proprie et spiritualiter plenitudo temporis appellatur, eum scilicet, expletis temporibus divinæ providentiae, impletæ sunt Scripturæ, et humanae misericordie plenitudini opposita est plenitudo misericordiæ Dei. « Ibi enim superabundavit gratia, ubi iniunctas superabundavit (*I Tim. i.*). » Ubi consummatio justitiae fecit iniunctis consummationem, ibi omnis consummationis vidi finem propheta David. Tempus hujus plenitudinis fuit plenitudo hujus temporis : est medium illud silentium, sive noctis intermedium, quo sermo omnipotens a regalibus sedibus venit, et infidelitatis seu dissidentiae silentium rumpens, et linguas infantium disertas fecit (*Sap. x.*). » Bene, et congrue mediator ad medium, et ad silentium sermo acurrerit. Medium quippe silentium, id est plena et perfecta cessatio a bono in profunda nocte ignorantiae ex longa Dei obliuione provenerat. Interim mediatrieis nostræ filius, omnipotens mediator venit in medium, ut de medio tale silentium faceret ; et se Verbum infans infudit infantibus, ut ex ore infantium lau-

dem perficeret (*Psal. viii.*). Venit Sermo ad silentium, venit Verbum in iufantiam, et mirum in modum per silentium infantiae suæ, et linguas infantium disertas fecit, » et juxta prophetam, « linguam maris Ægypti desolavit (*Isa. xi.*). » Per incarnati enim Verbi mysterium, dum infantia apparuit Sapientia, et obstructum est os loquentium iniua (*Psal. lxii.*). » Et juxta euudem prophetam : « Omnis iniunctas oppilabit os suum (*Psal. cxi.*). » Sermo itaque velociter currens (*Psal. cxlvii.*), qui tam suaviter, et silenter nostræ mysteria salutis disposuit, dum « a fine usque ad finem fortiter attingit (*Sap. viii.*), etiam usque ad misericordiam profunda dignanter descendit. Misericordiae nostræ profunda sunt, in fragili carne concipi, ad laborem nasci, necessitatis humanae defectibus subjici, carcere hujus exsilio coaretari, non carere earnis similitudine peccati, mortis legibus obligari. Has omnes necessitates absque peccato Dei Filius Verbum omnipotens non necessitate, sed voluntate suscepit, et dum se solus « inter mortuos liber (*Psal. lxxxvii.*), tantis necessitatibus voluntarie subdit, ad veram nos libertatem reducit. Unde Apostolus : « Qui eruit, inquit, nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis sue (*Coloss. i.*). » Certe vidisti, filii hominis, quousque Filius Dei descendederit, quantum se Pater misericordiarum ad miseros inclinaverit. Totum enim misericordia, et miseratione fuit, quidquid misericors et miserator Dominus erga miseros fecit. Verum ad hoc versus videbis miserationes majores. Intuere genus passionis et mortis ; intuere profundum inferni inferioris. Certe crucis supplicio temporalem vitam finiens, mortis imperium triumphavit, et ut inferos exsoliaret, illic descendere non refugit. Ibi infernum momordit, et morti morsum mortuus inflixit, quo cibi vetiti morsus, ex quo mors oriebatur, recompensationem accepit. O miranda divine sublimitatis humilitas ! O stupenda supernæ pietatis dignatio ! Quid in tormentis pœna cruce durius ? Quid in opprobriis forma cruce probrosius ? Attamen quisque ad formam servi se exinanivit, etiam usque ad mortem crucis se ipsum humiliiter dejicere non exhorrit (*Philip. ii.*). Et qui rex gloriae, in celis semper manens consistit, etiam per suæ dignationis præsentiam potenter inferos spoliavit. Rex enim noster, etsi in infirmitate apparet, non tamen plenitudinem potestatis amisit. Regia quippe potestate etiam in infirmitate non caruit, et quanta est ei in omnium creatione potentia, tanta ei in malorum perpessione patientia fuit. Sicut regis nostri omnipotentiam prædicat mundus eratus ex nihilo, cui dare voluit, et potuit existentiam et formam ; sic in eo insigne regiae virtutis insinuat patientia fortitudo insuperabilis, per quam mundus reformatur ad vitam. Venit itaque rex in potestate et unctione : non enim sine unctione regiam obtinet dignitatem, nec sine potestate regia regiam obtinet unctionem. Venit rex ex potestate regia fortis et

rectus; ex unctione tractabilis et quietus. Venit delibus unguentis tanquam unctione infirmorum; venit in fortitudine regis tanquam efficax regnum animarum. Cum itaque Rex regum, nomen aut regum dignitatem sine unctione non habeat, merito rex noster Christus dicitur, quo nomine tam regia quam sacerdotalis unctione designatur. Oleo nimis invisiibili in regem et sacerdotem Christus inungitur, quem, iuxta Petri sententiam, « Deus Pater unxit Spiritu et virtute (*Act. x.*). » Hoc oleo plenus, id est Spiritum sanctum non ad mensuram accipiens, et regnum gratiae suis participibus tribuit, et se pro eis offerens, verum sacerdotem ostendit.

Igitur occurramus regi nostro; et quia delibus unguentis venit, a quibus unctionis nomen trahit, curramus ad ipsum, et curramus in odorem unguentorum suorum (*Cant. i.*). Unguenta ejus sunt charismata sancti Spiritus, quo tanquam oleo leticie praे suis est participibus uestitus (*Psal. xliv.*). Odor unguentorum est fides, et amor virtutum, quæ, sicut in ipso plenissime habentur, ita et de ejus plenitudine pro sue dispensationis arbitrio, quibus ipse voluerit, tribuuntur. Bene autem ei occurramus, si quare venerit attendentes, et causam ejus adventus fide non ficta approbantes, oblatum uestis nostræ redemptionis premium gratauerit et fideliter amplectamur. Ad hoc enim venit, ut nos redimeret, non corruptilibus auro vel argento, sed incorruptibili suo sanguinis pretio (*1 Petr. i.*). Tota nimis causa adventus ejus nostra est salus. Tanto itaque debemus devotius et festivius regi nostro occurrere, quanto cognoscimus ipsum nullam habentem indigentiam bonitate tam gratuita immunitorum utilitatibus deservire. Non itaque corporum motibus, sed progressibus fidei, affectionum passibus, virtutum operibus venienti ad nos, propter nos, Salvatori nostro obviam occurramus, ut sicut venit ad nos per susceptam humanitatem, ita etiam in nos veniat, et suam in nobis constituat mansio nem. Qui cum Patre, etc.

### SERMO III.

#### DE PARTU B. VIRGINIS.

*Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal. cxlix.*)*. Novis est efferenda laudibus diuinæ celebritas novitatis. Quid enim non novum, ubi cœlum, et terram novam, cœli et terræ Dominus facit? Cœlum quippe novum Virginis partus; terra nova est Virginis uterus. Per hæc duo, nova sumit omnia, dum per novam Verbi Dei in carne nativitatem vetustas abjectur luctuosa. O quam mira novitas, ubi antiquis diernis, puer unius noctis efficitur! Ubi Verbum est caro, Sapientia infans, Deus homo, Virgo mater, sue ancille filius omnium Dominus et creator! Innovato igitur corde opus est ad excipiendam tantæ novitatis lœtitiam. Sonet vox tubæ cornæ (*Psal. xcvi.*), in solemnitate neominiæ. Audiatur vox exultationis (*Psal. cxvi.*) et salutis in tabernaculis justorum (*Psal. cxi.*), quia Sol justitiae erit in tabernaculis peccatorum: exortum

est enim in tenebris lumen rectis corde. Etsi lucem in tenebris lucem tenebrae non comprehendendunt (*Joan. i.*), lucem tamen suam inter tenebras lucis filii deprehendunt. Unde cantant canticum novum, et dicunt: « Puer natus est (*Isai. ix.*). » Hoc cantare, credere, diligere, et sperare, non solum justis, sed et peccatoribus snadetur. « Cantate, ait, Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra. » Omnis terra, omnis homo; ne forte ab hac laude vel lœtitia justus velit excipere peccatorem. Imo pene totum est peccatoris quod agitur, quia Jesus non justos vocare (*Matth. ix.*), sed querere, et salvum facere venit, quod perierat (*Luc. xix.*). Pertinet igitur ad omnes cantare canticum novum, et neminem, quantum in ipso est, a salute excipit, qui Dominus omnium nasci omnibus venit. Justis est canticum novum nova vita, qua in azymis sinceritatis et veritatis (*1 Cor. v.*) epulantur, et exsultant in conspectu Dei, et delectantur in lœtitia (*Psal. lxvii.*). Peccatoribus est canticum novum timor et pœnitentia, per quam in Dei Filio renascentes, vetera, novis supervenientibus, projiciunt, et ad vetustissima veterum comedenda resurgunt. Nova sunt que novus Adam per mysterium novæ instituit nativitatis; vetera sunt culpa et pœna, in quibus nos Adae veteris corruptibilis generatio propagavit; vetustissima veterum sunt illa ineffabilis, et æterna nativitas, qua Deus Pater ante Luciferum Verbum suum de sua substantia sibi per omnia coeqnale, et consimile generavit (*Psal. cix.*). Temporem Christi nativitatem diligere, et, præ amore illius, omne quod aliud est fastidire, est nova supervenientia veteribus anteferre. Æternam vero ejus nativitatem credere et intelligere, et, præ contemplatione ejus, omne quod animo cœcerit, quantum fieri potest, abigere, est vetustissima veterum in essum mentis et delicias revocare.

His deliciis justus pascitur, nec potest non cantare canticum novum, cum eum tantæ dulcedinis refectione reddiderit innovatum. Eadem Dei miseratione ad easdem delicias per pœnitentiam peccator renascitur; nec potest ipse non cantare canticum novum, cum ad innovationem sui, sibi præter merita videat apponi delicias angelorum. Hinc est quod auditur « in voce exultationis et confessionis sonus epulantis (*Psal. xli.*). » Epulatur nimis peccator humiliis, dum se suis pascit lacrymis, dicens: « Fuerunt mihi lacrymæ mee panes die æ nocte (*ibid.*). » Sed inter epulas auditur sonus, cum inter lacrymas concrepat gemitus, vel certe laus misericordia Redemptoris cum accusatione propriæ iniquitatis. Habet autem laus illa vocem exultationis, habet et accusatio vocem confessionis; ut sit in voce exultationis et confessionis sonus epulantis. « Quare ergo tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » (*Ibid.*) Licit sis per molem criminum terra, licet te deorsum trahat actio ponderosa, canta tamen Domino canticum novum, quod cantare præcipitur omnis terra. « Spera in Deo

(*ibid.*), » et erit tibi canticum novum ipsum speci desiderium. Tali suspensa, et extensa desiderio, veterem hominem cum suis actibus deorsum exues, et novum, qui secundum Deum creatus est (*Ephes. iv*), libere evolans sursum requires. Tunc sequeris vocem apostoli, qui exhortans ait : « Quæ sursum sunt sapite, nbi Christus est in dextera Dei sedens (*Coloss. iii*). » Canta ergo, anima mea, canta Domino canticum novum, et omittit jam cantare canticum vetus. Canticum vetus est illa discors consonantia, qua te antiquo hosti perverse consocians, te huic saeculo deformiter conformasti ; contra hoc quod prohibet Apostolus : « Nolite conformari huic saeculo, inquiens (*Rom. xii*) : Canticum vetus est exsultatio de terrenis, felicitas de transitoriis, laetitia in malefactis, impunitas in peccatis. Denique canticum vetus est initium omnis peccati superbia, quæ ab antiquo hoste principium habuit, et primum hominem imitatione malitiae veteravit. Denique hæc vetustas quasi quodam hereditario jure in omnes veteris Adæ filios transiens, ita veternosi serpentis legibus obnoxios fecit, ut nisi Unigeniti subveniret nova in carne nativitas, ad interitum necessario traheret damnable illa vetustas. Unde Apostolus : « Quod antiquat et senescit, prope interitum est (*Hebr. viii*). »

Itaque hujus veteris cantilenæ sonus ita in omnem terram exierat, et ita omnium aures oecupaverat, ut nusquam pene audiretur cœlestis harmonia consonantia, nunquam verbo Dei auditient fieret, nec dulcissima vita mandata humano caperentur auditu. Est enim canticum vetus, ubi clamor et indignatio, ubi contentio et blasphemia, ubi rixæ et odium, ubi tumultus et inquietudo, ubi carnalibus vitiis spiritales se jungunt nequitiae, ubi denique de superbia cordis oris impuritas ad operis iniquitatem prorumpit. Talibus namque sonis male consonantibus veteris cantici deceptibilis modulatio explicatur, flatu scilicet, voce et pulsu. His tribus etiam modis instrumentalis musica exercetur.

Verum quod nunc ad rem attinet, flatus pertinet ad tumorem superbie, que sensum cordis reddit inflatum. Vox ad usum sermonis, quo de corde tumido verbum prodit impurum; tactus ad motum corporis, quo opus explicatur inustum. Corde igitur timido, ore impuro, motu corporis impudico dum veteri homini deservit, quedam veteris cantici maleplacens melodia executitur, cuius fallaci dulcedine et carnis conenpiceantæ nutriuntur, et alliciens mundus attrahitur et dæmonis applaudens impuritas oblectatur. Dum his fallacibus modulis totum se inclinat et impendit Herodes, dum se saltatrix impudica coaptat Herodias, et suo providet pacem incestui et facile obtinet truncari capite Joannem Baptistam; Joannes quippe *gratia Dei* dicitur, quæ gratia quasi truncatur capite, dum ejus principium ab illis praeciditur qui, veteris vite capti voluptuosa dulcedine, divinæ novitatis expertes inueniuntur.

Nunc itaque, quia de cantico veteri aliqua dixi-

mus, arguentes nosmetipsos quod illud pene semper cantavimus, jam ad melodiam cantici novi, ad vite novae dulcedinem et lingua et animo transeamus. Verumtamen hoc de cantico veteri adjiciendum, quod ipsum a vocibus superacutis incipit, quoque cantori miserabilis raucedinis horrorem immittit. Superbia enim super omne quod dicitur, aut quod colitur Deus, ventosa se levitate extollit (*II Thess. ii*). Unde scriptum est : « Superbia eorum qui te olerunt, ascendit semper (*Psalm. lxxiii*). » Sed sermo Dei vivus et efficax (*Hebr. iv*), Verbum scilicet Patris omnipotens, de sua soliditate offendit in se superbiam alludit, et conterit, in inferni profunda demergit, sicut scriptum est : « Qui se exaltat, humiliabitur (*Luc. xiv*) ; et illud ; « Superbis Deus resistit (*I Petrus. v*). » — « Peccator autem cum veniret in profundum malorum, » quasi cui raucedo vocem abstulit, non Dei iudicium laudat, nou peccatum suum humiliatur accusat, sed « contemnit (*Proverb. xviii*). » Hinc est quod ille rex, qui super omnes filios superbie (*Job xli*) canticum illud totius dissonantiae, quantum alc potuit, intonuit, et dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo (*Isa. xiv*). » Sed hæc ejus antiphona concordiam vocalem non habuit, quia in cœlestis musicæ harmoniam offendens, in concordabilis dissonantiae lapsum incurrit. Verum cantici novi melos a gravi et humili voce incipit, et suavi modulatione, etiam demuleens angelos, ad aures Omnipotentis ascendit, sicut scriptum est : « Qui se humiliat exaltabitur (*Luc. xiv*). » Deo enim « humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio (*Judith. ix*). » Ad cantici hujus novi modulos invitamus cum dicitur : « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psalm. xcvi*). » Quam bene, quam congrue ad cantandum nos manu fortis invitat! David enim *manu fortis* dicitur : illi nimurum divinae laudis laetitia competit, qui divinae manus adjutorio fortiter mundi hujus desideria triumphavit. Unde, et idem Manufortis etiam *aspectu desiderabilis* dicitur, quia qui circa vitorum turpitudinem spiritus fortitudinem accipit, recipit etiam ex desiderio virtutis aspectum decoris. Unde et Daniel sanctus, a vitiis continens et desideriis cœlestibus astutus, vir desideriorum appellatur (*Daniel. x*). Est igitur Deo, et angelis aspectu desiderabilis, cui forti manu vitio resistenti in desiderio est decor virtutis et in ore est canticum speciosæ laudis. Huic tali competit cantare canticum novum et ad cantandum alios invitare, quia, sicut scriptum est : « Rectos decet laudatio (*Psalm. xxxii*) ; » et alibi dicitur : « Quia non est speciosa laus in ore peccatoris (*Ecclesiastes. xv*). » Unde, et Manufortis iste in quodam loco exsultat, et laudat et gratias agit, dicens : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum (*Psalm. cxliii*). » Et quod non sit expers cantici novi, in sequentibus hujus psalmi ostendit, dicens : « Deus, canticum novum cantabo

tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. Verum cum cantare sit exsultantis, exsultare amantis, amare filiorum, videtur praeceptum canticum novum solis filii esse propositum. Quare ergo non dicitur, cantate, filii, Patri vestro Deo, sed dicitur, « cantate Domino? » Domino certe debetur servitus in timore (*Psal. ii*). « Si ego sum, ait, Dominus, ubi est timor meus? » (*Malach. i*.) Servus itaque qui non manet in domo in aeternum (*Joan. viii*), non in canticis exsultat, sed in luctu et lamentatione flagellum formidolosus exspectat. Sed sciendum quia est « fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam (*Luc. xii*) ; » est servus malus et piger, qui in sudario abscondit pecuniam domini sui (*Luc. xix*) ; et servus mercenarius, qui per omnia sequitur retributionem (*Psal. cxviii*). Est servus conditionalis qui famulatur ad oculum (*Coloss. iii*), nec Dominum suum diligit, sed metnit poenam.

Ex his omnibus cantat canticum novum fidelis servus, quemadmodum et felix filius. Filius cantat, et exsultat in charitate; fidelis servus cantat et exsultat in humilitate. Certe uterque cantat, quia laudat. Laudat justus, quia de perceptis beneficiorum gratias agit; laudat humilis reus, quia Dei iudicia approbans et misericordiam admirans, sua opera reprehendit. Hoc solum interest inter filium et servum fidem, inter justum et peccatorem humiliem, quod filii charitas cantat in psalterio, servi humilitas psallit in cithara. Psalterium sonum reddit a parte superiori; cithara a parte inferiori. Psalterium est exsultatio justi ex contemplatione et desiderio supernumerorum; cithara est rei humilis lamentatio ex consideratione et horrore malorum suorum. Cum divinæ puritati et fraternali charitati per consonantiam monorum et operum concordat, tunc in psalterio intus centat. Cum passiones carnis edomat, cum membra sua, que sunt super terram, « mortificat (*Coloss. iii*), tunc servus humilis citharizat. Est autem Psalterium jucundum cum cithara (*Psal. LXXX*), quia grata est Deo et placens justorum innocentia. Sed nihilominus ei mortificatio penitentium est accepta. Caeterum et justopsalterium, et penitenti est cithara, ipse cui Pater Deus in Psalmo loquitur dicens: « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal. lvi*). » Et ipse utrumque se esse annuens: « Exsurgam, ait, dilueulo. » Surgens quippe Jesus mane prima Sabbati discipulis suis in multis argumentis per quadraginta dies apparuit (*Act. i*). Ex tunc ad decem dierum exspectationem, quasi ad decem chordarum extensionem, repentina sonitu, Spiritus sanctus venit (*Act. ii*), et ad Verbi omnipotentis intelligentiam, quasi ad psalterii melodiam, dum omnium gentium linguas consonas fecit, omne genus humanum convocavit. Psalterium, inquam, decem chordarum est Patris Unigenitus, quia, dum ad justificationem hominum decem legis mandata proponit quasi decem chordas ad sui laudem in seculo tetendit. Se autem penitentibus quasi citharam fecit, dum per carnem et carnis

peccati similitudinem (*Rom. viii*), innoxii corporis membra pro nocentibus in ligno crucis extendit. Sic nimirum David noster Saulis vesania temperavit, dum per crucis supplicia in suo corpore citharizans, sua morte diaboli impetum refrenavit. Est itaque Christus psalterium secundum divinitatem, cuius contemplationis dulcedine suos amatores oblectat; cithara est, secundum suscepti corporis passionem, dum pro reis moriens, eos ad veniam vocat. Psalterii sonus est, ubi dicit: « Ego et Pater unus sumus (*Joan. x*), » et iterum: « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illuc sit et minister meus (*Joan. xii*); » citharae melodia est, ubi ait: « Discite a me quia misericordia sum et humilis corde (*Matth. xi*): » Et adhuc dulcissimus citharizans ait: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc. xxiii*). » Cithara duo ligna habet: unum superius solidum, alterum inferius concavum. Superius solidum est omnipotens deitas, inferius concavum est unita deitati humanitas. Hoc lignum concavum dicitur, quia humana natura in Christo tantæ gratiae susceptibilis invenitur. Unde Apostolus: « In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss. ii*). » Chorde, quæ inter duo ligna tenduntur et de concavitate ligni inferioris sonoræ redduntur, sunt opera misericordiae, quibus miser homo redimitur, et quæ nobis salutis nostræ efficacia per incarnationis mysterium exhibentur. Cithara non habet determinatum numerum chordarum, quia non est finis Dei miserationum, sicut scriptum est: « Misericordia ejus non est numerus (*Orat. Eccl.*). »

Quod si novem angelorum ordines attendis, et quasi decimam chordam glorificati hominis supremam excellentiam, dum in hac consideratione Sapientiae honestatem miraris, laudas et diligis, quasi decem chordas enjusdam psalterii tangis. Sed ad hoc quis idoneus? Non excutit, aut percipit modulos tam mirae suavitatis, quem non extulerit ad virtutum sublimia purificatae intelligentia mentis. Illorum sunt haec qui facti sunt hostes malitiae, amatores justitiae, simulatores angelicæ puritatis. Tales, quo amplius anhelant ad aeternæ retributionis denarium, eo suavius et subtilius tangunt Psalterium decem chordarum; qui denarius numerus tam inenarrabilis dulcedine resonat, ut suavitas ejus omnem intellectum humanæ et angelicæ rationis exceedat. Prima corda est aeterni Verbi nativitas, quod est Patri suo cosubstancialis et coeternus; secunda est secretum præordinacionis suæ consilium; tertia est potentia qua initium universitati per essentiam dedit; quarta, sapientia quæ formam præstítit; quinta, bonitas qua suam providentiam gubernandi impedit; sexta, justitia qua de rationali creatura prævaricante debitam ultionem expetiit; septima, gratia, qua patres elegit; octava veritatis scientia qua legem tulit; nona, misericordia qua nos redemit; decima, revelatio filiorum Dei, cuius exspectatio creaturam suscepit. Cithara est vel una omnium, modus scilicet

cet nostræ liberationis, vel singulæ singularum citharizantium in citharis suis, hoc est lætantium in corporibus propriis, peccati stimulo et tunica mortalitatis exutis. Qui enim hic in mortificatione sui corporis citharizat canticum humilis confessionis, ibi in ejusdem corporis glorificatione citharizabit canticum æternæ jubilationis. Quia igitur tenemus psalterium, cantemus in eo canticum novum, ad exemplum, et imitationem pueri qui natus est nobis (*Isai. ix.*), qui plenus est gratiæ et veritatis (*Joan. i.*). In novam renascamur infantiam, ut per innocentiam vitæ correctioris capaces efficiamur sanctæ novitatis. In psalterio puri cordis et cithara casti corporis psallamus circa cunabula Verbi infantis, miscentes et vagitus ejus etiam lacrymabilis pœnitentiae necessarios gemitus. Sonent in novitate vitæ moduli virtutum, qui in auribus Verbi persiciunt canticum novum. Sunt enim novem quædam quæ hanc in nobis jure persiciunt novitatem. Et quia de auctoritate Scripturæ novam vitam, novum canticum dicimus, illa novem quasi novem notulas, in quibus disponatur novum canticum, appellamus. Prima itaque nostri cantus nota est fides non facta; secunda, humilitas vera; tertia, carnis continentia; quarta, disciplinæ gravitas; quinta, oris veritas; sexta, pietas fraternalæ compassionis; septima, patientia in adversis; octava, desiderium æternitatis; nona est immobilitas animi constantia in omnibus istis. Recte proficientium et suspirantium ad novem ordines angelorum mores disponit concensus et consonantia harum virtutum. Cur autem cantandum sit Domino canticum novum, causa subinfertur cum dicitur: « Quia mirabilia fecit. » Mirabilis est Deus in majestate sua, mirabilis in sanctis suis (*Psal. LXVII.*), mirabilis in cunctis operibus suis, ubique et in omnibus est mirabilis, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro (*Psal. cv.*). Mirabile est opus mundi creatio cum elementis suis, sed longe mirabilius est incarnatione Verbi cum sacramentis suis. Mirabilia quidem sunt opera naturæ, sed quia usu viluerunt, quasi vetera sunt, nec interim novi cantici exultationem merentur. Verum nova mirabilia, quibus nos innovat miranda Dei misericordia, nova sunt cantica laudibus esse-renda. Inter omnia mirabilia quæ artifex sapientia fecit, tria sunt singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, quæ et superius ex aliqua parte tetigimus, scilicet quod mater et virgo, Verbum infans, Deus homo. Haec sunt nova, quia inaudita sunt; et mirabilia, quia naturam excedentia. Ex fide et dilectione istorum mirabilium pendet innovatio nostra. Propterea pueri qui natus et datus est nobis, vocatur nomen « admirabile (*Isai. ix.*) », quia mentibus sua gratia innovandis in seipso parat tam stupendæ miracula novitatis. Certe cum Pater idem « futuri sæculi, et princeps pacis, » tribus superadictis mirabilibus quartum addidit (*ibid.*), ut quemadmodum beatus et potens Deus factus est

homo misericorditer, ita miser homo sublimetur in Deum mirabiliter: tunc plenus erit novi cantici sonus, tunc erit suavis plenæ lætitiae jubilus, quia « Deus erit omnia in omnibus (*1 Cor. xv.*). »

Tunc apparebit in virum perfectum (*Ephes. iv.*), qui modo nascitur nobis in puerum, et qui nunc filius datus est nobis in participem nostræ tribulationis, tunc se offeret nobis datorem et principem æternæ pacis. Tunc videbimus et affluenus, mirabimur et dilatabitur cor nostrum (*Isai. LX.*), quando « sicut audivimus, ita et videbimus in civitate Dei nostri (*Psal. XLVII.*). » Tunc plena experientia sentiemus; quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal. xxx.*). Quam nobis parare dignetur puer qui propter hoc natus nobis filius, qui ad hoc datus est nobis, qui tecum et cum Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

#### SERMO IV.

##### IN PURIFICATIONEM B. MARIAE.

*Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum (Luc. ii).* Ad festum Luminis mente luminosa colendum invitat Pater lumen filios lucis. « Accedite ergo ad eum et illuminamini (*Psal. XXXIII.*). » Siquidem ipse « qui habitat lucem inaccessibilem (*I Tim. vi.*), » dignanter factus est accessibilis, ponens nubem carnis descensum suum, ut infirmus et infimus haberet accessum. O desceusum misericordiae! « Inclinavit cœlos, » hoc est excelsa divinitatis, « et descendit per præsentiam carnis, » et caligo sub pedibus ejus (*Psal. XVII.*). Pedes quibus ad nos venit, sunt misericordia et veritas. Quod carnem nostram accepit, pes misericordiae fuit; quod sine mendacio peccati accepit, veritas fuit. Attamen sub pedibus ejus caligo fuit, quia in corpore, quod assumpsit ex misericordia et veritate, hoc est sine culpa, similitudo carnis peccati apparuit. Hinc alibi scriptum est: « Nubes et caligo in circuitu ejus (*Psal. xcvi.*). »

Nubes et caligo, quia in nube caligo, hoc est in carne, peccati similitudo. O caliginem reparando lumini necessariam. Certe dum carnis nubem peccati similitudine caliginosam sibi lux vera adhucuit, per objectum hujus caliginis, et mundi sapientia, et malitia hominum, et daemonum astutia caligavit. Inde cæcitas contigit in Israel (*Rom. xi.*), et dum Dominum gloriæ non cognovit (*1 Cor. ii.*) lucem veram tenebras reputans, redemptiois nostræ negotium nesciendo peregit. Unde ergo lux vera posuit carnem latibulum suum, inde auxerunt tenebras suas filii tenebrarum. Accedat ergo caro ad carnem, in qua dediscat quæ carnis sunt, et sic de carne paulatim transire in spiritum doceamur. Accedat, inquam, et nunc maxime, quia jam aliquatenus plus solito jubar suum Sol novus exercit, et qui haec tenus apud Bethlehem inter angustum præsepium paucis cognitus claudebatur, hodie in Jerusalem in templo Domini coram pluribus

**præsentatur.** Usque nunc tu Bethlehem, communi luce sola gvisa es, et, insolite novitatis superba privilegio, splendoris paritate ipsi etiam contendere poteras orienti : imo (mirabile dictu) in angusto præsepi apud te plus erat luminis, quam proferre soleat oriens mundani solis. Quid tu ergo communes radios universitati existentium invidelas ? Vix lucem illam paucis pastoribus ostendisti. Vix tres Orientales viros ad præsepium novi luminis admisisti. Sed jam de absconditis tuis Sol, totum orbem illustraturus, progrederit, utrum apud te aliquid reliquerit tenebrarum, tu videris.

Hodie itaque offertur in templo templi Dominus, et offeruntur pro eo aves superius nominatae. In hac enim præsentatione gemina celebratur oblatio ; una sit de ipso, altera pro ipso. Et cum pro eo aves offeruntur, oblatio oblatione redimitur. Pretio avium, pretium nostrum redimitur, et Redemptor noster redimitur antequam nos redimamur ab ipso. Digna plane et singularis oblatio, vilium quidem avium pretio interveniente redempta, sed tempore opportuno genus humanum impregnabili sui sanguinis pretio redemptura ! Et hic habemus tertiam oblationem, qua Agnus Dei pro salute mundi in ara crucis se obtulit Deo Patri. Facturus est etiam quartam oblationem in fine mundi, quando, sicut scriptum est, offeret et tradet regnum Deo Patri (*I Cor. xv*). Habemus itaque quatuor oblationes distinctas, quarum prima facta est de ipso a parentibus, secunda pro ipso de avibus, tertiam fecit ipse de seipso, quartam faciet pro se de suis. In his omnibus instruimus quid credere, quid imitari, quid sperare debeamus. Prima oblatio de humilitate nos instruit, cum humiliter legi subjicitur legislator et judex ; secunda ad paupertatem voluntariam nos invitat, cum universitatis Auctor et Dominus hostiam pauperum pro se offerri elegit ; tertia ad pietatis viscera nos emollit, cum pius Dominus mori pro impiis per manus nocentium et crucis supplicium non refugit. Jam in quarta oblatione præmium nostrum est, si quintam de nobis exhibeamus ad meritum. Quintam de nobis facimus, si nosmetipsos et in legis observantia humiles, et in contemptu mundi voluntarios pauperes faciamus, et in compassionē proximi misericordes exhibeamus. Si in his tribus obtulerimus nosmetipsos, imitati Dominum, ad quartam pertinebimus quam de suis faciet in gloria per seipsum. Verum cum prima et secunda magis insigniant diem istum, ad illarum considerationem et linguam et animum revocemus. « Obtulerunt, inquit, pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum. » Bene et congrue pro agno aves offeruntur. Reservetur, obseero, agnus in Pascha; aves interim immolentur. Non hujus loci vel temporis est iminolare agnum : id melius fiet in Pascha, cum Pascha nostrum immolabitur Christus (*I Cor. v*). Agnus quippe Christus est, cuius innocentiae singularis merito de vitiis ad

virtutes fit transitus, qui Pasche nomine designatur. Ilanc nobis innocentiam turtur et columba reservant. Turtur significat castitatem, columba simplicitatem. Castitas excludit luxuriam, malitiaque simplicitas. Castitas amica est virginitati, et veritati simplicitas. Est autem virgo et veritas Virginis nostræ Filius, Agnus noster innocentia omnis. Per oblationem igitur turturis et columbae nobis Agnum servamus, si per munditiam carnis et simplicitatem cordis veram animi innocentiam custodimus. In hac oblatione duo avium paria commemorantur, duæ scilicet turtures et duæ columbæ. Duo paria geminam dilectionem Dei et proximi significant. Primum par significat per genus volucrum castitatem, per numerum charitatem. Est enim turtur avis casta, quæ, amiso pari, alium non recipit, solitaria volat, et pro canto gemitum habet. Talis est sancta viduitas post conjugium, talis est castitas per continentiam reparata post lapsum. Dum dilectæ castitati metunnt, secretum appetunt, turbas fugiunt, et de prolongatione incalatus gemunt, et dicunt : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus Cedar (*Psal. cxix*). » Candida nimirum, et angelici splendoris amica castitas. Dum Cedar habitantibus, id est, tenebras voluptatum amantibus cohabitare metuit, merito de exsilio prolongatione luget et gemit. Binarius ad charitatem referunt, quia nonnisi ad alterum charitas proprie haberit dicitur. In pari igitur turturum figuratur dilectio Dei, quam nonnisi caste viventes servare possunt; in pari columbarum dilectio proximi, quam nonnisi columbina simplicitate viventes custodiunt. Adverte oblationis sacrae mysterium, et offer, tu, Domino similia in acquisitione virtutum. Par certe turturum et duos pullos columbarum obtulisti, si casto corpore, si simplici corde, si fervens charitate, vite novitatem induisti. Recens quippe aves in columbarum pullis spiritualiter significat infantiam novitatis. Quod si etiam pauperem esse hanc hostiam attendamus, quid aliud, quam de appetenda et diligenda paupertate monemur ? Beati enim pauperes spiritu (*Mauth. v*). » Ecce quanta nobis loquitur in mysteriis oblatio Verbi infantis ! O dignum omni admiratione miraculum ! A regalibus sedibus veniens omnipotens sermo (*Sap. xviii*), infans in carne vagit in enuis, qui immensus regnat in cœlis, et quod interium non valet eloqui per ætatem carnis, docet et clamat in mysteriis prophetarum, in sacramentis. Ecce multas aves per pietatem fidelis intelligentia divinæ philosophiæ interpretes et habemus et tenemus. Misceamus vagitibus immensi parvuli et planetum turturis et gemitus columbinos. Ultraque enim avis gemitum pro canto habet. Offeramus in carne nostra turturem castitatis, offeramus in mente columbam simplicitatis. Non sit turtur sine gemitu, non sit castitas sine peccati luctu, ut dicere valeamus : « Vox turturis audita est in terra nostra (*Cant. ii*). » Quid est vox turturis « in terra

nostra, » nisi luctus caste viventum in carne misera, in carne terrena, adhuc a bonis patriæ per miseriam aliena! Alienæ quippe terra est caro nostra, in qua non jubilum, sed genitum; non cantum, sed planetum [dare] debemus, juxta vocem enjusdam gementis et dicentis: « Quomodo cantabimus canticum Domino in terra aliena? » (*Psal. cxxxvi.*) Vere aliena, in qua « peregrinamur a Domino (*II Cor. v.*) ». Attamen turtur nec apparere, nec gemere solet, nisi tempore florum et renovatione vinearum. Unde postquam dictum est, « vox turturis audita est » sequitur Scriptura dicens: « Flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt (*Cant. ii.*) ». Dum enim in casto corpore sonat gemitus cordis de dilectione quietis, interim vernant flores bonorum operum, in quibus sperari fructus debeant præmiorum. Quemadmodum enim in flore fractum sperat agricola, sic in ineritis ex occultis divinæ gratiæ prodeuntibus fructum æternitatis per spem odoratur conscientia. Vineæ florentes sunt decore, colore et odore illustratae virtutum laboriosæ actiones. Quam felix, quam pura est anima, quæ se Deo talem obtulerit turturem in nido carnis, columbam in solitudine quietæ mentis. Quanta puritas, ubi nulla carnem libido inquinat, nulla mentem malitiæ amaritudo exasperat. Qui talis est, idoneus est Purificationis solemnia celebrare. Sic enim præsentis diei solemnitas appellatur. Quid ergo? Purificari hac credendum est purissimam Domini matrem, cujus tam singularis et in partu et post partum fuit puritas, ut totius puritatis nobis proferret auctorem? Quid impuritatis, quid sordidum contrahere potuit, ex qua omnis puritas emanavit? Dicatur iste dies purgatio Mariæ, sive purificatione, non quod in eo beata Dei Genitrix purificata sit, quæ ab ipsa conceptione Verbi, sicut nullatenus peccato consensit, ita nullam prorsus carnis repugnantiam sensit. Sed quia per partum ejus, vel oblationem partus, purgatus est homo peccato pollutus. Aut certe, ut dies iste Purgatio Mariæ dictus sit, fecit legis consuetudo, fecit vulgi opinio, devii partus miraculum secretique mysterii consilium nescientis. Cæterum, non Mariæ, sed nostra per Mariam purificatione facta est, quæ dum sine oculi peccato Dei Filium concepit et peperit, nostras impuritates detersit. Unde si partum ejus fide non sicta amplectamur, si oblationis hodiernæ mysterium animi virtute in templo piae mentis exsequimur, nos magis in hac celebritate purgamus. Si enim per veram fidei confessionem veri Judæi sumus, sex lapideas hydrias ad purificationem nostram positas habemus in Domini hac oblatione. Quid tu non vides in paupercula hostia exemplum voluntarie paupertatis, in turture signari continentiam carnis, in columba simplicitatem cordis, in duplicito binario typum genitæ charitatis, et sequentem ex his novitatem, quæ figuratur in pullis? Jam sæpe ista commemo-

rata sunt. Sex hydriæ dici possunt, quia aqua sapientiae salutaris plenæ sunt usque ad summum. Udo græce *aqua* dicitur, unde hydriæ nomenupantur; lapideæ sunt, non propter duritiam, sed ob perseverantie firmitatem. Vade jam, et lavare in eis, et purgaberis, ut pure celebres internæ solemnia purificationis. Aut si forte alias ad purificandum cor hydriæ queris, de lapide Christo excide tibi sex opera illa misericordiæ, quæ ipse lapis angularis Christus (*Ephes. ii.*), per Evangelium nobis proponit. Primum est esurientem pascere, secundum sitiensem bibere, vel potare; tertium nudum vestire; quartum hospitem colligere; quintum infirmum visitare; sextum carceralrum redimere. His eleemosynis animæ purificantur, et in templo pacifici cordis veræ purificationis festivitas celebratur. Nam et eleemosyna, quæ mentem lavat, ex aqua nomine trahit. Et enim *Deus*, moys *aqua* dicitur. Recte eleemosyna dicitur aqua Dei, quia peccatum est ignis diaboli. Aqua extinguit ignem, et eleemosyna peccatum excludit (*Eccli. iii.*). « Date, ait Dominus, eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc. xi.*) ». Adhibe tibi hujus aquæ lavaerum, et « si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*Isai. v.*) ». Et quid, inquam, facturus est clausi incola, qui has hydriæ ad manum habere non potest? Habentibus enim mundi substantiam sex illa opera misericordiæ proponuntur. Quid ergo faciet pauper spiritu, qui cum rebus mundi, etiam desideria reliquit habendi? Iste talis priores sibi hydriæ habeat in affectu et actu; istas etiam in affectu. Nam internus arbiter, qui de voluntatibus judicat, etiamsi bonæ voluntati implendæ facultas defuerit, tamen præmium non negabit. Non enim multa operantibus, sed bonam voluntatem habentibus angeli pacem repropmittunt. Cum in ortu Salvatoris canunt, et dicunt: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc. ii.*) ».

Quod si in aquis Siloe, quæ « fluunt cum silentio (*Isai. viii.*) », hoc est in claustralibus observantiis suæ purificationis hydriæ monachus habere maluerit, habeat sibi arctam et arduam viam obedientiæ, cuius perfectio in sex observantiis (*Reg. S. Bened. cap. 5.*), quasi in totidem hydriis, continetur: Prima quidem hydria est ut obedientia plena jam sit, hoc est, ut indifferenter impleat omne bonum quod a majore præcipitur; secunda est ut in faciendo moram pati nesciat; tertia est ut in faciendo præceptum non præferat aut nolentis responsum, aut vultum irascentis; quarta est ut ex voluntate id faciat, ne aut simulans bonum, aut malum cordis dissimulans, hilaritatem facies mentiatur; quinta est discretio in præceptis, ut sciat etiam de quo, et quantum et quandiu obedire debeat, ne fallatur; sexta est longanimitas perseverantie, quæ ad plenum mentem purificans, æternæ glorificationis salute donatur; sicut scriptum est: « Quid veraseraverit usque in finem,

hic salvus erit (*Matth. x.*). » Sexque hydriarum, quae de perfectæ obedientiæ firma petra exciduntur, prima dicitur plenaria, secunda velox, tertia hilariæ, quarta voluntaria, quinta discreta, sexta perseverans. In hujusmodi sex hydriis lavantur et purificantur qui non indigent nisi ut pedes lavent, sed sunt mundi omnes (*Joan. xiii*): qui contemptores mundi, et contemptores sui tam expeditis gressibus ad aeterna festinant, ut nihil amori Christi preponant, et quamvis terram carnis, quam adhuc gerunt, pedibus spiritualium affectuum concilcent et conterant, adhuc tamen de pulvere carnis pedes contrahunt affectionis. Pulvis iste, dum hic vivitur, semper contrahitur, sed nihilominus semper contractus detergitur, dum per veram obedientiam vita prior infatigabiliter exerceatur. Quam pura est vita illa, et quam digne purificationis ho- diernæ festum agit, que mundi latum inquinans abjicit, de se nihil sibi relinquit, sed se totam Deo subjiciens, omne quod caro est, mente purificata transcendent, et propriæ voluntatis devitans dispensatio, alieno se arbitrio ad acquirendam animi libertatem committit. Virtus nimirum obedientiæ fideliter et perseveranter custodita purificabit, et purgabit filios Levi (*Malach. iii*), ut Salvatori ad templum venient obviare idonei sint, et Hypapantem Domini celebrare. Nam Hypapante, id est obviatio, haec celebritas appellatur. Hodie enim cum puerum Jesum parentes ejus ad templum deferrent, ut offerrent, leguntur ei sancti senes Simeon et Anna, præmoniti a Spiritu sancto, obviasse, et omnibus, qui exspectabant redemptionem Jerusa- lem, ipsum esse, quem lex et propheta Salvatorem preuiserunt prophetizasse (*Luc. ii*). Et haec nou- nulla ratio, cur hujus diei solemnitas Hypapante vocetur. Caeterum Deo digne obviat, qui se a vitorio- rum contagione purificat, et congruo ordine in so- lemnitate cordis studium purificationis antevenit letitiam obviationis. Non enim Domino virtutum obviant vitia, nec congruere potest impuritas puri- tati. Purificatio quippe veste nuptiali induit et innovat animam, quam et Annæ religio, et pietas justi Simeonis commendat. Certe cum Christus sit pax et veritas, si de ejus gratia pie et juste vivimus, impletur in nobis illius obviationis festivitas de qua Psalmista dicit: « Misericordia et veritas obvianterunt sibi; justitia et pax osculatae sunt (*Psal. LXXXIV*). » Misericordia obviat veritati, quando fideliter implet præceptum; et justitia paci, quando recipit post præcepti laborem pacis aeternæ promissum. Hinc est quod senex iste sanctus Simeon, in quo misericordia et justitia inveniuntur, in Christo veritatem, et pacem invenire, tenere et osculari meretur. Unde exclamat, et dicit: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum Verbum tuum in pace (*Luc. ii*). » Primo, ut dictum est, invenit misericordia veritatem, quæ enim se invenerint in corde hominis, universæ quippe via Domini misericordia et veritas (*Psal. xxiv*), tunc

introducunt justitiam. Sed quæ est ista misericor- dia? Illa, qua sui miseretur homo. De qua scriptum est: « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccl. xxx*). » Magna misericordia est, suæ animæ misereri, ut Deo placeat. Quid enim illo crudelius, qui scipsum male vivendo interficit? Aut cui bonus erit, qui sibi nequam est? » (*Eccl. xiv*). Per hanc misericordiam declinatur a malo, et expurgatur a corde peccati mendacium, ut de terra purgati cordis veritas oriat- tur, quæ doceat facere bonum. Ex his duobus per- sicutur integritas Justitiae, quæ sicut malum non facit, ita bonum facere non omittit. Justitia pa- cem invenit, quia pax aeterna est justitiae retribu- tio.

Nota, quia cum misericordia et veritas sibi ob- viant, de osculo nihil dicitur (*Psal. LXXXIV*), nisi cum justitia pacem invenit. Quare hoc? quia vide- licet declinare a malo, et facere bonum (*Psal. xxxvi*), quod misericordie et veritatis est opus, laborem habet et certamen; sed pacis aeternæ quietem accipere, quæ per osculum indicatur, et ad justitiae premium pertinet, omnem excludit la- borem. Tunc enim ut scriptum est: « Lux oritur justo, et recto corde lætitia (*Psal. xcvi*). Tunc ab- sterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum et mors non erit amplius (*Apoc. vii*). » Tunc si precesserit in nobis purificatio vitorum et virtutum obviationis, erit nobis revelatio sempiterni luminis et gloria interminata quietis.

Hic jam venit in memoria tertia appellatio hujus festivitatis quæ etiam a vulgo dicitur *Festivitas can- delarum*. Illam quippe exultationem, quam mere- tur cordis purificatio, ad quam tendit præscripta virtutum obviationis, ardens candela designat. Quia etsi lumen verum in cera virginea carnis absconditum, quod et Simeon hodie in manibus gestare meruit, representat (*Luc. ii*); nihilominus tamen vitæ cœlestis puritatem et jucunditatem futuræ lucis, quæ tandem manifestabitur in electis, præ- figurat. In cereo accenso tria apparent, quæ tres substantias in Christo demonstrant. Cera de- signat carnem sinceram; lichenus cera circumdat, animam in carne latentem; ignis in utroque unitam carni et animæ Verbi naturam. Veri quidem hujus luminis Simeon bajulus esse meruit, sed pu- rificaverat eum turturis et columbae spiritualis oblatio, et in templo piæ mentis ejus celebris virtutum obviatione solemnizabat. Ipse turtur in carne, ipse columba in spiritu. Et quia has virtutis aves pro adiectione agni, Agnus ipse mente, licet annos- aetate obtulerat, ideo accepérat responsum a Spiritu sancto, se non visurum mortis tenebras, donec videret lumen vite (*ibid.*). Utinam æstuet anima mea desiderio Simeonis, ut merear esse bajulus tantæ lucis. Sed certe, ut saepè dictum est, nisi prius purificata mens fuerit a vitiis, ut post- modum de claustris carnis pennis virtutum evo- lans, « obviam Christo in aera (*I Thess. iv*) » vera libertatis procedat; nec cum Simeone vera luce

kætari poterit, nec in pace dimitti. Necesse est ergo, ut purisicata mente cum virtutum operibus obviemus Domino, hoc modo interim Hypapante Domino celebrantes. Verum felicis, et festivius hanc solemnitatem agemus, cum sub adventu sponsi, media nocte clamore facto, inter prudentes virginis accensis lampadibus procedemus obviam sponso et spouse (*Matth. xxv*); nam bene illius professionis inenarrabile gaudium significat hæc nostra hodierna processio. Amemus ergo, et imitemur in Simeone et Anna, quod in turture et columba significari dicimus, quia tune non sapient cantus gemitum columbae vel turteris, sed vertetur in jubilum aeternæ laudis. Tune sicut hodie, immo melius quam hodie, justi Simeonis caanticum communis lætitia concinemus, dicentes : « Nunc dimittis (*Luc. ii*), » etc.

Nota in hoc canto quatuor esse versus, quia quatuor sunt lætitiae cœlestis progressus. Primus est in exspectatione et desiderio pii cordis; unde in primo versu se in pace dimitti proclamat. Secundus est in fructu et proventu pia expectationis, unde in secundo versu corporeis etiam oculis se videre salutare Dei, hoc est Salvatorem, exsultat. Tertius est in charitate de profectibus alienis, unde in tertio versu hoc salutare Dei omnibus populis communicari denuntiat, dicens : « Quod parasti ante faciem omnium populorum (*ibid.*). » Quartus et ultimus progressus est sempiterni luminis revelatio, et gloriae manifestatio, quod in quarto versu commemoratur cum dicitur : « Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel (*ibid.*), » id est populi sanctorum facie ad faciem videntis Deum, cui est honor et gloria, in sempiterna sæcula. Amen.

### SERMO V.

IN ASSUMPTIONE B. MARIE.

*Mulierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov. xxxi*).* Non hoc dicitur, quod impossibile, sed quod difficile sit mulierem fortem invenire. Pene enim hodie difficultius est invenire quemquam, qui velit querere vel desideret invenire, quam ipsam invenire mulierem fortem. Mulierem hanc fortem querere virtus est, invenire salus, apprehendere gaudium, diligere laus et honor, tenere neque dimittere summum bonum. Sed jam quid haec mulier fortis intelligi debeat, ubi, quando, quomodo, queri oporteat, videamus. Quomodo enim inveniri poterit, nisi queratur? Aut, quomodo poterit queri, nisi sciatur ubi valeat inveniri? Quomodo hoc aliquis noverit, nisi didicerit? Discere autem unde poterit, nisi se magisterio disciplinæ subdiderit? Difficile est certe, ut assumat formam discipuli, ut disciplinæ efficiatur patiens, cui deest non ignara subjectionis humilitas, quem reddit, aut languor ignavie negligenter, aut tumor superbiae contemptorem. Superbia nimis in proprii tumoris cæcata grossitudine, sicut ex ipso tumore agitur, ne sit tractabi-

lis, sic impedit ejusdem tumoris objectio, ne lucem recipiat veritatis. At humilitas semper est delicata et tenuis; eo patens et pervia vero humini, quo se strictius et simplicius agens, sanctæ semper est consentanea paupertati. Mulierem itaque fortem sane possumus intelligere Dei sapientiam, aut matrem ipsius sapientiae Mariam, aut sapientium matrem Ecclesiam, aut certe sedeni sapientie animam. Sapientia Dei mulier appellatur, propter omnium bonorum, quæ ab ipsa deflunt, secunditatem. Ipsa est enim, quæ loquitur : « Ego mater pulchritudinis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei (*Ecclesi. xxv*). » Ipsam omnium rerum parentem ostendit Psalmista, sic Dominus loquens : « Omnia in sapientia fecisti (*Psalm. cxiiii*), » etc. Denique per evangelistam mulier appellatur, cum ab ipsa Dei sapientia per similitudinem dicitur : « Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit unam ex illis (*Luc. xv*), » etc. Ubi mater mulier appellatur, non quod fracta sit ad mollitiem voluptatis, sed propter naturam sexus infirmioris, unde ei a Domino dicitur : « Quid mili, et tibi est, Mulier? » (*Joan. ii*.) Et Gabriel angelus, eam benedictam in mulieribus protestatur. Apostolus quoque Dei Filium factum ex muliere (*Galat. iv*), id est, de tali sexu carnem assumpsisse commemorat; nam alibi nomen mulieris Veritas a Virgine removere videtur, cum Joannis Baptiste laudes exequitur, dicens : « Inter mulierum natos non surrexit major Joanne Baptista (*Matth. xi*). » Sed ibi vocat mulieres quatenus voluptuosæ molitiae non sunt expertes contactus virilis, cuius rei penitus ignara est integritas virginalis. Sapientium, hoc est sanctorum mater Ecclesia mulier dicitur, quæ continuo partus et gemitus angustia fatigatur. Sunt in ea dolores ut parturientis (*Psalm. xlviij*), et dum sanctorum sobolem, quam ex Spiritu sancti suscipit gratia, tenuere educat, ardenter diligit, de eorum temptationibus et periculis materno affectu continuo dolet et gemit. Unde et sponsus ejus de ipsa in Evangelio loquitur dicens : « Mulier, cum parit, tristitia habet, quia venit hora ejus (*Joan. xvi*). » Anima etiam, quæ sedes est Sapientiae, ea ratione mulier dicitur, quod affectuosa quadam teneræ pietatis molitie supra dilectum suum innitatur. Affectu misericordiae molis, operum fertilitate secunda, dum sponsum suum Jesum supra omnia, et in omnibus diligit, individua se ei puritate conjungit, et dicit : « Dilectus meus mihi est, et ego illi (*Cant. i*). » Fallacem quippe hominum gratiam et vanam rerum pulchritudinem non attendit, sed casti timoris sibi custodiam adhibens, diligenter illud conservat, et audit : « Fallax gratia, et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur (*Prov. xxxi*). » Verum quia Dei sapientiam mulierem fortem posse intelligi superius diximus, quomodo id intelligi debeat latius explicemus.

Dicitur enim mulier propter secunditatem, fortis

propter virtutem. Dicitur virtus propter omnipotentiam; fortis dicitur secunda propter plenitudinem. Dicitur fortis, quia « attingit a se et usque ad finem fortiter (*Sap.* viii); » dicitur secunda quia « disponit omnia suaviter (*ibid.*). » Denique fortitudo ejus in duobus maxime consideratur. In plena potentia, et plena patientia. In plena potentia, quia nullam habens indigentiam de nihilo cuneta creavit; in plena patientia, quia omnem habens innocentiam, ab injustis omnem injuriam aequanimitate toleravit. Fecunditas ejus itidem in duobus maxime perpendi potest. In plena sapientia, et plena misericordia. In plena sapientia, qua universitati existentium formam et ordinem dedit; in plena misericordia, qua inveteratum hominem a debito mortis, per indebitum mortis gratiam et premium proprii crucis absolvit. O quam potens fecunditas, et quam secunda potestas! Quam fortis in infirmitate, quam fertilis in paupertate haec mulier fuit! In infirmitate, qua exinanivit semet ipsum Dominus omnium usque ad formam servi (*Philip.* ii); in paupertate, qua non habuit ubi caput reclinaret in mundo (*Matth.* viii) ipse Conditor mundi. Sed certe illa exinanitio fuit salutis humanae completio; et illa paupertas, panperum fuit locupletatio. Dum enim fortitudo omnipotens se tam dignanter exinanivit, nostrae vanitatis inanitas soliditatem et robur accepit. Dum dives omnium Dominus se nostrae indigentiae defectibus subdidit, nostrae paupertatis insufficientia ad sufficientiam divinitatis vel Deitatis excrevit. Denique tam secunda fuit exinanitio, ut gloriam augeret angelis, pastoribus gaudium ficeret, fidem magis, pacem procuraret quoque hominibus bona voluntatis (*Luc.* ii). Tam potens haec infirmitas fuit ut curaret paralyticos, leprosos mundaret, cæcos illuminaret, surdis auditum, claudis gressum, mutis officium loquendi restitueret, mortuos suscitaret (*Matth.* xi), siccis pedibus super aquas ambularet (*Matth.* xiv), tempestates et maria solo imperio tranquillaret (*Matth.* viii), dæmones ab obsessis corporibus effugaret, omnem infirmitatem verbo curaret (*Matth.* ix), verbis mirabilibus scientiam Scribarum et Pharisæorum superbiam confutaret (*Matth.* xxiii). Tam fortis, inquam, haec infirmitas fuit, ut Christo secundum naturam passibilem moriente, fieret solis obtenebratio, terræmotus concussio, veli dirupcio, petrarum scissio, monumentorum apertio, sanctorum corporum resuscitatio (*Matth.* xxvi), inferni spoliatio, et mirum in modum tunc fortius firmitas elementorum concutitur, cum nostræ mulieris infirmitas abjectior reputatur. Sed, quæso, ubi, vel a quo, haec mulier fortis invenitur? Certe, ut Scriptura dicit: « Non invenitur sapientia in terra suaviter viventium (*Job* xxviii). » Suaviter vivunt, qui desideriis voluptuosæ carnis inserviunt, et quanto amplius ab operibus justitiae tenebrescunt, tanto minus lucem sapientiae apprehendunt. Illi ergo non querunt, qui

tenebras diligunt, qui insistunt vitiis, qui mandata vitae non custodiunt, qui habentes pietatis speciem, virtutem ejus abnegant (*II Tim.* iii), et contemnunt. Ille igitur sapientiam querit et invenit, qui bene querit; bene autem querit, qui, ut dictum est, ubi, quando, quomodo debeat, querit. Dicat igitur ipsa Sapientia, dicat ubi inveniri possit. « Ego, inquit, in altissimis inhabitavi, et thronus meus in columna nubis (*Ecli.* xxix). » Hoc est quod dicit Scriptura: « Procul, et de ultimis finibus premium ejus (*Prov.* xxxi). » Alibi dicit Scriptura, quia « Sapientia trahitur de occultis (*Job* xxviii). » Quæ sunt occulta nisi altissima? Quæ vero altissima, nisi cœlestia? Cœlum quoque occultum dici potest ea ratione, quod occultare celare dicitur, ubi Sapientia trahitur de occultis, hoc est de cœlis, tum scilicet « regnum cœlorum vim patitur (*Matth.* xi), » cum timor, qui est initium sapientie (*Ecli.* i), insipientiae se opponit et pœnitentie dolor, injustitiae damnatis operibus, regnum cœlorum, quod soli debetur justitiae, apprehendit. Denique cœlos corda sanctorum congrue dicimus, altitudine virtutis excelsa, cœlestium contemplatione sublimia, innocentiae puritate serena, subtilitate intelligentiae defæcata, virtutum dispositione siderea, ardore charitatis ignea, virtute patientiae solida, spei longanimitate ereta, quæ dum laudis humanæ favores fugiunt, dum se, quantum in se est, ab oculis humanis abscondunt, dum Dei habitationem intra testimonium conscientiae celant, cuiusdam specialis cœli in se imaginem repräsentant.

De his occultis thesaurum in agro absconditum celantibus trahitur Sapientia, quia ad sapientiam rudes quosque, licet cum difficultate, erudiant cœlestium virorum exempla. Denique Sapientia habitat in consilio et eruditis interest cogitationibus (*Prov.* viii), et ideo « omnis gloria ejus filiae regis ab intus (*Psal.* xliv), » quia Sapientia consiliis sui secretum non communicat omnibus. Unde et in Evangelio ipsa Sapientia loquitur: « Consiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, qui abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* xi). » Ubi parvuli, id est humiles, consecratales sunt sapientiae, et quantumlibet in altissimis ipsa inhabitet, facilis ad illam pertingit humilitas: et quanto se inferius dejicit, tanto sapientiae sublimitas ei familiarius se inclinat. « Deus enim superbis resistit, et humilibus dat gratiam (*I Pet.* v); » et dum per medium montium pertranseunt aquæ, fontes in convallis emittuntur (*Psal.* ciii). In consilio itaque, et in consilio sanctorum humiles invenit sapientiam, quæ « in malevolam animam non intrabit, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* i). » Quando queri oporteat sapientiam ipsa Sapientia docet, dicens: « Qui mane vigilaverint ad me, invenient me (*Prov.* viii). » Mane est fidei tempus, quia per fidem interim est querendum, quod nobis expedit in futu-

rum. Fides enim est lux matutina, qua interim illuminamur in spe, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, et nos per speciem plena meridies consoletur. Sicut enim lux matutina praecedit splendorem meridiani fervoris, sic fidei mysterium divinæ prævenit speciem visionis. Unde Propheta : « Mane, inquit, astabo tibi (*Psalm. v.*), » hoc est in fide, et fideliter ministrabo. Et cum species venerit, id est cum limpidiorem claritatem fervor meridianus attulerit, tunc videbo et quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (*ibid.*). » Jam quia ubi, et a quo, et quando querenda sit sapientia diximus, superest, ut quomodo etiam querenda sit, videamus.

Ipsa querendi modum exponit, dicens : « Transite ad me omnes qui concupiscitis me (*Ecclesiastes. xxiv.*); » ubi concupiscono, et transeundo querenda est. Concupiscono æterna, transundo a temporalibus. Transire, est transitum facere; transitum facere, est pascha celebrare. Pascha enim *transitus* dicitur. Pascha celebrare, est Agnum immaculatum offerre. Paschalis autem festivitas proprie est Hebreorum, id est transennium : Hebrei enim *transeuntes* interpretantur. Qui igitur sacerdolum nequam mente deserit, qui a vitiis et concupiscentiis carnis ad desiderium spirituale se colligit, qui a rebus transitoriis ad æternam, et manentia Spiritu transit, ille Sapientiam querit et invenit. Agnum quippe offert, qui se Deo exhibet carne mundum, corde mansuetum, actu innoxium, vultu placidum, victu sobrium, lingua veracem, specie irreprensibilem, opinione landabilem, fraterna compassione misericordem. Hoe modo queritur Sapientia, cuius et preium procul, et de ultimis finibus (*Proverbs. xxx.*) esse dicitur. Quam procul sinus Patris, unde ipsa egreditur? Quam procul est ineffabilis illa, et æterna generatio, quæ ante sæcula a Patre generatur? Quam procul est incorruptæ matris virginalis integritas, ex qua Verbum caro officitur? (*John. i.*) Quam procul est altitudo humanæ naturæ ante peccatum, unde in carne Verbi peccati immunitas conservatur? Quam procul est singularis innocentia, in qua per hominem vixisse, et miracula fecisse cognoscitur? Quam procul est sine exemplo illa patientia, in qua per indebitæ mortis supplicium auctor mortis diabolus superatur, homo mortis reus absolvitur, æternæ vite libertas restituatur? Idcirco preium ejus, vel quo ipsa pretiosa existit, vel quo pro nostra redemptione exsolvitur, de ultimis finibus venit. Ultimi fines quatuor esse videntur : duo superius ultimi, ultra quos nihil est superius; duo inferius ultimi, et infra eos nihil ulterius. Duo superius ultimi sunt, æterna generatio, qua Verbum de Patre sine matre nascitur; et incorrupta nativitas, qua idem Verbum de matre sine patre generatur; duo fines inferius ultimi sunt, quod crucis pœnam patienter sustinuit sine culpa, et quod mortuus descendit ad inferos sine pœna. Nihil prima et æterna generatione sublimius, nihil secunda et incorrupta

nativitate mirabilius. In tormentis nihil pœna erucis ignominiosius, in triumphis nihil inferni spoliatione terribilius. De his ultimis finibus liberationis nostræ preium venit, quod redemptis tanto pretiosius esse debet, quanto de tam longinquæ veniens potuit efficaciam tantam habere. Jam quomodo haec verba, quæ de Sapientia, utecumque intelleximus, et sapientie matris Mariæ convenient, secundum gratiam, quam ipsa gratiae mater nobis impetraverit, videamus.

Dicitur itaque mulier, non fracta mollitie voluptatis, sed quod sit in ea natura sexus fragilis, vel quod mollescat affectu, utopte misericordia mater, ad teneritudinem pietatis. Quam fortis haec mulier fuit, quæ sine exemplo, tam sexum quam sæculum invicti spiritus fortitudine superavit! Quam fortis fuit, quæ in corpore fragili posita, et in sæculo nequam adhuc peregrinans, æmula puritatis angelicæ, omne quod creatum est mentis sublimitate transcendit! Denique ad mulierem fortis fortitudo Dei Gabriel mittitur, quam gratia et fortitudine plenam invenit; parituram etiam Verbum omnipotens protestatur. An non fortis Maria fuit, cuius et fortis ut mors dilectio (*Canticum VIII.*), et in tantum virtutis Altissimi obumbratione convaluit, ut et Rex virtutum, Dominus fortis et potens in prælio (*Psalm. xxiii.*), infirmus in ea fieret; et fortis armatus atrium, quod in pace possidebat, dimitteret (*Lucas. xi.*) et infirmitas hominum ad salutem ex ea plenariam perveniret? Sed ubi, obsecro, haec mulier tantæ fortitudinis invenitur? Procul utique, quia sicut gratiae plenitudine omni creaturæ præcellit, sic incomparabiliter gloriae sublimitate transcendet. Procul, inquam, est, quia littera sit mediatrix, et singularis misericordiae compassione propitia, est tamen incomparabilis excellentiæ privilegio super omnem altitudinem angelorum exaltata. Procul est preium ejus, quia et speciosus forma præ filiis hominum (*Psalm. xlvi.*), et de pretiosa ejus carne nascitur, quo pretio genus humanum redimitur, et ipsa sanctorum omnium angelorum et hominum meritis et gloriæ antefertur. Ultimi fines sunt incomparabiles virtutes Mariæ, in quibus omnis consummationis finem se Propheta testatur videre, sic Domino dicens : « Omnis consummationis finem, latum mandatum tuum nimis (*Psalm. cxviii.*). » Quid enim illo mandato latius, quo mandat salutes Jacob (*Psalm. xliii.*), qui in salutatione Mariæ, quam ei Gabriel ex Deo attulit, salatem omnibus, quantum in se est, præparavit? Sunt itaque ultimi fines humilitas Mariæ incomparabilis, singularis virginitas, charitas spiritualis, privilegiata fecunditas. Quæ omnia sicut nullum omnino exemplum antevenit, sic nullum omnino meritum vel æquiparat, vel excellit, omnino excipitur Patris Unigenitus, primogenitus ipsius Virginis, qui licet Spiritum ad mensuram non accepit (*John. iii.*), tamen de his ultimis finibus, id est summis. Mariæ virtutibus nostræ redemptionis preium venit, ea-

enundium naturam, quam ex carne Virginis traxit.

Sunt ii, ut dictum est, ultimi fines, Virginis consummatæ virtutes, ex quibus recepimus inestimabilis pretii partum, tanquam ex floribus fructus. Attamen flores manent immarcescibiles, nec sicut in naturalibus fructus flos est floris, sic in matre Domini partus est terminus virginæ castitatis. Est enim et hortus conclusus, fons signatus (*Cant. iv.*). • Hortum facit eam inanditæ fecunditatis fertilitas; conclusum reddit inviolati pudoris integritas. Fons est, quia de plenitudine gratiæ fluenta misericordiae fundit; signatus, quia alienum a signo fidei non admittit. • Fons hortorum, putens aquarum viventium, quæ fluant impetu de Libano (*ibid.*). • Fons est Maria, patens et accessibilis ex profusione et facilitate misericordie; puteus est altus et capax ex mysterii admirabilis profunditate. Completum est enim in ea et magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim. iii.*). • Aquæ viventes gratiæ cœlestes sunt, quæ flunt impetu de Libano, quæ Virgini collatæ sunt, ex paternæ plenitudinis altitudine superveniente in Virginem Spiritu sancto. Potest quippe intelligi impetus improvisa plenitudo gratiæ sancti Spiritus, quam, dum candor lucis aeternæ Mariæ infunditur, quasi de Libano, qui candidatio dicitur, aquarum viventium torrens erumpit. Est igitur Maria fons hortorum, scilicet ablutio, satietas et refrigerium congregationum sanctorum. Quot enim habet Ecclesia conventus sacros in fide viventes partus virginis, tot sunt et horti. Et certe his omnibus ministrat partus misericordissimæ matris et pœnitentiæ lavaerum, quo tergatur iniquitas et desiderium justitiæ, quo reficiatur devotio et protectionis umbraculum, quo ardor carnalis concupiscentie refriescat. Ecce quanta est mulieris nostræ fecunditas, quanta est fontis signati profusio, cuius semper opportuna rigatio tantum in hortis Ecclesiæ tribuit ubertatem. Huic fonti irrigno, huic misericordissimæ Virgini specialiter deputaverim ego monasteria Cisterciensium: quippe quæ omnia et memoriae et meritis ipsius matris devotione debita dedicantur. O quantus debet esse in meis candor cordium, et morum puritas, qui et candore habitus et titulo noninvis virginalis liliæ albedinem imitantur! Albi nimirum monachii dicuntur, non modo quod albedine vestium fulgeant, sed quod candoris virginis ministri spirituales existant.

Quid ergo nos infelices, et miseri et nimium nigris sub candido habitu, circa nostræ Virginis lilium tanta densitate succrescere spinas et tribulos toleramus? Quid odiorum spinas et detractionum aculeos ibi plantamus infelicitter, aut infelicius confovemus; unde spirare et fluere virtutum aromata debuerunt? Virginem nostram potius imitari debuimus, et filiali affectu matri beatissimæ conformari. Ipsa enim non modo in remedium data, sed

est proposita in exemplum virtutis. Non itaque decet album monachum cultorem sinceritatis virginis, speciem Mariæ filium superbiæ flatu intumescere, curiositatibus viro esse superstylum, immundis desideriis animalium dare, fraternali pacis denigrari odio, invidiæ livore torqueri, circa virginis ministerium negligere propositum sanctitatis. Quo enim pacto ministrare potest tantæ humilitati superbia, tantæ honestati impuritas, tantæ munditicii in honestas, tantæ charitati odium, detracatio tantæ benevolentie, tantæ paci murmuratio, tantæ sobrietati ingluvies, tantæ veritati falsitas, crudelitas tantæ misericordie, præsertim eorum qui ad honorem tanti mysterii, de peccati sterquilino, de extrema paupertate, de generis ignobilitate venerant? Quam saepe videmus hujusmodi eorum in claustris ea ad curam earnis querere quæ nec in seculo habere poterant? Ob hoc sub umbra religionis non umbratiliter, sed veraciter vanitati inserviant, superbiunt inter humiles, inter pœnitentes voluptuosius vivere volunt, ambiant honores, qui mandi contemptum juraverant, solam sanctitatis imaginem præferentes, lupus celatur sub ovis velare, nec agnoscitur, donec eum prodiderit ululatus. Ululatus est fratrum sanguinis avida nimis detracatio, quam mater ejus invidia in denigratione sinceritatis monasticae generavit. Unde bonitati tue, propitia misericordiae mater, relinquitur, purgare hortos quos rigas, ut sicut dilectores tuos fluentis gratiae ad irriguum devotionis inebrias, sie duros corde et aridos ad pœnitentiae fructum humectes. Auso de hortis Ecclesiæ odiorum spinas, murmurationum tribulos et libidinis urticantis prariginem, quæ omnia de inimica floribus aquilonis intemperie nasci solent. Te imperante surgat aquilo, te voante veniat anster, quo perflante horti resurrecent, virtutum spirent aromata, et tuae opinionis flagrans suavitas ad notitiam perveniat singulorum. Alioquin nisi astiteris parturient Ecclesiæ, et obstetricis morem geras sponsæ filii tui, vires parturient non habebit. Mulier enim ista, dum parit, tristitiam habet, quia nondum venit hora ejus (*Joan. xvi.*). Non dum quippe completus est sanctorum populus, nondum mulier ista totum in lucem gloriæ effudit pœrum. Sed adhuc tam Herodes quam Pharao in partum Ecclesiæ dehacchantur. Est tamen Ecclesia mulier fortis: mulier ex fecunditate, quæ per sacramentum fidei Deo parere filios non desistit, fortis ex petra, super quam fundata, tentationi non cedit; est enim mulier haec, uti in Apocalypsi legitur, amicta sole, et luna sub pedibus ejus (*Apoc. xii.*). • Luna significat mutabilitatem, et defectum temporalium, quæ omnia electorum Ecclesia sub pedibus habere dicitur, quia nequaquam amor temporalium ejus affectibus dominatur. Amicta quippe sole, sic splendore solis illuminatur, et ardore perfecte accenditur, ut nihil aliud quam ipsum solem justitiae completeretur. O quam difficile haec mulier invenitur, quæ in paucis abscondita, tanquam ele-

etus thesaurus in agro absconditus occultatur! Hinc est quod Sponsus ejus in Evangelio sic loquitur, dicens: « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro (*Matth. xiii*). » Regnum quippe cœlorum est gloria unaanimitas celatorum. Celati sunt sancti, qui, quantum in eis est, se celant et abscondunt. Semper intus sunt, semper ianuis clausis se contegunt, et, dum propria glorie testimonium intra conscientiam ferunt, dum ab ore hominum laudem aut testimonium non requirunt, cœlorum habitatorem ad se ingredi faciunt, cui dicunt: « Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos (*Jer. xiv*) ; » et illud: « Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostræ (*II Cor. i*). »

Hanc itaque Ecclesiam sanctorum, sive hortum conclusum, sive signatum fontem, sive thesaurum in agro absconditum, sive regnum cœlorum, sive pudoris claustrum, sive mulierem fortē nomines, idcirco procul, et de ultimis finibus pretium ejus, quia pretiosam facit eam æterni sponsi amor internum. Quid enim cœlestis sponsi æternitate ulterius, divinitate superius, charitate interius, virtute potentius? Idcirco nimis spōnsa ejus ab exteriorum intuitu vel appetitu se dividit; idcirco ad interiora se colligit, ino inter claustrum conscientiae se recludit, quia quo diligentius ab oculis hominum se celavit, eo cœlum in se secretius cœlorum habitatori componit. Ilujus spiritualis claustrum, ubi se claudunt, et celant cœlestes animæ, clustri visibilis fabricata figuram tenet. Unde, juxta formam materialis claustrum, etiam illud invisible in quatuor lateribus fabricatur: primum est contemptus mundi, secundum horror inferni, tertium necessitas voti, quartum desiderium cœlestis regni. Inter quatuor ista latera per disciplinæ regularis obedientiam se cohident et abscondunt qui vanam sæculi libertatem deserunt, qui a se lateribus aquilonis elevant. Possunt haec verba, quæ superius dicta sunt, etiam cuilibet sanctæ animæ convenire, nisi quia difficile est sanctam aliquam invenire: « Mulierem fortē quis inveniet? » — « Defecit sanctus, diuinatae sunt veritates a filiis hominum (*Psal. xi*), virtus evanuit, invalidus vitium, et refrigescente jam sæculo in immensum iniquitas abundavit. Quis ergo inveniet mulierem fortē? Mulier fortis non incongrue dicitur anima sancta. Sancta quippe dicitur, quod sancta sit, id est in virtute animi confirmata. Quoniam igitur animi virtus sanctificat, quoniam divini nominis timor et amor confirmat, et in bonis operibus habet fecunditatem, et propter virtutis constantiam quamdam in se retinet firmamenti stabilitatem. Dum enim in sanctitatis proposito per gratiam sanctificatur, ab infirmis et infirmis operibus sublimitate mentis erigitur, in quoddam firmamentum stabile solidatur. Tale autem firmamentum cœlum dicimus, quia, sicut dicit auctoritas, « vocavit Deus firmamentum cœlum (*Gen. i*). » Id-

circum Deum in sanctis habitare, hoc est in cœlis, dicimus, quia sancti, in sanctitatis proposito confirmati, sunt etiam firmamentum effecti. Si autem firmamentum, et cœlum, quod ab omni scie terrenitatis humanae sit alienum. Hinc est quod Graeci agios, sanctus Latine dicitur. Agios autem sine terra interpretatur.

Itaque id est sanctus quod est sanctus; sanctus autem qui confirmatus; confirmatus vero dicitur qui in firmamentum sit factus, firmamentum autem est stabile et firmum, longe a terra divisum, sidereum mira varietate cœlatum. Tale est cor sanctum, inviolabilis sanctitatis proposito firmum, a terrenis desideriis alienum, diversis virtutibus, quasi sideribus adornatum. Quis, obsecro, vel ubi talem inveniet? Procul certe, et de ultimis finibus pretium ejus. Utinam apud te tuam talem invenias, vel ut talis effici possis, procul et de ultimis finibus, id ei querere et asserre noui pigreris! O quam procul est ille honor quem in conditione accepit! Quam procul est divinæ similitudinis dignitas, qua insignita desipuit. Nam et cum in honore esset homo, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal. XLVIII*). Certe quod tanti pretii sit rationalis anima, ut pro redēptione ipsius inestimabile pretium, Verbum caro factum (*Joan. i*), solvatur; mirabilis ejus creatio fecit. Cum enim ad similitudinem suam eam Conditor fecit, quatuor ei suæ imaginis insignia signa impressit: traxit eam de Conditoris æternitate immortalitatem, de sapientiae sublimitate rationis excellentiam, de invisibilitate essentiae naturæ simplicitatem, de largitatis liberalitate arbitrii libertatem. Quam procul sunt illa quatuor, de quibus ista quatuor humana anima traxit? procul sunt, quia omnem sensum exsuperant, et omnem rationem et intellectum hominum et angelorum exceedunt; ultimi fines sunt, quia, cum sancti ad illa comprehendenda pervenerint, ulterius nil requirunt. Ut possitis, ait Apostolus, comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudine, latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes. iii*). Longitudo est creatoris æternitas, latitudo est ipsius charitas, sublimitas est altitudo sapientiae, profundum est incomprehensibilis subtilitas invisibilis essentiae.

O si servasset rationalis anima cum longitudine immortalitatis longanimitatem perseverantiae, cum latitudine libera voluntatis libertatem justitiae, cum sublimitate rationis altitudinem contemplationis divinæ, cum profunditate essentiae simplicis simplicitatem innocentiae, pretium summum, quod ei de tam longinquæ generali, minime perdidisset! Nunc autem, etsi pretium divinæ similitudinis perdidit, quia virtutem amoris deseruit, omnino tamen sine pretio non fuit, quia a pretiosa auctoris imagine non recessit. Pretiosa quidem est imago, quam in cognitione veritatis inammissibiliter tenuit;

sed longe pretiosior est similitudo, quam in amore virtutis suscepit amor peccati nimis festinus abrasit. Sed jam ad nostram Virginem corde et animo, veritate et opere recurramus.

Ipsa est portus noster, ipsa est anchora spei nostræ, ipsa est mulier fortis, secunda, et potens, ad quam nobis confugiendum est qui sumus inopes et infirmi. Sufficiens est ejus fecunditas mendicitem filiorum expellere, fortitudo ejus sufficiens nil de suis præsumentes viribus liberare. Stella maris Maria est necessaria in hujus incertitudinis pelago naviganti. Portus est totius misericordiae mundo naufragium patienti. Ne diffidat reus, ipsa mater nostra, que nobis genuit judicem nostrum, fecit etiam nobis de judice advocatum. Si propter culpam desideras veniam, respice in Mariam confidenter, et misericordiam obtinebis. Si in tribulatione positus pusillanimitate dejiceris, ex corde

refuge ad Mariam, et patientiae fortitudinem imparabis. Si te mundi amator abjuratus inseguitur, ad mundi dominam Mariam recurre, et mundana omnia uti stercora conculeabis. Si te carnis tentat illecebrosa mollities, invoca Virginem, invoca Mariam, et in obumbratione, quam ei virtus Altissimi fecit (*Luc. 1*), ardoris illiciti refrigerium consequeris. In omni denique impugnatione dæmonum ad angelorum reginam Mariam confuges, et ad imperatricis nutum cessabit calliditas tentatoris. Ipsa est quippe aurora consurgens, quæ tenebras arguit quæ malis terminum, quæ finem ponit erroribus, et veri luminis radios administrat. Est enim Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, vitæ via, forma justitiae, penitentiae medicina, magisterium patientiæ, disciplinæ exemplum, Ecclesiæ gaudium, miseriae terminus, porta paradisi, et portus. Ad quem nos perducat Jesus Christus.

## II. — FRAGMENTA MARIANA.

### FRAGMENTUM I.

Descentit Christus virgo, et humilis, et descendit per virginalem uterum humillimæ matris, ut qui utramque naturam utroque morbo corruptam curandam susceperat, utroque antidoto penes se abundaret. Ecce quomodo descendit, et qua descendit. Descendit sane per virgineum corpus, descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram (*Psal. LXXI*), descenderunt gratiarum flumina in Mariam. O necessarium vellus virginitatis Mariæ impassibilis, quod tam silenter, et suaviter suscepit pluviam gratiæ salutaris! o pluviam voluntariam, qua dum virginitatis puerissime vellus immundus, et ipsi vellere mundo immensus candor accrebit, et immunditia nostra lavaerum, ubi dilueretur, accepit. Asperges me, domina mea, hoc hyssopo, et mundabor lavabis me rore isto tibi de corde patris infuso, et super nivem dealbabor (*Psal. 1*). Tu tota munda, tota candida, tota divini roris aspersione compluta, et de inviolabili utero Agnum singularis innocentiae paris, et de inadmissibili vellere sanctorum animas calefacis. Per tua viscera summa puritate innocentia, plena miserationum affluentia, fluvius miserationem Christus descendit, qui inundans in diluvium totius gratiæ, totius mundi sordes abstersit. Per verba tua lac et mel summæ dulcedinis distillantia, in virum perfectum noster parvulus adolevit, qui in fortitudine patientiæ suæ onera nostræ insufficien-  
tiae supportavit. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa. XIII*), et hunceros quibus portaret ex te habuit, dum corpus

passibile ex tua carne suscepit. Per te descendit, per te parvulus ad humiles venit, qui te in causa nostra advocatam constituit, qui te ipsum pro immenso munere mundo dedit. Te ad nos veniendi viam elegit, te nobis in repatriandi semitam ordinavit. O via expers asperitatis et duritiae, expers ignorantiae et erroris! Nempe et misericordia et veritas in te obviaverunt sibi (*Psal. LXXXIV*). Nec misericordia in te pateretur quid asperum esse vel durum, nec veritas quidquam inesse pateretur obscurum. O via communis salutis, expers iniquitatis et malitiæ, expers molestiae et laboris. In te et pax, et justitia osculatae sunt (*Ibid.*) Non tibi inesse distortum aliquid æquitas justitiae sineret, nec aliquid inesse laboriosum pacis tranquillitas sustineret. Tota es suavis et clara, tota dulcis et recta, mitis et pacifica, quæ et nobis illuminationem nostrorum cordium de corde Patris adducis, et nobis loquens ad cor (*Ose. 11*), corda credentium in te trahis. Nobis, ut dictum est, ad cor loqueris, quibus dominum cordis tui, Verbum scilicet incarnatum, producis. Qui ergo per te descendit, videamus quoisque descendit. Descendit certe usque ad susceptionem corporis nostri, usque ad similitudinem carnis peccati. Descendit usque ad perpessionem molestiarum, usque ad tolerantiam injuriarum. Descendit usque ad injuriam passionis; descendit usque ad ignominiam crucis et mortis; descendit usque ad triduanæ sepulturæ obsequium; descendit usque ad spoliandum infernum.

### FRAGMENTUM II.

Sed cum infirmis oculis fit cœlestium splendor

difficilis, ad columnam nubis et caliginis lippientes oculos reflectamus. Columna sane nubis et caliginis, est firma sublimitas nostrae Virginis, ex qua quamdam sibi caliginem claritas Deitatis obduxit. Dum enim Verbi omnipotentis splendor per conceptum Virginis obvolvit nube carnis, quid aliud fuit in illa carne peccati similitudo, nisi quedam in nube caligo? « Nubes, inquit, et caligo in circuitu ejus (*Psal. xcvi*), » quia Verbi splendor et purissimæ carnis nube est obvolutus, et in eadem carne est infirmitate circumdatus. Sed in columna, quam præmisisimus, intendamus. Attendamus quam firma, quam recta est, quam erecta! Attendamus, inquam, quam firma, quam fortis, quam recta, quam lenis, quam porrecta est, quam sublimis! Quam firma est, cui et cœlum et terram innititur! Quam fortis, quæ contra universas hæreses et spirituales nequicias invincibiliter præliaatur! Quam recta est, quæ peccati maculam nescivit! Quam lenis est, quæ nullam duplicitatis rugam admittit! Quam erecta est, quæ meritorum altitudine omnem creaturam transcendent! Quam sublimis est, quam Altissimi Filius in dignissimam sibi matrem ab aeterno providit? Quam felix est, quæ Dei est, et mater, et sponsa, porta cœli, amoenitas paradisi, angelorum domina, regina mundi, sanctorum lætitia, advocata credentium, fortitudo pugnantium, errantium revocatio, pœnitentium medicina! O certa salus, o compendium vitæ, o spes veniae unica, o suavitas singularis! Mihi totum es domina; penes te bonorum omnium est mihi reposita plenitudo. Reconditi sunt apud te thesauri indificientes veritatis et gratiæ, pacis et misericordiæ, salutis et sapientiæ, gloriæ et honoris. Tu es mihi in fluctuatione anchora, in naufragio portus, in tribulatione subsidium, consolatio in dolore. Tu tuis es in oppressione subventio, in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia, in expectatione lætitia, recreatio in labore. Quidquid de laudibus tuis garrire possum, tua est laude minus, omni laude dignissima, sed tamen teneor te laudare. Si linguis hominum te eloquar et angelorum (*I Cor. xiii*), cum me totum effudero, parum erit. Ad illam potius tui laudem me transfero, quæ in amoris carmine sic cantatur: « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » (*Cant. vi*.) His verbis breviter et subtiliter, veraciter et sublimiter laus exprimitur tuæ gloriae quadriformis. Cum enim nasceris, quasi rutilans aurora consurgis. Orsus, nimirum, tuus vicem auroræ tenuit, in quo dies gratiæ coepit, nox vero infidelitatis et ignorantiae finem fecit. Cum Solem justitiæ concipis, more lunæ, ex fulgentis solis beneficio illustraris. Luna enim a sole lumen mutuat, quod ei natura spissioris corporis negat, unde quidquid habet pulchritudinis, habet ex beneficio mutuati splendoris. Cum Solem justitiæ paris, soli congrua similitudine compararis:

sicut enim de prolatore radio non corrumperit, aut minuitur solis corpus, sic te parientem non violat prolatio sacri partus. Jam quid, o electa ut sol, quid est partus tuus, nisi solis ejusdem splendor aeternus? Splendor hic ubique licet, etiam in tenebris, etsi tenebrae eum comprehendere non merentur (*Joan. i*). Denique splendor hic illuminat omnem hominem venientem in hanc mundum (*ibid.*); sed homines magis tenebras dilexere quam lucem. Tibi autem competit, mater misericordiæ, electio Solis, quæ splendoris radios exhibes universis.

Ceterum, cum de sæculo nequam assumpta es ad cœlestia, facta es omni spirituali nequitæ terribilis quasi castrorum acies ordinata (*Cant. vi*). Fueristi itaque quasi aurora consurgens in ortu. Luna plena pulchritudinem habuisti, dum gratia plena facta es, in Verbi incarnati conceptu. Soli merito comparata es, manens illibata in partu. Terribilis ut castrorum acies ordinata in transitu, quo cœlis lætantibus, angelis obsequentibus, sanctis exsultantibus, vexillis virtutum coruscantibus, terribilis dæmonibus apparuisti. Ubi tamen tota nobis est fiducia in partu nostræ Virginis, et licet existam indignus, laudibus tamen ejus insistere non desistam. Si indiges misericordia, apud viscera Virginis copiosior invenitur. Si veritatis cultor es, age gratias Virgini, quoniam tibi de terra virginæ carnis veritas orta est (*Psal. LXXXIV*), quam tu colis. Si pacis sectator es, nihil minus gratias age Virgini, quoniam tibi ex ea nascitur pax, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip. iv*). Si es executor justitiae, vide ne ingratis Virginis, quoniam ipsius utero mediante justitia de celo prospexit (*Psal. LXXXIV*). Si fides tua aliquo pravæ conscientiæ pulu quatitur, respice Virginem, et quod erat titubans solide stabilitur. Si concupiscentia carnis oblectat, Virginem respice, et periculum castitatis auferitur. Si mentem pulsat elatio, in Virginem verte intuitum, et de merito virginæ humilitatis tumor animi detumescit. Si iracundiae accensus es facibus, oculos leva ad Virginem, et de ejus tranquillitate mitesces. Si de via vitæ, vita te ignorantia aut error abduxerit, ad stellam maris Mariam respice, et in luce ejus ad veritatis semitam reduceris. Si vitium avariciæ idolatriam imperaverit, recole munificentiam Virginis, et cum paupertatis amore tibi veniet pietas largitatis. Ad omne periculum pietas Virginis subvenit, et potens est subvenire. Age gratias ejus partui, de cuius plenitudine charismatum universitas emanavit. Nobis peperit Virgo, noster est partus, nobis natus est puer, et filius datus est nobis.

### FRAGMENTUM III.

« Magnificat, inquit Maria, anima mea Dominum (*Luc. i*). » Attende primitus ubi magnificat Dominum. Certe in montanis, in civitate Juda, in domo Zachiæ. In montanis magnificatur Dominus, qui in

campestribus blasphematur. In campestribus erant, qui, secundum prophetam, et blasphemaverunt Sanctum Israel, et alienati sunt retrorsum (*Isai. i*). In campestribus, inquam, maledictionis et confusio- nis Adam et Evæ, qui, perdita carnis integritate, abalienati a veritatis altitudine, fecerunt sibi campestria: quippe qui veritatis montana perdiderant, et virtutis. De valle itaque mundanæ vanitatis, de profundo humanæ corruptionis, de campestribus communis iniquitatis et exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione (*Luc. i*). » Montana sunt, perfectionis fastigia. Fastigia ipsa sunt, veritas illuminatissimæ mentis, virginitas integrissimæ carnis, virtus Altissimi obumbrans (*ibid.*) ad gravitationem ventris. Hæc sunt montana, in quæ Maria descendit; hic est civitas Juda; hic domus Zachariæ. Civitas est hominum collectio numerosa sub una lege viventium. Populum hunc faciunt rationabiles Mariæ cogitationes, sanctæ virtutes, ordinatissimæ actiones, quas in confessione laudis divinæ lex ordinat charitatis. Juda quippe confessio dicitur; Zacharias, *memor Domini*; domus Zachariæ, est pectus virgineum, mandatorum Dei memoriae retentivum. In his mentanis posita Dei mater, dum audit, Elisabeth prophetante, quid futura sit; dum commemorat quid de Domino, Angelo nuntiante, audierit, dum conscientiae puritate attendit, dum carnem suam ab omni extraneam corruptione perpendit, dum se totam in sublime agi divinitus conspicit, jam sæculo altior, jam omnem creaturam merito vite, prerogativa singularisgratiae, immensitate lætitiae transcendens, canticum novum cantat Domino, dicens: « Magnificat anima mea Dominum. » Magnificat anima Mariæ Dominum, quia et ipsa magnificatur a Domino: nisi enim prius magnificaretur a Domino, non poterat magnificare Dominum anima Mariæ. Magnificat ergo eum, a quo magnificatur. Magnificat non solum laude oris, non solum sanctitate corporis, sed singularitate amoris. Multi magnificant lingua, sed blasphemant factis, perse- quuntur superbia cordis, de quibus scriptum est: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit. i*). » Isti non magnificant, sed, quantum in eis est, minorificant nomen Domini. Illi sunt, quibus Apostolus: « Blasphematur per vos, inquit, nomen bonum inter gentes (*Rom. ii*). » At in Maria magnificat lingua, magnificat vita, magnificat anima Dominum. Lingua, magnificientia divinæ sanctitatis, gloriæ laudibus eloquendo. Vita eamdem gloriam operibus promerendo. Anima singulariter diligendo, contemplationis volatibus attingendo, mente et ventre incomprehensibilem magnificientiam comprehendendo. Magnificante Domino Mariam, animaque Mariæ magnificante a Domini- num, sonuit vox Mariæ. Sed vox Virginis in virtute, vox Virginis in magnificientia (*Psal. xxviii*). « Magnificat anima mea Dominum. » Mirum valde est quod se magnificare Dominum dicat, cum in

ea, per eam, et propter eam minoratus sit paulo mi- nus ab angelis Dominus (*Psal. viii*). « Homo enim natus in ea (*Psal. lxxxvi*), homo factus est ex ea, et per hoc quod assumpsit ex ea, minor Patre, minor angelis, subditus hominibus inventus est Filius Dei. Quod assumpsit ex ea, forma est servi, ad quem suscipiendum, « cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum (*Philip. ii*), et qui erat in- comprehensibilis in se, factus comprehensibilis in Maria.

Quanta est minoratio, de incomprehensibili fieri comprehensibilem? minoratio hæc facta est in Ma- ria. Quomodo ergo anima Mariæ Dominum magnifi- cat, quem in tantum susceptio suæ carnis abbreviat? Verbum enim abbreviatum fecit Dominus super terram intra Mariam. Die ergo, Maria, quo- modo Deum magnificat anima tua? An fortasse, quem magnificie laudat anima tua, dispensatore abbreviat caro ex te suscepta? Ita plane est. Nam, et magnus, et parvus in te reperitur, qui immensus est. Magnus in anima, parvus in carne; magnus in altitudine dilatati per gratiæ plenitudinem animi, parvus inter angustias puella- ris uteri. Propterea magnificat anima tua Dominum, quia sui abbreviatione ita magnificat uterum tuum. In regis itaque magnificientiam tota dilatatur Maria, dilatatur spiritus, dilatatur uterus. Spiritus gauilio ine- narrabili, uterus conceptu ineffabili. Magnificat ergo Dominum exultatione devote mentis, quæ magnifi- catur a Domino in puro pondere casti ventris. Utre- bique portat Maria gaudium; et gaudium quo peccati tristitia aboletur, mundi luctus depellitur, planetus pœnalis absolvitur, cœlestis lætitia restauratur. Quid ergo Mariæ meus nisi schola virtutum, scela angelorum, eruditio hominum, piscina misericordiæ, respectus justitiae? Quid uterus Virginis nisi quadam summi Regis cathedra, unde cœlestis Sapientie edicta proponit, exempla virtutum ostendit, mundi sapientiam fatuam reddit? Habens proinde Maria penes se gaudium angelorum et hominum: « Magnificat, ait, anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meos in Deo salutari meo (*Luc. i*). » Attende quid dicit. Anima ejus magnificat Dominum, spiritus exsultat in Deo. Magnificat Dominum laudatio Mariæ, magnificat Mariam spiritus ejus exultatio; Spiritus Dei lætificat spiritum Mariæ; Spiritus Dei Spiritus sanctus est, Spiritus sanctus oleum invisible est. Tanto igitur verius, tanto gloriosius exsultat Maria, quanto præ eunctis mulieribus differentius est oleo invisibili uncta. Alioquin quomodo Christus de Virgine naseretur, nisi Virgo cœlesti oleo singulariter ungeretur? Virgo quippe prudentissima oleum in lampade habuit (*Matt. xxv*), cum gratiæ plenitudinem in spiritus puritate suscepit. Quid est, obseero, quod in Deo spiritus Mariæ exsultavit, nisi quod oleum lætitiae exhilarans interioris hominis ejus faciem, in lampade Virginis abundavit? Lan- pas sane est luxurians vas vitreum, desuper latum per

materiam, deorsum strictum per formam, fragile per naturam. Haec est vita Mariæ, cœlesti irradiata fulgore, plena oleo misericordiae, perspicua puritate, charitate superius dilatata, paupertate spiritus inferius districta, fortis in sexu femineo, qui fragilis est natura. Ecce habes sapientissimæ Virginis lampadem, habes et in lampade oleum. Vis etiam videre in oleo ferrum, in ferro scirpum, in scirpo ignem accensum? Ferrum, est durans et perdurans mentis humilitas; scirpus, est mansuetæ et sine nodo peccati virginitas. Ne igitur quæras nodum in scirpo. Alioquin si in Mariâ nodum criminis salus hominum invenisset, quomodo in ea et per eam, nodosum perplexitatem mundani criminis absolvisset? Igne in scirpo, est Deitas in Virginis utero.

Consumitur quidem visibilis scirpus ab igne, nec tamen violatur virginitas ab integratæ Auctore. Lampas igitur Mariæ infrangibilis, oleum indeficiens, scirpus inconsuptionib; ignis inexstingibilis. Miratur Moyses in deserto rumbum ardere et non comburi (*Exod. iii*); mirare tu in virgineæ lampadis oleo scirpum nullatenus ab igne consumi. Igne adhibito, perseverat integer scirpus; quia, Deum et hominem concipiente Maria, illibatum remanet virgineum corpus. Idecirco exsultat Mariæ spiritus, quia, superabundante in ea oleo lætitia, superveniente in ea Spiritu sancto, sine consumptione accenditur ejus scirpus, sine corruptione virginitas fecundatur. Idecirco exsultat. Ubi exsultat? In Deo salutari suo, non in rebus pessimis.

Nota, quia exsultatio alia mundi, alia Dei. Exsultatio mundi in tribus existit: in corporis incolumentate, in rerum prosperitate, in malitiaë impunitate. Exsultatio hæc, non est ex intimitate, sed foris in rebus pessimis; corporis hæc est exsultatio, non spiritus; ideo foris est et de exterioribus, non intus, de spiritualibus. Non est spiritus in Deo salutari, sed in desiderio sacerulari. Cæterum, « omnis gloria filie Regis ab intus (*Psal. xliv*) » est. « Exsultat, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo. » In tribus maxime Mariæ exsultatio perpenditur: quia de ancilla efficitur mundi regina, de paupercula Dei mater et filia, de nupta Virgo puerpera. Metire, si potes, quantum exsultationis hæc tria considerata Mariæ conferant. Sed ipsa licet honore præemineat angelis, licet innunsum illum, et attingentem a fine usque ad finem fortiter (*Sup. vii*) penes se habeat, tamen quanta sit spiritus ejus exsultatio metiri non potest. Exsultat ergo, etsi exsultationis suæ modum non proferat. « Quia respexit humilitatem, inquit, ancille Cœle (Luc. i.) » Ecce quanta Mariæ humilitas! Non ait sponsæ sue virginitatem, non sanctitatem matris suæ, sed « respexit, inquit, humilitatem ancille sue. » O respectum gratiae, quem non nisi humiles promerentur! O gratam humilitatem Mariæ, quam angelorum etiam sublimitas admiratur! O pretiosissimam virginitatem, quæ humilita-

tis merito partu divino secundatur! Sterilis esset virginitas, si humilitas defuisse. Nunc autem virginitati humilitas secunditatem tribuit: secunda virginitas humilitatem exaltat et extollit; quia « qui se humiliat exaltabitur (*Luc. xiv*). » — « Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ; » et juste quidem: Veritas quippe oriens de terra virgineæ carnis, respectum inerit justitiae de celo prospicientis. « Veritas de terra orta est, et justitia de celo prospexit (*Psal. lxxxiv*). » Veritas de terra oriens est verax et virens virginitas, quam sicut non falsavit interius consensus mentis, non corrumpit exterius libido carnis.

Respexit ergo Dominus, et descendit in hortum suum, unde spirabat hyssopus humilitatis, vernabat lilyum castitatis, et in medio rosa fragrabat amoris. Ipse respectus descensus fuit. Ex hoc respectu, ex hoc descensu, tanta Dei mater est gratia cumulata, ut vere beatificatam super omnes, beatam dicant omnes generationes (*Luc. i*); ubique prædicatur Mariæ gloria, ubique excellentia Mariæ attollitur; cuius memoria nil est dulcior, gratia nil salubrior, pietate nil efficacius, patrocinio nil tutius invenitur. Ipsa est porta cœli, portus naufragii, hortus paradisi, baculus, quo inmundus debilis sustentatur, virga qua corripitur iniquitas orbis, columba in qua manet Spiritus sanctus ad emundationem impietatis. Columba, inquit, est, cujus simplicitatis antidoto, venenati serpentis detegitur astutia multiformis. Hujus pennas columbae sibi dari poscebat qui strepitus mundanos fastidiens, secretæ cujusdam solitudinis spiritualem requiem sitiebat, dicens: « Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et velabo, et requiescam? (*Psal. liv*). Quid est « requiescam, » nisi dormiam? ubi dormiam, nisi « inter medios clerós? » (*Psal. lxvii*.) Inter medios enim clerós sentitur refrigerium, quod præstant « pennæ columbae, » et pennæ hujus columbae sunt « deargentatae, et posteriora ejus in pallore auri (*ibid.*). » Quid super hunc locum diversi doctores dixerint, legistis, ut arbitror; aut si non legistis, scrutamini Scripturas, et legit. Sed et audite etiam, ut petistis, non quod loquar ex me, sed quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal. lxxxiv*), sine quo nihil possumus facere (*Joan. xiv*). Pennæ hujus columbae duas sunt, sci. icet humilitas et virginitas. Deargentatae sunt, divino eloquio insignitæ. Argentum enim eloquium Dei est. Eloquium Dei Verbum Dei, Verbum Dei Filius Dei. Quid est igitur argentum in columbae pennis, nisi Filius Dei in Maria per præsentiam carnis? His pennis leves et expediti volant ad cœlum, his male deorsum astantibus refrigerii paratur nimbraculum. « Posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Ecce Maria nos præcessit ad gloriam, præcedente sequentes, quid de præcedente nisi dorsum videamus? Posteriora dorsi ejus nos sumus, quicunque post dorsum ejus relieti, aliquatenus imitari conamur. Faciem ejus in meritis, dorsum intellige in exemplis. Illa

premisit, ista nobis reliquit, ut ad humilitatis virtutem et munditiam castitatis informemur. Posteriora haec in pallore auri sunt. Per aurum, quo nullum in metallis pretiosius est, designatur Mariæ virginitas, qua nihil post Deum est excellentius. Aurum hoc habet splendorem, habet et pallorem: splendorem in veritate naturæ, pallorem in inutili superficie massæ: splendorem ergo naturaliter, pallorem accidentaliter. Splendor auri est castitas incorrupta, pallor est castitas post lapsum per continentiam reformatam. Utrumque est in auro Mariæ, et splendor et pallor, quia adhærendo ei, alii permanent in integritate corporis, alii eam de longe sequentes, etsi florem perdiderint virginitatis, castitatis tamen amore vincunt in se luxuriam carnis. Quid igitur? Si virginitate perdidimus, idcirco nequaquam ad Virginem, vel ad Virginis filium pertinemus? Ne desperes. Nam « posteriora dorsi ejus » sunt « in pallore auri. »

Æmulare continendo, per pallorem castitatis, splendorem aureæ virginitatis, et sic pertinebis ad posteriora dorsi, quæ sunt in pallore auri. Quam pulchra columba haec, et quam dives! Deargentata est in pennis, in posterioribus deaurata. In pennis sonat argentum euclæt, in dorso splendet aurum et pallat. Lux argenti refertur ad gratiam, sonus ad doctrinam, splendor auri ad sapientiam, pallor ad patientiam; pallor, qui est indicium vultus afflicti, designat patientiam in adversis exhibitam ex amore Dei. Ergo et gratiæ plenitudo, et doctrinæ rectitudine sunt in pennis columbæ, id est in virtutibus Mariæ; fulgor cœlestis sapientiae et pallor patientiae sunt in dorso columbæ, hoc est in externo actionis virginea. Sed quare in dorso aurum? Ut sequentibus, et dorsum solum intuentibus aurum ostendatur in dorso. Quid auro concupiscibilis? Quid in præcedenti dorso conspicabilis? Qui igitur aurum in dorso portat, sectatores et æmulatores habere desiderat. Æmulare ergo charismata meliora (*I Cor. xii*). Bonum est argentum, sed aurum multo melius. Bona est doctrina, sed longe melior sapientia. Doctrina enim sine sapientia est scientia inflans sapientia est charitas ædilicans (*I Cor. viii*). Sed ad hæc quis idoneus? Cui, inquam, datum est penitus has intueri et hoc aurum æmulari? Cui concessum est dormire inter medios clerós? Græcae locutionis usus est. « Inter medios clerós » dicunt pro hoc ut dicat Latinus, in medio clerorum. Cleros sors dicitur, sors hæreditas appellatur. Duæ sunt sortes, duæ sunt hæreditates filiorum hominum: una quam habent ex eo quod sunt filii Dei, altera quam habent ex eo quod sunt filii hominum; illa cœlestis, ista est terrena; illa animæ, ista corporis; illa futura, ista præsens; illa debet esse in desiderio, hæc in usu necessario. Qui igitur requiescit inter utrumque, inferioris strepitum fugiens, superioris quietem appetens, sic dormiendo videt speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum. Unde et David videns requiem quod esset

bona: « In pace in idipsum, ait, dormiam et requiescam (*Psal. iv*). » Unde etiam sequaces habere volens et socios suæ dormitionis: « Si dormiatis, ait, inter medios clerós pennæ columbæ deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Medium clericorum, ubi dormiendum est, charitas dici potest, per quam in animo mundi cupiditas tumultuosa sopitur, et æternæ hæreditatis quietum desiderium excitatur. Vis videre medium clericorum? Mediatrixem intuere Mariam. Ipsa media est inter cœlum et terram, media et mediatrix inter Deum et hominem. Medium intelligamus per condescensionis clementiam, quæ tantum supra cœlos elevata est per gloriam. In ipsa igitur quiescendum est, quia super ipsam requiescit Sp̄ritus almus, sine quo omnis sp̄ritus inquietus.

#### FRAGMENTUM IV.

Et quid dicit Mediatoris Sp̄ritus in Propheta? « Non habitabit, inquit, in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal. c*). » Dominus Mediatoris est Ecclesia, hujus domus medium est, aut Mediatoris mater mediatrix Maria, aut veritas anguli nescia, aut virtus mediae charitatis. Non igitur ad mediatrixem pertinet, non in veritate ambulat, non in charitate habitat « qui facit superbiam, » quam bonis iunivis communibus, et privatæ gloriæ cupidam sanctorum communio non admittit. Cum ergo Rex virtutum jure nomen Mediatoris obtineat, ipsaque regina virtutum Maria se exhibeat mediatrixem hominum, merito judex ecclesiasticus virtutibus operam dare debet, et per moderamen discretionis satagere, ne quis nimis faciat vel loquatur. Non enim frustra in medio duorum animalium cognoscitur Verbi incarnati infantia.

#### FRAGMENTUM V.

Adeo est formidolosa humilitas, ut nunquam de humili conscientiæ diversorio progredi tutum putet. Ibi stellam maris Mariam libere cogitat, ibi feliciter assistit partui Virginis, ibi beatæ illi infantiae delectabiliter adjocatur, ibi se totum Verbi coaptat cunabulis, mornum innocentia felici colludit infantiae, et in cordis jubilo piis vagitus combatbit. Pretiosissimis habet pro sericis illis adornari panniculis, quibus obvolvitur Verbum infans. Deinceps ad divinum illud pectoris sacrosancti sacrarium tota avilitate se convehit, et, quantum vacat, plena de cœlo ubera sugit. Talibus interim nutrimenti tenera deliciatur infantia, ut, cum in virum perfectum venerit, provectiorique astate profecerit, portare et peragere negotium crucis possit. Grandium sane hoc opus est, quos ætas virtutis provectior, exercitatos pro consuetudine sensus habens, de sapientiae studiis imbarbavit. Mecum optime agitur, si inter collectaneos suos me Jesus meus connumeret; si suscepto interdum ad matris ubera suæ definitionis sorbitiunculas partiatur. Ad hoc quippe Patris Verbum vitæ panis communii voluit in lacte carnis, ut qui, in forma Dei, cibus erat solidus an-

gelorum, per abbreviationem carnis exinaniret se in sorbitiunculam parvolorum.

## FRAGMENTUM VI.

Si durum visum fuerit itineris arrepti propositionem, ad nostræ Virginis confugimus auxilium, quia, cui se misericordissima illa in auxiliatricem præbuerit, in omni tribulatione et angustia fortis erit. Candorem lilioe ejus innocentiae trahamus in nos per munditiam conscientiae, nec desit nolis cum pudicitia carnis instantia fecundi operis, quo nono-retur fecunditas virginalis. Ad nostræ siquidem Virginis partum totum debemus habere respectum. Et si veri esse novitii, et vere innovari volamus, novi partus gratiae plenis desideriamus. Sicut enim per ipsam justificationis gratiam possumus obtinere, sic, ipsa duce, ad gloriam poterimus pervenire, ipso præstante, qui ex ipsa natus est Jesus Christus Dominus noster.

## FRAGMENTUM VII.

*Quasi oliva speciosa in campis (Eccli. xxiv).* Si Virginem nostram olivam dixerimus, erit oleum partus ejus. Virgo sane nostra est oliva speciosa in campis, quia gratia ejus, et misericordia omnibus est communis. In campis posita florem campi protulit, ex cuius amoenitate pulcherrima campestria sibi humanæ turpitudinis nuditas procuravit. Campestria sunt perizomata velamenta turpitudinis, quæ de flore isto sibi consunt, quicunque per fidem et amorem virginei partus criminum verecunda deponunt. Est etiam speciosa in campis, quia Ecclesiarum pulchritudo specialis. Speciosa quippe facta est, et suavis ex qua speciosas forma præ filiis hominum (Psal. xliv) nascitur sanctæ suavitas unctionis. Christi Ecclesie campi congrue dici possunt, quos disciplinæ cœlestis aratum colit, doctrina Evangelii serit, justitiae execucio fertiles reddit. In his campis est oliva fructifera, mater misericordiae Virgo Maria. De oliva profuit pinguedo olei, fundit gratiae plenitudinem, misericordiae unctionem profert mater Christi. Quam jucundum, quam suave est illi cohærere, quam salutiferum intra puerperæ diversorum remorari! Si infirmus es, de diversorio illo abundanter profuit oleum infirmorum. Si sanus es, et de testimonio conscientiae arridet tibi justitiae sanitas, oleum latitiae suscipis ex Maria. Species morum, operum decor, messorum gloria, totum de gratia Mariæ suscipitur, cum amat. Cum enim plena sit gratiae et tota misericordiae deliciis affluens, nihil gratiae omnino

accipimus quod nobis non conferat partus ejus. Nostra est Virgo, nostra sunt Virginis viscera, noster est Virginis partus, nostra sunt que penes illam de cœlestibus actitantur. Periculoso est ergo ad punctum ab illa discedere, apud quam nostra suavitatis delicie reponuntur, divitiae salutis, sapientia et scientia, penes Virginem nostris usibus reservantur. In partu nimirum Virginis thesauri sapientiae et scientiae ad locupletationem pauperum absconduntur (*Coloss. ii*). « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum (*Psal. xi*), » venit de corde Patris Christus in eorū Virginis, et in Virginis utero pauperum gazophylacium collocavit. Inde pauperes spiritu locupletati sunt, quos mundi superbia, vanitate et mendacio non ditavit. « Filii hominum, usquequo gravi corde (*Psal. iv*), » a corde Virginis elongatis? « Utquid diligitis vanitatem, et queritis mendacium (*ibid.*), » cum intra nostræ Virginis uterum mirificavit Dominus sanctum suum? (*Ibid.*) Cor non properatis ad oleum? Vestrū est quod hic agitur, nulla enim ratione dives omnium Deus pauper fieret nisi ut se pauperibus coaptaret. Nulla ratione olivam fructiferam in campis poneret, nisi ut misericordiam Virginis communem omnibus exhiberet. Hinc est quod non regibus in palatis, non divitibus in urbibus sui mysterii hujus ratio primo innotuit, sed pastoribus, qui in campis erant, qui supra gregum suorum custodiā vigilabant (*Luc. ii*). O salvantis benignitas! o nascentis miseratione! o puritas et pietas parentis! o utinam essem de parvulis, quibus haec revelata et acta sunt, ut philosophari interim de aliis non liberet! Quid dulcius quam Verbi inesse cunabulis, quam in diversorio Christi seriatum et liberum esse, et infantiae colludere tam felici? Ignoscite, queso, ignoscite pueri, si ubera de cœlo plena non deserit, si sacrosanctum pectoris virginalis sacrarium non dimittit. Ad incontaminata vestigia Virginis piscina posita est pietatis, ubi pueri balneantur. Nostis autem hujusmodi frequentiori lavacro indigere, facillime sordes contrahit, et opus est ut materna sollicitudine consuetiori balneo diluantur. Proinde a contubernio sacræ Virginis longe procedere tutum non arbitror. Quis enim mihi provideret in talibus, si indulgentissimæ matris misericordiam elongarem? Tenebo illam, non discedam ab illa, quia si misericordiae ejus sollicitudo defuerit, facile fecero abortivum,

## INNOCENTIUS III PAPA.

## SERMONES IN SS. DFI GENITRICEM MARIAM.

## IN NATIVITATE SANCTÆ MARIE.

*Egredietur virga de radice Jesse, et flos ēē radice ejus ascendet (Isa. xi).*

In verbis propositis tria præcipue considerare debemus, radicem, virgam et florem. Radix, David; virga, Virgo; et flos est Christus. Dicitur autem David radix Jesse, non a quo ille sed qui ab illo processit, quemadmodum ipse Christus radix

Jesse nuncupatur : « Erit, inquit, radix Jesse qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt (*Rom. xv.*). » Diverso quippe respectu et Pater dicitur radix Filii, et Filius dicitur radix Patris. Quemadmodum et Christus dicitur semen Abrahæ : « Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes (*Gen. xxii.*). » Sed dices, cum promissio de incarnatione Christi prius facta fuerit Abrahæ quam David, cur potius de radice Jesse quam de radice Abrahæ Christus dicitur nasciturus? Reddatur haec triplex ratio, nisi melior reddi possit. Respondeatur, hoc dictum propter excellentiam dignitatis, propter expressionem similitudinis, et propter firmitatem promissionis. Licet enim Abraham fuerit dignitatis, utpote præcipuus patriarcha, majoris tamen fuit dignitatis David veluti excellentissimus regum et eximius prophetarum. Ipse quidem fuit primus rex electus et confirmatus a Deo, nam Saul electus non fuerat sed extortus, qui confirmari non meruit, sed potius reprobari. Unde quamvis in generationis serie quatuordecim a David usque ad transmigrationem Babylonis reges exstiterint, Matthæus tanien antonomastice solum David regem appellat. Et quamvis Debora prophetissa et Samuel propheta ipsum præcesserint, et multi alii prophetæ ipsum fuerit subsecuti, antonomastice tamen David appellatur propneta, sicut Paulus apostolus, quia cæteri quasi per figuræ et visiones, per somnia in enigmate prophetaverunt, huic autem aperte revealatus est spiritus prophetæ. Unde dicebat : « Super senes intellexi (*Psal. cxviii.*) ; » et : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal. lxxxiv.*). »

Expressior quoque similitudo inter David et Christum, quam inter Christum et Abraham iuvenit. Unde frequentissime in Scripturis per David intelligitur Christus. De illo siquidem legitur : « Inveni David servum meum, oleo salutis meæ unxi eum (*Psal. lxxxvii.*). » Et adhuc dicitur : « Unxit te Deus, Deus tuus oleo salutis præconscriptibus tuis (*Psal. xliv.*). » Hic ergo processit de illo, propheta videlicet de propheta, rex de rege, unctus de uncto, Jesus Nazarenus quem unxit Deus Spiritus sancto (*Act. x.*); qui de se dicit : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc. iv.*) ; » qui habet in vestimento et in femore suo scriptum Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc. xv.*); de quo alibi dicitur : « Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et iustitiam in terra (*Jer. xxiii.*). » Propheta magnus de quo locutus est Moyses : « Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audite (*Deut. xviii.*) ; » et alias : « Ecce veniet propheta magius, et ipse renovabit imperium (*Ecli. xlvi.*). » Revera magnus quia Dominus prophetarum de quo in Evangelio dicitur : « Prophetæ magnus surrexit in nobis (*Luc. vii.*). » Licet enim Abrahæ fuerit re promissum : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen. xxii.*) ; » propter quod et Apo-

stolus ait, quia « Deus non angelos, non archangeli sed semen Alvhæ apprehendit (*Hebr. ii.*) ; » evidenter tamen et affirmatus et expressus fuit hoc re promissum David non simplici verbo sed interposito saramento : « Juravit, inquit, Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psalm. cxxxi.*). » Multi siquidem jurant, sed non veritatem; et multi jurant veritatem, sed illam non servant. Deus autem et juravit David, et veritatem juravit, et illam veritatem servavit; quia non frustrabitur, inquit, eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam; non tuam dico sed meam. Unde eum cœlum mihi sit sedes, illum profecto non tam super tuam terrestrem quam super meam cœlestem sedem constituam, ut sedeat ipse homo a dextris meis.

Et propterea in genealogia Christi David præmittitur et præponitur Abrahæ. « Liber, inquit, generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham (*Matth. i.*). » Isti sunt duæ columnæ quas verus pacificus in vestibulo templi posuit ante ostium, quas ambit funieulus duodecim cubitorum, de quorum medio Christus ostium aperitur; qui de se dicit : « Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et paseua inveniet (*Joan. x.*). » Unam columnam, id est David, ambo funieulus duodecim cubitorum, id est cœtus duodecim patriarcharum. Sicut enim ex Abraham duodecim patriarchæ nepotes ipsius carnaliter deseenderunt, sic etiam a David duodecim prophætæ imitatores ipsius spiritualiter præcesserunt. David itaque radix est, de qua evangelieus propheta prædixit : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Haec est « virgula funi ex aromatibus myrræ et thuris (*Cant. iii.*) ; » virga quæ floruit et protulit fructum, quia virgo eredit et concepit et peperit Christum. De hac virga Balaam prophetavit dieens : « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et de Jacob erit qui dominetur (*Num. xxiv.*). » Stella, id est Maria, quæ stella maris interpretatur, eademque virga quæ protulit hunc florem, et ipse est qui « dominabitur a mari usque ad mare, et a lumine usque ad terminos orbis terræ (*Psal. lxxi.*) ; » nam « Dominus nomen est ei (*Psal. lxvi.*) ; » virga humilitatis, virga virginitatis et virga secunditatis, quæ tria in verbis propositis congrue designantur. Cum enim audis radicem, humilitatem intellige; cum audis virgam, virginitatem agnosce; cum audis florem, secunditatem intende. In his sane tribus haec virga præcipue commendatur. Unde eum angelus de secunditate prædixit : « Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa. vii.*) ; » et illa ei de virginitate respondit : « Quomodo sicut istud? quoniam virum non cognoscere (*Luc. i.*) ; » intelligens tandem quod nec virginitas impedire fecunditatem, nec secunditas auferret virginitatem, angelo protestante quia « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » protinus de humilitate

conclnsit : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ; respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*ibid.*). »

Nec est virga indignationis et ultionis; de qua legitur : « Virga furoris et correptionis et destructionis meæ Assur (*Isa. x.*). » — « Et visitabo in virga iniurias eorum (*Psal. LXXXVIII.*). » Non est virga correptionis et destructionis, de qua legitur : « In virga veniam ad vos (*I Cor. iv.*). » — « et qui parcit virgæ, odit filium (*Prov. xiii.*); » sed est virga sustentationis et consolationis, de qua potest intelligi : « Virga et baculus tuus ipsi me consolati sunt (*Psal. xxii.*). » De hac virga processit virga veritatis et potestatis de qua legitur : « Virgam virtutis tuae emitte Dominus ex Sion (*Psal. cix.*); » — « et reges eos in virga ferrea (*Psal. ii.*). » Virga per quam verus Moyses fecit prodigia in Ægypto et in deserto. Profecto virga de radice Jesse. David ergo est radix Christi. Nam, ut inquit Apostolus : « Factus est ex semine David secundum carnem (*Rom. i.*). » Christus autem est radix Ecclesie, de quo legitur : « Ascendit sicut virgulæ coram eo, et sicut radix de terra sitienti (*Isa. LIII.*). » Ecclesia vero est radix sanctorum, de qua dicitur : « Si radix sancta, et rami (*Rom. xi.*), id est ministri. Est præterea radix honorum perseverantia, de qua legitur : « Hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt (*Luc. viii.*). » Radix fides prædicatorum, de qua dicitur : « Si seminaverit in terra, radix ejus ad odorem aquæ germinabit (*Job xix.*). » Radix virtutum fides, de qua dicit Apostolus : « In fide radicati et fundati (*Ephes. iii.*). » Vel humilitas, de qua dicitur : « Justus radicem suam mittit deorsum (*Isa. xxvii.*). » Radix autem sapientiae verbum Dei non est in excelsis. Ergo radix iniquorum diabolus, de qua dicitur : « De radice colubri egredietur regulus (*Isa. XIV.*); » et alibi : « Radix juniperorum erit cibus eorum, et radices ejus densabuntur super acervos petrarum (*Job xxx.*). » Contra quam dicitur : « Securis ad radicem posita est (*Matth. iii.*). » Est præterea radix mala obstinatio in peccatis, vel terrenorum amor, de quo dicitur : « Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim (*Job v.*). » Sed « omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicatorum (*Matth. xv.*). » Econtra de sapientia legitur : « In electis meis mitte radices, et radicavi in populo honorificato (*Ecli. xxiv.*). »

Sequitur : *Et flos de radice ejus ascendit.* Quid est hoc quod flos non dicitur ascendisse de virga, sed potius de radice, de qua et virgo processit? Sane propheta Spiritu sancto plenus dicere maluit quod flos de radice ejus ascenderet, quam de virga; videlicet ad distinguendum gradus ascensionis, ad designandum sublimitatis fastigium, et ad perimenendum virus erroris. In genealogia siquidem Christi viginti octo sunt gradus ascensionis de radice us-

que ad virginem, id est a David usque ad virginem Mariam, de qua natus est Christus, qui vocatur Jesus (*Matth. i.*). Et per hos gradus ascensionis flos de radice ascendit a virgam, in qua terminatur ascensus. Et quamvis secundum naturam carnis Christus descendit de David, ipse tamen incorporaliter super illum secundum excellentiam dignitatis ascendit. Ideoque signanter et ipse propheta prædictit quod flos de radice ejus ascenderet, ut solium ejus intelligatur longe sublimius throno David; tanto siquidem excellentius quanto differentius pre illo nomen hereditavit. Unde bene dictum est per prophetam : « Super solium David, et super regnum ejus (*Isa. ix.*). » Non dicit in solio, sed *super solium*; nec dicit in regno, sed *super regnum*; ut ostendatur quod illud fuit terrenum et temporale, istud autem æternum est et coeleste. Ad quod referendum est illud, quod angelus inquit ad virginem : « Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc. i.*); » ut significans pro significato ponatur.

Per hoc etiam quod flos de radice dicitur ascendisse, perimitur error impii Manichæi, qui præsumpsit asserere quod Christus non habuit naturalem et veram carnem sed umbratilē et phantasticā; quod inde fallaciter colligebat, quia non de carne nec de sanguine, sed de Spiritu sancto dicitur esse conceptus. « Quod autem natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (*Joan. III.*). » Contra quod expressive loquens propheta præfixit : *Flos de radice ejus ascendit*; ut ostendat radicem et florem ejusdem esse nature; sieque Christum existere verum hominem, sicut David existit verus homo. Præterea ne putaretur quod Maria adoptione de una familia ad aliam esset assumpta, sicut aliquando virga per insitionem de una radice in aliam radicem assumitur, ut propheta designaret certius et expressius veritatem, dicit quod *flos de radice ejus ascendet*. Nam et sicut David post multas persecutiones regnavit, sic et Christus post passionem suam in gloriam Patris intravit.

Per genealogias autem, quas Matthæus et Lucas describunt, non videtur esse probatum quod Maria fuerit de stirpe David, sed neque de tribu Juda, habito etiam pro constanti quod secundum legem personæ diversarum tribuum sibi in matrimonio conjungantur, nec conjungantur passiones et sortes. Nam duæ tribus sacerdotalis et regia, licet sibi jungantur ad invicem fœdere conjugali; unde Maria legitur suis cognata Elisabeth quæ erat de filiabus Aaron; et sic poterat licite conjungi Joseph qui erat de stirpe regia, de domo videlicet et familia regis David. Sed concessò quod Joseph et Maria fuerint contribules, de tribu videlicet Iude, non tamen probatur suis de eadem familia; quia sicut Joseph descendit de stirpe David, sic et Maria potuit descendisse de progenie femoris ipsius, vel etiam de aliis familiis tribus ejusdem. Ideoque prophete Spiritu sancto pleni voluerunt aperte prædicere

Christum de stirpe David et de semine regio nasciturum, sicut dicit Isaías, *egredietur, inquit, virga de radice Jesse*, id est de rege David, qui fuit utique Jesse filius et regis stirpis, et *flos in Christo de radice ejus ascendet*. Et alibi : « Suscitabo David gerumen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra, et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster (*Jer. xxiii*). » Ubi in Latino ponitur *Dominus*, in Hebreo ponitur *Adonai*, quod est nomen Dei, et in Hebreo non ponitur nisi pro Deo. Unde probatur quod hoc gerumen David videlicet Christus est Deus. In Apocalypsi quoque unus de senioribus dixit Joanni : « Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, etc. (*Apoc. v*). » Paulus quoque ad Timotheum : « Memor esto Dominum Jesum Christum surrexisse a mortuis ex semine David secundum evangelium meum (*II Tim. ii*). » Per id tamen quod in fine legitur numerorum de filiis Machir, et de filiabus Falsaath potest sufficienter ostendi quod mulieres illae quae partem hæreditatis habebant, debebant nubere viris non solum de sua tribu, sed etiam de eadem familia. Unde scriptum est ibi : « Omnes viri ducant uxores de tribu et cognatione sua, et cuncte feminæ maritos de eadem tribu accipiunt, ut hæreditas permaneat in familiis (*Num. xxxvi*). » Joachim autem et Anna masculum non habuerunt hæredem, sed eorum primogenita fuit virgo Maria. Unde incunetanter ad eam pars hæreditatis præcipua pertinebat. Quare cum sancta nupserrit justo, profecto secundum legem nupsit viro de eadem tribu; et ex eadem tribu et familia fuit virgo Maria.

Sed quomodo florem istum ascendiisse dicunt, et non potius descendisse, cum Christus in quantum est incarnatus, descenderit potius quam ascenderit. Nam ipse est panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan. vi*). Qui etiam de se dicit : « Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (*Joan. v*). » Et ad quem dicitur per prophetam : « Utinam dirumperes cœlos et descenderes! (*Isa. lviv*). » Hoc autem ad conservandam proprietatem sermonis, quia sicut in propagatione generis fit ascensus, unde cum de germine loqueretur, ascensionis voluit et debuit uti verbo; nam et de inferiori futurus erat ad superiorem progressus, ideoque dicendus erat ascensus. Verumtamen qui descendit, idem est qui ascendit, sicut ipse testatur in Evangelio : « Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan. iii*). » Nam a summo cœlo egressus ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus. Audi descensum : « Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; exinanivit se, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil. ii*). » Sed audi quantum ascendit : « Propter quod, inquit, exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen quod est super

omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu fleatur cœlestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Phil. ii*). »

Nec mireris si flos iste descendendo ascendit, quia cum ipse sit verus Deus et homo, ipse idem ascendit in quantum est homo Deus. De quo ascensu dicitur per prophetam : « Ascendet Deus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isa. xiv*). » Ergo de radice ejus ascendit. Hic in Canticis de se dicit : « Ege flos campi, et lily convallium (*Cant. ii*). » Sane sunt flores veritatis et gratiae, et sunt flores vanitatis et culpæ. De primis legitur : « Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo (*ibid.*). » Circundabant eam flores rosarum, et lilia convallium. De secundis dicitur : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum (*Isa. xl*). » — « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job xiv*). » — « Mane floreat, et transeat, vespera decidat, induret et areseat (*Psal. lxxxix*). » De istis legitur : « Coroneinus nos rosis antequam marescant, nec pertranseat nos flos temporis (*Sap. ii*). » De illis dicitur : « In atris domus Dei nostri florebunt (*Psal. xix*). »

Caeterum iste flos gloriae, iste flos nitorum venit plantare primas et eradicare secundas, plantare virtutes et vitia extirpare. O si hunc florem digne laudare possemus! et si non digne, vel non indigne! Certe flos iste speciosissimum habet colorem, suavissimum habet odorem, et dulcissimum habet saporem. Unde nos, fratres charissimi, etsi non quantum volumus, quantum tamen valemus, prospiciamus hujus floris colorem delectabilem et decorum; sumamus hujus floris colorem recreabilem et amorem; gustemus hujus floris saporem delectabilem et sincerum. De hujus floris colore sponsa dicit in Canticis : « Dilectus meus candidus et rubicundus (*Cant. v*); » Candidus in conceptione, rubicundus in passione. Cum enim ipse sit candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis ipsius, profecto non potuit alicujus peccati macula majestas Dei et imago bonitatis obscurari. Et ideo « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr. ii*). » Sed neque peccatum contraxit, quia quod non rapuit, hoc exsolvit. Nam mater ejus Maria inventa est in utero habens de Spiritu sancto, sicut ei angelus praedixerat : « Spiritus sanetus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » ideoque quod orietur ex te, omnino mundum, omnino candidum, « vocabitur Filius Dei (*Luc. i*). » Dominus enim decorum induit. Ad quem dicit Prophetus : « Speciosus forma præ filii hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; specie tua et pulchritudine tua intende prospere

procede et regna (*Psal. xliv.*) . Tu enim es sol iustitiae (*Malac. iv*), tu et lux vera quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (*Jean. i*); et cuius pulchritudinem sol et luna mirantur; et in quem desiderant argeli prospicere (*I Petr. i*), et admirando dicentes: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est indumentum tuum quasi calcantium in toreulari? (*Isa. lvi.*) . » Nam, ut alibi legitur: « Vestimentum ejus fuit aspersum sanguine (*Apoc. xix*), non utique inquinante sed emundante, secundum quod legitur, quia et layerunt stolas suas et candidas eas fecerunt in sanguine agni (*Apoc. xxii*). » Et licet per ignominiam despabilis passionis indecorus et ingloriosus videretur, propter quod inquit de eo propheta, vidimus eum non habentem speciem neque decorum, ipsius tamen decor et species eum non apparebat nihilominus permanebat.

Unde illos iste non defloruit nec effloruit, sed floruit et restoruit; floruit in conceptione immunis a culpa, ipso per Psalmitam testante: « Restoruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi (*Psal. xxvii*). » De hujus etiam floris dolore Sponsa dicit in Cantico: « Meliora sunt ubera tua vino, sicut unguentum optimum. In odore unguentorum tuorum currimus (*Cant. i*). » Hinc etenim sapientia Dei de se dicit: « Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrra electa dedi suavitatem odoris (*Ecli. xxiv*). » Hujus odorem floris praesentiens Isaiae in Spiritu sancto dicebat: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen. xxvii*); et cuius odore resurgunt mortui, sanantur agroti, et confirmantur infirmi. Ceterum iste flos est procul dubio panis vivus qui de celo descendit, omne delectamentum in se habens, et omnis saporis suavitatem (*Sap. xvi*); super mel et favum dulcis animae diligenter (*Ecli. xxiv*); de quo dicit Psalmographus: « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (*Psal. xxxiii*). » Et de quo Petrus apostolus ait: « Si tamen gustastis quam suavis est Dominus (*I Petr. ii*). » Hic ipse flos sapientia Dei dicitur: « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient (*Ecli. xxiv*). » Quia tanta est hujus floris dulcedo, quod saturitas provocat famem, et ebrietas sitim inducit. Beati oculi qui florem istum et nunc intuentur per fidem, et tandem contemplabuntur per speciem! videntes eum non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem (*I Cor. xiii*) oculis corporis hominem, oculis cordis Deum; ad cuius visionem perpetuam ipse misericorditer nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto, etc. (*Serm. 41.*)

## II.

### IN SOLEMNITATE PURIFICATIONIS GLORIOSISSIME SEMPER VIRGINIS MARIE.

*De litteris, signis, et nuntiis ante Christi adventum præmissis: de tribus trium nuntiorum viis, et tríplice pace: cur in Purificatione cœros portamus accensos: item de tríplice adventu Domini, et tríplice templo ad quod venit, et de templi ædificatione.*

*Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam*

*ante faciem tuam: et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos queritis, et angelus testamenti, quem vos vultis (*Malac. iii*).*

Rex regum et Dominus dominantium pro salute populi sui venturus in propria sui eum recepturi non erant (*Joan. i*), ne de ignorantia sui adventus excusationes in peccatis assumerent, adventus sui signa præmisit, litteras illis direxit, et ante faciem suam nuntios destinavit. His enim tribus, videlicet litteris, signis, et nuntiis, suum liquido declaravit adventum. Non enim solus aut subitus debuit venire, qui cum venisset, binos et binos ante faciem suam legitur destinasse. Præmisit itaque signa, id est mysteria figurarum; direxit litteras, id est testimonia Scripturarum; destinavit nuntios, personas videlicet prophetarum. Præsignatus est etenim in figuris: ut Isaac natus de sterili (*Gen. xxi*), præsignavit Christum nasciturum de Virgine. Virga fronduit (*Num. xvii*) et attulit fructum, quia concepit Virgo, et peperit Christum. Hoc ipsum ignis in rubo (*Exod. iii*), manna in deserto (*Exod. x*), pluvia in vellere præsignavit (*Judic. vi*). Prenuntiatus est in Scripturis, nt in Genesi: « Non auferetur scepterum de Jada, et dux de fenuore ejus, donec veniat qui mittendus est: et ipse exspectatio gentium (*Gen. xlvi*). » Et alibi: « Veniet Dominus sieut querens, qui est in Silo, cum ex semetipsa fuerit in duodecim partita (*Amos. ii*). » Et in secretis Jeremiah: « Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Barnec. iii*). » Annuntiatus est per prophetas, ut Isaías: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa. viii*). » Et Habacuc: « Si moram fecerit, exspecta eum; quia veniens veniet, et non tardabit (*Habac. ii*); et Daniel: « Septuaginta hebdomadæ abbreviatae sunt, ut consummetur prævaricatio, et adducatur justitia sempiterna, et ingatur Sanctus sanctorum (*Dan. ix*). » Porro tam manifesta signa Synagogæ misera non notavit, tam apertas litteras Judæa caeca non intellexit, tam veridicos nuntios populus incredulus non accepit, et ideo cum e venit in propria, sui cum non repperunt (*Joan. i*). » De quibus per prophetam conqueritur, dicens: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit (*Isa. i*). » Hinc eis dicit in Evangelio: « Si crederetis Moysi crederetis utique et milii (*Joan. v*). De me enim scripsit ille: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, etc. (*Deut. xviii*). » Rursum: « Videlitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros, et non credetis vitae vestrae (*Deut. xxviii*). » Hos autem nuntios longe ante præmisit. Novissime vero eum jam venturus esset, in proximos tres egregios et illustres nuntios destinavit. Primus præparavit viam incarnationis, secundus viam nativitatis, tertius viam prædicationis. Per primam viam venit ad templum salutare, per secundam venit ad templum materiale, per tertiam venit ad templum spirituale. De primo nuntio legitur in Evangelio: « Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Ga-

lilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen virginis Maria. Et accedens ad virginem, eam suaviter salutavit: Ave, inquit, grātia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc. 1.*). » Ave, quia per te mutabitur nomen Evæ. Illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia. Illa recessit a Deo, sed Dominus tecum. Illa fuit maledicta in mulieribus, sed benedicta tu in mulieribus. Fructus ventris illius fuit maledictus Cain, sed fructus ventris tui erit benedictus Jesus. Per illam mors intravit in orbem, sed per te vita rediit ad orbem; quia tu concipies et paries filium, et vocabitur nomen ejus Jesus (*ibid.*). « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Math. 1.*). » Salutatione præmissa, statim Domini sui prænuntiavit adventum: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc. 1.*). » His ita peractis, statim Spiritus sanctus advenit, et triplicem viam ante faciem Domini præparavit. Prima fuit virginalis consensio, secunda fuit carnalis mundatio, tertia fuit corporalis formatio. Prima fuit consensus mentis in virgine, secunda fuit mundatio carnis a somite, tertia fuit formatio corporis ex purissimo sanguine. Cum enim angelus admiranti virgini medium conceptionis et ordinem indicasset, statim illa suum desiderium iagrans ardore, consensit, et instinctu Spiritus sancti respondit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Beata quæ credidit, quoniam omnia completa sunt ei. Non enim auctor fidei concipi potuit de incredula; ideoque primam viam, scilicet consensum virginis oportuit præparari. Statim autem Spiritus sanctus supervenit in eam; prius quidem in eam venerat, cum in utero matris animam ejus ab originali peccato mundavit, sed et nunc supervenit in eam, ut carnem ejus a somite peccati mundaret, quatenus esset sine ruga prorsus et macula. Tyrannum itaque carnis, languorem naturæ, somitem peccati, sicut opinor, in ea prorsus extinxit; ut de cætero non posset in membris ejus surgere motus ex lege peccati, contra legem iustitiae, neque caro concupiscere posset adversus spiritum, in qua « pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum (*Phil. 4.*)», debebat corporaliter habitare. Ideoquæ secunda via, scilicet carnis mundatio, debuit præparari. Mox autem de purissimis sanguinibus gloriosissimæ virginis, corpus redemptoris spirituali quadam operatione formavit, et sine temporis interstitione, novam animam infundendo creavit, quam una cum corpore Verbum assumpsit, et factum est homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. Hac ergo triplici via Domino præparata, statim virtus Altissimi descendit in eam, et univit se corpori anima mediante. Mediat autem anima non solum per unionem, verum etiam per naturam. Divinitas enim penitus est simplex, nam et caret multiplicitate partium, et habet concretionem proprietatum. Corpus autem prorsus est compositum; nam et habet multiplicitatem partium, et habet concre-

tionem proprietatum. Annæ vero partim est simplex, quia caret multiplicitate partium, ut divinitas; partim composita, quoniam habet concretionem proprietatum, ut corpus. Hinc itaque legitur tantæ subtilitatis esse divina natura, ut corpori de limo terræ formato uniri non congruerit, nisi rationali essentia mediante. *Statim ergo venit ad templum sanctum suum, templum videlicet salutare.* De quo dicit in Evangelio: « Solvite templum hoc, et in triduo excitatob illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui (*Joan. 2.*). » Hoc templum est sanctum, id est sanctificans; non autem sanctificatum, id est a peccato mundatum: eo quod iniuriam non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus (*Isa. LIII.*). Sed neque peccatum contraxit, quia quod non rapuit, hoc exsolvelat (*Psal. LXVII.*). « Ascendit enim Deus nubem levem, id est assumpsit carnem a peccato immunem, et intravit Aegyptum (*Isa. XIX.*), id est venit in mundum. Venit autem per incarnationem; quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan. 1.*). » — « Exinanivit enim se formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Phil. 2.*). » Porro sicut non venit subitus, ita nec solus. Venient enim cum eo spiritus potestatis et spiritus charitatis. Ex potestate valuit, ex charitate voluit incarnari. De potestate legitur: « Omnipotens sermō tuus, Domine, a regalibus sedibus venit (*Sap. XVIII.*), insimulatum portans imperium. Et quæ major potentia, quam quod aeternus fecit se temporalem, simplex compositum, et immortalis mortalem? Certe non est impossibile apud Deum omne verbum. Cum ergo maius fuit Deum hominem fieri, et de virgine concipi, quam Deum hominem factum de virgine nasci: quid est ergo, quod nativitas Christi majori solemnitate recolitur, quam ejus conceptio? An quia conceptus occultus, et partus exstitit manifestus; vel potius ratione mysterii, quia quod virgo concepit Christum per carnem in utero, significabat quod fidelis anima debet conceperc Christum per fidem in animo? Quod virgo peperit Christum in saeculo, significat quod fidelis anima debet parere Christum in opere. « Fides vero sine operibus mortua est (*Jac. 2.*). » Vivit autem, cum fides per dilectionem operatur. Ideoque magis partus, quam conceptus solemnis habetur. De charitate legitur: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro mundo (*Joan. III.*). » Filium dedit, non servum; unigenitum et optimum dedit, non reddidit: quia non ex operibus iustitiae quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit (*Tit. III.*). Nec tamen dedit, sed tradidit: quia « proprio Filio suo non peperit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom. VIII.*). » — « Majorcum autem charitatē nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan. XIV.*). » O inestimabilis Dei charitas, quæ fecit hominem sive hominem, factus est homo pro hominae. Hinc etiam de Spiritu sancto natus asseritur, non quod ipso

paternaliter generante, sed quod eo spiritualiter operante natus sit Christus de virgine. Licet enim indivisa sint opera Trinitatis, opus tamen dilectionis Spiritui sancto specialiter attribuitur, qui est dilectio Patris et Filii, amor et connexio utriusque. Sed in incarnatione charitas evidenter elucet, non solum quia Deus ineffabili charitate Filium suum unigenitum incarnavit, verum etiam quia virgo ex nimio charitatis ardore Dei Verbum concepit, cum ait: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc. 1*). » Habetis itaque primum nuntium, priam viam, primum adventum, et primum templum.

Sed post primum nuntium venit secundus, qui apparet pastoribus ait: « Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est Christus Dominus in civitate David (*Luc. 2*). » Hie quoque triplicem viam ante faciem Domini præparavit. Primam, præparando famulum in obsequio; secundam, præparando locum in diversorio; tertiam, præparando cunabulum in præsepio. Apparuit enim angelus Domini Joseph in somnis, dicens: « Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (*Math. 1*). » Disposuit sane cœlestis altitudo consilii, ut virgo sponsum haberet, non solum ut tolleret fornicationis opprobrium, non solum ut falleret fallacem diabolum, verum etiam ut esset virginis ad solatum, et ut parienti præberet obsequium. Postundum autem inter frequentiam multitudinis, quæ ad profundum convenerat, locum scilicet arctissimum parienti virginis præparavit. De quo dicit evangelista: « Quia non erat ei locus, » alias scilicet, « in diversorio. » Tandem vero præparavit illi cunabulum in præsepio, in quo virgo puerum reclinavit (*Luc. 2*). De quo dicit propheta: « In medio duum animalium innotesceris (*Habac. 3*). » Non enim est incredibile, quin hoc ille præparaverit, « qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (*Psal. ciii*). »

Sed quid est quod angelo congaudente pastoribus, Deus homo nascitur, in præsepi bovis et asini: quid est, inquam, nisi quod triplicem pacem nobis insinuat? Scitis enim, charissimi, quod ante Redemptoris adventum tres erant inimicitarum parientes. Primus erat inter Deum et hominem, secundus inter angelum et hominem, tertius inter hominem et hominem. Homo namque per inobedientiam Creatorem offenderat, per suum casum restorationem angeli impedierat, per varios ritus se ab homine separaverat. Judæus namque cæremonias excusat, gentilis idolatriam exercebat, utriusque ritus alterius displicebat. Sed veniens « pax nostra fecit utraque unum, » destruxit macerias inimicitarum (*Ephes. 2*), et concurrentes parientes in se angulari lapi le copulavit, ut de cætero esset « unum ovile et unus pastor (*Joan. 10*). » Abstulit ergo peccatum et reconciliavit hominem Deo, reparavit casum, et reconciliavit hominem angelos, destruxit ritus, et

reconciliavit hominem homini. Restauravit ergo secundum Apostolum, qui in cœlis et qui in terris sunt, et ob hoc illa cœlestis militiae multitudo psallebat: « Gloria in excelsis Deo, » id est angelis, Deo. « et in terra pax hominibus, » Judæis et gentibus « bonæ voluntatis (*Luc. 2*). » Hinc est etiam quod angelus loquitur et congaudet pastoribus: quia pax inter angelos et homines est reformata. Nascitur Deus homo, quia pax inter Deum et homines est restaurata; nascitur in præsepi bovis et asini, quia pax est inter homines et homines reparata. Per bovem enim Judæus, per asinum gentilis populus præfiguratur, secundum illud: « Non arabis in bove et asino (*Deut. xxii*), » Judæo scilicet et gentili. His gestis « venit Dominator Dominus ad templum sanctum suum (*Malac. 3*). » Ad templum materiale, de quo legitur in Evangelio: « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc (*Joan. 2*). » Et in Psalmo: « Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui (*Psal. xlvi*). » Venit autem per oblationem, secundum quod hodierna die sancti Evangelii lectio declaravit, quia « postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino (*Luc. 2*), » etc. Oblatus est enim, quia ipse voluit: sed a matre fuit oblatus in templo, qui Patri se obtulit in cruce. In templo redemptus est, qui in cruce redemit. Sed ipse seipsum dedit redemptionem pro mundo, mundus autem par turturn, aut duos pullos columbarum dedit redemptionem pro eo. Legitur autem bis fuisse redemptus, semel sacerdotibus, sed columba vel turture; item ministris, sed drachma vel statere (*Math. xvii*). Ipse tamen non fuit redemptus ex debito, sed tantum ex beneficio, nam secundum legem redimi non tenebatur, nisi primogenitus vulvamaperiens (*Levit. xii*), sed ipse vulvam Virginis non aperuit. Nam haec est porta clausa (*Ezech. xliv*), et vir non est transgressus per eam.

Quid est autem quod in hoc festo cereos portamus accensos? Hoc ex libro Sapientiae potest conjici, ubi leguntur idololatræ obscura sacrificia facientes. Gentiles enim Februarium mensem inferis dedicaverunt, eo quod sicut ipsi putabant, sed errabant, in principio ejus mensis Proserpina raptâ fuerat a Plutone; quam quia mater ejus Ceres facibus accensis, in Ethna tota nocte per Siciliam quæsisse credebatur, et ipsi ad commemorationem ipsius, facibus accensis, in principio mensis urbem de nocte lustralant. Unde festum illud appellabatur Amburbale. Cum autem sancti Patres consuetudinem istam non possent penitus extirpare, constituerunt, ut in honore beatæ Virginis Mariæ cereos portarent accensos et sic quod prius siebat ad honorem Cereris, modo sit ad honorem Virginis; et quod prius siebat ad honorem Proserpinæ, modo sit ad laudem Mariæ. Ob hoc quoque in Purificatione Virginis cereos accensos portamus, ut purificati per gratiam, cum accensis lampadibus quasi pru-

uentes virgines ad nuptias ingredi mereamur (*Matth. xxv*). Ad hæc, sicut non subitus venit, sic nec solus; venerunt enim cum eo spiritus humilitatis et spiritus paupertatis; humilitas eum obtulit, humilitas in præsepio reclinavit, paupertas eum vilibus pannis involvit, paupertas eum vili incede redemit. O mira Domini pietas, mira dignatio: pauper effectus est, cuius est et plenitudo orbis terrarum, ei universi qui habitant in eo (*Psal. xxiii*). Humiliatus est qui erat excelsus, quia magnus Dominus, et magna virtus ejus et sapientia ejus non est numerus (*Psal. cxlvii*). Habetis ergo secundum angelum, secundum viam, secundum adventum, secundum templum.

Sed post secundum nuntium venit et tertius, de quo angelus Gabriel ait: « Ipse præbit ante illum in spiritu et virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam (*Luc. i*); » Joannes autem angelus appellatur, non naturæ proprietate, sed officii qualitate, juxta quem modum ipse Christus consequenter angelus appellatur, juxta illud: « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæratis, et Angelus Testamenti quem vos vultis (*Malac. iii*). » Revera Magnus, quia præco judicis, vox Verbi, paronymplus sponsi, lucerna solis, qui pro sui dignitate non tantum propheta, sed plus quam propheta meruit appellari (*Matth. ii*). Ipse namque fuit limes præcedentium et sequentium: quia lex et prophetæ usque ad Joannem (*Luc. xvi*), » Evangelium et apostoli a Joanne. Ipse cum præcedentibus Christum prædixit futurum: « Qui post me veniet, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere (*Joan. i*), » cum præsentibus præsentem ostendit: « Ecce Agnus Dei, eccc qui tollit peccata mundi (*Ibid.*). »

Hic viam ante faciem Domini præparavit. Viam, inquam, triplicem, nam triplex legitur esse baptismus: ablutionis, compunctionis et passionis. Ablutionis in aqua, compunctionis in lacrymis, passionis in sanguine. Primam viam præparavit baptizando, secundam viam prædicando, tertiam viam moriendo. Baptizabat corpus exterius, sed non mentem interius; unde: « Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stat, qui baptizat vos in Spiritu sancto et igni (*Matth. iii*). » Prædicavit poenitentiam, sed non contulit indulgentiam. Unde: « Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Luc. iii*). » Mortuus est pro justitia, sed non ipse justificavit, quia Herodes fecit amputari caput Joannis in carcere (*Marc. vi*). Statim ergo venit Dominus ad templum sanctum suum, ad templum spirituale, de quo dicit Apostolus: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor. iii*). » Post baptismum enim atque jejunium congregavit eos, quos elegit de mundo, quos templum Spiritus sancti constituit, « genus electum, regale sacerdotium (*I Petr. ii*). » Sed tunc siue non venit subitus, ita nec solus. Venerunt enim cum eo spiritus honestatis et spiritus veritatis: honestatem in factis, veri-

tatem in dictis exhibuit. Ipse namque, « peccatum non fecit, » ecce spiritus honestatis, « nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa. lxxii*), » ecce spiritus veritatis. Fecit enim opera singulare, juxta quod ipse testatur: « Si opera non fecisset, quæ nemo aliis fecit, » etc. (*Joan. xv*). Verba protulit salutaria, Petro testante, qui ait: « Domine, verba vita æternæ habes, » etc. (*Joan. vi*). — « Venit ergo ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæratis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis (*Malac. iii*). » Metaplasmus hic est, prius enim loquebatur Pater ad Filium: « Ecce ego mitto angelum meum, » etc. nunc autem convertit sermonem ad illos qui Filii desiderabant adventum dicentes: « Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel. » Et alibi: « Emette Agnum, Domine, Dominatorem terræ, etc. (*Isa. xvi*). » De quibus Dominus inquit apostolis: « Multi reges et prophetae voluerunt videre quæ videtis et non viderunt, etc. (*Luc. x*). » Horum desiderium repræsentat Ecclesia in illis antiphonis: « O Emmanuel, » etc., « O stirps Jesse. »

Cæterum quia spiritus est qui vivifiat, de spirituali adventu Christi, spiritualiter aliquid proponamus. Tres enim adventus Christi legimus in Scripturis, præsentem, præteritum et futurum; præsentem in sanctitate, præteritum in humilitate, futurum in majestate. Primo venit in mundum ad redemptionem, secundo venit in animam ad sanctificationem, tertio veniet in judicium ad retributionem. De primo dicit: « Exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan. xvi*); » de secundo dixit: « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan. xiv*). » De tertio dicit: « Videbitis Filium hominis venientem in nubibus coeli cum potestate magna, » etc. (*Luc. xxi*). De primo dictum est, de secundo dicendum est; sed in hoc advenit angelus ante faciem Christi præmittitur, qui præpararet ei viam. Hic est ille familiaris et spiritualis nuntius de quo dicit propheta: « A timore tuo, Domine, concepinus et peperimus spiritum salutis (*Isa. xxvi*). » Timor iste præparat iter trium dierum, quo filii Israel egrediuntur de Ægypto (*Exod. xiv*), id est, poenitentes egrediuntur de tenebris peccatorum. Iter primæ diei est inquisitio vitiorum, iter secundæ diei est recordatio peccatorum, iter tertiae diei est contritio delictorum. Præcedit enim in poenitente subtilis inquisitio, quæ diligenter considerat et inquirit numerum et genera vitiorum, juxta quod ipse poenitens ait: « Iniquitatem meam ego prænuntio, et cogitabo pro peccato meo (*Psal. xxxvii*). » Succedit huic lamentabilis recordatio, quæ recolit et attendit turpitudines et circumstantias delictorum, secundum quod ait: « Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal. l*). » Sequitur gravis contritio, quæ delet et purgat maculas peccatorum, juxta quod ait: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ letiscaverunt animam meam (*Psal.*

xcmi). » Hæc triplice via per timorem Domino præparata, statim venit per gratiam ad templum sanctum suum, id est, in animam penitentis, ut illam sanctificet. Venit autem non solus, sed cum eo Pater et Spiritus sanctus accedunt, juxta quid ipse testatur: « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan. xiv.*). »

Mansionem autem istam hoc ordine faciunt. Fundamentum jaciunt, bases disponunt, columnas erigunt, epistylia supponunt, capitella præficiunt, parietes producunt, fenestras ordinant, tectum superponunt, ostium inserunt, pavimentum sternunt, et templum in duas mansiones distinguunt. Hæc omnia, fratres, spiritualibus sunt plena sacramentis. Fundamentum enim est fides Christi, super quam fidelis anima fundata, contra spiritus tempestatis et turbinis stabilis soliditate consistit. De qua dicit Apostolus: « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr. xi.*). » — « Quia quidquid non est ex fide, peccatum est (*Rom. xiv.*). » — « Justus enim ex fide vivit (*Habac. ii; Rom. i; Hebr. x.*). » Unde in Gen.: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen. xv.*). » Super hoc fundamentum septem bases ordinabiliter disponuntur, id est, septem petitiones, quæ continentur in oratione Dominica; tres pertinentes ad presentem vitam, et tres pertinentes ad futuram vitam, media vero pertinentes ad utramque. « Adveniat, inquit, regnum tuum, fiat voluntas tua, » etc. (*Matth. vi.*). Super has bases septem columnæ firmiter eriguntur, id est septem dona gratiæ septiformis, quæ Isaïas super Christum enumerans, ait: « Requiescat super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa. xi.*). » De quibus Salomon: « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov. ix.*). » Hinc et oculi septem in lapide uno, et lucernæ septem aureæ in candelabro, secundum vaticinium Zachariae (*Zach. iii*). His columnis septem epistylia præponuntur, et epistylis capitella, id est septem virtutes, et septem beatitudines, quas ipse Christus enumerat inquiens: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, etc. (*Matth. v.*). » Octava namque beatitudo reddit ad caput. Ad hoc ædificium quatuor parietes producuntur, id est quatuor cardinales virtutes, justitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Latus justitiae respicit orientem, per quam timentibus Deum sol justitiae Christus exoritur. Latus fortitudinis respicit aquilonem, per quam adversis resistimus, quæ secundum prophetam ab aquilone panduntur (*Jer. i*). Latus temperantiae respicit ad meridiem, per quam ille celas coercescunt, quibus concupiscentiae exardescunt. Latus prudentiae respicit occidentem, per quam occidua declinamus, et occidentium vitam insidias. Hæc quatuor latera sunt æqualia, ut in quadrum sit ædificium. In his lateribus quinque

fenestræ ordinantur, id est quinque sensus spiritualliter intellecti, scilicet visus intelligentie, auditus obedientie, odoratus discretionis, gustus delectationis et tactus operis. Per hō spirituales sensus vita subintrat, sicuti econtra mors per carnates sensus ingreditur, diceente propheta: « Intravit mors per fenestras (*Jer. ix.*). » Tectum quod præfertur est « charitas, » super alias virtutes excellens, « quæ operit multitudinem peccatorum (*I Petr. iv.*). » Ostium quod in latere orientis infertur, est spes, per quam ad justitiam exsequendam ingredimur. Cujus duæ sunt januae abstinentia et continentia. Abstinentia janua claudi debet, ne forte Nabuzardam principis cocorum subintret, qui Jerusalem totam subvertat. Continentiae janua debet claudi, ne subintrent mulieres alienigenæ, quæ mentem Salomonis evertant (*III Reg. xii*). Interius autem sternitur pavimentum, id est humilitas; de qua legitur: « Adhæsit primum anima mea (*Psal. cxviii*). » Templum istud in duas mansiones dividitur. Interior est sapientia, quæ cœlestibus contemplandis inhæret. Exterior est scientia, quæ terrenis disponendis intendit. Interior contemplativa, exterior activa. In interiori, Maria secus pedes Domini audiens ejus verba sedebat; in exteriori, « Martha satagebat circa frequens ministerium (*Luc. x.*). » Satagamus igitur et nos dignos fructus agere poenitentie (*Matth. iii*), ut tale templum nos sibi faciat Angelus Testamenti Dominus noster Jesus Christus, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen. (Serm. 12.)

## III.

## IN SOLEMNITATE ANNUNTIATIONIS GLORIOSISSIME SEMPER VIRGINIS MARIE.

*De cœli varia acceptione: de gradibus descensus Christi et ascensionis ejusdem, et quomodo nos debeamus descendere.*

*Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan. iii*).*

Cum diligenter intendo quis sum qui loquor, aut de quo loquor, silendum potius arbitror quam loquendum. Loquor enim mutus de Verbo, terra de cœlo, peccator de Salvatore. Cum tamen de peccatore dicit Deus: « Quare tu enarras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum (*Psal. lix*); » sed quoniam creatura non debet obmutescere in laudibus Creatoris, liceat mihi, fratres, aliquid ex verbis præmissis ad laudem Redemptoris in gazophylacium mittere. Quæ quidem verba, tanto subtiliori sunt consideratione pensanda, quanto profundiori sunt intellectu secunda. Videlicet enim quantum ad litteræ superficiem, quod solus Christus ad cœlum ascenderit, sicut ipse solus de cœlo descendit; cum tamen multi cum ipso, vel multi post ipsum in cœlum ascenderint. Multi ergo sunt ascensuri, ut quo præcessit sublimitas capitis, illuc et humilitas corporis subsequatur, ipso dicente: « Volo, Pater, ubi ego sum, illuc sit et minister meus (*Joan. xii*). » — « Ascendens autem in altum, captivam duxit captitatem (*Ephes. iv*), »

sanctos scilicet, quia divina visione suspensi in inferni tenebris tenebantur. De quibus legitur: « Eduxit vinctos suos de lacu in quo non erat aqua (*Zach. ix.*). » Porro si corticem litterae velimus diligenter attendere, inveniemus sub illo nucleus, subtilis intelligentiae.

Cœlum enim in sacra Scriptura variis modis accipitur. Interdum divinitatis significat celsitudinem, ut cum Lucifer ait: « Ascendam in cœlum, et ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa. xiv.*). » Cum enim Lucifer esset in empireo constitutus, non erat cœlum superius quo posset ascendere. Sed cœlum divinitatis celsitudinem intellexit, in quam desiderabat ascendere, ut esset similis Altissimo. Sic et hic cœlum potest convenienter intelligi, ut taliter accipiatur: *Nemo*, id est nullus hominum unquam, quantumlibet sanctus, etiam ab utero sanctificatus, *ascendit in cœlum*, id est in sublimitatem divinitatis, ut esset Deus, nisi ille qui de cœlo descendit, id est de celsitudine divinitatis, ut esset homo, *filius* scilicet *hominis*, qui est in cœlo, manens Deus. Non enim sic descendit de cœlo, ut non remaneret in cœlo; quia non sic factus est homo, ut desierit esse Deus; sed simul in unum est dives et pauper, Deus et homo: Deus de Deo ante sœcula genitus; homo de homine in sœculo natus. In Psalmo quoque simile legitur: « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Psal. xviii.*). » Hoc hodie, fratres, implementum est, quando « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan. i.*). » — « Hodie novum fecit Dominus super terram, mulier circumdedit virum» (*Jer. xxxi.*) gremio uteri virginalis. Mulier, sed intacta; mater, sed virgo. Haec in utero circumdet puerum, sed virum; infans, sed Deum. O vere novum, quod hodie fecit Dominus super terram; quia stella solem, creatura Creatorem, filia patrem concepit. Hodie fecit, ut aeternus sit temporalis, simplex compositus, et mortalis sit immortalis. Hodie trinitatis mysterium innovavit, ut tres sint substantiae in unitate personæ, sicut tres personæ sunt in unitate substantiæ; ut nascetur de matre sine patre, qui de patre natus est sine matre. Hodie simul descendit et ascendit; sed Deus descendit in hominem, et homo ascendit in Deo.

Deus ergo descendit, homo ascendit. Sed quia Christus Deus est et homo, ipse descendit pariter et ascendit. Fuit autem Christi descensus, servilis formæ susceptio, de qua dicit Apostolus: « Exanimavit se formam servi accipiens (*Phil. ii.*). » In hoc vero descensu, velut in scala, multi sunt gradus dispositi. Distribuamus itaque gradus ejus, ut enarrentur in progenie altera. Primus gradus est passibilitas quam assumpsit, ultimus est passio quam sustinuit. Et inter primum et ultimum diversæ sunt graduum differentiae. Ad primum spectant defectus hominis, quos suscepit, ut paveret

dolor, fumes et sitis, paupertas et labor. Ad ultimum pertinent poenæ illatae ab hominibus, quas sustinuit. Captus est enim et ligatus, percussus et flagellatus, irrisus et exprobratus, maledictus et condemnatus, crucifixus et lanceatus. Ecce fractum est alabastrum, et domus repleta est ex odore unguenti (*Matth. xxvi.*) Sed ut suavius odor unguenti respiret, assignandi sunt gradus defectuum, quoniam manifesti sunt gradus poenarum. In gradum ergo favoris ipse se descendisse fatetur in psalmo: « Formido mortis cecidit super me, timor et tremor venerunt super me (*Psal. lvi.*). » De eodem in Evangelio: « Cœpit Jesus pavere et tædere (*Marc. xiv.*). » O mira Christi dignatio! Pro nobis timuit quem angeli timent, quem archangeli trement; cui slectitur omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil. ii.*). In gradum ergo doloris ipse quoque se descendisse per prophetam testatur: « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus (*Thren. i.*). » Unde in Evangelio: « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth. xxvi.*). » O mira Domini pietas! Pro peccatoribus doluit, pro misericordiæ; cuius gaudium semper est plenum, cuius lætitia nunquam deficit, per quem pater et ipse coram patre lusit in orbe terrarum (*Prov. viii.*). In gradum famis et sitis descendit, ipso testante: « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal. lxviii.*). » De eodem in Evangelio: « Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth. iv.*). » O ineffabilis dispensatio Redemptoris! fons vitæ sicut, cibus angelorum esurit, panis vitæ, qui de cœlo descendit, de quo si quis gustaverit, vivet in æternum (*Joan. vi.*).

In gradum paupertatis idem se descendisse fatetur: « Pauper, inquit, et dolens ego sum (*Psal. lxviii.*). » De eodem in Evangelio: « Vulpes foveas habent, et volucres ecclii nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet (*Matth. viii.*). » O magnum humilitatis exemplum! Factus est pauper, cuius est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo (*Psal. xxxii.*).

In gradum laboris descendit, ipso dicente: « Laboravi clamans, etc. (*Psal. viii.*). » Et in Evangelio fatigatus legitur in itinere (*Joan. iv.*). Quis autem adeo durus, cuius pectus tam ferreum, cuius corpus tam lapideum, ut possit suspiria claudere, gemitum reprimere, cum audit Creatorem suum, redemptorem suum, per hos gradus humiliiter descendisse, qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? (*Phil. ii.*) Sciat se culpabiliter durum, qui deflet contumelias et dolores amici, et cum audierit tot Christi poenas, tot contumelias et opprobria, non movetur ad gemitum, lacrymas non effundit. Non enim descedit pro se, sed pro nobis, et dedit animam suam redemptionem pro mundo. Verum qui descendit,

ipse est qui ascendit. De quo ascensu dicit propheta : « Egressietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa. xi*). » Consequenter autem quasi gradus ascensionis determinans subdit : « Et requiescat super eum spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*ibid.*). »

Alibi quoque gradus in hoc ascensu describens idem propheta, sic ait : « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis : et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*Isa. ix*). » Hic est qui ad gradum summæ potestatis ascendit, sicut ipse testatur : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth. xxviii*). » Quia « omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis (*Psalm. cxiii*). » Habuit enim gradus ascensionis non solum per dona, quæ in conceptione recepit, verum etiam per miracula, quæ propria potestate perfecit. Ascendit ergo per miracula, quæ fecit in cœlo, et per miracula, quæ fecit in terra, et per miracula, quæ fecit in aqua. Et in his tribus miracula fecit, nascendo, prædicando, moriendo. Ipse quoque nascente, nova stella apparuit in oriente; quia ortus est sol justitiae (*Mal. ii*), quem magi stella duce venerunt cum munieribus adorare (*Matth. ii*). Romæ vero templum Pacis mirabiliter corruit; quia natus est ille, qui non venit mittere pacem, sed gladium (*Matth. x*). Plena siquidem pace toti orbi sub Augusto Cæsare restituta, Romani templum Pacis ædificaverunt. De quo consulentes, quam diu foret duraturum, responsum est : Donec virgo pariat. Qui gaudentes intulerunt : Ergo erit in æternum, quia nunquam virgo pariet. Statim autem in hora nativitatis Dominicæ funditus corruit. Tunc etiam fluvius Tiberis recepit in se rivulum olei manantem de taberna emunetoria; quia natus est fluvius voluptatis, de quo legitur : « Oleum effusum nomen tuum (*Cant. i*). »

Ipse etiam prædicando per hos gradus ascençat. Nam in transfiguratione de cœlo vox Patris audita est : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite (*Matth. iii*). » Ipse etiam, ut cætera miracula prætermittam, de terra quadriduanum Lazarum suscitavit (*Joan. xi*). Ipse super aquæ siccis pedibus ambulavit (*Marc. vi*). Eodem in crucis patibulo moriente, sol obscuratus est, terra tremuit, et de latere ejus aqua prefluxit (*Luc. xxiii*).

Hæc sunt que nemo alias fecit unquam, aut facere potuit; et ideo nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo.

Sed et nos fratres si volumus conregnare, oportet et compati; et si volumus ascendere, oportet ut descendamus (*II Tim. ii*), quia « qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exalta-

bitur (*Luc. xiv*). » Diabolus autem, quia vo'ut ascendere per superbiam, non tantum descendit, sed cecidit, juxta quod legi ur : « Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris (*Isa. xiv*)? » Et de eodem : « Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem (*Luc. i*). » Descendamus ergo per humilitatem, et in ipso descensu gradus exemplo Domini disponamus. Primo namque debemus descendere per subjectionem, secundo per compassionem, tertio per abjectionem. Subjectio vero tres continet gradus : primus est, subdere se majori; secundus, subdere se pari; tertius, subdere se minori. In primum descendimus per debitam necessitatem; in secundum, per mutuam charitatem; in tertium, per abundantem humilitatem. In hunc gradum Christus descendit, quando lavit pedes discipulorum (*Joan. xiii*), et quando caput tremendum angelis Baptista manibus suppedit, dicens : « Sic decet nos implere omnem justitiam (*Matth. iii*), » id est superabundantem humilitatem. In euindem gradum docuit apostolos et nos in illis descendere, dicens : « Qui major est vestrum erit omnium servus, seipsum in exemplum præponens; quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth. xx*). » Hinc est quod maximus in Ecclesia se servum servorum Dei appellat. Compassio vero in duos gradus distinguitur; quorum primus est compassio sui, secundus est compassio proximi. De primo dicitur : « Misere animæ tuæ placens Deo (*Ecli. xxx*). » In secundum gradum descendit Apostolus, qui diebat : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (*II Cor. ii*.) » Descendamus et nos fleentes hujus vitæ miseriam, et ad futuram gloriam suspirantes, et gementes pro peccatis propriis, plorantes pro alienis. Abjectio quoque duos continet gradus. Primus est abjectio mundi, secundus abjectio sui. Ad primum nos hortatur Joannes dicens : « Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quidquid enim in mundo est, concupiscentia carnis est (*I Joan. ii*), » quantum ad gloriam et luxuriam, et concupiscentia oculorum, quantum ad divitias et possessiones. Sed difficile est divitem intrare in regnum cœlorum (*Matth. xix*). » Et superbia vitæ, quantum ad honores et dignitates. Sed tollimus in altum, ut lapsu graviore ruamus. Ad secundum gradum Dominus nos invitat, dicens : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suum, et sequatur me (*Luc. ix*). »

Et in omnibus his debemus descendere, corde, ore, opere. Ut a corde excludamus superbiam, ab ore jactantiam, ab opere inanem gloriam. Si sic descendimus, melius ascendemus de malo ad bonum, de bono ad melius, de meliori ad optimum. Primus ascensus est incipientium, secundus proficiientium, tertius pervenientium. Primo ascenditur ad justificationem, secundo ad perfectionem, tertio ad glorificationem. Primus autem ascensus tres gra-

dus habet, qui sunt contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Ad primum ascendimus per dolorem, in secundum per pudorem, in tertium per laborem. Secundus ascensus tres similiter habet gradus. Primus est vitatio prohibitorum, secundus adimpletiō p̄ceptorum, tertius supererogatio consiliorum. Tertius ascensus dupli gradu distinguitur. Primo ascenditur ad glorificationem animæ, secundo ad glorificationem corporis. Ad quas nos faciat ascendere Dominus noster Jesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in s̄ecula s̄eculorum. Amen. (Serm. 14.)

## IV.

IN SOLEMNITATE ASSUMPTIONIS GLORIOSISSIMÆ SEMPER VIRGINIS MARIAE.

*Quomodo beata Maria sit castellum, et quale, et quomodo Christus illud sit i- gressus, et de duabus sororibus; de vita activa et contemplativa.*

*Intravit Jesus in quoddam castellum; et mulier quedam Martha nomine exceptit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quæ sedens securis pedes Domini, audiebat verbum illius (Luc. x.).*

*Castellum illud quod intravit Jesus, est virgo Maria, quando « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1), » sicut angelus illi promiserat : « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. 1). »*

*Porro cum Christus sit verus Deus et verus nōmō, Deus de Deo ante s̄aecula genitus, et homo de homine in s̄aeculo natus ; quidquid ei veraciter attribuitur, aut convenit ei secundum divinam naturam, aut secundum humanam, aut secundum utramque. Secundum divinam appellatur Jesus, quod interpretatur *Salvator*. Secundum humanam dicitur Christus, quod exponit *unctus*. Secundum utramque vocatur Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus* (Matth. 1).*

*Cum autem intrare sit de foris intus accedere, quæri potest, et etiam dubitari, secundum quam naturam in istud castellum, id est in uterum virginalem intravit. Non secundum divinam, cum ipse sine motu moveat universa, et totus sit semper ubique, sicut de se loquitur per prophetam : « Cœlum et terram ego impleo (Jer. xxiii). » Item : « Ego sum Deus, et non mutor (Mal. 1). » Sed non secundum humanam, cum mater ejus Maria non accepit exteriorius quidquam in uterum, sed concepit tantum interiorius in utero, sicut Isaías aperte testatur : « Ecce, inquit, virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabit nomen ejus Emmanuel (Isa. vii; Matth. 1). » Haec est enim, secundum Ezechielē (cap. xliv), « porta in domo Domini clausa, et vir non est ingressus per eam. » Christus autem ab ipsa conceptione vir exstitit, Hieremia propheta testante : « Novum, inquit, faciet Dominus super terram, feminina circumdabit virum gremio uteri sui (Jer. xxxi). » Quid ergo dicemus ? Quomodo ergo in castellum illud intravit ? Salubre consilium dedit Abo-*

*stolus dicens : « Noli plus sapere, quam oportet sapere, sed sape ad sobrietatem (Rom. xi). » Et alius : « Altiora te ne quæsieris, et majora te scrutatus non fueris (Eccli. iii). » — « Persecutator enim majestatis, opprimetur a gloria (Prov. xxv). » Nam « accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (Psal. lxiii). » Salva tamen fidei majestate possumus respondere, quod cum secundum philosophos initium existendi, ingressus in substantiam appelletur, quæcumque res habet initium, habet pariter et ingressum. Unde cum Verbum Dei secundum humanitatem assumptam incepit esse in utero virginali, profecto secundum eandem intravit in illum, non deforis veniens, sed intus assumens. Juxta quem modum loquendi Veritas ipsa testatur : « Exivi a Patre et eveni in mundum (Joan. xvi), » non quod extra mundum accederet, sed quod intra mundum processerit. *Intravit ergo Jesus in quoddam castellum.* Ad munimentum castelli duo sunt necessaria, murus et turris ; murus exterior, et turris interior ; ad custodiā quoque castelli duo opportuna, speculator et propugnator : speculator ut contempletur, et propugnator, ut operetur.*

*Quæramus ergo si tale fuerit hoc castellum. Sane in hoc spirituali castello, quod est Dei genitrix Virgo Maria, murus exterior est virginitas corporis : turris interior est humilitas cordis ; nam « omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur (Luc. xiv). » Juxta quod ipsa Virgo testatur : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Luc. 1). » De muro virginitatis dicit ad angelum : « Quomodo fieri istud, quoniam virum non cognosco ? (ibid.). » Nam « antequam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto (Matth. 1). » Item de turri humilitatis, eadem ad angelum ait : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum : quoniam respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (Luc. 1). » O felix virginitas, quam ornat humilitas ; o felix humilitas, quam honorat virginitas ! Humilitas ornat virginitatem, ne sit superba : virginitas honorat humilitatem, ne sit despecta. Est ergo virginitas humilis, ne extollatur : est humilitas virginis ne contempnatur. Legimus enim et virgines prudentes et virgines iatua (Matth. xxv). Prudentes sunt humiles, iatuae sunt superbae. Habet ergo castellum istud murum virginitatis contra insultum luxuriæ, habet turrim humilitatis contra incursum superbiæ. Isti namque sunt hostes, qui miserum hominem frequenter ac violenter infestant, videlicet luxuria carnis exterior, et superbia mentis interior. De quibus inquit Apostolus :*

*« Non est nobis colluctatio tantum adversus carnem et sanguinem, « ecce luxuria » : sed adversus spiritualia nequitiae in cœlestibus (Ephes. vi), « ecce superbia. Ex hac procedunt turpia, quæ non decent, ex illa procedunt turpia, quæ non licent, ex utraque procedunt vana, quæ non expediunt. Si quando te luxuria carnis impugnat, ad hoc castel-*

lum procede, muro virginitatis adhaere, deprecare Mariam. Quis unquam invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Si quando te superbia meutis infestat, ad hoc castellum accede, turrim humilitatis ascende, deprecare Mariam. Quis unquam invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Haec est « mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei (*Eccles. xxiv*)», quæ pro misericordia orat, pro afflictis supplicat, pro peccatoribus intercedit.

In hoc castello duæ sorores inhabitant, quæ castellum custodiunt, Martha scilicet, et Maria. Martha, quæ laborat et operatur; Maria, quæ quiescit et contemplatur. Illa laborat et operatur, ne castellum capiatur per negligentiam: ista quiescit et contemplatur, ne castellum rapiatur per ignorantiam. Ignorantia gignit errorem cordis, negligentia parit torporem operis. Per errorem cordis delinquimus in credendis, per torporem operis delinquimus in agendis. Porro « impossibile est sine fide placere Deo (*Heb. xi*)»; — « Fides autem sine operibus mortua est (*Jac. ii*). » Vigilet ergo contemplativa, ut deleat ignorantiam, quoniam « ignorans ignorabitur (*I Cor. xiv*). » Laboret activa, ut perimat negligentiam, quoniam « maledictus est qui facit opus Dei negligenter (*Jer. xxviii*). » Audi virginem laborantem: « Fili, quid fecisti nobis sic? Ego enim et pater tuus dolentes quarebamus te (*Luc. ii*). » Audi virginem contemplantem: « Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*ibid.*). » Si quando negligentia te reddit pigrum, invoca Martham, age cum Lia; si quando te ignorantia reddit obscurum, appella Mariam, vigila cum Rachele (*Gen. xxviii*).

*Intravit ergo Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, exceptit illum in domum suam; quia venit Jesus non ad quietem, sed ad laborem: non ad lætitiam, sed ad dolorem: non ad pacem, sed ad agonem: postremo venit ad mortem. Audi laborem: « Laboravi clamans, raucae factæ sunt fauces meæ (*Psal. LXVIII*). » — « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi (*Isa. LXV*); » unde et « fatigatus legitur ex itinere (*Joan. IV*). » Audi dolorem: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus (*Thren. I*). » — « Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem (*Math. XXVI*). » — « Cœpit enim pavere et tædere (*Mar. XIV*). » Audi agonem: « Factus, inquit, in agonia, prolixius orabat: et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis eadentis in terram (*Luc. XXI*). » Audi et mortem: « Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom. VIII*). » — « Factus est enim obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil. II*). »*

Audi quomodo ipse Jesus satagebat circa frequens ministerium, et turbabatur erga plurima. « Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me (*Joan. IV*). » — « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur (*Luc.*

xii). » Vere ergo *Martha* exceptit illum in domum suum. Unde secundum carnem non de Rachele natus est, sed de Lia. *Maria* autem sedebat secus pedes Domini, et audiebat verbum illius. Duo pedes Domini, sunt duo mentis affectus, timor et amor. Timor sanctus, et amor castus. Timor sanctus præstat initium; nam « initium sapientiae, timor Domini (*Psalm. cx*). » Amor castus præparat finem: nam finis præcepti charitas est (*I Tim. i*). » *Maria* igitur optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: quia « charitas nunquam excidit (*Cor. XIII*). » Et « timor Domini sanctus permanet in seculum sæculi (*Psalm. xviii*). » *Martha* ergo stabat, et satagebat ut pasceret Dominum: hæc audiebat, ut pasceretur a Domino. Illa quidem, ut pasceret Dominum cibo cariali: hæc autem, ut pasceretur a Domino cibo spirituali; quia « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Math. iv*). » Sane quanto melior est anima corpore, tanto dulcior sapit spiritualis cibus in mente, quam carualis in ventre. « Quam dulcia, inquit, fauicibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo (*Psalm. cxviii*). » Illa dicebat ad Dominum: « Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Pro hac Dominus respondit: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Non hoc *Martha* dicebat, tanquam invidenter Mariæ, quod ipsa laboraret et illa quiesceret: sed quod activa cum sibi non sufficit, propter difficultates rerum, vel ambiguities causarum, auxilium contemplativæ requirit: ut quod ipsa laborando vel operando nequit efficiere, illa orando et supplicando valeat impetrare: quia cum Moyses orabat in monte, Josue vincebat in valle (*Exodus. XVII*). Sed nec Dominus illi respondit, tanquam reprehenderit Martham commendando Mariam: sed bonis prætulit optimum, plurimis unum, perpetuum transitorii. *Martha*, inquit, *solllicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ad activam enim pertinent opera pietatis, quæ Dominus in judicio commendabit: « Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitiui, et dedistis mihi hibere: nudus eram, et operuistis me (*Math. XXV*). » Ipse quoque Mariam commendavit de officio sepulturae. « Quid, inquit, molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me. Mitterens enim unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit (*Math. XXVI*). » Bona sunt ista, nec cessandum ab ipsis; quandiu fuerint necessaria. Porro cum cessaverit defectus misericordie, misericordiae quoque cessabit effectus; quia misericordia misericordis exhibetur. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor. XIII*). » Et illud est optimum, quod in æternum manebit. *Maria ergo optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quia « hæc est vita æterna, ut co-

gloscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum (*Joan. xvii*). » Quod utique nunc incipit a contemplatione per fidem, et consummabit tandem in glorificatione per speciem. « Nunc enim ex parte cognoscimus, et ex parte, prophetamus : tunc autem cognoscemus, sicut et cogniti sumus : videntes noui per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem intuentes (*I Cor. xiii*). » Audi quomodo Paulus apostolus tanquam activus sollicitus erat, et erga plurima turbatus : « Quis, inquit, infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum (*II Cor. xi*). » Sed audi quod ipse tanquam contemplativus, « raptus est usque ad tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ noui licet homini loqui (*ibid.*). » Ad hoc tanquam ad unum aspirabat, cum diceret : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil. ii*). » Sed illud tanquam necessarium sustinebat, cum adderet : « Mancare autem in carne necessarium est propter vos (*ibid.*). » Ergo et illa necessaria sunt, circa quæ satagit Martha : et illud est necessarium, quod elegit Maria. Sed illa sunt necessaria, id est utilia : istud autem necessarium, id est commodabile. Juxta quem modum in logica facultate docetur, quod aliud est verum contingens, aliud *necessarium*: Contingens est istud, quod ita est verum, quod possit non esse verum. Necessarium est autem illud, quod ita verum est, quod non possit non esse verum. Nonne cum Virgo dixit ad Filium : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamini te (*Luc. ii*), quasi cum Martha dixisse videtur : Domine, noui est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et cum ipse respondit : « Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? (*ibid.*), » nonne quasi Dominus respondisse videtur ad Martham : Martha, collicita es, et turbaris erga plurima : porro, unum est necessarium. Maria ergo optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc unum optabat et petebat Propheta, cum diceret : « Unam peti a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal. xxvi*). » Præponitur unum multis; quia sicut omnia procedunt ab uno, sic omnia procedere debent ad unum; ad illum videlicet, qui est  $\alpha$  et  $\omega$ , primus et novissimus, principium et finis, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen. (*Serm. 17.*)

## V.

## IN EADEM SOLEMNITATE.

*De auroræ, lunæ et solis conditionibus, sive qualitatibus et quomodo Mariae conveniant.*

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (*Cant. vi.*)

(1) Sic sentire potuit Innocentius III papa, circa rem nondum ab Ecclesia definitam; quæ nunc est

Cum aurora sit iunis noctis et origo diei, merito per auroram designatur Virgo Maria; quæ finis damnationis, et origo salutis fuit. Finis vitiorum, et origo virtutum. Oportebat enim, ut sicut per feminam mors intravit in orbem; ita per feminam vita rediret in orbem. Et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Illa consensit diabolo, et vetitum ponnum comedit, secundum illud : « Tullit de fructu et comedit, deditque viro (*Gen. iii*); » ista credidit angelo, et filium promissum concepit, secundum illud : « Ecce concipies et paries filium (*Luc. 1*). » Illa comedit ponnum ad mortem, juxta quod fuerat illi prædictum : « Quacunque die eomederis, morte morieris (*Gen. ii*); » ista concepit filium ad salutem, sicut ei fuerat praenotatum : « Vocabis nomen ejus Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth. 1*). » Illa peperit in dolore, secundum illud : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos, et in dolore paries (*Gen. iii*); » ista generavit in gaudio, secundum illud : « Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David (*Luc. ii*). » Illa fuit de solo viro producta, quoniam aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, sed produxit virum et feminam (*Gen. ii*), haec autem producta fuit de viro et femina, sed solum virum produxit : « Quia novum fecit Dominus super terram, femina circumdedit virum gremio uteri sui (*Jer. xxxi*). » Illa fuit sine culpa producta, sed produxit in culpam; haec autem fuit in culpa producta (1), sed sine culpa produxit. Illa dicta est Eva, huic dictum est, Ave; quia per hanc mutantum est nomen Elvæ. « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum (*Luc. 1*). » Quasi diceret : Illa fuit plena peccato, sed tu « plena gratia. » Illa fuit maledicta in mulieribus, sed « benedicta tu in mulieribus (*ibid.*). » Fructus ventris illius fuit maledictus Cain, sed fructus ventris tui erit benedictus Jesus. Cain invidiosè fratrem occidit Abel (*Gen. iv*); sed Jesus invidiosè fuit occisus a fratribus.

Aurora fugatis tenebris lumen mundo ostendit; tu vero, destructis vitiis, Salvatorem sæculo protulisti; quia per te « populus » gentium, « qui ambulabat in tenebris, vidi lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis (*Isa. ix*). » Illa videlicet, « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. i*). » Tu es igitur aurora consurgens, finis videlicet noctis, et origo diei; finis damnationis, et origo salutis.

Pulchra ut luna. Sicut rationabiliter asserunt, qui de rerum naturis edisserunt, Luna frigida est et humida. Quia frigida, designat virginitatem; quia humida, designat humilitatem. Ignis enim, de quo siccitas provenit, quasi levis, naturaliter petit sublimia. Aqua vero, de qua procedit humiditas,

de fide, nempe : Maria sine labe concepta est. Edit. Patrol. curs. compl.

quasi gravis, naturaliter petit humilia. Frigiditas ergo et humiditas lunæ. virginitas est et humilitas Mariæ; quia frigida fuit contra aestum luxuriae, humida vero contra fastum superbiae. Luna vero tunc est plene pulchra, cum existit rotunda; et Maria tunc exstitit plene formosa, cum fuit prole secunda. Felix virginitas, quam ornavit humilitas; felix humilitas, quam honoravit virginitas. Sed longe felicior utraque secunditas, quam simul ornavit et honoravit virginitas et humilitas. Ne ergo virginitas maledictionem illam incurreret, de qua dicitur: « Maledicta sterilis quæ non parit (*Exod. xxiii; Deut. vii*), » comitatur illam secunditas; et ne secunditas immunditiam illam contraheret, de qua legitur: « Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine (*Job xiv*), » comitatur illam virginitas. Ne vero virginitas vel secunditas sententiam illam acciperet, de qua legitur: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc. xiv, xviii*), » utramque comitatur humilitas. Hæc tria simul evangelista commendat, et commemorat in Maria: « Cum esset, inquit, desponsata mater Jesu, Maria Joseph, antequam convenientire, inventa est in utero habens de Spiritu sancto (*Matth. i*). » Magna humilitas, quia *mater Jesu erat desponsata Joseph*. Sancta secunditas, quia *inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Pura virginitas, quoniam, antequam convenientire, *inventa est in utero habens*, non quod post unquam carnali commistione convenientire, quia virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo post partum. « Hæc est enim porta in domo Domini clausa, et vir non est ingressus per eam (*Ezech. xliv*). » Illic est « hortus conclusus et fons signatus (*Cant. iv*). » Hæc est rubus ardens, sed non consumptus (*Exod. iii*). De secunditate Gabriel angelus prædictit illi: « Ecce concipes et paries filium (*Luc. i*). » Illa vero de virginitate respondit: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » (*ibid.*) Cum autem audivit quod nec virginitas impediret secunditatem, nec secunditas auferret virginitatem: « Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; » statim de humilitate subjunxit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Fuit ergo Maria pulchra ut luna, virgo scilicet humilis et secunda.

*Electa ut sol*. Duo præcipue commendantur in sole, splendor et calor. Quia splendet, significat sapientiam; quia calet, significat charitatem. De sapientia namque legitur, quod ipsa est candor lucis aeternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius (*Sap. viii*). De charitate legitur, quod ignis est in Sion, et caminus in Hierusalem (*Isa. xxxi*). — « Aquæ multæ non possunt extinguere charitatem (*Cant. viii*). » *Electa* est ergo Maria, quatenus splenderet et caleret *ut sol*. Splenderet per sapientiam, caleret per charitatem; quia Spiritus sanctus supervenit in eam, et virtus Altissimi obumbravit eam (*Luc. i*). Spiritus

sancius est charitas, de quo dicitur: « Deus charitas est (*I Joan. ii*). » Et virtus Altissimi, sapientia, de qua legitur: « Christus est Dei virtus et Dei sapientia (*Act. viii*). » Audi Mariam interrogantem ex sapientia: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » (*Luc. 1*.) Audi respondentem ex charitate: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*ibid.*). » Audi sapientiam in Maria: « Maria, inquit, observabat omnia verba haec, conferens in corde suo (*ibid.*). » Audi charitatem in ea: « Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus, in Deo salutari meo (*ibid.*). » Supervenit igitur in eam Spiritus sanctus, et ad concepiendum in corpore daret ei charitatis affectum. Propter quod legitur, quia Christus natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Et virtus Altissimi obumbravit ei, ut ad concepiendum in corde daret ei sapientiae intellectum. Propter quod legitur: « Beata quæ credidisti, quoniam omnia completa sunt tibi a Domino (*ibid.*). » Concepit in corpore « Verbum, quod caro factum est, et habitavit in (*Joan. 1*) » ea. Concepit in corde « Verbum, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum (*ibid.*). » *Electa* igitur est *ut sol*, quatenus « in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal. xviii*). »

*Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Scriptum est enim quia « sapientia vincit malitiam (*Sap. viii*), » inter quas in hac vita mortali grandis et gravis exercetur conflictus. Pro sapientia namque pugnat et expugnat chorus virtutum: pro malitia vero pugnat et repugnat exercitus vitiorum; quia « non est conventio lucis ad tenebras, neque Christi ad Belial (*II Cor. vi*). » Castra vitiorum quasi ducem sequuntur superbiam, de qua dicit Scriptura: « Initium omnis peccati est superbia (*Eccle. x*). » Castra vero virtutum, quasi ducem sequuntur humilitatem, de qua dicit Maria: « Respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*Luc. 1*). » *Acies ergo castrorum*, id est plenitudo virtutum ita fuit in virgine ordinata, ut de se vere dicere possit: « Introduxit me rex in cellam vinarium, et ordinavit in me charitatem (*Cant. ii*), » ut postquam in ea plenitudo divinitatis corporaliter habitavit (*Coloss. ii*), vicit x toto malitiam. Quoniam, ut vehementer opinor, ex tunc fomes peccati, languor naturæ, stimulus carnis in ea fuit non solum sopitus, sed prorsus extinctus: ut de cætero non concupisceret earo adversus spiritum, sed plena gratia, vitiis et dæmoniis terribilis appareret.

*Ipsa est ergo aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die; nec autem est culpa, diluculum poenitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpe, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium eius ad compunctionem illustret. Quis enim de no-

et invocavit eam, et non est exauditus ab ea? ipsa est « mater pulchræ dilectionis et sanctæ speci (*Ecli. xxiv.*). » Qui vero ad diluculum poenitentiae surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium eum ad satisfactionem illuminet. Quis enim devote invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Ipsiæ est « mater pulchræ dilectionis et sanctæ speci (*Ecli. xxiv.*). » Quia vero « militia est vita hominis super terram (*Job vii.*) », nam mundus positus est in maligno (*I Joan. v.*), caro concupiscit adversus spiritum (*Gal. vi.*), oculus deprædatur animam (*Thren. iii.*), mors ingreditur per fenestras (*Jer. ix.*): nec est nobis collectatio tantum adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiae in cœlestibus, adversus rectores tenebrarum harun (*Ephes. vi.*). Adversarius enim noster diabolus « tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret (*I Petr. v.*) : » quicunque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a dæmons, respiciat castorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium « mittat auxilium de sancto, et de Sion in teat (*Psalm. xix.*). » Ipso præstante, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen. (Serm. 28.)

## VI.

## IN NATIVITATEM B. MARIAE VIRGINIS.

*De instrumentis piscatoris, videlicet virga, linea, hamo et esca. et quid per ea accipere debeamus.*

*In oculis suis quasi hamo capiet Behemoth (*Job xl.*)*

Verba quæ locutus sum, fratres charissimi, verba sunt Domini ad Job pauca, sed multa; parva, sed magna; brevia, sed prolixa. Pauca litteris, sed multa sententiis: parva syllabis, sed magna figuris; brevia dictionibus, sed prolixa significationibus. Plena sunt quippe omnia suis mysteriis, et cœlesti dulcedine superredundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui norit sugere « mel de pœtra, et oleum de saxo durissimo (*Deut. xxxi.*). » « Ego vero dabo vobis lac potum, non escam (*I Cor. xi.*); » quia « sicut modo geniti infantes lac concupiscunt, ut in salutem crescatis (*I Petr. ii.*). »

In instrumento piscatoris quatuor notare debemus, virgam et lineam, hamum et escam. Quæ sit hæc virga propheta determinat, dicens: « Egregieatur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendat (*Isa. xi.*). » Haec est virgula fumi, ex aromatibus myrræ et thuris (*Cant. iii.*). » Virga floruit et attulit fructum (*Isa. vii.*); quia Virgo concepit et peperit Christum; hanc ergo virgam dixerim esse Mariam. Virga teneritudinem habet, rectitudinem et longitudinem; teneritudinem, ne sit dura; rectitudinem, ne sit curva; longitudinem, ne sit curta. Maria vero virginitatem habet, humilitatem et charitatem; virginitatem sine concupiscentia, humilitatem sine superbia, charitatem sine malitia. De

virginitate dicit propheta: « Ecce virgo concepit, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa. viii.*; *Matth. xiii.*). Missus est enim angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilæam, cui nomen Nazareth, « ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria (*Luc. i.*). » De humilitate dicit ipsa beata Maria: « Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (*ibid.*). » « Super quem, inquit Deus, requiescat spiritus meu, nisi super humiliem, et quietum, et trementem verba mea (*Isa. lxvi.*). » De charitate dicit in Canticis: « Stipate me malis, ornate me floribus, quia amore laugo. Introduxit enim me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem (*Cant. ii.*). »

Huic virgæ linea colligatur, quam Matthæus Evangelicus describit: « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abram (*Matth. i.*). » Hanc ergo lineam dixerim esse genealogiam. Nam sicut linea piscatoris de diversis filiis connectitur, sic genealogia Redemptoris de diversis personis contexitur, de viris et mulieribus, de Judæis et gentilibus, de justis et peccatoribus; nam « omnes peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom. iii.*). » Preterea dicit in Evangelio: « Non veni vocare justos, sed peccatores (*Matth. ii.*). » Et ideo clamabant dicens: « Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ Israel. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filie Sion (*Isa. xvi.*). »

Huic lineæ subnectitur hamus, sicut evangelista determinat dicens: « Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui dicitur Christus (*Matth. i.*). » Ilunc igitur hamum dixerim esse Christum, ferreum, acutum et uncum; ferreum per potentiam, acutum per sapientiam, uncum per diligentiam. Per potentiam enim donat et superat, per sapientiam penetrat et indagat, per diligentiam retinet et conservat. De primo dicit Psalmographus: « Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas sigilli confringes eos (*Psalm. ii.*); » de secundo dicit Apostolus: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio anicipiti (*Hebr. iv.*); » de tertio dicit Dominus: « Haec est voluntas Patris mei, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quidquam (*Joan. v.*). » Huic hamo circumposita fuit esca, enim « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan. i.*). » Hamus enim esca celatus, est Deus carne velatus. Hanc igitur escam dixerim carnem, secundum quam Christus comparat se vermi: « Ego sum, » inquit, « vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis (*Psalm. xli.*). » Dicitur autem vermis, propter vilitatem abjectionis, et propter proprietatem conceptionis. « Nos, » inquit propheta, « putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum: generationem autem ejus quis enarrabit? » (*Isa. li.*) Sicut enim vermis nascitur sine semine, ita Christus natus est de virgine. (Serm. 59 init.)

## SANCTUS BONAVENTURA.

## I. — LAUS BEATÆ VIRGINIS MARLÆ

**ARGUMENTUM.** — *Opusculum hoc, quod LAUS B. MARLÆ appellatur, Salutationem angelicam continet, scilicet AVE MARIA; ita tamen ut juxta singulas litteras ejusdem octouis versibus Virginis laudes celebret auctor, et unumquemque octonarium ordiatur a litteris Salutationis angelicæ, donec tota compleatur. Præterea 19 sacræ Scripturæ locis beatissimam Dei Genitricem Mariam docet adumbratam, ut ex contextu appareat.*

## HYMNUS AD B. MARIAM VIRGINEM.

Ave, cœlesti lilium,  
Ave, Rosa speciosa,  
Ave, Mater humilium  
Superis imperiosa  
Deitatis triclinium.  
Hac in valle lacrymarum,  
Da robur, fer auxilium,  
O excusatrix culparum.

Virgo pia sine pare,  
Gabriele nuntiante,  
Quæ meruisti portare  
Christum, Flatu sacro flante.  
Virgo partum post, et ante,  
Refugium singulare,  
Hac in vita vacillante,  
Tuos servos consolare.

Ecce stupet humanitas,  
Quod sit Virgo puerpera.  
Scire nequit fragilitas  
Tantæ virtutis opera.  
Fides transcendens æthera,  
Confitetur et veritas.  
Ex te, Mater Christifera,  
Carnem sumpsit divinitas.

Mater Natum, Patrem nata,  
Stella Solem genuisti,  
Increatum res creata,  
Fonte rivus emisisti.  
Vas sigillum peperisti,  
Virgo manens illibata,  
Per te nobis, Mater Christi,  
Est perdata vita data.

Almissima sunt viseera,  
Quæ Domini sunt conclave,  
Sanctissima sunt ubera,  
Quæ suxit, et lac suave,  
Quo lactatur. Mater, Ave,  
Quæ regnas super sidera,  
Perpetuæ mortis a væ  
Nos et a malo libera.

Rosa decens, rosa munda,  
Rosa recens sine spina,  
Rosa florens et secunda,  
Rosa gratia divina.  
Facta cœlorum Regina,  
Non est, nec erit secunda  
Tibi, rei medicina  
Nostris cœptis obsecunda.

In Scripturis figurata,  
Multis locis ostenderis,  
Enigmatibus monstrata,  
Sacræ ut patet litteris,  
Testamentorum veteris,  
Et novi jure prælata,  
Mulieribus ceteris,  
Super omnes elevata.

Ante mundi originem  
Te Dominus ordinavit,  
Dum cœli latitudinem  
Sapienter fabricavit.  
Extunc sancta mente cavit  
Per te Matrem et Virginem,

Protoplasti, qui peccavit,  
Expirare voraginem.

Gaude, Virgo, Mater, gaude,  
Per te mundus restauratur,  
Cum cibis cœli plaudere,  
Qui honor tibi datur.  
Deus decenter solvatur  
Tibi, majus omni laude,  
Qui per te liberatur  
Omnis homo facta fraude.

I. — *Figurata fuit per fontem qui ascendebat de terra, ut haberetur Gen. ii.*

Rigans mundum novo rore,  
Nova prolis novitate,  
Nova facis, novo more,  
Cuncta mira claritate.  
Ex divina bonitate  
Fons ascendens in honore,  
Rigans terram charitate,  
Dei crescentis in amore.

II. — *Figurata fuit per lignum vitæ plantatum in medio paradisi. (Gen. ii.)*

Arbor et lignum vitale  
In paradisi medio,  
Plantaris spirituale,  
Cujus fructus fructio  
Replet omnia gaudio,  
Nunquam fuit, nec est tale,  
Nec erit procul dubio,  
Lignum ita commoda.

III. — *Figurata fuit per paradisum rigatum a fluvio voluptatis. (Gen. ii.)*

Casta Virgo, te fluvius  
Voluptatis irrigavit  
Paradisi, dum Filius  
Dei corpus habitavit  
Tuum, terra tunc donavit  
Nostria fructum uberiorum,  
Et naturam reformavit  
Nostram Deus in melius.

In paradiſo posuit  
Dens hominem Filium  
Suum, custodem posuit  
Tuum corpus egregium  
Per Gabrielem nuntium  
Dum visitare voluit,  
Redemptorem eximium  
Nobis eum exhibuit.

IV. — *Figurata fuit per arcam Noe, per quam fuit genus humanum tempore diluvii conservatum. (Gen. vi et vii.)*

Arcam Noe fabricavit  
Sed de lignis levigatis,  
Fabricatam subintrauit  
Cum uxore et cum natis  
De parentibus beatis  
Sibi Matrem te formavi

Dominus, et a peccatis  
Te subintrans consecravit.

V. — *Figurata fuit per arcum quem Dominus dedit Noe. (Gen. ix.)*

Pactum suum antiquitus  
Deus promisit patribus,  
Arcum suum divinitus  
Ostendendum in nubibus,  
Qui fœderis est omnibus  
Signum promissum cœlitus.  
A Deo pax hominibus  
Datur in eo penitus.

Labor et timor fugiunt  
Arcu monstrato fœderis,  
Spes et gaudium veniunt  
Peccatoribus misericordia,  
Qui de reatu sceleris  
Flentes arcum conspicunt,  
Per promissum de superis  
Se consolatos sentiunt.

Est in arcu cœruleus  
Color, qui virginitatis  
Typum gerit; et rubens  
Etiam, qui charitatis  
Forum notat; puritatis  
Tunc demonstrat aqueus  
Notam et humiliatis;  
Quam clegit in te Deus.

Nubibus cœli cerneris  
Arcus, quæ nos illuminas,  
Refulgens morum misericordia  
Exempla cunctis seminas.  
Hæreses omnes terminas,  
Et hæreticos conteuis,  
In Christo quando geminas  
Naturas similes congeris.

Arcus insuperabilis,  
Arcus potens, arcus fortis,  
Arcus dulcis, amabilis,  
Arcus patens cœli portis.  
Post præsentis metam mortis  
Nobis inevitabilis,  
Fac consortes tuæ sortis  
Nos, Virgo venerabilis.

VI. — *Figurata fuit per scalam quam Jacob in somni vidit. (Gen. xxviii.)*

Dormiens Jacob somnio  
Scalam vidit contingente  
Cœlum: cujus confinio  
Deum vidit innitentem,  
Angelorum descendenter  
Cœtum vidit, promissio.  
Terræ sanctæ per Potentem  
Datur et benedictio.

O Maria, figurata  
Scala, sed scalam superas,  
Ab angelo salutaris,  
Deum hominem generas.  
Super virtutem superas,  
Per angelos collocaris.

Genus humanum liberas;  
Ergo longe plus bearis.

VII. — *Figurata fuit per rubum  
qui ardebat nec comburebatur.*  
(*Exod. iii.*)

Mater, tua virginitas,  
Rubro montis ostenditur  
Oreb, cuius viriditas  
Per ardorem non uritur.  
Sic nec tua corrumperit  
Virginalis integritas,  
Dum ventre tuo jungitur  
Humanitati Deitas.

VIII. — *Figurata fuit per vas in quo  
servatum fuit manna.* (*Ex. xvi.*)

In vase manna positum  
Ut servetum, legitur,  
Israelitis traditum  
Neque vas manna frangitur.  
In te Christus concipitur  
Virgo per sanctum Spiritum,  
Neque tue minuitur  
Virginitatis meritum.

Nobis manna mirificum  
Servasti mirabiliter,  
Manna terminans typicum  
Figuratum veraciter,  
In se misericorditer  
Per illud Manna cœlicum,  
Quod datur communiter  
Israel in viaticum.

Vetustum manna novitas  
Tua gratiae terminat.  
Figuratum antiquitas  
Fugit, et luv illuminat  
Nova, quos lex discriminat  
Nova, cessat obscuritas,  
Purgat, mundat, eliminat  
Antiqua nova claritas.

Simumus Artifex omnium  
Te providit vas nobile.  
Vas dignum, vas egregium,  
Vas gratum, vas laudabile,  
Vas cunctis venerabile  
Faunilis, ut edulium  
Ministres delectabiles,  
Panemque cœli civium.

Tu ministras hominibus  
Verum panem angelorum,  
Tuis natūris visceribus  
Pro salute peccatorum.  
Hic est panis viatorum,  
Qui non est dandus canibus,  
Qui est salus miserorum,  
Præstans omnibus panibus.

Ecce panis dulcissimus,  
Ecce panis amplectendus,  
Ecce panis pinguissimus,  
Ecce panis diligendus,  
Ecce panis recolendus,  
Ecce panis præoptimus,  
Cibis cunctis preferendus,  
Et præ cunctis gratissimus.

Cibus iste nos reficit,  
Recreat et regenerat,  
Et sibi mentem allicit,  
Dirigit, et confederat.  
Omne bonum exaggerat,  
Et omne malum abicit.  
Vincit, regnat et imperat,  
Auget, alit et perficit.

Vivus panis, et vitalis,  
Via, veritas et vita,

Est hic paus immortalis,  
Et bonitas infinita :  
Quo resulget præmonita,  
Nova sposa spiritualis,  
Synagoga definita  
Perit, et umbra legalis.

Manna cessat, et cœlitus  
Nobis panis proponitur,  
Panis verus vivificus  
Nobis de cœlomittitur,  
Christianis conceditur  
Solis panis hic mysticus,  
Quibus communis traditur  
Verus panis angelicus.

IX. — *Figurata fuit per virgam  
Aaron, quæ habuit fructus, præter  
opus naturæ.* (*Num. xvii.*)

Beatus tabernaculo  
Moyses virgam posuit  
Aaron sed pro titulo  
Sacerdotis : quæ fronduit,  
Floruit, fructum habuit,  
Evidenti miraculo.  
Sacerdotis obtinuit  
Jus Aaron in populo,

Ecce valde mirabilis  
Res et miranda novitas,  
Floret siccas steriles,  
Gignit sicca steriles.  
Parturit virgæ siccas,  
Fructum profert, et fert. lis  
Eficitur steriles.  
Non fuit ante similis.

Notat virga florigeria,  
Quæ naturæ non opere  
Eficitur fructifera,  
Sed puro Dei munere,  
Quod debebas concipere,  
Virgo nova Puerpera,  
Novum fructum parere,  
Post partum virgo libera.

Ergo vere Virgo Parens,  
Geminasti campi florum,  
Dei Patris Verbum parens,  
Mundi paris Salvatorem,  
Puritatisque decorum  
Non amittis, sorde carens.  
Charitatis fundens rorem,  
Quo rigatur mundus arenas.

X. — *Figurata fuit per Stellam et per  
Virgam, de quibus prophetavit  
Balaam.* (*Num. xxv.*)

De Jacob exortura  
Nova stella prædictetur,  
Ex Israel nascitura  
Virga nobis ostenditur  
Per quam Moab perentitur.  
Te præsignat hæc figura,  
De qua Virga producitur  
Christus, mirante natura.

Ista Stella clarissima,  
Quam non violat radius,  
Luce nitens purissima,  
Crystallo fulgens clarius,  
Te significat verius,  
Virgo semper castissima,  
Quam non violat Filius,  
Nascens ex te mundissima.

Consurgens Virgo florida,  
Ex Israel prophete,  
Promissa Virgo nitida,  
Diceris virga mystica.  
Egrediens de radice  
Jesse, potens et valida,

Florem profers mirifice  
Virgo Materque gravida.

Tu es Virga, tu es Stella,  
Tu es gratia Fluvius,  
Deitatis munda Cella,  
Genitrix, cuius Filius  
Flos dicitur, et radius,  
Charitatis fundens mella,  
Cœlo, luctus superius  
Mundum servans a procella.

Ave, Virgo fertilior  
Universi arboribus.  
Ave, Stella fulgidior  
Universi sideribus,  
Factis, dictis, virtutibus  
Universi præstantior  
Creaturis, hominibus,  
Custos, et quies tutior.

XI. — *Figurata fuit per concham  
Gedeonis, de qua habetur Ju  
dic. vi.*

Tu Gedeonis rorida  
Concha cœlestis diceris,  
Rore manans et fluida  
Lana compressa velleris.  
Divini dono munieris,  
Tu semper manes madida,  
Solatium das miseris,  
Sed terra manet arida.

Verus cœlestis fluminis,  
Tuam concham munditiae,  
Ros replevit, dum Numinis  
Sacri munere gratiae,  
Plena Solis justitiae,  
Mater Dei, et hominis,  
Fis, flore pudicitiae  
Vernans Matris et Virginis.

XII. — *Figurata fuit per domum  
Dominii quam adfecavit Salo  
mon, et gloria Dei eam implevit.* (*III Reg. vi.*)

Implevit domum Domini,  
Superni regis gloria  
Suo sacratam nomini,  
Salomonis industria.  
Dum te superna gratia  
Gabrielis afflanni,  
Parentem Virgo Maria  
Replet dicatam Numini.

Notat hic Dei Filium  
Salomon rex pacificus,  
Qui fecit thronum regium  
Ut hic artifex cœlicus,  
Et nuntius angelicus  
Præparavit hospitium,  
Nostras salutis pisticias,  
Verum deferens gaudium,

Maria, mater gratiae  
Mater et fons bonitatis,  
Mater misericordiae,  
Fons, et fomes pietatis,  
Triclinium Deitatis,  
Mater Solis justitiae,  
Perpetuæ claritatis  
Confers lumen et gloriae.

XIII. *Figurata fuit per Abigail,  
quæ fecit pacem inter Nabal et  
Davidem.* (*I Reg. xxv.*)

Uxor Nabal cum Davide  
Pacem datis muneribus,  
Nabal reformat solidie  
Benignissimus precibus.  
Lieet Nabal sermonibus

Dictis, factisque stolidis,  
Meruisse doloribus  
Vitam finire turbide.  
  
Larga Nahal convicia  
Suo faciens tonsori,  
Querendo temporalia,  
Gula vacans, et honori,  
Comparantur peccatori,  
Dei danti convicia.  
Servis : unde morte mori  
Dehinc propter haec vitia.

Iste desiderabilis  
Vultu David gratiosus  
Rex nulli comparabilis,  
Manu fortis, bellicosus,  
Clemens, pius, amorosus,  
Christus est immutabilis,  
Qui semper est gloriosus  
In sanctis et mirabilis.

Es tu Abigail sapiens,  
David deferens munera,  
Nabal et David faciens  
Precibus tuis foedera :  
Dum pia lactis ubera  
Christo dedisti nutriendis,  
Hinc peccatoris sceleris  
Tuis meritis leniens.

Regina Virgo regia  
De genere David regis,  
Dei Mater et Filia,  
Christum Paren, Christum regis,  
Nostra Mater nostrae legis  
Gaudium et laetitia,  
Peccatoris fortis agis,  
Decus, honor et gloria.

In te sola spes figuratur  
Omnis humani generis,  
Per te solam destruitur  
Ad peccatum veteris,  
Vita portus es miseris,  
Per te salus acquiritur.  
Nescit reatum sceleris,  
Qui te devote sequitur.

Bonum est ergo subdere  
Sese tuae servituti,  
Secundum te se regere,  
Disponendo se virtuti.  
Namque tui servituti  
Per te possunt ascendere  
Coelum, vitam assecuti,  
Teum semper et vivere.

XIV. — *Figurata fuit per Judith,*  
*quæ Holopherinem peremuit, et post*  
*putum liberavit.* (Judith xiii.).

Volens mundum saevitiam  
Principis Assyriorum  
Subjicere : nefaria  
Manu collecta vitiorum,  
Magnam plebem Iudeorum  
Obsedit in Bethulia,  
In mortem moestant eorum  
Mente debacchans impia.

Sancta Judith pro populo  
Salvando se preparavit,  
Nocte surgens de lectulo,  
Vocans Abram properavit,  
Holopherni praesentavit  
Se, pro gentis periculo,  
Necans enim, liberavit  
Cives a mortis jactulo.

Est civitas Bethulia,  
Quam obsidet dissensio,  
Daemonisque perfidia,  
Et haeresis deceptio.

## SECTIO I. — THEOLOGIA MARIANA.

Conjuncta tuo Filio,  
Nostra mater Ecclesi,  
Tuo tuta subsidio,  
Munita tua gratia.  
  
Tu es Judith pulcherrima,  
Quæ liberas Ecclesiam,  
Holofernis acerrima.  
Ut per divinam gratiam,  
Haeresis perfidiam  
Confutatis (invictissima) ;  
Spem certissimam  
Infundens super familiam.  
  
Benignus sapientiae  
Spiritus, et dulcedinis,  
Consitii, scientiae,  
Timoris, fortitudinis,  
Lumen divini Numinis  
Omnis genere gratiae  
Te replevit, ut hominis  
Causa sis indulgentiae.

XV. — *Figurata fuit per Esther,*  
*quæ Aman fecit suspendi, et Mardochæum cum populo liberari.*

Edissa per coniubium  
Assuero conjungitur,  
Thalamum subdit regium,  
Coronatur, præficitur  
Cunctis. Vasthi deponitur,  
Amitit regni solium.  
Superba Vasthi tollitur,  
Esther habet dominium.

Notat Esther humile  
Cor contritum humiliiter,  
Cor dulce, cor amabile,  
Cor diligens veraciter,  
Cor contemplans sublimiter.  
Vasthi notat cor fragile,  
Exaltans se pernicienter,  
Superbum et indecile.

Et te quid est humilius  
Per cuncta mundi climata ?  
Dulcius, amabilius,  
Destruens cuncta schismata ?  
Te sacra probant dogmata  
Nil esse gratiosius,  
Sacra probant ænigmata  
Te nihil esse mundius.

Designat Esther igitur  
Te, qua nunquam humilior  
In creaturis legitur,  
Fuisse : nec suavior,  
Pulchrior, amabilior,  
Dulcior nulla dicitur.  
Et propter hoc sublimior  
Esse nulla te noscitur.

In Judeos invidia  
Saevit Aman perversitas,  
Damnat eos perfidia,  
Crudelisque dolositas.  
Mardochæi benignitas,  
Esther scribit eupropria,  
Mutetur ut crudelitas  
Decreti regis impia.

Condolet Esther fratribus  
Totius sui generis,  
His auditis rumoribus,  
Regem adit, qui foederis  
Signum dedit pestiferis,  
Morti datis complicibus,  
Damnatur Aman sceleris,  
Eius notis criminibus.

Tu es Esther, perfidiam  
Aman reprimens graviter,  
Famularum miseriam,

Exterminans benigniter.  
Regi summo feliciter,  
Desponsata per gratiam,  
Coronata perenniter,  
Regiam tenes potentiam.

Vere notat inimicum  
Aman humani generis,  
Dirum serpenteum, lubricum,  
Jure pulsam de superis,  
Condemnatum in inferis,  
Accusatorem iniquum,  
Quem tu calcas et conteris,  
Decum reddis pacisrum.

Sicut papillam oculi,  
Servos, servas, servo Regis.  
Tu Solamen es seculi,  
Refugium tui gregis.  
Summa Sponsa, summi Regis,  
Caput conteris Zabuli.  
Tu es verus Liber legis,  
Tu Area tabernacula.

Flos vernalis, flos lili,  
Flos florum decus virginum  
Diceris ; et auxilli  
Fons plenus, Custos hominum :  
Cujus attraxit Dominum,  
Et Angelum consilii,  
Dulcis odor, ut teimum  
Nobis daret exsilio.

XVI. — *Figurata fuit per columbam*  
*quæ attulit ramum olivæ*  
*Noe et filis ejus in arcam.*  
(Gen. viii.)

Ramum ferens videntibus,  
Ore columba proprio.  
Foliis fluctuantibus,  
Generali diluvio,  
Quos turbarat undatio,  
Noe, natis, conjugibus,  
Resovit eos gaudio ;  
Salutis intuitibus.

XVII. — *Et per perticam quæ in-*  
*lit serpenteum æneum in deserto.*  
(Num. xxi.)

Una serpentem pertica  
Deserto tulit æneum,  
Ut si intus vis toxica,  
Quemquam læserat Hebreum,  
Sanaretur videns eum,  
Ope Dei mirifica.  
Propellente viperorum,  
Virus virtute mystica.

Columba tu simplicior  
Omni, tutrix humilium,  
Salus hominum tutior,  
Mundo tulisti gaudium,  
Enixa Dei Filium,  
Omni veneno fortior,  
Medicina peccantium,  
Signo serpentis promptior.

XVIII. — *Figurata fuit per por-*  
*tam clausam, per quam vir non*  
*transxit.* (Ezech. xliv.)

Tu es Porta, quæ clauditur,  
Apertoris nescia,  
De qua propheta loquitur.  
Hominum nulli pervia.  
Quia Dei sapientia  
Ingreditur, et egreditur,  
Semota violentia,  
Per egressum non frangitur.

Virginitas est janua,  
Quæ cœlis fulgens altius,

Cœli non linquens ardua,  
Messias, Dei Filius,  
Conceptus est exterius  
Carne tectus exigua,  
Corpus sumens perfectius  
Ex te Virgo præcipua.  
Sicut sidus perluitur,  
Infuso solis lumine,  
Et eo lux emittitur  
Sive sideris fragamine:  
Sic sine carnis crimine  
Christus in te concipitur,  
Ex te manente virgine  
Super naturam oritur.  
**XIX.** — *Figurata fuit per mulierem quam vidi Joannes. (Apoc. xii.)*

Vidit Joannes mysticum  
Signum quoddam mirabile,  
Quod in cœlo propheticum  
Apparuit notable.  
Numquam fuerat simile  
Prophetis anigmaticum  
Signum datum, quod utile,  
Præcedens ut mirificum.

Erat patens cœlestibus  
Amicta solis lumine  
Mulier, lunam pedibus  
Supponens, cuius culmine  
Capitis pro tegmine,  
Duodecim sideribus,  
Sertum fulgebat numine  
Suis plenis visceribus.

Nihil te magis proprie  
Per istam intelligitur  
Mulierem, quæ serie  
Prophetæ nobis panditur.  
In te namque concipitur,  
Et oritur justitiae  
Verus sol, unde oritur  
Regnum cœlestis curiae.  
Tuis luna supponitur  
Pedibus, et militia  
Cœli tota per te regitur,  
Caput duodenaria,  
Patriarcharum gloria,  
Quæ per te benedicitur,  
Et bissena Victoria  
Apostolorum texitur.

Repleris plenitudine  
Generis omnis gratiae  
Totaque multitudine  
Virtutum et potentiae,  
Tu Decus excellentiae,  
Tu Lux carentis fuligine  
Culpe: Splendor glorie  
Mundum decorans lumine.

In te totum perficitur,  
Quidquid verbis propheticis,  
De te, Virgo, prædictur,  
Et legis anigmaticis:  
Sive quidquid angelicis:  
Tibi verbis exprimitur,  
Finitis verbis typicis  
Res manifesta cernitur.

Salve, Solamen hominum,

Salve, munda Stella maris,  
Salve, Purgatrix crinum,  
Salve, Virgo singularis,  
Consortio carens maris  
Concepis, paris Dominum.  
Tu Lapis es angularis,  
Quæ das figuris terminum.

Tu supra cœli solum  
Ad dexteram Dei resides,  
Juxta proprium Filium  
Cœli Regina presides,  
Confirmans mente desides,  
Præstans eis auxilium,  
Et tuis servis provides  
Imperando subsidium.

Ubi namque sanctissima  
Caro, quam Dei Filius  
Sumpsit ex te mundissima  
Intronizatur celsius,  
Creatis gloriosius,  
Ratio vult certissima.  
Esse te non inferius,  
Vel sede magis insima.

Ibi Mater cum Filio  
Gaudes cœli patria,  
Trinitatis consortio,  
Creata super omnia.  
Tua benigna gratia  
Felicitatis gaudio  
Nos coronat, et gloria,  
Beatorumque præmio.

Amen.

*Oratio.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriose Virginis Matris corpus et animam, ut dignum Filiui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti, da, ut ejus commemoratione letamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua et subitanea liberemur. Per Christum Dominum, etc.

*Alia Oratio.* — Deus, qui beatissimam Virginem Mariam, Matrem tuam, in Annuntiatione, Visitatione et Assumptione multiplici gaudio laetificasti, tribue, quæsumus, ut ejus precibus et omnibus sanctis tuis interventientibus ad inæstimabile gauium, quo nunc tecum sine fine gaudent, pervenire mereamur. Per Christum Dominum, etc.

Has videas laudes,  
Qui sacra Virgine gaudeas,  
Et venerando piam  
Studias laudare Mariam.

Virginis intactæ  
Dum veneris ante figuram,  
Prætereundo cave  
Ne sileatur Ave.

Invenies veniam,  
Sic salutando Mariam.  
Ave, Maria, gratia, etc.

Vilis homo materiae,  
Surge de mortis tumulo,  
Domi spes est adhuc veniae,  
Te subtrahere periculo.

Excutere de pulvere,  
Domi opus est remedio,  
Surge, curre pro bravo,  
Domi licet comprehendere.

Viam quærens in invio  
Malorum reminiscere,  
Ad patriam revertere  
Cum poenitente filio.

## II. — CORONA B. MARIE VIRGINIS.

*ARGUMENTUM.* — *Tractatus iste pulchre CORONA B. VIRGINIS inscribitur: cum non abs re sit, precatio-nes quæ ad Virginem fiunt, hoc nomine prænotari, sive quia sertum ex variis floribus confectum CORONA significat, sive quia quasi rota volvitur et circumfertur. Utraque enim significatio huic rei bene aptatur. Offere siquidem B. Virginis Marie preces variis lanquam suaves et odoriferos flores sive easdem vel frequenter repeteret, et in modum rote, iterare ad ejusdem B. Virginis patrocinium nobis conciliandum, plurimum valet. Modus autem iste recitandi Coronam a sancto Bonaventura traditus, paucis præpositis vel post-positionis, similis est illi, quem a sancto Jordano excogitatum narrat Surius die 13 Februarii, tom. VII, DE VIT. SANCT. Sanctus enim Jordanus, præmisso hymno AVE, MARIS STELLA, singulis quinque elementis nominis MARIA, singulos quoque aptavit psalmos. Pro primo scilicet elemento M, MAGNIFICAT; pro secundo A, AD DOMINUM CUM TRIBULARER; pro tertio R, RETRIBUE; pro quarto I, IN CONVERTENDO; pro quinto A, AD TE LEVAVI OCULOS MEOS, devote recitabat.*

Cum jucunditate memoriam nominis Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Gaude, Virgo Maria, Mater Christi,  
Quæ per aurem concepisti,  
Gabriele nuntio.  
Jesus, fructus ventris tui,

Per te nobis detur frui,

In perenni gaudio. Amen,

*Antiphona.* Ave, Maria.

*Psalm.* Magnificat.

Mediatrix Dei et hominum, tu digne magnificas Dominum, quæ sola concepisti Filium, qui est vera salus humilium, hinc omnium Deum quærentium

generatio, te beatam dicere et devote salutare debet dicens : Ave, Maria, usque, tui. Et beatus venter qui te portavit, Domine Jesu Christi et beata ubera que suxisti.

O igitur Mediatrix nostra Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, pro nobis, quæsumus, intercede, ut veræ compunctionis et devotionis gratiam nobis inspirare dignetur dilectissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, etc.

Gande, quia Deo plena,

Peperisti sine poena,

Cum pudoris lilio.

Jesus fructus ventris tui, etc.

*Antiph.* Alma.

*Psalm.* Ad Dominum cum.

Alma Redemptoris Mater eximia, qui tua egressus claustra virginea, cum his pacificus factus est incola, a quibus dura perpessus est verbera, unde digna es, o Virgo puerpera, ut omnis creatura te veneretur et benedicat dicens :

Ave Maria, etc.

Et beatus venter qui te portavit, etc.

O igitur alma Virgo Maria, Mater Dei dignissima, pro nobis, quæsumus, intercedere digneris, ut sanctum propositum, quod Deo inspirante concepimus, ad effectum salubriter perducere valeamus; præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, benedicto Filio tuo; qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

Gande quia tui Nati,

Quem dolebas mortem pati,

Fulget resurrectio.

Jesus fructus ventris tui, etc.

*Antiph.* Regina coeli, etc.

*Psal.* Retribue servo, etc.

Regina coeli, lætare cum jubilo: nam qui pendebat in crucis patibulo, surrexit vere summo diluculo, omni ablatto contemptus opprobrio. Unde digne omnis homo, cum gaudio tibi gratulari et benedicere debet dicens : Ave, Maria, etc.

Et beatus venter, etc.

O igitur Regina coeli dignissima, ora pro nobis Domina et Dominum nostrum Jesum Christum, ut

nos resurrectionis suæ participes efficiat in praesenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Qui cum etc.

Gaude, Christo ascende,

Et in ecclam te vidente,

Motu fertur proprio.

Jesus fructus ventris tui, etc.

*Antiph.* Imperatrix, etc.

*Psalm.* In convertendo.

Imperatrix et mundi Domina, tuus Natus cum quanta gloria, nostræ carnis sumpta materia, capta præda conseedit æthera; hinc os cordis plenius lætitia et lingua nostra exsultatione, te collaudet et benedicat, dicens : Ave Maria, etc.

Et beatus venter.

O igitur Imperatrix et Domina nostra benignissima jure Matris impera tuo dilectissimo Filio Domino nostro Jesu Christo, ut mentes nostras ab amore terrenorum ad coelestia desideria erigere dignetur. Qui vivit, etc.

Gaude, quæ post Christum scandis,

Et est honos tibi grandis

In ecclæ palatio.

Jesus fructus, ventris tui, etc.

*Antiph.* Advocata.

*Psal.* Ad te levavi.

Advocata misericordia, ad te sunt oculi servorum; te assumpsit Rex cœlorum super choros angelorum, ubi cœtus beatorum, te digne veneratur et benedic in æternum dicens : Ave, Maria, etc.

Et beatus venter, etc.

O igitur gloriosissima Domina, excelsa super sidera, piissima advocata nostra, suscipe laudum pia precamina, quæ ad honorem quinque vulnerum Filii tui, et ad laudem sancti nominis tui decantavimus, et pro nobis, quæsumus, intercedere festina, quatenus dulcissimus Filius tunc Dominus noster Jesus Christus per suam magnam misericordiam, a vinculis peccatorum nostrorum nos eripiat et in suo sancto servitio nos conservet, confortet ac finaliter per severare faciat, nam te nihil negans honorat. Quis cum Deo Patre, etc.

### III. — PSALTERIUM MINUS B. MARIAE VIRGINIS.

*Prima quinquagena.*

Ave, Virgo, vitæ lignum,  
Quæ perenni laude dignum,  
Salvo voto quod vovisti,  
Mundo fructum attulisti.

Ave, cui sine fine  
Reges astant et reginæ;  
Tu Regna seculorum,  
Regum Princeps, et regnorum.

Ave, David Germen justum  
Ut vitaleni Dei gustum  
Mercuriū experiri,  
Fac de monte nos audiri.

Ave, Virgo Deo digna,  
Serva servos, et consigna  
Luce tuae facie,  
Et splendore vultus Dei.

Ave, Mater novi moris,  
Nec conceptu Redemptoris,  
Neque ortu deflorata,  
Scuto Dei obrumbata.

Ave, Virgo, quæ furorem  
Conditoris in amorem  
Tua forma convertisti,  
Votis iram extinxisti.

Ave, Virgo quam Salvator  
Renunt testis et scrutator,  
Quem non fallit nox erroris,  
Laudat intus atque foris.

Ave, Virgo plena bonis,  
Gratiarum dives donis,  
Opus Dei digitorum,  
Grande nimis et decorum.

Ave, Virgo post et ante,

Pro me semper te pugnante.  
Vertat hostis mihi dorsum,  
Et conversus stet retrorsum.

Ave, Porta libertatis,  
Aula summe Trinitatis,  
Et solempne Dei Templum,  
Salus orbis et Exemplum.

Ave, Virgo, Flos regal s,  
Mulierum nulla talis,  
Verba cujus sunt argenteum,  
Lingua laudis instrumentum.

Ave, Virgo, cui plando,  
Tibi canto, te collando,  
Bona mihi tribuentem,  
Serva, Virgo, me earentem.

Ave, Virgo Deo chara,  
Pulchra, suavis, prudens, clara,

Sola Dei salutare  
Digna mundo generare.

Ave, Virgo, orbis honor,  
Natum Deum posce, precor  
Ut in arce Sion clare  
Nos concedat habitate.

Ave, Virgo, forma morum,  
Cui Christus Rex celorum,  
Mundi curis expeditæ  
Notas fecit vias vitæ.

Ave, Virgo, cuius ori,  
Voci verbis et clamori,  
Dei aures inclinatae  
Sunt, præstandi largitate.

Ave, Virgo diligenda,  
Lande cunctis præferenda,  
Radix sancta, Semen verum,  
Flos, et Gemma mulierum.

Ave, cuius provocatus  
Forma Deus, Deo natus,  
Pugnaturus non expavit,  
Sed ut gigas exultavit.

Ave, Scala cœli taugens,  
Ad te, Virgo, clamo plangens,  
Ut a malo, Stella maris,  
De Sion me tuearis.

Ave, Jesse Stirps beata,  
Virgo voto non fraudata,  
Tui cordis et tuorum  
Voluntate labiorum.

Ave, cuius quæ nascetur  
Claritatem gens loquetur,  
Cujus honor non decrescit,  
Et potestas sine finem nescit.

Ave, digna omni laude,  
Casta Dei Mater, gaude;  
Et admittit vota precum,  
Ut sis, Virgo, semper mecum.

Ave, Virgo, cuius manus  
Non fœdavit actus vanus,  
Sed ab omni pravitate  
Innocentes sunt servatæ.

Ave, Virgo speciosa,  
Cujus quasi recens rosa,  
Spirat caro, cor latatur,  
Mens in bonis demoratur.

Ave, Virgo, que jau audis,  
Coram throno vocem laudis,  
Jube simul nos astare,  
Dei laudes enarrare.

Ave, Virgo, rumpe moras,  
Et ad omnes semper horas,  
Mihi custos et adjutrix,  
Esto digna Dei nutrix.

Ave, Virgo, vernans flore,  
Gusto enjus et odore  
Rursum homo juvenescit,  
Et ad vitam revirescit.

Ave, Virgo, et appare,  
Jube tecum nos regnare,  
Et ad Christum, quo abiisti,  
Post te trahe, Mater Christi.

Ave, Virgo, favus mellis,  
Cedit ecce sol cum stellis,  
Tui vultus claritati,  
Tu decoris consummati.

Ave, Virgo, finis iræ,  
Purga culpas et largire,  
Nos peracto cursu mundi  
Pro peccatis nou confundi.

Ave, Virgo, pulchra visu,

Deprecor te toto nisu,  
Me clamantem quotidie,  
Clemens Mater, audi pie.

Ave, Mater, Virgo tamen,  
Posce semper sacrum Flamen,  
Ad munimen nobis dari,  
Et a Verbo nos firmari.

Ave, Virgo, ruga carentis.  
Da, intacta Dei Parens,  
Ut laus tua cum delectore  
Meo semper sit in ore.

Ave, Mater, expers viri,  
Fac me dignum inveniri,  
Quem digneris a iuvare,  
Noli, Virgo, jam tardare.

Ave, Virgo, Vena munda,  
Per te vivi fontis munda  
Mihi semper irroretur,  
Quo cor meum deebrietur.

Ave, Virgo, vita Via,  
Salve mundi Spes, Maria,  
Cujus legem cor rimatur  
Os sophiam meditatur.

Ave, Virgo, mundi Decus,  
Tibi cedens, Judex æquus  
Est oblitus iræ suæ,  
In aspectu formæ tuæ.

Ave, Virgo, mundi Ratis.  
Da, ut niti charitatis  
De te mihi semper crescat,  
Cor amore inclescat.

Ave, Virgo, Lux astrorum,  
Educ, queso, vitiorum  
Lutulenta me de face,  
Pro me Deo fusa prece.

Ave, Virgo, fac, dignare,  
Te laudantem me sanare,  
A languore nimis gravi,  
Quem peccando comparavi.

Ave, Virgo, da quod cernis,  
Ut contemplier in supernis,  
Epulantis turbæ sonum,  
Et cantantis ante thronum.

Ave, Virgo singularis,  
Vera veri salutaris,  
Et emissæ lucis Mater,  
Cui Deus verus Pater.

Ave, Virgo, tu quietum  
Fac frementis mundi fretum,  
Jesus navi soporatus,  
A te surgat excitatus.

Ave, Virgo, digna coli,  
Quæ divine tue proli,  
In festiva claritate,  
Vestis astas deauratae.

Ave, Virgo, mundi Lumen,  
Quæ a Patre, Verbi flumen,  
Tibi missum et infusum,  
Effusisti præter usum.

Ave, Virgo, Mater Agni,  
Iesu Christi, Regis magni,  
Qui est pius et benignus,  
Et honore summo dignus.

Ave, Virgo, formæ rarae,  
Cujus vultus singulare  
Visum jubar sunt mirati  
Reges cœlo congregati.

Ave, Virgo, veta mentein,  
Te laudando diligenter,  
Deputari inter reos,  
Ubi mors depaseet eos.

Ave, veris Claritudo,  
Tecum agri pulchritudo,  
Quæ perfusa coeli rore,  
Vernans orto Salvatore.

Ave, Mater orphanorum,  
Misericere misericordum,  
Tollens sordes et peccata,  
Super nivem dealbabat.

### Secunda quinquagena.

Ave, Virgo primitiva,  
Virgo fera ut oliva,  
Quæ divini germin Floris,  
Attulisti nostris oris.

Ave, Schema clarum David,  
Mundus omnis acclamavit,  
Sola Deum requisisti,  
Nec ad probra descendisti.

Ave, Virgo, novi voti,  
Posce bona mundo toti,  
Tuum omnes adjuvamen  
Sentianus semper, amen.

Ave, Virgo columbina,  
Fac ut mundi de sentia,  
Illuc volem datis pennis,  
Ubi quies est perennis.

Ave, Virgo, da, te duce,  
Me vivorum frui luce,  
In qua raptus ad superna,  
Vita vivam sempiterna.

Ave, Virgo specialis,  
Fove tuis me sub alis,  
Sede fruar, ut amœna,  
Et quiete pace plena.

Ave, Decus puellarum,  
Virga Iudeæ, semen clarum,  
Patris Parens, nata Prolis,  
Dei Domus, Aula Solis.

Ave, Virgo, Flos de spina  
Quod rogamus, da, Regina,  
Surge nobis in occursum,  
Præbe dextram, trahe sursum.

Ave, Virgo lacte lota,  
Pasce semper nos et pota,  
Deitatis fonte trino,  
De compunctionis vino.

Ave, Turris nostræ spei :  
Esto Virgo memor mei,  
Et cantorem laudum harum,  
Salva, Princeps feminaruæ.

Ave, Virgo sine dolo,  
Cujus omnis spes in solo  
Creatore semper mansit :  
Non in mundo qui pertransit.

Ave, Virgo, caro cuius  
Ridens dapes vitæ hujus  
Solum Deum concupivit,  
Et eum mente sitivit.

Ave, Virgo recti cordis,  
Nec ullius unquam sordis.  
Inquinata fœditate,  
Dono prolis illibatae.

Ave, Salus ex Iudeis,  
Votis, Virgo, fave meis,  
Ut in Sion reddam illa,  
Dum resurgam de favilla.

Ave, Virgo, par argento,  
Quæ pudoris detrimento,  
Igne mundi non aristi,  
Quem illæsa pertransisti.

Ave, Parens absque pare,  
Mater Dei deprecare

Deum mihi misereri,  
Et cum justis me censeri.

Ave, Virgo Deo juncta,  
Te tollente mala cuncta,  
Viae mea prosperentur,  
Res adversae secundentur.

Ave, Virgo per quam volens  
Pauper ille fit et dolens,  
Quo jubente dolor cedit,  
Et paupertas retro redit.

Ave, Virgo Dei cella,  
Quem pro nobis interpellat,  
Placa natum, ne moreris,  
Quæ repulsam non vereris.

Ave, Norma castitatis,  
Esto, Virgo, pro peccatis,  
Ne descendam ad tormentum,  
Forte mihi firmamentum.

Ave, Virgo, vitæ portus,  
Porta clausa, clausus hortus,  
Vellus clari Gedeonis,  
Veri Thronus Salomonis.

Ave, Virgo cujus lotus  
Pes peccando non est motus,  
Ergo firma vacillantes,  
Leva lapsos, tene stantes,

Ave, Decus discipline,  
Stella lucis matutinæ,  
Veri Solis tu aurora,  
Tu pro nobis semper ora.

Ave, Virgo, quam laudamus,  
Da securi videamus,  
Hora Christi judicantis,  
Et post semper imperantis.

Ave, Virgo, sed fecunda,  
Firma vagos, fœdos munda,  
Et qui aufert regum flatum,  
Regem nobis fac placatum.

Ave, Virgo, Dei quies,  
Tu antiquos mihi dies,  
Et per Ævam quam amisi,  
Redde lucem paradisi.

Ave, Virgo, quæ rogasti,  
De secreto ventris casti,  
Super ora peccatorum  
Verum panem angelorum.

Ave, Templum impollutum,  
Cujus mundo cor exutum,  
Nulla unquam sacerulari  
Lue quivit inquinari.

Ave, mundi Medicina,  
Misce potum et propina  
Fletum mihi mensurate,  
Pro peccati quantitate.

Ave, Virgo, flos æstatis,  
Tu divinæ suavitatis  
Me et manna suscepisti,  
Et haec nobis porrexisti.

Ave, Virgo, fuga mortem,  
Serva reos, et in sortem  
Transfer Dei filiorum,  
Reparatrix perditorum.

Ave, Virgo admiranda,  
Tibi nulla comparanda,  
Nulla talis in pueris,  
Universas tu præcellis.

Ave, Virgo, quæ de tristi  
Valle fletus emeristi.  
Orta terris, et in mare,  
De excelso rutilare.

Ave, Terra fructuosa,

Jesu Mater generosa,  
De qua nobis modo miro,  
Vir processit sine viro.

Ave, grandis et pusilla,  
Dei Mater et ancilla,  
Tu Regina reginarum,  
Honor cœli, laus terrarum.

Ave, Virgo, mundi vita,  
Tu cum Nato da petita,  
Ut me Dei civitatis  
Civem esse facias.

Ave, Virgo, dies festa,  
Per te salver a molesta  
Paupertate, qua labore,  
Mater absque viri thoro.

Ave, Virgo, et lætare,  
Te in cœlis imperare,  
Gens, et lingua omnis sciat.  
In æternum fiat, fiat.

Ave, Virgo, cuius oris,  
De splendore Conditoris,  
Splendor clare resplendescit,  
Lucet corpus, cor clarescit.

Ave, Virgo, decus rerum,  
Te jubente, me dierum  
Comitetur longitudo  
Et salutis plenitudo.

Ave, Cedrus exaltata,  
Virgo palmæ coæquata,  
Prenrens arcæ dignitatis  
Cunctaligna voluptatis.

Ave, Virgo, quæ decorem  
Induisti, Creatorem  
Præcinxisti pulchre Deum,  
Carne munda velas eum.

Ave, Virgo gratiosa,  
Tuque mitis et formosa,  
Super omnes es pueras,  
A te nunquam me repellas.

Ave, Virgo, vincens solem,  
Cujus infans terræ inolem  
Fundat, librat, et appendit,  
Fines manu comprehendit.

Ave, Virgo vita rectæ  
Fac peccata nos perfecte  
Confidendo, decorari,  
Da te semper venerari.

Ave, Virgo, vellus roris,  
Tu dilecta Salvatoris,  
Tu cor habes liquefactum,  
Ad ignitum Dei tactum

Ave, Sponsa Regis almi,  
Psalle Deo voce psalmi,  
Et fer ope, quam preciamur,  
Ne in culpa moriamur.

Ave, Nubes pluvialis,  
Quæ perusta mille malis,  
Corda nostra refecisti,  
Quibus Deum infudisti.

Ave, Virgo, nec morare,  
Surge, portas reserare,  
Quas obstruxit homo primus,  
Ut intrare nos possimus.

Ave, Virgo, quam invisi  
Nusquam tangit hasta nisi.  
Tota felix, nec adusta,  
Qualicunque re injusta.

Ave, Virgo, mundi sidus,  
Domus, tectum, mons et nodus,  
Ubi passersolitarius,  
Jesu Christe, demoraris.

Ave, Virgo delicata,  
Mater virum degnata,  
Per te datur vita dator,  
Et peronis miserator.

Ave, Virgo, terra bona,  
Tu petenti mihi dona  
Panem de te procreatrum,  
Vinum vera vite natum.

Ave, Mater Joseph veri,  
Ab interna qui tueri  
Semper fame nos dignetur,  
Per te illud impetretur.

Ave, Virgo, ac præbeto  
Unam mihi rem, quam peto,  
Me in tuo Salutari  
Ad salutem visitari.

Ave, Virgo, fons signatus,  
Cujus nunquam violatus  
Venter fudit Redemptorem,  
Oppressorum erexit.

Ave, Virgo, et implora,  
Ut cor meum omni hora  
Præparatum, lene, prouum  
Gaudens sit ad omnem bonum.

Ave, Virgo vita datrix,  
Ad te, dives Imperatrix,  
Clamo pauper et egenus,  
Et æruginna multa plenus.

Ave, Virgo, et ne sinas  
Sion muros et ruinas  
Sine nobis reparari,  
Fac ad illam nos quadrari.

Ave, Virgo, cuius vultus,  
Mores, modus, forma, cultus  
Cuncta placent ad perfectum,  
In te nihil est neglectum.

Ave, Virgo, Agni nupta,  
Opto, Mater incorrupta,  
Larga nimis et felici  
Tua manu benedici.

Ave, Virgo, nata mundo,  
Ne merganur in profundo,  
Tu deporta nos ad portum,  
Ad æterni Solis ortum.

Ave, Virgo, quam sincera  
Semper ex corde, spero,  
Vitæ meæ protectricem,  
Credo Dei Genitricem.

Ave, Virgo lætabunda,  
Per te vivam eum jucunda  
Electorum concione,  
In vivorum regione.

Ave, Virgo, virens salix  
Favus una fons et calix,  
Quæ propheta protoplasti  
Nectar orbi propinasti.

Ave, Virgo Virga Jesse,  
Dona nobis tecum esse,  
Ut affectu quo debemus,  
In æternum te laudemus.

Ave, Virgo gloria,  
Fac virtutem, virtuosa,  
Et me jube semper frui  
Visione vultus tui.

Ave, Virgo, meque doce,  
Intus sono sine voce  
Bonitatem, disciplinam,  
Et scientiam divinam.

Ave Virgo, tota lenis,  
Salves, oro, me a poenis  
Gravis hujus incolatus,

**Et aeterni cruciatus.**

Ave, Parenz absque nævo,  
Ad te cor et vultum levo,  
Ut me quoque consoleris,  
Quæ cunctorum misereris.

Ave, Virgo, lux justorum,  
Tu convexa superorum  
Glorianter introisti  
Et, ut regnes, resedisti.

Ave, cui Dominator,  
Rex cœlorum habitator,  
In perenni dedit jure  
Omnis sceptræ creaturæ.

Ave, Virgo benedicta,  
Quam non traxit ad delicta  
Rerum iste torrens vanus,  
Ros recurrens, flos mundanus.

Ave, Sion mons sublimis,  
Elevata Virgo nimis,  
Et in cœlis principatum.  
Jus usurpans, et primatum.

Ave, Virgo, quam perflavit,  
Et perflando fecundavit,  
Auster fructu spiritali,  
Christo flore virginali.

Ave, plena gratiarum,  
Domus septem columnarum,  
Dei manu fabricata,  
Nec ab eo violata.

Ave, Palmes vitis veræ,  
Dona Sion me videre,  
Cunctis, Virgo, fac diebus,  
Ut abundem latis rebus.

Ave, Virgo, maris Stella,  
Dona vires, doce bella,  
Fac me dote præliari,  
Et ne sinas expugnari.

Ave, Virgo, spes humana,  
Preme ventos, fluctus plana,  
Ut evictis mundi undis,  
Emergamus de profundis.

Ave, Virgo, cuius sensus

Nunquam fuit deprehensus  
Arroganter elevari,  
Aut injuste gloriari.

Ave, Virgo diva poli,  
Cujus Deus sibi soli  
Habitandum cor elegit,  
Et libenter ibi degit.

Ave, Virgo, vas inquenti,  
Jam in oram vestimenti,  
Unctionem qua abundas,  
Supplicamus ut infundas.

Ave, Virgo, quæ ad pura  
Adolendum precium thura  
Deo manus extulisti,  
Cui Mater exstististi.

Ave, Virgo pia tota,  
Da ut mente te devota,  
Et amore semper puro,  
Laudem nunc et in futuræ.

Ave, Cœlum spirituale,  
Summum, intellectuale.  
Tu mons ille non incisus,  
Tu cœlestis paradisus.

Ave, Mater, Virgo vera,  
Doce mente me sincera,  
Sion semper recordari,  
Non de mundo meditari.

Ave, novi Mater Adam,  
Cujus precor ut evadam  
In me justam ultiōnem,  
Pro me reddas rationem.

Ave, Mater pietatis,  
Per te nostræ cœcitatæ  
Nox, ut dies, illustratur,  
Malum omne propulsatur.

Ave, digna prædicari,  
Non me siuas supplantari,  
Et ne ruant ad excessus,  
Meos, Virgo, rege gressus.

Ave, Virgo, cor ornatum,  
Veta, quæso, ne peccatum  
Verbis parem excusare,

Doce linguam refrrenare.

Ave, Virgo, da post luctum  
Mundi hujus, hinc eductum,  
Phœbi vultu clariora  
Me videre Christi ora.

Ave, regum alta proles,  
Tu me, Virgo, sicut soles,  
Ad te salva fugientem,  
Serva tibi procidentem.

Ave, Arbor mire culta,  
Virgo pollens laude multa,  
In qua Deus cum descendit,  
Fœdum nihil deprehendit.

Ave, Virgo, quæ lactasti,  
Suave lumen quod gustasti,  
Et in cœlo mente fixa,  
Stella solem es enixa.

Ave, botrum ferens Vitis,  
Per quam pulsa mundi sitis,  
Lux est cœcis restaurata,  
Et libertas vincis data.

Ave, felix in septenas  
Sparsa stellas, que serenas  
Christianæ orbis rura  
Luce nunquam occasura.

Ave, rerum potens diva,  
Mense Dei tu conviva,  
Tu medullam da frumenti,  
Tecum mihi discubenti.

Ave, tota dealbata,  
Virgo cui comparata,  
Luna nigra reputata,  
Sol cum stellis obscuratur.

Ave, Virgo, quæ lætaris,  
Et exultans gloriaris,  
De virtutum tot unguentis,  
In cubili tuae mentis.

Ave, sidus principale,  
Alma Dei Mater, vale,  
In æternum æternorum  
Digna sono cymbalorum.

Amen.

#### IV. — CARMINA SUPER CANTICUM *Salve Regina.*

**ARGUMENTUM. — SALVE REGINA** sic dispositum est a S. Bonaventura, ut singulis vocibus quatuor adhibeat carmina B. Virginis laudes uberioris explicitantia : id quod optime præstitit doctor sanctissimus, cum vere reli-giosus esset, et affectione sancta serveret. Non enim nisi ab iis qui ejusmodi sunt canticum hoc subtiliter intelligi, aut efficaciter poterit decantari. De quo Bernardus, aut quisvis alius est auctor, in *Salve Regina* Serm. I, non longe a principio sic loquitur : « Tam suave est ad gratiam, tam secundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria, quod a nobis considerari et discuti, prout dignum est, non valeat. Ex eo autem quod suaviter sonat, mulcet affectum, et de sensum ubertate mentem impinguat, et in Sanctam sanc-torum, Advocatam scilicet nostram, dum eam, quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflamat. » Hæc ille. Ex quibus manifeste appetat præstantia hujus cantici, quod auctor noster devote canendo, ad frequenter illius meditationem animos legentium accedit.

*Salve.*

Salve, Virgo virginum, Stella matutina,  
Sordidorum criminum vera Medicina,  
Consolatrix hominum, qui sunt in ruina :  
O vere peccaminum vere Draconina.

*Regina.*

Regina regnantium, Virgo puellaris,  
Peperisti Filium Mater singularis,  
Sacratum palatum Dei convocaris,  
Divinum auxilium nobis largiaris.

*Mater misericordiæ.*

Fons misericordiæ dici ineruisti,  
Atque Mater gratiæ, quæ concepisti  
Summum Regem gloriæ, quem post peperisti,  
Largitorem venie mundo contulisti

*Vita.*

Vita, via, veritas est de terra nata

Et tua virginitas restat illibata,  
Nam tua humilitas fuit operata,  
Quod in te Divinitas esset incarnata.

*Dulcedo.*

Dulcedo dulcedinis, fructus benedictus  
Ventris tui virginis Agnus Dei dictus,  
Cujus unda sanguinis homo derelictus,  
Lotus labe criminis est, et dæmon victus.

*Et spes nostra.*

Et spes nostra solida es, Virgo Maria,  
Virga Jesse florida, ut in Isaia,  
Rore cœli madida, dicit prophetia,  
Pulchra ut nix candida, Mater Dei pia.

*Salve.*

Salve, lux fidelium, fulgens ut aurora,  
Quæ es supra lilyum pulchra et decora,  
Omne quod es! noxiū tolle sine mora.

*Et Dei auxilium pro nobis implora.*

*Ad te.*

Ad te clamamus miseri multum desolati.  
Nobis aures aperi pectoris sacri :  
Ut a fauce inferi per te liberati,  
Consequamur liberi viam tui nati.

*Clamamus.*

Clamamus devotius ad te suspirantes,  
Et affectuosius te pie precentes.  
Delle quod interius male cogitantes  
Gessimus exterius opere peccantes.

*Exsules.*

Exsules auxilio omnes sumus dati.  
Pro parentum vitio gloria privati,  
Paradisi gaudio et exorbitati  
Tuo beneficio sumus reparati.

*Fili.*

Fili suspiriis prodere coguntur,  
Mundi pro miseria per quam involvuntur.  
Ad damnata vitia saepe dilabuntur.  
Sed misericordia tua fulcuntur.

*Eva.*

Eva lapsus intulit damnum desperatum,  
Et a nobis abstulit gaudium beatum.  
Et post Eavam contulit Virgini incarnatum.  
Quo modo mortem sustulit, diluit peccatum.

*Ad te.*

Ad te clamant jugiter tui famulantes,  
Et in te fideliter omnes suspirantes,  
Juvamen humiliter tuum implorantes,  
Quos misericorditer audias clamantes.

*Suspiramus.*

Suspiramus fletibus nostris pro peccatis  
Et multis gemitibus per nos perpetratis.  
Sed in te confidimus, Mater pietatis,  
Vere pœnitentibus veniam da gratis.

*Gementes.*

Gementes recolimus mala retroacta,  
Quæ inique gessimus mente non coacta.  
Sed in te confidimus, Maria intacta,  
Ut a te, quæ petimus, sint in nobis facta.

*Et flentes.*

Et flentes doloribus mente verecunda,  
Lumen nostris cordibus infunde facunda :  
Vitiorum sordibus benigne tu munda,  
Junge nos cœlestibus, Maria jucunda.

*In hac valle.*

In hac valle misera, multum tenebrosa,  
Hominum sunt genera multum fœdosa.  
Nam eorum opera sunt contagiosa,  
Propter facta sclera et opprobriosa.

*Lacrymarum.*

Lacrymarum cumuli non prosunt vel aquæ :  
Cum senes et parvuli et plebs unaquaque  
Timeant quod æmuli querunt circumquaque,  
Et fratres hujus sæculi trahunt usquequaque.

*Eia ergo.*

Eia ergo dirige ad te nostras mentes,  
Atque lapsus erige : conforta trementes,  
Et errantes corripe te pie querentes,  
Miseros nos dirige in te confidentes.

*Advocata.*

Advocata libera coram Salvatore,  
Postulare propera consuetoque more,  
Et pro gente misera benigno favore,  
Natum tuum mitiga materno amore.

*Nostra.*

Nostra spes fidelium semper fuit talis,  
Est et erit, omnium Mater virginalis,  
Ut nobis præsidium civitas regalis,  
Sit atque remedium pulsis procul malis.

*Illatos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

Illatos pios oculos et misericordes  
Converte ad famulos in bono discordes,  
Et ad malum sedulos fortius concordes,  
Nostræ carnis stimulus deleas et sordes.

*Et JESUM benedictum fructum.*

Et JESUM unigenitum fructum benedictum  
Monstra nobis inclytum, pius et non fictum :  
Per quem genus perditum a Deo in ævum victimum,  
Datuum in interitum revixit invictum.

*Ventriss tui.*

Ventriss tui viscera JESUM portaverunt,  
Et beata ubera ipsum lactaverunt,  
Cui Judæi vulnera dira intulerunt,  
Et ipsum post verbera cruci tradiderunt.

*Nobis post hoc exsilium ostende.*

Nobis post hoc exsilium, benignum ostende  
JESUM tuum Filium, et nobis impende  
Verum patrocinium, et maternum extende,  
Et cum ad judicium erimus, defende.

*O Clemens.*

O clemens clementia summæ bonitatis,  
Adonai, filia flos virginitatis,  
Dominatorum venia, Mater pietatis,  
Virginum lætitia, stola charitatis.

*O pia.*

O pia, piissima Regina cœlorum,  
Omniū digna ditissima Dei sacerdotum,  
Virgo prudentissima, gemma confessorum,  
Atque jucundissima laus apostolorum.

*O dulcis.*

O dulcis, dulcissima super favo, melle,  
Colunba castissima, carens omni felle,  
Ater benignissima, juxta nostrum velle,  
Cuncta fœtidissima a nobis repelle.

*Virgo Maria.*

Maria eximia, natum deprecare,  
Ut quicunque omnia haec vult recitare,  
In tui memoria, et te collaudare,  
Dignetur in gloria sua collocare.

## SANCTUS THOMAS DE AQUINO.

### I. — DEVOTISSIMA EXPOSITIO SUPER SALUTATIONE ANGELICA, SCILICET Ave Maria.

*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. In salutatione ista continentur tria. Unam partem fecit angelus, scilicet, Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Aliam partem fecit Elisabeth, mater Joannis Baptistæ, scilicet, Benedictus fructus ventris tui. Tertiam partem addidit Ecclesia, scilicet, Maria. Nam angelus non dixit : Ave, Maria, sed : Ave, gratia plena, et hoc*

nomen, scilicet Maria, secundum suam interpretationem convenit dictis angeli, sicut patebit. Est ergo circa primum considerandum, quod antiquitus erat valde magnum, quod angeli apparerent hominibus, vel quod homines ficerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Nam et ad laudem Abrahæ scribitur quod recepit angelos hospitio, quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem

angelus ficeret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit beatam Virginem reverenter, dicens: *Ave*. Quod autem antiquitus non reverebatur angelus hominem, sed homo angelum, ratio est, quia angelus erat major homine, et hoc quantum ad tria. Primo, quantum ad dignitatem; ratio est: nam angelus est naturæ spiritualis, Psal. cxxx: *Qui facit angelos suos spiritus*, etc. Homo vero est naturæ corruptibilis. Unde dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (Gen. xviii, 27). Non ergo erat decens ut spiritualis et incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. Secundo, quantum ad familiaritatem ad Deum. Nam angelus est Deo familiaris, utpote assistens, Dan. vii: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*. Homo vero est quasi extraneus et elongatus a Deo per peccatum, Psal. liv: *Elongavi fugiens*. Ideo conveniens est ut homo revereatur angelum, utpote propinquum et familiarem regis. Tertio, praeminebat propter plenitudinem splendoris gratiæ divinæ; angeli namque participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine, Job xxv: *Numquid est numerus militum ejus, et super quem non surget lumen ejus?* et ideo semper appetet eum lumine; sed homines eti aliquid participant de ipso lumine gratiæ, parum tamen et in obscuritate quadam. Non ergo decens erat ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos, et haec fuit beata Virgo. Et ideo ad designandum quod in his tribus excedebat eum, voluit ei angelus reverentiam exhibere, unde dixit: *Ave*. Unde beata Virgo excessit angelos in iis tribus. Et primo, in plenitudine gratiæ, quæ magis est in beata Virgine, quam in aliquo angelo, et ideo ad insinnandum hoc angelus ei reverentiam exhibuit dicens: *Gratia plena, quasi diceret*: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiæ. Dicitur autem beata Virgo plena gratia quantum ad tria. Primo, quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ: nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo. Nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum. Peccatum enim est aut originale, et de isto fuit mundata in utero (1); aut mortale, aut veniale, et de istis libera fuit. Unde Cant. iv: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Augustinus in libro *De natura et gratia*: « Excepta sancta Virgine Maria, si omnes sancti et sanctæ, cum hic viverent, interrogati fuissent, utrum sine peccato essent, omnes una voce clamassent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos sedu-*

(1) Præservata in sua Immaculata Conceptione.  
(Ed. T.)

(2) B. Virgo, non virtute propria, sed ob prævisam

*cimus, et veritas in nobis non est* (1 Joan. 1, 8): excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo quæstionem habere. Scimus enim quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quæ illum concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. » Sed Christus excedit beatam Virginem in hoc quod sine originali conceptus et natus est; beata autem Virgo in originali est concepta (2), non autem nata. Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit: alii autem sancti specialia quædam, quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors, et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sicut beatus Nicolaus in exemplum misericordiæ, etc. Sed beata Virgo exemplum humilitatis, Luc. i: *Ecce ancilla, et postea: Respexit humilitatem ancillæ sue*. Castitatis: *Quoniam virum non cognosco, et omnium virtutum, ut satis patet*. Sic ergo plena est gratia beata Virgo, quantum ad boni operationem, et quantum ad mali vitationem. Secundo, plena fuit gratia quantum ad redundantiam animæ ad carnem, vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam: sed anima beatæ Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conceiperet Filium Dei; et ideo dicit Hugo de S. Victore: « Quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus mirabilia faciebat, in tantum quod de ea nascetur Deus et homo. » Luc. i: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Tertio, quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum, et hoc est in Christo, et in beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. iv: *Mille clypei, id est remedia contra pericula, pendent, etc*. Idem, in omni opere virtutis potes habere eam in adjutorium, et ideo dicit ipsa, Eccli. xxiv: *In me omnis spes vitæ et virtutis*. Sic ergo plena est gratia, et excedit angelos in plenitudine gratiæ, et propter hoc convenienter vocatur Maria, quæ interpretatur *Illuminata in se*; unde Isa. lviii: *Implebit splendoribus animam tuam*; et *Illuminatrix in alios*, quantum ad totum mundum, et ideo assimilatur soli et lunæ. Secundo, excellit angelos in familiaritate divina, et ideo hoc designans angelus dixit: *Dominus tecum*, quasi dicat: Ideo exhibeo tibi reverentiam quia tu familiarior es Deo quam ego, nam Dominus est tecum, Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio, quem nullus angelus, nec aliqua creatura habuit, Luc. i: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius*

maternitatem divinam a labe originali fuit omnino immunis. (Id.)

*Dei, Deus Filius in utero ; Isa. xii : Exsulta, et lauaa, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël.* Aliter est ergo Dominus cum beata Virgine quam cum angelo, quia cum ea ut filius, cum angelo ut Dominus. Dominus Spiritus sanctus, sicut in templo, unde dicitur : *Templum Domini, sacramentum Spiritus sancti, quia concepit ex Spiritu sancto ;* Luc. i : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Sic ergo familiarior cum Deo est beata Virgo, quam angelus, quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas. Unde cantatur de ea : *Totius Trinitatis nobile Triclinium.* Hoc autem verbum, *Dominus tecum,* est nobilissimum verbum quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur beatam Virginem, quia Mater Domini, et ideo Domina est. Nam convenit ei hoc nomen Maria, quod Syra lingua interpretatur *Domina.* Tertio excedit angelos quantum ad puritatem, quia beata Virgo non solum pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa namque purissima fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Item quantum ad poenam : tres namque maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit B. Virgo, quia sine corruptione concepit, in solatio portavit, et in gudio peperit Salvatorem, Isa. xxxv : *Germannans germinabit exultabunda et laudans.* Secunda data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit B. Virgo, quia ut dicit Apostolus I Cor. vii : *Virgines solitae sunt a curis hujus mundi, et soli Deo vacant.* Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit beata Virgo, quia cum corpore assumpta est in cœlum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in cœlum. Psal. cxxxix : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione ; et ideo *benedicta in mulieribus,* quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, jauam paradisi aperuit ; et ideo convenit ei nomen Maria, quæ

## II. — SERMONES DE B. VIRGINE MARIA.

## I. — In Purificatione B. Mariæ. (Ex Epistola.)

*Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis* (*Malach. iii*). Haec verba possunt exponi de adventu Domini ad templum materiale ; secundo, secundum allegoriam, de adventu in uterum Virginis. Secundum primum notantur quatuor in his verbis. Primo, veniendi velocitas, ibi : *Statim veniet,* scilicet post quadraginta dies a Nativitate : noluit enim plus differre, quin statim templum visitaret. Secundo, loci ad quem veniet sanctitas, ibi : *Templum sanctum.* Tertio, advenientis dignitas, ibi : *Dominator et angelus :* dominator, quia Deus; angelus,

interpretatur *Stella maris* : quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *Benedictus fructus ventris tui.* Peccator aliquando querit in aliquo quod non potest consequi, sed consequitur illud justus. Prov. xiii : *Custoditur justo substantia peccatoris.* Sic Eva quæsivit fructum, et in illo non invenit omnia quæ desideravit : beata autem Virgo in fructu suo invenit omnia quæ desideravit Eva. Nam Eva in fructu suo tria desideravit. Primo, id quod falso promisit ei diabolus, scilicet quod esset sicut dii, scientes bonum et malum : *Eritis, inquit ille mendax, sicut dii* (*Gen. iii*). Et mentitus est quia mendax est et pater ejus. Nam Eva propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis, quia peccando recessit a Deo salutari suo, nam et expulsa est de paradiiso. Sed hoc invenit beata Virgo, et omnes Christiani in fructu ventris sui, quia per Christum conjungimur et assimilamur Deo. I Joan. iii : *Cum apparuerit, similes ei erimus, etc.* Secundo, in fructu suo Eva desideravit delectationem, quia bonus ad edendum ; sed non invenit, quia statim cognovit se nudam, et habuit dolorem. Sed in fructu Virginis suavitatem invenimus et salutem, Joan. ix : *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Tertio, fructus Evæ erat pulcher aspectu ; sed pulchrior fructus Virginis, in quem desiderant angeli prospicere, Psal. cliv : *Speciosus forma præ filiis hominum,* et hoc est quia est splendor Paternæ glorie. Non ergo potuit invenire Eva in fructu suo, quod nec quilibet peccator in peccatis. Et ideo quæ desideramus queramus in fructu Virginis. Est autem hic fructus benedictus a Deo, quia sic replevit eum omnis gratia, quod pervenit ad nos exhibendo ei reverentiam, Ephes. i : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo.* Ab angelis, Apoc. vii : *Benedictio et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro.* Ab hominibus, Philipp. ii : *Omnis lingua confiteatur, etc.* Psal. cxvi : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic ergo et Virgo benedicta : sed et magis benedictus fructus ejus.

quia homo, I Tim. ii : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Quarto, Simeonis et Annae, et aliorum expectantium aviditas, ibi : *Queritis, et quem vultis, vultis quoad effectum, queritis in affectu.* Isa. xlvi : *Querite Dominum dum prope est,* etc. Quinto, adventus utilitas, ibi : *Testamenti : feicit enim nobis in adventu suo Testamentum de æterna hereditate,* Hebr. ix : *Ideo Novi Testamenti mediator est.* Possunt autem haec intelligi de adventu in uterum Virginis : ipsa enim est templum Dei mirabile præ omnibus sanctis. Primo, quia mirabiliter magnum secundum longitudinem per, latitudinem cha-

ritatis. Sicut enim plus habuit de fide, spe et charitate quam aliqua creatura, sic plus habuit de magnitudine. III Reg. vi: *Domus quam adificavit Salomon, habebat cubitos sexaginta longitudinis.* Secundo, quia desiderabiliter pulchrum, ibid.: *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur:* quia nihil in Virgine quod non sanctitatem plenum esset. Cant. v: *Tota pulchra es, amica mea,* etc. Tertio, quia variis picturis depictum, quia omnium sanctorum et angelorum virtutibus decoratum, III Reg. vi: *Fecit in templo Cherubim, et picturas.* Quarto, quia columnis miris et magis ornatum, Prov. ix: *Sapientia adificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Per septem columnas possunt intelligi septem virtutes quae notantur in B. Virgine in hodierno Evangelio. Quinto, opere totius Trinitatis consecratum, Psal. XLV: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* Luc. i: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Sexto, quia magna dignitate privilegiatum est, ut omnes rei et malefactores, qui ad illud currunt, ex toto corde salvantur, sicut patet in Theophilo, et aliis pluribus. Bernardus: « Ille taceat laudes tuas, Virgo, qui te in suis necessitatibus invocatam defuisse senserit: » et omnes orationes quae in eo funduntur, exauduntur, III Reg. viii: *Exaudiens in celo orationes eorum.* Septimo, quia ut Dei Filius ibi sterethomo, adificatum. Hebr. v: *Sic et Christus semetipsum non clarificavit, sed qui locutus est ad eum,* etc. In ista fuit rex et sacerdos. Adeamus ergo cum fiducia ad tempus gratiae, ut misericordiam inveniamus in tempore opportuno.

### II.—In Purificatione B. Mariæ. (Ex Evangelio.)

*Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt puerum in Jerusalem, etc. (Luc. ii).* In isto Evangelio possunt notari sex virtutes in B. Virgine. Prima, humilitas in purgatione, cum non indigeret. Secunda, amor puritatis in superabundanti purgatione; et ista duo, ibi: *Dies purgationis.* Tertia, reverentia in Filium in portatione, ibi: *Tulerunt.* Quarta, devotione in locorum visitatione, ibi: *In Jerusalem.* Quinta, gratiarum actio in Filii oblatione, ibi: *Ut sisiterent eum Domino:* quia tibi, Domine, quem dedisti offerimus. Sexta, paupertas in oblatione, ibi: *Duos turtures,* etc., quae erat oblatio pauperum. In hoc quod B. Virgo voluit purgari cum non indigeret, docuit quomodo nos qui indigemus, debeamus purgari. Debemus autem purgari septem modis, sicut potest colligi ex textu. Primo, a peccati coquinazione. Eccl. XLVII: *Doninus purgavit peccata;* Hebr. i: *Purgationem peccatorum faciens.* Secundo, in cognitione quoad intellectum. I Tim. i: *Ex corde puro,* id est intellectu sine errore, dicit Glossa. Jac. iv: *Purificate corda, duplices animo.* Tertio, in affectu quoad dilectionem. I Tim. v: *Qui invocant Deum de conscientia pura.* Quarto, in mente per rectam intentionem. I Cor. v: *Expurgate vetus fermentum,* id est hypocrisim. Luc. xvii: *Attendeite a fermento Phari-*

*savorum, quod est hypocrisia.* Quinto, in ore, quoad locutionem. Prov. xv: *Sermo purus, pulcherrimus firmabitur ab eo,* etc. Sexto, in manibus, quoad operationem, II Tim. ii: *Levantes puras manus.* Septimo, in toto corpore, quoad conversationem. Isa. i: *Excoquam ad purum scoriam tuam,* id est conversationem. Octavo, in rebus, quoad superflorum rescationem. Joan. xv: *Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat.* Rogemus ergo Dominum, etc.

### III.—In Annuntiatione B. Mariæ. (Ex Epistola.)

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isa. xi). Haec verba prophetæ fuerunt de conceptione Domini nostri Iesu Christi. Circa quam tria dicuntur in eis. Primo, dignitas concipientis; secundo, dignitas concepti; tertio, utilitas conceptionis. Primum ibi: *Egredietur secundum, ibi: de radice; tertium, ibi: Requiescat.*

Circa primum notandum, quod B. Virgo est speciosa, gratiosa, gloria, speciosa propter candorem virginitatis, ruborem charitatis, et rectitudinem sanctitatis, benignitatem humilitatis, propter flores desiderabilium morum, propter pulcherrima sola dulcium verborum. De primo et secundo, Cant. i: *Ecce tu pulchra es, amica mea.* De tertio, Psal. XLIV: *Virga directionis, virga regni tui.* De quarto, Luc. i: *Respxit humilitatem ancillæ suæ.* Cant. iii: *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi?* De quinto et sexto, Judith xi: *Non est tali mulier super terram in aspectu,* quoad pulchritudinem in sensu verborum, quoad locutionem, et de his similibus. Cant. iii: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, ecce candor puritatis; columnas ejus, ecce rectitudo sanctitatis; argenteas quæ cantum dulcem reddunt, ecce dulcedo locutionis, sive verbum: reclinatorum aureum, ecce humilitas: asceum purpureum, ecce honestas morum: media charitate constravit, ecce charitas.* Est ergo speciosa. Est et gratiosa propter multas utilitates, quae sunt sex. Prima, quia mare nobis divisit, id est, mundum, ut transeamus. Exod. XIV: *Tu leva virgam, et percuties,* etc. Secunda, quia de petra Christi nobis produxit aquam gratiae ut bibamus. Num. xx: *Tolle virgam, et loquere ad petram coram eis, et illa dabit aquas,* etc. Tertia, quia mel dat nobis devotionis, ut reficiamur. I Reg. XIII: *Expendit summitem virgæ, et intinxit in favum mellis.* Quarta, quia per ipsam diabolum superamus. II Reg. XXIII: *Cumque descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægypti,* id est, diaboli. Quinta, per ipsam divinam clementiam impetravimus. Esther iv: *At ille ostendit ei virgam, in qua signum clementiae monstrabatur.* Sexta, quia per eam de manibus inimicorum omnium liberamur. Psal. CIX: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* De his Cant. iv: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum,* etc. Est et gloriosa, quia floruit sine humore, fronduit sine corruptione, parturivit sine

kësione. De his tribus Num. vii : *Inventa est virga Aaron*. Item gloria, quia etiam a Magis propheta, ab hominibus prædicata, et ab omnibus generationibus beatificata. De primo, Num. xxii : *Orietur stella ex Jacob*. De secundo, Isa. xi : *Egredietur virga de radice Jesse*, etc. De tertio, Luc. i : *Beatam me dicent omnes generationes*. Est ergo ista Virgo speciosa et gratiosa et gloria. Egressus est flos, id est Christus, qui dicitur flos, quia fuit pulchritudo sanitatis, odor benignitatis, medicina sanitatis. De primo et secundo, Cant. ii : *Ego flos campi*, quoad primum : et *lilium convallium*, quoad secundum. De tertio, I Pet. iii : *Cujus livore sanati sumus*, ecce dignitas concepti. Sequitur utilitas conceptionis, quæ fuit omnium peccatorum destructio, ibi : *Requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae ut destruet luxuriam, intellectus ut gulam, consilii ut avaritiam, fortitudinis ut acediam, scientiae ut invidiem, pietatis ut iram, timoris ut superbiam*, etc.

#### IV. — In Annuntiatione B. Mariæ. (Ex Evangelio.)

*Benedicta tu in mulieribus*, etc. A Deo Patre, quia in eodem Filio secum communicas : a Filio, quia dignum habitaculum ei præparas : a Spiritu sancto, cuius operatione Salvatorem mundi generas. De tribus, Luc. i : *Spiritus sanctus superveniet in te*, quoad Spiritum sanctum : *Virtus Altissimi*, quoad Patrem : *Ideoque quod nasceretur ex te sanctum*, quoad Filium. Ab angelis, quia eorum vitam in terra inchoas, eorum ruinam reparas, eorum te allocutionibus humilias. Inchoavit vitam angelorum, quia instituit vitam virginum. Hieron. : « *Virginitas soror est angelorum.* » Idem : « *In carne præter carnem vivere, non est terrena vita, sed cœlestis.* » Reparavit ruinas eorum, quia genuit eum qui reparavit. Ephes. i : *In quo proposuit instaurare omnia, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra.* Eorum se allocutionibus consentiendo humiliavit. Luc. i : *Ecce ancilla Domini*. Beata ergo ab angelis. Benedicta et a peccatoribus, quia de eos angustia liberas, in periculis adjuvas, et de peccatis veniam impetas. De primo, Bernardus : « *Ille taceat landes tuas, Virgo beata, qui te in suis necessitatibus invocatam defuisse senserit.* » De secundo, idem : « *In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca.* » De tertio, recordare Theophilum liberatum. Item exemplum Fratris Martini Cisterciensis; exemplum Dominæ, cuius filius fuit captus; exemplum sororis regis Franciæ, quomodo postea habuit raptus. Item, benedicta a justis, quia exaudis in precibus, liberas in temptationibus, augmentas gratiam in virtutibus. De secundo et tertio, in hymno :

*Pia Mater et humilis,  
Natura memor fragilis,  
In hujus vitæ fluctibus,  
Nos tege tuis precibus.*

Bernardus : « *O homo, securum habes accessum ad Deum,* » etc. De secundo, Num. xxiv : *Consurget Virga de Israel ex his, et percutiet duces Moab*, etc.

Est ergo benedicta a justis. Est et benedicta a mulieribus, quia eas ab inimicis liberat, quoad virum excusat, quoad Deum honorat. Mulieres enim per peccatum a diabolo tenebantur, a Deo aspernabantur : sed beata Virgo ab inimicis liberavit, quia Christus Filius ejus diabolum destruxit. Hebr. ii : *Ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium*, id est diabolum. Quoad virum excusat : si dicit vir : *Propter te damnor*; mulier potest respondere : *Per me salvaris*. Item, honoravit quoad Deum, quia idem est Filius Dei et filius mulieris. Galat. iii : *Misit Deus Filium suum natum ex muliere*: propter hæc tria dicuntur de ea, Judith 1 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*. Es ergo benedicta a mulieribus, benedicta ab omnibus creaturis, quia eas a coquinatione liberas : quia earum Creatorem lactas, id est peccata mundas; quia eas in statum pristinum renovas. Filius enim quem genuit, creaturem omnes creavit, eas mundavit, ipsas renovavit. De primo, Joan. i : *Omnia per ipsum facta sunt*. De secundo, Apoc. i : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. De tertio, Psal. ciii : *Emitte Spiritum tuum, quo scilicet Virgo concepit, et renovabis faciem terræ*, etc. Apoc. xxi : *Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia*. Benedic te, Virgo beata, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Benedic te angeli, peccatores, justi, mulieres, et omnes creaturæ.

#### V. — In Assumptione B. Mariæ Virginis. (Ex Epistola.)

*Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, etc. (Eccl. xxiv.) Per sex arbores quibus comparatur exaltatio B. Virginis in ista Epistola intelligi possunt sex ordines beatorum. *Cedrus* significat angelos propter naturæ sublimitatem. Ezech. xxxi : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiiso Dei*, id est, angeli non fuerunt sublimioris naturæ Luciferi. *Cypressus* significat patriarchas et prophetas per odoris suavitatem : unde de uno dictum est, Gen. xxvii : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. *Palma* significat apostolos propter gloriosum de universo mundo triumphum. *Palma* etiam significat victoriam. Apoc. vii : *Et palma in manibus eorum*. *Rosa* significat martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubrum. Eccl. xxxix : *Et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate*. *Oliva* significat confessores propter oleum, Psalm. li : *Ego autem sicut oliva fructifera*. *Platanus* significat virgines propter frigiditatem libidinis incendium extinguentem ; crescit enim juxta aquas. In aqua frigiditas notatur. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatisans odorem dedi suavitatis* (Eccl. xxiv). Quanto subtilius, tanto melius est, et magis odoriferum : et per hoc intelligitur humilitas. *Balsamum* autem quanto gravius et ponderosius, tanto melius; unde probatur in aqua, et si cito descendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem potest

intelligi gravitas morum. Haec autem duo dant odorem suavitatis. Est ergo sensus, quod Virgo est exaltata, sicut angeli, patriarchæ et prophetæ, apostoli, martyres, confessores et virginis : et est liptote quæ pauca dicit, significatque magna. Fuit enim exaltata super choros angelorum, et super omnes sanctos : nec mirum si est exaltata sicut angeli, patriarchæ, etc. ; habuit enim meritum angelorum angelice vivendo. Hieron. : « In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. » Idem : « Virginitas soror est angelorum. » Habuit etiam meritum prophetæ prophetando, Lue. 1 : *Beatum me dicent omnes generationes* ; vidit enim spiritu propheticō, et prophetavit quod debebat beatificari ab omnibus gentibus, et quod omnes gentes debebant recipere Filium Dei et suum.

Multa enim scripta sunt et prædicata, quæ non potuerunt sancti nisi per revelationem ejus scire, sicut de ingressu angeli in conceptione, et aliis pluribus. Habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo, Luc. 11 : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Habuit meritum confessorum, devote Domino confitendo, Lue. 1 : *Magnificat anima mea Dominum*. Habuit meritum virginum, inchoando virginitatem et conservando, Lue. 1 : *Ingressus est angelus Gabriel ad Mariam virginem* : et sicut habuit ineritum omnium et amplius, ita congruum fuit, ut super omnes poneretur hic sermo : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens* (*Cant. vi, 9*), etc.

## ROBERTUS BELLARMINUS, S. R. E. CARDINALIS.

(1542-1621)

SUPER *Missus est CONCIONES QUINQUE.*

## CONCIO PRIMA.

Dominici Adventus sacrum tempus, et sua celebritate, et nostra consuetudine nos monet, optimi atque ornatissimi auditores, ut conciones variis de causis hactenus intermissas nunc demum, Deo auctore, repetamus. Quia vero superioribus annis de Evangelii et Epistolis, quæ hoc tempore inter saecorum solemnia in Ecclesia recitantur, locuti sumus; iis in presentiarum omissis, historiam Dominicæ Incarnationis, quam beatus Lucas evangelista conscripsit, quæque pulcherrima et suavissima et tempori magis consentanea, Domino adjuvante, exponendam suscipiemus. Sed necesse est, antequam ad ipsa beati Evangelistæ verba explicanda veniamus, pauca dicere de magnitudine atque excellentia totius legationis, quam idem beatus Lucas divinitus admonitus atque edoctus scribere instituit. Sic enim fiet, ut opus non sit a vobis petere, ut diligenter attenteque auditis. Neque enim hoc argumentum nostra commendatione indiget, sed ipsum per se non attentionem ac diligentiam modo impetrabit, sed etiam admirationem ac stuporem incredibilem excitabit.

Quatuor omnino rès sunt quæ legationem aliquam illustrare solent: auctoritas ejus, a quo legatio mittitur; dignitas personæ ad quam mittitur, præstantia legali; pondus ac magnitudo negotii. Quæ quidem in hac una legatione, ita sunt omnia magna atque exigua, ut talem alteram orbis terrarum nullo unquam tempore viderit. Is enim, qui legatum mittit, Deus est. Quid vero est Deus? *Magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos* (*Psal. xciv, 3*) : qui solo nutu aufert spiritum principum, terribilis apud omnes reges terræ (*Psal. lxxv, 13*); *Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc. xix, 16*) : eius potentia, sapientia, bonitas, maiestas, ita nullis terminis

coercetur, ita nullo fine concluditur, ita modum et mensuram omnem excedit, ut ne suspicari quidem tantam magnitudinem cogitando possimus. Ea vero, ad quam legatio mittitur, virgo quædam est, quæ suam quidem a clarissimis viris, patriarchis, prophetis, ducibus, regibus originem trahit; sed eos omnes veræ nobilitatis splendore longo intervallo post se relinquit. Neque enim fuit unquam, neque deinceps est futura talis altera virgo, quam solam optimo jure lumen ac decus orbis terræ, domicilium virtutum, aciem sanctitatis, florem ipsum generis humani nominare possumus. Atque is qui tanta legatione fungitur est angelus Gabriel, Virgine quidem, ad quam mittitur, divinae gratiæ muneribus et charismatibus minor, sed certe natura præstantior et dotibus major. Unus enim est de magnis illis principibus ac senatoribus, qui in aula cœlestis regni divinorum sacramentorum et mysteriorum concii et participes astant perpetuo coram Deo. Jam vero de negotii magnitudine ac pondere, quod hac legatione peragitur, quid dicemus? Est enim ejusmodi, ut ab eo salus totius humani generis dependeat. Neque negotium majus, aut admirabilius, aut nobis omnibus utilius, salutarius, suavius ulla unquam legatione confectum est. Hoc eam agitur, ut humana natura Dei Filio stabili matrimonio adjungatur, atque hujus affinitatis gratia genus humanum æternæ morti adjudicatum de ipsis faucibus mortis eripatur, et ad imperium cœleste ac sempiternum evehatur.

Quæcum ita sint, necesse non erit a vobis attentionem, aut diligentiam auscultandi petere; sed potius omnes simul, cum apostolo Paulo, a Deo nostro flagitemus, ut det nobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis nostri (*Ephes. i, 17, 18*), ut cognoscamus

magnum illud pietatis sacramentum, quod ab angelo nuntiatum, ab evangelista conscriptum, ab apostolis prædicatum, a mundo creditum, universa hoc tempore colit ac veneratur Ecclesia. Veniamus nunc, si placet, ad initium hujus divinæ historiæ breviter explicandum.

*In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilæam, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David : et nomen virginis Maria, etc.*

#### PARS PRIMA.

Exordium est hoc historiæ accuratissimum et pulcherrimum, quo tempus et locus rei gestæ, neconon personarum quæ rem tantam peregerunt, nomina et conditiones brevissime describuntur. Exposuerat enim paulo ante beatus Lucas Præcursoris Domini conceptionem, admirabilem illam quidem, et miraculis prodigiisque plenam, sed nullo modo cum novitate et miraculo conceptionis Dominicæ comparandam. Propterea cum dixisset : *Concepit Elizabeth, et occultabat se mensibus quinque, dicens : Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit afferre opprobrium meum inter homines (Luc 1, 24, 25), statim subjicit : In mense autem sexto, a conceptione videlicet Præcursoris, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilæam (ibid. 26), etc.* Quasi dicere vellet : Rem magnam exposui, mulierem videlicet anum et steriliem, præter omnem naturæ ordinem concepisse ; nunc vero multo majorem et difficultiorem, nempe conceptionem et partum virginis enarrare aggredior. Illud enim quanquam raro, aliquando tamen factum esse meminimus, et exemplum Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Annae et aliarum nonnullarum sterilium seminarum in ipsis divinis voluminibus legimus. Hoc vero, neque factum est unquam, neque fiet, ut merito de hac virgine ille Christianus poeta cecinerit :

*Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

Sed mysterium ejus temporis, quod sapientia Dei tam ad suam quam ad Præcursoris sui conceptionem et nativitatem elegit, silentio præteriri non debet. Quis enim casu factum esse sibi persuadere poterit, ut Præcursor et Dominus quatuor præcipios dies totius anni, duo æquinoctia, et duo solstitia inter se quodammodo divisorint ? ut Præcursor in æquinoctio autumni conceiperetur, in solsticio aestivo nasceretur ; Dominus vero æquinoctium veris eligeret ad conceptionem, et solstitium hibernum ad nativitatem ? Quid igitur haec sibi volunt ? Si easu facta non sunt, ergo mysterio non vacant. Joannes (audtores) legendi, Christus Evangelium significabat : propterea non immerito Joannes in æquinoctio autumni, Christus in æquinoctio veris concipitur. Quemadmodum enim tempore autumnalis æquinoctii collectioni frugum et fructuum finis imponitur, cadunt folia de arboribus, omniaque, quæ in agris sunt, arescere et interire incipiunt : ita Joanne adveniente, lex Moysis interitui appropinquabat, omnesque cæremoniae illæ legales, et sabbata et nomeniæ, et sacrificia, quasi

arentia folia decidebant : *Lex enim et propheta usque ad Joannem (Luc. xvi, 16).* Et sicut inennte vere, novus annus inchoatur, et omnia virere ac florere incipiunt, erumpunt de vitibus et arboribus gemmæ, ac omnis ubique terra herbescente viriditate quasi vestitur ; ita Christo ad terras descendente, novus populus, novæ leges, nova sacerdotia, nova sacramenta, novæ cæremoniae inchoabantur. Et hæc deinceps sola virere ac florere, et per omnem terram disseminari ac propagari, augeri et confirmari oportebat. Joannes præterea hominis veteris, Christus hominis novi figuram gerebat. Proinde optimo iure nascitur Joannes in aestivo solsticio, et Christus in hiberno. Quemadmodum enim in aestivo solsticio, sole recedente, dies minuantur, in hiberno vero, sole redeunte, crescunt : ita Joannes adventu suo veterem hominem paulatim minni debere significabat ; Christus autem novum hominem crescere jam oportere demonstrabat. Hinc est illa vox ejusdem beatissimi Joannis : *Illum oportet crescere, me autem minui (Joan. iii, 30).* Hinc etiam, quod majus ac mirabilius est, scimus Joannem quem minui oportebat, capite fuisse diminutum : Christum autem, quem oportebat crescere, in crucem sublatum, exaltatum actumque fuisse. Recte igitur, et divino prorsus consilio, sexto mense a conceptione Joannis, hoc est, die Martii vigesima quinta, quo etiam die mundus conditus a multis non sine causa creditur, mundi liberator atque assertor, Patre mittente, Spiritu sancto operante, angelo nuntiante, Virgo concipiente, in utero matris humana carne indutus apparuit. Atque hæc quidem de ejus tempore : nunc de ipso legato dicamus.

*Missus est angelus Gabriel.* Angeli (audtores) mentes quædam sunt spirituales, semipiternæ, celestes ac prope divinæ. Eorum locus est cælum empyreum. Ibi enim tanquam præsides orbis ab imperatore Deo collocati sunt. Eorum divitiae thesaurus quidam est infinitus sapientiæ. Eorum officium perpetuo amore Creatoris ardere, ejus pulchritudinem et magnitudinem admirari, diligere et laudare et semper eum stupore clamare : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth (Isa. vi, 3).* Porro naturæ præstantissimæ et pulcherrimæ sunt, adeo ut merito homines, cum aliquem a pulchritudine laudare volunt, cum angelicam faciem habere dicant : merito quoque divus Ambrosius angelos flores universitatis appellandos putaverit. Potentia vero tanta tamque incredibili prædicti sunt angeli, ut unus eorum pene in pineto temporis centum octoginta quinque millia hominum interfecisse legatur (IV Reg. xix, 35) talis igitur tantusque nuntius multis magnisq; et de causis missus est. Primum, ut ex dignitate legati auctoritatem mittentis et legationis magnitudinem intelligeremus. Deinde, ut liberatio ruinæ responderet, et sicut olim ad nostram querendam perniciem infernus motus est, et de grege suo malum angelum misit, qui mulierem in paradiſo circumventam falleret, ac

per eam primus Adam necaretur, et ejus morte nos omnes periremus; ita postmodum ad nostram liberationem procurandam moveretur cœlum, sanctumque angelum de suo cœtu emitteret, qui Virginem suo obsequio salutaret, et ex ea secundus Adam nasceretur, eujus gratia nos omnes a morte ad vitam rediremus. Præterea cum secunda persona divinissimæ Trinitatis carnem humanam susceptura esset, secundumque peccatum ejus adventu purgandum ac delendum (primum enim primi angeli, secundum primi hominis peccatum fuit), res ipsa postulabat, ut nuntium istud non alia quam secunda, hoc est, angelica natura perferret. Accedit postremo, quod cum cognata sit angelis virginitas, et in carne præter carnem vivere, non sit humana vita, sed angelica, nemo melius et congruentius ad Virginem castissimam et integerrimam mitti potuit, quam angelus. Quanquam enim conditione naturæ beatæ Maria hoīo, tamen vitae puritate angelus terrestris erat, et corpore quidem versabatur in terris, sed certe vita, moribus, animo, desiderio, contemplatione, mentis fervore, perpetuo habitabat in cœlo. Quis vero melius ad angelum terrestrem, quam angelus cœlestis mitteretur?

*Missus est igitur angelus.* Et angelus non quicunque, sed *Gabriel*: quem non immerito Virginis custodem, et non de minoribus aliquem, sed unum de primis et summis principibus esse divus Bernardus hunc locum exponens existimat (Epist. 77 ad *Hugonem*): «Quanquam enim cæterorum hominum infimi ordinis angeli custodes credantur, tamen ea quæ Mater Dei et angelorum Regina quandoque futura, et super choros angelorum exaltanda erat, quid mirum, si unum de summis angelis custodem habuisse dicatur? » Et licet multo crebrius minores, quam majoresmittantur, tamen et ad Isaiam unum de Seraphim volasse legimus (*Isa. vi, 6*). Et Apostolus ad Hebreos scribens testatur, *omnes* esse administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capient salutis (*Hebr. i, 14*). Neque dicere possumus, divinum Apostolum non de omnibus, sed solum de minoribus loqui. De iis enim sine dubitatione loquitur, de quibus paulo ante dixerat: *Adorent eum omnes angelii Dei* (*ibid., 6*). Et: *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*ibid. 5*)? Et: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*ibid.*)? Et: *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal. cix, 1*)? Statim enim, nulla interposita sententia, sequitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Jam vero quis dubitare potest, nullis omnino angelis, neque minoribus, neque majoribus, neque ipsis Cherubim et Seraphim, nunquam a Deo dictum fuisse, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et, *Sede a dextris meis?* Neque enim angelorum quamvis excellentium et sublimium, sed Dei solius est sedere:

illis vero tanquam famulis et administris stare et ministrare convenit. Itaque sicut Pontifex maximus, princeps ecclesiastice hierarchiæ, communia et vulgaria negotia per privatos homines procura, sed legationes tamen ad summos reges, non nisi summis principibus purpuratisque senatoribus credit: sic etiam Deum, hierarchiæ cœlestis caput ac Regem, credibile est ut plurimum minores angelos ad terras mittere, sed tamen ad nuntia perferenda rerum maximarum, qualis imprimis Verbi divini incarnatione fuit, non angelos quoescunque, sed primos ac summos destinare.

Neque vero nomen Gabrielis a legatione dissentit. Quid enim est Gabriel, si vim nominis considerare velis, nisi *fortitudo Dei*? Quid autem fortius, potentius, mirabilius nuntiari poterat, quam Virginem paritaram, Creatorem creandum, æternum nascitum, beatum passurum, immortalem moritum, unum et eumdem simul domi et foris, in patria et in exsilio, in deliciis summis, et in summis doloribus futurum? denique eum qui mundum totum pugillo complectitur, in utero feminæ unius claudendum? Quare merito jureque optimo archangelus Gabriel tanti mysterii nuntius missus est. Qui etiam quod hujus sacramenti præ cæteris angelis arcana cognoverit, vel ex eo intelligi potest, quod ipse idem, et olim Danielem docuit numerum hebdomadarum, quæ supererant usque ad Christum, et deinceps pontifici Zachariæ prædicti conceptionem, nomen, vitam et mores Præcursoris.

Venio nunc ad eum a quo legatio missa est. Quis igitur legatum misit? Deus. *Missus est angelus Gabriel a Deo.* Tribus modis Dei nomen exponitur, ut ex Theodoreto (serm. 3 *Adventus*) et Joanne Damasceno (*De orthodoxa fide*, lib. 1, cap. 12) intelligi potest. Nam et a verbo θέτειν, quod est currere vel a verbo αἴρειν, quod ardere, vel a verbo θεάσθαι, quod est, videre, vel prævidere, Dei nomen deduci posse censuerunt. Hæ vero expositiones omnes huic loco pulcherrime atque apertissime convenient. Nam si Deus a currendo dicitur, quando, quæso, magis eucurrit, quam cum naturam assumpsit humanam? quando *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal. xviii, 6*)? quando *venit quasi caprea cervusque camporum, saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant. ii, 8*)? Si vero dicitur a comburendo, quando, quæso, magis vim flammunarum suarum ostendit, quam cum ignem venit mittere in terram (*Luc. xii, 49*), et eas faces amoris in cordibus sanctorum accendit, quæ nullis aquis tribulationum unquam restingui potuerunt? Si postremo a videndo sive providendo nomen Deus accepit, quando majore ratione Deus dici potuit, quam cum afflictionem nostram et miserrimam captivitatem vidi, et liberatorem potentissimum nobis providit? Nam ut Clemens Alexandrinus sapienter annotavit, in nulla re magis eluet sapientia Dei, quam in adventu Servatoris. Sicut enim princeps ille pictorum Apelles, ut refert Plinius, ex una subtilissima linea,

summo artificio in tabula depicta, a Protogene cognitus est : sic etiam Deus, ut provisor et procurator rerum humanarum agnosceretur, argumentum Providentiae per incarnationem Filii ostendit, quo nullum majus aut evidenter desiderari potest. Quid enim facere potuit Deus, quod non fecit ? Se ipsum nobis dedit ; quid amplius postulabimus ? Quis modo dicere poterit : *Dereliquit Dominus terram* (*Ezech. viii, 12*) ; *circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat* (*Job xxii, 14*) ? Quomodo enim *dereliquit terram*, qui nullo suo commodo, ob solam hominum salutem descendit ad terram ? Aut quomodo *nostra non considerat*, qui civis noster, frater noster, os nostrum et caro nostra est, ut ærumnas et calamitates nostras tolleret, et bona sua omnia nobiscum communicaret ? qui hominis filius factus est, ut nos faceret filios Dei ? et de cœlo descendit ad terram, ut nos de terra transferret ad cœlum ? Quæ cum ita sint, vere a Deo, hoc est, a currente, ab urente, a vidente et providente angelus Gabriel missus est.

Sed nullamne nos utilitatem hinc capiemus ? Neque enim solum Evangelium exponere, sed etiam ex Evangelii expositione occasionem admonendi et cohortandi sumere debemus. Nullamne igitur ex nomine Dei utilitatem capiemus ? Imo vero magnam omnino, si sapimus. Nam et fiduciam excitare, et torporem excutere, et vigilantiam comparare, ex ejus nominis interpretatione possuinus. Primum, quantam fiduciam in quibusvis adversis rebus nobis Dei nomen afferret, si menti atque animo infixum haberemus, Deum nostrum, qui nostri curam gerit maximam, nosque diligit vehementissime, tanta velocitate afflictis succurrere solere, ut a currendo nomen acceperit ! Et quid causæ esse potest, cur non omni fiducia omnem sollicitudinem nostram in Deum projiciamus ? Ignorat fortasse, quid agamus, ubi simus, quid toleremus ? At ita omnia ubique videt, ut a videndo nomen traxerit. Sed forsitan non potest nos juvare ? At idcirco ab urendo nomen habere voluit, quod sit *ignis consumens* (*Hebr. xii, 29*), et nihil omnino ejus potentiae, virtuti, efficacitati resistere possit. Quid igitur superest ? Num dicturus es : *Videt quidem Dens, et potest, sed non consuevit, nisi raro admodum miseris openi ferre* ? Minime vero. Nam propterea currens dici voluit, quod ubique summa incredibilique celeritate semper accurrere, et omnibus se invocantibus atque in se confidentibus adesse soleat. Consule divinas Litteras, nihil frequentius invenies, quam : *In te, Domine, speravi, non confundar in eternum* (*Psal. xxx, 2*) ; et : *Nullus speravit in Domino, et confusus est* (*Eccles. ii, 11*) ; et, *Quoniam in me speravit, liberabo eum* (*Psal. xc, 14*) ; et : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (*I Petr. v, 7*). Experti sunt profecto, nisi fallor, plurimi superioribus mensibus in illa bellorum et periculorum magnitudine, communique totius patriæ trepidatione, qualis clypeus sit fiducia

in Deum. Certe enim parentem et propugnatorem habemus, cuius auxilium neque acies armatae impediare, neque sagittæ globisque tormentarii prævenire, neque valles, neque montes, neque flumina, neque maria, neque fossæ, neque moenia, neque obstacula ultra retardare possunt.

Deinde ad torporem ex animis nostris excentendum quantum valet, quæso, sæpe ac serio considerare parentem nostrum Deum ignem consumentem esse, et ab urendo nomen accepisse ? Nam si filii Dei nominamur et sumus (*I Joan. iii*), Parenti nostro persimiles : etsi non ignes, tamen igniti esse debemus. Quid ? quod non solum ex divino igne nati sumus, sed etiam igne divino quotidie alimur. Quid enim est aliud corpus Dominicum, quo a Deo in hoc exsilio pascimur, quam ignis spiritualis ? Nec immerito, auditores, nascimur ex igne, et igne nutritur, et ignes nos fieri necesse est. Siquidem elementum nostrum quo tendimus, et in quo tanquam in loco naturali quiescemos, sursum est, cœlum est, beatitudo est. Sursum, quo non terra, non aqua, non etiam aer, sed solus ignis ascendit. Hinc enim Dominus præ aliis frigore torpentibus Judæis aliquando dicebat : *Quo ego vado, vos non potestis venire* (*Joan. viii, 22*). Ibat enim Dominus sursum ; illi vero, qui marmorei ac ferrei erant, quo irent nisi deorsum ? Sed omniam Judæos et nos ipsos consideremus. Vis, frater, conjecturam de te ipso facere, atque utcunque cognoscere, an ad filios Dei Christique fratres et hæredes regni pertineas, necne ? Admove manus pectori, vide quid ibi reperias. Sentis cor tuum ardere ? anhelas ad elementum ignis ? ad cœlestem patriam, ad sedes beatorum ? ardes desiderio Deo placendi, ejus honorem promovendi, animas proximorum adjuvandi ? Num eos, qui tecum versantur, accendis ? num scintillæ divini amoris de corde tuo per os tuum producent ? Quid est, quod loqueris ? quid agis ? quid meditatis ? quo studia tua et cogitationes tuas dirigis ? Nam si Dei, hoc est signis, es filius, et si igne spiritualiter, non potes certe non ardere. Si vero glaciem sentis in pectore, si perpetuo terram intueris, si de cœlesti regno, quæ regio est ignis, nunquam cogitas, si eos qui te tangunt, tecumque versantur, efficiis frigidiores, male profecto tecum agitur, et nisi mature provides tabi, actum est de te. Istud enim frigus quid aliud quam signum mortis est ?

Sed ad postremum documentum, quod ex nomine Dei sumi potest, veniamus, scilicet quod ex hujus nominis consideratione ad vigilantiam excitemur. Hoc enim interest, auditores, inter deos ethniconum, et Deum Christianorum, quod illi videntur, sed non vident ; hic vero videt, sed non videtur. Nam simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum ; oculos habent, et non videbunt (*Psal. cxviii, 4*). At vero Deus noster, quem *nemo vidit unquam* (*Joan. i, 18*), quique posuit tenebras latibulum suum (*Psal. xvii, 12*), et qui *vere est Deus absconditus* (*Isa. xlvi, 15*), nihil est quod non videat. Num enim, qui

## PARS SECUNDA.

Diximus de tempore legationis, delegato et de rege a quo legatus missus est : superest ut de loco et persona ad quam legatus mittitur, dicamus.

*inxit oculum non considerat (Psal. XLVI, 9)? Nonne oculi Domini contemplantur in omni loco bonos ac malos (II Par. XVI, 9)? Et : Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta oculis ejus (Hebr. iv, 15).* Denique ita omnia videt, ut a videndo nomen trahere voluerit. Reete igitur veteres Aegyptii, Dei naturam exprimere volentes, oculum sceptro regali superpositum depinxerunt : nimis ut omnes eam imaginem intuentes intelligeremus, Deum nihil esse aliud, quam oculum omnia videntem, et auctoritate ac potestate plane regia, quod sceptro designatur, praeditum, neque malum ullum impunitum, neque ullum bonum irremuneratum dimittentem. O utinam eam imaginem, oculum divinum sceptro regali superpositum exprimentem, semper in corde expressam habememus, sicut habebat B. Abraham, qui a Domino audierat : Ambula coram me, et esto perfectus (Gen. xvii) : et magnus ille Elias qui tam crebro repetebat : Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu hodie sto (III Reg. XVII, 12) : et regius vates David, qui providebat Dominum in conspectu suo semper (Psal. XV, 8), ut ipse quodam loco in Psalmis testatur. Evidem iste divinus oculus superpositus sceptro suo, et impressus cordi tuo, a quo tandem flagitio te non revocaret? Quis enim vel agere, vel loqui, vel cogitare turpe aliquid auderet, si se ab oculo Dei videri serio existimaret? Nam si media nocte, cum in cubiculo es, et forte adulterium, vel fornicationem, dæmone suggestente, animo volvis, et ea cogitatione te oblectas, si te a me videri crederes, non saltem erubesceres? Sic opinor. Et tamen quis, aut qualis ego sum? Homo, peccator, conservus tuus, et qui in idem flagitium, si Deus permitteret, facile possem incidere. Et quid tibi obest, quod te videarem? Num ego te perpetuis flammis adjudicare, vel saltem alio aliquo tormenti genere afficere possum? Nihil horum. Quid igitur fieret, quam vehementer erubesceres, quanta contentione cum vitiis pugnares, si tu quidquid agis, quidquid cogitas, quidquid moliaris, etiam in abditissimis recessibus cordis tui deliteas, tamen ab eo cerni tibi serio persuaderes, qui te creavit et conservat, qui te sanguine suo redemit, qui te beatum et miserum facere potest, in eujus voluntate vita tua est, et cui nihil displicet magis quam peccatum? In mente vobis, quæso, veniat sanctus ille eremita, qui ad meretricem ingressus et flagiti committendi se cupidum simulans, secretius cubiculum petuit, in quod deductus magis remotum postulabat, affirmans emori se malle quam in tali criminis reprehendi; ulterius autem ingresso siebat scortum: En locum, ubi præter Deum nemo nos videre poterit: cui tandem ille: Ergone hoc parum tibi videtur, quod nos Deus videat? camque materiam ita deduxit, ut quam meretricem inveniat, Dei gratia adjuvante, continentem relinqueret. Habetis igitur quantum utilitatem ex solo Dei nomine percipere possimus. Paulisper quiescamus, et mox ad cetera veniamus.

Sequitur igitur: *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Hic est locus quem Dei Filius præ omnibus locis orbis terræ adventu suo consecrare atque ornare dignatus est. Tres vero cause potissimum mihi esse videntur, cur Nazareth potius quam aliam urbem Palæstinæ ad conceptionem suam Dominus elegerit. Primum, erat Nazareth Galilææ civitas obscura, propter quod neque reges, neque prophetas, neque alios viros illustres, ut aliae multæ civitates, unquam peperisset. Hinc est enim illa vox Pharisæorum ad Nicodemum: *Scrutare Scripturas et vide, quia a Galilæa propheta non surgit (Joan. VII, 52).* Et illa Nathanaelis ad Philippum: *A Nazareth potest aliquid boni esse (Joan. I, 46)?* Deinde in ea non Hebræi solum, sed etiam ethnici versabantur, ex quo Galilæa gentium ab Isaia propheta (I, 21) dicta est: *Terra Nephtalim, et terra Zabulon via maris trans Jordanem, Galilæa gentium (Matth. IV, 15).* Postremo, si nominis interpretationem quæras, *sancta ac segregata, et florens* interpretatur. Dominus igitur in civitate Nazareth concipi voluit. Primum quidem, quod sicut Nazareth obscura atque humilis habebatur, ita ipse non ut regnaret ac dominaretur, veniebat, sed ut serviret et contemneretur, ut malediceretur, ut occideretur, ut verbo et exemplo nos ad humilitatem mundique contemptum hortaretur. Deinde, quod sicut Nazareth Hebreos simul et gentiles complectebatur, sic ipse et Hebreos et gentes amplissimo sinu gratiæ et misericordiæ sue complecti volebat: *Parum est, Dominus ait, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et facies Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ (Isa. XLIX, 6).* Postremo, quod sicut Nazareth, licet obscura et vilis haberetur, tamen *sancta, separata, florida* interpretatur; sic ipse humilis, pauper, despectus esse voluit, sed non peccator: *imo vero sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus (Hebr. VII, 26), et omnium virtutum floribus ornatus: vel potius non floribus ornatus, sed flos ipse candidus et rubicundus, flos campi et lily convallium (Cant. V, 10).* Candidus enim innocentia, rubicundus charitate, de quo sanctus Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescat super eum Spiritus Domini (Isa. XI, 1, 2).* Ex eo vero (audidores) quod Christus *flos campi, et lily convallium* ex urbe florida, et mense Martio qui est mensis florum, pululare voluit, illud ego intelligo, eum vehementer delectari floribus: et licet omnes homines, qui serio recte vivere instituant, recipiat, tamen singulari quodam amore eos complectitur, in quibus florem sanctæ virginitatis, florem suavissimi odoris invenient; sicut etiam quamvis nullam ætatem a penitentia et regno cœlorum excludat, tamen quis dubitare

potest, eos esse Christo multo chariores, multoque ab eo vehementius diligi, qui non faceem senectutis, sed florem adolescentiae in obsequium ejus consecerunt?

Sequitur: *Ad Virginem despontatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria.* Est hoc in more positum, auditores, ut cum nuptiae celebrandae sunt, non ante matrimonium concludatur, quam sponsae consensus requiratur. Ita quondam cum servus Abrahæ Rebeccam pro Isaaco uxorem postularet, parentes et fratres respondisse legimus: *Vocemus pueram, et quaeramus ejus voluntatem* (*Gen. xxiv, 57*). Sic igitur et nunc, cum esset humana natura Verbo Dei matrimonio copulanda, misit Deus angelum suum ad Virginem, ut ejus quodammodo consensum et voluntatem requireret. Poterat quidem Deus, etiam Virginis non exspectata voluntate, matrimonium istud concludere; sed tamen et majore cum merito Mariæ, et cum illustriore gratia et dignatione Dei ejusmodi voluntas exspectata est.

Porro Matrem Liberatoris multis de causis virginem esse decuit. Primum, ne Filius Dei, quod turpissimum videri poterat, duos patres haberet. Deinde ne qui peccata tollere veniebat, ipse in peccato nasceretur. Rursum, ut sicut in cœlo Patrem habet sine matre, sic in terra Matrem haberet sine patre. Præterea, ut sicut Adam sine patre et sine matre natus est, nos vero ex utroque parente nascimur. Eva patrem habuit sine matre, ita unus esset, qui quadratum generationum impleret, et ex matre sine patre nasceretur. Postremo, ut verbis utar divi Augustini (*Lib. De Virg. cap. 6*), « Oportebat caput nostrum propter miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura. » Et sane si corpus primi Adæ ex limo terræ fabricatum, non ab angelo aliquo, sed a solo Deo formatum effectumque est, quanto majore ratione corpus secundi Adæ, ex integerrima virgineaque carne, non opera viri alicujus, sed sola Spiritus sancti virtute procreandum fuerat? Et si olim nascente mundo ad illam solam vocem imperantis Dei, *Genuinet terra herbam virentem* (*Gen. i, 11*), omnis ubique terra nullo suscepto sentine in momento concepit ac peperit herbam omnis generis: quanto magis conveniebat, ut mundo renascente, ad imperium solius Dei sine ullo humano semine terra nostra conciperet et daret fructum suum? Quocirca verum est omnino vaticinum Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (*Isa. vii, 14*).

Quod vero insania ac pertinacia Judeorum objicit, Hebreum vocabulum, quod eo loco Isaías posuit, non tam virginem, quam pueram significare, neminem movere debet. Nam ut magnus Basilius hanc ipsam objectionem refellens annotavit, tanquam magnum prodigium Isaías ponit, virginem paritram. Quale autem prodigium est, pueram viro conjunctam, et liberis operam dantem, tandem concipere et parere? Nonne feminas nuptias quotidie

parere audimus? Deinde, ut beatus Hieronymus (*l. 1 Contra Jovin.*), Hebraicæ linguae peritissimus, sapienter ostendit, verbum illud Hebreum *Alma*, pueram quidem significat, sed pueram absconditam, magna parentum diligentia custoditam, et quæ virorum aspectibus nunquam patet; neque in divinis Litteris unquam pro non virgine ponitur. Itaque recte Septuaginta interpres non pueram, sed virginem transtulerunt; recteque nos beatissimam Deiparam peregrinæ illi plantæ comparabimus, quæ simul et fructum profert et retinet florem. Ipsa enim inter mulieres sola fructum nuptriæ protulit, et florem virginitatis non amisit.

Sed cur, quæso, Virgo Deum paritura despontatur viro? Sic enim legimus: *Ad Virginem despontatam viro.* Veteres Patres, Ignatius apud Hieronymum in *Matth. lib. 1*, Origenes homilia *De Vigilia Nativitatis*, Basilii oratione *De Nativitate*, Ambrosius in *Lucam lib. ii*, Hieronymus contra *Helvidium*, et in *Matth. lib. 1*, et Bernardus serm. 2 super *Missus est*, hujus despontationis sex causas tradiderunt. Primam, ne Virgo Maria adultera crederetur ab iis quibus hoc mysterium ad tempus occultum esse oportebat. Alteram, ut solatium atque auxilium comitis haberet, cum erat fugiendum in Aegyptum. Tertiam, ut per Josephi genealogiam, Mariæ, atque adeo Christi ipsius secundum carnem origo monstraretur. Quartam, ut beata Maria Josephum testem pudicitiae suæ gravissimum fideque dignissimum haberet. Quintam, ne virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis preberetur, si dici posset, etiam Matrem Domini aliquando infamia impudicitiae laborasse. Postremam, quam ex divo Ignatio doctores cæteri didicerunt, ut beatæ Mariæ partus, cum virginitate conjunctus, ad tempus diabolo celaretur. Quanquam enim naturæ celeritate ac subtilitate facile diabolus omnia penetrat, nec ullis portis, aut parietibus excludi potest, tamen quin divina virtute impeditus, neque ad Virginem prepinquare, neque mysterium partus virginei videre potuerit, minime dubitamus.

Fuit igitur Virgo beatissima viro despontata, et viro sine dubitatione optimo et sanctissimo. Si enim in matrimonii cæteris prudentia hominum in primis requirit, ut vir et mulier sint opibus, nobilitate, ætate, omnibusque rebus aliis, quantum fieri potest, pares; quanto magis credendum est Deum, hujus castissimi matrimonii auctorem, illud voluisse, ut qui suæ matris sponsus eligi deberet, esset ei non solum ætate et nobilitate, sed etiam inorum integritate vitæque probitate quam maxime similis? Itaque sicut Maria a stirpe regia descendebat, ita et Joseph. Sicut Maria adolescentula; ita et Joseph, non omnino senex (ut pingitur), sed maturus juvenis erat, alioquin neque ei in itineribus, in pueri ferendo atque educando, aliisque periculis et laboribus subeundis, multum prodesse, neque Virginem adulterii suspicione liberare potuisset. Quæ tamen præcipue causæ despontationis

matrimoniique fuerunt; et quod majus et gloriiosius est, sicut Maria virgo, ita et Joseph. Sicut Maria sapientia et prudentia spirituali ornatissima, ita et Joseph. Denique sicut Maria Deum ipsum Filium suum appellare potuit, ita et Joseph. Alioqui Virgo ipsa non diceret: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te* (*Luc. ii, 48*). Et quanquam Deus Christus non natura Filius sicut Mariæ, ita etiam et Joseph fuerit, tamen magis ac verius filius ejus fuit, quam si adoptione fuisset. Erat enim verus filius veræ conjugis ejus. Sed quidquid de hoc sit, cui parum videtur sanctum Joseph patrem Dei saltem dici atque haberri potuisse, immo et oportuisse ac decuisse, quid ei magnum videatur ignoro.

Sed ut ad finem orationis veniamus, sequitur postremo: *Et nomen Virginis Maria.* Merito beatus Lucas hujus Virginis nomen tam diligenter expressit, quo nullum post Dei et Christi nomen, neque dulcius, neque venerabilius, neque salutarius, in auribus eorum qui verum Deum agnoscent, insinuare potest: *Et nomen Virginis Maria.* Quoties hoc nomen audimus, toties nobis in memoriam venire deberet magna illa Mater humani generis, quæ nobis Deum majestatis, affinem, fratrem, parentem effecit. Unde nobis omnia bona, quæ habenuis, et quæ deinceps habituri sumus, tanquam ex fonte quodam profluxerunt: *Et nomen Virginis Maria.* Maria (auditores) *Domina, Illuminata et Mare amaritudinis* interpretatur. Et quidni *Domina* ac *Regina* dicatur, quæ veri Dei qui solus est Dominus, vera Mater nominatur, et est? Quis vero dubitet eam illuminatam appellare, quæ veram lucem mundo peperit? Si Moyses quadraginta dies cum Domino familiariter colloquens (*Exod. xxxiv, 28*), ita luce perfusus est, ut in ejus vultum filii Israel oculos intendere non valerent, quid de ea existimare par est, quæ ipsum justitiæ Solem in utero, in sinu, in ulnis gestavit, et non dies quadraginta, sed annis amplius triginta, cum eo intime ac familiariter in eadem domo, in eadem mensa versata est? At mare amarum nunc quidem non est, sed certe fuit Maria, cum hic in terris viveret: fuit enim Filio suo in omni labore ac tribulatione socia, in paupertate, in itineribus, in persecutionibus, in doloribus, in angustiis individua comes. Deus enim quos diligit affligi permittit in hoc saeculo, ut postea tanto gloriiosius coronet in cœlo. Itaque hæc ipsa Virgo, quæ quondam mare amaritudinis erat, nunc stella maris effecta, et super omnes cœlos exaltata, radios suos ubique diffundit, *nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal. xviii, 7*), nec frustra in ejus fulgorem mundus intuetur, ac post Deum et Christum in ea confidit. Nam quia mare amaritudinis fuit, nostrasque calamitates experta est, compati nobis et condolere novit: quia *Regina* est, quidquid voluerit, a Rege filio impetrare potest: quia *illuminata* est, nostras ærumnas et calamitates non ignorat. Quænobrem, auditores, quotquot in mari-

hujus saeculi inter tot pericula navigamus, si mergi non volumus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si ventis agitamur tentationum, si ad scopulos allidimur tribulationum, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si avaritia, si ambitio, si carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si criminum immanitate turbati, conscientiae foeditate confusi, iudicii horrore perterriti, barathro tristitiae absorberi incipimus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. In periculis, in doloribus, in angustiis, in rebus dubiis, in omni denique itineris et navigationis hujus labore, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Non enim frustra dictum est: *Et nomen Virginis Maria.* Nemo est prorsus, qui aliquo nomine ad Mariæ thronum aditum non habeat. Si virgo es, invoca virginum Virginem: si matrimonio copulatus, invoca Matrem et Sponsam Dei: si dives ac nobilis, invoca cœli Reginam: si miser atque afflicctus, invoca amaritudinis Mare: si peccator, invoca Matrem misericordiæ: si justus, invoca Matrem Solis justitiae. Ita omnes experientia dissent, quam vere dictum sit: *Et nomen Virginis Maria.* Ejus interim Unigenito Domino nostro sit omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## CONCIO II.

Beatissimam Deiparam, auditores optimi, cuius hodierna die felicem totique mundo salutarem Conceptionem in vespertinis precibus, solito debitoque cultu, venerari coepimus, multi veterum sanctorum excellentibus ingeniis, summaque animi contentione, et singulari ac prope incredibili devotione laudum præconiis certatim attollere, ornare ac prædicare conati sunt: sed nihil unquam gloriosius, nihil majus, nihil splendidius, nihil ipsi Virgini jucundius dici potuit, quam id quod archangelus Gabriel nova illa et inaudita Salutatione, quam ipsa quoque Virgo mirata est, non suo, sed Dei nomine protulit, cum ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Quani quidem Salutationem, cum ea in Historia evangelica, quam explicandam suscepimus, hodierna oratione suo ordine explicanda se offerat, eidem nos gratissimis animis, et simul nostræ orationis obsequium, in hac ejus latissima celebitate tanquam munuscelum aliquod offeremus.

## PARS PRIMA.

Angelus igitur Gabriel ad Virginem ingressus, eam tanquam Dei Parentem, cœlique Reginam mox futuram, primum reverenter salutat: deinde tribus amplissimis titulis honorat. Ac verbum quidem Græcum Χαῖρε, quobeaatus Lucas Salutationem expressit, non solum avere, sed etiam gaudere significat; nec ulla potuit angelus uti voce magis apta et apposita. Quæ enim veræ salutis auctorem conceptura, et illum quem Eva miseris mortalibus merorem ingentem invexerat, erat semipaterno gaudio commutatura, quonam alio, quam salutis et

gaudii vocabulo appellari oportebat? Deinde quam pulchre factum est, ut in ipso primo verbo, quo nuntium salutis et prima gaudia mundo afferuntur, nomen primæ nostræ matris eisdem litteris, sed ordine converso, legamus expressum? Illa siquidem dicebatur *Eva*: et prima vox hujus nuntii salutaris est *Ave*: quo quid aliud significatur, quam donatam esse nobis alteram *Evam*, alteram communem matrem, sed multis priori contrariam? Illa enim fructum vetitum carpes, paradisum clausit, gehennam aperuit, mortem accersivit, laboribus et doloribus, plagis et vulneribus aditum præbuit: ista contra, fructum salutarem proferens, paradisum nobis restituit, a gehenna liberavit, mortem extinxit, labores sus-tulit, morbos curavit. Itaque hæc mater omnium viventium et beatorum dici potest; illa mater omnium morientium et miserorum. Illa a viro mortali appellata est *Eva*: ista merito jureque optimo ab angelo dicitur *Ave*. *Ave*, inquit, Virgo beata, neque enim tu anathemate et excommunicatione illa teneris, qua filii Adam, ut tibi *Ave* dici non liceat; quin potius brevi ex te nascentur summus quidam Pontifex, cuius auctoritate benedicentur atque ab excommunicatione absolvantur omnes gentes. Nec solum *Ave*, sed etiam *gaude*, mater felicissima. Ecce enim annuntio gaudium magnum, quod erit primum tibi, deinde etiam omni populo. Jam de te cœlum exsultat, exsultabit postmodum et terra. Nunc angeli gaudent, gaudebunt paulo post et homines, et te beatam dicent, tibique gratias agent omnes generatio-nes.

*Ave* igitur, *gratia plena*. Tribus modis fuisse mihi videtur beata Maria gratia plena. Primuni enim gratia plena dici potest, quod gratiosissima præ omnibus rebus creatis apud Deum fuerit. Sic enim angelus hæc sua verba paulo inferius explicat: *Ne timeas*, inquit, *Maria*, *invenisti enim gratiam apud Deum*. *Ecce concipies in utero et paries filium* (*Luc. i*, 30, 31). Non est quod timeas tu, quam Deus præ omnibus rebus diligit, quæ adeo ei charissima es, ac tantopere placuisti, ut singulari prorsus privilegio te unam ad hoc elegerit, ut ejus Filii sis Mater, cuius Deus ipse est Pater, et sicut ipse sine uxoris consortio Filium genuit, ita quoque tu sine mariti opera prolem concepias.

Deinde gratia plena dicitur, quia ipsum gratiae et salutis fontem et omnium bonorum Auctorem in utero suo tanquam in sanctissimo templo habitantem habuerit, quodque omnis gratiae plenitudo, quæ postea per omnem terram diffundenda erat, in unius virginis sinum, admirabili ratione et modo, se infuderit. Atque hoc respicit pulcherrima illa figura de rore et vellere quam ex libro *Judicum cognoscere* potuistis (*Judic. vi*). Quemadmodum enim tempore Gedeonis primum solum vellus, deinde area tota cœlesti rore perfusa est, sic etiam destillantibus cœlis, primum soli Mariæ, quæ me-

rito puritatis et innocentiae candidissimo et tenuissimo velleri comparatur, tota se infundit plenitudo divinitatis, deinde ex ea plenitudine nos omnes accipi-mus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sunus. Id quod apertius regius vates David ostendit, cum ait: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram*: pluvia siquidem voluntaria, quam segregavit Deus hereditati suæ, placide prius et absque strepitu operationis humanæ sno se quietissimo illapsu virginem demisit in uterum, postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum: nec jam *sicut pluvia in vellus*, seu *sicut stillicidia stillantia super terram*, cum quodam verborum strepitu ac sonitu miracu-lorum decidit. Nam et in omnem terram exiit sonus eorum (*Psal. xviii*, 5).

Postremo gratia plena beata Maria appellatur et est, quod gratiae donis, fide, spe, charitate, pru-dentia, justitia, temperantia, fortitudine, timore, pietate, humilitate, aliisque magnis virtutibus muneribusque divinis præ omnibus angelis et hominibus repleta fuerit. Si enim quanto quis ad fontem magis accedit, et aquam puriore, et in majore copia haurire potest; et quo quis ad solem propinquat magis, eo magis luce solis completur: beatissima Deipara numquid non plena gratia, quæ fonti gratiarum conjunctissima fuit? Num et justitiam in omnibus non induit, quæ ipsum justitiae Solem earnis nube vestivit? Virtutibus vero quibus carere potuit Mater Domini virtutum? Deinde cum inter se maxime pugnant peccatum et gratia, et simul in eodem pectore versari non possint, num illa gratia plena non fuit, quæ omni peccato non solum mortali, sed etiam veniali vacua semper fuit?

Sed unde hoc scimus? Cur reum tam magnam ac difficilem, ut vix fieri posse videatur, sine ullis testibus credemus? Quid enim majus ac difficultius, quam per viam vitæ hujus, viam luto et sordibus plenam, ubi alii usque ad verticem ingrediu-natur, feminam unam iter facere, et pedes suos non solum a sordibus et luto, sed etiam a minutissimo pulvere mundos conservare potuisse? Quis igitur hoc nobis persuaderet? Primum sponsus ejus, Spiritus veritatis, cum de ea in *Canticō amoris* quasi gloriatur ac dicit: *Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant. ii*, 2). Et rursum apertius: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant. iv*, 7). Deinde Ecclesia, mater nostra, de hoc præstantissimo et pulcherrimo et omnium suorum gloriosissimo membro idem con-sistetur (*Conc. Trid. ses. 6*) cum anathema dicit iis qui hominem semel justificatum affirmant omnia venia-lia peccata toto vitæ tempore vitare posse, nisi ex Dei privilegio speciali, quale beatissimæ Virgini conces-sum, eadem synodus Ecclesiam tenere confrmat. Num id sancti Patres, Dei et Virginis ardentissimi et castissimi amatores non prædican? Audi beatum Ambrosium, *Psal. cxviii* extremum versum explicitem:

¶ Suscipe, inquit, me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo: sed Virgo per gratiam ab omni integra labo peccati. » Audi beatum Augustinum de natura et gratia disputantem: « Excepta, inquit, sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omnium ex parte peccatum, quæ concipere et parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. » Ilac igitur Virgine excepta, si omnes sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, una voce clamasset, neque humilius, neque verius: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. 1, 8).* Audi beatum Bernardum in Epistola ad canonicos Lugdunenses: « Ego, inquit, puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in ea descenderit, quam ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunitam, quia nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimis Reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret pereemptorem, munus vitæ et justitiae obtineret omnibus. » Quid de Athanasio, de Nazianzeno, de Chrysostomo, &c. aliis Graecis Patribus referam, cum ii passim Virginem nostram integritate et puritate ipsis beatissimis spiritibus Cherubim et Seraphim anteponant? Quid de illo sene sanctissimo Ephrem, qui, in oratione *De laudibus Deiparae*, infinitis pene verborum ornamentis et splendidissimis nominibus ac laudum titulis eam honorat?

« Intemerata, inquit, prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Dominæ nostra gloriosissima, eademque optima; sublimior cœlicolis, purior solis radiis et splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, et sine comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior. » Quæcum ita sint, dubitari non potest, quin Virgo beatissima, sicut nullo unquam nec mortali nec veniali peccato contaminata fuit, ita fuerit etiam omni gratia et splendore virtutum ornata.

Accedit postremo, quod *Deus supervis resistit, humiliibus autem dat gratiam (I Petr. v, 5)*. Neque enim montes, sed valles implentur: *Inter medium montium (inquit Propheta) pertransibunt aquæ (Psal. cii, 10)*. Non in verticibus montium, sed in profundis vallum aquæ congregantur, et quo vallis profundior, eo majorem aquarum copiam recipiet. Illa igitur Virgo, quanto major erat, tanto humiliabat se in omnibus, et tanquam vas quoddam amplissimum et capacissimum, omnique vanitate vacuum erat, quomodo non gratia usque ad summum repleretur? Nos vero, auditores, qui toti vanitate pleni sumus, quid mirum si tam parum cœlestium bonorum possidemus? Alioqui Deus

noster mare gratiarum immensus, et infinitum, et quod exhaustiri nunquam potest, in nos effundet, aut certe quotidie divinis charismatibus auge-ret, si locum in nobis ullum inveniret. Qui enim Filium suum unigenitum tam liberaliter dedit, quomodo non cum illo omnia nobis donaret? Sed amor vanitatis, amor mundi, amor luti, amor tri-pudiorum, amor potionum, amor puerilium nugarum, ita cor nostrum occupavit, ut locum nullum vacuum reliquerit. Quotusquisque est, qui non aliqua vanitate tanquam visco teneatur? Unus delectatur vestibus, et incredibili curiositate tanquam sponsa aliqua comptus et ornatus incedit, et insatiabili desiderio varias formas calciorum, caligaram, palliorum, pileorum, aliarumque vestium, quæ nomina nondum habent, investigat: et nisi omnia accuratissime incisa, elaborata, ornata fuerint, frigus non pellunt, neque simplicibus contentus nisi triplicia et quadruplicia indumenta habeat, quibus etiam perticæ domi vestiantur, nihil se habere putat. Alius omni genere musicorum instrumentorum ludit, omnes lusiones, artem etiam gladiatoriæ didicit, omnem tripudiorn et saltationum varietatem novit, omnes amatorias cantiones memoria tenet, et qui est ejusmodi, non curiosus, aut vanus sed elegans, et politus appellatur, quasi ad ista perdiscenda nati simus, quasi tempus hujus vitæ non ad peccata deflenda receperimus, quasi non in exilio, non in terra aliena, non in regione hostium, sed in patria versaremur: quasi Christus magna voce non clamaverit: *Vœ vobis, qui ridetis, quia flebitis (Luc. vi, 25)*; quasi mors non instet a tergo, et jamjam nos abreptura videatur. Quid de aliis multo adhuc miseroribus dicemus? Quot sunt, qui cor ambitione plenum gestantes, nihil unquam somniant, nisi de gradibus, de titulis, de honoribus? Quot sunt, qui amore irretiti feminarum, ita luto et cœno carnalium cogitationum ac desideriorum pleni sunt, ut per oculos, per aures, per nares, per linguam cœnum effluat, et alios etiam contaminet? Sed usquequo parvuli diligent infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient (*Psal. iv, 3*)? Usquequo gravi corde, usquequo diligemus vanitatem, et quæremus mendacium? Habet Deus manus auro et argento plenas, in sinum nostrum projicere, eumque implere paratus est, si modo plumbeum nostrum rejicere velimus. Habet balsamum vinumque dulcissimum; eoque cor nostrum replere desiderat, si modo lutum et cœnum nostrum effundamus; et nos mercatores insipientissimi ad illas veras et sempiternas opes quas Deus gratis nobis venderet, oculos clausos habemus, ad ista vero caduca et fluxa, quæ maximo pretio vix emuntur, tamen oculos apertos et intentos semper retinemus. Et sicut qui dicebat: *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam (Luc. xiv, 18)*, qui villam nondum viderat, et tamen emerat, nondum viderat, et tamen usque adeo dilgebat, ut pro ea

cœnam divinam contemneret; nondum viderat, et tamen ita vineulis amoris ab ea tenebatur, ut ne- cesse haberet omnia relinquere, exire et videre illam: ita nos, auditores, villam huius mundi, mare istud magnum, in quod influunt omnia flumina vanitatum, nondum vidiinus, nondum bene novimus, nescimus quantum in eo amaritudinis, quantum laborum, quantum periculorum, quam duri scopuli sub aquis mollissimis lateant; et tamen ita diligimus ut pro eo Deum, animæque salitem, vitam beatam negligamus. Clamat Deus: *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa. xlvi, 8*); et nos tamen adhuc dicimus: *Necesse habeo exire, et videre villam.* Quæ est hæc necessitas? quis te compellit? quis urget? nonne si cor haberes, animæ salus præ omnibus rebus te mouere et urgere deberet? O si cor nostrum semel totum effunderemus, ut nihil ibi vanitatis remaneret; si exueremus ac depone- remus omnem mundi amorem; si pectus vacuum, et purgatum, et paratum Deo exhiberemus, certe Deus, qui vacuum non minus quam natura exhorreret, continuo illud balsamo pretioso gratiae et virtutum repleret, et tunc experientia disceremus, quam excellenti bono illa fruebatur, cui dictum est ab angelo: *Gratia plena.*

Sequitur: *Dominus tecum.* Quibus duobus verbis singularis quadam providentia Dei erga Mariam explicatur. *Dominus tecum,* inquit, hoc est, Merito ketari et gaudere potes, Virgo sanctissima; nam quidquid agere instituas, quocunque te vertas, Dominus tibi adest ut dirigit gressus tuos; ut in nullo te opere errare patiatur. Ipse oculis providentiae suæ semper te respicit, ille adjutor et protector tuus est. Simili genere locutionis legimus a Samuele dictum ad Saul (*I Reg. x, 6, 7*): *Post hæc insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium, et tunc fac quæcunque invenerit manus tua: quia Dominus tecum est.* Quasi dicere vellet, Cum adveniente Spiritu Dei in te mutatus fueris in virum alterum, age quidquid volueris, quia Spiritu Dei ageris, et Dominus in omnibus tibi aderit, et cuncta opera tua prospere succedent. Sicut enim cum populus contra Dei voluntatem præsumptum adversus Amalech suspicere vellet, Moysem dixisse legimus (*Num. xiv, 42*): *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum;* hoc est, non adjuvat vos Dominus; propterea si ascenditis, corruebis coram inimicis vestris. Denique in eadem significatione angelus ad Gedeonem: *Dominus tecum,* inquit, *virorum fortissime.* Quam salutationem ille prudenter intelligens, respondit continuo: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* (*Jud. vi, 12, 13.*) Ita Dominus cum Maria fuit; propterea quod ei providentia et auxillio quodam singulari semper adfuit, et ita singulari ut nunquam in peccatum ullum non sollem mortale, sed ne veniale quidem, ut ante diximus, incidere permisit. Cum aliis viris sanctis et amicis Dei satis præclare agitur, si Dominus ita cum illis sit ut, cum cedicerint, supponat manum, et eos collidi et con-

teri penitus, non patiatur: at cum Maria longe aliter fuit, quam non solum non collidi, sed neque cadere nunquam passus est. Fortasse etiam ad conceptionem divini Verbi angelus respexit, cum ait: *Dominus tecum.* Tunc enim non solum Dominus eum Virgi- ne, sed etiam solus Dominus cum sola Virgine fuit. Neque enim ad opus Dominicæ Incarnationis, opus maximum et divinissimum et angelis et hominibus adorandum, ulli omnino præter Deum et Virgi- nem convenerunt.

Jam vero tertium et postremum Virginis encomium est: *Benedicta tu in mulieribus.* Quod quidem non ita accipiendum quasi ipsa præ cæteris, hoc est, magis quam cæteræ benedicta; sed quasi cæteræ omnes maledictioni obnoxiae fuerint, et ipsa sola in toto genere femininarum benedicta. Aliae signidem omnes, vel filios non procreabant, et maledictionem ac notam sterilitatis effugere non poterant; vel procreabant illos quidem, sed Eva maledictionem incurribant, cui dictum legimus, cum a Domino malediceretur: *In dolore paries filios, et sub viri potestate eris* (*Gen. iii, 16*): at Virgo beatissima sola inter mulie- res benedicta utramque maledictionem declinavit. Nam nec sterilis fuit, nec cum dolore peperit. Sicut enim Eva superbiæ vento inflata, amplius quam par erat crescere volens, ita exigua et angusta evasit ut in ejus utero minima etiam proles angustias patet- retur, nec sine labore portari, nec sine dolore, eoque maximo et acerbissimo deponi posset: ita Virgo Deipara humilitatis virtute cœlo major, terra forti- tor, et orbe toto altior effecta eum sine labore portavit, qui portat orbem, et quem cœlum et cœli cælorum non capiunt, cum ipsa utero suo con- clausit, sine molestia tult, sine gemitibus peperit. Deinde duo sunt propter quod mulieres benedici ac laudari solent, fructus fecunditatis, et flos virginitatis, quorum tamen alterum amittant necessario, cum alterum elegerint. Proinde sola Maria inter mulieres benedicta, quæ gloriam virginitatis laude fecunditatis cumulare potuit. At qualis tandem est ea fecun- ditas, dicat aliquis, quam in Maria tantopere pra- dicamus? Quot filios, quæso, procreavit? Num duos aut tres saltem numerare poterimus? Unum quidem, auditores, duntaxat Virgo sanctissima Filium peperit, sed ita tamen unum, ut ille solus et major et melior omnibus filiis aliarum femininarum sit: sicut etiam Deum omnibus rebus creatis naturæ fecunditate au- teponere non dubitamus: non quod filios multos, sed quod unum infinitum et immensam generaverit. Præterea si omnes pii et sancti viri Christi fratres sunt, certe etiam Mariæ filii sunt, atque ad ejus clementissimum sinum, et maternam ejus ubera pertinere credendi sunt. Itaque sicut apostolus Paulus Chri- stum non unigenitum Patris, sed primogenitum vo- cat (*Rom. viii, 29; Coloss. i, 15*): ita etiam apostolus Matthæus eundem Christum non unigenitum ma- tris, sed primogeniton appellat: *Et non cognoscet eam,* inquit, *donec peperit filium svum primogeni- tum.* (*Matth. i, 23.*) Et divus Lucas: *Et factum est,*

inquit, *cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum.* (*Luc. ii, 6, 7.*) Quæ cum ita sint, vere Maria benedicta in mulieribus, hoc est, secundissima super omnes mulieres, cuius tantum numerum filiorum videmus, ut vere nunc sit semen ejus sicut stellæ cœli, et sicut arena maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

Quinque nobilissimas feminas, et præ cæteris benedictas, in sacris Voluminibus legimus, Mariam sororem Moysis, Annam matrem Samuelis, Ruth, Judith, Abigail : earum vero nomina, si prima litera singulorum capiatur, nostræ Virginis nomen componunt, ut intelligamus eas omnes beatæ Mariæ quasi typos et figuræ fuisse, et eas omnes laudes unam Mariam simul complexam, quæ in aliis sparsæ et separata fuerunt. Hæc igitur est Maria quæ prima inter mulieres mare Rubrum sæculi hujus siccis pedibus ab humore carnalium voluptatum pertransire potuit, et ideo chorus virginum dicens, prima cantare meruit : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorum deject in mare.* (*Exod. xv, 1.*) Hæc est Anna illa felicissima, quæ post multas lacrymas, multa jejuniæ tandem a Deo filium multo Samuele majorem et meliorem obtinuit, eumque statim ab infanthia in templum allatum Domino consecravit. Hæc est illa Ruth Moabitæ, quæ oblitera populum suum, et domum patris sui a sene Booz audire meruit : *Benedicta es, filia, tu a Domino, quia non es secuta juvenes pauperes, sive divites; plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas.* (*Ruth iii, 10; ii, 12.*) Vere enim Maria non solum populum suum et dominum patris sui, sed etiam totum mundum oblitera, ad Deum Israel, et alas ejus confugit, neque juvenes pauperes secuta est, sed ditissimum Antiquum diem sponsum habere voluit. Hæc est fortissima et castissima Judith, quæ non caput Holophernis amputavit, sed caput draconis conculeavit, et contrivit, et idcirco benedicta eam omnis Ecclesia sanctorum, dicens : *Benedicta tu a Domino in omni tabernaculo Jacob: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, eo quod castitatem amaveris, ideo et manus Domini confortavit te et ideo eris benedicta in æternum.* (*Judith xiii, 23; xv, 10, 11.*) Hæc est illa prudentissima et pulcherrima Abigail, quæ Davidis iram justissima indignatione succensam contra stultum Nabal mitigare potuit, et ab eo audivit : *Benedictum eloauium tuum, et benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem et ulciserer me manu mea* (*I Reg. xxv, 32, 33.*) Quis enim est Nabal, nisi homo peccator, et quis est David, nisi Deus, et quæ est Abigail, nisi Maria, quæ vere Mater misericordiæ, et peccatorum Advocata, a peccatoribus justissimam Dei iram precibus suis et intercessione avertit ?

## PARS SECUNDA.

Angelicam Salutationem breviter explicamus : sequenti die Dominica, Virginis responsionem (si

tamen Deo placuerit) exponemus. Nunc quia parum temporis superest, tres solum quæstiunculas, nec inutiles, nec injucundas, nec a proposito alienas proponam et solvam.

Quæro igitur primum, quæ causa sit, cur omnes concessionatores initium dicendi a Salutatione angelica faciant. Unde enim tanta dignitas Salutationis angelicæ, ut ea potius oratores utantur, quam alia prece ? Duæ mihi in præsentiarum rationes occurunt. Primum enim illud concessionatores fortasse cogitant, beatissimam Deiparam, qua die Salutationem angelicam audivit, ea Verbum Dei, quod antea, neque videri, neque audiri, neque capi poterat, humana carne quasi vestivisse atque effecisse, ut non solum videri et audiri, sed etiam manibus tangi potuerit, juxta illud B. Joannis : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt, de Verbo vitæ* (*I Joan. i, 1.*) Itaque propterea eamdem Virginem initio dicendi omnes salutant, ut ipsi quoque precibus ejus adjuti, eam copiam, eam facultatem, eam ubertatem, eam facilitatem orationis obtineant, qua verbum Dei, quod pertractandum suscepint, ita planum atque perspicuum faciant, ut pene manibus sentiri possit, ab omnibus qui audiunt, etiam tardioribus et rudioribus capiatur. Deinde munus concessionatoris munus angelicum est, et sicut angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro missus est ut ea virtute Spiritus sancti conciperet, et pareret Filium Dei ; ita concessionatores ad Ecclesiam mittuntur, quia apostolus Paulus despondit *uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor. ii, 2.*), ut ea quoque Filium Dei fide concipiatur, charitate pariat, bonis operibus nutrit. Quocirca merito Virginem Dei Matrem salutant, ut quod ab angelo salutata Christum non solum spiritu, sed etiam carne concepit, illud eis a Domino precibus suis obtineat, ut et ipsi angelica puritate munere suo fungantur, et Ecclesiæ virginis ad quammittantur, felix conceptus partusque succedat.

Altera questio est, qua specie angelus Gabriel beatissimæ Deiparæ se ostenderit. Quemadmodum enim tribus oculis diversorum generum homines vident, oculo corporis, oculo cordis, oculo mentis : sic etiam tribus modis angelii hominibus se videntes exhibere solent, in corpore, in imagine, in natura. Ac ut a postremo incipiamus, in sua ac propria substantia et natura nonnisi oculo mentis angelii videri possunt. Sunt enim natura mentes quædam spirituales, ab omni materia liberæ, omnisque corporeæ qualitatis expertes. Spiritus autem ac mens, spiritu duntaxat ac mente comprehendi potest. Itaque angelorum substantiam atque naturam ita ut est in se, solæ mentes beatorum vident. Porro in imagine angelii oculo cordis videntur, hoc est sensu quodam interno, qui a Græcis φαντασίᾳ, a nobis *cogitatio* dici potest. Ita sanctus Joseph beatus Mariæ sponsus, ita Magi, qui ex Perside ad Christi incunabula, stella duce, venerunt ; ita alii

nonnulli sanctos angelos per quietem vidisse credendi sunt. Legimus enim apud Matthæum : *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Et rursus de Magis : Et responso accepto in somnis ne redirent ad Hierodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam* (*Matth. ii*) Jam vero luminibus istis oculisque corporis in corpore ex aere assumpto angeli videntur : non enim proprio ac naturali, quod nullum habent, neque in corpore aliquo vere humano, quasi angeli naturam nostram aliquando ita assumant, ut unus et idem verus angelus, et verus homo dici possit. Id enim Origenes sensit, ejusque sententiam tanquam explosum errorem divus Hieronymus in Malachiam et Aggeum scribens reprehendit. Est enim solius Dei proprium summumque ac singulare miraculum supra naturæ potestatem, supra intelligentiam rationis, et penitus sine ullo exemplo solique Dei Filio reservatum, ut duabus perfectis naturis in unam coeuntibus personam unus et idem verus Deus et verus homo esset. Corpora igitur quibus angelii Abraham, Lot, Josue, Gedcon, Tobiæ, aliisque tam multis non solum se audiendos ac videndos, sed etiam manibus tangendos præbuerunt, ex aere sumpta erant. Possunt enim angeli virtute quadam admirabili, atque arte, qua prædicti sunt, aerem in corpus densum ac solidum cogere, eidemque varias membrorum figuræ variosque colores attribuere, atque ea corpora ita movere, ut humana vera ac viva, non quidem sint, sed tamen omnino esse videantur. Quia igitur forma archangelus Gabriel beatæ Mariæ Virginis apparet? Quia specie sese prodidit? Dubitari non potest, auditores, quin in corpore assumpto. Quid enim aliud illa verba significant: *Et ingressus angelus ad eam dixit, nisi angelum Gabrielem corpus accepisse, quo ad Virginem ingredereatur, quo loqueretur, quo cerneretur?* Deinde oportebat Virginem certissimam esse de nuntio, et multo sunt certiora, quæ in luce videmus, quam quæ nocte somniamus, et quæ aëribus corporis audiuntur, quam quæ sola cogitatione capiuntur. Illud etiam conveniebat, ut sanctus angelus beatæ Virginis apparens, eam formam susciperet, ac suscipiendo honoraret, quam ab ipso Deo paulo post suscipiendam et consecrandam esse nequaquam ignorabat. Itaque pulcherrimi atque splendidissimi juvenis formam imitatus est, sed habitu quodam, et specie augustiore, quam cæteri homines videri soleant, ut facile possit intelligi aliquid homine majus et præstantius in eo corpore latere, neque hominem mortalem, sed angelum cœlestem advenisse.

Sed ubi, queso, Virginem nostram saecularis angelus offendit? Hæc enim est postrema questio, que nobis explicanda superest. Num igitur angelus Gabriel Virginem nostram in plateis vagantem reperit? Aut certe in domo aliqua, ubi convivium celebraretur, et saltationes ac tripudia agerentur? Minime vero. Neque enim tunc licentiati et doctores creabantur, qui adolescentes et puellas ad cho-

reas duendas invitarent: et ignem ad stupam admoventes, concupiscentiae flamas augerent. Neque sancti angeli ejusmodi domos praesentia sua, aut visitatione dignantur. Ubinam ergo sanctus angelus Virginem nostram reperit? Domi sue clausam in cubiculo, ut veras virgines decet: « Sola, inquit, beatus Ambrosius (*lib. ii in Luc.*), in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiit. » Et beatus Bernardus (*serm. 3 super Missus est*): « Suspicandum, inquit, non est quod apertum invenerit angelus ostium Virginis. Clauerat illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non angelis. Proinde et si ad eam potuit intrare angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus. » Atque hoc est, quod beatus Lucas expressit, cum ait: *Ingressus angelus ad eam.* (*Luc. i, 28.*) Et quod de ea in Canticis cantorum legimus, dicente Sponso: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* (*Cant. iv, 12.*) Pretiosas et nobiles plantas, et quæ de ultimis terris allatae, vix usquam inveniuntur, non solemus in apertis campis collocare, ubi et ventis et frigoribus, et bestiis et latronibus pateant: sed in conclusis munitisque pomariis. Ita igitur et beata Maria merito domi se continebat, quod esset planta illa singularis, cuius pretium procul et de ultimis finibus, et quæ fructum saluberrimum ad salutem omnium gentium paritura erat.

Quid vero nos hinc colligere debemus? Illud nimirum, ut si ab angelis sanctis visitari, si eorum colloquiis frui, si gratia Dei repleri, si Dei Filium sanctis desideriis concipere, et bonis operibus parere volumus, discamus habitare nobiscum, diligere solitudinem, fugere frequentiam hominum, eorum præsertim qui nihil nisi de mundo cogitant; et sæpe in cubiculum cordis intrare, ibique extra tumultum et strepitum rerum hujus mundi obstructis diligenter portis ac fenestræ sensuum corporis nostri, cum Deo et sanctis angelis confabulari, et de rebus vere magnis cum eis conferre, de vita æterna, de salute animæ, de magnitudine cœlestis gloriae, de horrore atque æternitate pœnarum gehennæ, de illa humillima atque ardentissima charitate qua Deus ita nos dilexit, ut Filium suum unigenitum daret. Neque dixeris mihi, Ista est vita perfectorum, non omnes possumus esse perfecti. Hæc enim est vita Christianorum, qui omnes perfecti esse debent *ut sint filii Patris sui, qui in cælis est.* (*Matth. v, 45.*) Deinde, qui hic sumus, magna ex parte vel homines ecclesiastici vel bonarum artium studiosi sumus: et homo quidem Ecclesie, homo Dei, homo sacratus, quid aliud cogitare debet, quam quomodo placeat Deo? Quid ei tam proprium esse potest, quam habitare secum, et die ac noctes in lege Domini meditari? Qui vero ad studia doctrinæ, honestarum artium hue venerunt, si opibus sapientiae et eruditionis pectus implere desiderant, certe ita agere debent, ut semper oratio lectioni, et lectio orationi succedat.

Si vero haec ita se habent, quanto jure auditores meos, et presertim ingenuos adolescentes, admonere possum, ut eonvia declinent, sphæristeria fugiant, symposia detestentur, a tripudiis et saltationibus tanquam ab igne se abstineant? Si enim apostolus Paulus scurrilitatem, et stultiloquium, et hujusmodi alia quæ ad rem non pertinent, tam severe prohibet, ut ne nominari velit inter nos, *sicut decet sanctos* (*Ephes. v, 5, 4*); quanto magis insaniam tripudiorum et chorearum vetuisse, quæ non solum ad rem non pertinet, nec solum vana et otiosa, sed etiam periculosa et pernicioса est? Et si angelus sanctus domi nos invenire, et orationi vel lectioni intentos esse desiderat, quomodo credibile eum ad ea loca venturum, ubi compotaciones, vel tripudia exerceantur, et ubi dæmonum catervas adesse, imo et præesse dubitari non potest? Nam et beatus Chrysostomus ait: « Ubi saltus lascivus, ibi diabolus certe adest, et his tripudiis diabolus saltat. » O si quis vobis in mediis choreis oculos aperiret, ut dæmonum frequentiam tripudiantibus admistam cernere possitis! O si quis vobis aliquando demonstraret, quanta illi sollicitudine ad singulos saltantium accedant, et invisibilibus follibus concupiscentiae fornacem viorum erga mulieres, et mulierum erga viros accendere satagant, et quomodo ipsi quoque saltent, quomodo tripudent, quomodo gestiant, quomodo exsultent, quomodo triumphent, quomodo inter se clamant: *Euge, euge, devorabimus, devorabimus eos!* (*Psal. xxxiv, 25.*) Ac tum præsertim, cum aliquos vident fœdis amoribus implicatos, quibus offenditur Deus, impediuntur studia, obtunduntur ingenia, exhauriuntur marsupia, optimæ spei adolescentes perduntur, et domus ac civitates stupris atque adulteriis replentur, multique qui se filias virginies habere credunt, ante eas uteros gestare vident, quan de nuptiis cogitare coeperint. Ista enim sunt luera chorearum, luera dæmonum, damna hominum. Itaque recte divus Ambrosius: « Saltet, inquit, sed adulteræ filia: quæ vero pudica est, quæ casta est, religionem discat, non saltationem. » Neque vero te saltationibus operam dare dicas, ut corpus exerceas. Non enim desunt mille artes corpus exercendi. Si domi pemarium habes, sume sarculum vel ligonem, et in horto aliquid operis facito, neque tibi turpe esse ducas, quod summi reges Assuerus, Cyrus, alii plures sibi honestum ac decorum putaverunt. Quod si id non placet, egredere civitatem, perambula campos apertos, ubi neminem offendes, neque ab aliquo offenderis, ibique si cupis currito, saltato quantum libet: at cum pueris choreas ducere, et tanto animæ periculo ac detrimento corpus exercere, nulla ratio permittit. Quid enim? Num ut digitum curares caput tibi saceres amputari? Non opinor. At multo certe nobilior est anima corpore quam caput digito. Quæ igitur est ista prudentia, pro sanitate corporis, animæ vitam in discrimen adducere? Sed, inquis,

Ego me ipsum satis novi, et sæpius choreis interfui, nec unquam turpe aliiquid cogitavi. Sit plane ut dicis, quanquam ægre omnino id credi potest. Sed unde nosti semper ita esse futurum? Et quid scis, quod illa patiatur, cum qua tripudias? Quid cogitet, quid cupiat, quid meditetur, quomodo uratur? At non eo animo, inquietus, ad choreas accedo, ut aliqua ad libidinem concitetur. Reete. Sed si quis tibi colaphum infligeret, ac diceret: Noli ægre ferre, non enim eo animo feci, ut tibi nocerem: quid tibi videatur? Num tibi igitur placet, ut propterea anima illa pereat, pro qua Christus mortuus est? Apostolus Paulus non comedet carnes, in æternum, si in eo frater scandalizatur (*I Cor. viii, 13*); et tu ab una eaque minima voluptate non abstinebis, ne proxinam tuam, animam, occidas? Si oculus tuis scandalizat te, hoc est, si occasionem peccandi tibi præbet, eruere eum juboris et projicere abs te. (*Matth. v, 29.*) Et consuetudinem istam abscondere, et projicere abs te non poteris, quæ tantam occasionem, et tibi, et aliis præbet, ut majorem vix cogitare possimus? Juvenis quidam formosissimus (ut divus Augustinus lib. *Quæst. Veter. et Novi Testamenti*, quæstione 415, auctor est) cum videret multas feminas propter sui corporis formam, turbibus desideriis uri, ipse sibi faciem turpi vulnere dehonestavit, idque eo solum fecit quod Christianus esset, nulle modo ferendum esse judicans, ut Christianis Christianus peccandi materiam afferret; et tu tam delicatus Christianus eris, ut non saltem exigua delectatione carere possis, ne tibi et aliis peccandi materiam præbeas? Sed nolo esse prolixior, tantum quæso ut nos recordemur esse Christianos, et, hujusmodi vanitatibus repudiatis, cor nostrum ad angelorum illustrationem et divinam visitationem ac Spiritus sancti consolationem præparemus: cui cum Patre et Filio omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

### CONCIO III.

Quam vere ac sapienter, auditores optimi, beatus Ambrosius (lib. II *De virginitate*) beatissimæ Deiparae laudes prædicans dixerit: « Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit: » cum ex aliis multis divinae Scripturæ locis, tum vel maximè ex eo, qui hodierna oratione tractandus occurrit, facile potest intelligi. Etenim ex historia evangelica Dominicæ Incarnationis hodie suo ordine pars illa explicanda se offert, in qua beatus Lucas exponit, ad quem modum Virgo sanctissima angelicam Salutationem exceperit. Qui quidem locus plures fere Virginis præclaras virtutes indicat, quam verba contineat.

*Quæcum audisset*, inquit beatus Lucas, *turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio.* (*Luc. 1, 29.*) Quis in isto silentio, et commotione, tacitaque Virginis cogitatione, virgineam, teneramque verecundiam, prudentiæ zelum singularē, virilem in femina constantiam, consilium,

ac prudentiam admirabilem, veram profundamque humilitatem elucere non videat? Duæ siquidem priores virtutes, verecundia et virginitas, turbationem et metum; duæ posteriores, constantia atque prudentia, silentium et cogitationem in animo Virginis pepererunt. Porro humilitas quæ quinta et postrema, sed non postremo loco ponenda est, tam ad turbationem, quam ad cogitationem merito referri potest.

## PARS PRIMA.

Primum igitur, ut singulas virtutes in Virgine ostendamus, non consueverat sancta Virgo cum viris, ac præsertim adolescentibus, et in cubiculo, et sine teste sola eum solis confabulari: propterea cum repente angelum, formam pulcherrimi juvenis præ se ferentem, in cubiculum ingressum vidit, et se blande salutantem audivit, merito ex verecundia turbata est. Nunquam enim, ut beatus Hieronymus ad Eustochium scribit, eo modo a viro salutata fuerat. Deinde Virgo sapientissima non ignorabat seminarum benedictionem ad secunditatem præcipue referri solere. Legeras enim profecto: *Et creavit Deus hominem, ad imaginem et similitudinem suam, masculum et feminam creavit eos: benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram.* (Gen. i, 27, 28.) Et item: *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram; et benedic illi, et ex illa dabo tibi filium.* (Gen. xvii, 15, 16.) Et rursum: *Super Ismael quoque exaudire: ecce benedicam ei, et angebo, et multiplicabo eum valde.* (Ibid. 20.) Et infra: *Benedic tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris.* (Gen. xxii, 17.) In quibus et aliis multis similibus locis, nihil est alind Deum alicui benedicere, quam secunditatem ad filios procreandos tribuere. Cum igitur se benedictam in mulieribus salutari audiret, quid aliud suspicari poterat, quam sibi eximiam secunditatem ab angelo promitti? Cum vero ea fecunditas, cum proposito virginitatis, quod animo conceperat, et voto etiam eoram Deo firmaverat, tam aperte pugnaret, nonne merito Virgo castissima, de thesauro virginitatis sua vehementer sollicita, turbari debuit, et cogitare qualis esset ista salutatio. Itaque *turbata est in sermone ejus, et cogitabat: Cur ego benedicta in mulieribus salutor, quæ jam dudum benedictioni seminarum nuntium remisi?* Quid mihi cum fecunditate, quæ soli Deo placere, et virum omnino ignorare decrevi?

Verum quanquam verecundia, et virginitas aliquujus commotionis et timoris causa erant, tamen non ita perturbata est, ut inops consilii fieret, ne sciretque quid agere deberet, sed contra potius, quod summæ constantiae et prudentiae fuit, animo præsenti ac erecto apud se tacita cogitabat quid sibi vellet ea salutatio, et omnia verba quæ ab angelo audierat, diligenter secum animo expendebat. Nondam scriptum erat ab apostolo Jacobo:

*Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (Jac. 1, 19), atque id tamen Virgo prudentissima a Spiritu sancto educta soilter obserbat. Prima parens generis humani cum non angelum sed columbrum humana voce loquentem, et non rem quameunque, sed divinitatem pollicentem audiret, non tantæ prudentiae fuit, ut si turbari solebat, saltem apud se parumper cogitaret, qualis ea promissio esset; sed incredibili levitate serpenti credens, Deo incredula, seipsam et nos omnes quos quasi in utero gestabat, in hanc vallem ærumnarum misera præcipitavit. Contra vero Zacharias, cum Gabriel angelus in templo astisset et Filium Dei nomine promisisset, non solum vehementer perturbatus est, et magnus timor, ut beatus Lucas ait, *irruit super eum* (Luc. i, 12); sed etiam, quasi oblitus quam multi ante se, et senes et steriles Dei beneficio filios insignes genuissent, angeli verbis fidem, ut par erat, non adhibuit. At Virgo fortissima et sapientissima, inter levitatem atque audaciam Evæ, et tarditatem ac metum extreum Zachariæ media incessit, et nec ad dextram, nec ad sinistram declinans, turbata quidem est ex verecundia et zelo pudicitiae, sed interim ex fortitudine et prudentia animo infracto cogitabat qualis esset ista salutatio.

Quinta restat causa turbationis ac silentii beatæ Mariæ, quæ, ut ante diximus, ejus maxima et profundissima humilitas fuit. Quanquam enim gratia et virtutibus plenissima, et apud Deum gratiosissima erat; tamen nihil horum in se agnoscebat, et quanto apud Deum major et sublimior, tanto in oculis suis abjectior et vilior erat. Itaque propterea cum se tantis laudibus ab angelo prædicari, gratia plenam appellari, et omnibus feminis antepoeni videret, non potuit non commoveri et cogitare quid sibi vellet ista salutatio. Justus enim dum laudatur in facie, flagellatur in corde: et ut Sapiens ait: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis.* (Prov. xxvii, 21.) Et quoniam hoc est præcipua causa cur Virgo sanctissima non statim angelo responderit, ut perspicue intelligatur, quam præclara et rara sit virtus, quam beata Maria ista sua turbatione nos docuit, enumeremus (si placet) humilitatis gradus.

Quot sunt humilitatis gradus? Tres. Unus insipientium, alter proficiens, tertius perfectorum. Primus eorum est, qui seipso in speculo veritatis insipientes, et sordes et maculas suas, turpitudinem ac foeditatem suam cognoscentes, sibi displicere, ac seipso horrere incipiunt. Alter eorum est, qui non solum ipsi seipso pauperes, et nudos, ac peccatores agnoscunt; sed etiam gaudent se ab aliis tales haberi, quales ipsi se habent. Quocirca nec falsas laudes admittunt, nec vera vita excusat; nec adulatores patiuntur, nec justos reprehensores ægre ferunt; quin potius sicut ipsi sibi displicant, suamque turpitudinem oderunt, ita

ab aliis contemni ac despici, et tanquam purgamenta hujus mundi rejici desiderant. Tertius eorum est, qui cum multis et magnis Dei donis præditi sint, atque ad culmen perfectionis ascenderint, tamen viles atque abjecti sunt in oculis suis, neque se ulli aliorum, aut verbis aut factis anteponunt; sed omnibus potius ex vera humilitatis virtute subjiciunt: non secus atque arbor, quo magis fructibus oneratur, eo magis ramos suos ad terram inclinat. Hic est sumimus ac supremus humilitatis gradus: hic vertex humanæ perfectionis: hue Maria, vel sola, vel cum paucis admodum ascendit. Hec est altissima illa philosophia, ad quam docendam Dei Filius de cœlo descendit: nam cum ad cætera tradenda tres annos sufficere putaverit, in hac una ostendenda, totos triginta annos consumnere voluit: quanquam nec aliis tribus unquam ab hujus virtutis commendatione cessavit. Quid enim putatis Dominum a die qua natus est, usque ad annum tricesimum fecisse? Certe neque populos docuit, neque signa et prodiga fecit, neque ulla præclara opera in conspectu populi edidit: nam nec Præcursorem suum prævenire debuit, quem constat anno ætatis Domini tricesimo ex eremo primum prodiisse: et aperte beatus Joannes mutationem aquæ in vinum, quæ post annum Domini tricesimum facta est, initium signorum ejus scribit fuisse. Denique si magnifica illa opera multo ante annum tricesimum efficere cœpisset, quomodo ita obscurum ejus nomen, ac fama tardiu esse potuisset, ut etiam post annum tricesimum, faber et fabri filius appellaretur, cum posteaquam miraculis coruscare cœpit, brevissimo tempore ita in tota Palæstina innotuerit, ut filius David etiam a cæcis vocaretur? Quid igitur toto illo tempore egit? Num semper otiosus fuit, qui ad salutem nostram procurandam venerat? Ino vero nonquam minus otiosus fuit. Quid igitur egit? Gladium humilitatis fabricavit, quo superbissimo giganti Goliath caput amputaret: hoc est, seipsum exemplum perfectissimæ et verissimæ humilitatis constituit, ut merito dicere posset: *Discite a me quia mitis sum et humiliis corde.* (*Math. xi, 29.*) Quanta enim illa humilitas erat, hominem Deum, et sibi suæ conscientiæ majestatis, inter homines quasi unum de turba versari, et fabrum et fabri filium, hominem rudem, imperitum, simplicem haberi? Si quis nostrum aliqua eruditione, vel notabilitate utcumque clarus forte ad eum locum deve-niat, ubi ejus eruditio, aut nobilitas ignoretur, et errore hominum tanquam indoctus et obscurus contemnatur, quomodo is uretur interius? Quam vehementer cupiet occasionem aliquam offerri, qua seipsum prodat? Ut igitur nos quamvis magnatum nobilitatem, tum eruditionem consecuti, et nobiles et sapientes videamus; tamen ignorari, contemni, despici, nihil fieri velle discerneamus, Dominus noster tam longo tempore ignorari, contemni, despici, nihil fieri, rusticus, imperitus,

inutilis haberi voluit. Credibile siquidem est, homines qui eum ab infantia noverant, sœpe dicere solitos: O quam egregie nostram exspectationem iste fecellit? cum esset puer magnam de se spem concitavit, multa promittebat, videbatur aliquid magni futurus, et ecce jam crevit, et neque litteras novit, neque saltem procurat, ut discat, nihil facit, quod non quilibet facere posset. At de quo tandem, et quandiu ista dicebantur, auditores? Nempe de eo qui Deus erat, summa et infinita sapientia, et non dies paucos, sed annos multos ista dicebantur. O utinam ex tanta medicina morbum nostrum, et ex tanta misericordia miseriam nostram intelligeremus! Magna enim miseria est superbus homo; sed major misericordia est humilius Deus: et ex tam inmensa misericordia, nondum miseriam nostram intelligimus. Certe enim Deus doctrinam humilitatis non multis, sed paucis, vel paucissimis potius ac rarissimis persuasit. Quotus enim quisque est, qui vel primum gradum humilitatis attigerit? Ubi sunt, qui seipso vere cognoscunt, et qui sibi displiceant, qui seipso oderint? qui se vere malos, vere inutiles, vere abjectos et viles existiment? Et tamen Apostolus clamat: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* (*Galat. vi, 3.*) Non ait: Qui se magnum, optimum, sanctissimum, sed qui aliquid se valere, aliquo loco dignus sibi esse videtur, ipse se seducit. Neque Dominus ait: Cum legem transgressi fueritis, tum dicite, Servi inutiles sumus; sed: *Cum feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta sunt vobis, tum dicite: Servi inutiles sumus: quæ debuimus facere fecimus.* (*Luc. xvii, 10.*) At si in primo atque insimo gradu humilitatis tam paucos invenimus, quanto pauciores reperiemus in secundo? Ubinam gentium quæremus eos qui, licet ipsi utcumque se noverint, tamen ab aliis tales haberi ac dici velint, quales ipsi se esse sciunt? Nonne quotidie id experimur, ut si nostræ falsæ laudes prædicentur, statim animo intumescamus, vultum ad gravitatem componamus, ac tales nos esse credi cupiamus? Et contra, si nostra vera vitia, quæ nos ipsi conscientia teste in nobis cognoscimus, ab aliis reprehendantur, nonne statim erigimur, indignamur, commovemur, et verbum tam leve et tam verum longo tempore concequere ac digerere non valemus? Quod si aliquando nos ipsi, vel laudes nostras refellimus, aut extenuamus, vel certe nostra vitia accusamus; nonne si in intimas latebras cordis penetremus, ibi videbimus ea omnia ex majore superbia profici, qua superbi dici timemus, et humiles haberi desideramus? Quid? In ipsa confessione peccatorum, quam tanquam rei læsæ majestatis divinæ ad pedes sacerdotis deponimus, posteaquam scelera atque flagitia nostra confessi ac detestati sumus, si in ea sacerdos paulo vehementius invehat, nosque paulo acrius reprehendat, nonne aliquando molestissime ferimus, et, quasi injuriam accepissimus, commovemur, et

ea vel extenuare, vel excusare, vel et negare con-namur, quæ confessi sumus ? O superbiam ! o ne-quitiam ! o hypocrisim cordis humani ! Vere hypo-crite sumus, et nostra conscientia teste sumus, et tamen dici nolumus. Vere mendaces filii hominum, et decipient, et decipientur de vanitate in id ipsum (Psal. lxi, 10.) Vere quandiu tales sumus, non in veritate, sed in vanitate ambulamus. Vere pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoset illud ? (Jer. xvii, 9.) Sed si haec ita se habent, num spes ulla remanet ut aliquos in tertio ac summo gradu reperiamus ? Si pauci sunt qui in suis sor-dibus non delectentur; si pauciores, qui vera sua vita reprehendi sinant; si paucissimi, qui falsis laudibus non gaudeant; si pene nulli, qui sine fun-damento et ad solam suspicionem boni, quod se habere, vel esse, sibi videntur, non superbiant, ubi nam erunt, qui vere multis et magnis Dei donis ornati, aliis nec se præferant, nec præferri velint ? Et tamen, ut D. August. loquitur, non utile solum, sed etiam plane necessarium est, ut mensura hu-militatis uniuscujusque ex mensura magnitudinis ipsius sit, juxta illud Sapientis : *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus.* (Eccli. iii, 20.) Magni-tudini enim est periculosa superbia; quæ amplius amplioribus insidiatur. Alioqui vir magnus, vir doctus, vir sapiens, addo etiam, vir castus, vir for-tis, vir misericors, quid aliud sine humilitate erit, quam magna arbor sine radicibus, vel magna domus sine fundamento, que levi ventorum aut aquarum impulsu prosternitur ? Et sane sicut ac-censa candela, quantum aliis prodest, tantum sibi nocet, quæ ardendo et lucendo seipsam paulatim consumit; et quanto magis excitatur, ut clarius luceat, tanto seipsam celerius perimit; sic et qui doctrina et eruditione illustres alias docent, nisi in humilitate fundati et radicati sint, quantum aliis prosunt, tantum sibi ipsis nocent : et saepe instar aquæ alios purgant, et cœlo dignos efficiunt, et ipsis interim supérbiæ cœno sordescunt, et in clo-acam gehennæ projiciuntur. Sed ad Virginem no-stram redeamus.

Quidquid de aliis sit, beatissimam Deiparam in hoc summo et excellentissimo gradu humilitatis perpetuo conversatam esse, dubitari non potest. Vere enim *gratia plena*, vere *benedicta in mulieribus* fuit; nec angelus sanctus a mendacio, et as-sentatione legationem suam exordiri voluisse. Ita-que habuit prorsus unde pre omnibus angelis et hominibus glorificari posset. Sed nunquid fecit ? Nihil minus. Tantum enim abest ut magnitudinem atque excellentiam virtutum suarum unquam ja-ctaverit, ut eam ne agnoverit quidem. Hinc enim audita illa magnifica angeli salutatione, vehemen-titer mirabatur, et cogitabat *qualis esset ista salutatio*, unde sibi tanta laudes tribuerentur, quarum ne minimam quidem partem in se agnoscebat. Hinc etiam postea cum Dei Filium, non spe ac deside-rio, sed reipsa jam gestaret in utero, et non an-

gelo credere necesse haberet, sed ipsa sentiret, sine viri opera se concepisse, et lumine Spiritus sancti mentem ejus illustrante aperte cognosceret, Deum verum, veri Dei Filium esse, quem utero suo gerebat, nihil inde animus ejus intumuit, sed statim *exsur-gens ascendit in montana cum festinatione*, ut co-gnatam Elisabeth salutaret : et major minori, Ma-ter Dei matri Praecursoris, Regina ancillæ ad tres menses ministraret. Et cum ab ea summis laudi-bus efferretur, atque audiret : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ?* et : *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui ;* et : *Beata quæ creditisti, quoniam perficiuntur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino* (Luc. i, 39 et seqq.); quid humili Virgo respondit ? Nunquid aliquid suæ virginitati, suæ sanctitati, suis meritis attribuit ? Nihil omnino : sed totum gratiæ ac benignitati Do-minii ascripsit : *Magnificat*, inquit, *anima mea Do-minum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo : quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* (*Ibid.* 46, 47, 48.) Ubi non virtutem humilitatis prædicat; sed abjectionem, parvitatem, nihilitatem, nihilum suum agnoscit. Propterea inquit : *Magnificat ani-ma mea Dominum*, quia nihil in me dignum tanto suo munere videns, tamen abjectionem et vilitatem meam respicere diguatus est. Haec est humili-tas, auditores, humilitas vera, humilitas cordis, quam imitari debemus, quæ scipsam deprimit, et Deum exaltat. Vis Deum valde efferre, laudare, exaltare? imitare Mariam, deprime atque humilia-te ipsum. Sicut enim in libra quantum una lana deprimitur, tantum altera elevatur; ita quanto mi-nus sibi homines tribuunt, tanto plus tribuunt Deo; et quo se magis deprimit, eo magis Deum ex-tollunt. Et contra homines impii atque superbi, quanto sibi plus tribuunt, tanto minus tribuunt Deo, et quo seipso magis extollunt, eo Deum ma-gis deprimit. Quia vero Deus honorantes se ho-norat, et contemnentes se contemnit, inde vere, qui se usque ad profundum humiliaverit, usque ad cœlum exaltabitur; et qui se usque ad cœlum exaltaverit, usque ad profundum inferni demer-getur.

## PARS SECUNDA.

Quoniam beata Maria, audita angeli salutatione, nihil respondit, sed turbata in sermone ejus, cogi-tabat *qualis esset ista salutatio*; propterea sanctus angelus antequam legationem suam exponat, ani-mum Virginis ab omni metu et suspicione doli et insidiarum liberare cupiens : *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Proprio nomine eam appellat, et ne timeat jnbet, ut se familiarem et amicam doceat, a quo nihil mali ti-mendum sit. Magnus Antonius apud Athanasium de angelis et daemonibus disputans, eo bonorum et malorum visitationem angelorum internosci ac dis-cerni posse demonstrat, quod angeli sancti, licet initio non nihil exterrent, tamen continuo metum et pavorem omnem abstergunt; et gaudium ac

letitiam in animis restringunt corum quos visitant : demones vero horrorem incutunt, sed animum refovere et consolari nequaquam neverunt : quin potius pavorem duplicant, stuporem ingerunt, et usque ad profundam impietatis foveam, ut homines sibi prostrarentur, impellunt. Hinc angelus Raphael Tobie parentibus ait : *Pax vobis, nolite timere.* (Tob. xii, 17.) Et angelus Gabriel prophetae Danieli : *Noli metuere, Daniel.* (Dan. x, 12.) Et Zachariae : *Ne timeas, Zacharia.* Et pastoribus : *Nolite timere.* (Luc. ii, 3-10.) Hinc etiam modo idem Gabriel, ut se vere angelum sanctum demonstraret : *Ne timeas, inquit, Maria : nihil hic fallaciae, nihil adulacionis, nihil insidiarum suspiceris, neque mireris, quod te gratia plenam et benedictam in mulieribus salutaverim ; Iuvenisti enim gratiam apud Deum.* Ille te talem gratia et benignitate sua fecit qualem dixi. Neque ego id meritis tuis, quae ipsa non agnoscis, sed dono gratiae Dei totum scribo.

Qua oratione finita, et omni ex animo Virginis metu depulso, angelus Gabriel his verbis nuntium, quod afferebat, exponit : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur : et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* (Luc. i, 31, 32.) Hec est tota atque integra legatio, cuius nos hodie priorem partem breviter exponemus : posteriorem in Dominicam sequentem differemus. Primis igitur verbis alludere voluit angelus ad vaticinium Isaiae, ut Virgo prudens nuntium audiens, ex ipsa forma verborum intelligat, se illam felicissimam mulierem esse, quam Isaiae vaticinium intuetur. Sicut enim Isaias dixerat : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Isa. vii, 14) : ita et angelus dicit : *Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.*

Porro his verbis primum summa et infinita quædam nobilitas atque dignitas beatæ Mariæ explicatur, ut merito exclamare potuerit : *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus : nam cum Mater et Filius inter se referantur : sicut Filius Dei est infinitum quoddam bonum ; ita Matrem esse Dei, tanta et tam eximia præstantia est, ut prope infinita esse videatur.* Accedit vero ad cunulum felicitatis, quod hoc tam excellenti bono, non solum beatam Maria fruitur, sed sola ipsa fruitur. Multi enim patriarchæ, multi prophetæ, multi reses, multi apostoli, multi martyres, multæ virgines fuerunt : at Mater et Virgo, et Mater Dei sola Maria fuit, ejus hoc solius privilegium est. In cæteris multum est, si anima tam pura et sancta reperiatur, ut Dei sapientiam hospitio recipere digna sit : neque maius aliquid ponere Sapiens in laudibus sanctorum potuit, quam quod anima justi sedes sit sapientiae (Sap. vii, 7.). Quanta igitur felicitas,

quanta puritas, quanta integritas Mariæ, cuius non anima modo, sed etiam et caro sedes est sapientiae ? cui ab angelo dicitur : *Ecce concipies, et paries filium : et quæ sine mendacio dicere poterat : Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* (Psal. lxxxiii, 2.) Et : *Sitivit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea.* (Psal. lxii, 2.)

Deinde hæc ipsa verba : *Ecce concipies, et paries filium, omnes illas hæreticas blasphemias refellunt, quas olim Marcion, Apelles, Manichæus et nostri diebus Schwenckfeldiani, et quidam Anabaptistarum commenti sunt, nihil ex Maria Christum accepisse.* Ac præsertim blasphemiam evertunt Valentiini, qui, ut est apud Tertullianum (lib. *De præscript.*), Christum de cœlo corpus attulisse, et per Mariam tanquam per fistulam transiisse, docebant : *nec non celestissimi Copronymi, qui, ut resert Snidas, Christum auro, Mariam loculis comparabat, ut sicut loculi tam diu magnisunt, donec pleni sunt auro : ita Mariam eo solum tempore colendam atque honorandam efficeret, quo Christum gestabat in utero.* Verum hæc, et hujusmodi blasphemias, et horrenda deliria, nec tam errores, quam furores hominum perditissimorum, uno verbo evangelista, vel potius angelus Gabriel apertissime confutavit, cum ait : *Et paries filium.* Aliud est enim Christum in utero Mariæ utcumque fuisse, aliud ita fuisse et ab ipsa conceptus ac genitus, et verus ac naturalis ejus filius fuerit. Alioqui etiam in ulnis Simeonis emundem Christum olim fuisse sciimus, et nunc in manibus sacerdotum dum tremenda mysteria peraguntur, et in ore Christianorum, qui coelestia sacramenta percipiunt, esse non dubitamus ; et tamen quis unquam tam stultus inventus est, qui propterea, vel Simeonem, vel sacerdotes, vel Christianos ceteros, etiam si quotidie sacramenta perciperent, cum beatissima Deipara comparandos censemur ? Non igitur Christus verus Deus, et verus homo in Maria tanquam aer in fistula, vel tanquam aurum in crumenâ fuit, sed tanquam germen in vite, tanquam flos et fructus in arbore, et tanquam verus filius in utero vera matris : *Ecce concipies in utero, et paries filium.* Hoc Isaias prædictit, hoc angelus nuntiavit, hoc evangelista conscripsit, hoc nos credimus, asserimus, extollimus, prædicamus. Itaque sicut inter mortales regis mater, non tunc solum regis mater vocatur, cum regem filium habet in utero, nec tum solum colitur et honoratur, sed multo magis postea, cum filius ejus in solio regali conspicitur : quemadmodum de Bethsabee matre Salomonis legimus, quam Salomon rex sapientissimus in throno sublini ad dextram suam sedere volebat (III Reg. ii, 19) : ita quoque beatam Mariam non solum fuit, sed etiam est Mater Dei : nec tunc solum honoranda erat, cum Filium Dei ac suum gerebat in utero, sed nunc etiam cum filius ejus de principe mundi glorioissime triumphavit, et non solum ipse in solio regali ad dexteram Patris sedet, sed et Matrem suam in throno sublin-

mi super omnes choros angelorum collocavit. Atque  
hoe de eo dicta sint, quod angelus ait : *Ecce con-  
cipes et paries filium.*

Sequitur : *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Quod  
idem mihi esse videtur cum eo quod Isaías ait :  
*Et vocabatur nomen ejus Emmanuel.* Quid enim est  
Emmanuel ? *Nobiscum Deus.* Quid est Jesus ?  
*Salvator,* id est, homo Deus : *Ipse enim,* inquit  
beatus Matthæus, hujus nominis rationem reddens, *sal-  
vum faciet populum suum a peccatis eorum.* (*Matth.*  
*1, 21.*) Talis autem Salvator nisi Emmanuel, nisi  
nobiscum Deus, nisi homo, Deus esse non poterat.  
Oportebat enim Salvatorem generis humani, cui  
propter Adæ peccatum, tam crudeliter ac tyranice  
mors dominabatur, moriendo mortem occidere, et  
vitam resurgendo reparare. Jam vero solus homo  
mori poterat : sed mortem oecidere, et vitam re-  
parare non poterat. Quam multi jam eum morte  
bellum gesserant, et omnes vieti, ae prostrati suceu-  
buabant, et nullus eam non solum occidere, sed ne  
vulnerare quidem poterat. Solus autem Deus mor-  
tem oecidere, et vitam reparare poterat : sed mori  
ipse non poterat, quare factus est Deus homo, quia  
mori posset ex uno, et mortem oecidere posset ex  
altero. Atque hie est Emmanuel, hic est Jesus, hic  
est vere Salvator mundi.

*Et vocabis nomen ejus Jesum.* Merito Maria om-  
nium prima Filium suum Jesum appellare potuit,  
quia ab eo est conservata antequam nata, et eui  
tam singulariter Jesus, hoe est Salvator, fuit, ut  
eam toto vitæ tempore a peccato immune conservaret,  
quod nemini alteri, ut oratione superiori  
dicebamus, donatum esse ereditur. Tu igitur om-  
nium prima vocabis nomen ejus Jesum. Tres ho-  
mines hujus nominis in Scripturis fuisse legimus,  
Jesum Syrach, Jesum Jezedech, et Jesum Nave :  
qui omnes nostri Jesu figuram et typum gesserunt.  
Sed præcipue Jesus Nave : siquidem Jesus Syrach,  
propter sapientiam, Jesus Jezedech propter sacer-  
dotium, sed Jesus Nave propter salutem quam at-  
tulit populo, quem de solitudine in terram promis-  
sionis introduxit, nostri veri et summi Servatoris  
nomen prætulerunt. Verum eum nostro Jesu, Jesum  
filium Nave comparemus. Ille filius Nun, quod  
*eternus*, seu *permanens* interpretatur : iste Filius  
Dei, qui solus habet immortalitatem. Ille, Moyse  
defuncto, populum circumcisione purgavit, qui ejus  
tempore semper fnerat ineireunis : iste lego  
vetere quæ per Moysen significabatur sublata,  
spirituali circumcisione effecit, ut qui ineireuni-  
cisi cordibus auribusque semper Spiritui sancto  
resistebant, iam corpora sua tempora Spiritus sancti  
exhibeant. Ille mœnia Hierichuntina, non arietibus  
aut bellicis maehinis, sed sacerdotialium tubarum  
clangore subvertit : iste toto orbe idolorum fana  
apostolorum et martyrum prædicatione prostravit.  
Ille cum Gabaonitis acie decertans solem et lunam  
stitit : iste adversus aerias nequicias in monte Cal-  
variae confagens solem et lunam tenebrarum velo-

involvit. Illo hostes Dei debellante pluit Deus super  
eos lapides et grandinem de cœlo ; iste sub mundi  
finem pugnans spiritu oris sui contra insensatos,  
*pluet super peccatores laqueos : ignis, grando, aix,  
glacies, spiritus procellarum ejus (Psal. x, 7.)* Ille,  
peracto bello, duodecim tribubus sorte terram di-  
visit, sibi nihil reservans, sed oblatam portionem  
acceptans : iste in cœlesti patria suis commilito-  
nibus distribuet, his martyrii palnam, illis docto-  
ratus aureolam, aliis virginitatis lilyum, ipse interim,  
eum summum et infinitum bonum sit, seipso con-  
tentus erit, in mediis tamen suorum pectoribus  
admissus, gratiarum actiones hilari vultu suscepit.

*Et vocabis nomen ejus Jesum.* Innumera pene  
sunt encomia, quæ de hoc magno nomine in Scripturis legimus. In hoc nomine certum præsidium  
constitutum habemus : *Turris fortissima,* inquit  
Sapiens, *nomen Domini.* (*Prov. xviii, 10.*) In hoc  
nomine finit miracula : *In nomine meo daemonia  
ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent ; et  
si mortiferum quid biberint, non eis uocabit : super  
agros manus imponent, et bene habebunt.* (*Marc. xvi,  
17, 18.*) In hoc nomine petimus a Deo quidquid  
volumus, et impetramus : *Amen dico vobis, quid-  
quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*  
(*Joan. xvi, 23.*) In hoc nomine remissionem pec-  
catorum accipimus : *Huic omnes prophetæ,* inquit  
divus Petrus, *testimonium perlubent, remissionem  
peccatorum accipere in nomine ejus.* (*Act. x, 43.*) In hoc nomine quidquid agimus, si bonum et san-  
ctum esse velimus, fieri debet : *Omne quodcumque  
agit, inquit Apostolus, sive in verbo, sive in opere,  
omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.*  
(*Coloss. iii, 17.*) Tanta est hujus nominis dulcedo,  
tanta suavitas, ut pro eo pati apostoli delicias ma-  
gnas esse duecerent : *Ibant apostoli gaudentes a con-  
spectu consilii, quoniam digni habitu sunt pro nomine  
Jesu contumeliam pati.* (*Act. v, 41.*) Et apostolus  
Paulus, et etiam evangelista Joannes tertio fere  
quoque verbo in suis litteris nomen istud inserere  
voluerunt. Nam in paucis Epistolis divi Pauli, du-  
centies et vicies, et in Evangelio Joannis, quod  
est omnium pene brevissimum, adhuc saepius quam  
ducenties et vicies, hoe nomen scriptum legimus.  
Ita vehementer, ita duleiter, ita suaviter, in ore et  
corde eorum sapiebat. Denique tam suave est hoc  
nomen, ut a Sponso oleum effusum nominetur, tam  
salutare, ut non sit aliud nomen sub cœlo, in quo  
oporteat nos salvos fieri (*Act. iv, 12.*) ; tam venerabile,  
ut in eo solo flectatur omne genu cœlestium,  
terrestrialium et infernorum. (*Philipp. ii, 10.*)

Neque vero numerus litterarum in isto nomine,  
*quod est super omne nomen* (*Ibid. 9.*), mysterio  
vaeare erendus est. Quinque enim litteras habet,  
vel propterea quod Deum et hominem significat.  
Nam eum Dei nomen quatuor litterarum sit, una  
addi debuit; ad humanam designandam naturam :  
vel eerte quod illa quinque nomina, quæ sunt  
apud Isaiam : *Admirabilis, Constitarius, Deus fortis,*

*Pater futuri sæculi, Princeps pacis (Isa. ix, 6),* hoc unum nomen complectitur. Fuit enim vere noster Jesus Admirabilis in miraculis, Consiliarius in doctrina, Deus fortis in pælio contra diabolum, Pater futuri sæculi, cum tanquam alter Adam novos filios genuit, et Princeps pacis, cum inter Deum et hominem pacem restituit. Vel, si vultis, Admirabilis fuit nascendo, Consiliarius vivendo, Deus fortis moriendo, Pater futuri sæculi resurgendo, Princeps pacis tanquam mediator ad Deum ascendendo. Num etiam quotidie in conversione peccatorum Jesum nostrum Admirabilem, Consiliarium, Deum fortē, Patrem futuri sæculi, et Principem pacis non experimur? Quis enim hominem mundi laqueis irretitum qui nihil nisi de pompis, de choreis, de conviviis, de voluptatibus, de vanitatibus cogitare noverat, tanta et tam repentina mutatione aliquando ita convertit, ut alius homo esse videatur, nisi ille qui est Admirabilis? Quis eundem jani Deo servire cupientem, tam sapienter ad statum et locum sibi, et proposito convenientem dirigit, nisi ille qui vere est Consiliarius? Quis vero tyronibus Dei in militia contra dæmonum et hominum tam varias ac multiplices tentationes, robur et constantiam præbet, nisi Deus fortis? Quis eosdem unius moris in domo, in summa castitate et charitate vivere facit, ut non homines, sed angeli, nec filii hujus sæculi, sed futuri esse videantur, nisi Pater futuri sæculi? Quis postremo in terra hostium adhuc positis pacem illam gustare facit, quæ exsuperat omnem sensum, et tanquam manna eos in solitudine pascit, nisi is, qui vere est Princeps pacis?

Verum non omnibus, auditores, hæc omnia est Jesus, sed illis duntaxat, qui ad exemplum beatæ Mariæ, non solum concipiunt, sed etiam pariunt filium: nec solum pariunt filium, sed etiam filium suum Jesum vocare possunt. Sunt enim quatuor hominum genera, quæ si breviter enumeravero, finem faciam. Primum genus est eorum, qui raro aut nunquam concipiunt, et sëpe de industria timentes concipere, ad conciones non véniant: isti vero miserrimi, et infelicissimi a salute longissime absunt, aperte siquidem Spiritui sancto resistunt, de quo solo spiritus salutis concipi potest.

Alterum genus eorum, qui bona desideria concipiunt quidem, sed vires pariendi non habent. Audint mundum esse proditorem et fallacem, et jam innumeros homines circumvenisse, atque ad gehennam suis lenociniis pertraxisse; audiunt mortem instare, nos non posse diu in voluptatibus vivere, in morte vero omnium, quæ hic agimus, severissimo et potentissimo Judici reddendam esse rationem: audiunt beatam et quietam, et facilem, et suavem esse vitam eorum, qui Deo servire et placere student, et sempiternam mercedem eis in cœlo post mortem conservari: his vero auditis bona desideria de Spiritu sancto concipiunt, mundi vanitatibus renuntiandi, chorcas et potationes fugiendi, frequen-

ter et serio peccata confitendi; sed tamen more studiarum seminarum, quæ postquam conceperunt, non se diligenter custodiendo, nec a rebus noxiis abstinentendo, quin etiam currendo, saltando, ludendo, in utero pœlem occidunt. Et quantu[m] hoc est detrimentum ei, qui conceperat? quanta injuria Spiritui sancto? Animæ siquidem nostræ post Adæ peccatum, incredibili sterilitate damnatae nonnisi singulari Dei favore, ac beneficio Spiritus sancti sancta desideria concipere possunt; et tu beneficium tam singulare, quod spiritum salutis conceperis, quod in utero Jesum habeas, tam parvifacies? Quid si nunquam amplius Spiritus sanctus te respicere dignetur? quid si in tua sterilitate in æternum relinquaris? quid si propterea ad salutem non pervenias, qui tamen facile pervenisses, si conceptum in utero Jesum non occidisses?

Jam vero in tertio genere, alii sunt, qui concipiunt et pariunt, sed pœlem conservare ac nutrire non valent usque ad diem octavum, in quo vocandum erat nomen ejus Jesus. Atque isti quidem quo saluti propinquiores, eo miseriiores, quod ab illâ nihilominus tam infelicitè excidant. Isti sunt, qui bona desideria implere incipiunt, ad confessionem, ad communionem accedunt, a fornicatione, ab ebrietate, aliisque sceleribus se abstinent; sed quandiu? Donec Herodes non querit puerum ad perdendum eum, donec tentatio non exsurgit, donec ab amicis et sodalibus non invitantur: et quid prodest homini in concipiendo et pariendo laborasse, si ante Herodi necandus offeratur, quam vocetur nomen ejus Jesus? Nunquid salvare poterit, si ad octavum diem non perveniat, et non vocetur nomen ejus Jesus?

Illi igitur soli felices, qui beatam Mariam imitati, concipiunt desiderando, pariunt bene operando, et vocant nomen filii sui Jesum usque ad mortem perseverando, quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula, Amen.

#### CONCIO IV.

Legationis divine summam, auditores optimi, qua Servatoris adventus nuntiabatur, orator insignis archangelus Gabriel his potissimum verbis comprehendit: *Ecce concipes in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. (Luc. 1, 31-33).* Cujus quidem legationis partem priorem, quæ conceptionem, atque ortum, et nomen Servatoris complectitur, exposuimus oratione superiori: nunc sola posterior explicanda restat, qua conditio, et gradus, ac dignitas Servatoris continetur.

#### PARS PRIMA.

Prosequitur igitur cursum orationis suæ cœlestis legatus, et ait: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Magnus erat Christus antequam de Virgine nascetur: nam in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. 1, 1): quod si Deus, certe et magnus. Nam*

*quis magnus sicut Deus noster?* (*Psal. lxxvi, 14.*) Neque magnus est Deus, quod una aut altera laude excedat, quomodo magnum Alexandrum, et magnum Pompeium ethnici dixerunt; et nostri magnum Athanasium, et magnum Basilium, sed quod omnibus modis sit magnus. Magnus natura, quia infinitus: magnus quantitate, quia immensus: magnus qualitate, quia justissimus: magnus potentia, quia omnipotens: magnus cognitione, quia sapientissimus: magnus bonitate, quia optimus: magnus forma, quia pulchererrimus: magnus loco, quia supremus; magnus durata, quia sempiternus. Itaque magnus erat Dei Filius in sinu Patris existens, neque ad sinum matris descendit ut cresceret, cum potius hunc descensum Filii Dei de sinu Patris in sinum matris Apostolus exinanitionem (*Philipp. i, 7.*) et Propheta minorationem (*Psal. viii, 6.*) appellare soleat: et aperte Isaías dicat: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* (*Isa. ix, 6.*) Cur igitur angelus ait: *Hic erit magnus*, quasi ante non fuisset? Nonne verius dicere poterat: *Hic erat quidem magnus*, sed jam fiet parvus? Ita sane loqui debuisset, si de Christo secundum formam Dei loqueretur. Nunc vero quia de Christo loquitur, non secundum eam naturam, quam a Patre jam accepérat, sed secundum eam, quam a matre jam accepturus erat, ideo rectissime et verissime ait: *Hic erit magnus*. Erat enim Christus, ac fuit semper Deus magnus, sed non homo magnus. Quare factum est Verbum caro, ut qui erat magnus Deus, fieret etiam magnus homo, magnus rex, magnus sacerdos, magnus propheta, potens in opere, et sermone (*Luc. xxiv, 19.*), eique a populis acclamaretur, *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*; et *Quia Dens visitavit plebem suam* (*Ibid. vii, 16.*)

Porro de magnitudine ejus nihil amplius dicam, quam ipsum esse, quem omnes figuræ Veteris Instrumenti, omnes res gestæ patriarcharum, atque omnia vaticinia prophetarum intuentur. Ipse est semen mulieris, de quo in cap. iii lib. Gen. scriptum legimus, futurum aliquando, ut caput serpentis contereret. Ipse est Melchisedech, qui panem et vinum novo ritu in sacrificium obtulit. Ipse est Isaac, qui ligna propriis humeris tulit, in quibus immolandus erat. Ipse est Joseph primum a fratribus, Juda auctore, venditus, deinde etiam ab Ægyptiis, mundi salvator appellatus. Ipse est Josue, qui, Moyse defuncto, in terram promissionis populum introduxit. Ipse est Samson ab infantia Nazareus, quem non funes, nec vincula tenere, sed solum amor Dalilæ, hoc est Ecclesiæ, ligare, et illudendum hostibus suis prebere potuit, et qui moriendo inimicos suos simul omnes occidit. Ipse est David, puer parvulus, rufus, et pulcher aspectu, qui licet invidentibus et repugnantibus fratribus, tamen in ligno et lapide cum superbissimo Goliath pugnavit et vicit. Ac ut cætera prætermittam, quæ pene sunt infinita, ipse est Emmanuel, apud Isaiam (vii, 14); *Germen justum*, apud Jeremiam (xxvii, 5).

*Pastor unus, et princeps, apud Ezechiel (xxxvii, 24); Lapis de monte excisus sine manibus, apud Danielem (ii, 34); Rex Sion justus et Salvator, apud Zachariam (ix, 9); Dominator Israel, apud Michæam (v, 2); Desideratus omnibus gentibus, apud Aggœum (ii, 8); Doctor justitiae, apud Joelem (ii, 23); et Sol justitiae, apud Malachiam (iv, 2). Hic igitur erit magnus.*

Verum ne Virgo beata fortasse crederet nihil aliud, quam magnum hominem se paritum, et quia Spiritus sanctus prævidebat venturos Simones, et Samosatenos, et Arios, et Nestorios, et multa ejusdem generis monstrâ atque portenta, qui cum legissent in Evangelio veritatis: *Hic erit magnus*, dicturi erant, Christum vel ante Mariam non fuisse, vel non fuisse verum Deum, vel esse quidem Deum, sed alium ab eo quem Virgo perperisset: propterea contra omnes futuros errores angelus sanctus, postquam dixerat: *Hic erit magnus*, addidit continuo: *Et Filius Altissimi vocabitur*. Non enim hoc futurum erat ut Christus esset Filius Altissimi, sicut futurum erat, ut esset homo, et magnus homo, sed jam erat, et ab æternitate fuerat Filius Altissimi, licet in sinu Patris delitesceret, nec agnosceretur, nec vocaretur ab hominibus. Itaque de illo ipso, qui jam erat Filius Altissimi, non de alio aliquo, ut somniat Nestorius, angelus ait: *Hic erit magnus*, scilicet homo; et *Filius Altissimi*, sicut est verus, ita agnosceretur deinceps et *vocabitur*. Quod si autem beatæ Mariae filius, est etiam Filius Altissimi, fallitur Ebion, decipitur Samosatenus, errat Arius, somniat ac delirat Nestorius. Pater enim altissimus non in tempore, sed ab aeterno Filium genuit, juxta Michææ prophetæ vaticinium: *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel; et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* (*Mich. v, 2; Matth. ii, 6.*) Ex quo Ebionis et Samosateni error abunde confutatur. Deinde sicut homo hominem gignit, leo leonem; ita Deus Deum, Omnipotens Omnipotentem, Infinitus Infinitum, Altissimus Altissimum sine dubio generavit, qui non rapinam arbitretur esse se aequalem Deo (*Philipp. ii, 6.*) id quod Arii perniciosam heresim penitus destruit. Postremo si ille ipse quem beatæ Maria concepit et peperit, Filius erat Altissimi, unde somniat Nestorius alium esse Dei, alium Mariæ Filium? Nonne angelus aperte clamat: *Hic erit magnus*, nempe quem tu, Virgo sancta, concipes et paries, hic ipse et non aliis aliquis erit magnus, et ipse idem *Filius Altissimi vocabitur*.

Sequitur: *Et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Quibus verbis angelus docet magnum istum Filium, quem beatæ Virginis promittit, ipsum esse Christum et Messiam quem populus Hebreus tanto desiderio semper exspectabat. Potuisset enim Virgo prudentissima non sine causa mirari, cur tantus filius sibi promitteretur, et quæ

ratio esset tantæ et tam insolite novitatis, ut Filius Altissimi filius feminæ esse deberet. Sed eam admirationem sustulit angelus, cum cum, quem venturum nuntiabat, Messiam esse docuit. Non enim ignorabat Virgo sapientissima, Messiam a Deo promissum exspectari, cumque filium David, et regem futurum, et non suo tantum sæculo, ut alii reges, sed in æternum regnaturum. Legerat enim, cum in aliis multis locis de Christo multa, tum illud apud Isaiam, ubi apertissime de Christo loquitur : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in justitia, amodo et usque in sempiternum.* (*Isa. ix. 7.*) Et usque adeo omnibus Hebreis vulgo promissum erat, Christum ex semine David nasciturum, et in æternum regnaturum, ut in Evangelio ipsas turbas dixisse legamus : *Nunquid a Galilæa venit Christus? nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* (*Joan. vii. 41, 42.*) Et alio loco : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum? Quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis. Quis est iste filius hominis?* (*Joan. xii. 34.*) Cum igitur Virgo sanctissima optime sciret Christum venturum, de semine David nasciturum, regem in Israel futurum et in omnia æternitatem regnaturum, mox ut audivit : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus;* mox intellexit, non alium, quam Messiam illum celeberrimum, tot sacerulis exspectatum, tot vaticiniis decantatum, tot votis ac suspiriis desideratum, ab angelo sibi promitti.

Verum ex iis quæ dicta sunt, duas quæstiones exoriri video, quæ breviter solvendæ atque expli-candæ sunt. Primum igitur quæreret fortassis aliquis, Cui ex Evangelio didicerimus, Christum in terra regem non fuisse, quid est, quod modo angelus dicit : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis?* Quomodo sedit in solo David patris sui, qui ne rex a turbis fieret de conspectu earum se eripuit, et in montem solus fugit? Aut quomodo regnabit in domo Jacob in æternum, quem ipsa dominus Jacob, non solum regem suum coram Pilato negavit, sed etiam ad necem tanquam reum postulavit? Ita est, auditores : non sedit Christus in eo solo, in quo David, et Salomon, et Josias, et Ezechias, et alii tam multi reges Hebreorum sederunt, sed neque de ea sede angelus locutus est : neque enim decebat, ut Rex coeli et terræ, qui sedit super Cherubim, in angustissimo angulo orbis terræ, tanquam unus de turba regulorum imperaret : neque Deus etiam cum Davidi loquebatur : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; et thronus ejus sic ut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis* (*Psal. cxxxi. 41; lxxxviii. 58,*) thronum illum intelligi volebat, quem non diu post ab Assyriis, deinde ab Herode, tum a Romanis, et nunc demum a Turcis occupari passus est; sed cum potius quem ille significabat. Sicut

enim duas novimus Hierosolymas, unam in terra, alteram in cœlo, et duas circumcisions, unam in carne, alteram in spiritu, et filios carnis Abrahæ, a filiis fidei Abrahæ ab Apostolo edocti facile discernimus : ita quoque duo solia David, et duas domos Jacob agnoscere debemus.

Quemadmodum enim si rex aliquis unum ex principiis suis duecum crearet, et in tabula depicta regionem ostendens diceret : Omnes hanc provinciam, ista oppida, hos pagos, hos portus tibi dono dedi, certe non intelligeremus regionem illam duntaxat depictam, quam digito tunc ostendit, a rege esse donatam, sed veram provinciam, veras urbes, veros pagos et portus; quorum in tabula expresse imagines cernebantur : sic etiam cum angelus ad Virginem de Christo ait : *Dabit illi Dominus Deus sedem David, non typicam, sed veram; non terrenam, sed cœlestem; non temporalem, sed æternam intellexit, cuius illa ita expresse imaginem prætulit, ut Christi regnum sedes David aptissime nominetur.* Nullum enim fuit unquam regnum Christi regno similius quam regnum David, qui ab ipsa pene infantia rex inunctus fuit, nec tamen ad regnum nisi per varios et multiplices labores, pervenire potuit : et Christus in ipsa sua conceptione unicatus fuit Spiritu sancto, et virtute, et a Magis ex Perside venientibus vixdum natus rex Judeorum salutatus est : *Ubi est qui natus est rex Judeorum?* (*Matth. ii. 2.*) Et Isaias de eo : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus.* (*Isa. ix. 6.*) Et tamen tam multa eum pati necesse fuit, ut ipse idem diceret : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc. xxiv. 26.*) Accepit igitur Christus sedem David patris sui. David præterea cum iis regnare cœpit, qui (ut Scriptura loquitur) erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno et amaro animo (*I Reg. xxii. 2.*); denique cum pauperibus, publicanis, meretricibus, qui, debita peccatorum suorum agnoscentes, et pro iis gementes, relicts omnibus de mundo fugiebant, regnum suum auspiciatus est. Denique regnum Davidis magnis continuisque præliis inchoatum auctumque est, sed postmodum tempore Salomonis, devictis ubique hostibus ac belli terroribus, ac tumultibus sopitis pacatissimum fuit : et Christi regnum cum persecutionibus cœpit, persecutionibus crevit, et usque nunc bella contra hæreticos, contra vitia, contra dæmones Christi Ecclesiæ nunquam defuerunt. Semper in acie armatos et paratos esse nos oportet, neque tutam est nobis unquam, vel justitiæ loricam exuere, vel galeam salutis deponere, vel fidei scutum abjicere, vel gladium verbi Dei ad manus non habere postulti judicii diem cum Rex noster non amplius David, sed Salomon dicetur; hostibus Ecclesiæ cum ipso principe diabolo in gehennam detrusis, et vinculis æternis ad ignes sempiternos alligatis, tum demum positis armis, finisque præliis lata felicique pace ubique regnante,

in toto Christi imperio *Alleluia* cantabitur. Quæ cum ita sint, accepit prorsus Rex noster sedem David patris sui.

Altera quæstio est : Cur imperium Christo in sola domo Jacob, quæ fidelium Ecclesiam designat, promittitur ? *Et regnabit*, inquit, *in domo Jacob in æternum*. (*Luc. i.*, 52.) Nonne etiam in domo Esau, hoc est, super impios et sceleratos regnabit, et regnat ? Et qui sunt illi, quos reget *in virga ferrea, et tanquam vas figuli* (*Psal. ii.*, 9) confringet ? Nonne ipse ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* ? (*Matth. xxviii.*, 18.) Nonne ipse est, ut Joannes ait, *Princeps regnum terræ, et habet in vestimento, et in fenum suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium* ? Nonne ipse percutiet gentes, ut idem Joannes ait, et dabit *carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium avibus cœli, et bestiis terræ comedendas*? (*Apoc. xix.*, 16, 18.) Regnabit quidem, et regnat, auditores, Liberator noster in domo Jacob, et in domo Esau, hoc est, in Ecclesia fidelium et electorum, et super multitudinem infidelium et impiorum; sed alio, atque alio modo. Siquidem in domo Esau regnat per *justitiam*, impios et sceleratos regit *in virga ferrea, et tanquam vas figuli* confringet eos ; illi jugum præceptorum Domini executiunt per inobedientiam, sed imponetur eis jugum poenarum et suppliciorum, quod excutere non valebunt per *justitiam* : manum divinae misericordiæ subterfugiunt, sed manum divinæ justitiae non effugient.

Denique tanquam mancipia fugitiva æterno pistrino, tetricisque gehennæ cruciatibus tandem multabuntur. At vero in domo Jacob longe aliter regnat : nam potentissima mirabilique gratia cordibus servorum suorum illabitur, caue sceptro atque imperio suo suaviter subjicit, sibique ea amoris et obedientiae tributum solvere facit. Quia vero modus iste regnandi proprius est Christo, idcirco sanctus angelus solius regni super domum Jacob mentionem faciendam esse judicavit.

Non ita Nabuchodonosor, neque Cyrus, neque Alexander, neque Augustus, neque David, neque Salomon, neque nostri Constantini, et Theodosii, et Caroli unquam regnaverunt. Isti enim soli corporibus imperare, sola corpora mouere, et nisi paruiscent, sola corpora necare poterant : Christus vero in domo Jacob, in Ecclesia sanctorum, in cordibus electorum ita regnat, ut animas et voluntates moveat, et eas ad omne suum obsequium paratas et promptas efficiat, replens eas fide, spe, charitate, justitia, pace, gaudio, quæ idcirco regnum Domini Apostolus nominavit : *Non est, inquit, regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom. xiv.*, 17); in quibus vero ita regnat Christus, et ipsi sine dubio regnant cum Christo : nam *servire Deo, regnare est*. Hinc est illa vox felicium sanctorum : *Redemisti nos, Domine Deus, in sanguine tuo; et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram*. (*Apoc. v.*, 10.) Et vere, quo magis se homo subjicit

Deo, et ei servire, placere, et obtemperare studet, eo magis omnes res inferiores sibi subjectas, et obedientes experitur. Unde, quæso, Daniel inter leones tanquam inter oves mansuetissimas jacuit ? Unde tres pueri, et tam multi martyres in mediis flaminis ardere non potuerunt ? Unde magnus ille Gregorius Neocaesarius episcopus, montem loco movit, lacum exsiccavit, flumen compescuit ? Unde Antonio, Hilarioni, Benedicto, Francisco, aliisque sanctis viris (ut de apostolis interim taecam) mundi elementa, bestiæ terræ, et ipsi dæmones superbissimi, quasi ad nutum obtemperabant ? Nonne ex eo quia ipsi perfecte obediebant Deo, et Christus in eis regnabat, et ipsi simul cum Christo regnabant ? Atque ista quidem gloria miraculorum quasi regni specimen exterius apparebat : sed lumen et splendorem regni Dei, qui intus latebat, admirabilem illam justitiam, pacem illam, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip. iv.*, 7), gaudium illud omnes humanas voluptates longe superans, quis explicare posset ? *Omnis gloria filiarum regis, inquit David, ab intus*. (*Psal. xliv.*) Et vere ab intus : nam *regnum Dei intra nos est* (*Luc. xvii.*, 21); extra vero persecutiones potius, labores, paupertatem, ignoranias Christus electos suos exspectare atque habere jussit. Sicut enim qui multum auri, et argenti, et lapidum pretiosorum secum portant, si silvas transire debeant, ubi latrones versantur, vestes laceras, et sordidas induunt, et extremam inopiam simulant : sic etiam sancti homines, qui thesaurum regni secum habent, donec in silvis hujus sæculi iter facere coguntur, ubi non dubitant in numeros latrones inveniri, abjecti, et viles, et pauperes exterius inveniri volunt. Quis beatum Franciscum sacco suo involutum, atque horridum videns, non mendicum aliquem homunculum esse putas ? Et tamen rex magnus erat, et purpuram, ac diadema, et sceptrum regni, sacco illo prudenter abscondebat, ne a latronibus cognosceretur. Sed cum ad patriam suam sancti pervenierint, ubi sine hoste, sine metu, sine periculo ullo regnabunt, tum demum laceras vestes abjicient, vestem glorie assument, et toti pulchri, toti lucidi, toti gloriosi interius atque exteriorius apparebunt. Hic enim regnum Dei solum inchoatur, sed in cœlo perficietur, ac præsertim in die ultimi judicii, cum *reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp. iii.*, 21); et cum sanctis omnibus a summo Rege dicetur : *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. (*Matth. xxv.*, 34.) Quod regnum quotidie petimus, cum in Oratione Dominica dicimus : *Adveniat regnum tuum*. (*Matth. vi.*, 10.)

Et quandiu regnum istud in domo Jacob permanebit ? decem annis ? viginti annis ? Angelum sanctum audiamus : *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*. Quando etiam sancti cum eo regnabunt in æternum, et regni eorum non erit finis. O regnum lucidum,

regnum pacatum, regnum gloriosum, et cum his omnibus in omni æternitate sine ullo fine duraturum! Et quid est, fratres, quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quis nos fascinavit caducos honores auro comparare et nolle gratis accipere sempiternos? Quæso vos, si modo optio nobis daretur, et posset fieri, quis non mallet se Antonium, vel Franciscum fuisse, quam Caesarem vel Alexandrum? Quis non mallet cum illis paucos dies, in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et ærumnis Domino serviisse, et nunc in cœlis cum iisdem sine fine regnare, quam cum istis brevissimo tempore mundi monarchiam tenuisse, et nunc in gehenna cum iisdem cruciari? Isti ut monarchæ toti orbi imperarunt; deliciis, divitiis et honoribus abundarunt, sed haec omnia uno pro pœnum momento abierunt, eaque pœna, ignominia et confusio inexplicabilis consecuta sunt: dies paucos læti exegerunt, nec ea lætitia sine tristitia fuit, et jam tot sœculis calicem iræ Dei plenum absynthio sine ulla intermissione biberunt, tot sœculis jam habitarunt cum igne devorante, et sudarunt in ardoribus sempiternis (*Isa. xxxiii, 14*), nec ullum finem calamitatum exspectare licet. Illi vero dies paucos in laboribus et ærumnis Domino servierunt, contempti a quibusdam aliquando, ab aliis honorati, quamvis honorem illum non quærerent, sed fugerent, externis opibus caruerunt, sed a molestiis ac sollicitudinibus, quædivitias consequuntur, liberrimi fuerunt, nec tamen eorum aliquem fame perisse audivimus: quos ipsos post mortem cœlestis Jerusalem exceptit, ubi sœculis multis feliciter jam regnarunt. Atqui nunc optio datur, et potest fieri, vel potius debet omnino fieri, non quidem ut fueris Cæsar vel Alexander, Antonius aut Francis, sed certe ut sis deinceps vel stultis ethniciis, vel sapientibus Christianis similis: et vel ad domum Esau pertineas, et in virga ferrea regaris, et tanquam vas figuli confringaris, vel in domo Jacob numereris, et cum Christo regnes in æternum. Et cum optio ista detur, cum possis talis fieri, qualem te fuisse desiderares, si jam obiisses, cum tanti hoc referat, ut nihil prorsus sit cum hoc negotio comparandum, cur, quæso, te ipsum ita fallis? Cur quasi unus de insipientibus agis? Cur non ita vivere instituis, quomodo te vixisse paulo post operabis? Me miserum, præterit figura hujus mundi, volat irrevocabile tempus: videmus quotidie homines mori, nos ipsi statim moriemur; certo scimus summis votis nos tunc optaturos, bene, sancte, caste, vitam traduxisse: et tamen quasi quodam lethargo correpti non movemur, non excitamur, non semel dicimus: Dormivi satis, mea res agitur, nolo mihi amplius mundus imponat, nolo propter temporalia amittere sempiterna. Fratres, qui stipendum cupit, jam nunc militare incipiat: qui magnus in cœlo esse desiderat, hic magnus virtutibus esse studeat. Hic enim parantur officia; hic decernuntur loca, hic honores designantur; et qui hic

bene vivendo cœlestis hæreditatis non accepit codicillos, post mortem certe mendicum et vacuum se inveniet.

## PARS SECUNDA.

*Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Laudavimus superiore oratione beatissimam Mariam de silentio, nunc multo magis de gravi et sapiente responsione laudanda est. Legimus enim in libro Ecclesiastici (xxxii, 10): *Adolescens, loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et querens. Quod præceptum Virgo sancta diligenter et sapienter observavit. Salutatur ab angelo, et compellatur semel, et nihil respondet, sed cogitat secum quid sibi velit ea salutatio; compellatur secundo, et tum caput, seu initium incipit habere responsum ejus; neque tunc multa loquaciter garrit, sed una, eaque brevissima interrogacione complectitur id totum, quod eam ab angelo querere oportebat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Felix Eva, si cum a serpente audivit: *In quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen. iii, 5*), continuo respondisset: *Quomodo fiet istud?* qui fieri potest, ut comedentes de ligno, quod Deus prohibuit, efficiamur sicut dii? Itaque ex ejus errore Maria prudentior facta, etiam angelo respondere non timuit: *Quomodo fiet istud?*

Verum quod in hac Virginis nostræ responsione sive interrogatione potissimum admiramus, est incredibile studium, novus et inauditus ardor virginitatis conservandæ. Primum enim ex hoc loco aperi- tissime cognoscitur, Virginem Mariam virginitatem non solum elegisse, sed etiam voto confirmasse: alioqui nulla prorsus esset causa, quam reddit quæstionis suæ, cum ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Jam enim nupta erat viro, et si iupta non fuisse, nubere, virum cognoscere, de viro concipere, et parere certe potuisset. Ita locum istum divus Augustinus (*De sancta virg. cap. 4*) intelligendum docet: « *Quomodo fiet istud, ait Virgo, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto, inquit, non diceret, nisi Deo virginem se arte vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablature, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. » Et beatus Bernardus (serm. 4 super *Missus est*) hunc ipsum exponens locum: « Non dubitabat, inquit, de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim querit: An fiet istud, sed: *Quomodo fiet istud?* Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuit me frangere votum, ut pariam talem Filium, et gaudebo de Filio, et dolebo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique, si placuerit ei, im-

possibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Itaque, auditores, sicut viri religiosi certorum ordinum, cum dicunt: Nos vinum non bibimus, aut, carnis non vescimur, non id significare volunt se tunc non bibere vinum, nec vesci carnis, cum id loquuntur, sed lege se et voto prohiberi, ne unquam aut vinum bibant aut carnis vescantur: sic etiam Virgo beata, cum ait: *Virum non cognosco*, nihil intelligi voluit aliud, quam voto se obstrinxisse coram Deo virginitatem perpetuo servaturam. Hæc vero quanta est laus! *Mulierem fortem quis inveniet?* *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* (Prov. xxxi, 40.) Quæ major fortitudo cogitari potest, quam ut nobilis adolescentula ad palmani præclarissimæ et difficillimæ virtutis, per iter insuetum et invium securoris virginibus exemplo suo aditum aperire, et tanquam dux præaire tentaverit? Si nunc magnum est virginitatem conservare, cum eam Dei Filius docuit, Apostolus consuluit, Patres laudarunt, multi sexus utriusque tenerunt, et exemplo suo servari posse demonstrarunt, quanto majus singularem istam Virginem, et virginum Reginam tunc ad palmani hujus nobilissimæ virtutis aspirare potuisse, cum neque præceptum habuerat, neque consilium audierat, neque viderat exemplum, et cum nullo in pretio apud homines habebatur!

Neque vero existimet aliquis se gloriam istam singularem Virginis Deiparæ extenuare posse, si dicat eam non ante de voto virginitatis cogitasse, quam se Matrem Dei futuram esse præsciret: nam, ut divus Augustinus (*De sanct. virginit. cap. 4*) sapienter monet, et verba ipsa Virginis aperte docent; virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quod esset conceptura nesciret. Sicut igitur primitiæ resurgentium Christus, primitiæ credentium apostoli: ita primitiæ virginum Maria; et sicut primitiæ aliis fructibus ejusdem generis excellunt, ita Mariæ virginitas magis Deo quam aliorum omnium virginitas placuit.

Neque solum ex hoc loco primum florem Ecclesiæ divam Mariam fuisse cognoscimus, sed etiam ad ejus perpetuam virginitatem contra Helvidianos asserendam, testimonium firmissimum habemus: quæ enim thesaurum virginitatis sedibus, et regnis anteponeret, qua unquam spe, quibus promisis eam sibi deinceps auferri pateretur? Si qua puella, licet obscuris et pauperibus parentibus nata, oblatum sibi summi alicujus regis connubium amore virginitatis recusaret, num credibile esset ulla alia ratione eam aliquando fleetendam? Jam igitur beatissima Maria, si angelo veritatis tantum Filium promittente, nempe Regem, et Regem æternum, et quod his omnibus majus est, Deum verum, ita ut certo sciret se Dei Matrem, orbis Dominam, angelorum Reginam esse posse, tamen virginitatis ab amore non recessit, sed ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quibus, quæso,

machinis, quibus motibus firmissimam turrim animi ejus dejici unquam potuisse credemus? Nemo igitur de fortissima Virgine tale aliquid, quod nefas est, suspectur, sed hinc potius quanti virginitatis thesaurus fieri debeat, omnes discamus, quem a Virgine Dei matre tam ardentiter amatum, tantoque studio conservatum videmus.

Nec immerito Dei Mater futura, virginitatis deus tam vehementer adamavit, quod ab ipso Deo maximi fieri Spiritu sancto docente cognoverat. Nondum quidem scriptum erat in Evangelio veritatis: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Qui potest capere capiat. (Math. xix, 12.) Nondum scriptum erat ab apostolo Paulo: *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem; quoniam bonum est homini sic esse. (I Cor. vii, 25.) Et: *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta, et corpore et spiritu.* (Ibid. 34.) Et: *Qui jungit matrimonio virginem suam bene facit; et qui non jungit, melius facit.* (Ibid. 38.) Nondum scriptum erat ab apostolo Joanne virgines duntaxat, et qui cum mulieribus non sunt coquinati, sequi Agnum quocunque ierit, et canticum novum cantare, quod nemo alias cantare potest. (Apoc. xiv, 4.) Nondum scriptum erat ab Cypriano: *¶ Flos est virginum cœtus ecclesiastici germinis, decus atque ornementum gratiæ spiritalis, lœta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, illustrior portio gregis Christi; gaudet per illas, et in illis: largiter floret Ecclesiæ matris gloria secunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit.* Magna Dei virgines merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis. Nondum virginitatis laudes ecclesiasticae illæ tubæ, Athanasius, Basilias, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus decantaverant; sed tamen Virginem nostram uictio Spiritus sancti de omnibus docuerat jamque patrem suum David dicentem audierat: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* (Psal. xliv, 11, 12.) Et: *Vultum tuum deprecabuntur omnes dites plebis* (Ibid. 13.) Et: *Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.* (Ibid. 15.) Nec illud Isaiae, vel Dei potius per Isaiam, ad eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, dictum ignorabat: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* (Isa. lvi, 4, 5.) Quanta, quæso, est hæc promissio? Cujus animum ad amandam castitatem non alliciat? *Dabo eis, inquit, locum, et nomen melius a filiis et filiabus.* Quis capiat quid sit virginitas apud Deum, cui locus et nomen filiorum et filiarum parum est, aliquid ma-

jus, nobilior, illustrius, gloriosius præparatur? Et quid est, obsecro, Agnum sequi quocunque ierit? « Quo ire putamus hunc Agnum? Ad quos saltus et prata? ubi credo (ut verbis sancti Augustini [*De virginit.* cap. 27] utar) sunt grama gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insana, mendacia, neque gaudia, qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus erunt; sed a ceterorum omnium gaudiorum sorte distincta, » gaudia maxima et inexplicabilia, et propria virginum Christi. Et qualis erit gloria, cum omnis multitudine sanctorum virgines Christi videbit Agnum sequi, ipsi sequi non poterunt, et videbit, nec invidebit; sed collætando illis, quod in se non habet, habebit in illis? et qualis voluntas illa erit, cum ad nuptias Agni cantabunt virgines canticum novum, non quale cantat universa Ecclesia, cui dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra* (*Psal. xcv, 1*); sed canticum dulcissimum suavius, quod sola ora virginea canere digna erunt, canticum proprium virginum, quod cæteri sancti dicere non poterunt, sed tantum audire poterunt, et delectari fratrum suorum tam excellenti bono; virgines vero qui et canere et audire poterunt, jucundius exultabunt, feliciusque regnabunt? Quæ cum ita sint, non mirum, si Virgo sapiens, pretium virginitatis intelligens, angelo respondet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et vos, fratres, presumeite, fidite, roboramini, permanete, qui redditis Domino Deo vestro vota perpetuae continentiae. Vos etiam, qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite: perseveranter currите ut comprehendatis. Ardua quidem militia, sed infinitum stipendium; dura certamina, sed immortalis corona. Terret mundus, minatur diabolus, repugnat caro, sed consolatur et invitat Deus. Neque ipsa virginum Regina, et post eam tot millia sanctorum, et sanctarum virginum in seipsis potuerunt, quod potuerunt, sed in Domino Deo suo.

Sed quid ego in tam corrupto sæculo de virginitate dispueto? Utinam ab adulteris, a fornicatione, a cogitationibus sordidis, a desideriis pravis, a verbis lascivis, ab aspectibus impudicis, ab ocellis et horrendis flagitiis, quæ filii gehennæ in seipsis operantur, contumelia corpora sua afficientes, quæ nominare non audeo, hujus sæculi homines se abstinerent! Utinam vel in tenera ætate locum castitas inventiret, et non etiam pueri vixdiu nati omnia genera turpitudinum disserent, loquerentur, exercerent! Utinam majores natu qui uxores ducere decreverunt, tales se illis conservarent, quales eas invenire desiderant! Utinam qui matrimonio juncti sunt, suis toris contenti, exemplo suo uxores docerent, quantam pudicitiam a Christianis conjugibus Deus requirat! Utinam in ordine ministrorum Dei nulli reperirentur qui tremenda mysteria impudicis manibus tractare, impudico ore et corde sumere auderent! Et quanta est hæc injuria terribili illi Majestati? Quid? Cujus

Pater feminam nescit, cuius mater virgo est, cuius ministri angeli sunt, hujus tu purissimum et sacratissimum corpus manibus impudicis contingere, et in sordidum ac cœnosum pectus excipere audebis? Parumne tibi videtur templum Dei, corpus tuum, polluisse, nisi etiam polluas et Deum tuum? Et si *qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*I Cor. iii, 17*), quid, oro, illi fieri, qui Deum ipsum polluere ac violare conatur? Num quia solus in cubiculo, sine conscientia, sine teste, vel cogitationibus sordidis ac desideriis impudicis polluis animam tuam, vel quod horrendum et nefandum flagitium est, et contumelia officis corpus tuum, putas te oculos Dei latere? Falleris, impudice, falleris. Clarius ea Deus videt, quam tu ipse ea videoas. Nec solum Deus videt, sed etiam tempore suo in die ultimi judicii, ab omnibus hominibus ea videri faciet. Tu quidem in tenebris scelus operaris; Deus vero in conspectu solis hujus tanquam in theatro toti mundo turpitudinem tuam spectandam exhibebit. O qualis erit ea confusio, cum eos, qui habitu et professione, saepè etiam opinione hominum sancti videbantur, turpissima quæque cogitasse, et egisse mundus totus intelliget? Sed fortasse perpancei, aut nulli sunt hic tales. Id ego vehementer cupio; sed tamen hæc dicere volui, ut etiam in posterum non sint, ac ut omnes intelligent angelica puritate nitere, et solis radiis mundiores eos esse debere, qui Agnum immaculatum, qui Dei et Virginis Filium, qui corpus a Spiritu sancto formatum, manibus quotidie tractant, et qui aliis hominibus, tanquam soles quidam in firmamento Ecclesiæ constituti, vitæ et morum splendore prælucere debent.

Cæterum omnes, auditores, si non solum poenam impudicis constitutas effugere, sed præmia castis hominibus præparata promereri cupimus, ad exemplum Dominae nostræ, Matris Dei nostri, zelum magnum pudicitiae concipiamus, atque hoc præser-tim tempore, quo diem Natalem Domini celebraturi acturique sumus. Si enim oriente sole, bruta animantia in antris et speluncis suis absconduntur: num Sole justitiae exoriente, homines impudici, brutis animantibus stupidiiores, in publicum prodire, basilicas intrare, tremenda mysteria vel cernere audebunt? Num inter choros angelorum, quibus eodem plenæ erunt ecclesiæ, sordidissimæ sues impune apparere tentabunt? Quare ut nemo nostrum in tam leta celebritate merito abscondi debeat, ut nemo confundatur, ut omnes cum gaudio et lætitia spirituali diem illum celebremus; nemo se brutis impudice vivendo similem efficiat, sed angelos potius, et angelorum Reginam, vitæ sanctitate ac puritate imitetur. Quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

#### CONCIO V.

Si cœlestium mysteriorum magnitudini, de quibus hodierna die, adjuvante Domino, dicturi sumus,

parem orationem aliqua saltem ex parte afferre possemus, non dubitarem, optimi auditores, quin essent omnes facile intellecturi, quantum linguae hominum a linguis angelorum differant. Disserendum est enim de illa angeli sententia, qua simul paucissimis verbis, et Virginis questioni responderetur, et totum Dominicæ Incarnationis sacramentum explicatur. Quæsierat Virgo castissima, de thesauro virginitatis sue vehementer sollicita, ad quem modum futurum esset, ut ipsa juxta angeli promissionem conciperet, et pareret Filium, quæ Deo virginitatem suam novo exemplo jam dedicavisset. Ei vero quæstioni ita sanctus respondet archangelus, ut doceat eam, sicut novo exemplo virginitatem suam Deo dicaverat, ita novo et inaudito prorsus modo concepturam, non ex semine viri, sed opera Spiritus sancti : neque virginitatem eo conceptu, partuque violandam, sed ornandam ac sacrandam : *Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, et quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Duo quedam, auditores, in Incarnationis sacramento præcipue consideranda sunt. Unum toti divinæ augustissimæque Trinitati commune : alterum solius personæ Verbi proprium. Utrumque vero sanctus angelus iis verbis, que modo recitari audistis, comprehendit. Ac toti quidem beatissimæ Trinitati commune fuit, id omne, quod in Incarnatione Dominicæ ad Deum, tanquam ad efficientem causam refertur, ut animæ Servatoris creatio, ut corporis conformatio, ut animæ cum corpore conjunctio, ut animæ et corporis cum divinitate copulatio. Deus enim potentia, sapientia, voluntate, imperio operatur. Una vero potentia, una sapientia, una voluntas, unum imperium, sicut una natura, atque substantia, in Patre et Filio, et Spiritu sancto est. Itaque (ut verbis ntar D. Leonis [serm. 3, *De Pent.*]) : « Quidquid in dispositione rerum omnium agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiae, una censura justitiae : nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. » At vero solius personæ Verbi proprium fuit, humanam naturam ad subsistentiæ propriæ consortium ita assumere, ut ea natura non humana et creata, sed a divina et increata hypostasi sustentetur. Quanquam enim una est in Trinitate natura, una operatio, una voluntas ; tamen non est una subsistentia, una hypostasis, una persona, sed tres ; alioquin Trinitatem nullam haberemus : ex tribus vero divinis personis Patre, Filio et Spiritu sancto, sola persona Filii suam ac propriam subsistentiam sive hypostasim cum natura humana communicavit. Nec enim Pater, aut Spiritus sanctus, sed solum *Verbum caro factum*. Sed jam ad ipsa angeli verba veniendum est.

## PARS PRIMA.

*Spiritus sanctus superveniet in te.* Quibus verbis efficientem causam Dominicæ Incarnationis ostendit.

SUMMA AUREA DE B. V. MARIA. VI.

Quanquam enim, et paulo ante dicebamus, efficiens causa hujus excellentissimi operis tota Trinitas fuit, tota Trinitas animam Christi creavit, tota Trinitas corpus ejusdem in utero Virginis conformavit, tota Trinitas animam cum corpore, et corpus et animam cum Verbi divini hypostasi copulavit, tamen secundum consuetudinem Scripturarum, totum hoc opus Spiritui sancto tribuitur. Neque id sine causa. Primum enim quemadmodum vox ista corporea, qua verbum nostræ mentis spiritale et incorporeum quasi vestimus, ut auribus corporeis sentiri possit, a spiritu oris humani formatur ; ita decebat ut opus illud, quo Verbum divinum humana carne tanquam voce corporea vestitum est, spiritui oris Domini tribueretur, quo videlicet per hujusmodi similitudines ad intelligentiam aliquam tanti mysterii perveniremus. Deinde, consuevit Scriptura divina ea opera personis singulis attribuere, quæ cum earum proprietatibus magis convenient. Ut quoniam personæ Patris proprium est principio carere, et Filii, et Spiritus sancti principium esse, inde potentia, et ea quæ ad potentiam pertinent, qualis est orbis creatio, et conservatio, Patri potissimum tribuuntur. Quia personæ Fili proprium est a Patre per actum sapientie et cognitionis, generari, inde sapientia, et ea quæ sapientiæ sunt, ut rerum gubernatio, providentia, dispositio, Filio tribui solent. Postremo, quia personæ Spiritus sancti proprium est amorem esse Patris, et Filii, atque ab eis per actum charitatis non duabus, sed unica spiratione procedere, inde charitas, misericordia, benignitas, bonitas, et ea, quæ a charitate et bonitate divina proveniunt, Spiritui sancto præcipue ascribuntur. Hinc igitur Incarnationis Dominicæ Spiritus sanctus auctor merito, jureque optimo prædicatur : *Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te.* Et rursum : *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Non quod Pater et Filius in hoc opere nihil egerint, sed quod opus Incarnationis, opus maximæ et infinitæ charitatis fuerit : *Per viscera misericordiae Dei nostri, inquit Zacharias, in quibus visitavit nos Oriens ex alto (Luc. i, 78) ; et apostolus Paulus : Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei (Tu. iii, 4).* Et evangeliista Joannes : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum (I Joan. iv, 9).* Et ipse Dominus magnitudinem hujus amoris quasi vehementer admirans : *Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan. iii, 16).* Patriarcharum et prophetarum temporibus guttæ spiritualium donorum, quasi pignora quædam divini in nos amoris aliquando cadebant : sed novissime istis diebus apertæ sunt cataractæ cœli, et tanquam diluvium quoddam charismatum divinorum effusum est super terram. Qui enim Filium suum tam liberaliter dedit, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit ? (*Rom. viii, 32.*) Sic igitur, sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Magnum

profecto clementiae signum est, ab ingrato et fugitivo mancípio pœnas non querere : majus, post multa et gravia latrocinia, atque scelera, in gratiam ac benevolentiam illud recipere : maximum, non in gratiam solum recipere, sed etiam novis muneribus et beneficiis ornare. Sed hæc omnia quamvis rara, quamvis eximia, quamvis mirabilia, aliquando tamen et intra homines audiuntur : at quis capiet, vile mancipium furari, et pro eo filium regis, rege jubente, suspendi ? Sic igitur Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

Nos verniculi superbissimi vestium multititudine et pulchritudine luxuriām : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut tempore frigidissimo nudus jaceat in praesepi. Nos in conviviis inter patinas et pocula potando et fabulando multas horas conterimus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut fame et siti innocentissimum corpus suum affligat. Nos otiosi lusibus variis oblectamur, et cantando ac ridendo tempus transigimus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut de nostra salute sollicitus (ne forte in æternum pereamus) peregrinetur, concionetur, labore, quietem nullam capiat, integras noctes pro nobis orando consumat. Nos, terra et cinis, minimas verborum injurias sine stomacho devorare non possumus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut maledicta et contumelias, ut sputa et alapas accipiat, ut virgis cædi, ut spinis coronari, ut vulnerari atque occidi se æquo animo patiatur. Sic igitur, sic sine modo, sine mensura, supra intelligentiam, supra rationem Deus dilexit mundum, hoc est, hominem cœno peccatorum a planta pedis usque ad verticem capitis sordidum atque immundum, ut Filium suum, eumque unigenitum, optimum, sapientissimum, pulcherrimum, sanctissimum, daret. Quamobrem, si opera illa, quæ a divina benignitate et charitate procedunt, Spiritui sancto tribuenda sunt, certe imprimis Dominicæ Incarnationis opus sibi Spiritus sanctus optimo jure vindicare potest. Atque hæc quidem de eo dicta sint, quod angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te.*

Explicat deinde alteram partem Dominicæ Incarnationis, quam solius personæ Filii Dei propriam esse diximus, et *virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quid enim est aliud virtus Altissimi, quam *Verbum* illud potentissimum, per quod facta sunt omnia, et quod Isaías brachium Domini, et apostolus Paulus Virtutem, et Sapientiam Dei appellare solent ? *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini*, inquit Isaías (L, 9). Et rursum : *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revealatum est ?* (Isa. LII, 1.) Apostolus vero Paulus : *Nos, inquit, prædicamus Christum, et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem, et Dei savientiam* (I Cor. I, 23, 24). Itaque tunc virtus Altissimi beatissimam Virginem obumbravit, cum majestas Filii Dei, quasi lucidis-

sima quædam nubes, super eam descendit, et humanam naturam opera Spiritus sancti de purissima ejus carne formatam, sibi arctissimo atque indissolubili nexu copulavit. Neque moveat quemquam, quod angelus non ait : *Obumbrabit te*, sed : *Obumbrabit tibi*; Græca siquidem vox ἐπισκιάζω, qua Lucas usus est, idem significat, sive cum dativo, sive cum accusativo jungatur, et sicut hoc loco legimus : *Obumbrabit tibi*, ita cap. ix, vers. 34, ubi de transfiguratione agitur, legimus apud eundem evangelistam : *Facta est nubes, et obumbravit eos.*

Sed cur, quæso (roget quispiam), descensus iste Filii Dei *obumbrationis* vocabulo explicatus est ? Primum, ad secretum hujus mysterii designandum. Siquidem secretissimo atque arcano prorsus modo, quasi in umbra, sola Divinitas cum sola Virgine conceptum est operata divinum. Non oculus humanus, sed ne angelicus quidem eo penetrare potuit : *Deus enim qui lux est, et lucem inhabitat inaccessibilem* (I Tim. vi, 16), totam illa hora felicissimam Virginem suæ majestatis gloria cooperit : et hoc est : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Deinde, ut omnes intelligerent non ita Dei Filium in uterum matris descendisse, ut more cæterorum infantiū ibi esset inclusus, et extra Virginis uterum nusquam esset, propterea angelus ait : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, ad modum ingentis nubis totam te virtus Altissimi comprehendet, in utero tuo erit, et in te manebit, et tu in eo, vesties illum, et vestieris ab illo. Vesties tu illum substantia carnis, vestiet ille te gloria suæ majestatis ; vesties Solem nube, et Sole ipsa felicius multo vestieris : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Postremo, quia mirari potuisset aliquis, quomodo Lucis inaccessibilis accessum ferre, Solis amictum sustinere, et in tam vehementi fervore subsistere tam fragilis natura potuerit, ideo etiam ait angelus : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Idem enim justitiæ Sol, qui Virginem totam præsentię suæ luce vestivit, idem, inquam, potentia sua infinita, atque virtute umbraculum ei fecit : « Nec mirum (ut verbis utar divini Bernardi, serm. super illud Apoc. xii, 1 : *Signum magnum*) si sub tali umbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus. »

Sequitur : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Apte omnino et apposite, auditores, angelus ait : *Quod nascetur ex te sanctum* ; non enim Christus homo, sicut cæteri sancti, sed singulariter, et modo quodam ipsi soli proprio sanctus fuit. Cæteri omnes vel peccatores nascuntur, et postea sancti fiunt ; vel nascuntur quidem sancti, ut Jeremias et Joannes, sed in peccatis concepti fuerunt. Quod si Dominam Mariam sine peccato conceptam fuisse placet, tamen ex dono gratiæ, non ex natura conceptionis talis fuisse credenda est. Solus Christus non ex complexu conjugii, sed de Spiritu sancto ex Virgine conceptus est, ex ipsa natura, et genere conce-

ptionis sanctus est. Solus ipse ea excellestissima sanctitate pollet, ut nec peccatum fecerit, nec facere potuerit. Itaque non injuria a Daniele *Sanctus sanctorum*, et hoc loco *Sanctus*, absque ulla additione nominatur.

*Ideoque, inquit, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed quid sibi vult illud: *Ideoque? Quare ideo?* Num, quia *Spiritus sanctus superveniet in te, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* Ut sicut Pater genuit Verbum secundum formam Dei, ita Spiritus sanctus generat Verbum secundum formam servi? Minime vero. Neque enim Spiritus sanctus ulla ratione pater Verbi dici potest. Nam non quicunque aliquid agit, continuo pater illius est, alioqui et et filius vasorum, et tutor calceorum, et architectus aediorum, et omnis artifex sui operis pater diceretur: sed is duntaxat patris nomine dignus censendus est, qui ex sua, et propria substantia filios gignit. Itaque Verbum secundum formam Dei patrem agnoscit in celo, eum *ex quo omnis paternitas in celo et in terra nominatur* (*Ephes. iii, 15*); secundum formam servi, matrem agnoscit in terra eam, quae ab angelo plena gratia salutatur. Nam et a Deo Patre substantiam divinitatis, et a Virgine Matre substantiam carnis accepit. Porro *Spiritus sanctus*, qui corpus Filii Dei, non ex sua, sed ex sola Virginis substantia fabricavit, non utique pater, aut genitor, opifex et architectus corporis Deminici vocari debet. Non igitur quia *Spiritus sanctus superveniet in te*, sed quia *virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam cum verus et naturalis Dei Filius, qui et Verbum, et Sapientia, et brachium et Virtus Altissimi nominatur, ipse in uterum Matris descenderit, et humanam carnem ex ea assumptam ad hypostasim suam adjunxerit, inde videlicet qui conceptus et natus de Virgine est, non Virginis solius, sed etiam Dei Filius appellatur.

Ait agitur: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* At quis non obstupeat, cum quod tanto verborum honore archangelus nominet, vilissimi homines tam facile vel manibus tractant, vel ore sumunt, vel lingua blasphemant? Certe de Christo homine loquitur, nec satis esse putavit, si diceret: *Sanctus ille Puer, Infans ille venerabilis, qui ex te nascetur;* sed quasi nullum nomen excellentiam sanctitatis ejus explicaret, generali voce uti maluit: *Ideoque, inquit, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi sunt modo, qui Sanctum sanctorum, ad quem nominandum satis magnum nomen angelus invenire non potuit, tanta facilitate blasphemant, ut saepe etiam nulla de causa jocando ac ridendo id faciant? Qui si inteligerent in quantam Majestatem os suum aperirent, quam graviter totam aulam coelestis regni offendunt, et quam atrocia supplicia ipsis interim in gehenna parentur, mallent profecto labia sibi unum cum altero consui, vel certe lingua

carere, quam vel otiose tam venerabile nomen usurpare. Ubi sunt etiam, qui hunc eumdem Sanctum sanctorum, quem angelus nominare non audet, his proximis feriis in domicilium pectoris sui cum aliquo honore introduixerunt, sed paulo post propter aliquani fallacissimam voluptatem, et verissimam vanitatem, majore cum ignominia ejecerunt? Quale judicium, quæso, fieri iis qui thesaurum gratiae Dei, qui carnem illam de Spiritu sancto conceptam, et eum ipsa Verbi persona tam singulariter copulatam contemnunt, ut ei vel inanissimas nugas anteponant? Quid enim ei non anteposuerent, qui pro aspectu unius mulierculæ, pro una saltatione, pro uno vini poculo, Christum vendunt? Certe majori pretio a Juda traditore venditum cum fuisse legimus. Et tamen de illo scriptum est: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille* (*Matth. xxvi, 24*). Ubi sunt postremo sacerdotes Domini, qui hunc Sanctum sanctorum, cum tremenda mysteria peraguntur, in ara præsentem, et multitudine angelorum stipatum esse non dubitant, et nihilominus quasi non eum viderent, vel ab eo non videbantur, incredibili festinatione, sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore sacra persteiunt, et quod pudet dicere, vel potius horreo dicere, soridissimis linteis, quæ corporalia vocamus, qualia in mensa famulorum suorum ponere erubescerent, illud Sanctum involvunt, quod angelus nominare non audebat? Omitto, quod altaria plena sint saepe pulveribus; taceo, quod etiam araneis licet circum aras Dei suas telas extendere, et museas aucri pari. Prætero, quod in tam magno atque horrendo sacrificio saepe unam particulam candelæ duntaxat videamus, eamque tam tenuem, ut vel modicus ventus eam non solus extingue, sed etiam totam de altari exsufflare possit. Nihil dico, quod saepe ministri tanto sacrificio adhibeantur pueri dissoluti, petulant, procaces, qui semper oculos huic atque illuc circumferunt, et vel turpiter sedent, vel astant impudenter. Denique ita sine ulla pietate ac devotione ministrant, ac respondent, ut aliquid aliud agere videantur: nec postea tamen corripiuntur, ut saltem intelligent se male agere. Sed tamen haec omnia facile patior sileri, sint parva et levia, si ita placet, quamquam Deo non placeat. Sed quod ipsa corporalia, quibus Domini sacrosanctum corpus imponitur, ita sordeant, quod purificatoria, quibus sacer calix purgatur, ita quibusdam locis nigra, turpia, olentia, et pene corrupta sint, ut nauseam provocent, et vix manibus sine horro tangi possint; haec profecto tolerari nullo pacto deberent, nec certe tolerarentur, si ii, ad quos pertinet ista curare, decorem domus Domini diligenter, et si Dominum suum, propter quem ab hominibus honorantur, ipsi honorarent. Sed ad vos, o sacerdotes, ait Dominus per Malachiam (ii, 8, 9): *Qui respicitis nomen meum, et vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in*

*lege : propterea et dedi vos contemptibiles, humiles omnibus populis.* Sed nolo ulterius vereunda patrum detegere, quæ magis tegere cuperem, si non res ipsæ clamarent, illustrarentur, erumperent. Quia vero non dubito multos esse in ordine sacerdotum viros probos et doctos, quibus hæc displeaseant, eos ego cohortatos volo, ut zelum magnum honoris Domini concipient, et eos qui Sanctum sanctorum ita contemnunt, admonent, castigent, confundant, verbis non parcent, neque dubitent apud Deum se pro eo zelo bonum gradum acquisituros et magnam fiduciam in Domino.

## PARS SECUNDA.

Sequitur : *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Multis de causis angelus sanctus posteaquam ad quæstionem Virginis respondit, et Incarnationis Dominicæ sacramentum exposuit, de conceptione Præcursoris beatissimam Mariam certiore facit. Prima causa est, ut eam, licet credentem, tamen quia res difficillima credenda proponebatur, adhuc magis in fide confirmet. Tametsi enim minus est, si unum cum altero conseratur, quod anus sterilis, quam quod virgo concipiatur, tamen utrumquè Deo facilimum est, utrumque naturæ vires ac potentiam superat : quo circæ non inepte unum ex altero confirmatur. Atque hanc rationem angelus reddit cum ait : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quasi dicere velit : Hæc tibi de Elisabeth cognata tua significare volui, ut intelligas quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Altera causa est, ut dum sterilis conceptus Virgini nuntiatur, et dum miraculum miraculo additur, gaudium etiam gaudio cumuletur. Tertia, ut miraculum Dei, quod præserbit non parum ad Incarnationis mysterium pertinebat, prius sciret Virgo per angelum, quam audiret ab homine, et Dei Mater mox futura, etiam consitorum Dei particeps fieret. Quarta, ut dum nunc Servatoris, nunc Præcursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii reseraret veritatem. Quinta, ut audiens cognatam vetulam ac gravidam, cogitet adolescentula de obsequiis, atque interim locus et occasio detur Præcursori in utero matris exultandi, et officiis sui Domino quasdam quasi primitias offerendi.

Sed quærer aliquis fortasse : Quomodo potuit Elisabeth cognata esse Mariae ? Nonne divus Lucas initio evangelicæ sue historiæ ait aperte, Elisabeth de filiabus Aaron fuisse ? Nonne beatam Mariam certum est esse de filiabus David ? Alioquin enim, neque angelus dixisset : *Babit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Neque beatus Matthæus initio Evangelii scriberet : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Neque Apostolus ad Romanos scribens de Christo diceret : *Qui factus est ex semine David secundum carnem.*

(Rom. 1, 5.) Denique neque ipse Dominus in extrema Apocalypsi se radicem et genus David, Stellam splendidam, et matutinam appellaret. Constat enim Christum non aliter esse filium David, quam ratione Mariae. At in libro Numerorum (cap. xxxvi) jubentur feminæ viros non sumere, nisi de sua tribu. Quomodo igitur fieri potuit, ut cognata esset Mariae Elisabeth, cum una de tribu Levi ac de filiabus Aaron, altera de tribu Juda et de filiabus David esse cognoscatur ? Verum quæstionis hujus facilis est et aperta responsio. Neque enim in postremo capite libri Numerorum lex lata de nuptiis, ad omnes mulieres debet extendi, sed solum ad eas quæ fratres nullos habent. Tales erant filiae Salphaad, quarum occasione, qui Scripturas legunt, legem illam latam fuisse sciunt. Feminæ enim, quæ fratres non habent, juxta aliam legem ejusdem libri Numerorum (cap. xxvi), in paternam hereditatem succedunt, et ipsæ duntaxat viros ducere, nisi de sua tribu non poterant : ne videlicet hereditas de una tribu in alteram flecteretur, et sortes et possessiones tribuum confunderentur. Ceterum aliis omnibus, quæ hæredes non erant, liberum erat plane nubere quibus vellent. Itaque Moyses, qui legem illam promulgavit, uxorem Zephoram Madianitudem duxit ; Aaron de tribu Levi, uxorem habuit Elisabetham de tribu Juda ; Booz de tribu Juda Ruth Moabitidem accepit uxorem ; David quoque de tribu Juda, Michol filiam Saul de tribu Benjamin ; et Salomon filius ejus filiam regis Pharaonis in matrimonio habuerunt. Denique Joidas pontifex (ut ceteros omittam) Josabeth filiam Ioram, et sororem Ochoziæ regum Juda uxorem habuisse legitur. Quæ cum ita se habeant, mirum profecto esse non debet, si Maria de tribu Juda, et familia David, cognatam Elisabeth habere potuit de tribu Levi, ac de filiabus Aaron. Quid enim prohibeat quominus aliqua soror beatæ Annæ virum duceret de filiabus Aaron, atque inde exsisteret Elisabeth ? sicut beata Anna Joachimo nupsit de filiis David, ex quo nata est Maria : quin non solum nihil prohibeat, sed etiam valde debeat, ut Messias, Rex et Pontifex futurus, cum utraque familia, regia scilicet et pontificia, cognitionem haberet. Vere igitur angelus ait : *Ecce Elisabeth cognata tua.*

Sequitur deinde, et ait : *Et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Quibus verbis satis aperte demonstrat conceptionem Præcursoris divino miraculo ascribendam esse. Nam Elisabeth jam anus erat, et naturaliter vires ad concipiendum non habebat, et præterea senectuti sterilitas accedebat, quæ usque adeo omnibus nota erat, ut vulgo sterilis appellaretur.

Concludit tandem angelus orationem suam, atque ait : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ubi vel more Hebræorum verbum ponit pro eo quod significatur verbo, ut eo loco : *Transcamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum,*

*quod factum est* (*Luc. ii, 15*) ; vel certe divinam promissionem verbum vocavit, ut sensus sit Deum quidquid loquitur facere, quidquid promittit facile præstare posse : non sicut homines, qui suæ imbecillitatis ignari multa saepè pollicentur quæ præstare non possunt.

Jam vero his omnibus diligenter auditis, Virgo sanctissima certa de nuntio, ac de virginitate secura, statim respondit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Praelata sententia, et Virgine Dei Matre digna. Quot enim illustrissimas virtutes his paucissimis verbis prodidit ? Quantam verborum moderationem ? Qnam profundam humilitatem ? quam firmam fidem ? quam promptam obedientiam ? quam ardentem charitatem ? *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quid brevius, verecundius, moderatius, sapientius dici potuit ? Una eademque brevissima sententia, et Deo pollicetur obsequium, et nuntio desert honorem. Sed quanta humilitate ! *Ecce ancilla Domini*. Nondum viderat iu Ecclesia sacerdotes, antequam divinum corpus accipiant, indignos tanto hospite se profiteri, ac dicere : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Math. viii, 8*). Atque id tamen Virgo humiliis eumdem Christum castis visceribus exceptura, diligenter observat, cum honore matris oblato, se ancillam potius agnoscit ac profitetur : *Ecce ancilla Domini*.

Quæ vero sequuntur : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, quæ fidei verba sunt ! Quam nihil penitus dubitat, quæ ita loquitur ! Abrahæ fidem Paulus ad Romanos scribebat miris laudibus prædicat : *Qui contra spem, inquit, in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, neque emortuam vulvam Saræ (*Rom. iv, 18, 19*). At certe tanto major est fides Mariæ, quam fides Abrahæ, quanto majus et mirabilius est virginem concipere, quam seneam generare. Itaque multo ipsa magis *contra spem in spem credidit*, ut fieret Mater Domini sui. Neque consideravit portam uteri sui voto virginitatis obstructam, ac munitam : *In reprobatione etiam Dei non hésitavit diffidentia, sed confortata est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promittit, potens est et facere*. (*Ibid. 21.*)

Denique ait : *Ecce ancilla Domini*. Jam vero de obedientiæ promptitudine nihil est quod dicam. Ipsa enim ejus oratio quid aliud, quam summam in obediendo alacritatem spirat ? Non enim cogitavit : *Quid maritus meus dicet, si me gravidam videat* ? Neque ab angelo petiit, ut ipse Joseph mysterium revelaret ; neque inopiam suam considerans metuere coepit ne Filium Dei, ut par erat, alere non posset. Nihil horum cogitavit, vel timuit, sed parata suspiciones mariti sustinere, parata pro Filio stipem mendicare, si opus esset, solo obediendi

studio servens : *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*.

At de charitate quid tandem dicemus ? Quamvis zelus honoris divini, humanæque liberationis virginum ejus pectus exurebat, quæ promissione auditâ de adventu Servatoris, non contenta præbere consensum, etiam preces, desideria, vota, addenda putavit : *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi ut locutus es*. Non solum divinæ voluntati assentior, sed etiam opto, ac peto, ut *fiat mihi secundum verbum tuum*.

Quæ oratione finita, nulla interposita mora, credibile est Spiritum sanctum in eam supervenisse, et mirabili artificio de purissimo ejus sanguine, quantum satis erat, in locum conceptioni attributum separasse, atque ex eo pulcherrimum corpus in puncto temporis fornasce, eoque animam præstantissimam, non solum mente et ratione præditam, sed etiam sapientia, et gratia, ac virtutibus plenariis infusisse ; neque alio postea tempore, sed in eodem prorsus momento Altissimi virtutem, aeternum Dei Verbum de sinu Patris in uterum Matris descendisse, et carnem illam a Spiritu sancto formatam, et mente sapientissima atque optima animataum, sibi aeterno felicissimoque matrimonio adjunxisse. Tunc igitur primum jacta sunt fundamenta nostræ liberationis. Tunc spes nobis affulsit recuperandæ antiquæ libertatis. Tunc Virgine Dei Matre novo atque insolito genere gaudi perfusa, totaque celesti curia exultante, cani cœpit, quod his diebus mater Ecclesia tanta significatiōne letitiae, cum cantu et gaudio spirituali toties repetit : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Tunc artificio Spiritus sancti novus homo novo modo conceptus, venit in mundum, qui nos omnes ablata peccati vetustate renovaret, et de misericordia atque afflictis felices et beatos efficeret.

Ac ut humanam liberationem brevi similitudine comprehendam et illustrem, et tunc denum dicendi finem faciam, queso, animadverte. Quemadmodum si princeps aliquis in pomario suo manibus propriis cedrum arborem plantasset, eamque vehementer diligeret, summoque studio ac diligentia conservaret : deinde exorta tempestate cedrus arceret, et omnia ejus pomæ adhuc immatura deciderebant : adveniret vero post aliquod tempus artifex aliquis admirabilis, qui cedrum aliud natræ, ac generis ejusdem cum iis quæ aruerant, sed integrum, totum, ac vires, et odorem suavissimum spirans, non ex arbore excitaret, sed novo atque insolito more manibus suis ipse formaret, et saccharo ac melle summa arte conditum regi gustandum offerret ; rex autem ita eo delectaretur, ut statim apud se constitueret, magnam eorum quæ ceciderant, pomorum partem de hunno colligere, similique modo condita in apothecis suis perpetuo conservare : ita prorsus casus et liberatio nostri generis se habet. Plantaverat enim olim Deus naturam humanam quasi pulcherrimam cedram in paradise

voluptatis, eamque tanquam a se satam, nutritam, aurtam, vehementer, ut par erat, diligebat; accidit vero ut coorta tempestate, vento superbiae concussa atque agitata, tandem a radicibus aresieret, et omnia ejus poma adhuc immatura corrarent, hoc est, nos omnes qui ab Adamo, tanquam a radice dependebamus, ipso peccante, et per peccatum arescente mirabili casu ad terram afflicti, atque illisi pene mortui jaceremus. Verum cum multo iam tempore quasi poma semicorrupta, suisbusque infernalibus apposita jacuissemus, adfuit tandem Spiritus sanctus, artifex sapientissimus, qui optimo exigitato consilio, novum quemdam hominem, quasi novum cedrum, Servatorem vide-licet nostrum, non ex corrupta radice, non ex viri semine, qui nonnisi Adae filius esse potuisset, sed novo inauditoque miraculo, sua virtute atque arte ex Virginis carne formavit, nec solum innocentiae viriditate pulcherrimum, et omnium virtutum odore suavissimum esse voluit, sed etiam melle ac saccharo divinæ gloriae, cœlestisque felicitatis condidit. Hinc enim apud Isaiam (cap. vii, vers. 14, 15) de ista novo cedro legimus: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Nos quidem omnes, auditores, prius malum Dei gratia adjuti reprobamus, et bonum eligimus, denique et multum bonis operibus insudamus, quam ad butyrum et mel suavissimum divina cœlestisque beatitudinis gustandum admittamus. At noster Emmanuel Christus, in ipsa sua conceptione butyrum et mel divinæ gloriae non gustavit modo, sed abundanter etiam comedit. Et quis nostrum de torrente voluptatis, nisi in patria bibet, ubi *fluminis impetus lœtitiat civitatem Dei?* (Psal. xlvi, 5.) Noster vero Emmanuel de torrente in via bibet. (Psal. cix, 7.) Fuit enim semper, et in ipso quoque utero beatus. Itaque cedrum novum, et suave, ac melle, et saccharo conditum Christus est, qui quidem Deo Patri oblatus, ita vehementer plauerit, ita majestatem ejus oblectavit, ut certo constituerit, nos omnes ex humo colligere, deque ipsis fauicibus dæmonum eripere, a sordibus et corruptione purgare, ac demum saccharo beatitudinis conditos in cœlestibus apothecis collocare, hoc est, magnos, illustres, beatos, felicissimos, immortales, angelorum et archangelorum cives, atque adeo deos quosdam efficere.

Sed numquid omnes eo perveniemus, ut melle ac saccharo condiamur? Minime vero, auditores. Sed tamen vœ illis qui non pervenient. Melius erat eis si nati nou fuissent. Sed cur non omnes pervenient? In promptu est causa; nos enim, ut ante dicebam, per peccatum quasi poma corrupta jacebamus: corrupta vero poma prius a corruptione purganda, et lavanda, et sale atque acetato conficienda, et preparanda sunt, quam melle et saccharo condiantur. Jam vero multi sunt, qui melle et saccharo condiri cupiunt: sed pauci qui a corruptione pur-

gari, et lavari, et sale atque acetato confici velint. Purgamur enim et lavamur a sordibus, peccatorum aquis baptismi, et lacrymis poenitentiae: et quidem baptizati omnes suos, sed sordes post baptismum contractas, Deus novit, quam multi vere diluant. Certe lacrymæ veræ contritionis, ita sunt hoc tempore pretiosæ ac rarae ut vix unquam reperiantur.

Porro aceti et salis duo sunt genera, quorum altero necessario condiri debent omnes qui ad mel et saccharum divinæ gloriae præparantur. Unum dicitur patientia, alterum eleemosyna. Sal patientiae pauperibus, sal misericordie divitibus datur. Itaque quotquot inopia rerum externarum ac facultate laborant, intelligent sale patientiae se condios esse, nec animo dejiciantur, nec contra Deum murmurant, nec divitibus res istas cadueas ac fragiles invideant; sed intelligent et probent consilium Dei, qui omnium curam gerit, et optime novit qui sane patientiae, qui sale misericordiae condiri debeant. Et quanquam inopia res est per se insipida et ingrata; tamen si salem patientiae habeas, etiam hic in terris sapere et dulcescere tibi incipiet. Quotquot vero divites estis, intelligite sale misericordiae vos condios, et si non pati, saltem compati; si non dolere, saltem condolere aliis debere: compati vero et condolere non verbis tantum, sed opere et veritate. Tu pecunias abundas, et vestibus, et lignis, et cibo, et potu, et idecirco neque fame, neque siti, neque frigore nunquam vexaris. Quid igitur ages? Salem tuum accipies, nosti panperes multos, qui nihil horum habent, qui fame pereunt, qui frigore moriuntur: compatere illis ex animo, adjuva quantum potes; alioquin enim si neque pateris, neque compateris, et nec sale patientiae, nec sale misericordiae condiris, non video que spes tibi remaneat. Noverat Deus te delicatum ac tenerum futurum, nec per viam duram atque asperam inopiae et miseriae facile ambulaturum, propterea divitem te esse voluit, ut saltem per viam misericordiae, ac eleemosynarum, quæ planior et facilior est, ad salutem pervenires. Quod si neque hoc tibi placet, quid superest, nisi ut excidas a salute, atque a regno beatitudinis excludaris? O si divites homines intellegent quao vilii pretio nunc infiniti et immortales thesauri emi possent, longe aliter opes suas consumerent. Cum urbes vi captæ spoliant ac diripiuntur, milites qui eas diripuerunt, nihilo fere res maximas et pretiosissimas vendunt, quæ alio tempore multo auro vix emi potuissent. Atque hoc tempus nunc agitur, auditores, regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (Matth. xi, 12); Christus autem qui jam illud obsedit, oppugnavit, occupavit, spoliavit, nunc vilissimo pretio, ac fere nullo spolia illa divina, indumenta illa gloriae, cœlestia illa palatia vendit; nunc vel calice aquæ frigidæ (Matth. x, 42) sempiternæ divitiae emi possunt: at vero post mortem, nullæ pecuniae, nulli labores, nec ipsa vita sufficiet, ut vel exigua domuncula in regno cœlorum ematur. Quare agite nunc, divites, et caducas opes, ludibria ista fortunæ

quæ et alioqui hic relinquetis, cum æternis et immortibus commutate: de iniquo mammona facite vobis amicos, qui vos, cum defeceritis, in æterna

recipient tabernacula (*Luc. xvi, 9*). Deinde ita agite, ut pro parvis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna aliquando recipiatis. Amen.

### ALBERTUS MAGNUS.

#### DE DUODECIM PRIVILEGIIS B. VIRGINIS MARIAE.

(Vid. hujusce *Summae aureæ* tom. VIII, col. 201.)

### RAYMUNDUS JORDANUS.

#### PIÆ LECTIONES, SEU CONTEMPLATIONES DE B. MARIA VIRGINE.

(Cf. ejusdem *Summae* tom. IV, col. 851.)

### LAURENTIUS JUSTINIANUS.

#### SERMONES.

##### SERMO I. — In Annuntiatione B. Mariæ Virginis.

Quoties intemeratae Virginis Mariæ prærogativam sanctitatis facundia humana conatur edicere, quoniam longe ab illius exsistit meritis, necesse est ut succumbat. Melius quippe silentio quam locutione disseritur, cum omnis laus eadem inferior sit. Quis, oro, hujus Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui Conceptione in benedictionibus præventa dulcediis, atque a damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata quam nata. In ipso enim utero materno jam posita, super illam gratia sanctificationis effulsa, utpote ei quæ electa erat ut patret Deum. Noverat opus suum ille qui fecerat, et quale futurum erat certissime agnoscet. Hinc est, quod Virginem ipsam tam largo imbre Spiritus irroravit. Erat plane sicut a carnis colluvione immunis, ita et ab omni peccati labe extranea: degebat quidem in carne, conversabatur supra carnem, carnisque molestias nesciebat. Talis profecto erat ut nullius serviaretur, nisi divino. Quamobrem cum temporis plenitudo venisset, in quo universorum Conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem, sibi præcipuum de legit in sponsam: ipsam mente, ipsamque corpore custodivit intactam, ut esset, de qua Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur et culpa. Ad hanc utique Virginem in civitatem Nazareth a Deo missus est Gabriel, quatenus incarnationis Verbi eidem tempus nuntiaret et modum. Ad Virginem quippe missus est angelus, quoniam angelis semper est cognata virginitas. Illos puritate initatur, et merito. Ipsi per virtutis studium conformari nititur, ut eandem, quantum possilitas humana admittit, sibi in via adipiscatur puritatis innocentiam, quam cum angelis habituram Christus illi repromisit in patria, dicens: *In futuro regno homines non nubent, neque nubentur, sed erunt similes angelis Bei* (*Matth. xxii, 30*). Interim tamen est beata virginitas, quæ venturi sæculi, et æternæ felicitatis, primitias prælibat, mortalis naturæ transcendens limites, et summorum spirituum vestigia

sequens: est plane grata Deo, vicinaque angelis. Merito igitur angelus ad Virginem mittitur, ut novam gratiam novi partus, nova salutatione disserraret. Visitationis enim aderat tempus, in quo liberaret reus, sapientia corporaretur, deleretur culpa, atque cœlestis Jerusalem rædificarentur mœnia.

Quamobrem latus paramyphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem. Didicit sane ex præsagio, quanta qualisque erat, ad quam dirigebatur salutandam: *Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præsidio.* Cæterum hoc non habes abs te, sed ab illo, qui fecit te, ut nasceretur ex te, pasceretur a te, permaneret in te, atque gratia sua fecundaret te. Replevit enim te, ut fieret in te, possesque veraciter dicere, quod longe ante Sapientis ore vaticinatum fuerat de te: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (*Ecli. xxiv, 12*). Magna profecto Mariæ gratia, exuberans atque completa, quæ cœlis dedit gloriam, terrisque genuit Deum, gaudium præstítit angelis, sæculoque pacem refudit. Fide docuit gentes, vitiis finem imposuit, humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam. Quomodo non est Maria juxta Gabrielis oraculum plena gratia, quæ effecta est Mater Dei, paradisi Scala, cœli Janua, Interventrix mundi, dæmonum Fuga, peccatorum Spes, naufragantium Portus, maris Stella, Confugium periclitantium, Solamen laborantium, fluctuantium Robur, Dei et hominum verissima Mediatrix? Ipsius gratiae plenitudinem cœlestis nuntius persensit, cognovit, manifestavit, et dixit: *Ave, gratia plena. Salutat illam tanquam sibi Dominam, honoreque dignissimam, ac a Deo singulariter electam atque dilectam.* Nec aliunde quam a salutatione debuit inchoare, quando per hanc novæ salutationis gratiam Salvatoris mundi prænuntiabatur adventus.

Ad hujus igitur angelicæ salutationis vocem exponit cor Virginis, et in seipsa turbata est: non ex

aspectu angelico, quasi insolito, quippe quæ jugiter visitabatur ab illis, sed ob excellentiam divini praesagii, quod propria merita præcellere videbatur. Consuevit namque humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficile fidem commodare iis, quæ supra eam esse censentur. Hujus igitur prærogativa virtutis specialiter decorata Maria, ut se tam officiosissime salutari, se plenam gratia dici, se præ cunctis mulieribus ex Domini præsentia sublimari audivit, tacita secum exagitata cogitare coepit, qualis esset ista salutatio. Revolvebat Virgo animo singula nuntii celestis verba, seque metiebatur in se, parvitatem suam, Dei altitudinem, profusam bonitatem illius matura consideratione pensabat, nihilque tanti oraculi dignum sibi inesse cernebat, unde magno cogitationum æstu intus nrebatur. Hoc autem Deo revelante ut agnovit Gabriel, humillimo eam demulcens affatu, inquit : *Ne timeas, Maria, de iis quæ a me dicta sunt tibi. Præcipua quidem sunt, et humanæ conditionis transcendunt metas.* Verum quoniam Domino disponente hæc dixi, vide ne paveat cor tuum. *Invenisti gratiam apud Deum, non qualitercumque, sed a sæculis inauditam, cunctis mirandam, efficerendam supra modum, quæ hominum et angelorum præcedit gratiam.* *Ecce concipies in utero, et paries Filium, vocabisque nomen ejus Jesum.* Vide unde tibi tanta proveniat gratia, ut prolem concipiæs quæ salutem afferat, præstet veniam, lucem infundat, remedia conferat, vitam donet, et cœlorum patetfaciat viam. *Erit namque quem paries, magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Erit plane magnus meritis, magnus potestate, dignitate præcessus, incomparabilis sapientia, sanctitate conspicuus, decorus forma, honore dignissimus, et omnium charismatum largitate perfusus, ita ut Filius vocetur Altissimi. Istud enim novum nomen recentemque dignitatem æquaquam sortietur ex Patre, cum sit illi Filius coeternus, Deus de Deo, imago substantiæ, gloriae splendor, Verbumque incommutabiliter manens in Patre; sed eidem tribuetur ex gratia per humanam naturam, quam assumet ex te. O præclara sanctissimæ mulieris hujus constantia ! o fides inconcussa super humilitatis petram fundata ! Plenam oraculo angelico Maria præbuit fidem, sciens omnia Deum posse, cum vult.

Prius quantulamcumque fuerat turbata atque perterrita impellente ac discernente humilitate, metuens ambulare in magnis aut mirabilibus super se; nunc autem ex verbis nuntii specialibus erudita, ne non charitatis concremata dulci incendio, pro communi omnium utilitate requisivit, dicens : *Quomodo sit istud, ut concipiám in utero, et filium pariam, quoniam virum nunquam agnoscere me dupliei ex voto constrinxí ? Noverat sane irrefragabile mentis suæ propositum, neverat neminem Dei bonitatem deserere benefacere simpliciter cupientem, neverat ista nuntiantem nullo modo posse mentiri. Prolatam ergo sententiam, et animi sui propositum sibi opposita sciens, non dubietatis causa modum,*

miraculumque tanti præsagii audire desiderans inquit : *Quomodo sit istud, quoniam virum non cognosco ?* Ejus namque percontations occasione Christianæ religioni quam maximam fidei auctoritatem contulit. Sciscitata est modum, qualiter virginitatis mentis et corporis custodito signaculo, id quod asserebat fieret; quatenus ex narratione angelica plebs futura fidelium eruenda de mysterio, omnipotentiam sui conditoris agnosceret, disceretque in quem crederet, cuiusve testimonii roboraretur adminiculo. Nempe in hoc sacrosaneto incarnationis Filii Dei sacramento intervenit totius Trinitatis summa dignatio, Patris videlicet mittentis auctoritas, sancti Spiritus veneranda operatio, et ab ipso Verbo humanæ naturæ susceptio. Interfuit etiam celestis nuntii vera assertio, et virginis pudicitiae illibata cognitio. Quis certior esse valuit de se, quam ipsa quæ mysterium Spiritus experiebatur in se ? sentiebat gratiam, et incarnati Verbi agnoscebat presentiam. Quamobrem irreprehensibilis est testificatio Virginis, prærogativa sanctitatis ornatae, et gratiæ plenitudine fecundatae, cuius asseverationis oraculo non minus quam angelico est adhibenda credulitas. Merito igitur tanquam prudentissima debuit velle certificari de singulis, ut quod sibi specialiter inferebatur ab angelo ad fidei profectum, omnibus postmodum fieret notum. Hinc factum est, ut referente illa : *Quomodo sit istud, quoniam virum non cognosco ?* illuc audierit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non enim, o Maria, de viril semine concipies, quemadmodum consueverunt cæteræ, sed de Spiritu sancto, tuo duntaxat interveniente consensu. Superveniet plane Paracletus in te suo placidissimo illapsu, nou corporeis capabilis sensibus, sed sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram (*Psal. LXXI, 6*). Veniet, inquam, idem, et obumbrabit tibi; senties gratiam, nec amittes pudicitiam; suscipes Filium, qui non violabit signaculum, requiescetque in utero tuo tanquam sponsus in thalamo suo. Eris quippe mater et virgo, immaculata et nupta, impolluta et prægnans : *Quoniam quod nasceret ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;* non per adoptionis gratiam, sed per naturam. Illum Dei Filius esse verissime confitebitur fides testificata a lege et prophetis, quem ideo revelavit Pater, ut venisse credatur præsens, sicut vaticinatum fuerat esse venturum. Nihilque novi astruit fides, cum eundem credit in temporis plenitudine apparuisse, qui in lege prisca exstitit promulgatus. Nam unus Deus, unus Dei et hominum Mediator, qui in Veteri Testamento promissus est patribus, in Novo insinuabit omnibus, et vocabitur Filius Dei.

Cæterum ad eruditionem fidei tuæ, futurorumque credentium, quod e vicino contigit, conceptus senioris, steriliisque tibi pando mysterium, quatenus nihil Deo esse impossibile cognoscas. Talia ut spiritualiter affatus est Gabriel, Marie præstolabatur assensum. Tunc ad Deum totum est conversum cor Virginis, nova irradiatum luce, insolito chari-

tatis desiderio liquefactum, atque repletum sincero piae devotionis affectu. Solo igitur mente ac corpore prostrata humillime inquit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O abbreviata verba de cellario Virginis sub compendio eructata ! quam profunda sunt, quam sancta, quam dulcia, quanib[us] diligentissime meditanda ! his paucis perfectionem notificavit. Non est in sermonum superfluitate diffusa, neque in gratiarum multiplicitate elata. Sciebat sub disciplina censura labia esse frenanda ; noverat quoque sanctae humilitatis uberem esse mercedem ; utrumque propterea optime custodivit. In paucis namque multa, et in magnis expressit humillima, dicens : *Ecce ancilla Domini.* Isto unico responso complevit cœlum gaudio, angelis omnibus exultationem præbuit, captivo seculo spem dedit, dæmones universos exterruit, astantem lacum fecit nuntium, ac detentis in inferno patribus libertatis gratiam repromisit. Affetu quippe avido, extensis in cœlum manibus, proptato cordis auditu hujusmodi præstolabantur respondunt. Erat quippe illis præ libertatis amore diuturna nimis exspectatio, pavidaque observatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo, consensumque negaret. Verum, ut datum a Maria percere responsum, omnes pariter prorumpentes in laudes, Domino decantavere dicentes : *Benedictus Dominus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* Respondit itaque Maria, quod obtemperanti congruebat humiliiter Neque enim propter humilitatis affectum, obedientiam ; nec ut obediret alacriter, humilitatis decuit præteriri censuram. Utriusque igitur virtutis constituta in medio, demiso inquit eloquio : *Ecce ancilla Domini,* divino paratissima famulari imperio. Non renuit gratiam, non contradicit oraculo, non ultra exigit informari de modo. Ecce se offert, se subjicit, se prostermit Altissimo : non filiam, non spousam, non facturam, sed Domini se fatetur ancillam. Quamobrem ut ad sui gloriae, suæque dignationis mysterium ad libitum corpusculi hujus uti valeat instrumento, inquit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* ; videlicet prolatum a te. Fiat, inquit, mihi ut concipiám sine semine, pariam sine dolore, permaneante virgo absque pudore, secundum verbum illud, per quod Pater cœlum creavit et terram, dixitque ut fieret lux, et facta est ; secundum Verbum illud dico, quod in principio apud Deum erat Deus, per quod facta sunt omnia et sine ipso nihil.

Tantum siquidem Altissimo Virginis hujus consensus placuit, ut mediante ipsius prolatione verborum repente sancti Spiritus percurrente virtute Verbum fieret caro, et Virgo Dei exsisteret Genitrix, ut (videlicet) immensus caperetur, impassibilis pateretur et incircumscripturn teneretur. Tunc plare completa sunt praæambula figurarum, documenta Scripturarum, atque desideria prophetarum. Tunc sine manibus de monte excisus est lapis, qui totius orbis superficiem occupavit (*Dan.* ii, 34).

Tunc perfectit Deus ut mulier circumdaret virum, quod se facturum longe ante per prophetam promiserat (*Jerem.* xxxi, 22). Tunc Aaron virga floruit, et flos de radice ejus ascendit, super quem requievit Spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis atque timoris Domini (*Isa.* xi, 1, 2). Nempe tunc roraverunt cœli desuper, et nubes pluerunt Justum; apertaque est terra, ut germinaret Salvatorem, quem prænuntiaverant prophetæ, prædicterat angelus, Maria crediderat. Descendit, inquam, Verbum de Paterna sede divinitatis suæ (onusquam tamen recedens) in uterum Virginis, hominibus ut appareret visibilis, et spem dare laborantibus, peccantibus indulgentiam, diligentibus pacem, atque exspectantibus mercedem, quemadmodum propheta longe ante poscebat dicens : *Da, Domine, mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur* (*Ecli.* xxxvi, 18) ; tunc denique magnum divinæ pietatis consummatum est sacramentum, quod postea manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* iii, 16), ubi cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

#### SERMO II. — In festo Purificationis B. Mariae Virginis.

Quemadmodum solis claritas incomparabiliter distat a tenebris, ita et a peccatoribus mens pia justorum Semper ad malum proclives sunt mali ; propriæ voluntatis appetitu ducuntur, et tanquam jumenta indomita per vitiorum præcipitiæ colliduntur. Majorum sanctionibus derogant, virtutum parvipendunt semitas, et Conditoris lege contempta, divino imperio se renunt esse subjectos. Et grande malum hoc, unde ? Utique ex tunore animi, ex ignorantia sui, ex veri nescientia, atque ex futurorum insensibilitate bonorum. O si animadverterent quam propere sempiternus illis superveniet interitus, profecto resipiscerent, moribusque mutatis converterentur ad Christum. Sed nolunt (heu miseri !) intelligere ut bene agant, quoniam sibi ipsis volunt omne posse licere, quod libet. Non autem sic justorum, ac Deum timentium animus. Propriam namque elationem evacuare, motusque suos inordinatos sub rationis redigere conantur imperium ; se erigunt contra se, quatenus sibi ipsis subjiciant semetipsos. Deum puro venerantur affectu, sanctorum angelorum honorant agmina, sanctos cum Christo regnantes jugiter interpellant : proximos suos diligunt, virtutes sectantur, spernunt mundum, vitia abhorrent, et mandata vitae sedula cordis intentione custodiunt ; necnon decreta Ecclesiæ, ac Patrum statuta humili observatione perficiunt. Media toris siquidem eruditæ exemplo, ad perfectiora semper affectu feruntur et actu. Nam idem legislator minime constitutus sub lege legalia propter nos in se voluit præcepta servare. Completo quippe quadrageario post sui ortum dierum numero (sicut

sacra præsentis solemnitatis narrat historia) ad templum maternis voluit manibus deportari, aviculis redimi, et grandævi Simeonis manibus sustentari. Hoc ipse, hoc ejus Mater immaculata Virgo perfecit. Venit et illa ad templum, ut purificationis mysteria celebraret. Nequaquam in hac parte tenebatur sub lege, quippe quæ non ex virili semine, sed de Spiritu sancto conceperat prolem. Sic namque præceptum fuerat in lege : *Si mulier suscepit semine conceperit filium, quadraginta diebus immunda erit.* Nequaquam semen suscepserat Virgo, sed Spiritu fecundata conceperat Redemptorem : ideo purificari non eguit, quæ purificantem hominum sordes genuit.

Ut autem Deum veneraretur in lege, formamque humilitatis ex hoc præberet per legem, legem voluit purificationis implere. Venit igitur ad templum, et secum quem genuit gestavit infantem. Ubi plane prophetarum est edocta oracula, ac de futura Nati Passione præmonita necnon sanctorum testimonii in fidei veritate roborata. Quod enim ex Scripturarum anctoritate, seu ex revelatione didicerat, et memoriter retinebat, senis admonitione percepit : quatenus de mysterio fieret certa, et de unici Filii sui manifestatione jucunda, atque de gentium vocatione devota. Conferente autem secum Maria de omnibus, quæ legendo, audiendo, videndo cognoverat, o quantum creseebat in fide, augebatur meritum, sapientia illustrabatur, magis magisque charitatis cremabatur incendio ! Ex rediviva siquidem sacramentorum cœlestium reseratione promota complebatur letitia, Spiritu fecundabatur, admirabatur nimium, dirigebatur in Deum, et humilis custodiebatur in se. Tales prorsus divinae gratiae sunt profectus, ut de imis elevent ad summa, et de claritate in claritatem transforment. Beata plane mens Virginis, quæ per inhabitantem Spiritum ac magisterium Verbi, Dei semper in omnibus parebat imperio. Non sensu proprio, non suo ducebatur arbitrio ; sed quod intus sapientia innuebat ad fidem, foris hoc corporis ministerio peragebat. Decebat utique divinam sapientiam, quæ sibi ad habitandum domum adfiscabat Ecclesiæ, ut de legis custodia, de purificatione mentis, de humilitatis norma, et de spirituali oblatione Mariæ sanctissimo medio uteretur. Erat profecto ipsa talis ac tanta, ut illi minime reperiretur similis. Erat, inquam, corpore virgo, carne incorrupta, prole secunda, virtute pérfecta, moribus composita, sanctitate redimita, honestate conspicua, mente pura, corde ignita, animo suspensa, gratia plena, sapientia perfusa, Deo conjuncta, Verbo propinquâ, mysteriis divinis imbuta, angelorum consortio custodita, et a Spiritu sancto absque temporis intervallo possessa. Sibi namque in sponsam eam delegerat Sapientia, ac matrem ; in suam interventricem mundus ; angeli in Domianam, et æternus Pater in filiam. O honor feminæ ! o excellentia Mariæ ! cuius meritorum celsitudine et gratiarum opulentia stupet cœlum, natura mi-

ratur, et saneta beatorum spirituum venerantur agmina ! Non enim capit polus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quod Maria suscepit mente, concepit in corpore, gestavit in utero, nutritivit late, portavit brachiis, fovit in gremio, et est amplexata in carne. Super angelorum, archangelorumque transcendit gratiam, quod de Mariæ carne Verbum factum est caro, quod integratæ custodita Virgo generat, fecundat Spiritus, Deum parit femina ; quod sit Mater et Filia, Ancilla et Domina, supra legem et sub lege. Nempe supra legem illam fecerat gratia, sed sub lege humilitas. Virile in se minime suscepserat semen, et tamen veluti immunda legi voluit esse subjecta.

Hinc est, quod ascendit in Jerusalem, introivit in templum, portavit Filium ; ac juxta Domini præceptum, redemit infantem. Quem ? quare ? pro quo ? Infantem illum, inquit, de quo propheta ait : *Puer natus est nobis. et Filius datus est nobis, cuius imperium super humerum ejus : et vocabitur Admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi* (*Isa. ix, 6*). Illum videlicet qui de Paterno sinu egrediens sine conumistione virili, et absque ulla contagione delicti se mortalitatis nostræ natura induit, ut scilicet a dæmonum servitute, et lege peccati, atque damnatione perpetua humanum redimeret genus : quatenus de peccato damnaret peccatum in carne, fieretque omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternæ : et legi daret testimonium, quod esset sancta, concessa divinitus, et spiritualiter intelligenda ; dum per signum visibilem gratiam invisibilis prærogabat, offerentium id fide operante : obtulerunt namque, Evangelio testante, pro eo parentes ejus par turrim, aut duos pullos columbarum. Non aurum, non gemmas obtulerunt pro Rego cœlorum, sed animalia munda, viva atque volantia, ut mysterium intelligerent hoc esse, qui peregerent. In turtre quippe sanctæ Ecclesiæ per annos sacrosanctum connubium Christo copulatæ castitatem intellige : in columba vero specie unitatem charitatis creditum, quibus est cor unum, et anima una, præfiguratam agnosce. Quæ videlicet per exhortationem mutuam, sacramentorumque collationem quotidie Sponso suo spiritualis prolis fecunditatem parere non desistit. Hanc oblationem mysticam sub Ecclesiæ typo beata Maria pro suo, Deo obtulit, Unigenito.

Ipsam tu, o fidelis anima, imitare. Ut enim spiritualiter purificeris, et a delictorum valeas emundari contagiis, in templum cordis tui ingredere. Ibi omnis cogitationis noxiæ, atque inordinatae affectionis sedato tumultu, Deo per orationis studium, ac contemplationis otium vacare contendere. Castis illi inhære amplexibus, devotionis genitus emitte, amoris prome carmina, et ignitæ laudis sacrificium exsolve. Eris tunc procul dubio pudicissima turtur, cœlesti copulata Sponso, eo speciosior oculisque illius gratior, quo purius frequenteriusque memoratis amoris præludiis inhærebis.

Tui etenim charitate vulneratus inquit : *Vox turrituris* (quæ divinum utique nunclet auditum, suavemque omni multitudini jucundæ laudis exhibit concentuum) *in terra nostra audita est*. Verum si ejusmodi vocem minime proferre didicisti, si contemplationis delectabilem gustum needum mente percepisti, saltem vel columbarum custodi unitatem, puritatem cordis atque landabilem operum perseverantiam. Eris procul dubio columba speciosa, si fraternam servaveris charitatem, nulli malum pro malo, vel maledictum reddendo pro maledicto, sed benedicendo maledicentibus, orando pro persecutibus, atque odientibus bene faciendo. Hoc quippe modo in petrae foraminitibus nidificando, frequenter dabis gemitus, et si non amoris ac devotionis, certe compassionis et pietatis, ex corde compatiendo delinquentibus et afflictis. Hi sunt columbarum pulli gemini (compassionis videlicet et actionis) quos fidelis quisque Deo acceptabiliter offerre debet, quatenus delictorum a sordibus prurificatus ac redemptus, devote servitutis oblationem valeat prestare gratissimam. Signanter tamen par turtrum, aut duos pullos columbarum parentes Domini obtulisse pro illo divinus sermo proloquitur, ut recte intelligas, et contemplationis et actionis Domino placere commercia. Singuli et si nequeunt omnia simul, singula offerant; meminerintque Mariæ Marthæque sororum Dominum Jesum opera commendasse. Affectum in cunctis, quæ agimus, Deus potius attendit, quam opus. Quamobrem sive per contemplationis studium niente excedimus Deo, seu per virtutum incrementa, et commendabilium negotiorum opera proximis nostris sobrii esse satagimus, id taliter perficiamus, ut tantum Christi caritas urgeat nos. Hacc plane est spiritualis purificationis accepta oblatio, quæ non in manufacto, sed in cordis persolvitur templo, in quod Dominus Christus gratauerit ingreditur. Istud servorum Dei in se quisque ædificet; emundatum maculis præpareret Christo, atque associatus Simeoni pueri Jesu præstoletur adventum : *Veniet namque, si dispositam reperiet mentem* (quemadmodum vaticinatum est) *ad templum sanctum suum Dominator Dominus*, non in potestate majestatis, sed pannis involutus, maternis deportatus in brachiis.

Adventante autem Maria cum Filio obviam eisdem occurrat in Spiritu, atque ministerium piae devotionis exhibeat. Provectæ ætatis senem, et prophetissam Annam pudicitia ac sanctitate decoratam, de infante Jesu multa narrantes cordis aure percipiat, dijudicet singula, et sedula cogitatione uni-

versa perlustret. De figuris veritatem eliciat, et de visibilibus ad invisibilia contemplando transcendat. Suscipiat demum sincero puritatis effectu in spirituales cordis sui ulnas vagientem Infantem, et dicat: *Suscepi, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*; propterea secundum nomen tuum, ita et laus tua in præcordiis meis, et usque ad fines terræ (Psal. xlvi, 10, 11). In his igitur auroris præludis fidei irradiatus splendore, charitatisque suavitate refertus, neconon mentis jubilatione inebriatus, agnito diligentissime, quem tenet in brachiis, probati sensis canticum assumat, inquiens: *Nunc (post desideriorum meorum fatiscentem ardorem) dimittis, o Domine, servum tuum agnoscentem, consitentem, diligenter, amplectentem, in pace; quia viderunt oculi mei Salutare tuum*: illud videlicet quod grandævus Jacob aspicere concupisces, aiebat: *Salutare tuum exspectabo, Domine*: illud, inquam, quod Psaltes regius ferventissimo amore poscebat, dicens: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et Salutare tuum da nobis* (Psal. lxxxiv, 8, 9). Plane viderunt oculi mei luminis tui illustrati munere *Salutare tuum*, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium; earum scilicet de quibus nominatissimus propheta inquit: *Gentium populus, qui habitat in tenebris, vidi lucem magnam; sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (Isa. ix, 2); non qualisunque, sed justitia et veritatis, quæ Unigenito tuo, o alme Pater plurimum metuende, apparente in carne credentibus emicuit universis; quatenus infidelitatis errore fugato, ad cognitionem Deitatis tue, et catholice unitatis venirent ad sinum. Abs te profecto factum est hoc, Domine, qui facis de tenebris lumen splendescere, et vocas ea quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt (II Cor. iv, 6). Tu namque gentium numerositatem per Filium tuum convertis ad gratiam, eumdemque manifestas *ad gloriam plebis tuae Israel*; illius quippe, quam non ex carnis et sanguinis propagatione, sed ex sanctificatione Spiritus, et gratia adoptionis, atque sacramentorum regeneratione tuae majestatis acquisisti in landem. Illi etenim, o misericordiarum Pater, et Deus totius consolationis, ad maximam provenit gloriam, ut per eam Verbum tuum caro factum sit, atque per sanguinis aspersionem lavacro aquæ eodem mundata in Verbo sine macula et ruga effecta sit Sponsa, tibiique angelicis aggregata virtutibus, et sempiterno tuo copulata Verbo, laudis sacrificium exhibere non cesseret, qui cum Filio tuo et Spiritu sancto vivis, etc.

# INDICES.

## INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM PATRUM QUORUM TESTIMONIA REFERUNTUR IN HOC VOLUMINE.

Absalo abb.	col. 1295	Germanus (S.) Constantinop.	9	Petrus Cantor.	1269
Adamus Persenæ.	1319	Godefridus Admont.	809	Petrus Cellensis.	1196
Adamus Præmonstr.	1173	Godefridus Vindocin.	665	Petrus Comestor.	1180
Aelredus abb.	1151	Guerricus Ignac.	1053	Petrus Damianus (S.).	412
Agobardus (S.).	203	Guibertus abb.	610	Petrus Lombardus	1121
Alanus de Insulis.	1185	Haymo Alberstat.	302	Petrus Venerabilis.	1117
Albertus Magnes.	1495	Henricus Cardin.	1249	Philippus de Harveng.	1147
Alcuinus.	185	Hildebertus Ven.	679	Rabanus Maurus.	205
Amedens (B.) Lausan.	1073	Hincmarus Remens.	341	Radbodus Noviom.	455
Anselmus (S.) Cantuar.	461	Honorius Augustod.	747	Radulphus Ardens.	569
Arnulfus Lexov.	1190	Hugo de S. Victore.	897	Ratherius Veron.	351
Atto Vercel.	549	Innocentius III.	1375	Ratramnus Corbeiens.	521
Beda Vener.	53	Ivo Carnot.	603	Raymundus Jordanus.	1193
Bellarminus.	1451	Joannes Damascenus.	105	Remigius Antissiod.	344
Bernardus (S.) Clarævall.	936	Joannes Euboënsis.	89	Richardus a S. Victore.	1153
Bonaventura (S.).	1401	Laurentius (S.) Justicianus.	1493	Robertus Pullus.	929
Bruno (S.) Carthus.	461	Martinus (S.) Legion.	1285	Rupertus abb.	716
Bruno (S.) Signiens.	651	Odilo (S.) Cluniac.	555	Tarasius (S.) Constantinop.	189
Eadmerus Cantuar.	783	Paschasius Radbertus.	305	Theodorus (S.) Studita.	199
Eccbertus abb.	1063	Paulinus (S.) Aquil.	185	Thomas (S.) de Aquino.	1421
Fulbertus (S.) Carnot.	379	Paulus Winfridus.	159	Walafridus Strabus.	500
Georgius Nicomed.	222	Petrus Blesensis.	1269		

## INDEX

### IN TESTIMONIA MARIANA SS. PATRUM JUXTA ORDINEM MATERIARUM DISTRIBUTA IN DECEM PARTES.

HUJUSCE SUMME AUREÆ TOM. V ET VI.

### I. — HISTORIA MARIANA.

#### S. Irenæus.

B. Maria ex semine David. Tom. V, 553

#### Tertullianus.

I. — B. Maria ex genere David orta. V, 557

II. — Christus fuit de stirpe Jesse per Mariam. V, 559

#### Origenes.

I. — Christus matrem elegit pauperem. V, 577

II. — Textus evangelici de historia B. Mariæ Virginis explanantur. V, 578

#### Eusebius Caesariens. episc.

Cur evangeliæ Josephi, non autem Mariæ, genus scribant. — Principem hujus sæculi latuit Mariæ virginitas, ac proinde Salvatoris nativitas. — Cur Maria Josepho despontata. — Maria ex Davide oriunda. V, 585

#### S. Hilarius Pictav. episc.

I. — B. Maria ex genere Abrahæ et David. V, 591

II. — Mariæ perpetua virginitas. V, 592

#### S. Athanasius.

B. Maria et Joseph ex Abraham et ex Davide ortum habuerunt. V, 617

#### Julius Firmicus.

Ex genere Abrahæ descendens Maria Virgo Deum concepit. V, 653

#### S. Ambrosius Mediol. episc.

I. — Maria fuit de tribu Juda, de domo et de patria David. V, 696

II. — Stabat S. Maria juxta crucem Filii: «stantem illam lego, flentem non lego » V, 718

III. — Christus in cruce non immemor Matris. — Testamentum vite : Ecce filius tuus; Ecce Mater tua, — Testimonium virginitatis Mariæ uberrimum. V, 718

IV. — Maria mater et filia Ecclesiæ. V, 720

#### Juvencus (C. Vetus Aquilinus).

I. — Joannis nativitas Zacharise nuntiatur. — Angelus ad Virginem Mariam. — Salutatio Virginis ad Elisabeth. V, 581

II. — Angelus ad Joseph : Hanc cecinit vates ventram ex Virgine prolem. — Christus nascitur. — B. Maria in templo. V, 583

III. — An Virgo Maria fuerit a Christo reprehensa in Cana Galilææ. V, 586

#### Sedulius (Cælius).

Maria Virgo ad sepulcrum Christi. — Ipsa primæ omnium Christus post resurrectionem apparuit. V, 725

#### S. Gaudentius, Brixiae episc.

B. Maria de gente Moabitarum traxit originem. V, 782

#### Rufinus, Aquil. presb.

Qui sunt qui dicantur fratres Christi: V, 799

#### S. Hieronymus.

I. — Maria prophetissa vere agnoscenda est. V, 835

II. — Jesus venerabatur Matrem suam. — In Cruce pendens commendat Parentem discipulo, quam nunquam ante crucem dimiserat. V, 835

*S. Augustinus.*

- I. — Maria Virgo fuit de cognatione David et proprie  
ad semen David pertinuit. V, 845  
 II. — Maria de tribu regia ac sacerdotali originem  
traxit. V, 845  
 III. — Quare usque ad Joseph generationes Christi  
commemoretur, cum de illius semine Christus non sit  
natus, sed de Maria Virgine. V, 847  
 IV. — Quomodo sit Christus filius David. V, 848  
 V. — Filii proprii quadam modo apud Iudeos. — Ge-  
nerationes Domini varie ab evangelistis numeratae. —  
Quare per Joseph numerantur, non per Mariam. V, 847  
 VI. — Cur genealogia Christi deducitur per Joseph.  
— Joseph pater Christi a Maria dictus. V, 847  
 VII. — Mariæ modestia et humilitas imitanda feminis.  
— Maria virgo et mulier dicta. V, 868  
 VIII. — Mutuum continentiae votum conjugium non  
dirimit. — Verum conjugium inter Mariam et Joseph. —  
In matrimonio Mariæ et Joseph omnia fuere conjugii  
bona. V, 851  
 IX. — Mariæ sponsus Joseph non tantum custos sed  
testis virginalis pudoris. V, 852  
 X. — Ad Mariam cur Gabriel venit, non ad Joseph,  
sicut venerat ad Zachariam. — Maria inter mulieres be-  
nedicta. — Zachariae et Mariæ similitus interrogatio, animus  
dissimilis. — Propositum virginitatis. — Maria ex gratia  
mater Filii Dei. V, 855  
 XI. — Maria a falsa suspicione Joseph liberata. V, 855  
 XII. — Maria de Dei virtute non dubitavit, quando ver-  
ba protulit : *Quomodo fieri istud?* V, 836  
 XIII. — Quid est quod dicit Dominus : *Quid mihi et  
tibi est, mulier?* V, 880  
 XIV. — Quid est quod probet Mariam, matrem Domini,  
ex tribu et semine esse David? V, 848

*S. Joannes Chrysostomus.*

- I. — Cur Josephi, non Mariæ genealogia ducatur. —  
Christus nasci debuit ex Virgine. V, 765  
 II. — De Mariæ genealogia. — Maria semper virgo.  
— De operatione Spiritus sancti in Virgine. — Virgo post  
partum. — Admiranda Virgo. — Intacta Virgo. V, 767  
 III. — Maria jure beata prædicatur. V, 775

*S. Eucherius, Lugdunensis episc.*

- I. — De Protoevangelio Christi et Mariæ. V, 977  
 II. — In Christo secundum carnem et per Mariam con-  
venit regum sacerdotum successio. V, 978

*Prudentius (Aurelius).*

- I. — Deipara Virgo Christum edere meruit. V, 775  
 II. — Maria merito dicitur Mater Dei. V, 777  
 III. — Lectio editionis Vulgatae Gen. iii, 15 : *Et ipsa  
conteret caput tuum.* V, 779  
 IV. — Gabriel ad Mariam. — Civitas Bethleem. — Ma-  
gorum munera. — Ab angelis pastores admoniti. V, 782

*S. Paulinus, Nolanus episc.*

- I. — B. Maria Joanni a Christo mater datur. — Quo-  
modo gladius ejus pertransivit animam. V, 921  
 II. — Virgo Maria ab angelo salutatur. — Elisabeth  
cognatam invisit. V, 923

*Rusticus Helpidius.*

- I. — Angeli ad Mariam adventus. V, 1085  
 II. — Christum virginitas secunda tulit, partuque pu-  
dico edidit. V, 1083

*Eugippius.*

- Maria de Adam. — Domini caro de Maria. V, 1093

*S. Gregorius Magnus.*

- Maria exiit ex semine Abraham. V, 1093

*S. Gregorius, Turonensis episcopus.*

- I. — Maria Virgo. V, 1083  
 II. — Maria Virgo gloriosa. V, 1083  
 III. — De apostolis et B. Maria. V, 1086  
 IV. — B. Maria virgo ante partum, virgo et post par-  
tum. V, 1086  
 V. — Semper virgo intactaque Maria Dei Genitrix.  
V, 1087  
 VI. — Virgo Maria genitrix Redemptoris nostri. V, 1087  
 VII. — Maria, gloriosa genitrix Christi, virgo perpe-  
tra. — In paradisum translata est. V, 1088  
 VIII. — B. Mariæ imago in ecclesiis. — Virgo resi-

dens in cathedra, parvulum in sinu gestat Infans. V, 1089

IX. — De monasterio Hierosolymitano, et miraculis per  
virtutem sanctae Mariæ reliquiarum. V, 1090

X. — Ecclesiae in honorem B. Mariæ dicatae que me-  
morantur a S. Gregorio Turon. V, 1091

*Taius, Cæsaraug. episc.*

Maria Virgo prædicatur. — Ex parentibus pauperibus  
orta. — Vere Mater Domini Dei. V, 1179

*Ven. Beda.*

I. — Joseph vir, id est minister Mariæ. — Cur Christus  
elegerit virginem desponsatam. — Nullum de Jo-  
seph genuit infante Maria, virgo perpetua. VI, 53

II. — Joseph integrinæ virginitatis Mariæ custos et  
testis. — Maria Hebraice interpretatur *Stella maris*,  
Syriace *Domina*. — Mariæ verecundia ab omnibus imi-  
tanda mulieribus. — Maria vere Dei Genitrix, seu The-  
otocos. — Mariæ humilitas. — Salutat Elisabeth. — Can-  
ticum *Magnificat*. VI, 71

*Alcuinus.*

I. — B. Maria cur a Christo mulier appellata. VI, 187

II. — Mulier amita sole, et luna sub pedibus ejus est  
B. Virgo Maria. VI, 188

*Rabanus Maurus.*

I. — Protoevangelium Christi et Mariæ. VI, 203

II. — Rubus, figura seu typus B. Mariæ. VI, 203

III. — Virga Aaron, figura seu typus B. Mariæ Virginis.  
VI, 204

IV. — De sapientia Dei prophetatum quia de Virgine  
ex Spiritu sancto Filius nascetur. VI, 204

V. — Desponsatio V. Mariæ. VI, 205

VI. — Canticum Marie, matris Domini. VI, 212

VII. — Cur Maria dicatur Illuminatrix, sive *Stella*  
Maris, vel Domina. VI, 214

VIII. — De Purificatione. VI, 215

*S. Paschasius Radbertus.*

I. — Opusculum de partu Virginis. VI, 303-322

*Ratherius, episc. Veronensis.*

I. — B. Maria incomparabilis humilitas. VI, 351

II. — Contra Iudeos negantes perpetuam virginitatem  
Mariæ. VI, 352

*S. Petrus Damianus.*

I. — Dominus B. Joanni custodiam Mariæ dele-  
gavit. VI, 393

II. — Felix Maria puerpera. VI, 400

*S. Anselmus, Cantuar. archiepisc.*

De Conceptu virginali. VI, 462

*Robertus Pullus, S. R. E. cardinalis.*

I. — Regina angelorum, mater Salvatoris intemerata  
Maria Virgo. — Semper Virgo Maria, facta mater Salvatoris,  
ultra quam dici queat. VI, 929

II. — Maria intacta perpetuaque virgo. — Quomodo  
conceptum de Spiritu sancto — Veneranda Virgo angelo  
respondit, et Filius Dei advenit. — Maria vere Dei ge-  
nitrix. VI, 930

III. — Quem claustra virginitatis integra suscepunt,  
integra quoque ediderunt. VI, 933

IV. — Dei Filius gloriosam Mariam benedictam inven-  
tit, vel potius fecit. VI, 933

V. — De officio Gabrielis. — Virgini Matri Incarnationem  
annuntiat. VI, 936

*Petrus Lombardus.*

I. — Mariæ V. uterus, vellus Gedeonis. — Virginis  
integritas ante partum, in partu, post partum. VI, 1121

II. — Filius Dei secundum carnem ex semine David et  
B. Maria Virgo. VI, 1123

III. — Maria mater Domini. — Historia trium Maria-  
rum. — Unde dicti fratres Domini. VI, 1128

IV. — Virgo intacta, semper intacta permanxit, fabro  
tamen desponsata, omnem carnalis nobilitatis tumo-  
rem extinxit. VI, 1129

V. — Maria tota sine peccato, et sine peccati somite.  
VI, 1150

*Philippus de Harring, abbas Bonæ Spei.*

I. — Quomodo ista sententia : *Nigra sum, sed formosa,*  
ascribatur B. Mariæ. VI, 1147

II. — De throno eburneo, quomodo referri debeat ad  
personam B. Mariæ. VI, 1149

## II. — DOGMATICA MARIANA.

(Biblicæ figuræ B. M. V.)

### *S. Justinus, martyr.*

Deus ex Virgine natus probatur ex Isaia. V, 543  
Origenes.

Quare V. Maria mulier dicitur. V, 578  
Tertullianus.

Prophetia Isaiae : *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium,*  
etc. V, 568

### *S. Zeno, Veronensis episc.*

Evam diabolus vulnerans interemerat. Vulnus mulie-  
ris, dum de Virgine nascitur. Christus curat. V, 662

### *S. Ambrosius, Mediol. episc.*

I. — Per Evan cecidimus, per Mariam stamus. — Per  
Evan crescimus, per Mariam regnamus. V, 693

II. — Maria templum Dei. V, 694

III. — B. Maria nubes erat secundum haereditatem  
Evæ; levis erat secundum virginitatis integratatem.  
V, 695

IV. — Maria virga erat nitida, subtilis, et virgo, quæ  
Christum velut florem integratatem sui corporis germina-  
vit. V, 696

V. — Recte Mariam vellere comparamus. V, 696

VI. — B. Maria est porta orientalis per quam solus  
Christus transiit, et post partum clausa permanxit. V, 697

### *Rufinus, Aquil. presb.*

Recte Maria vellere comparatur. V, 793

### *S. Hieronymus.*

I. — Virga Mater est Domini, simplex, pura, sincera;  
virgæ flos Christus est. — Virginitas dedicatur in Maria  
et Christo. V, 819

II. — Christi Mater virgo perpetua; hortus conclusus;  
fons signatus; porta orientalis, semper clausa et lucida.  
V, 821

III. — Mater Domini, Mater et Virgo. — Virgo perpet-  
ua multarum Mater est virginum. — De B. Maria in  
prophetia Jeremias grande miraculum est. — Prophetia  
Isaiae de Virgine Matre. V, 826

IV. — Solus Christus virginitatis portas clausas aper-  
rui, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt. V, 830

### *S. Augustinus.*

Maria terra promissionis. — Rubus ardens. — Virga  
Aron. V, 903

### *S. Eucherius, Lugdun. episc.*

De Protoevangelio Christi et Mariæ. V, 977

### *Alcuinus.*

Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus est B.  
Virgo Maria. VI, 186

## III. — THEOLOGIA MARIANA.

### *S. Clemens Romanus.*

B. Maria, Mater Dei, Virgo sacra. — Virginitatis excel-  
lentia. V, 540

### *S. Ignatius, episc. Antiochenus.*

I. — B. Maria Mater Dei. — Deus in utero gestatus  
a Maria. V, 540

II. — Filius Dei natus vere ex Virgine Maria. V, 541

### *S. Justinus martyr.*

I. — B. Maria permanente virginitate concepit et pe-  
perit Christum. V, 541

II. — Deum ex Virgine genitum probat, ex Isaia. V, 543

III. — Ex virginali utero processit Primogenitus om-  
nium rerum conditorum. — Christus ex Virgine natus,  
ut Eva ex una Adæ costa. V, 543

IV. — Eva, virgo, sermone serpentis conceptio, inobe-  
dientiam et mortem peperit; Maria, virgo, cum sermone  
angelico credidisset, eum concepit et peperit qui nos  
a morte et a peccato liberat. V, 544

### *S. Irenæus.*

Maria Virgo vere Dei Genitrix. V, 545

### *Tertullianus.*

I. — B. Maria ex genere David orta. V, 558

### *Rabanus Maurus.*

I. — Protoevangelium Christi et Mariæ. VI, 203  
II. Rubus et virga Aaron tig. ræ B. Virginis. VI, 203

### *Rupertus, abbas Tuitiensis.*

I. — B. Maria calcavit caput serpentis. VI, 713  
II. — Mons primus et maximus omnium montium beata  
est Virgo Maria, de cuius carne carnem assunxit Chri-  
stus, Dei Filius. VI, 716

III. — B. Virgo Maria est porta sanctuariorum; porta hæc  
clausa erit, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est  
per eam. VI, 717

IV. — B. Maria prophetissa. — Virginea Conceptio. —  
Quomodo omnes prophetæ accesserunt ad Prophetissam  
et ad Filium ejus. VI, 718

V. — Ab oculis B. Mariæ, Dei genitricis, nequaquam  
Sapientia sicut abscondita. — Hæc est propheta cujus  
in sacrarium pectoris Spiritus sanctus omnes prophetias  
convexit. VI, 721

VI. — Verbum quod Virgo fidelis secundum carnem  
peperit et lactavit, ipsa secundum fidem prius corde  
concepit. VI, 722

VII. — Virgo Maria pars magna sanctæ civitatis Sion,  
pars magna et regalis aula sanctæ Ecclesiae. VI, 723

VIII. — De beatitudine B. Mariæ Virginis. VI, 723

IX. — Prima est Maria in quam Spiritus sanctus ve-  
nit. — Maria dupliciter Spiritum sanctum accepit. —  
Maria dicitur cælum. — Mariæ Conceptio significatur p  
rimum jacentem in solidinitate. VI, 726

X. — Mariæ fides eximia. VI, 739

XI. — Quomodo Maria sit mater Joannis evangelistæ —  
Mater quoque dicitur Maria omnium Christi discipulo-  
rum. VI, 740

XII. — B. Mariæ fuit tempus tacendi et tempus lo-  
quendi. — Apostolis multa de Christo B. Maria enarravit.  
VI, 741

### *Ven. Hildebertus, archiepisc. Turon.*

B. Maria Virga est, Flos Filius ejus. VI, 678

### *Petrus Lombardus.*

I. — B. Mariæ uterus, vellus Gedeonis. VI, 1121

II. — Maria tota sine peccato. VI, 1130

### *Philippus de Harveng, abbas Bonæ Spei.*

I. — Quomodo ista sententia : *Nigra sum. sed formosa,*  
ascribatur B. Mariæ. VI, 1147

II. — De throno eburneo et aureo, qualiter sub alle-  
gorica interpretatione referri debeat ad personam beatæ  
et gloriosæ, ac perpetuæ Virginis Mariæ. VI, 1149

### *Richardus a S. Victore.*

De comparatione Christi ad florem et B. Mariæ ad vir-  
gam. VI, 1156

II. — Pulchra Mariæ cum Eva comparatio et diversitas.  
— Mariæ virginitas propugnatur. — Maria salutis no-  
stræ secundum Christum mediatrix. V, 539

III. — B. Maria virgo fuit, licet Ebion resistat. V, 561

IV. — B. Maria, Dei genitrix, virginis honorem cum  
matris titulo jungens. V, 562

V. — B. Virgo Maria Christum Deum edidit, et vere Dei  
Mater seu Deipara predicatorum. V, 564

VI. — Christus, verus Deus, verus homo, ex Maria sine  
lesu pudoris carnem assumpsi humanam. — Christus  
non sumpsit carnem peccatricem. V, 566

VII. — Prophetia Isaiae : *Ecce Virgo concipiet et pariet  
Filium.* V, 568

VIII. — Christus fuit de stirpe Jesse per Mariam.  
V, 573

IX. — Christus ex David carnali genere deputatus ob  
Mariæ Virginis censem. V, 574

X. — Christus tanquam Deus ex Deo Patre, tanquam  
homo ex Virgine Matre. V, 575

### *Origenes.*

I. — B. Mariæ primitiæ virginitatis attribuuntur.  
V, 577

II. — Maria Virgo concepit et peperit. — Quare Maria  
in Scripturis mulier dicitur. — Non dicitur mulier pro-

p̄er corruptelam integratatis. — B. Mariæ purificatio. — Christus matrem elegit pauperem. V, 579

*Lactantius.*

I. — De Jesus ortu ex Maria Virgine, illæso matris pudore. V, 580  
II. — B. Mariæ intacta virginitas. — Quomodo Christus sit Αὐτῶν ut Deus, et Ἀπάτων ut homo. V, 580  
III. — Mater Christi illibata Virgo. V, 581.

*S. Athanasius, Alexandrinus episc.*

B. Maria Deipara. V, 617

*S. Basilii Neocæsariens. episc.*

B. V. Maria intemerata, pura, et sancta. V, 647

*S. Hilarius, Pictav. episc.*

I. — B. Maria ex genere Abrahæ et David. V, 591  
II. — B. Mariæ perpetua virginitas. V, 593  
III. — Dei Filius natus ex Virgine. V, 593  
IV. — Perfectum hominem Maria de suis non imminuta generavit. V, 593

V. — Maria Dominu nostro secundum carnem Mater fuit. V, 593

VI. — Verbum Dei carnem assumpsit ex Virgine. V, 596

VII. — Natura Christi humana ex partu Virginis generata. V, 599

VI I. — B. Maria Dei Genitrix prædicanda, quoniam Christus, perfectus Deus, ex Maria Virgine nasci voluit. V, 600

*S. Zeno, Veron. episc.*

I. — Virgo peperit Deum. V, 653

II. — B. Maria decem mensium fastidia nescit. — Virgo incorrupta concepit, post conceptum virgo peperit, post partum virgo permanxit. V, 658

III. — Perpetua B. Mariæ virginitas. — Parturit Maria non dolore sed gaudio. V, 661

IV. — Evam diabolus vulnerans interemerat; vulnera mulieris, dum de Virgine nascitur, Christus curat. V, 662

V. — B. Maria Virgo post coniugium, virgo post conceptum, virgo post Filium. V, 662

*S. Eusebius, Vercel. episc.*

Dei Filius carnem humanam de sancta et immaculata Maria Virgine assumpsit. — B. Mariæ intacta virginitas. V, 651

*S. Gregorius Theologus.*

I. — Maria Deipara. — Christus per Virginem tanquam per canalem non fluxit. V, 663

II. — Maria cunctis præstantior. V, 663

*Julius Firmicus.*

Maria Virgo Deum concepit. V, 653

*S. Ambrosius, Mediol. episc.*

I. — Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. V, 699

II. — Non Maria minor quam matrem Christi decebat. V, 711.

III. — Testimonium virginitatis Mariæ uberrimum. V, 708

*S. Damasus papa.*

Carmen de Christo. — B. Mariæ virginitas. V, 631

*S. Siricius papa.*

Epistola ad Anysium Thessalonici. — B. Mariæ virginitas et integritas. V, 720

*S. Gaudentius, Brixiae episc.*

I. — Maria Mater Domini. — Virgo ante partum, in partu et post partum. — Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. — Mulier appellatur veritate sexus, non detimento integratatis. — Maria dicitur Mater Sapientiae. V, 782

II. — Christus sine detimento integratatis maternæ nascitur, sine corruptela conceptus. V, 792

III. — Apud incorruptam matrem, post partum gloriōsior integritas permanet. V, 793

*Rufinus, Aquil. presbyt.*

I. — Recte Maria vellere comparatur. V, 793

II. — Semper Virgo sicut S. Maria, quoniam sicut Virgo concepit, sic etiam Virgo peperit. V, 793

III. — In partu Virginis nulla corruptio. — Clausa

Virginitatis porta per quam pertransivit Dominus — Non fuit Deo indignum nasci de Virgine. V, 797

IV. — Christus ex Virgine carnem assumpit humanam. — Qui sunt qui dicantur fratres Christi. V, 799

*S. Hieronymus.*

I. — Privilegium virginitatis in Maria. V, 822

II. — B. Mariæ perpetua et intemerata virginitas. V, 824

III. — B. Mariæ integratati non nocet quod uxor et mulier vocetur. V, 832

*Phæbadius, episc. Agimensis.*

Quod B. Virgo concepit, hoc peperit, id est Deum.

— Filius Dei venit ad Virginem, et ex Virgine processit Deus et homo. V, 729

*Sulpicius Severus.*

Deus virginalem uterum elegit. — Virginem Matrem habuit virgo mansurus. — B. Maria exemplar feminarum. V, 837

*S. Augustinus.*

I. — Per feminam mors, per feminam vita. — Per sexum femineum cedidit homo, per sexum semineum reparatus est homo. V, 837

II. — Christus de femina nasci cur voluerit. — Per feminam venenum, per feminam salutis. — Reparando homini propinata per Mariam salus. V, 838

III. — Christus in carne natus est illæsa matris Virginitate. V, 848

IV. — Filii solius est nativitas ex Virgine. V, 850

V. — Nativitas Filii ex Virgine. — In Maria Virgine nulla corruptio. V, 856

VI. — Miraculum nativitatis Filii Dei ex Virgine. — Nuptiæ sanctæ Verbi et carnis in virginali utero. V, 858

VII. — Virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens. V, 861

VIII. — Utraque Christi nativitas mira est, illa de Patre sine matre, ista de Matre sine patre. — Maria concepit fidei charitate fervente. V, 862

IX. — Virgo Maria creditit et concepit, absque concupiscentia æstu. V, 863

X. — Dominus attulit Virginis fecunditatem, non absulit integratatem. V, 864

XI. — Maria Virgo pia fide sanctum germen in se fieri promeruit. V, 865

XII. — Maria Christi carnem fide concepit. — Decus virginitatis non perdidit. V, 865

XIII. — Ex Virgine Maria carnem Christus sumpsit. V, 865

XIV. — De Mariæ virginitate quod Augustinus scripsit, hic confirmat. V, 865

XV. — Virginis filius et virginum sponsus Christus. — Ecclesia sicut Maria, et mater et virgo est. V, 866

XVI. — Dignitas virginalis cepit a Matre Domini. V, 868

XVII. — B. Maria Mater esse potuit, mulier esse non potuit. — Dicta est mulier secundum feminum sexum, non secundum corruptionem integratatis. V, 869

XVIII. — Mater Domini, Virgo Maria est dignitas terrena. V, 870

XIX. — S. Virgo Maria sine ullo vixit peccato. V, 871

XX. — Maria Ecclesiæ figura. V, 872

XXI. — Sancta Ecclesia Mariæ similis, et parit, et virgo est. V, 873

XXII. — Mariæ atque Dei naturaliter est unus idemque communis Filius. — Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. V, 874

XXIII. — Virginis Matris pudor est integer. — Eva inobediens meruit poenam; Maria obediente consecuta est gratiam; illa nobis mortem contulit, hæc vitam nobis peperit. V, 875

XXIV. — Mariæ virginitas ante et post partum unde creditur. V, 877

XXV. — Genuit Maria Filium Dei hominem factum. — Post partum Virginis non alius Dei Filius et alius hominis; idem Christus Dei et hominis Filius. V, 904

XXVI. — B. Virginis et ceterarum matrum discrimen. — Peccatum per scelus corruptæ mulieris intravit in mundum, per inviolatæ Virginis partum auferuntur a mundo. V, 877

*S. Joannes Chrysostomus.*

I. — Christus nasci debuit ex Virgine. V, 763

II. — Maria semper Virgo. Virgo post partum V, 767

*S. Nilus.*

I. — Maria vere mater vitae. V, 975

II. — Maria Deipara fideles omnes incorruptibilitatis indumentis circumvestit. V, 973

III. — Maria virgo ante et post partum. V, 976

IV. — In Maria sigilla virginitatis nullo modo soluta. V, 976

*Prudentius Aurelius.*

I. — Deipara Virgo Christum edere meruit. V, 773

II. — B. Maria merito dicitur Mater Dei. V, 777

*Joannes Cassianus.*

I. — Virginem Deiparam non tantum *Christotocon*, verum etiam *Theotocon*, et Christum verum esse Deum demonstrat. V, 925

II. — Christum eudem hominem ac Deum, secundum carnem ex Israël et Virgine Maria editum esse. V, 950

III. — Ex B. Petri laudatissima confessione Christum Deum esse convincit. — B. Maria Dei Genitrix, quia Christi Genitrix. V, 950

IV. — Colligit ex his quae dixit Virginem Mariam antiquorem et majorem se Filium peperisse. V, 954

*S. Vincentius Lirinensis.*

I. — B. Maria mater vera Christi, quae et Theotocos est prædicanda. V, 973

II. — Maria, mater integra. — S. Maria divinæ gratiae privilegijs et speciali gloria minime fraudanda. — Quo sensu dici potest Theotocos. V, 974

*S. Nicetas, Aquil. episc.*

B. Maria sancta et incontaminata Virgo. V, 1005

*S. Faustus Rheiensis.*

Maria vere Deipara prædicatur. V, 1041

*Gemadius, Massiliensis presbyter.*

I. — Natus est Dei Filius, carnem ex corpore Virginis trahens. — Deus et homo ex Virgine natus est. V, 1041

II. — B. Mariæ perpetua asseritur virginitas. V, 1044

*Petrus, diaconus.*

B. Virgo proprie Mater Dei. V, 1043

*Vigilius Tapsensis.*

I. — Deus Verbum de Virgine nascitur quæ Deipara nomen habet proprium. V, 1045

II. — Virgo Maria Theotocos. — Ejusdem typus virga Jesse, Aarōnque virga. — Lapis qui sine manibus de monte exciditur, item typus Mariæ Dei Genitricis. V, 1049

*S. Fulgentius, Ruspensis episc.*

I. — Deus Unigenitus veritatem carnis accepit ex Virgine, et cum nascetur integratatem virginitatis servavit in Matre. — Deus factus est Filius Virginis Mariæ, et Maria Virgo facta est Mater Dei. V, 1063

II. — Solius Christi Mater sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permanxit inviolata post partum. V, 1066

III. — B. Virgo Maria proprie Mater Dei. V, 1067

IV. — Liber S. Fulgentii, et aliorum xv episcoporum Africorum de Incarnatione et de maternitate divina Mariæ. V, 1067

*Eugyppius, abbas Africanus.*

I. — B. Maria mulier dicitur non propter privationem virginitatis, sed propter differentiam sexus. V, 1093

II. — ( corrupto animo feminæ (id est Eve), ingressus est morbus; integrum corpore feminæ (id est Mariæ Virginis), processit salus. V, 1093

III. — Maria de Adam. — Domini caro de Maria. V, 1093

*S. Gregorius, Turon. episc.*

I. — Maria virgo. V, 1085

II. — Maria Virgo gloriosa. — Virgo ante partum, virgo et post partum. V, 1086

III. — Semper virgo, intactaque Maria Dei Genitrix. V, 1087

*Taius, Cassaraug. episcopus.*

Maria vere mater Domini. V, 1179

*Ven. Beda.*

Maria virgo perpetua. — Vere Dei Genitrix seu Theotocos. V, 71

*S. Gregorius Magnus.*

I. — Maria exit ex semine Abrahæ, de qua Christus carnem sumpsit. V, 1093

II. — Virgo concepit Filium Dei. — Sic Maria concepit

et peperit Verbum Dei, ut eadem esset Virgo simul et Mater Dei. — Nestorii insanía contra Christum refellitor. — Christus aitūd ex Patre, aliud ex Matre, non alius. V, 1094

III. — Eadem Virgo et ancilla Domini dicitur et mater. V, 1095

*S. Isidorus, Hispanensis episc.*

I. — De S. Maria. V, 1129

II. — Beata Maria fuit semper virgo. V, 1150

*S. Aldhelmus.*

I. — Incontaminata B. Mariæ virginitas. V, 1189

II. — Potestas et gloria B. Virginis Mariæ. V, 1189

III. — Virgo Dei Mater. V, 1190

IV. — De aris B. Mariæ dicatis. V, 1192

*Alcuinus.*

I. — De Maria Virgine, et Incarnatione Verbi Dei. VI, 185

II. — Post partum B. Maria virgo permanxit. VI, 186

III. — Maria Dei Genitrix confitenda est. VI, 186

*Rabanus Maurus.*

De Sapientia Dei prophetatum quia de Virgine ex Spiritu sancto nasceretur. VI, 204

*S. Agobardus, episc. Lugdunensis.*

B. Maria, ut Verbum caro fieret, præparata et custodita (de Immac. Concept. B. V.). VI, 205

*Walafridus Strabus.*

I. — In Nativitate Christi. — Virgo Deipara. VI, 299

II. — In Hypapante. VI, 299

III. — In Assumptione S. Mariæ. VI, 299

IV. — Hymnis. VI, 300

V. — De Maria Virgine. VI, 302

*Ratramnus, Corbeiens. monachus.*

De eo quod Christus ex Virgine natus est. VI, 322

*Hincmarus, Rem. archiep.*

B. Maria ina' er et virgo perpetua. VI, 341

*S. Petrus Damianus.*

I. — Maria nunquam virginitatem amisit. VI, 400

II. — Maria Theotocos prædicatur. VI, 401

III. — B. Maria cur ab hominibus colenda. VI, 401

*S. Anselmus, Cantuar. archiep.*

I. — Liber de Conceptu virginali. VI, 461

II. — Tractatus de Conceptione B. M. V. VI, 531

*Ven. Hildebertus, archiep. Turon.*

I. — De Conceptione B. Virginis Mariæ. VI, 712

II. — De partu virginico. VI, 713

III. — De eodem. VI, 714

*Honorius, Augustod. episc.*

Sigillum B. Mariæ. VI, 747

*S. Bernardus, abbas Claravall.*

(Vide, ad calcem tom. XII, Indicem Quæstionum de B. V. Maria, quæ in Opp. S. Thomæ moventur et resolvuntur.)

*S. Bruno, Carthusiensium institutor.*

S. Maria ab omni peccati contagione libera. VI, 461

*Ven. Hildebertus, archiep. Turonensis.*

I. — Maria tota a peccato mundata. VI, 675

II. — B. Maria quo excelsior, eo humilior. VI, 677

III. — B. Maria se commendat de humilitate, præ alii virtutibus. VI, 677

IV. — B. Maria virga est, flos Christus Filius ejus. VI, 678

V. — B. M. virgo ante partum, in partu et post partum. VI, 679

*Petrus Venerabilis, abbas Cluniacensis.*

Supercoelestis et perpetua Virgo Maria concepit et percepit D. N. Jesum Christum. VI, 1117

*Petrus Lombardus.*

I. — B. M. V. integratas ante partum, in partu, post partum. VI, 1121

II. — Maria Mater Domini. VI, 1128

III. — Maria tota sine peccato, et sine peccati fomite. VI, 1120

*Richardus a S. Vicatore.*

De differentia sacrificii Abrahæ a sacrificio B. Mariæ Virginis. VI, 1157

## IV. — POLEMICA MARIANA.

*S. Irenaeus, Lugdun. episc. et martyr.*

I. — Jesus Christus non merus homo existit ex Josephi satu progenitus; sed verus Deus ab altissimo Patre genitus, et verus homo ex Virgine natus. — Emmanuel ex Virgine. — Verbum Patris factum est Filius hominis ex Virgine. — Maria Virgo vere Dei Genitrix. V, 545

II. — B. Maria concepit manens in virginitate. — Prophetia Isaiae interpretatur contra Judæos et quosdam hæreticos. — Sicut Adam ex terra virgine formatus est, ita Christus ex Virgine Maria carnem assumpsit humanam.

V, 547

III. — Christus veram carnem ex Virgine conceptam et natam sumpsit. — Maria Virgo obediens; Eva vero inobediens. — Eva sibi et universo hominum generi causa facta est mortis; Maria sibi et universo hominum generi causa facta est salutis. — Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc solvit Maria Virgo per fidem.

V, 550

IV. — Christus ut nos repararet, non opinione, sed re ipsa, Spiritus sancti operatione ex Maria Virgine carnum assumpsit; adversus Valentini et Ebionis vanitates.

V, 552

V. — Cum Eva inobediente et prævaricatrice comparatur B. V. M., illius advocata. — Referuntur et refelluntur variae et dissidentes hæreses. — Genus humanum salvatur per Virginem.

V, 554

VI. — Ex Virgine natus Filius Dei. — Jesus Christus, Dominus noster, de semine David ex Maria.

V, 555

*Tertullianus.*

B. Maria virgo fuit, licet Ebion resistat.

V, 578

*S. Ambrosius, Mediolan. episc.*

I. — Sola erat Maria, et loquebatur cum angelo; sola erat et operata est mundi salutem, et concepit redemptio nem universorum.

V, 711

II. — Vicit diabolus Maria quæ genuit Triumphantorem, quæ sine immunitione virginitatis edidit Victorem.

V, 712

III. — Christus cum ex Mariæ nasceretur utero, intermerata virginitatis servavit signacula.

V, 713

IV. — Partus Virginis non naturam mutavit, sed generandi usum novavit.

V, 713

V. — B. Maria templum Dei, virgo fuit ante partum, in partu, post partum.

V, 713

VI. — Impia assertio veros Domini fratres de Maria natos dicere.

V, 714

VII. — Elisabeth filii spiritu replebatur; Maria Filii Spiritu sanctificabatur.

V, 714

VIII. — B. Mariæ præsentia erudit Joannem in utero constitutum.

V, 716

IX. — A Christo non (ut quidam hæretici tendicula aequaliter) mater negatur.

V, 717

*Juvencus.*

An Virgo Maria fuerit a Christo reprehensa in Cana Galilæa?

V, 886

*S. Augustinus.*

I. — Hæresis Joviniani et Helvidii contra Mariæ virginitatem.

V, 859

II. — Catholici merito spreverunt hæresim Joviniani.

V, 860

## V. — LITURGICA MARIANA.

(Vide tom. IV.)

## VI. — DE VIRTUTIBUS B. MARIAE VIRGINIS.

*S. Clemens Romanus.*

B. Maria sacra Virgo; virginitatis excellentia.

*Lactantius.*

B. Maria illibata virgo.

*S. Hilarius, episc. Pictav.*

B. Mariæ perpetua virginitas.

V, 593

*S. Athanasius Alexandrinus archiep.*

I. — B. Maria et Joseph illibati permanerunt.

V, 617

SUMMA AUREA DE B. V. MARIA.

VI.

II. — Quinam hæretici dicuntur Antidicomarianitæ.

V, 860

IV. — Judæus evincitur Virginem potuisse parere.

V, 886

V. — Christus de Spiritu sancto non ut de Patre natus, sed de Maria ut de Matre.

V, 850

*S. Epiphanius.*

I. — Adversus Antidicomarianitas. — Mariæ perpetua virginitas. — B. Maria encomium. — Mariæ ac Evæ elegans antithesis. — Mariæ integritas quæ nullo unquam vitio fuit iniquitata.

V, 731

II. — Adversus Collyridianos. — Laudes B. Mariæ Virginis. — Deipara est veneranda, non autem adoranda. — Contra eos qui Mariæ sacrificium offerunt. — Hæresis eorum qui Mariam Deum fuisse asserunt redarguitur.

V, 750

*Boetius.*

Contra Eutychen, corpus Christi ex Maria vere assumptum. — B. Maria proprie mater est Christi, et Dei Genitrix appellanda.

V, 1051

*Eugippius.*

B. Maria mulier dicitur non propter privationem virginitatis, sed propter differentiam sexus.

V, 1095

*Rusticus, S. R. E. diaconus.*

B. Maria vere Theotocos prædicanda. — Negare Theotocum hæreticum est.

V, 1083

*S. Hildesonsus, episc. Toletanus.*

De virginitate perpetua S. Mariæ.

V, 1203

*Ratramnus.*

De eo quod Christus ex Virgine natus est liber.

VI, 523

*Ratherius, Veronensis episc.*

I. — Haec verba: *Maria optimam partem sibi elegit*, B. Dei Genitrici convenienti. — B. Maria Virgo perpetua.

— Ejusd. intercessio efficacia apud Filium.

VI, 531

II. — Mariæ incomparabilis humilitas. — Virgo fuit ante partum, in partu et post partum. — Sanctorum intercessio apud S. Dei Genitricem.

VI, 531

III. — Contra Judæos negantes virginitatem B. Mariæ.

— Fuit vere Virgo perpetua, et Dei Genitrix.

VI, 539

IV. — Christus subditus in terris Virginii Matri suæ.

VI, 539

V. — Maria est pudicitie speculum, virginitatis titulus, humilitatis insigne, decus innocentiae.

VI, 539

*Philippus de Harveng, abbas Bonæ Spei.*

I. — Epist. — B. Maria vere et proprie mater Christi. — Corporis Domini materiam ipsa præstítit, cæteraque maternitatis officia impendit, absque ulla concupiscentia macula.

VI, 1147

II. — De eodem arguento.

VI, 1147

*Alanus de Insulis.*

I. — Contra hæreticos qui asserunt B. virginem fuisse cœlestem, non habentem patrem et matrem, ac proinde Christum non sunipissime ex Maria carnem humanam.

VI, 1183

II. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta Christum concepit.

VI, 1183

## V. — LITURGICA MARIANA.

(Vide tom. IV.)

## VI. — DE VIRTUTIBUS B. MARIAE VIRGINIS.

*S. Clemens Romanus.*

B. Maria sacra Virgo; virginitatis excellentia.

V, 540

*Lactantius.*

B. Maria illibata virgo.

V, 581

*S. Hilarius, episc. Pictav.*

B. Mariæ perpetua virginitas.

V, 593

*S. Athanasius Alexandrinus archiep.*

I. — B. Maria et Joseph illibati permanerunt.

V, 617

SUMMA AUREA DE B. V. MARIA.

VI.

II. — B. Mariæ incorrupta virginitas.

V, 619 et 620

*S. Basilius Neocæsariensis episc.*

B. Maria Virgo intemerata, pura et sancta,

V, 617

*S. Eusebius, Vercell. episc.*

Sancta et immaculata est Maria. — B. Mariæ intacta virginitas.

V, 631

*S. Ambroetus Mediol. episc.*

I. — De institutione Virginis et S. Mariæ virginitate perpetua.

V, 639

II. — B. Virginis Mariæ quanta verecundia.	V, 699	incorruptionis Mater. — Mater et dux virginum Maria-
III. — B. Maria humilitas, devotio, fides, pudor.	V, 700	— Chorus virginum prosequens Mariam.
IV. — B. Maria Virgo moribus, verecundia, oraculo, mysterio.	V, 704	V 1094
V. — B. Maria non minus ore pudica quam corpore.	V, 706	S. Nicetas, Aquit. episc.
VI. — Virginibus Maria exemplum proponitur, cuius variæ virtutes enumerantur.	V, 708	B. Maria sancta, et incontaminata virgo.
<i>S. Hieronymus.</i>		
I. — Imitanda est Mariæ modestia, imitandus ejus soliditudo amor.	V, 834	V, 1003
II. — De perpetua virginitate B. Mariæ, lib. i, aduersus Helvidium.	V, 801	Gennadius, Massil. presb.
III. — Virgo, mater Domini, simplex, pura, sincera.	V, 819	B. Mariæ perpetua asseritur virginitas.
IV. — Virgo perpetua multarum mater virginum.	V, 826	V, 1044
<i>Siricius papa.</i>		
B. Mariæ virginitas et integritas.	V, 720	Hugo de S. Victore.
<i>S. Gaudenius, Brixian. episc.</i>		
Maria Virgo incorrupta, integra.	VI, 782	De B. Mariæ virginitate liber epistolaris.
<i>S. Augustinus.</i>		
De virginitate perpetua B. Mariæ. Epist. ad Volum.	(Epist. 158).	VI, 807
<i>S. Joannes Chrysostomus.</i>		
I. — Maria semper Virgo; virgo post partum; admiranda virgo; intacta virgo.	V, 767	Petrus Cantor.
<i>S. Gregorius, Turon. episc.</i>		
I. — Maria Virgo. — Virgo gloriosa. — Semper Virgo.	V, 1087	B. Maria Deipara cæteris virtutibus humilitatem præpositu.
<i>Ven. Beda.</i>		
Mariæ verecundia ab omnibus imitanda mulieribus. — Mariæ humilitas. — Intermerata V. Maria. — Virgo perpetua, castitate memorabilis.	VI, 53	VI, 1269
<i>Ven. Hildebertus, archiep. Turon.</i>		
B. Maria quo excelsior, eo humilior.	VI, 677	Rupertus, abbas Tuitiens.
<i>S. Hildesonus, episc. Toletanus.</i>		
De virginitate perpetua S. Mariæ.	V, 1203	I. — B. Mariæ fides eximia.
<i>S. Leander, Hispanensis episc.</i>		
Maria, Mater Domini, Apex et Specimen virginitatis,		II. — B. Mariæ fuit tempus facendi et tempus loquendi.
<i>S. Ambrosius.</i>		
Maria mater et filia Ecclesiae.	V, 720	VI, 759
<i>S. Paschasius Radbertus.</i>		
Opusculum de partu Virginis.	VI, 303	II. — B. Mariæ 741
<i>Walafridus Strabus.</i>		
De Maria Virgine. — Oratio devota.	VI, 502	Titulus, humilitatis Insigne, decus innocentiae.
<i>S. Petrus Damianus.</i>		
I. — Comisit Dominus Petro claves Ecclesiae; B. Joanni custodiam Mariæ delegavit. — B. Mariæ Virginis laudes.	VI, 594	S. Isidorus, Hispal. episc.
<i>II. — Felix Maria puerpera quæ sic gaudet de fecunditate prolis, ut nequaquam doleat de ammissione virginitatis.</i>		
III. — B. Mariæ partus omnia miracula antecellit.	VI, 401	B. Maria fuit semper virgo.
IV. — Maria Theotocos prædicatur, sicut S. Joannes Theologus vocatur.	VI, 401	V, 1150
V. — B. Maria cur ab hominibus colenda.	VI, 401	Alcuinus.
VI. — Sabbatum cur B. Virginis sit dicatum.	VI, 402	B. Maria post partum virgo permansit.
VII. — B. Virgo Maria in sue festivitatis Assumptione innumeratos liberat a pœnis purgatorii.	VI, 403	VI, 186
<i>Guibertus, abbas.</i>		
Angelos longe superat B. Virgo Maria.	VI, 609	S. Petrus Damianus.
<i>S. Anselmus, Cantuariensis archiepisc.</i>		
I. — Liber de conceptu virginali et originali peccato.	VI, 461	I. — Felix Maria puerpera quæ sic gaudet de fecunditate prolis, ut nequaquam doleat de ammissione virginitatis.
II. — Orationes ad B. Mariam Virginem.	VI, 485	VI, 400
III. — Hymni et psalterium de S. Virgine Maria.	VI, 503	II. — Maria Theotocos prædicatur sicut S. Joannes Theologus vocatur.
IV. — Dialogus B. Mariæ et Anselmi.	VI, 519	VI, 401
V. — Tractatus de Conceptione B. Mariæ Virginis.	VI, 551	Ven. Hildebertus, archiep. Turon.
VI. — Sermo de Conceptione B. Mariæ Virginis.	VI, 557	De B. Mariæ virginitate libellus.
VII. — Miraculum de Conceptione S. Mariæ.	VI, 551	V, 807
VIII. — B. Virginis humilitas. — In ea nec superba		Rupertus, abbas.

## VII. — PIETAS MARIANA.

- S. Bernardus, abbas Claravallensis.*
- I. — Tractatus ad laudem gloriosæ Virginis Matris. VI, 935  
II. — De laudibus V. Matris homiliæ quatuor. VI, 943  
III. — Sermo de eo quod pastores invenerunt Mariam et Joseph, et Infantem positum in præsepio. VI, 944  
IV. — In Purificatione B. Mariæ sermones quatuor. VI, 944  
V. — In Assumptione B. Mariæ Virginis sermones quatuor. VI, 981  
VI. — Dominica infra Octav. Assumptionis, de XII prærogativis B. Mariæ Virginis. VI, 998  
VII. — Serm. in Nativ. B. M. V. de Aquæductu. VI, 1004  
VIII. — Serm. de virginitatis et humilitatis connexione. VI, 1013  
IX. — Serm. de quadruplici superbia. VI, 1014  
X. — Serm. de Mariæ Purificatione. VI, 1015  
XI. — Serm. in canticum B. M. V. VI, 1017  
XII. — Virga Jesse virore virginis pullulavit. VI, 1023  
XIII. — Maria thesaurus Dei. — Radix Jesse, alioque figuræ B. Virginis Mariæ. VI, 1023  
XIV. — Maria secretorum Dei conscientia. VI, 1026  
XV. — Maria est Mater charitatis. — Amoris sagitta Marie animam confixit et pertransivit. VI, 1027  
XVI. — Mariæ gloriatio in sola humilitate. VI, 1027  
XVII. — Mariæ clementia et benignitas. VI, 1027  
XVIII. — Mariæ fides fermentum. — Caro Christi vere de Virgine sumpta. — Flos de radice Jesse. VI, 1028  
XIX. — Miranda Virginis maternitas. — Dedit nobis Deus Christum per Mariam. — Datum est Mariæ ut quidquid haberet per illam acciperet. VI, 1029  
XX. — Tria mirabilia in Maria. — Tria nobis contulit Mariæ secunditas. VI, 1031  
XXI. — B. Mariæ Virginis virtutes prædicantur et laudes. VI, 1031

## VIII. — PARÆNETICA MARIANA.

### *S. Gregorius Thaumaturgus.*

Homiliæ tres in Annuntiatione S. Virginis Mariæ. V, 601-617

### *Athanasius, Alexandrinus archiep.*

I. Annuntiationem SS. Domini nostre Deiparae. V, 624

### *S. Amphilius.*

Oratio de Occursu D.-N. J.-C. — Laudes virginitatis et B. Mariæ semper Virginis. V, 665

### *S. Augustinus.*

I. — Christus de Maria nascens, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. — Peperit Maria Salvatorem, Virgo virginum principem, virgo ante conjugium, virgo post conjugium, virgo prægnans, virgo lactans. V, 837

II. — Virgo concepit, virgo pariens permanet. — Honor sexus feminei est in Matre Christi. V, 901

III. — Virgo concepit, miramini; Virgo peperit, plus miramini; post partum virgo permanuit. — In Maria est vita virginis. V, 902

IV. — Deipara encomium insigne. V, 911  
V. — De Annuntiatione Dominicana. V, 913-917

### *Theodosius, Ancyranus episc.*

Homilia in S. Deiparau. V, 965

### *S. Basilus.*

Oratio in SS. Deiparae Annuntiationem. V, 647

### *S. Ephrem.*

Sermo de SS. Dei Genitricis Mariæ laudibus. V, 647

### *S. Amphilius.*

Oratio de Occursu D. N. Jesu Christi, de Deipara, de Anna, et Simeone. — Laudes Virginis. V, 665

### *S. Epiphanius.*

Homilia de laudibus S. Mariæ Deiparae. V, 738

### *S. Proclus, CP. archiep.*

I. — Oratio in SS. Dei Genitricem. V, 959

II. — Laudatio in S. Virginem. V, 943

III. — De eodem argumento. V, 948

### *S. Petrus Chrysologus.*

I. — Sermo de Annuntiatione B. Mariæ Virginis. —

- XXII. — Epist. ad canonicos Lugdun. de Conceptione B. Mariæ Virginis cum nota R. P. Joan. Perrone. VI, 1033  
XXIII. — Oratio devota ad Domiuum Jesum et B. Mariam Matrem ejus. VI, 1057

### *Richardus a S. Victore.*

- I. — De B. V. Mariæ integra et perfecta pulchritudine. VI, 1155  
II. — B. Mariæ landes. V, 1155  
III. — De comparatione Christi ad florem, et Mariæ ad virginem. V, 1156  
IV. — De differentia sacrificii Abrahæ a sacrificio B. Mariæ Virginis. VI, 1157

### *Henricus, S. R. E. cardinalis.*

- I. — De porta duodecima civitatis Dei, B. Virgine Deipara. VI, 1249  
II. — De gloria portæ duodecimæ Virginis Mariæ. VI, 1257

### *Alanus de Insulis.*

- Sententiae de S. Maria. VI, 1188  
*Adamus, abbas Persenæ.*

- I. — Mariale, complectens 5 serm. de B. Maria Virginine. VI, 1519  
II. — Fragmenta Mariana. VI, 1565

### *S. Bonaventura*

- I. — Laus B. V. Mariæ. VI, 1403  
II. — Corona B. Mariæ Virginis. VI, 1411  
III. — Psalterium minus B. Mariæ Virginis. VI, 1415  
IV. — Carmina super canticum *Salve Regina*. VI, 1419

### *S. Thomas de Aquino.*

- Devotissima expositio super Salutatione angelica, scilicet *Ave Maria*. VI, 1421

In B. Maria gratiæ plenitudo. — Eva maledicta, Maria benedicta. — Maria vere Mater viventium. V, 977

II. — Sermo de Incarnat. Christi. — Conceptus Virginis mirandus. — Quæ mandat Deus, exsequitur angelus, impletus Spiritus, efficit virtus, Virgo credit, natura suscipit, coeli narrant, annuntiat, firmamentum, ostendunt stellæ, Magi prædicant, pastores adorant, pecora cognoscunt. V, 979

III. — De Annuntiatione B. Mariæ Virginis. — Agit cum Maria angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina. — Maria nuncupatur Domina. Christus conceptu suo Virginem servat, et ortu suo relinquit virginem. — In Maria conceptu, in partu, crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas. V, 980

IV. — De eodem. — Divina prædictatur maternitas. — Acceptit Virgo salutem sæculis redditura. — Maria regina totius castitatis. V, 982

V. — De eodem. — Pariendo Maria non perdidit virginitatis insignia. — Merito Virgini solva sunt omnia, quæ omnium genuit Salvatorem. — Verbum Dei descendit sicut pluvia in vellus. — Benedicta quia Virgo et Mater. — Major celo, fortior terra, orbe latior. V, 983

VI. — Sermo de generatione Christi, et de Joseph Mariam dimittere volente. — Joseph custos pudoris et assertor virginitatis. — B. Maria, manente virginitate, mater est, et conjux dicitur pudore permanente. — Maria Theotocos. V, 987

VII. — De eodem. — De Joseph sponso, et sponsa matre. — Est muneris virginalis ut regeneret per Deum Virgo quod per Deum virgo generavit. — Maria semper humanæ prævia salutis. V, 989

VIII. — De Incarnationis sacramento. — Habitat Christus virginalis uteri mansionem. V, 992

IX. — De eodem. — Concepit virgo, virgo parit, manet virgo. — Venit angelus ad Mariam, ut quod malus dejecter angelus, bonus angelus allevaret. V, 994

X. — Sermo de Virginis partu. — B. Maria feliciter parturit, quæ virginitatis coronam magis magisque pariendi conquisivit et gloriam. V, 995

XI. — Conceptus Virginis. Virginis partus, mulierum partibus non exequandi; illud de terra, hoc de celo. — Virginis caro non conscient doloris, quæ magis pariendo integratitatem augmenta suscepit. V, 997

XII. — B. Maria perpetua virginitas. — Qui sunt fratres et quæ sorores Domini. V, 998

XIII. — Per Evam venit ad omnes mors, per Mariam rediit omnibus vita. V, 1003

- XIV. — Deum mulier virgineo portabat in templo. V, 1004  
**S. Leo Magnus.**  
I. — Sermo in Nativ. D. N. Jesu Christi. — S. Maria prius concepit mente quam corpore. — Ejus fides Elizabeth miraculo confirmatur. — Non dampnum pudoris credit Dei Genitrix mox futura. — Virginea integratam nihil corruptionis intulit partus salutis. V, 1003

- II. — *De eodem.* Nova Nativitate Dei Filius genitus est a Virgine, sine maternae integratatis injuria. — Illusum esse diabolum per incarnationem ex Virgine. — Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit. V, 1006

- III. — *De eodem.* Ex Virgine Maria Christus nascitur, integrum per omnia pudore generantis. V, 1009

- IV. — *De eodem.* Virga de radice Jesse et stirpe David est B. Virgo Maria. — Terra carnis humanae maledicta in primo prævaricatore, in solo B. Virginis partu germe edidit benedictum. V, 1010

- V. — *De eodem.* Maria intemerata mater et virgo salutifera. V, 1013

- VI. — *De eodem.* Electa Virgo, de semine Abrahæ et de radice Jesse per propheticas voces et mystica signa promissa. — Verbum Dei de incontaminato corpore carnem sumpsit. V, 1006

**S. Maximinus, Taurin. episc.**

- I. — Homilia ante Natale Domini. — Virgo est Maria cum concepit, virgo cum parturit, virgo post partum. — Gloriosa virginitas et præclara fecunditas. — Nullus est gemitus parturientis. — Mater Dominica. — Maria Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali. — Mater salutem populis editura. V, 1023

- II. — *De eodem.* Ex Virgine processit Christus Deus similis et homo. V, 1023

- III. — *De eodem.* Maria Virgo intemerata. V, 1025

- IV. — *De eodem.* Gaudet puerpera Virgo beatissima quæ in utero concepit Dei filium. V, 1826

- V. — *De eodem.* Condemnatio haeresis Helvidii et Jovianiani contra Deiparæ virginitatem. V, 1027

- VI. — *De eodem.* Maria suum parturivit auctorem. — Isaiæ prophætia de Virgine Matre. — Intacta puerpera. V, 1028

- VII. — *De eodem.* Verbi divini caro ex Virgine assumpta semperita deitati majestatique conveniens, opus fuit supernæ virtutis, omnia in potestate sua habentis. — Laudes Virginis Deiparæ. V, 1029

- VIII. — *De eodem.* Beata mater quæ intacta concepit, inviolata protulit. — Novum, concipiiente et parturiente femina, illæssam virginitatem permanere. V, 1031

- IX. — *De eodem.* De virginitate Mariæ Christi Genitricis. — Maria Virgo feminei sexus gloria. — Per feminam mors sibi in hunc mundum adiutum patetfecit, per feminam ad nos vita habuit ingressum. V, 1031

- X. — Maria partum edidit quem extra naturæ ordinem concepit. — Recte velleri comparatur. — Vellus est Maria de cuius siu Agnus egressus est. V, 1032

- XI. — Exhibet virga de radice Jesse. — Virga erat Maria nitida, subtilis et virgo, quæ Christum veluti florē integratam sui corporis germinavit. V, 1033

- XII. — Maria Virgo ante et post partum. — Inviolata naturalis pudoris claustra. V, 1033

- XIII. — B. Maria Virgo perpetua. V, 1036

- XIV. — In Assumptione B. Mariæ Virginis laudes. V, 1038

**S. Eleutherius, Tornacensis episc.**

- I. — Sermo de Incarnat. Domini. — De partu B. Mariæ Virginis prophætæ sunt præconiali. — Virgo concepit, Virgo post partum permansit. — Inviolata pudicitia virginalis aula. — Creatura creatorum suum terris edidit. — Maria vere mater Domini. V, 1034

- II. — Sermo de Natali Dom. — Stella solem dedit; Virgo Deum hominem; virga florem. — Virgo Mater est Christi, simplices, humili et immaculata. — Mors mundum ingressa est per Evam; vita perdita restauratur per Mariam. V, 1036

- III. — Sermo in Annuntiationis festum. V, 1059

- IV. — Oratio. — B. Mariæ laudes. V, 1062

**S. Fulgentius, Ruspensis episc.**

- I. — Sermo de duplice Nativitate Christi. V, 1073

- II. — Sermo in Purificatione B. Mariæ Virginis. V, 1078

- III. — Sermo de laudibus Mariæ ex partu Salvatoris. V, 1085

**Hesychius presbyter Hierosolymitanus.**

- I. — Homilia de S. Maria Deipara V, 1115

- II. — *De eodem.* V, 1119

**S. Anastasius I, Antiochenus episc.**

- I. — In Annuntiationem intemeratissimæ Deique Genitricis Mariæ. V, 1121

- II. — In laudatissimæ Dei Genitricis Annuntiationem. V, 1127

**S. Modestus, archiepisc. Hierosolym.**

- Encomium in Dormitionem SS. Dominae nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ. V, 1150

**S. Sophronius, patriarcha Hierosolym.**

- I. — Oratio in Annuntiationem Deiparæ. V, 1141

**S. Gallus, abbas.**

- Sermo habitus Constantiæ. — Christus Deus in mundum venit per Virginem. — De incorruptæ Virginis utero nascitur. V, 1175

**S. Eligius, Noviomensis episc.**

- Homilia in die Purificationis sanctæ Mariæ. V, 1183

**S. Ambrosius Autpertus, abbas.**

- Sermo in Purificatione B. Mariæ. V, 1192

**S. Andreas Cretensis.**

- I. — Encomium in Nativitatem SS. Deiparæ. V, 1315

- II. — In Natalem diem SS. Deiparæ. V, 1321

- III. — *De eodem argum.* V, 1353

- IV. — *De eodem.* V, 1342

- V. — In Deiparæ Annuntiationem. V, 1350

- VI. — In Dormitionem Deiparæ. V, 1362

- VII. — *De eodem.* V, 1574

- VIII. — *De eodem.* V, 1381

**S. Germanus, patriarcha Constantinopolitanus.**

- I. — Oratio in Præsentationem Deiparæ. VI, 9

- II. — *De eodem.* VI, 18

- III. — Oratio in Dei Genitricis Annuntiationem. VI, 25

- IV. — Oratio in B. Mariæ Dormitionem. VI, 52

- V. — *De eodem.* VI, 56

- VI. — *De eodem.* VI, 41

- VII. — Oratio in Zonam. B. M. V. VI, 48

**Joannes Eubœensis.**

- Sermo in Conceptionem S. Deiparæ. VI, 89

**S. Joannes Damascenus.**

- I. — Homilia in Annuntiationem B. Mariæ Virginis. VI, 103

- II. — *De eodem.* VI, 106

- III. — In Nativitatem B. Mariæ Virginis. VI, 115

- IV. — *De eodem.* VI, 122

- V. — In Dormitionem B. Mariæ Virginis. VI, 150

- VI. — *De eodem.* VI, 141

- VII. — *De eodem.* VI, 155

**Ven. Beda.**

- I. — Homilia in festo Annuntiationis B. Mariæ. VI, 55

- II. — Homili. in festo Visitationis B. M. VI, 55

- III. — Homil. in Vigil. Nativ. Dom. — In Evang. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria, etc. VI, 63

- IV. — Homilia in Purificatione B. Mariæ. VI, 82

- V. — Homil. in Commemoratione B. V. Mariæ. VI, 86

- VI. — Homil. de S. Maria Virgine. VI, 87

- VII. — Homil. de Nativ. Domini. — B. Virgo Maria

- integritatem virginalem servavit. — Virgo fuit ante partum, in partu et post partum. VI, 89

**Paulus Winfridus, diaconus.**

- I. — Homil. in Assumptione B. Mariæ Virginis. VI, 189

- II. — De Purificatione S. Mariæ. VI, 163

- III. — Homil. in Nativitate B. Mariæ Virginis. VI, 165

- IV. — In Assumptione S. Mariæ. VI, 169

- V. — *De eodem.* VI, 176

**S. Hildesfonsus, Toletanus episc.**

- I. — Sermo de Assumptione beatissimæ et gloriissimæ V. Mariæ. VI, 178

- II. — *De eodem argum.* VI, 1286

- III. — *De eodem.* VI, 1289

- IV. — *De eodem.* VI, 1293

- V. — *De eodem.* VI, 1294

- VI. — *De eodem.* VI, 1298

- VII. — *De eodem.* VI, 1500

- VIII. — Sermo in laudem B. Virginis Mariæ. VI, 1502

- IX. — De Assumptione. VI, 1503

- X. — In Purificatione S. Mariæ. VI, 1504

- XI. — In Nativitate Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ. VI, 1508

- XII. — De S. Maria. VI, 1509

XIII. — In diem S. Mariæ.  
XIV. — Item Fragmentum.

*S. Tarasius, archiepisc. CP.*

Oratio in SS. Dei Matrem in templum deductam. VI, 189

*S. Theodorus Studita.*

Laudatio in Dormitionem S. Deiparæ.

*Rubanus Maurus.*

I. — Homilia in Natali sanctæ Mariæ.

II. — In Assumptione S. Mariæ.

III. — *De eodem.*

IV. — *De eodem.*

V. — In Natali virginum. — *De B. Maria Virgine.*

## INDICES.

V, 1311

V, 1313

dicitur Joseph pater Christi. — Beata est Maria quae sine exemplo creditit, concepit, peperit, portavit, lactavit Deum Filium.

VI, 573

III. — Hom. in Purificatione B. Mariae Virginis. VI, 573

IV. — *De eodem.* VI, 582

V. — Hom. in Annuntiatione B. Mariæ. VI, 585

VI. — *De eodem.* VI, 590

VII. — Hom. in Nativitate B. Mariæ Virginis. VI, 596

VIII. — *De eodem.* VI, 600

*Godefridus, abbas Vinctinensis.*

I. — Sermo de Purificatione S. Mariæ. VI, 663

II. — In omni festivitate B. Mariæ Matris Domini. VI, 671

*S. Ivo, Carnotensis episc.*

I. — Sermo de Annuntiatione B. Mariæ. VI, 603

II. — In Purificatione S. Mariæ. VI, 607

*S. Bruno, Signensis episc.*

I. — Homilia de Purificatione B. Mariæ Virginis. VI, 665

665

II. — Hom. in Assumptione B. Mariæ Virginis. VI, 664

664

III. — Hom. in Purificatione B. Mariæ Virginis. VI, 665

*Ven. Hildebertus, archiep. Turonensis.*

I. — Sermo in festo Annuntiationis. VI, 679

VI, 683

II. — Serm. in festo Purificationis. VI, 689

VI, 693

III. — *De eodem.* VI, 696

VI, 696

IV. — *De eodem.* VI, 700

VI, 700

V. — Serm. in Festo Assumptionis. VI, 704

VI, 704

VI. — *De eodem.* VI, 708

*Honorius, Augustodinensis episc.*

I. — De Nativitate S. Mariæ. VI, 771

VI, 771

II. — In Annuntiatione S. Mariæ. VI, 773

VI, 773

III. — In Purificatione S. Mariæ. VI, 778

VI, 778

IV. — In Assumptione S. Mariæ. VI, 781

VI, 781

*Ven. Godefridus, abbas Admontensis.*

I. — Homilia in sanctam noctem Nativitatis Domini.

VI, 803

Laudes B. Mariæ semper Virginis

VI, 803

II. — Hom. in festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

VI, 811

nisi.

VI, 822

III. — *De eodem.* VI, 826

VI, 826

IV. — *De eodem.* VI, 829

VI, 829

V. — *De eodem.* VI, 831

VI, 831

VII. — Hom. in Vig. Assumptionis B. Mariæ Virginis.

VI, 857

VIII. — Hom. in festum Assumptionis B. Mariæ Virginis.

VI, 879

IX. — *De eodem.* VI, 841

VI, 841

X. — *De eodem.* VI, 851

VI, 851

XI. — *De eodem.* VI, 854

VI, 854

XII. — *De eodem.* VI, 857

VI, 857

XIII. — *De eodem.* VI, 859

VI, 859

XIV. — *De eodem.* VI, 863

VI, 863

XV. — In Octav. Festi Assumptionis B. Mariæ Virginis.

VI, 868

XVI. — In festum Nativitatis B. Mariæ Virginis. VI, 870

VI, 875

XVII. — *De eodem.* VI, 877

VI, 877

XVIII. — *De eodem.* VI, 879

VI, 879

XIX. — *De eodem.* VI, 879

VI, 879

XX. — *De eodem.* VI, 895

VI, 895

*Hugo a S. Victore.*

I. — De Assumptione B. Mariæ Virginis, in quo fere exponuntur que ex Canticis cantorum de prompta, in ejusdem Assumptionis decantari solent Officio.

VI, 915

*Guericus, abbas Ignacensis.*

I. — In Annuntiatione Dominica sermones tres.

VI, 1041

II. — In Assumptione B. Mariæ, sermones tres.

VI, 1055

III. — In Nativit. B. Mariæ Virginis.

VI, 1062

*Ecbertus, abbas.*

I. — Ad B. Virginem Deiparam sermo panegyricus.

VI, 1063

II. — Sermo de B. Virgine Maria.

VI, 1069

*B. Amedæus, Lausannensis episc.*

I. — Homil. de fructibus et floribus sanctissimæ V. Mariæ.

VI, 1075

II. — Hom. de justificatione vel ornatu Mariæ Virginis.

VI, 1080

939

III. — Hom. de Incarn. Christi, et Virginis Conceptio-	
ne de Spiritu sancto.	VI, 1083
IV. — Hom. de partu Virginis, seu Christi Nativitate.	
VI, 1091	
V. — Hom. de mentis robore, seu martyrio B. Virginis.	VI, 1097
VI. — Hom. de gaudio et admiratione B. Virginis in Resurrectione et Ascensione Iesu Filii sui ad Patrem dexteram.	VI, 1103
VII. — Hom. de B. Virginis obitu, Assumptione in coelum, exaltatione ad Filium dexteram.	VI, 1108
VIII. — Hom. de Mariæ Virg. plenitudine, seu perfectione, gloria, et erga suos clientes patrocinio.	VI, 1114
<i>Aelredus, abbas Rievallis.</i>	
I. — Sermo in Annuntiatione B. Mariæ.	VI, 1151
II. — Sermo de B. Mariæ.	VI, 1159
<i>Adamus Praemonstratensis.</i>	
I. — Sermo de Dom. II Adv. — De Adventu Christi ad Ecclesiam per Virginem Mariam.	VI, 1173
<i>Petrus Comestor.</i>	
I. — Sermo in Annuntiatione B. Virginis.	VI, 1177
II. — In festo Assumptionis B. Virginis Mariæ.	VI, 1180
<i>Alanus de Insulis.</i>	
In Annuntiatione B. Mariæ Virginis.	VI, 1183
<i>Arnulfus, Lexoviensis episc.</i>	
Sermo in Annuntiatione gloriose V. Mariæ.	VI, 1189
<i>Petrus Cellensis.</i>	
I.—Sermo in tempore Adventus: <i>Ecce Virgo concipiet et pariet filium.</i>	VI, 1193
II. — Serm. in Purificatione S. Mariæ.	VI, 1201
III. — Serm. in Annuntiatione Domini Sermones septem.	VI, 1203
IV. — Serm. in Assumptione B. Mariæ Virginis. Sermones octo.	VI, 1224
V. — Serm. de B. Virgine.	VI, 1243
<i>Petrus Blesensis, Bath. archidiaconus.</i>	
I. — Serm. in Assumptione B. Mariæ.	VI, 1269
II. — <i>De eodem.</i>	VI, 1275

III. — <i>De eodem.</i>	VI, 1275
IV. — <i>De eodem.</i>	VI, 1277
V. — Serm. in Nativ. B. Mariæ.	VI, 1279
<i>S. Martinus, Legionensis presb.</i>	
I. — Sermo in Assumptione S. Mariæ.	VI, 1283
II. — Serm. in Nativitate S. Mariæ.	VI, 1288
<i>Absalon, abbas Sprinckirsbacensis.</i>	
I. — Serm. in Annuntiatione B. Mariæ.	VI, 1293
II. — Serm. in Assumptione gloriose Virginis Mariæ.	VI, 1300
<i>III. — <i>De eodem.</i></i>	
IV. — <i>De eodem.</i>	VI, 1303
V. — Serm. in Nativ. B. Virginis Mariæ.	VI, 1313
<i>Innocentius papa III.</i>	
I. — Sermo in Nativitate S. Mariæ.	VI, 1373
II. — Serm. in solemnitate Purificationis B. Mariæ Virginis.	VI, 1381
III. — Serm. in Annuntiatione B. Mariæ.	VI, 1390
IV. — Serm. in solemnitate Assumptionis B. Mariæ Virginis.	VI, 1395
V. — <i>De eodem.</i>	VI, 1399
VI. — Serm. in solemnitate Nativitatis glorioissimæ semper Virginis Mariæ.	VI, 1405
<i>Albertus Magnus.</i>	
De duodecim Privilegiis B. Virginis Mariæ.	VIII, 261
<i>Raymundus Jordanus.</i>	
Contemplationes de B. Maria Virgine.	IV, 831
<i>S. Thomas de Aquino.</i>	
I.—In Purificatione B. Mariæ sermones duo.	VI, 1425
II. — In Annuntiatione, sermones duo.	VI, 1428
III. — In Assumptione, sermo unus.	VI, 1450
<i>S. Laurentius Justinianus.</i>	
I. — Sermo in Annuntiationem B. Mariæ Virginis.	VI, 1493
II. — Sermo in Purificationem ejusdem B. Virginis.	VI, 1498
<i>Robertus Bellarminus, S. R. E. Cardinalis.</i>	
Super Missus est conciones quinque.	VI, 1451

## IX. — ENCOMIA MARIANA.

<i>Tertullianus.</i>	
Pulchra Mariæ cum Eva comparatio et diversitas.	V, 539
<i>S. Athanasius, Alex. episc.</i>	
Encomia Deiparae.	V, 641
<i>S. Ephrem, diac.</i>	
De SS. Dei Genitricis landibus.	V, 617
<i>S. Damasus papa.</i>	
Carmen de Christo, et de B. Mariæ virginitate.	
<i>Sedulius (Cælius).</i>	
I. — Maria Evæ facinus diluit. — Gaudia matris habens cum virginitatis honore:— Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.	V, 721
II. — Quia vita reddit sola fuit mulier, sicut per mulierem patuit janua Ieto. — Mariæ virginitas asseritur ante et post partum.	V, 723
III. — Maria Virgo ad sepulcrum Christi. — Ipsi primæ omniō Christus post resurrectionem apparuit.	V, 725
IV. — Hymnus in laudem Christi et B. Virginis Matris.	V, 726
V. — Carmen de Incarnatione. B. Mariæ intermerata prædicatur virginitas.	V, 727
<i>S. Augustinus.</i>	
Laudes B. Mariæ Virginis.	V, 899
<i>S. Cyrillus.</i>	
Encomium in S. Mariam Deiparam.	V, 955
<i>S. Epiphanius.</i>	
De laudibus S. Mariæ Deiparae.	
<i>S. Proclus.</i>	
Orationes III de laudibus Dei Genitricis Mariæ.	V, 959
<i>S. Petrus Chrysologus.</i>	
Maria gratiæ plenitudo. — Eva maledicta, Maria benedicta. — Maria vera mater viventium.	V, 977

<i>S. Sophronius, patriarcha Hierosolymitanus.</i>	
In Deiparae Annuntiationem.	V, 1172
<i>S. Hildesonus, Toletanus episc.</i>	
Corona B. Virginis Mariæ.	V, 1247
<i>S. Anselmus, Cant. archiepisc.</i>	
Orationes quindecim ad B. Virginem Mariam.	VI, 485
<i>Ven. Hildebertus, archiepisc. Turonens.</i>	
I. — De Conceptione B. Mariæ versus.	VI, 712
II. — De partu Virgineo.	VI, 713
III. — De Virgine Maria carmina.	V, 715-716
<i>Fortunatus (Venantius).</i>	
I. — Hymnus de Nativitate Domini. — Laudes Deiparae.	V, 1100
II. — Hymn. de S. Maria.	V, 1101
III. — <i>De eodem argun.</i>	V, 1101
IV. — In nomine D. N. J. C., et Dominæ meæ Mariæ, matris eius, De virginitate.	V, 1102
V. — In laudem S. Mariæ Virginis et Matris Domini.	V, 1109
<i>Hincmarus, Remensis archiepisc.</i>	
I. — Laudes Virginis Deiparae.	
II. — Ad imaginem Dei Genitricis in ipso altari positam.	
III. — Carmen inscriptum in libro Evangelii quem Hincmarus donavit ad usum altaris B. Mariæ.	
<i>Guibertus, abbas.</i>	
Liber de laude S. Mariæ.	VI, 609
<i>S. Bruno, Signieus episc.</i>	
Liber de laudibus B. Virginis Mariæ.	VI, 631
<i>Hugo a S. Victore.</i>	
De Assumptione et decem praeconitis Mariæ semper Virginis.	

## X. — HOMILIAE ET SERMONES

IN HONOREM B. MARIE VIRGINIS JUXTA ORDINEM FESTIVITATUM EJUSDEM.

### I. — Conceptio Imm. B. Mariae Virginis.

Joannes Eubceensis, Sermo unicus.	VI, 89
Georgius Nicomediensis, Orat. quatuor.	VI, 221
S. Anselmus, Cant. archiep., Sermo unicus,	VI, 547

### II. — Præsentatio B. Mariae Virginis.

S. Germanus, patriarch. CP., Sermones duo,	VI, 9
S. Tarasius, archiep., CP., Oratio unica.	VI, 189
Georgius Nicomed., Sermones duo.	VI, 252

### III. — In Natali Domini. — Maternitas divina.

S. Augustinus, Hippon. episc., in Nativ. Dom. et de Virgine Deipara, Sermones tres.	897, 901, 902
S. Leo Magnus, Sermones sex.	V, 1013, 1016
S. Maximus, Taurin. episc., Homiliae novem.	V, 1025
S. Eleutherius, Tornac. episc., Sermo unicus.	V, 1036
S. Fulgentius, Rusp. episc., De duplice Nativ. Christi, Sermo unicus.	V, 1075
S. Gallus, abbas, Sermo unicus.	V, 1175
Ven. Beda, Homiliae duæ.	VI, 63
Paulus Winfridus, diaconus, Homilia unica.	
S. Odilo Cluniac., Sermones duo.	VI, 353
S. Petrus Damianus, Sermo unicus.	VI, 404
Radulfus Ardens., Homiliae duæ,	VI, 569
Godefridus, abbas, Admont., Homilia unica,	VI, 809
Adamus Praemonstratensis, Sermo unicus.	VI, 1173
Petrus Cellensis, Sermo unicus,	VI, 1193

### IV. — Purificatio B. Mariae Virginis.

S. Amphilius, Oratio unica.	V, 663
S. Petrus Chrysologus, Sermo unicus.	V, 1004
S. Fulgentius, Sermo unicus.	V, 1078
S. Eligius, Noviom. episc., Homilia unica.	V, 1183
S. Ambrosius Autpertus, Sermo unicus.	V, 1192
Ven. Beda, Homilia unica.	VI, 82
Paulus Winfridus, Homilia unica.	VI, 163
S. Hildefonsus, Tolet. episc., Sermo unicus	V, 1504
S. Fulbertus, Carnot. episc., Sermo unicus.	VI, 379
S. Odilo, Cluniac. abbas, Sermo unicus.	VI, 363
Radulfus Ardens., Homiliae duæ	VI, 578
Godefridus, abbas Vindocin., Sermo unicus.	VI, 663
S. Ivo Carnot., Sermo unicus.	VI, 607
S. Bruno, Signiens. episc., Homiliae duæ.	VI, 665, 663
Ven. Hildebertus, archiep. Turon., Sermones tres.	VI, 685, 689, 696
Honorius, Augustodun. episc., Sermo unicus	VI, 778
Petrus Cellensis, Sermo unicus.	VI, 1201
Innocentius papa III, Sermo unicus	VI, 1581
S. Thomas Aquin., Sermones duo.	VI, 1425
S. Laurentius Justinianus, Sermo unicus.	VI, 1498

### V. — Annuntiatio B. Mariae Virginis.

S. Gregorius Thaumaturgus, Homiliae tres.	V, 601
S. Augustinus, Sermones quatuor.	V, 897, 901, 902, 913
S. Basilius, Oratio unica.	V, 647
S. Petrus Chrysologus, Sermones decem.	V, 977, 993
S. Leo Magnus, Sermo unicus.	V, 1005
S. Eleutherius, Tornac. episc., Sermones duo.	V, 1034
S. Gallus, abbas, Sermo unicus.	V, 1175
S. Anastasius I, Antioch. episc., Sermones duo.	V, 1121
S. Sophronius, patriarch. Hierosol., Sermo unicus,	V, 1141
S. Andreas Cretensis, Sermo unicus,	V, 1350
S. Germanus, Constantinop., Oratio unica.	VI, 23
Ven. Beda, Homilia unica,	
S. Joannes, Damascenus, Homiliae duæ.	VI, 103
S. Remigius, Antissiod. episc., Homilia unica	VI, 343
S. Fulbertus, Carnot. episc., Sermo unicus.	VI, 392
S. Odilo, Cluniac., Sermo unicus.	VI, 563
S. Petrus Damianus, Sermo unicus.	VI, 412
Radobodus, Noviom. episc., Sermo unicus,	VI, 435
Radulfus Ardens., Homiliae duæ,	VI, 583
S. Ivo, Carnot. episc., Sermo unicus.	VI, 605
Ven. Hildebertus, Sermo unicus.	VI, 679
Honorius, Augustodun. episc., Sermo unicus.	VI, 773

Ven. Godefridus Admontensis, Homil. 5. VI, 811-831

Guerricus, abbas Igniac., Sermones tres. VI, 1041

B. Amedæus, Lausan. episc., Sermo unicus. VI, 1085

Aelredus, abbas Rieval., Sermo unicus. VI, 1131

Petrus Comestor, Sermo unicus. VI, 1177

Arnulfus, Lexov. episc., Sermo unicus. VI, 1189

Petrus Cellensis, Sermones septem. VI, 1205

Alanus de Insulis, Sermo unicus. VI, 1185

Absalon, abb. Sprinck., Sermones tres. VI, 1295

Innocentius papa III, Sermo unicus. VI, 1390

S. Thomas Aquin., Sermones duo. VI, 1428

S. Laurentius Justinianus, Sermo unicus. VI, 1493

Robertus Bellarminus, super Missus est, Sermones quinque. VI, 1431

### VI. — Visitatio B. Mariae Virginis.

Ven. Beda, Homilia unica. VI, 55

### VII. — Assumptio B. Mariae Virginis.

S. Maximus, Taurin. episc., Sermones duo. VI, 139, 169, 176

Paulus Winfridus, Homiliae tres.

S. Hildefonsus, Tolet. episc., Sermones octo V, 1286, 1500, 1503

S. Modestus, archiep. Hier., Ecomium in Dormitionem SS. Dominae Nostræ, V, 1130

S. Andreas Cretensis, in Dormitionem Deiparæ Sermones tres. V, 1562

S. Germanus, Constantinop., in Dormitionem S. V., Sermones tres. VI, 32

S. Joannes Damascenus, Homiliae tres. VI, 150

S. Theodorus Studita, Sermo unicus. VI, 199

Rabanus Maurus, Sermones tres. VI, 218

Atto, Vercell. episc., Sermo unicus. VI, 319

S. Odilo, Cluniac. Sermo unicus. VI, 367

S. Petrus Damianus, Sermo unicus. VI, 422

S. Bruno, Signiens. episc., Homilia unica. VI, 664

Ven. Hildebertus, Sermones tres. VI, 700, 704, 708

Honorius, Augustodun. episc., Sermo unicus, VI, 781

Ven. Godefridus Admontensis, Homiliae novem. VI, 857, 868

Hugo a S. Victore, Sermo unicus. VI, 913

Guerricus, abb. Igniac., Sermones tres. VI, 1055

B. Amedæus, Lausan. episc., Sermo unicus. VI, 1108

Petrus Comestor, Sermo unicus. VI, 1180

Petrus Cellensis, Sermones octo. VI, 1224

S. Martinus, Legionensis, Sermo unicus. VI, 1285

Petrus Blesensis, Sermones quatuor. VI, 1269

Absalon, abbas Sprinck. Sermones tres. VI, 1500, 1511

Innocentius papa II, Sermones duo. VI, 1595, 1599

S. Thomas Aquin., Sermo unicus. VI, 1430

### VIII. — Nativitas B. Mariae Virginis.

Winfridus Diaconus, Homilia unica. VI, 163

S. Hildefonsus, Tolet. episc., Sermo unicus. V, 1308

S. Andreas, Cretensis, Sermones quatuor. V, 1515

S. Joannes Damascenus, Homiliae duæ. VI, 115

Rabanus Maurus, Homilia unica. VI, 216

S. Fulbertus, Carnot. episc., Sermones tres. VI, 380

S. Odilo, Cluniac., Sermones duo. VI, 375

S. Petrus Damianus, Sermones, et Homiliae septem. VI, 427, 454

Radulfus Ardens., Homiliae duæ. VI, 596

Honorius Augustodun., Sermo unicus. VI, 771

Ven. Godefridus Admontens., Homiliae quinque. VI, 870, 893

Guerricus, abbas Igniac., Sermo unicus. VI, 1062

Petrus Blesensis, Sermo unicus. VI, 1279

S. Martinus Legionensis, Sermo unicus. VI, 1288

Absalon, abbas Sprinck., Sermo unicus. VI, 1515

Helinandus, Sermones duo.

Innocentius Papa III, Sermones duo. VI, 1573, 1403

### IX. — Compassio B. Mariae Virginis.

Georgius Nicomediensis, in SS. Mariam cruci assistentem, Homilia unica. VI, 278

— In SS. Mariam sepulcro assistentem, Homilia unica, VI, 283

X. — De reliquiis B. Mariae Virginis.	
S. Germanus, patriarch. Constantinop., Orat. in Zonam.	
VI, 48	
XI. — De B. Virgine Maria.	
S. Augustinus, Deiparæ Encomium insigne.	V, 913
Theodotus, episc. Ancyra, Homilia in S. Deipara-	
ram.	V, 663
S. Epiphanius, Homilia de laudibus S. Mariæ Deiparae.	V, 738
S. Proclus, Constantinop. archiep., Orationes tres de	
laudibus Deiparae.	V, 939
Hesychius, presb. Hierosol., Homilia duæ de S. Ma-	
ria Deipara.	V, 1113
S. Ephrem, De SS. Dei Genitricis laudibus.	V, 647
S. Eleutherius, Tornacensis episc., B. Mariæ laudes,	V, 1062
S. Fulgentius, Rusp. episc., Sermo de B. Mariæ lau-	
dibus.	V, 1083
Ven. Beda, Homil. in Commemoratione B. Mariæ Vir-	

ginis. De S. Maria Virgine.	VI, 86, 87
S. Hildefonsus, Tolet. episc., Sermo in laudem B.	
Mariæ Virginis.	V, 1302
Id. Serm. de S. Maria.	V, 1309
Id. Serm. in diem S. Mariæ.	V, 1311
Rabanus Maurus, Sermo in Natali virginum, De B. Vir-	
gine Maria.	VI, 221
Haymo, Alberstat. episc., Homil. in solemnitate per-	
petua Virginis Mariae.	VI, 301
S. Odilo, Cluniac., De S. Cruce, Eva et Maria.	VI, 376
S. Petrus Damianus, Sermo de prærogativis B. Mariæ	
Virginis.	VI, 418
Godefridus, abbas Vindocin., Sermo in omni festivitate	
B. Mariæ Virginis.	VI, 671
Ecbertus, abbas Schonangiensis, Ad B. V. Deiparam,	
Sermo panegyricus. — Sermo de B. Virgine Maria.	VI,
1063-1069	
B. Amedæus, Lausan. episc., Laudes B. Mariæ Virginis,	
Sermones octo.	VI, 1073-1114
Aelredus, Sermo de B. Maria.	VI, 1159
Petrus Cellensis, Sermo de B. Virgine.	VI, 1245

## ORDO RERUM

### QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

#### THEOLOGIA MARIANA.

##### TESTIMONIA PATRUM IN HONOREM B. V. MARIE.

*(Continuatio.)*

##### S. Germanus, patriarcha.

I. — Oratio in Præsentationem Deiparae.	9
II. — De eod. arguento.	18
III. — Oratio in Dei Genitricis Annuntiationem.	25
IV. — Oratio in B. Mariæ Dormitionem.	52
V. — De eod. arguento.	56
VI. — De eod. arguento.	41
VII. — Oratio in Zonam B. M. V.	48

##### Ven. Beda.

I. — Joseph vir, id est minister Mariæ. — Cur Christus elegerit Virginem desponsatam? — Nullum de Josph genuit infantem Maria, Virgo perpetua.	53
II. — Joseph integrerrimæ virginitatis Mariæ custos et testis. — Maria Hebraice interpretatur <i>Maris stella</i> , Syriace <i>Domina</i> . — Maria verecundia ab omnibus imitanda mulieribus. — Maria vere Dei Genitrix seu Theotocos. — B. Mariæ humilitas. — Salutatio Elisabeth. — Canticum <i>Magnificat</i> .	55
III. — Fratres Domini, non liberi Joseph aut Mariæ, sed cognati eorum intelligendi sunt.	63
IV. — Intemerata Virgo Maria. — Dei Genitrix Maria alios post Christum non peperit filios, sicut autem virgo perpetua castitate memorabilis.	64
V. — Homilia in festo Annuntiationis B. Mariæ.	65
VI. — Homilia in festo Visitationis B. Mariæ.	71
VII. — Homil. in Vigil. Nativitatis Domini : « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph, etc. »	78
VIII. — Homil. in Purificatione B. Mariæ.	82
IX. — In Commemoratione beatæ Virginis Mariæ, de Evangelio : « Extollens vocem quædam mulier. »	86
X. — Homil. de sancta Maria Virgine.	87
XI. Homil. de Nativitate Domini. — B. Virgo Maria integratatem virginalem servavit. — Virgo fuit ante partum, in partu et post partum.	89

##### Joannes Eubœensis.

Sermo in Conceptionem sanctæ Deiparae.	89
--	----

##### S. Joannes Damascenus.

I. — Homilia in Annuntiationem B. Mariæ Virginis.	103
II. — Ejusdem argumenti.	106
III. — In Nativitatem B. M. V.	113
IV. — Ejusdem argumenti.	122
V. — In Dormitionem B. M. V.	130
VI. — Ejusdem argumenti.	141
VII. — Ejusdem argumenti.	153

##### Paulus Winfridus, diaconus.

I. — Homilia in Assumptione B. Mariæ Virginis.	139
II. — De Purificatione B. Mariæ.	163
III. — Homilia in Nativitate B. M. V.	165
IV. — In Assumptione S. Mariæ.	169
V. — De eod. festo.	176

##### S. Paulinus, patriarcha Aquil.

Probat Paulinus ex Apostolo Christum Filium Dei et hominis: alioquin nuncupativa, non vera mater Maria dicenda, quæ tamen vere Deum altissimum genuit. — B. Virgo Maria, dulce et venerabile nomen, Theotocos est predicanda. — Venerabilis Virgo et ancilla et Mater est Domini.	183
---	-----

##### Alcuinus.

I. — De Maria Virgine, et Incarnatione Verbi Dei.	183
II. — Post partum B. Maria virgo permanxit.	186
III. — Maria Dei Genitrix confitenda est.	186
IV. — B. Maria cur a Christo mulier appellata?	187
V. — Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus est B. Virgo Maria.	188

##### S. Tarasius, archiep. Constant.

Oratio in SS. Dei Matrem in templum duxitam.	189
--	-----

##### S. Theodorus Studita.

Laudatio in Dormitionem sancte Dominæ nostræ Deiparae.	199
--	-----

##### S. Agobardus, episc. Lugdunensis.

B. Maria, ut Verbum caro fieret, præparata et custodiata. (Verba intelligenda de Immac. Conceptione V.).	203
--	-----

##### Rabanus Maurus (B.)

I. — Protoevangelium Christi et B. Mariæ.	205
II. — Rubus figura seu typus B. Mariæ.	205
III. — Virga Aaron figura seu typus B. M. V.	204
IV. — De Sapientia Dei prophetatum quia de Virgine ex Spiritu sancto Filius nascetur.	204
V. — Desponsatio Virginis Mariæ.	205
VI. — Canticum Mariæ Matris Domini.	2.2
VII. — Cur Maria dicatur Illuminatrix, sive Stella maris, vel Domina?	214
VIII. — De Purificatione.	215
IX. — In Natali S. Mariæ.	216
X. — In Assumptione S. Mariæ.	217
XI. — In eodem festo.	218
XII. — In eodem festo.	220
XIII. — In Natali virginum. — De B. M. V.	222

##### Georgius Nicomediensis metropolita.

Oratio I. — In Conceptionem S. Deiparae.	222
Oratio II. — Laudatio in Conceptionem sanctæ Annæ.	230

Oratio III. — In Conceptionem et Nativitatem S. Deiparæ.	240
Oratio IV. — In Conceptionem S. Deiparæ.	250
Oratio V. — In Præsentationem B. Mariæ.	252
Oratio VI. — In SS. Deiparæ ingressum in templum.	260
Oratio VII. — In eamdem solemnitatem.	270
Oratio VIII. — In SS. Mariam cruci assistentem.	278
Oratio IX. — In SS. Mariæ assistentiam in sepulcro.	293
Idiomela. In SS. Deiparæ ingressum.	300

*Walafridus Strabus.*

I. — In Nativitate Christi Virgo Deipara.	500
II. — In Hypapante.	500
III. In Assumptione S. Mariæ.	500
IV. — Hymnus de Natali Domini et de Virgine Dei Genitrici.	500
V. — De Maria Virginie.	502

*Haymo, Alberslat. episc.*

Homil. in solemnitate perpetua Virginis Mariæ.	502
<i>S. Paschasius Radbertus.</i>	

Opusculum de partu Virginis.	503
<i>Ratranius, Corbeiensis monachus.</i>	

De eo quod CHRISTUS EX VIRGINE NATUS EST.	521
Auctoris prefatio.	521

Cap. 1. — De Christi nativitate in Germania errores. Rationes affert auctor quare nasci ut cæteri debuit Christus.	323
--	-----

Cap. 2. — Objicitur violatam matris integratatem. Respondet Mariam semper virginem permauisse.	324
--	-----

Cap. 3. — Per vulvam exisse Christum probat auctor, — Partes corporis minime turpes. Qui partes corporis deturpantur. — Spiritus sanctus beatam Virginem ab omni contagio sanctificavit. — Partes quædam corporis quare in honestæ.	325
---	-----

Cap. 4. — Auctor profert testimonia ex Veteri Testamento, ut suadeat Christum per vulvam Virginis exisse.	327
---	-----

Cap. 5. — Testimonia alia.	529
----------------------------	-----

Cap. 6. — Ex Patribus suam asserit sententiam.	532
--	-----

Cap. 7. — Testimonia ex Augustino et Hilario.	534
---	-----

Cap. 8. — Item ex Gregorio papa et Venerabili Beda.	538
---	-----

Cap. 9. — Item ex Hieronymo.	557
------------------------------	-----

Cap. 10. — In medium adducuntur poetarum Christianorum suffragia.	539
---	-----

*Hincmarus, Rhemensis archiep.*

I. — B. Maria simul et mater exstitit, et perpetuo ac semper virgo permanens.	341
---	-----

II. — Ad imaginem Dei Genitricis in ipso altari positam.	343
--	-----

III. — Carmen inscriptum in libro Evangelii quem Hincmarus donavit ad usum altaris B. Mariæ.	344
--	-----

*Remigius, Autissiodorensis episc.*

Homilia in illud Matthæi : « Cum esset desponsata mater Iesu Maria Joseph, antequam convenienter inventa est in utero habens de Spiritu sancto. »	344
---	-----

*Atto, Vercellensis episc.*

Sermo in Assumptione beatæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ.	519
---	-----

*Ratherius, episc. Veronensis.*

I. — Hæc verba : <i>Maria optimam partem sibi elegit, Dei Genitrici convenienti.</i> — B. Maria Virgo perpetua.	
---	--

— Ejusdem intercessionis efficacia apud Filium.	551
---	-----

II. — B. Maria incomparabilis humilitas. — Virgo fuit ante partum, in partu et post partum. — Sanctorum intercessio apud sanctam Dei Genitricem.	551
--	-----

III. — Contra Judæos negantes virginitatem B. Mariæ.	
--	--

— Fuit vere Virgo perpetua, et Dei Genitrix.	552
--	-----

IV. — Christus subditus in terra Virginis matri sue.	554
--	-----

V. — Maria est pudicitiae speculum, virginitatis titulus, humiliatis insigne, decus innocentie.	554
---	-----

*S. Odilo, abbas Cluniacensis.*

I. — Sermo de Nativitate Domini Salvatoris. — Laudes Virginis Deiparae.	555
---	-----

II. — Sermo de Epiphania Domini. — De Virgine matre.	558
--	-----

III. — De Purificatione sanctæ Dei Genitricis Mariæ.	565
--	-----

IV. — Sermo de Incarnatione Dominicana. — Encomium de Virgine Θεοτόκῳ.	565
--	-----

V. — De Assumptione Dei Genitricis Mariæ.	567
---	-----

VI. — Sermo de Nativitate beate Mariæ Virginis.	573
---	-----

VII. — Item de Nativitate B. Mariæ.	574
-------------------------------------	-----

VIII. — De sancta Cruce. — Maria et Eva. — Eva in-	
--	--

sinvavit viam ad inferos; Maria iter rectum direxit ad superos.	376
---	-----

*S. Fulbertus, Carnot. episc.*

I. — Sermo de Purificatione B. Mariæ.	579
---------------------------------------	-----

II. — Sermo de Nativitate Beatissimæ M. V.	580
--	-----

III. — Item de Nativitate Marie Virginis.	585
---	-----

IV. — In Ortu aliae Virginis Mariæ inviolatæ.	586
---	-----

V. — De Annuntiatione Dominica.	592
---------------------------------	-----

*S. Petrus Damianus.*

I. — Commisit Dominus Petro claves Ecclesiæ; beato Joanni custodiam Mariæ delegavit. — B. Mariæ Virginis laudes.	395
--	-----

II. — Felix Maria puerpera, quæ sic gaudet de fecunditate prolis, ut nequaquam doleat de ammissione virginitatis.	400
---	-----

III. — B. Mariæ partus omnia miracula antecellit.	401
---	-----

IV. — Maria Theotocos prædicatur, sicut S. Joannes Theologus vocatur.	401
---	-----

V. — B. Mariæ cur ab hominibus colenda.	401
---	-----

VI. — Sabbathum cur B. Virginis sit d. catum.	402
---	-----

VII. — B. Virgo Maria in sue festivitatibus Assumptione innumerous liberat a peccatis Purgatoriis.	403
--	-----

VIII. — Sermo in Epiphania Domini. — Praeclarissimæ laudes B. Virginis Marie.	404
---	-----

IX. — Sermo de Annuntiatione beatissimæ Virginis Mariæ.	412
---	-----

X. — In Nativit. S. Joannis Baptiste. — B. Virginis Maris virtutes eminentesque prærogative.	418
--	-----

XI. — In Assumptione B. Mariæ Virginis.	422
---	-----

XII. — In Nativitate B. Virginis Mariæ.	427
---	-----

XIII. — De eod.	432
-----------------	-----

XIV. — Homilia in Nativitate B. Virginis Mariæ.	459
---	-----

XV. — In Sermon. de Nativitate S. Mariæ.	452
--	-----

XVI. — De eod.	453
----------------	-----

XVII. — De eod.	454
-----------------	-----

XVIII. — De eod.	454
------------------	-----

*Radbodus, episc. Noviomensis.*

Sermo de Annuntiatione Beatae Mariæ Virginis.	453
---	-----

*S. Bruno, Carthus. institutor.*

S. Maria ab omni peccati contagione libera.	461
---	-----

*S. Anselmus, Cantuar. archiepisc.*

I. — Lib. de Conceptu virginali et originali peccato.	461
---	-----

II. — 16 Orationes ad B. Virginem Mariam.	485
---	-----

1. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — Cum re-	
---	--

cordatione meritorum ejusdem et malorum nostrorum.	485
--	-----

2. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam.	487
---	-----

3. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam.	488
---	-----

4. — Oratio ad eamdem Dei Matrem.	489
-----------------------------------	-----

5. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — Cum re-	
---	--

cordatione peccatorum ad excitandum corporem.	490
---	-----

6. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — Cum	
---	--

mens timore premitur.	492
-----------------------	-----

7. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — Cum me-	
---	--

ditatione et laude meritorum ejus.	493
------------------------------------	-----

8. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam, et ad san-	
--	--

ctum Joannem evangelistam.	498
----------------------------	-----

9. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam.	498
---	-----

10. — Oratio ad eamdem sanctam Virginem Mar.	500
--	-----

11. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam.	501
--	-----

12. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — In An-	
---	--

nuntiatione ejus.	502
-------------------	-----

13. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — In Partu	
---	--

ejus.	502
-------	-----

14. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — In Pu-	
---	--

rificatione ejus.	503
-------------------	-----

15. — Oratio ad sanctam Virginem Mariam. — In As-	
---	--

sumptione ejus.	504
-----------------	-----

16. — Rhythmus ad sanctam Virginem Mariam et ad	
---	--

omnes sanctos.	506
----------------	-----

III. — Hymnus et psalterium de sancta Virgine Mar.	507
--	-----

IV. — Dial. B. M. et Anselmi, de passione Domini.	519
---	-----

V. — Tractatus de Conceptione B. M. V.	551
--	-----

VI. — Sermo de Conceptione B. Mariæ.	547
--------------------------------------	-----

VII. — Miraculum de Conceptione sanctæ Mariæ.	551
---	-----

VIII. — B. Virginis humilitas. — In ea nec superba	
--	--

virginitas, nec inquinata humilitas. — Humiliis virginitas, et Virgo humilitas. Mariæ sublimitas.	553
---	-----

IX. — B. Virgo de Spiritu sancto concipere digna fuit.	558
--	-----

— Purgatione non eguit.	
-------------------------	--

X. — Sanctissima Virgo quæ Christum portavit ab	
---	--

omnibus fidelibus Θεοτόκῳ; predicatur et creditur.	564
--	-----

XI. — Oratio ad Deum et ad omnes sanctos. — Patro-	
--	--

cium efficax B. Mariæ.	563
------------------------	-----

XII. — B. Maria cubiculum ingressa, libros quibus Virginis partus et Christi prophetabatur adventus evoluebat, quando ab angelo salutari. — Deum concipit. — Visitat Elisabeth. — Parit Christum; hæc et alia ejus mysteria pie considerantur. 566

XIII. — B. Virgo voto virginitatis sigillata. — Hoc primum virginitatis votum. 568

*Radulphus Ardens.*

I. — Natus est Christus ex matre nobili, sed paupere; ex Virgine, sed despoasata; ex regia et sacerdotali stirpe. — Christus voluit cibari lacte virginali. 569

II. — Quomodo dicitur Joseph pater Christi? — Beata est Maria qua sine exemplo credidit, concepit, peperit, portavit, lactavit Deum filium. 573

III. — In Purificatione B. Mariæ Virginis. 578

IV. — In eod. festo. 582

V. — In Annuntiatione B. Mariæ. 585

VI. — In eod. festo. 590

VII. — In Nativitate B. Mariæ Virginis. 596

VIII. — In eod. festo. 600

*S. Ivo, Carnotensis episc.*

I. — Sermo de Annuntiatione B. Mariæ. 603

II. — Sermo in Purificatione S. Mariæ. 607

*Guibertus, abbas.*

I. — Liber de laude S. Marie. 610

II. — Angelos longe superat B. Virgo. 630

*S. Bruno, episc. Sigueniensis.*

I. — LIBER DE LAUDIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIE. 631

Cap. 1. — De laude B. Mariæ civitatis Dei. 631

Cap. 2. — De Nativitate B. Mariæ Virginis. 633

Cap. 3. — De Purificatione S. Mariæ Virginis. 636

Cap. 4. — De Annuntiatione B. Mariæ Virginis. 639

II. — Homilia in Purificatione S. Mariæ Virginis. 665

III. — In Assumptione S. Mariæ Virginis. 664

IV. — Sermo in Purificatione B. M. V. 665

*Godefridus, abbas Windocin.*

I. — De Purificatione S. Mariæ. 665

II. — In omni festivitate B. Mariæ, matris Domini. 671

*Ven. Hildebertus.*

I. — Maria tota a peccato mundata. 675

II. — B. Maria quo excelsior, eo humilior. 677

III. — B. Maria se commendat de humilitate, non de aliis virtutibus. 677

IV. — B. Maria virga est, flos Christus Filius ejus. 678

V. — B. Maria Virgo ante partum, in partu et post partum. 679

VI. — In festo Annuntiationis B. M. sermo unicus. 679

VII. — In festo Purificationis B. Mariæ, sermo I. 683

VIII. — Sermo II. 689

IX. — Sermo III. 695

X. — In festo Assumptionis B. Mariæ, et de laudibus ejus, Sermo I. 699

XI. — Sermo II. 704

XII. — — Sermo III. 708

XIII. — De Conceptione B. Mariæ carmen. 711

XIV. — Versus Hildeberti ad B. Mariam. 712

XV. — De Partu virginico. 715

XVI. — De eodem. 714

XVII. — De eodem. 714

XVIII. — De eodem. 714

XIX. — De Virgine Maria. 715

XX. — Ubi Angelus venit ad Mariam. 715

XXI. — Ubi fert Jesum Maria. 715

XXII. — Ubi parit Christum Maria. 716

XXIII. — De Virgine Deipara. 716

XXIV. — Christus infans a Virgine lactatur. 716

XXV. — De Messia Virginis filio. 716

XXVI. — Super Virginem Mariam. 716

*Rupertus, abbas Tuitiensis.*

I. — B. Maria calcavit caput serpentis. 716

II. — Mons primus et maximus omnium montium beata est Virgo Maria, de cuius carne carnem assumpsit Christus, Dei Filius. 716

III. — B. Virgo Maria est porta Sanctuariorum, porta haec clausa erit, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. 717

IV. — Virgineus partus in visione prophetica designatur. 718

V. — B. Maria prophetissa. — Virginea Conceptio. — Quomodo omnes prophetæ accesserunt ad Prophetissam et ad Filium ejus. 719

VI. — Ab oculis B. Mariæ, Dei Genitricis, nequaquam Sapientia fuit abscondita. Haec est Prophetissa cujus in

sacramentum pectoris Spiritus sanctus omnes prophetias convexit. 721

VII. — Verbum quod Virgo fidelis secundum carnem peperit et lactavit, ipsa secundum fidem prius corde concepit. 722

VIII. Virgo Maria pars magna sanctæ civitatis Sion, pars magna et regalis aula sanctæ Ecclesiæ. 723

IX. — De beatitudine Virginis Mariae, et cur anterior Ecclesia Dei Patris, posterior Filii Dei sponsa recte intelligi ac dici debeat. 723

X. — Prima est Maria, in quam Spiritus sanctus venit. — Maria duplenter Spiritum sanctum accepit. — Maria dicitur celum. — Mariæ conceptio significatur per rorem jacentem in soliditate. 726

XI. — Mariæ fides eximia. — Verbum in mentem et in uterum Virgo fidelissima, angelo narrante, concepit. 730

XII. — Quomodo Maria sit mater Joannis. — Mater quoque dicitur Maria omnium Christi discipulorum. 740

XIII. — B. Maria fuit tempus tacendi et tempus loquendi. — Apostolis multa de Christo B. Mariæ enarravit. 741

XIV. — B. Maria templum Domini et sa crarium Spiritus sancti. — Mariæ incorrupta virginitas. 742

XV. — De humilitate B. Mariæ V. quod causa illi fuerit vivendæ virginitatis. 712

XVI. — Maria est cœli porta patens et maxima. 743

XVII. — Quod nos recte beatam Mariam in principio nostræ lætitiae proponimus. 746

*Honorius, Augustoduensis episc.*

I. — Sigillum Beatæ Mariæ. 747

II. — De Nativitate sanctæ Mariæ. 771

III. — In Annuntiatione sanctæ Mariæ. 775

IV. — In Purificatione sanctæ Mariæ. 778

V. — In Assumptione sanctæ Mariæ. 781

*Eadmerus, Cantuariensis monachus.*

I. — DE EXCELLENTIA VIRGINIS MARIE LIBER. 783

Cap. 1. — Quod Maria excellit omnes creaturas. 785

Cap. 2. — De origine Virginis Mariae. 786

Cap. 3. — De Annuntiatione angelica. 787

Cap. 4. — De amore Virginis ad Filium. 788

Cap. 5. — De compassionie beatæ Mariæ pro Filio crucifixo. 791

Cap. 6. — De gaudio resurrectionis. 793

Cap. 7. — De gaudio beatæ Mariæ in Filii Ascensione. 795

Cap. 8. — De Assumptione beatæ Dei Genitricis Mariae. 796

Cap. 9. — Quantum profuit beata Virgo Maria naturæ humanae. 798

Cap. 10. — Quantum profuit omni creature, etiam præter humanam. 800

Cap. 11. — De eodem. 801

Cap. 12. — Oratio ad beatissimam Virginem Mariam. 802

II. — DE QUATUOR VIRTUTIBUS QUAÆ FUERUNT IN BEATA MARIA EJUSQUE SUBLIMITATE. 803

Cap. 1. — De his virtutibus generatim. 803

Cap. 2. — De justitia et ejus appenditis. 804

Cap. 3. — De prudentia et ejus sequacibus. 805

Cap. 4. — De fortitudine et ejus sequacibus. 803

Cap. 5. — De temperantia et ejus sequacibus. 806

Cap. 6. — Has sanctæ Mariæ virtutes Christus confirmavit. 806

Cap. 7. — Non potuisse Deum ex alia virgine hominem effici. 807

Cap. 8. — Sublimitas beatæ Virginis explicatur. 808

*Ven. Godefridus, abbas Admontensis.*

I. — Homil. in sanctam noctem Nativitatis Domini. — Laudes B. Mariæ semper Virginis. 809

II. — Homilie in festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis. 811

III. — Hom. 1, in id. festum. 822

IV. — Hom. 2, in id. festum. 826

V. — Hom. 3, in id. festum. 829

VI. — Hom. 4, in id. festum. 831

VII. — Hom. in Vigiliam Assumptionis B. M. V. 837

VIII. — Hom. 1, in festum Assumptionis B. M. V. 859

IX. — In eamdem festivitat. hom. 2. 844

X. — In eam. festiv. hom. 3. 851

XI. — In eam. festiv. hom. 4. 854

XII. — In eam. festiv. nom. 5. 857

XIII. — In eam. festiv. hom. 6. 859

XIV. — In eamdem festiv. hom. 7. 863

XV. — In Octavam festi Assumptionis B. M. V. 868

XVI.	— In festum Nativitatis S. M. V. hom. 1.	870
XVII.	— In id. festum hom. 2.	873
XVIII.	— In id. festum hom. 3.	877
XIX.	— In eamdt. festiv. hom. 4.	879
XX.	— In eamdt. festiv. hom. 5.	893

*Hugo a S. Victore.*

I.	— De B. Mariæ Virginitate libellus.	897
II.	— De Assumptione B. Mariæ sermo in quo fere exponuntur quæ ex Canticis cantorum deprompta in ejusd. Assumptionis decantari solent Officio.	913

*Robertus Pultus, S. R. E. cardinalis.*

I.	— Regina angelorum, mater Salvatoris intemerata Maria Virgo. — Semper Virgo Maria, facta mater Salvatoris, ultra quam dici queat, crevit.	929
----	---	-----

II.	— Maria intacta perpetuæ Virgo. — Quomodo concepit de Spiritu sancto? — Veneranda Virgo angelo respondit, et Filius Dei advenit. — Maria vere Dei Genitrix.	950
-----	---	-----

III.	— Quem claustra virginitatis integra suscepserunt, integra quoque ediderunt.	953
------	--	-----

IV.	— Dei Filius gloriosam Mariam benedictam inventit, vel potius fecit.	955
-----	--	-----

V.	— De officio Gabrielis. — Virgini Matri Incarnationem annuntiat.	956
----	--	-----

*S. Bernardus, abbas Claravallensis.*

I.	— Tractatus S. Bernardi, quod complectitur :	
----	--	--

I.	— Tractatus ad laudem gloriose Virginis Matris.	936
----	---	-----

II.	— De laudibus Virginis Matris homilia quatuor.	943
-----	--	-----

III.	— Sermo de eo quod pastores invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio.	974
------	--	-----

IV.	— In Purificatione B. Mariæ sermones tres.	973
-----	--	-----

V.	— In Assumptione B. V. M. sermones quatuor.	981
----	---	-----

VI.	— Dominica infra Octav. Assumptionis B. V. M., de duodecim prærogatiis B. V. Mariæ.	993
-----	---	-----

VII.	— In Nativitate B. V. M., sermo de Aquæductu.	1004
------	---	------

VIII.	— De virginitatis et humilitatis connexione sermo.	1013
-------	--	------

IX.	— De quadruplici superbia.	1014
-----	----------------------------	------

X.	— De Mariæ Purificatione sermo.	1015
----	---------------------------------	------

XI.	— Sermo in Canticum B. Virginis Mariæ.	1017
-----	--	------

XII.	— Virga Jesse virore virginico pullulavit.	1023
------	--	------

XIII.	— Maria thesaurus Dei. — Radix Jesse, aliæque figuræ B. V. Mariæ.	1025
-------	---	------

XIV.	— Maria secretorum Dei conscientia.	1026
------	-------------------------------------	------

XV.	— Maria est mater charitatis. — Amoris sagitta Mariæ animam confixit et pertransivit.	1027
-----	---	------

XVI.	— Mariæ gloria in sola humilitate.	1027
------	------------------------------------	------

XVII.	— Mariæ clementia et benignitas.	1027
-------	----------------------------------	------

XVIII.	— Mariæ fides fermentum. — Caro Christi vere de Virgine sumpta. — Flos de radice Jesse.	1028
--------	---	------

XIX.	— Miranda Virginis maternitas. — Dedit nobis Deus Christum per Mariam. — Datum est Mariæ, ut quidquid haberes, per illam accipieres.	1029
------	--	------

XX.	— Tria mirabilia in Maria. — Tria nobis contulit Mariæ secunditas.	1031
-----	--	------

XXI.	— B. M. V. virtutes prædicantur et laudes.	1051
------	--	------

XXII.	— Epistola ad Canonicos Lugdunenses de Conceptione S. Marie, cum nota R. P. Jo. Perrone.	1053
-------	--	------

XXIII.	— Oratio devota ad Dominum Jesum et beatam Mariam matrem ejus.	1057
--------	--	------

*Guerricus, abbas Ignaciensis.*

I.	— In Annuntiatione Dominicana sermones tres.	1041
----	--	------

II.	— In Assumptione B. M. sermones quatuor.	1053
-----	--	------

III.	— In Nativitate B. Mariæ.	1062
------	---------------------------	------

*Ecbertus, abbas Schonangiensis.*

I.	— Ad B. V. Deipara Sermo panegyricus.	1063
----	---------------------------------------	------

II.	— De B. Maria Virgine Sermo.	1069
-----	------------------------------	------

*Amedeus episc. Lausannensis.*

Homilia I.	— De fructibus et floribus sanctissimæ Virginis Marie,	1075
------------	--	------

II.	— De justificatione vel ornato Mariæ Virginis.	1083
-----	--	------

III.	— De Incarnatione Christi et Virginis Conceptione de Spiritu sancto.	1085
------	--	------

IV.	— De partu Virginis, seu Christi Nativitate.	1091
-----	--	------

V.	— De mentis robore seu martyrio B. Virginis.	1097
----	--	------

VI.	— De gudio et admiratione B. V. in Resurrectione et Ascensione Jesu Filii sui ad Patris dexteram.	1103
-----	---	------

VII.	— De B. Virginis obitu, Assumptione in eccliam exaltatione ad Filii dexteram.	1108
------	---	------

VIII.	— De Maria Virginis plenitudine, seu perfectione, gloria, et erga suos clientes patrocinio.	1114
-------	---	------

*Petrus Venerabilis, abbas Cluniacensis.*

Supræcoelestis et perpetua Virgo Maria concepit et	
--	--

periperit Dominum nostrum Jesum Christum.	
---	--

1117
------

*Petrus Lombardus.*

I. — Mariæ Virginis uterus vellus Gedeonis. — Virginis integritas ante partum, in partu, post partum.	1121
---	------

II. — Filius Dei secundum carnem ex semine David et B. Maria Virgine. — Cum nasceretur integratatem virginitatis servavit in Matre.	1125
---	------

III. — Maria mater Domini. — Historia trium Mariarum. — Unde dicti fratres Domini.	1128
--	------

IV. — Virgo intacta, semper intacta permanxit, fabro tamen desponsata, omnem carnalis nobilitatis tumorem extinxit.	1129
---	------

V. — Maria tota sine peccato, et sine peccati fomite.	1130
---	------

*Aelredus, abbas Rievallis.*

I. — In Annuntiatione B. Marie.	1131
---------------------------------	------

II. — Sermo de B. Maria.	1139
--------------------------	------

*Philippus de Harveng, abbas Bonæ Spei.*

I. — Quomodo ista sententia : « Nigra sum, sed formosa, » ascribatur B. Mariæ.	1147
--	------

II. — De throno eburneo, et aureo, qualiter sub allegoria interpretatione referri debeat ad personam beatæ, et gloriosæ, et perpetuæ Virginis Mariæ.	1149
--	------

*Richardus a Sancto Victore.*

I. — De B. Virginis Mariæ integra et perfecta pulchritudine.	1153
--	------

II. — De Assumptione Mariæ, et ejus laudibus.	1155
---	------

III. — De Comparatione Christi ad florem, et Mariæ ad virgam.	1156
---	------

IV. — De differentia sacrificii Abrabæ a sacrificio B. Mariæ Virginis.	1157
--	------

*Adamus Praemonstratensis.*

Sermo de adventu Christi ad Ecclesiam per Virginem Mariam.	1175
--	------

*Petrus Comestor.*

I. — Sermo in Annuntiatione B. Virginis.	1177
--	------

II. — Sermo in festo Assumptionis B. V. M.	1180
--	------

*Alanus de Insulis.*

I. — Sermo in Annuntiatione B. Mariæ.	1185
---------------------------------------	------

II. — De sancta Maria.	1188
------------------------	------

III. — In Maria dignitas triplex, prælectionis, electionis, subelectionis.	1190
--	------

*Arnulfus, Lexoviensis episc.*

I. — Sermo in Annuntiatione gloriose V. M.	1190
--	------

II. — De Nativitate Domini et de Virgine Deipara carmen.	1196
--	------

*Petrus Cellensis.*

I. — Sermo in tempore Adventus : « Ecce Virgo concepit et pariet filium (Isa. vii, 14). »	1196
---	------

II. — Sermo in Purificatione S. Mariæ.	1201
--	------

III. — In Annuntiatione Dominicana sermones septem.	1205
---	------

IV. — In Assumptione B. M. V. sermones octo.	1224
--	------

V. — De beatissima Virgine.	1245
-----------------------------	------

*Henricus S. R. E. cardinalis.*

I. — De porta duodecima civitatis Dei, B. Virginie Deipara.	1249
---	------

II. — De gloria portæ duodecimæ Virginis Mariæ.	1257
---	------

*Petrus Cantor.*

B. Maria Deipara cæteris virtutibus humilitatem præposuit.	1269
--	------

*Petrus Blesensis.*

I. — In Assumptione B. Mariæ.	1269
-------------------------------	------

II. — In eadem Assumptione.	1275
-----------------------------	------

III. — De eadem Assumptione.	1275
------------------------------	------

IV. — De eadem Assumptione.	1277
-----------------------------	------

V. — In Nativitate B. Mariæ.	1279
------------------------------	------

*S. Martinus Legionensis.*

I. — Sermo in Assumptione sanctæ Mariæ.	1283
---	------

II. — Sermo in Nativitate sanctæ Mariæ.	1288
---	------

*Absalon, abbas Sprinckirsbacensis.*

I. — In Annuntiatione B. Marie.	1293
---------------------------------	------

II. — Sermo in Assumptione gloriose Virginis Mariæ.	1300
---	------

III. — Item 2.	1303
----------------	------


IV. — Item 3.	1311
---------------	------

V. — Sermo in Nativitate B. Virginis Mariæ.	1318
---	------

<i>Adamus, abbas Persenæ.</i>	
Sermo primus. — In Annuntiatione B. Virginis.	1519
Sermo II. — De partu B. Virginis.	1551
Sermo III. — De partu B. Virginis.	1559
Sermo IV. — In Purificatione B. Mariæ.	1546
Sermo V. — In Assumptione B. Mariæ.	1553
Fragmenta Mariana.	1563 73
<i>Innocentius III papa.</i>	
I. — Sermo in Nativitate sanctæ Mariæ.	1373
II. — Sermo in solemnitate Purificationis glorioissimæ semper Virginis Mariæ.	1581
III. — Sermo in Annuntiatione B. Mariæ.	1590
IV. — Sermo in solemnitate Assumptionis glorioissi- mæ semper Virginis Mariæ.	1395
V. — In ead. solemnitate.	1399
VI. — Sermo in solemnitate Nativitatis glorioissimæ semper Virginis Mariæ.	1403
<i>S. Bonaventura.</i>	
I. — Laus B. M. V.	1401
II. — Corona B. M. V.	1411

III. — Psalterium minus B. M. V.	1413
IV. — Super Cant. <i>Salve Regina.</i>	1419
<i>S. Thomas de Aquino.</i>	
I. — Devotissima expositiæ super Salutatione angelica, scilicet Ave MARIA.	1421
II. — Sermones de B. V. M.	1425
1. In Purificatione B. M. Sermones duo.	1425
2. In Annuntiatione B. M. Sermones duo.	1428
3. In Assumptione B. M. Sermo unus.	1450
<i>Robertus Bellarminus.</i>	
Super Missus est Conclaves V.	1431
<i>Albertus Magnus. — Raymundus Jordanus.</i>	
(Memorantur tantum. Remittitur Lector ad hu- jusce <i>Summae Aureæ</i> , tom. IV et VII.)	
<i>S. Laurentius Justinianus.</i>	
I. — Sermo in Annuntiatione B. M. V.	1493
II. — Sermo in Purificationem B. V. M.	1498
Index alphabeticus SS Patrum.	1503
Index in eorumdem Testimonia Mariana.	1505

FINIS TOMI SEXTI.





GETTY RESEARCH INSTITUTE



3 3125 01360 0057

